Universidad de Deusto
Biblioteca

Ambrosius
Catharinus in Epis
tolas D. Pauli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN OMNES DIVI PAVLI APOSTOLI, ET ALIAS SEPTEM CANONICAS EPISTOLAS R. P. FRATRIS AMBROSII CATHARINI Politi Senensis, Episcopi Minoriensis, commentaria:

Cum indice totius operis, ordine alphabetico compendiosè verborum ac rerum præcipuarum summam complectente.

Soy dela libreria y de su el maestro don fr. Francisco de Villalba

FACULTAD DE TEOLOGIA Universidad de Deusto BILBAO

BIBLIOTHECÆ OMNIENSIS SOCIETATIS JESU

PARISIIS,

Apud Claudium Fremy, via Iacobæa, ad insigne diui Martini.

M. D. LXVI.

libro

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD SANCTISSIMVM D. N. IVLIVM TERTIVM PONT. MAX. COMMENTARIORVM IN OMNES *epistolas B. Pauli Apostoli, & septem canonicas, R. P. F. Ambrosij Catharini Politi Episcopi Minorien.*

PRAEFATIO.

QVOD tam multa cùm veterum, tum recentiorum in Epistolas B. Pauli commentaria, quæ prostant, non me deterruerint quin ego nostra quoque illis adiũgerem: siquis mihi ob hoc duntaxat, vitio aut vituperio verterit, videat ne mecum simul innumerabiles, & quidem grauissimos authores vituperet. Nam quot fuerunt qui in omni genere disciplinarum non contenti priorum studiis, etiam ab illis tractata retractauerunt? Qui si eam ob causam deterriti fuissent, nihil haberemus siue artium, siue scientiarum perfectum. Siquidem longitudine temporum, & plurimorum opera ac labore omnes artes atque scientiæ incremẽtum, perfectionémq; suam paulatim suscepêre. Nulli enim authorum vnquam adeò fœlices extiterunt, vt in quauis subiecta materia ita cũcta tractauerint, ita singula idoneè, perspicuè, exactè, ac sine vllo penitus errore expẽderint atque explicuerint, vt venientibus meditãdi noua, & interdum etiam meliora inueniendi atque cudẽdi locum omnem præcluserint. Quocirca, cùm (vt habent vera Philosophorum prouerbia) facile sit inuentis addere, & circa difficilia versari sæpius ac speculari nõ sit inutile, & in aliorum erratis deprehẽdendis multò quàm in nostris omnes simus oculatiores: tantò minus hæc posteriorum diligẽtia in sanctarum scripturarum interpretatione iure potest reprehendi, quantò hæ propter magnam sui obscuritatem, & sensuum sublimitatem atque fœcunditatem, & malè illas tractantium peruersitatem, multò maiore indigent animaduersione. Quam ob rem si dixerim multitudinem scribentium non modo me à scribendo non deterruisse, verùm etiam plurimum incitasse, minimè à veritate discesserim. Nam si nostræ ętatis tractatores spectemus (qui numerus hodie multus est) eorum longè maior pars hæretici sunt, qui illud Principis Apostolorum oraculum suo facto verum fecere, dicentis, Esse in his epistolis quædam difficilia intellectu, quæ indocti atque instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad sui ipsorum perditionem. Hoc autem si vnquam, nunc potissimum apparet. Quis igitur neget operæpretium fuisse has hæreticorum redargui deprauationes, cùm iam & uulgatæ sint, & à multis passim legantur? Hoc verò à me magna ex parte effectum esse, non somniculosus lector facilè potest animaduertere, & (quod pulchrum est) sanè perspicere, vel ex ipsis iisdem locis eos iugulari atque prosterni, quibus illi maximè contra nos & impudentissimè innituntur. At istud qui scripsere priores, indicare non valuerũt, cùm nec hæ quæstiones olim mouerentur, nec omnes istorum fallaciæ atque argutiæ obiectarentur. Nõ enim negamus si aut illi maiores in hæc nostra tempora incidissent, aut suis ipsorum temporibus agitatæ hæ controuersiæ fuissent, quin valuissent ꝓculdubio & luculẽtius, & absoluti⁹ id præstare, quod nos elaborauimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B. ille Augustinus tametsi in variis suis opusculis cũcta ferè illarum Epistolarum loca tractauerit, non tamen perpetua edidit cõmentaria: neque contra hos qui nũc nati sunt, sed contra Pelagianos hæreticos, quibus isti maximè aduersantur, & in aliud extremum sese præcipitant, potissimũ disseruit: quanquam etiam hos sæpenumero, sed variis in locis sparsim, suis sententiis perstringit. Quæ autẽ in tomis D. Hieronymi adiecta sunt ad ipsas Epistolas commentaria, non esse Hieronymi, Pelagiana hæresis, quæ ibi astruitur, satis declarat. Vnde quidam nõ iniuria Pelagium eius operis authorem credidêre. B. autem Ambrosius, vtpote cõcisus & breuis nec disputator, locum reliquit aliis. B. Chrysostomus, vt solet, nõ tam commentator ad studiosos, quàm concionator ad plebem: nec tam dogmatum, quàm morum doctor apparet. Denique res ipsa palàm attestatur, nũquam quicquam tam enucleatè patefactum fuisse in Ecclesia, sicut ea quæ in cõtrouersiam adducta, doctorum disputationibus hinc inde sæpius versata sunt, & ad minutum expẽsa, præsertim si cum hæreticis actum sit. Nam eò vsque profuit cõtentio, vt pleraque in Catholicorum libris obiter offenderẽtur, quę doctos pariter ac pios offenderẽt, nisi posteriorũ disputationibus veritas illuxisset. Quam ob rem hoc pacto illos interdum D. Augustinus excusare solet, quòd non exactè tunc rem tractauerint, cùm de ea nulla esset in Ecclesia exorta cõtentio. Et re vera hæreticorum disceptationes semper acuerunt nostrorum ingenia: & argumenta mouẽtes dederunt locum inquisitioni atque inuẽtioni veritatis, incẽderũntq; multos ad studia & scrutationẽ scripturarum. Nam ob hoc ipsum (vt elegãter idem Augustinus admonet) permittit Deus venire hæreticos, vt per illos exerceantur Catholici, euadántque multò peritiores, & aduersarios gloriosè prosternant. Hoc à nonnullis nostra ætate fœliciter esse præstitum, liuidus sit qui neget. Extant enim præclaræ D. Ioannis Episcopi Rossensis & Martyris disputationes, quibus Lutheranas & Oecolampadianas blasphemias ita doctè atque eleganter excussit, vt nemo prudens non illas dignas anathemate sanè perspiciat. Ioannes item Cochleus Germanus, qui iam perpetuos triginta annos fortis in acie stetit aduersus istos Ecclesiæ hostes, ita illos perstrinxit, eorũmque insaniam, & venenosam doctrinam, spurcámque vitam, ac mores sacrilegos ita traduxit, vt æqui & candidi animi lector plenissimè persuasus euadat. Verùm non erat hic locus vt omnes qui cum laude aduersus hæreticos scripsere, recenserem: hoc solummodo ad rem attinebat. Quia hæretici in commentariis suis ad scripturas, & præsertim ad Paulum, suos illos disseminarũt errores, iccirco hoc à plerisque desyderabatur, vt & nostri quoque haberent in commentariis, quò ex ipsa scriptura responderetur illis, & confutarentur, dum verior Apostoli sensus commodius declaratur. Nam (quod silentio præterire non valeo) etiam ex nostris, qui post subortas hæreses sua edidere commentaria, non defuerunt qui in plerisque à catholica veritate recesserunt, hæreticis in quibusdam fauentes: & nonnulli qui dum Lutheranos scopulos deuitant, in Pelagianos & alios peregrinos errores incurrunt. Quam ob rem cum ad confutandum aliena, tum ad confirmandum nostra, denique ad aperiẽdum

in plerisque locis verum ac germanum sensum Apostoli, qui multos latebat, id oneris mihi sumere non inutile sum arbitratus, nihil eorum quæ ad hanc rem pertinerent, pro viribus prætermittens. Legi enim veterum pariter & nouorum expositiones. Cõsului vt veram lectionem deprehẽderem, & Græcos codices, & eruditorum annotationes, qui circa veritatem literæ laborarunt. Et licet ego veterem ac vulgatã editionem omnino magis probem, atque illam interpreter: nõ tamen adeò durus esse volui, vt siquid fortè emendatius in antiquis, aut Græcis codicibus viderim, illud despexerim, cùm planè nouerim hac in re à plerisque in vtranque partem peccari. Caietanus nusquam, ne latum quidem vnguem, à codicibus Græcis, qui nunc extant, recedit: tametsi nonnunquam & in hoc fallatur, putans ità haberi in Græcis, cùm ita non habeatur. Erasmus etiam in multis iure fuit reprehensus, quod nec ille valuit inficiari. Vnde & quintam fabricauit editionem, necdum tamen omnino fidelem. Et iam illud extra controuersiam est, Græcos codices & olim & hodie in multis inter se non conuenire, sicut nec etiam Latini conueniunt: quod diligentia multorum tandem compertum est. Illud ergo pręcipuè mihi curæ fuit, verum Apostoli sensum pro viribus explorare, assequi, proferre, ac simul ostendere nullum magis cum nostræ ætatis hæreticis pugnare, quàm Paulum ipsum. Nec fuit in animo semper varias textus lectiones adducere, nisi vbi opus esse perspicerẽ. Nec eunctorum libuit expositiones recitare, aut expẽdere: sed ex pluribus illam vbique deligere quæ syncera, & ex mente authoris, dignáque Apostolico spiritu videretur: denique talis, quæ sua luce non socordi lectori facilè posset ita se commendare, vt si fortè aliæ occurrant, sola collatione meritò despiciendas atque explodendas esse pernoscat. De stylo autẽ ac dictione, selectísque verbis, fateor me non admodum fuisse solicitum, tenens illud Apostoli: Non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctis Spiritus. Abundè enim omnibus me satisfacturum putaui, si ita sermonem temperarem, vt neque eruditi meritò fastidire, nec alij de cultu nimio conqueri valerent, quo minus res ipsa intelligi ac spectari queat. Cæterùm, maleuolos & vitilitigatores, qui quæ non intelligũt, vituperant, & occasiones quærunt garrientes in angulis, ac detrahentes fratri suo gratis, iam nihil moror: iamdiu enim in his obcallui, & causam meam, id est, veritatem commendaui Deo. Non enim propter hoc oportet quenquam absterreri ab opera vtili ac studiosa, cùm sit scriptum: Qui ventos obseruat, nunquam seret. Nam quæ Magister quidam nostri nominis detractor in sua quadam apologia, & suis ad Romanos commentariis, parum religiosè ac minus doctè aduersum nos & scripta nostra effutiuit, non sunt mihi visa digna quæ in nostris rememorarentur. Etenim iam in Expurgatione nostra, & in Disceptationibus ad illum, arbitror esse ita discussa & confutata, vt sese ac sua tuendi nullus sit penitus ei locus relictus. Quod cùm ille iam sanè (vt opinor) perspexerit, significauit mihi per literas, constitutissimum sibi esse ne verbum vllum quãdiu vixerit, eorum quæ in illum rescripserim se lecturum. Quin etiam ne vllum quidem verbum expurgationis nostræ quam misi ad illum,

Universidad de Deusto Biblioteca

aduersus ea quæ in me, & doctrinam nostram ille olim calumniosè inscitè ac sophisticè disseruerat, se legisse asserit. Quòd si res ita verè se habet (quãquam quis hoc credat?) & stat sententia, ne vllam lineam (vt eius verbis vtar) scriptorum meorũ se velle legere, & hoc pacto ipse sibi & aliis coram Deo satisfacere arbitratur: mihi quoque satisfactum esse confiteor. Bene valeat ergo, & nos ad rem nostram, vnde digressi sumus, redeamus. Quòd si quid aliud fortè per humanã incuriam, aut ignorantiã, siue imperitiam mihi exciderit, quod sit vlla in parte à veritate alienũ, syncerè & coram Deo, protestor nolle me illud quouis modo asserere, vel defendere: sed cùm primùm mihi idoneè ostensum fuerit, ingenuè respuere ac damnare, sicut in cunctis, quæ iam sunt edita, scriptis meis semper animo candido sum protestatus, vt & ego, & libri etiam nostri semper catholici sint. Nam vt apud beatum Augustinum legitur, Romanus Pontifex librum Cœlestij, vbi Pelagiana hæresis commẽdabatur, catholicum ob hoc tantùm pronunciauit, quòd vir ille eam hæresim inter illa posuit, de quibus se dubitare & instrui velle, & literis Pontificis consentire profitebatur. Si igitur ea protestatio hæretici libellum vbi error manifestè inerat, & perniciosus, & Pontifici notus, in foro tamen Ecclesiæ catholicum fecit, donec ille seipsum hęreticum prodidit: quid de nostris pronunciare debeat æquus censor, in quibus (Deo gratia est) nihil posse arbitror à quoquam quantumuis maligno reperiri, quod vel scripturis, vel ecclesiasticis diffinitionibus, vel communi Catholicorum doctorum consensui aduersetur? Si quid autem aliud fortè aut ineptum, aut superuacaneum imprudentius exciderit, meritò se inhumanum prodet qui humanæ conditionis immemor, & seipsum ignorans, non ducat dignum venia eum, qui cùm plurima non ineptè tractauerit, aliquo fortè in loco humani quidpiam perpessus sit. Quis enim etiam nobilium tractatorum non errauit aliquando? Quis omnibus, ac per omnia satisfecit? Detritum est iam in ore vulgi, sed verum prouerbium: Quandoque bonus dormitat Homerus. Satis mihi sit, & animum semper habuisse candidum, & de vigiliis nostris aliorum potius profectũ, quàm meam gloriam in hoc mundo pro scopo mihi, teste Deo, proposuisse. Reliquum ergo erat vt id operis alicui dicarem. At cui, rogo, nisi cui potissimum debetur? Quis autem cui magis debeatur, quoquò versum spectemus, fingi aut excogitari potest, nisi tu vnus, Iuli Pontifex maxime? Si enim ad me respicio, quid est ex me quod tibi non debeam? Nam cùm tu omnium Dominus sis & Pater, mihi tãmen præ multis etiam peculiarius & Pater, & Dominus es. Non igitur hæc tibi quasi discipulo donari dixerim, etsi aliquando hoc fueris, dum adolescens iuris ciuilis sapientiæ operam dares. Nam postquam penè à teneris ad rerum administrationem euocatus, & præclarissimis dignitatibus decoratus, longè me anteuertisti, & nunc in eum ascendisti gradum, quo nihil excelsius spectatur in terris, par est vt hæc tibi tanquam Domino, ac Patri, & Magistro dicentur: qua dicatione, te illam dignè probante atque acceptãte, quodammodo sacra fiant, & metum irreligiosis buccis incutiant, ne ausint tanto in terris numini oblata & sanctificata violare.

Præterea res ipsæ quæ ibi tractantur, religiosæ, difficiles, arduæ: De Angelis: De peccato originali: De lege: De fide: De operibus: De cæremoniis: De Euãgelio: De iustificatione: De prædestinatione: De Ecclesia: De sacrificio: De sacramẽtis: De ordinibus: De pseudoprophetis, & pseudoapostolis: De aduentu Antichristi, & gloriæ magni Dei, & domini nostri Iesu Christi: De resurrectione mortuorum, & iudicio æterno: Denique de præceptis, & virtutibus, & vitiis: Res, inquam, ipsæ, & quæ de his disputationes occurrunt, neminem alium in terris reuisorem ac probatorem sibi poscebant, quàm te qui Petri fidem & cathedram tenes, & hac in re nec falli quidem potes, nec fallere. Nõ est hæc adulatio, sed simplex nostræ fidei professio. Quod enim orauit pro Petro Dominus, ne illius fides deficeret, sed aliquando conuersus confirmaret fratres suos, hoc ad tuam istam excelsam sedem extendi, nemini vnquam qui à Spiritu Dei sapientiam hauserit, dubium fuit. Hoc diuturnus in orbe Christiano vsus ab ipsius Ecclesiæ exordiis, cũ maiores causæ (& potissimùm quæ sunt fidei) & cognoscendæ & decidendæ ad tribunal tuum semper delatæ sint, validissimè cõprobauit. Quam ob rem rogo te beatissime Pater, quod & te, me tacẽte, facturum spero, quia & me amas, & nostras vigilias non contemnis, si quando ab vrgentioribus vacaueris negotiis, & firmiore fueris valetudine, ne graueris hęc nostra percurrere. Non enim dubito per egregiam ingenij tui perspicaciam, & iudicij præstantiam, & eam quam tibi Dei Spiritus intelligentiam suggeret, sicut ipse Apostolicam sedem tenes, ita etiam Apostolicas, vt decet, sententias plenas sapientia ac vita penetrabis, planéque agnosces ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, vt perfectus sit homo Dei in iustitia, & ad omne opus bonum instructus, nihil excogitari possit aptius, nihil viuum magis & efficax, quàm tanti Apostoli cœlestis doctrina: vt meritò vel ipsi eius æmuli faterentur Epistolas quidem esse fortes & graues: & ipse de se illud prædicare non timuit: etsi imperitus sermone, non tamen scientia.

Quod autem de Epistolis diui Pauli dico, etiam de septem quatuor Apostolorum canonicis affero, quarum etiam enarrationes iis beati Pauli commentariis adiunxi, vt iustus tomus compleretur. Vna enim ibi fides agnoscitur, vnus spiritus, vna doctrina, quam dominus ipse Iesus Christus dignetur inserere in cordibus nostris, vt quæ nunc per speculum in ænigmate cernimus, reuelata eius gloria in cœlis, & in sempiternis illis sæculis contemplemur. Amen.

Vale semper fœlix, beatissime Pater.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TOTIVS OPERIS ORDINE ALPHABETICO COMpendiose verborum ac rerum præcipuarum summam complectens, quæ passim suis locis declarantur. Primus numerus, paginam: Secundus, columnam indicat. Columnæ autem ob summam sententiarum & fere perpetuam colligationem in breuiores partes, citra intelligentiæ & integri sensus iacturam, distribui non potuerunt. Æquus Lector boni consulat.

A

Abba.

ABBA Pater clamant veri Christiani in Spiritu sancto, pag.74.col.1.
Abba Pater duo vocabula, quibus vocatur Deus ab Apostolo Paulo, vt omnium Gentiũ & linguarum esse Deus & Pater declaretur, ibid.
Abba nomen Hebræum. ibid.

Abraham.

Abraham ex fide æternorum iustificatus est, 39. col.1.268.c.1.
Abraham fuit typus & exemplum iustificationis, 43.c.1.2.44.c.2.268.c.2.
Abrahã quomodo ex operibus iustificatus, & quo modo per fidem acceperit repromissionem, 45.c.1.item p.45.46.& p.47.item p.268.c.1.
Abraham fuit singularis quidam typus totius vitæ hominis Christiani, 272.c.1.
Abrahæ fides commendatur, 47.c.1.& 2.
Abrahæ veri filij, ad quos spectat cœlestis promissio, quinam sint, 85.86.item p.268.c.2.
Abrahæ benedictio data fuit ad omnium prorsus Gentium salutem, modo fidem illius imitarẽtur, 271.c.1.
Abrahæ promissiones factæ, plures & diuersarum rerum, 271.272.c.1.2.

Abundare.

Abundare in suo sensu quid verè significat, p.119. col.2.
Abundare antiquitus eò plus solebãt Prælati, quò abundantius in pauperes conferebant, 345. 346.col.1.

Abusus.

Abusus Prælatorum multi, 417.c.2.
Abusus in ordinandis ad sacros ordines passim & sine vllo delectu, 366.c.2.367.c.1.409.c.2.
Abusus in dispensandis & conferendis ecclesiasticis indulgentiis, 354.c.2.
Abusus in cantu indecenti & officiis ecclesiasticis reprehenditur, 319.c.1.364.c.2.
Abusus maximè detestandus in templis Dei tempore supplicationis solẽnium, vbi iam non conuenit populus ad diuinum cultum, sed ad strepitum, 399.c.2.
Abusus religiosorum & regularium circa splendida & superba ædificia, 389.c.1.
Abusus Aulicorum etiam ecclesiasticorum in turpitudine indumẽtorum & vanitate paganos & milites sæculares superantium, 188.c.1.2.
Abusus turpissimus mulierum impudicissimo ornatu sese componentium taxatur & vituperatur, vbi adhibetur elegans B. Chrysostomi increpatio in huiusmodi vanitatem Christianis moribus indignam, 403.c.2.
Abusus circa ornamenta muliebria ex Isaia seuerè à Deo castigatus comprobatur, 406.c.1.& 2.
Abusus pictorũ circa imagines, quas nudis membris indecẽtissimè pingunt in aris & præcipuis Dei templis taxatur, 600.c.2.

Acceptio personarum.

Acceptio personarum quæ vitio vertitur, propriè quænam sit, 23.c.1.
Acceptio personarum nulla erit in cœlis, 323.c.2.
Acceptio personarum vituperatur, 528.c.2.

Adam.

Adam qua ratione dicatur forma futuri, 54.c.1.
Adam in quo statu ante peccatum. 69.c.1.
Adam accepit gratiã & dona spiritualia per Christum ante peccatum, 201.c.2.
Adam in statu innocẽtiæ habuit reuelationem circa mysterium de Christo, 165.c.1.& 201.c.2.
Adam pro se & posteris dona differentia accepit, scilicet iustitiam originalem, & gratiam, 33.c.1. 52.c.2.
Adam promisit accepta dona se conseruaturũ pro se & pro filiis suis, 52.c.2.
Adam quomodo fuerit ille insipiens qui dixit in corde suo: non est Deus, 33.c.1.
Adam terrenus & animalis quomodo dicatur, 201.c.2.
Adam quomodo totum mundum in seipso intellẽgebatur continere, 50.c.2.51.c.1.
Adæ peccatum nullo modo dicendum est fuisse à Domino Deo intentum, 56.c.1.
Adę dominatus in creaturas post peccatum longè diuersus à priore dominatu, si in iustitia & obedientia perseuerasset, 181.c.1.
Adæ peccatum quod intrauit in mundum, & per peccatum mors, quodnam fuerit, 50.c.2.
Adæ peccatum transiit actu, remansit reatu, 51.c.2.
Adæ peccato nullo modo, nec pro vllo temporis momento subiacuit sanctissima Dei Mater, 51.c.1.
Adæ peccato (ne illud incurreret) in gratiam Filij præseruata est B. Virgo ad sensum scripturarũ, 128.c.1.
Adam non fuisse seductum à serpente, sed Heuam mulierem tractatur, 407.
Adam peccante omnes peccauerunt, 37.c.1.50. c.2.50.51.c.1.359.c.2.
Adam peccante etiam nos omnes peccauisse recta interpretatione dicimur, 51.c.1.
Adam prostrato & vulnerato etiã nos eius filij vulnerati sumus: quo in loco exponitur pulchra illa parabola in homine qui descendens de Ierusalem in Ierico incidit in latrones, &c. 36.c.2. 52.c.1.2.

Adam moriẽte omnes mori, & Christo resurgẽte omnes viuificari, quomodo intelligatur, 198.c.2.

Ambitio.

Ambientes prælaturas & sacerdotia ecclesiastica taxantur, 347.c.1.479.c.1.2.
Ambientes Episcoparus, excidentes pòst à gloria coincidunt in laqueum diaboli, 408.c.2

Amen.

Amen, quid significet, 2.c.2
Amen dicitur Christus, 19.c.2.209.c.2.

Amicitia.

Amicitia mundi repugnat amicitię Dei, 580.c.1.
Amicitia quæ ex mundo est, tria mala habet, ibid.
Amicitia omnis gaudet mutuo conuictu, p.600. c.2.
Amicitia huius mundi inimica est Dei, 534.c.2.

Amor.

Amor rerum omnium fons & origo, 586.c.2.
Amor Dei Patris summus erga homines in sola Christi cruce & acerbissima morte, nobis perfectè ostensus & expressus est, 138.c.1.
Amor suiipsius radix est & peruersitas malorum omnium & flagitiorum, 67.68
Amor Dei, & amor carnis & suiipsius quomodo adhuc insit homini spirituali, 67.c.1
Amor Christianus quantam simplicitatem habere & seruare debeat, 547.548.c.1.
Amor & dulcis sermo maiorum & seniorum mirificè incẽdit ingenuos adolescentium animos ad subeundos varios labores, 424.c.1.
Amore filiali, non autem seruili obtemperãt Deo qui verè sunt filij eius, 74.c.1.

Anathema.

Anathema propriè quid significet, p.84.c.1.186. c.1.
Anathema quãdoque in bonam, sed sæpius in malam partem sumitur, ibid.186.c.1.
Anathema esse quomodo B. Paulus optauit, 84. c.1.
Anathema cur imprecatur Apostolus non diligenti aduentum Domini, 206.c.2.

Angelus.

Angelus quid sit, 5.c.1.
Angeli vocantur Dij & Domini in scripturis, 170. c.2.
Angeli Deo propinquiores vocantur altitudo, 83. c.1.
Angeli habent suum modum loquendi, 190.c.1.
Angeli septem præ cæteris electi, 418.c.2.463.c.1.
Angeli singuli singulis hominibus ad salutem assignati, 89.c.1.462.c.2.
Angeli spectatores actionum nostratum, 117.c.2.
Angeli orantibus assistunt, 181.c.1.
Angelorum natura, gratia, & dignitas, 461.c.1.
Angelorum quidam mittuntur à Deo immediatè, quidam autem per superiores Angelos, 243.c.2.
Angelorum casus & lapsus historia explicatur, p. 554.& seq.
Angelorum Saluator Christus, quomodo dicatur, 334.c.1.
Angelorum ministerio gentiles multi illuminati sunt, & salutem adepti, 15.c.2.99.c.1.276.c.2.
Angelorum quadam æmulatione per accidens potest impediri quorundam salus, 83.c.1.
Angelis reuelatum Christi vẽturi mysteriũ, quem adorare iussi sunt, 151.c.1.334.c.1. 425.c.1.436. c.2.
Archangelus Gabriel vnus ex hierarchia suprema, 243.c.2.462.c.2.
Archangeli Michael, Gabriel, & Raphael tres ex septem primariis principibus, 462.c.2.
Archangeli summi quandoque mittuntur, ibid.

Anima.

Anima est forma corporis, cui dat vitam. 201.c.2.
Anima Christiani in luctu quasi vidua stare debet, donec redeat Spõsus cœlestis, 283.c.2.405.c.1.
Anima pro ipso homine non rarò sumitur in scripturis sanctis, 112.c.1.
Animæ inest spiritus superbiæ, ibid.c.1
Animæ immortalitate posita necessariò sequitur mortuorum resurrectio, 273.c.2.1
Animæ & spiritus appellatione, vna & eadem res prorsus significatur, 478.c.1.
Animæ iustorum in gratia decedentium protinus beatitudine cœlesti fruuntur, 319.c.2.330.c.2.
Animarum zelus magnum sacrificium, 174.c.2.

Antichristus.

Antichristus qualis futurus, 458.c.2.
Antichristi origo & miracula. 385.c.2.
Antichristi mortem non statim consequetur extremi iudicij dies, ibid.
Antichristi per Christi spiritum miraculosa interfectio, Isaiæ, Danielis, & Apostoli prophetia ostenditur, 385.c.2.
Antichristi præcursores noui hæretici, quorũ blasphemia in Christi Vicarium retunduntur, ibid.
Antichristi minister insignis Lutherus, exemplo a voto castitatis petito ostenditur, 599.c.1.
Antichristi multi mox exoriuntur, vbi Christi gratia maximè prædicatur, 581.c.1.
Antichristi præcursores Simon Magus, Hebion, &c. ibid.

Apocrypha.

Apocrypha quædam citare non imminuit scripturarum sanctarum authoritatem. 601.c.1.2.

Apostata.

Apostata cõparatur cani & sui pecudi, 589.c.2.
Apostatas & deserentes vitam spiritualem intelligit Apostolus eos, qui nequeũt renouari ad pœnitentiam, ex loco epist. ad Hebr. 500. & sequen.

Apostolus.

Apostolus propriè quid, 471.c.1.
Apostolus primarius & omnium eminentissimus à Patre immediatè missus Christus, ibid.
Apostolus fidelis quid facere teneatur, 471.c.2.
Apostoli electi quasi rutilantia sydera ad testificãdum luci, & fundandam fidem, 263.c.2.
Apostoli post Christum, sunt aliorum credẽtium fundamentum, 305.c.2.
Apostoli fuerunt in benedictionibus præcipui ratione apostolatus, qui habuerunt primitias Spiritus, 77.c.2.291.c.1.298.c.2.396.c.2.
Apostoli delibatio sancta ex massã Israelitarum, p.104.c.2.
Apostoli dicuntur cœli, 101 c.2.
Apostoli de sua præsenti gratia certi, 145.c.2. & sequent.
Apostoli editis miraculis fidem euangelicam verã

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse comprobabant. 141.c.1.2.
Apostoli non poterant errare in doctrina, 263.c.2.348.c.1.
Apostoli multa ad cæremonias pertinentia cõstituerunt,quæ per traditiones ad nos deuenerũt, p.41.c.1.& 41.c.2.185.c.2.
Apostoli votum castitatis potentissime, B. Augustino teste,vouerunt, 161.c.1.
Apostoli postquam electi sunt ad Apostolatum, nunquam re coniugij vsi sunt, 128.c.2.161.c.1.172.c.2.343.c.1.
Apostoli potestatem habebãt eorum sumptibus viuendi,quibus prædicabant, 172.c.1.&.2.
Apostolorũ missio immediatè à Deo, 4.c.2.126.c.2.243.c.2.
Apostolorum proprium munus non fuit baptizare,sed euangelizare, 136.c.1.&.2.137.
Apostolorum iurisdictio in populos, vnde oriebatur, 231.c.2.
Apostolorum statuta omninò seruanda, tãquam à Spiritu sancto sancita, 164.c.1.
Apostolorum traditiones per hæreticos spernuntur,& à populis deseruntur, 563.
Apostolorũ potestas in criminosos,152.c.2.299.c.2.597.
Apostolorum legatio quid in summa cõtinebat, 221.c.1.
Apostolorum sanctitas, qualis, 291.c.1

Apostolatus.

Apostolatus Christi eminentissimus, 471.c.1.
Apostolatus varios esse gradus,4.5.c.1.12.c.2.241.c.2.471.c.1.
Apostolatus illorum duodecim Apostolorum quando perfectus fuit, 4.c.2.5.c.1.

Arma.

Arma lucis quænam sint, 117.c.2.
Armatura Dei,qualis, 324.c.2.

Artes.

Artes liberales & scientias minime damnandas, contra quorundam commentum, 139.c.1.

Aulicus.

Aulici qui gloriam mundi ambiunt, quàm miseri tandem inuenientur, 148.c.2.
Aulicorum genus miserum taxatur, 324.c.1.
Auxilium Dei assiduum nobis ad vitanda peccata necessarium, 479.c.1.

B

Baptismus.

BAptismus Christi, & baptismus Ioannis diuersi, 273.c.1.
Baptismus aquæ,spiritus,& ignis, 483.c.2.
Baptismus per aquam quomodo mundet animã à peccatis, 320.321.c.1.555.556.
Baptismus continet fidei & totius religionis nostræ professionem, 135.c.2.
Baptismus nonnunquam pro cruce & afflictionibus accipitur, 200.c.1.
Baptismi forma à Christo tradita omnino seruari debet, 136.c.1.
Baptismi effectus à Deo immediatè procedunt, ibid.
Baptismi doctrina explicatur,& eius vtilitas, 57.c.2.276.c.1.
Baptismi regeneratio nos facit membra Christi, 187.c.2.
Baptismi mysterio,mors,sepultura,& resurrectio Domini significantur, 58.c.1.135.c.2.288.c.2.314.c.2.
Baptismi sacramentum suscipienti dat Deus iustitiæ donum in veste candida significatum, & is recuperat amissam Dei imaginem, 29.c.2.
Baptismo tollitur omnino peccatum originale vt iam non dominetur,contra hæreticos, 58.c.2.59.c.1.264.c.2.321.c.2.
Baptismo communiter non extinguitur concupiscentia,sed ad meritum relinquitur, 59.60.284.c.2.
Baptismum suscipienti, vt sancti doctores tradũt, imprimitur character, 210.c.1.2.
Baptismum liberum esse dogmatizarunt quidam recentiores hæretici, 255.c.1.

Beatus & Beatitudo.

Beatus homo cui non imputatur peccatum,intelligitur in spe,non in re. 44.c.1.
Beatum esse qui credit,etiam si in peccato sit, dogmatizant Lutherani, 44.c.2.
Beatitudo qua non imputatur peccatum, propriè de orig.peccato intelligenda, 44.c.1.2.
Beatitudinum tria genera complectitur Propheta ex Psal.Beati quorum,&c. 44.c.1.

Benedicere & Benedictio.

Benedicere Dei,est re ipsa benefacere, 291.c.1.
Benedici minorem à maiore, quomodo propriè intelligatur, 489.c.1.
Benedictiones dicuntur dona, 391.c.1.
Benedictiones legis gratiæ, non sunt terrenorum bonorum quales Mosaicæ,sed cœlestiũ,391.c.1.

Blasphemia.

Blasphemia quid sit, 32.c.1.

Bonum.

Bonum duobus modis consideratur, 159.c.1.
Bonum pro honesto & commodo quandoque accipitur etiam à scriptura, ibid.c.1.2.
Bonum suiipsius est diffusiuum, 295.296.c.1.
Bonum æmulandum,sed bene, 279.c.1.
Bonum quodcũque in nobis est,habet initium ab ipso Domino Deo, 328.c.1.
Bonum summum eius naturæ est vt dare semper velit,non accipere, 395.c.2.
Bonum facere coram Deo ex nobis quasi ex nobis nequaquam possumus, 214.c.1.440.c.1.

C

Cæremoniæ.

CAEremoniæ ad obseruantiam moralium institutæ, 41.c.2.
Cæremoniæ multis de causis necessariæ, 41.c.2.487.c.2.
Cæremoniæ non respuuntur à lege fidei in nouo testamento,sed potius admittũtur & præcipiũtur, 41.c.2.181.c.1.&.2.387.c.2.
Cæremoniæ multæ quæ in ecclesia seruantur, ab Apostolis per traditionem acceptæ fuerunt, 41.c.2.487.c.2.
Cæremoniæ legis Moysi erant figurę Christi venturi, 42.c.1.359.c.2.
Cæremonię legis Moysi per aduentũ Christi omnino cessarunt, & nunc mortiferæ factæ sunt, 257.c.1.
Cæremoniarum tradendarum negocium commisit Christus summo Præsuli, quem sui loco reliquit in ecclesia, 41.c.2.487.c.2.
Cæremoniarum multitudine quasi sub iugo premebantur Iudæi, à quo Christus eos liberauit, 254.255.c.1.281.c.2.
Cæremoniarum tradendarum curam commisit Christus suo Vicario 41.c.1.2.487.c.2.
Cæremoniarum multitudo potius suffocat opera spiritus & spiritum ipsum,quàm adiuuet, 281.c.2.
Cæremoniis quasi quibusdam vinculis,in officio olim continebantur Iudæi, 41.c.1.

Caro.

Caro Christi cur dicitur facta nobis signum nostræ salutis, 142.c.1.
Caro Christi glorificata qualis sit, 244.c.2.
Caro Christi & Matris vna & eadem caro,ac propterea perfectè glorificata, 462.c.1.
Caro pro homine, 34.c.2.62.c.1.69.c.2.
Caro & sanguis quid plerunque apud B. Paulum significare soleant, 252.c.1.
Caro dicitur homo exterior, 59.c.2.62.c.1.
Caro ex sui natura ad seruiẽdum peccato propensissima, 68.284.c.2.
Caro potens ad captiuandum interiorem hominem,nisi vigilet & resistat, ibid.
Caro nihil boni ex se potest, 35.72.73.c.1.284.285.
Caro nostra quomodo & quatenus à nobis curanda, 118.c.1.284.321,c.2.
Carnis gloria, 548.c.1.& 2.
Carnis opera, 285.c.1.
Carnis gloriatio quæ vituperanda est, in quo potissimum consistat, 140.c.1.
Carnis prudentia,quæ mors apud B.Paulum dicitur,quomodo intelligatur, 72.c.2.
Carnis primogenituã non solet considerare Dominus Deus, 91.c.1.
Carnis appetitum non sequũtur qui sunt in Christo, 71.c.1.72.c.2.284
Carni hominis etiam spiritualis non inest perfectus in hac vita Dei appetitus, 65.c.2.66
In carne esse quid significet, 63.c.1.72.73.140.

Catholicum.

Catholica doctrina de iustificatione breuiter exponitur,contra Lutheranos, 257.258.
Catholica doctrina cũ lutherana cõparatur, 250.
Catholica doctrina de iustificatione magnificat gratiam & beneficium Christi, contra Lutheranos, 45.46.c.1
Catholicè duo tenenda,Alterum quòd Deus vult omnem hominem saluum fieri: Alterũ, quòd fides æternorum & charitas Dei est remedium necessarium ad salutem, 27.c.2.

Character.

Character inuisibilis imprimitur in baptismo, 210.197.c.2.
Character Patris propriè dicitur Filius,nõ autem Spiritus sanctus, 457.c.1.

Charitas.

Charitas propriè quid, 38.39.c.1.
Charitas est donum iustitiæ,per quod formaliter iustificamur, 96.122.c.1.156.c.2.282.c.1.
Charitas non est sine fide & spe,donis infusis,ib.
Charitas in Deum & proximũ est summa & implementum totius legis,39.c.2.64.115.116.c.1.283.384.c.1.
Charitas in Deum requiritur maior à Christianis, quàm olim à Iudæis, 40.c.2.41.
Charitas Dei quæ efficit vt spes nostra non cõfundatur,est ea qua Deum diligimus, 49.c.2.
Charitas Dei erga nos ab eius beneficiis conspicitur,potissimum in Christo ad mortem pro nobis tradito, 40.c.2.
Charitas Dei erga nos immẽsa ostensa est in Christo crucifixo, ibid.& 138.c.2.
Charitas Dei amittitur in multis propter varias tribulationes, 82.c.2.
Charitas est via excellentior omnibus ad cœlum promerendum, 189.c.2.191.
Charitas dat vitã omnibus aliis virtutibus,282.c.1.
Charitas ab effectibus eius cognosci põt, 190.c.1.
Charitas in omni nostra actione tanquam dux esse debet, 109.c.1.190.191.205.c.1.362.
Charitas,qualis esse debeat, 108.109.177.c.1.393.c.1.2.
Charitas honorat in fratribus Christum, 204.
Charitas est finis legis Moseos, 393.c.1.
Charitas Dei infusa in homine,est arrha vitæ æternæ, 89.c.1.210.c.2.297.c.2.
Charitas nihil habet proprium, sed omnia communia, 131.c.1.132.188.c.2.
Charitas quomodo illustrior redditur & feruentior, 12.c.2.116.c.1.
Charitas sine gaudio esse non potest, 122.c.1.
Charitas potissimum respicitur ad obtinendam ęternam salutem, 189.c.2.
Charitas in cœlo perficietur, 191.c.1.192.
Charitatis effectus admirabiles, 109.c.1.111.c.1.188.co.2.190.c.1.& 2.
Charitatis os p quod ipsa efficaciter loquitur,sunt opera bona, 98.c.1.
Charitatis mũdanæ effectus,peccata sunt,109.c.2.
Charitatis operibus tegũtur venialia peccata quæ assiduè admittuntur, 44.co.1.
Charitatis debitum nunquam extinguitur,sed potius augetur, 115.116.c.1.
Charitatis lex omnes prorsus astringit, 89.c.1.
Charitatis vnio in ecclesia ob priuatos doctores non deserenda. 134.c.1.
Charitatis ordo verus, contra vulgi opinionem, 84.c.1.
Charitatis opera sunt satisfactoria pro pœnis peccatorum post primam gratiam, 44.
Charitatem communicare non possunt nobiscũ nisi boni, 189.c.2.
Charitatẽ debemus omni conatu æmulari, expetere,efflagitare super omnia alia dona, 189.c.2.190.191.362.c.2.
Charitate socia omnia nostra fieri debent, 205.c.2.
Charitate deficiente nihil sufficit ad salutem,189.190.c.2.362.c.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus.

Christus qua ratione dicatur fuisse missus à Patre,& rursùm rediisse ad Patrem, 71.c.2.199.312.c.1.
Christus est principale subiectum omnis prophetiæ ac totius scripturæ. 6.196.c.2.
Christus est summa totius legis Moysi, 39.c.2.
Christus est veluti liber in quo docemur quid nos agere debeamus, 314.c.1.& 2.
Christus dicitur sermo, mandatum, lex, & pactũ in cordibus nostris digito Dei scriptũ, 98.c.2.
Christus stabiliuit legem suam euangelicam duobus modis:exemplo scilicet operãdo,& verbis prædicando,atque iubendo, 40.c.1.& 2.
Christus est finis legis, 29.95.96.c.2.
Christus quomodo dicitur præcognitus à Deo Patre,& quare, 80.c.2.
Christus ab initio prouisus à Patre atque decretus pro salute totius mundi,27.c.2.293.294.c.1.
Christus quomodo intelligatur occisus ab origine mundi,contra cuiusdam hominis deliri cõmentum,nostris temporibus sparsum, 37.c.2.
Christus etiam Adam non peccante venisset, 6.c.2.7.c.1.142.c.2.143.c.1.& 312. & 335.c.2.349.c.2.
Christus est Dei Filius verus & naturalis, 83.c.2.
Christus dicitur primogenitus quatenus homo, & vnigenitus quatenus Deus, 81.c.1.349.c.1.
Christus quomodo simpliciter Dilectus, 296.c.1.348.c.2.
Christus de tribu Iuda ex sanctiss.Virgine,contra apoctyphas historias, 490.491.c.1.
Christus quomodo factus Patri ex semine Dauid, 6.c.2.7.c.2.
Christus prædestinatus fuit & quo pacto, 7.c.1.142.c.2.333.353.c.2.
Christus cur dicitur venisse in mundum in similitudinem carnis peccati, 71.c.2.72.c.1.244.c.1.333.c.2.
Christus assumpsit miseriæ & pœnas peccati in carne sua,sed nõ ipsum peccatũ,72.c.1.244.c.1.
Christus deponens quod iure sibi debebatur, inde persoluit quod nos iniustè rapuimus, 72.c.2.333.c.2.
Christus missus est pro salute omnium hominũ, 40.c.1.87.c.1.90.c.2.98.c.2.394.c.
Christus à Patre constitutus mediator omniũ hominum,non Iudæorum tantum,74.c.2.87.c.2.90.c.2.98.c.2.
Christus sumpsit personam omnium nostrum,& reatum omnium peccatorum,270.c.1.286.c.2.
Christus principalis mediator, redẽptor, pastor, & magister omnium nostrum, 135.c.2.
Christus solus est summus propheta, 5.c.2.
Christus primarius Apostolus, sacerdos, hostia, & rex, 2.c.2.316.454.c.1.
Christus appellatur,Amen, 19.c.2.209.c.2.
Christus verum & primarium caput ecclesiæ,135.c.1.& 2.299.c.2.
Christus est lapis summus,& vnicum fundamentũ,cui omnia aptari debebant, 95.c.2.305.c.1.
Christus est tabernaculum Dei viuum, 44.c.2.
Christus est Sol mundi, 117.c.1.
Christus est gloria Patris, 6.c.2.
Christus ostenditur verus Deus, 6.c.1.73.47.85.176.243.244.312.437.c.1.463.c.2.472.c.1.&.2.
Christus quomodo minoratus ab Angelis, 495.c.1.& 2.
Christus ea deliberatione seipsum morti tradidit vt pro omnibus prorsus satisfaceret,40.41.87.88.89.90.98.
Christus per suum sanguinem satisfecit pro nobis Deo,diabolo,peccato,& morti, 37.348.
Christus est verus medicus nostrorum morborũ & medela, 35.c.2.
Christus quomodò factus peccatum pro nobis, 221.c.2.
Christus corpus suum in vltima cœna sacrificauit, 184.c.1.
Christus per mortis passionem, gloria maiore & corona potitus est. 70.c.2.334.c.1.
Christus fuit mensa parata in salutem Iudæorum, 103.c.1.
Christus solus tollit mundi peccatum originale, 237.c.1.2.245.c.2.
Christus offertur omnibus hominibus ad salutẽ, 226.c.2.
Christus per resurrectionem factus gloriosus, vt iam non dicatur homo, 244.
Christus meruit vt sanctorum merita possent aliis applicari & prodesse, 230.c.2.237.c.2.244.352.c.1.
Christus redemit nos à dominatu carnis, 73.c.2.
Christus qua ratione dicatur homo de cœlo cœlestis, 201.202.c.1.
Christus qua ratione dicatur descendisse de cœlo, 312.c0.1.
Christus dicitur pater noster & mater, 279.c.2.
Christus quomodo salubriter inuocetur, 98.c.2.
Christus tribus modis potest in omnibus hominibus considerari, 41.c.1.
Christus quomodo nobis appropinquat. 97.c.1.
Christus est Samaritanus,qui curauit spoliatum à latronibus & vulneratum, 36.c.2.
Christus proximus noster,in quo omnes facti sumus proximi, 40.c.2.
Christus ipse mendicauit, 227.c.1.
Christus,vt homo,peculiariter Dominus dicitur, 9.c.2.120.c.2.170.
Christus cur in terris agens nolult iudicare in causis sæcularibus, 155.c.1
Christus non venit innouare ciuiles leges,& sęcularis constitutiones, ibid.
Christus vt homo, dicitur traditurus regnũ Deo & Patri, 199.c.2.
Christus quo sensu dixerit se diem iudicij nescire, 141.c.1.
Christus est vera promissionis terra Abrahæ promissa. 46.c.1.
Christus est terra viuentium, 84.c.2.
Christus mysticus dicitur ipsemet cum tota ecclesia, 187.c.2.342.c.2.
Christus mysticus quomodo & quando scinditur, 135.c.1.
Christi incarnatio Angelis ante tempora sæcularia fuit reuelata, 131.c.1.334.425.436.c.2.
Christi sanctitas qualis, 289.290.c.1.

Christi sanctificatio & generatio duplex fuit quatenus homo, 7.244.349.c.1.
Christi infirmitas in carne non erat absque magnis diuinæ potentiæ signis, 142.c.1.
Christi lex propriè quid, 286.c.1.
Christi beneficium non nisi credentibus applicatur, 36.c.2.237.c.2.
Christi ad peccatum Adæ antidotum, 460.c.2.
Christi gratia & donum quomodo superauit ipsius Adæ peccatum, 54.
Christi statuta in euãgelio expressa firmissime seruanda sunt, nec potest in his ab homine dispensari, 164.c.1.
Christi omnia facta non sunt ab omnibus imitanda, 183.281.c.2.
Christi membrum esse nequit qui fide caret,188.c.1.
Christi membrũ esse non desinit qui charitatem amiserit,modo fidem retineat,quomodo intelligatur, ibid.
Christi esse peculiariter dicuntur perfecti, 385.
Christi merita ad omnia anteriora tempora se extenderunt, 37.c.2.175.c.2.
Christi incarnatio,& resurrectio,duo articuli,quibus continentur reliqui, 97.c.1.
Christi oblatio quomodo facta prius pro suis, tũ pro populi peccatis, 492.493.
Christi morte locupletatus est mundus, 104.c.1.
Christi aduersus diabolum victoria, 469.c.1.
Christi ossa non comminuta quid, 321.322.
Christi sepulchrum quomodo gloriosũ, 125.c.2.
Christi mors & sepultura quid in nobis significet,& requirat. 270.c.2.
Christi mors & resurrectio in baptismo significatur & operatur, 58.314.c.2.
Christi mors & resurrectio quomodo profuit ad remissionem peccatorum, & iustificationem nostram, 48.c.1.
Christi caro per resurrectionem,qualis.244.c.2.
Christi humanitas quo pacto intelligatur ascendisse super omnes cœlos, 312.c.1.
Christi eminentia prę Angelis,458.c.2.462.c.1.&.2.
Christi aduentus ad iudicium sciri à nobis nõ potest, 387.c.382.383.
Christi aduentum certa quædam signa præcedẽt quæ nondum apparent, 387.c.1.
Christo tria pręcipuè aduersabantur tempore primitiuæ ecclesiæ, 356.c.2.
Christo conformari debet in via, qui conformis esse cupit in patria, 339.427.c.2.
Christo variè subiecta sunt omnia, 299.c.1.
Christum spiritualiter fuisse verum Iudam. 28.c.2.30.c.1.& 2.
Christum legislatorem fuisse impiè negant noui hæretici, Lutherani, 257.c.2.

Christianus.

Christianus in gratia existens duplicem vitam viuere dicitur, 146.c.1.
Christianus in gratia existens, quomodo dicatur malum facere inuitus, 66.284.
Christianus post gratiam acceptam imputatur de negligentia si pugnare negligat,ibi.& 67.c.1.
Christianus quomodo dicatur seruire mente legi Dei,carne autem legi peccati, 69.71.c.1.
Christianus sentit dissidium inter carnem & spiritum, 66.c.1.284.
Christianus qualem statum assequutus sit in nouo testamento, 70.c.1.72.c.2.
Christianus non tenetur ad perfectionem illam primi status innocentiæ, 70.c.1.& 2.
Christianus à Iudæo quid differat, ibid.
Christianus qua ratione deterioris vel melioris sit conditionis nunc,quàm fuisset in primæuo statu, 70.c.1.&.2.
Christianus in hoc statu lugere debet,110.c.1.283.348.
Christianus gaudere debet in spe,non in re, 109.c.2.
Christianus ad maiorem perfectionem tenetur, quàm olim Iudæi & Gentiles, 117.295.c.2.
Christianus vnde habet occasionem magnam luctus,& gaudij, 317.c.1.285,263.284.
Christianus cur debeat se omnibus existimare inferiorem, 332.c.1.& 2.
Christianus generat filios vt homo & Adæ filius, non vt renatus, 52.c.2.
Christianus quibus faceriis vti potest, 316.c.2.
Christianus liber est à seruitute legis, non à modo seruiendi, 63.c.1.
Christiani hominis personam induit B.Paulus, vt declaret statum eius sub gratia, 65.66.67.68.266.c.2.
Christiani dicuntur sancti, 154.c.2.290.c.1.
Christiani si à gratia excidunt, in deteriorem statum se coniiciunt, 59.60.c.1.194.c.2.
Christiani peccatores famosi vitari debent, 153.154.c.1.
Christiani peccatores famosi debent ab ecclesia excommunicari, 154.c.1.
Christiani non debent per iudices infideles suas causas ciuiles dirimere, 154.c.2.155.c.2.
Christiani qui sunt veri fratres in Christo,à litigiis forensibus abstinent, 155.c.2.156.c.1.
Christiani,qua ratione veri Iudæi dicantur.28.c.2.
Christiani qui in variis statibus inueniuntur,quo pacto se gerere debeant, 167.c.2.
Christiani vestitu lasciuo vtentes notantur, 188.c.1.& 2.
Christiani non capaces mysteriorum,debent gerere se ad modum ignorantis, 195.c.2.
Christiani existimare se debent peregrinos in hoc mundo, 219.542.
Christiani quo pacto debeant se metiri, 231.c.2.286.332.c.2.
Christiani sunt Sponsa Christi, 232.c.1.2.
Christiani multi iam peccatis resistere sua culpa non possunt, 284.285.c.1.
Christiani pauci sunt qui agãt veram peccatorum suorum pœnitentiam, ibid.
Christiani qui docentur, tenentur temporalia ad sumptus suis doctoribus subministrare,287.c.1.
Christianorũ duplex generatio in Christo & sanctificatio, 7.c.2.
Christianorum conuersatio iam non debet esse cum hoc mundo, 153.c.2.
Christianorum status in Christo existentium, vitam nouam ac puram requirit, 59.73.c.1.107.

Universidad de Deusto
Biblioteca

266.c.1.
Christianorum peccatum grauissimum, qui præbent occasionem blasphemandi religionem, 29.c.2.155.c.2.
Christianorum error qui in exteriori baptismo & nomine tantum confidunt, 30.
Christianorum charitas maior requiritur, quàm olim Iudæorum, 39.40.41.265.c.2.
Christianorum facti sunt proximi per Christum omnes homines, 39.c.1.

Cibus.

Cibus & potus spiritualis animæ est corpus Christi in sacramento altaris, 177.c.2.
Cibus solidus Christianorum quis sit, 549.c.1.
Cibus sumi non debet à Christianis, nisi prius oratione illum benedicant: quo sumpto etiã gratias Deo agere tenentur, 178.c.2.412.c.2.
Cibi omnes mundi sunt fidelibus, 118.c.2.121.c.2. 123.124.171.360.411.c.2.
Ciborum delectum non improbat Apostolus, vt hęretici calumniantur, 119.123.124.c.1.260.c.1.
Ciborum delectus ecclesiasticus defenditur, 123. 124.c.1.171.358.c.2.
Ciborum libertate non sunt scandalizandi fratres infirmi in fide, 121.122.171.c.1.& 2.178.179.c.1.
Ciborum delectus qua ratione ab ecclesia sancta seruetur, 171.c.2.
ciborũ delectus ecclesiasticus obseruãdus sub pœna peccati, etiã cessante scandalo infirmiorum, in quosdam hypocritas Lutheranos. ibid.

Circuncisio.

Circuncisio quam vim habuit, 29.c.2.282.c.1.
Circuncisio obligabat olim Iudæum ad totius legis obseruantiam, 31.c.2.281.c.1.
Circuncisio vera in spiritu, qualis, 30.c.1.39.c.1. 44.45.282.c.1.337.c.2.357.c.1.
Circuncisio quãdoque accipitur à B. Paulo etiam pro cœlibatu, 165.c.2.
Circuncisio poterat tolerari in Iudæo Christiano in ecclesia primitiua, 254.c.255.c.1.
Circuncisio non erat necessaria homini Christiano ad salutem, 254.c.2.
Circuncisio nullo modo erat toleranda in homine gentili Christiano, 254.281.c.2.
Circuncisio Indorum Christianorũ an sit eis mortifera, 281.c.2.
Circuncisio nunc est iam nedum mortua, sed etiã mortifera, 255.c.1.
Circuncisionem esse etiam nunc liberam homini Christiano dogmatizat Lutherus & sectatores, 255.c.1.
Circuncisione carnali stultè gloriabantur Iudæi, 65.c.1.282.co.1.

Claues.

Clauis scientiæ est Romani Pontificis, 262.c.2.
Clauis scientiæ non consistit in sola notitia veritatis, sed continet etiam potestatem decernendi, 262.c.2.
Clauium potestate dimittuntur peccata post baptismum commissa, 44.c.2.

Clericus.

Clerici non subiacent potestati sæculari, 112.c.1.
Clerici, an possint legitimè vti gladio sæculari, 112.115.c.1.
Clericorum peccatum graue, qui turpissimè ac inhonestissimè vestibus vtuntur, 188.c.2.

Cœlum.

Cœlum tertium quod nam sit, 235.c.1.
Cœli quomodo dissoluentur, 461.c.2.
Cœlorum vsus post iudicium, quis nam futurus, 462.c.1.

Cœlibatus.

Cœlibatus commodior ad seruiẽdum Deo pluribus rationibus ostenditur, 159.c.1.167.168.
Cœlibatus est valdè meritorius, 159.c.1.&.2.168. c.2.
Cœlibatus donũ multi ab initio habuerũt, sed nõ seruarunt, 160.c.2.
Cœlibatus donũ habere quomodo quis cognoscatur, 160.c.2.
Cœlibatus donum datur volentibus, & à Deo petentibus, 160.c.2.
Cœlibatus statum semper probarunt & tradiderunt omnes ecclesię, & sancti patres tam gręci, quam latini, 161.c.1.
Cœlibatus fuit in ecclesia seruatus ab initio, nec est recens inuentio, in hæreticos, ibid. 370.c.2.
Cœlibatus fuit à Christo institutus, & ab ipsis Apostolis seruatus, 161.
Cœlibatum multi in ecclesia re ipsa seruant, 160. c.2.161.c.1.
Cœlibatũ matrimonio anteponit B. Paulus, 166. c.1.167.168.169.c.1.

Cognoscere & cognitio.

Cognoscere Deum quid importet, 16.c.2.
Cognoscere in Deo, dicitur probare & diligere, 80.c.2.102.167.c.1.
Cognoscere aliquando accipitur pro habere gratiam, 205.206.c.1.
Cognoscere philosophorum, non fuit verè & absolutè cognoscere, 362.c.1.
Cognoscere pro probare, &, non cognoscere pro respuere, 221.c.1.
Cognitio sola veritatis in intellectu non satis est ad bene operandum, 16.17.c.1.
Cognitio veritatis potest esse in intellectu, & tamen non diligi à voluntate, 16.17.c.1.
Cognitio proprię inscitię est initiũ sapiẽtię, 17.c.2
Cognitio diuinorum magna in primo parẽte Adam fuit ante lapsum, 69.c.2.
Cognitio quam hic in via habemus de Deo, valdè imperfecta, 191.c.1.&.2.
Cognitio quam habebimus in cœlis, qualis, 191. c.1.&.2.

Concilium.

Concilium non semper conuocatur ad decidendum dubia, sed propter hæreticos ad confirmãdum apud infirmos quæ certa sunt in ecclesia, 255.c.2.
Concilium legitimum habet omnem authoritatem, quia à Petro, qui in eo est, tanquam à capite proficiscitur, 262.c.2.
Concilia à Papa congregantur, probantur, reprobantur, &c. 263.c.1.& 2.

Concupiscentia.

Concupiscẽtia quo pacto per legem agnoscitur, 35.46.c.2.63.c.1.&.2.
Concupiscentia dicitur peccatum, & quare, 35.53.

c.1.65.c.2.321.c.2.
Concupiscentia in renatis in Christo non est peccatum, sed exercitium ad meritũ, 36.c.1.59.70. 71.72.c.1.
Concupiscentia in non renatis peccatũ est, 36.c.1.
Concupiscẽtia in nõ renatis dominatur, 35.53.c.2.
Concupiscentia etiam in homine renato secundũ communem gratiam omnino extingui nõ potest, 58.59.c.1.284.
Concupiscentia non poterat cognosci peccaum per legem corruptæ naturæ, sed opus erat lege scripta, 46.c.2.47.53.63.c.1.& 2.
Concupiscentia carnis nõ potest ab homine omninò prohiberi, 53.
Concupiscentia tanta est, vt ei non consentire vt oportet, nequeat homo absque gratia Dei & auxilio, ibid.
Concupiscentia est de cuius fomite loquitur B. Ioannes Apostolus, vbi ait: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, &c. 59.c.1.
Concupiscentia in renatis ne superet, est in eorũ potestate per Christi gratiam, 59.c.1.&.2.284. c.1.
Concupiscentia quæ malum quoddam est, propriè viget in carne renatorum, 59.c.1. & 2.65. 66.c.1.
Concupiscentia quomodo dicatur sine lege mortua, & quòd per legem reuixit, 63.64.c.1.

Confiteri & confessio.

Confiteri vere & acceptabiliter coram Deo, quid habet momenti, 30.c.1.77.78.c.1.
Cõfiteri peccata sua est iudicare seipsum, 185.c.2.
Confessio sacramentalis requiritur ad remissionẽ peccatorum post baptismum, 44.c.1.
Confessio sacramentalis requiritur ante sumptionem sacramenti Eucharistiæ, 184.185.
Confessio peccatorum est remedium ad effugiendam Dei vindictam, 185.c.2.
Confessio sacramentalis ex loco B. Iacobi Apostoli defenditur, 542.c.1.&2.
Confessionum auditores quomodo pœnitentias confitentibus iniungere debeant, 259.c.1.

Conscientia.

Conscięntia bona affert certitudinem gratiæ, 208. c.2.
Conscientia quo pacto illaqueatur, 168.c.1.
Conscientia nostra quando contesterur nobis in Spiritu sancto, 84.c.1.
Conscientiæ vis quantam efficaciam habeat. 208. c.1.26.c.2.552.c.1.
Conscięntiæ error facit legem erranti, 121.c.2.170. c.2.
Conscientiæ bonæ magna securitas, 208.c.2.
Conscientiæ suę legitimè exploratæ testimonium satis est homini iusto ad quietem coram Deo, 208.1.c.&.2.

Consilium.

Cõsilium dedit Dominus de vita monastica, 161.
Consilium non est leui de causa mutandum, 209. c.2.
Consilium mutare ratione suadente sapientis est, ibid.
Consilium voluntatis Dei quale, 297.c.2.
Consilia Spiritus sancti & nõ solùm præcepta obseruans liberior est à lege, 285.c.1.
Consiliorum mutatio in Sanctis viris non est miranda, nec vituperanda, 209.c.1.&.2.

Corpus.

Corpus Christi figuratum fuit in manna, 175.c.1. &.2.
Corpus Christi verè continetur sub speciebus panis & vini in Eucharistia, 177.
Corpus Christi non frangitur, sed species, ibid.
Corpus Christi nõ licet sumere nisi ieiunis, c.1.183. c.2.
Corpus suum iam tenebat in manibus quando dixit, Hoc est corpus meum, &c. 184.c.1.
Corpus Christi an teneantur omnes qui sacris interfunt, accipere, ibid.
Corpus Christi sumere non debet cõscius sibi peccati mortalis, nisi prius confiteatur, 184.c.2.
Corpus Christi glorificatum quale, 244.245.c.1.
Corporis Christi mystici membra potiora submi nistrant virtutem inferioribus, 315.c.2.
Corporis Christi membrum non decet sub capite spinoso fieri delicatum, 339.c.1.
Corporis mystici harmonia, 310.c.1.313. c.2.
Corporis mystici est vt nobiliora ac fortiora mẽbra pro debilioribus patiantur, 207.c.1.325.
Corpora Christianorum ordinata sunt ad seruiendum Christo, cuius sunt membra, 157.c.1.
Corpora nostra informantur & viuificantur ab ipsa anima, 201.202.c.2.
Corporum nostrorum resurrectio describitur, & seq. vsque ad, 197.202.

Creatura.

Creatura mundi dicitur homo, 16.c.2.
Creatura noua dicitur homo regeneratus, 67.c.2. 221.c.1.288.c.2.
Creatura noua in Christo esse omnino debet, qui vult vitam æternam consequi, 288.c.2.
Creaturæ expectatio quid, 67.c.1.
Creaturę intellectualis eleuatio in altissimũ finem est supra naturam eius, ibid.
Creaturæ omnes cur dicãtur congemiscere cum ipso homine, 77.c.2.
Creaturarum status qualis fuisset, si primus homo non peccasset, 75.76.c.1.
Creaturarum contemplatione cognoscitur Deus, 16.138.139.c.1.
Creaturas Deo præferre est habere plures Deos & Dominos, 75.76.c.1.

Crux.

Crux Christi est cui fides nostra debet inniti, 137. c.1.
Crux via est & virtus ad salutem, 137.c.2.
Crux Christi supremam Patris charitatẽ erga nos declarauit, 137.c.2.
Crux esse debet gloria nostra, 288.c.2.
Crux res stulta mundo & infirma, 137.138.
Crucis notitia efficacior est quàm creaturarũ, vt conuertantur homines ad Deum, 139.c.1.

D.

Dæmon & diabolus.

DAemon non potest facere rem sibi oblatam vel mundam vel immundam, 170.c.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dæmones nouerunt Christum incarnãdum,142.
Dæmones flectere genua Christo compelluntur, 334.c.1.
Dæmones fatentur Iesum esse Dominum,sed non salubriter, 186.c.2.
Dæmones habent inter se suos ordines ad ruinam nostram solicitandam, 324.c.1.
Dæmones vocantur tenebræ & profundum à B. Paulo, 83.348.c.2.
Dæmones hunc aerem caliginosum incolunt, donec omnes in inferna trudantur, 300.324.c.2.
Dæmones à sanctis iudicabũtur perfecto iudicio, 155.c.1.
Dæmonum fides an sit Dei donum, 530.531.c.1.
Dæmonum maximum studium,vt nobis suadeant per gratiam nos non esse roboratos, 70.c.2.
Dæmonum insidiis nullus potest suis viribus aliſque armis Dei resistere, 324.c.2.
Dæmonum milites hæretici, 70.c.2.
Diabolus maiorem nũc habet potestatem in nos, quàm in primæuo statu habuisset, 70.c.2.
Diabolus quænam tela habeat, 377.378.c.1.
Diabolus ex parte sua nos iniustè possidebat, 87. c.1.
Diabolus perditam potestatem tum recuperat,cũ Christianus eius tentationibus cedit, 300.c.2.
Diabolus sanguinem nostrum sitiens,omni conatu quærit segregare homines à corpore ecclesiæ, 212.c.1.
Diabolus dicitur eorum Deus qui diligunt hoc præsens sæculum, 216.c.1.
Diabolus impugnat ecclesiam modo per tyrãnos, modo per hæreticos, 233.c.1.
Diabolo quomodo detur locus ab homine, 315. c.2.

Defuncti fideles.

Defunctorum suffragia commendantur,200.c.1.
Defunctis prodesse suffragia & orationes vincentiũ defenditur contra impudẽtiã,atque inscitiã Bullingeri hæretici sacramentarij,286.287.c.1.

Deus.

Deus verè est,qui ex se vno est id quod est,170. c. 2.278.c.1.
Deus verus est vnus, 170.c.2.
Deus non est violator naturarum & ordinum rerum à se creatarum, 182.c.2.
Deus an visus fuerit facie ad faciem à Mose & Iacob, 191.c.1.& 2.
Deus cognoscetur à Beatis in cælo per lumen gloriæ immediatè, 191.c.1.&.2.
Deus quicquid potest,etiam facit,si decens sit fieri, 134.c.2.289.
Deus solus verè immortalis, 397.c.2.
Deus est saluator omnium hominum, & maximè fidelium,quo pacto rectè intelligitur, 413.c.1.
Deus cur zelotes dicatur, 536.
Deus cur dicatur specialiter quorundam Deus, 10.11.c.1.
Deus potissimum est Deus ipsius Christi,298.c.2.
Deus vult omnibus salutem,nec vult quenquã perire,in fine,87.c.2.88.90.& seq.91.293.294.c. 1.409.401.
Deus non vult peccatum,vt est peccatum & malũ, 55.c.2.
Deus solus ex immensa sua bonitate nouit ex malo bonum elicere, 106.c.2.
Deus non vult iustitiam vindicatiuam ob quã laudetur,nisi præcedant demerita, 88.c.1.
Deus quomodo dicatur aliquando facere malum & peccatum, 18.c.2. & sequẽt.
Deus vocat omnes homines ad salutem,etiam qui non sunt de prædestinatis, 88.c.1.&.2.91.c.2.
Deus quomodo prouidit mundo ad salutem ante legem, 54.c.1.
Deus neminem ad incredulitatem inducit, 106.c. 1.& 2.
Deus nemini deest ad salutem,vt possit eã assequi, 88.c.2.91.186.189.293.294.401.402.c.1.413.c.1.
Dei sanctitas qualis, 289.c.2.
Dei inuisibilia quænam sint,& cur numero plurali dicta, 16.c.2.
Dei cognitio quam Philosophi habuerũt, qualis, ibid. 158.c.1.
Dei eloquia quæ sint propriè, 31.c.1.
Dei sapientia & Dei stultitia declarantur, 158.
Dei prouidentia in ecclesia erga primatum Petri, 114.c.1.&2.262.c.2.
Dei bonitas & seueritas simul consideranda, non autem seiungenda, 105.c.1.
Deo soli sacrificium debetur, 170.c.1.
Deum solummodo per effectus eius cognoscere possumus in hoc mundo,qui sunt duplicis generis, 139.c.1.
Deum esse,includit illius prouidentiam.10.c.1.16. c.2.49.
Deum,non Iudæorum tantum esse Deum, sed & gentium,includit illius prouidentiam erga omnes ad æternam salutem, 39.40.
Deum tenemur omnes diligere vt datorem gratiæ ac beatificatorem, 89.c.1.
Deum aliquando pœnitet vel punire,vel remunerare homines, 106.c.1.

Dij.

Dij dicũtur quandoq; Angeli in scripturis,170.c.1.
Dij dicuntur viri magni in scripturis sanctis, 170. c.1.&2.278.c.1.
Deos plures sibi faciunt quicunque creaturas ipsi Deo præferunt, 170.c.1.

Diaconus.

Diaconi ordinati fuerunt in ministerium altaris, non mensarum & ciborum, 327.c.2.490.c.2.

Dies.

Dies & lux dicitur comparatiuè ad tempus quando Christus venit, 117.c.2.
Dies propriè & absolutè dicitur tempus futuri sæculi. 117.c.1.& 2.
Dies salutis dicitur tempus euangelicæ gratiæ, 222.c.1.
Dies secundi aduẽtus Domini copiosè tractatur, 382.c.2.383.387.
Dies mala dicitur dies iudicij extremi, 324.c.2.
Diem iudicij sæpius meditari quàm sit vtile, 344. c.1.387.c.1.506.c.1.
Diem aduentus Domini ad iudicandum scire,nisi reuelatione,non possumus, 377.383.387.
Dierum obseruantia secũdum legem habebat mysteria recondita, 277.

Digamus & digamia.

Diga-

Digamia est malum,licet non sit peccatũ, 163.c.1.
Digamia eorum est,in quibus potest aliquãdo dispensare ecclesia, 164.c.1.407.c.2.
Digamia cur impedit ne quis eligatur in Episcopum, 407.c.2.

Dilectio.

Dilectio nostra erga Christum qualis esse debet, 326.c.1.
Dilectio proximi includit dilectionem Dei, 115. c.2.116.c.1.
Dilectio proximi plenitudo legis, 116.c.1.588.c.1.
Dilectione vera seipsum amare nõ potest qui Deũ non diligit, 116.c.1.

Diuites & Diuitiæ.

Diuites tenentur subuenire pauperibus, 227.c.1. 449.
Diuites non debent existimare diuitias,quibus abundant suas esse, 449.
Diuites reprehenduntur,vtpote oppressores pauperum, 528.c.2.
Diuitum status infœlix & periculosus,538.539.c.1.
Diuitum propria præcepta, 422.423.
Diuitiæ euangelij ad quos pertineant, 353.c.2.
Diuitiæ Christi sunt bona cœlestia, 306.c.2.
Diuitiis incumbere homo extimulatur vehementer à dæmoniis, 324.c.2.

Dominus.

Dominus absolutè est Iesus in gloriã Dei,334.c.1.2
Dominus peculiariter dicitur Christus vt homo, 9.c.2.120.c.2.170.c.2.
Domini quomodo erga seruos se gerere debeant, 323.324.364.c.1.
Dominis carnalibus quatenus obediendũ,364.c.1.

Donum.

Donum Dei quodnã habuerũt philosophi,16.c.2.
Donum duplex habuit Adam pro seipso,& pro tota sua posteritate, 33.c.1.
Donum iustitiæ orig.in Adam amisimus, 52.c.1.
Donum per Christum superat Adæ peccatum,54. c.1.2.
Donum iustitiæ per quod formaliter iustificamur, est ipsa charitas, 97.c.1.
Donum cur maius detur vni quàm alteri,est quæstio infinita, & satis est voluntas Dei pro ratione, 93.c.1.186.c.2.187.c.1.
Dona Dei quę propriè dicãtur,107.c.1.186.187.c.1.
Dona distribuens Dominus potest citra reprehensionem prępone re quem voluerit,23.c.1.187.c.1.
Dona Dei ob quem finem quærenda sunt,193.c.1.
Dona æqualia dare omnibus nõ erat bonum, 187. 188.c.1.189.c.1.
Dona spiritualia,licet ad salutem minime necessaria,expeti ac postulari non vetat Deus, ibid.
Dona ad salutem necessaria dare Deus cogitur petentibus ex sua bonitate, ibid.
Donorum appellatione in scripturis intelligũtur, quæ supra naturam donantur, 50.c.1.
Donorum spiritualium diuersi gradus & ordines in ecclesia, 186.c.2.428.c.2.
Donis Dei bene vtentes,licet non sint prædestinati,possunt facere certam suam electionẽ, 93.c.1.

E.

Ecclesia.

Ecclesia vnde dicatur, 131.c.1.
Ecclesia Romana est caput ac magistra omnium ecclesiarum, 1.c.1.
Ecclesia Rom.quantum ad dogmata semper permansit illibata, 32.c.2.
Ecclesia illuminatur& regitur assiduè à Spiritu sancto in iis quæ ad cultum Dei pertinent, 41.c.2.
Ecclesia in persona summi Præsulis habet facultatem instituendi cæremonias pro temporum varietate necessarias, ibid.181.c.2.
Ecclesia eget cęremoniis,quas ex parte ab Apostolis traditas accepit & seruat, 18.c.2.41.42.
Ecclesia habet delectum ciborum & ieiunia ad veritatem euangelij,in hæreticos, 123.c.2.
Ecclesia quanuis vna sit catholica,plures tamen ecclesiæ sunt sub illa, 131.c.2.
Ecclesia corpori humano comparatur, 107.108. c.1.188.c.2.
Ecclesia fuit figurata in Sara, 85.c.2.
Ecclesia Christi in quo consistat, 152.c.1.
Ecclesia est veluti quoddam stabulatium, 36.c.2.
Ecclesia non iudicat de occultis, 153.154.c.1.
Ecclesia habet potestatem constituendi iudices in causis sæcularibus, 155.c.1.2.
Ecclesia per hæreticos exercetur in patientia, sapientia,charitate,&c. 183.c.1.
Ecclesia est corpus Christi, 187.c.2.
Ecclesia primitiua ministros habuit supplentes locum idiotarum in respondendo, 227.c.1.
Ecclesiæ verum & primarium caput Christus,135. c.2.299.c.2.
Ecclesiæ proprium est sanctificari, 131.c.2.
Ecclesiæ particulares debent se habere ad modum vnius perfecti corporis, 188.c.2.310.c.1.
Ecclesiæ ministri ea debent intelligere, quæ in ecclesiasticis officiis leguntur, 193.c.1.&2.
Ecclesiæ conuentus quo fine fiant, 182.c.2.
Ecclesiæ cõsuetudo maximã vim habet ad conuincendos hæreticos & contentiosos,181.197. c.2.
Ecclesię cõsuetudo piis mẽtibus satis esse debet ad quietẽ,etiã si alia testimonia nõ extarẽt,181.c.2.
Ecclesiæ iudicium & excommunicationis sententia in solos fideles extenditur, 154.c.2.
Ecclesiæ magnis rationibus interest, vt habeat dominia temporalia, 112.c.1.
Ecclesiæ vniuersalis doctrina falsã esse non potest, 197.c.2.262.263.407.c.2.
Ecclesiæ authoritate opus fuit B.Paulo,vt eius prędicatio coram aliis probaretur, 263.c.1.
Ecclesiæ doctrina declarantur multa & probantur ad reddendos certos populos, ibid.
Ecclesiæ ignota dogmata non debẽt temerè à quo quàm affirmari, 311.c.2.
Ecclesiæ primitiuæ erant quædã opportuna, nunc meritò non seruanda, 313.c.1.
Ecclesię determinationi qlibet stare debet,341.c.2
Ecclesiæ cantus qualis esse deber, 363.c.1.
Ecclesiæ deformatio ac reformatio quibus in rebus potissimum consistat, 418.c.2.
Ecclesiæ appellatione quãdoque Prælatus eius intelligitur, 251.c.2.351.c.2.
Ecclesiæ sanctitas qualis, 289.c.1.321.c.1.
Ecclesiã vocat Apostolus vnius domus familiam Christianam, 224.c.1.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiã f.cur nomine matris appellemus.279.c.2.
Ecclesiam quando vnita est,vocat Apostolus ædificationem & templum Dei, 393.c.1.
Ecclesiam honoramus nomine Tetragrammatõ, 391.c.1.
Ecclesiam docere posse contra verbum Dei, & ita errare dogmatizat impius Lutherus, 248.

Electio & Electi.

Electio variis modis accipienda est in scripturis, 292.c.2.293.368.c.1.427.c.1.443.544.c.1.
Electio prædestinatorum ante mundi constitutionem mera est gratia, 85.c.1.2.92.c.2.102.103. 291.292.293.297.
Electio B.Mathiæ quo sortis genere fuit, 397.c.1.
Electionis excellentis gratia nullo modo à nobis causam habere potest, 92.c.2.
Electionis voce non semper prædestinatio intelligitur apud scripturas, 367.368.c.1.
Electi perire finaliter non possunt,79.82.c.1.294.
Electi sunt prædestinati ad cõformitatem Christi primò in passionibus,tum in gloria, 80.
Electi in Israel significati sunt. 86.c.2.
Electorum prærogatiua multiplex, 167.168.292. 293.296.298.
Electorum vocatio specialis,& secundum propositum Dei efficax, 79.80.c.1.
Electorum fides præcipua, 415.416.c.1.
Electorum typum tenuit B.Ioannes Euangelista, 86.c.1.293.
Electis quomodo omnia cooperantur in bonum, 79.c.2.

Eleemosyna.

Eleemosyna quomodo facienda, 108.c.2.226. 229.c.1.
Eleemosyna vocatur iustitia,& quare, 229.c.1.
Eleemosyna est instar seminis ad fructificandum vitæ æternæ benedictionem, ibid.
Eleemosyna amore Dei seruis eius oblata,est sacrificium illi acceptissimum, 229.c.2.
Eleemosynis pauperes recreare,ac reficere quàm magnam paret fiduciam in die iudicij, 205.c.1.

Episcopus.

Episcopus in sua ecclesia residere debet, 391.392. c.2.433.c.1.
Episcopus sic aliis prospicere debet, vt interim seipsum non negligat, 414.c.1.2.
Episcopum omnis mercatura dedecet, 438.
Episcopi in ecclesia primitiua ordinabantur,antequã susciperẽt certarũ curam ecclesiarũ,326.c.2.
Episcopi à Papa creantur & confirmantur, & vbi opus est exauthorantur, 263.c.1.2.
Episcopi hæretici nullo pacto tolerandi, sed sunt grauissimè puniendi, 218.c.1.420.c.2.
Episcoporum dignitas suos gradus habet,329.c.2.
Episcoporum dignitas sacerdotio præstat tum ordine,tum iurisdictione, 437.
Episcoporũ residẽtia an sit de iure diuino,392.c.1.
Episcoporum non residentia, innumera mala parit in ecclesiis, 392.c.1.& 2.
Episcoporũ prima cura circa doctrinas falsas versari debet, 429.c.1.
Episcoporum conditiones quæ requirantur, 407. 408.409.c.1.438.c.1.2.444
Episcoporum potestas probitate bonorũ morum plurimum corroboratur, 442.c.1.
Episcoporum legitima residentia à sacris Canonibus determinatur, 447.c.2.
Episcopis necessarium est legere & scrutari scripturas, 414.415.

Epistola.

Epistola ad Rom.cur cæteris antepositа, 1.c.1.
Epistola ad Rom.per modũ argumenti quid contineat ostenditur, 9.10.c.1.
Epistola ad Rom. referta est summa doctrina & sententiis profundissimis cum de fide, tum de moribus, 10.c.1.
Epistola ad Galatas docta & difficilis, 243.in arg.
Eplã ad Gal.scripta B.Pauli manu propria,288.c.1.
Epistola ad Timotheum vtraque digna quæ à Prælatis edisceatur & obseruetur, 390.in arg.
Epistola ad Hebræos defẽditur,& illius author verus B.Paulus à Caietani cauillis,459.497.c.1.2.
Epistolæ ad Hebręos author B.Paulus Apostolus, 452.in præfat.454.c.2.463.c.2.496.c.2.
Epistolam ad Hebræos hebraicè scriptam fuisse, 496.c.2.
Epistola B.Iudæ defenditur, 598.in præfat.
Epistola canonica B.Ioannis Apostoli secunda & tertia contra nouos magistros defenditur,594. in præfat.
Epistolam B.Iudę quidam indoctè reiiciunt,quòd in ea citentur apocrypha, 335.601.c.1.

Erasmus.

Erasmus Arianorum patronus, 410.c.1.
Erasmus notarur de mutatione ordinis epistolarũ Apostolicarum, 1.c.2.
Idẽ notatur de interpretatione vocis,Latria,11.c.2.
Erasmus ineptè excusat suam temeritatem immutatæ lectionis ad Thess.de resur.mort. 203.c.1.
Erasm' vt hostis diuinitatis Christi notatur,85.c.1.
Erasmus subdolè suscitauit pelagianã hæresim de peccato originali, 51.c.2.
Erasmus reuocat in dubium an primæ epistolæ canonicæ author fuerit B.Iacobus Apostolus,521.
Erasmus dolis & fabulis plurimum nititur incautos decipere, 445.c.2.
Erasmus immeritò atq; iniuria reprehendit B.Hieronymum circa matrimonium, 159.c.1.2.
Erasmus circa diuortium scandalosè scripsit, 164. c.1.
Erasmus nimium audax circa matrimonia clandestina refellitur, 168.c.2.
Erasmus exosam habuit virginitatem, 167.c.1.
Erasmus inter vaniloquia & impia reponit sententias ab ecclesia decisas, 394.444.c.1.
Erasmus perpetuus nouitatum amator, 253.c.1.
Erasmus iniuria taxauit B.Paulum de imperitia linguæ Græcæ, 193.194.c.1.
Erasmus pestifera colloquia edidit, quibus multi ad ruinam corrumpuntur, 200.c.1.2.
Erasmus in suum vsum vbi lubet vsurpat B. Hieronymi authoritatem, 253.c.1.

Esau.

Esau qua reprobatione fuerit reprobatus absque propriis demeritis, 90.91.c.1.
Esau nunquam in propria persona seruiuit Iacob, sed in persona tantum posterorum, ib.c.2.
Esau quã ob causam fuerit postmodo typus reprobatorum à vita æterna, 91.c.2.

Euangelium.

Euangelium quid, 5.c.1.2.
Euangelium verum vnicum est,duas habens partes, 341.342.443.
Euangeliũ salutem æternã nõ promittit absolutè, sed cum operũ conditione,in hęreticos,342.c.1.
Euangelium tempore tribulationum & persequutionum potissimum creuit, 329.c.2.
Euangelium vt cursum suum habeat, indiget orationibus ecclesiarum, 326.c.1.2.
Euãgelium cur dicatur verbum abbreuiatũ,95.c.1.
Euangelium promissum ab initio mundi, 5.c.2.
Euãgelium continet integram totius perfectionis nostræ doctrinam, 95.c.1.
Euangelium prædicare erat munus & officiũ proprium Apostolorum, 184.c.1.
Euangelium mutilant hæretici, 342.c.1.
Euãgelij prædicatio est quoddã sacrificiũ, 126.c.2.
Euangelij summa in articulo resurrectionis mortuorum continetur, 196.c.1.
Euangelij prædicatio est firma & constans,115.c.1.
Euangelij prædicatio est verbum reconciliationis hominum cum Deo, 221.c.1.2.
Euangelij prędicatio confirmata fuit à Deo per signa & prodigia multa, 216.c.1.
Euãgelij prædicatio non ad solos Iudæos,sed prorsus ad omnes gentes dirigitur, 8.c.2.
Euangelij ministratio quæ dicitur spiritus & iustitiæ,ministrationem legis antiquæ antecellit, 214.c.2.215.c.1.
Euangelij tempus est tempus acceptabile,222.c.1.
Euãgelij lex non tollit iura naturalia & gentium, nec improbat gladium sæcularẽ,sed confirmat, 111.c.2.281.419.420.c.1.

Eucharistia.

Eucharistia continet verum corpus & verum sanguinem Christi,in hæreticos, 177.c.1.2.
Eucharistię mysterium tractatur, 177.c.1.185.c.1.
Eucharistiæ sacramentum accipientibus promittur indistinctè vita æterna, 89.c.1.

Excæcatio.

Excæcatione digni fiũt, qui tenebras magis quàm lucem diligunt, 216.c.1.386.
Excæcationem iure merentur, qui diuinæ veritati scienter resistunt, 386.429.c.1.

Excommunicati.

Excommunicati debent Christiani peccatores famosi, 154.c.1.
Excommunicati sunt hæretici ipso iure, 249.c.2.

Exemplum.

Exemplũ synceræ conuersionis in B.Paulo ostenditur, 2.c.2.
Exempla maximam vim habẽt ad ædificationem, vel ad subuersionem, 171.c.1.2.
Exempla probæ vitæ longè efficacius & viuacius mouent quàm nuda verba, 551.c.1.2.

F.

Fama.

FAmam bonam quo fine debent quęrere homines Christiani, 345.c.1.

Fides.

Fides variè accipitur in scripturis, 28.c.1.
Fides est radix omnium bonorũ operum,546.c.1.
Fides semper necessaria fuit omnibus ad salutem consequendam, 14.27.c.2.413.414.
Fides per quam poterant saluari Gẽtiles,erat duorum articulorum reliquos implicitè continentium, 14.27.413.414.
Fides explicita de Christo non exigebatur necessariò ad salutem antequam prædicaretur, 27.28. 99.c.1.
Fides Christi quomodo necessaria ad iustificationem, 36.97.c.2.
Fides quã requirit Deus ab homine impio,vt eundem iustificet,qualis, 15.c.1.43.c.2.321.c.1.
Fides Iudæorum sub lege non omnino explicita, 14.175.275.c.2.
Fides Christianorum in nouo testamento explicita, 14.27.28.99.c.1.2.275.
Fides Romanorum quomodo in vniuerso mundo annunciabatur, 11.c.2.
Fides impij quæ imputatur ad iustitiam,non est opus meritorium iustificationis, 43.c.2.302.c.1.
Fides est necessaria omnino vt quis verè membrũ Christi efficiatur, 187.188.c.1.
Fides quænam requiratur in homine ad primã iustificationem assequendam, 44.c.1.2.258.c.1.2.
Fides non gignit perfectam cognitionẽ, 191.c.2.
Fides & patiẽtia,non fides tantum,tequiruntur ad hæreditandum promissiones, 45.c.1.486.c.2.
Fides sola non reddit hominem saluum salute perfecta, 73.74.c.1.97.c.2.156.176.205.206.c.1. 281.282.527.c.1.
Fides, dum simpliciter dicitur, pro fide diuina intelligitur apud Theologos. 75.c.1.
Fides Christiana in persequutionibus & angustiis semper illustratur, 79.80.c.1.
Fides est per quam aptamur in Christũ,& per eam per dilectionem operantem consummamur, 95.97.282.c.1.
Fides innititur verbo Christi, 99.c.1.
Fides quõ gignatur in corde hominis, 99.c.1.2.
Fides an necessariò requirat externam prędicationem, ibid.
Fides fundamentum atque basis totius ædificij spiritualis, 107.108.128.c.2.
Fides quo pacto purificet corda, 321.c.1.
Fides in scripturis absolutè,pro viua fide, 327.c.2.
Fides cur non sit omnium hominum, cum tamen Deus velit omnes fieri saluos, 388.c.1.
Fides Christi sanguine defenditur, 591.c.2.
Fidei definitio,& eius effectus sufè explicantur, 507.& sequent.
Fidei substantia manet etiam amissa charitate,531. 532.c.1.
Fidei nostrę robur in potẽtia Dei inniti debet,non in sapientia hominum, 137.c.1.141.c.2.
Fidei nostrę principia probauit Deus per signa innumera & prodigia, 141.c.1.216.c.1.
Fidei donum quod particulariter quibusdam donatur in ecclesia,quale sit, 186.187.c.1.190.191. 205.c.1.217.218.c.1.
Fidei catholicæ obiectum est quodcunque reuelatum in ecclesia Dei, 186.187.c.1.
Fidei obiectum est promissio æternorum,268.c.1.
Fidei finis sunt opera bona, 431.c.2.
Fidei Christianorũ & Iudæorũ differẽtia, 483.c.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fidem solam habens non est iustus coram Deo, 190.c.1.282.c.1.
Fidē infusam qui se habere credit, an possit id certò cognoscere, 239.c.2.
Fidem abnegant & deserunt duo hominum genera, 298.c.2.
Fidem vnius articuli amittens, totam fidem amittere conuincitur, 282.c.1.2.286.c.2.
Fide viua stamus, 196.205.c.1.210.
Fide facti sumus liberi & filij Dei, 110.276.c.1.
Ex fide esse Iesu Christi quid, 37.c.2.288.c.2.

Filius.

Filius dilectionis Christus, qua ratione dicatur, 348.c.2.
Filius adoptiuus non dicitur Christus, sed naturalis. ibid.81.c.2.
Filius hominis qua ratione Christus dicatur, 465.c.1.
Filij Dei dicuntur diuersimodè, 277.c.1.2.
Filij Dei sunt omnes homines in potentia, ibid.
Filij Dei efficiuntur quicunque credunt in Christum, 276.c.1.
Filij quo pacto debent obedire parentibus, & qualis obedientium merces, 323.c.1.
Filiorum Dei est condonare sibi factas iniurias, 316.c.2.

Fornicatio.

Fornicatio omnis reprobatur tanquā mortale peccatum, 155.c.1.157.373.c.1.427.c.1.
Fornicatio est innaturalis & illicita, 157.c.1.2. 316.c.1.2.

G.

Gaudium.

GAudium perfectū nulli datur in hac vita, nec etiam ipsis iustis, 222.c.2.223.c.1.
Gaudium semper sequitur charitatem, 122.c.1.
Gaudium Christianorū est vnus ex præcipuis Spiritus sancti fructibus, 122.c.1.241.c.2.
Gaudium Christianorū admistum est timore quodam sancto, 343.c.2.
Gaudium verum debēt existimare Christiani cum in varias tentationes incidunt, 523.c.2.
Gaudium & lætitia viris euangelicis adest, cum eorum discipuli proficiunt, 598.c.2.
Gaudium Christianorum est in spe non in re, donec appareat eis Christus, 113.c.2.114.c.1.
Gaudio verò dilatatur homo quando concipit spē bonorum æternorum. 223.
Gaudio magno tum demū abundant viri sancti cū in variis tribulationibus constituūtur, 226.c.1.2.

Generatio.

Generatio Christi duplex quatenus homo, 7.c.1.2.
Generatio Christianorum duplex, 7.c.2.

Gentes & Gentiles.

Gentes quomodo dicerētur esse absq; fide, 303.c.2.
Gentes quomodo mortuæ & sine Deo dicebātur, 47.c.2.140.c.1.304.c.2.
Gentes non fuerunt derelictę absq; aliqua de Deo cognitione, 16.c.1.156.c.2.314.c.1.2.
Gentes per Angelos à Deo illuminabantur, 15.16.c.1.17.c.1.27.c.1.2.156.276.c.2.
Gentes non fuerunt à Deo derelictæ in puris naturalibus, sed habuerūt aliquod Dei auxilium speciale, 15.16.156.c.2.
Gentes quo pacto poterant per gratiam consequi salutem, 17.27.c.2.70.c.1.413.c.1.2.
Gentes quomodo inexcusabiles, 17.c.1.32.c.2. 314.c.1.2.
Gentes promptiores ad fidem quàm Iudæi, 38.c.2.
Gentes quo pacto faciebant naturaliter ea quæ legis sunt, 26.27.28.
Gentium fides necessaria ad salutem erat duorum duntaxat articulorum, 14.c.1.2.28.c.1.32.33. 413.c.2.
Gentium error duplex in Idolis colendis, 18.c.1.
Gentium viæ, quales, 69.c.2.
Gentium plenitudo nondum ingressa est in Christum, 105.c.1.2.
Gentibus nunquam fuit præclusa via ad salutem, 14.c.1.2.27.28.431.c.1.2.
Gentilis personam induit Apostolus, vt varios status explicet, 64.c.1.
Gentiles in scripturis nomine bestiarum designantur, 22.c.1.
Gentilium philosophorum error & peccatum in cognitione sui, 17.c.2.
Gentilium errores circa mores, 28.c.2.
Gentilium plurimos per Angelorum illuminationes saluos factos esse, 28.c.1.276.c.2.

Gloria & gloriatio.

Gloria iustorum in cœlis maior erit, quàm per statum innocentiæ fuisset, 70.c.2.
Gloria carnis explicatur, 140.c.1.2.
Gloria mundi suos sectatores præcipitat, 149.c.1.
Gloria mundi inanis & caduca, ibid.233.234.c.1.
Gloria & laus, operum nostrorum bonorum, Deo & Christo debetur, 49.50.c.1.
Gloriam propriam prædicare est insipientia, 232.c.1.233.c.2.
Gloriam inanem mirum in modum natura amamus, 235.c.2.
Gloriam propriam quantum fugere debeant sancti Dei homines, 235.c.2.
Gloriam futurā quæ à Deo est quærere debemus, 336.c.1.
Gloriam cum Christo participare non poterit, qui socius non vult esse passionum eius, 339.c.1.2.

Gratia.

Gratia quid sit apud B. Paulum, 8.c.1.132.544.c.2. 545.c.1.
Gratia quomodo regnet per iustitiam, 56.c.2.
Gratia cum peccato stare nō potest, sed per peccatū amittitur, in Lutheranos, 59.c.2.66.c.2.73.c.2.
Gratia quomodo cum tēpore sanat totum hominem, 68.c.1.2.218.c.1.
Gratia Dei confertur etiā non prædestinatis, alioqui angustaretur Dei misericordia, 88.c.2.89.
Gratia Dei nemini illam volenti negatur, 107.
Gratia ad salutem cur non detur omnibus æqualiter, 88.89.c.1.91.397.c.1.2.
Gratia est arrha & pignus vitæ æternæ, 89.210.c.2.297.c.2.
Gratia Dei potest frustra recipi, 222.c.1.
Gratia Dei semper est à nobis implorāda, 130.c.2.
Gratia habitualis non satis est ad perseuerādum in bono sine speciali Dei auxilio, 235.236.c.1.
Gratia prima non datur ex meritis, 295.302.

Gratia & donis Dei non vti peccatum est, 414.c.1.
Gratiæ appellatione in scripturis intelligūtur quæ supra naturam nobis gratiosè donantur. 50.c.1.
Gratiæ donū in Adam quid operabatur, 33.c.1.2.
Gratiæ præsentis certitudo in homine iusto asseritur, 75.76.77.184.545.
Gratiæ inhærentis signū certum ostēditur, 361.c.1.
Gratiarum actio quid sit, 10.c.2.
Gratiarum actio est actus religionis & pars orationis præcipua, ibid.
Gratiarum actio est quædam tacita supplicatio ad obtinēdum beneficiorū augmentum, 189.c.1.2.
Gratiarum actiones gratæ sunt Deo, & per Christum acceptæ, 208.319.320.c.1.
Gratiarum actiones requirit à nobis Deus pro beneficiis datis, 208.290.362.363.c.1.

H

Hæres.

HAEres Patris cœlestis verus Christus, cui hæreditas ipso iure debebatur, 75.c.1.
Hæres Dei Christus quo iure, 455.456.c.1.
Hæredes sumus in Christo per adoptionē sub conditione, 75.c.1.

Hæreses.

Hæresis fermè semper in malam partem sumitur, 183.c.1.2.
Hæresis quid significet. 183.c.1.
Hæreses quo pacto afferant vtilitatem ecclesiæ, 182.c.2.194.c.2.
Hæreses esse, non est necesse simpliciter, 182.c.2.

Hæresiarcha & hæreticus.

Hæresiarcharum fructus quomodo cognosci possunt, 233.c.1.318.c.1.
Hæresiarcharum tria præcipua scelera, 566.c.2.
Hæresiarcharum veritatem impugnantium intentio & finis, 147.181.
Hæresiarcharum peccatum, & eorum tandem in inferno suppliciū quàm magnū, 147.336.c.1.2.
Hæreticus qui verè censeatur, 245.247.c.1.444. 445.446.c.2.
Hæretici quibus epithetis significentur, 446.c.2.
Hæretici ad disputandum coram imperita multitudine non admittendi, 427.c.2.
Hæretici suo gladio se iugulant, cum de legitima vocatione ad functiones ecclesiasticas loquuntur, 4.c.1.245.c.1.
Hæretici astutè & mendaciter asserunt se doctrinā antiquæ ecclesiæ instaurare, 5.c.1.2.374.c.1.
Hæretici recentiores elegantiæ sermonis & floribus rethoricis plurimum student, 137.c.1.354.
Hæretici dolosè dissimulant loca scripturarū quibus penitus iugulantur, 58.c.2.73.c.1.287.c.2.
Hæretici gaudio phantastico in suis passionibus afficiuntur, 349.c.1.368.c.1.2.
Hæretici aliqui omne iuramentum damnant, 11. 12.c.1.253.c.1.
Hæretici calumniosè ecclesiam reprehendunt ob vsum imaginum, 18.c.1.2.
Hæretici per occasionem afferunt vtilitatem ecclesiæ, 182.183.c.1.
Hæretici sunt milites diaboli, 70.c.1.2.134.c.1. 183.233.c.1.
Hęretici multipliciter errant non distinguēdo, sed omnia permiscendo, 43.45.c.1.2.302.c.2.
Hæretici callidè damnant vsum gladij in Magistratibus, 111.c.1.
Hæretici nō possunt loqui in Christo, cùm sint extra ecclesiam, 211.c.1.
Hæretici suos errores prætextu scripturarum defendere nituntur, 246.c.1.247.c.2.
Hæretici ipso iure excommunicati, 257.c.1.
Hæretici noui impudenter se euangelicos iactant, 247.c.1.
Hæretici abutuntur dicto Pauli: Si nos, aut Angelus, &c. ibid.
Hæretici fascinant oculos infirmorum in fide, 267.c.1.
Hæretici iure à magistratu sæculari in corpus puniuntur, 281.371.372.445.446.
Hæretici peccato detractionis deditissimi, 284.
Hæretici ob malam quorundam Christianorū vitam occasionem accipiūt negandi effectus gratiæ in aliis rectè viuentibus, 284.285.c.1.
Hæretici non possunt authoritati ecclesię se opponere, 195.c.1.2.
Hæretici meritam persecutionē patiuntur, 371.c.2.
Hęreticorū multi non tam hęretici, quā athei, 428.
Hæreticorum libros legere periculosum, 447.c.2.
Hæreticorum error de pace, 9.c.2.48.c.2.
Hæreticorū astus circa delectum ciborum, 171.c.1.
Hæreticorum errores circa sacramentum Altaris, 177.c.1.2.
Hæreticorum commentum est vetare nuptias, & quorūdam ciborum esum contra Apostolum, 124.412.c.1.
Hæreticorum fugienda consortia, 33.c.2.245.c.1.
Hæreticorū fides est potius opinio, 272.273.449.
Hæreticorum varia & inconstans doctrina, 313.c.1.
Hęreticorū doctrinā cur recipiunt multi, 359.c.1.2.
Hæreticorum impudicitia taxatur, 344.c.2.
Hæreticorum blasphemia in Christi Vicarium, 384.c.2.
Hæreticorum vocibus non est vtendum, 423.c.1.2.
Hęreticorū semper fuit proprium reiicere, quę quasi digito in scripturis nō ostendūtur, 210.388.c.2.
Hæreticorum calumnia contra ecclesiam circa delectum ciborum refellitur, 123.412.c.2.
Hęreticorum recentiorum sacrilega matrimonia, 160.c.2.
Hęrericorum callida inuentio in votum castitatis, 161.c.1.
Hęreticis mirificè & occulto modo fauet satan, & facundiam subministrat. 410.411.c.1.
Hęreticis nullo pacto est cōmunicandū, 317.318.c.1.

Heua.

Heua sola peccante non corruissemus, 52.c.1.
Heua quomodo in Adam continebatur, ibid.
Heua qua in re nobis nocuerit, ibid.
Heua in statu innocentię alio modo Adę subdebatur, quàm nunc mulier sub potestate viri, 181.c.1.

Histrio.

Histriones, Mimi, & circumforanei homines minime sunt tolerandi, 378.c.1.

Homo.

Homo quot modis accipitur in scripturis, 244.c.1.
Homo animalis, & homo nequā, 144.c.2.153.c.1.
Homo carnalis, qui carni consentit, 65.145.c.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Homo carnalis & ſpiritualis quomodo differant in faciendo malum, 66.c.2.
Homo totus cenſetur ſecundum eam partem quę ſuperat, 65.66.145.146.266.c.2.
Homo carnalis dum patitur & deſperat,iã experitur pœnas tanquam artham inferni, 76.c.1.
Homo in ſtatu naturæ lapſæ plenus ignorantia,vt nihil boni poſſit abſque ſpeciali Dei auxilio, 16.17.27.c.1.35.69.145.269.270.
Homo natura mendax, 31.c.1.249.c.1.2.
Homo ex ſe nihil eſt, 286.c.2.
Homo mendax quis ſit propriè, 249.c.1.2.
Homo qui ſtudet hominibus placere,quàm grauiter peccet,& quàm grauiter punietur,249.c.1.2.
Homo Spiritu Dei carens dicitur caro, 287.c.1.
Homo creatura mundi,& finis omnis creaturæ, 16.c.1.2.76.c.1.
Homo interior & exterior,quid, 59.c.2.67.218.c.1.308.c.2.
Homo nouus non eſt ſub lege, 265.c.1.
Homo ſpiritualis quomodo ſtudere debet interiori ſuæ renouationi, 218.c.1.308.c.2.
Homo ſpiritualis non poteſt ſimul de facto ſeruire legi Dei,& legi peccati, 69.c.2.
Homo ſpiritualis quomodo non operatur peccatum, 65.66.67.c.1.
Homo ſpiritualis quomodo poteſt cadere à gratia,& lethaliter peccare, 67.c.1.2.68.285.
Homo nouus in Chriſto quomodo relictus in ſeruitute corruptionis, & anxius ob expectationẽ futurorum bonorum, 76.c.1.2.219.c.1.2.
Hominis appellatione quid plerunque in ſcripturis intelligitur, 61.62.145.249.286.c.1.
Hominis varij ſtatus in Adã,ſub Moſe,& in Chriſto, 62.63.69.145.166.
Hominis voluntas cenſetur totus homo,& quare, 69.105.c.2.
Hominis eſt ſe præparare ad gratiam,ſed non abſque Dei gratia & auxilio, 92.c.2.
Hominis eleuatio in altiſſimũ finem ex dono eſt, non ex naturæ debito, 77.c.2.78.c.1.
Hominis prærogatiua præ Angelis per incarnationem Verbi, 469.c.1.

Hoſpitalitas.

Hoſpitalitas in Epiſcopo commendatur & requiritur, 408.431.432.c.1.
Hoſpitalitas citra delectum non omnibus nec paſſim exhibenda, 110.c.1.
Hoſpitalitatis officium ſemper fuit cõmendatiſsimum,& magno præmio dignum, ibid.

Humilitas.

Humilitas radix ſapientiæ, 288.c.2.
Humilitas vera Chriſtiani & profunda,nobilis eſt & non confunditur, 217.c.1.
Humilitatis dogma nouũ ac peruerſum cuiuſdam authoris nouæ ſectæ notatur, 333.c.1.396.
Humilitas ſanctorum vnde oriatur, 308.332.394.
Humilitas B.Pauli laudatur, 205.c.1.306.c.1.2.

I.

Iacob.

IAcob & Eſau myſterium explicatur, 86.93.94.c.1.
Iacob electus fuit vt ex eo Chriſtus naſceretur, 86.90.c.2.
Iacob fuit typus electorum, 86.c.1.2.91.c.2.
Iacob fuit electus ex mero Dei beneplacito. 90.c.2.91.c.1.
Iacob quo pacto vidit Deũ facie ad faciẽ. 191.c.1.

Iacobus Minor Apoſtolus.

Iacobus minor Apoſtolus author primę epiſtolæ inter canonicas, 521
Iacobus iſte eſt cuius meminit B.Paulus in epiſtola ad Galatas, 253.c.1.
Iacobus poſt Petrum ſecũdus habebatur, 197.c.1.
Iacobus Ieroſolymitanam rexit eccleſiam, ibid.
Iacobi ſanctitas magna & admirabilis authoritas, 197.c.1.
Iacobi epiſtola canonica, 521.
Iacobi epiſtola cur prima inter canonicas. 260.c.1.521.in præfat.
Iacobi epiſtola ad confutationem hæreticorũ ſcripta, 532.533.534.535.536.
Iacobi Apoſtoli ſententia de iuſtificatione ex operibus bonis,de qua iuſtificatione intelligatur, 45.c.1.

Idola.

Idola quàm ſtultè à gentilibus adorabãtur,18.c.1.
Idola gentium adorare,cur à Deo prohibitum, 167.c.1.
Idola multi ſibi faciunt dominos temporales,101.c.1.180.c.1.
Idola gentilium qua ratione nihil eſſe dicantur, 170.c.1.
Idolorum cultum quæ pœna ſequatur, 18.c.2.177.c.2.178.c.1.
Idolorum ſeruitus eſt quædam auaritia, 153.c.2.317.c.1.361.c.1.
Idolis immolata affici non poterant,170.171.177.178.c.1.

Idololatria.

Idololatria eſt quædam inobedientia, 33.c.1.
Idololatriæ crimen commiſerunt Iudæi reprobando Chriſtum, 101.
Idololatriæ rei ſunt qui principes terrenos Chriſto vero principi præferunt, 101.c.1.2.170.c.1.

Ieiunium.

Ieiunium commendat Apoſtolus, 222.c.1.358.
Ieiunium requiritur in ſtatu luctus in quo ſumus, 283.358.
Ieiunium odio habent hæretici, 41.342.358.
Ieiunium & fructus eius à Chriſto commendantur, 358.359.c.1.
Ieiunium habet ſuam in cœlis mercedẽ,359.c.1.2.
Ieiunium non eſt illa exercitatio corporalis, quæ ad modicum vtilis eſt, 412.c.2.
Ieiunia ab eccleſia indicta ad carnis caſtigationẽ, ſeruanda ſunt, 283.c.1.2.
Ieiunia indicere nõ eſt nouum in eccleſia,358.c.1.

Ieſus.

Ieſus nomen cœleſte ac myſterioſum, 3.c.2.4.c.1.299.c.1.334.c.1.
Ieſus nomen venerandum, etiam ex ſacri canonis pontificij præcepto, 4.c.1.
Ieſus nomen diuinum eſt, & ſoli Deo in veritate conueniens, 334.c.1.
Ieſus abſolutè eſt Dominus in Dei gloriam. ibid.

Ieſu nomine hæretici abutuntur, 4.c.1.
Ieſum eſſe dominum nõ poteſt cognoſcere humana intelligentia,aut ſapientia, 186.c.1.
Ieſum eſſe Dominum quo pacto quis dicat ſalubriter, 186.c.1.

Ignorantia.

Ignorantia quæ excuſat à peccato qualis ſit,& quatenus excuſet, 395.c.2.

Imago.

Imaginem Dei per peccatum amiſſam recuperat homo per baptiſmum, 365.c.1.
Imagines ſanctorum dici non poſſunt nihil eſſe, 170.c.1.
Imaginibus Chriſti & ſanctorum quomodo vtantur in eccleſiis Chriſtiani, 18.c.1.

Impius & impietas.

Impiorum qualis innouatio, 77.c.2.
Impietatis nomine quid intelligatur, 15.c.2.

Indulgentiæ.

Indulgentiæ quæ pro pœnis peccatorum dantur, meritis Chriſti & ſanctorum innituntur, 237.238.c.1.317.c.1.
Indulgentiarum theſauri diſpẽſatio credita eſt Romano Pontifici, 317.c.1.
Indulgentiarum diſpenſatio non caruit abuſibus, ibid.

Infernus.

Inferni ſuppliciis an fuerit aliquę animæ per Chriſti deſcenſum liberatæ, 311.c.1.& 2.
Inferni ſuppliciis mancipati, quomodo Deũ laudent. 19.c.1.

Ingratitudo.

Ingratitudo in Deum meretur,vt quod datum fuerat auferatur, 208.c. .& 2.290.c.2.
Ingratitudo filiorum in parentes taxatur,237.c 2.

Inuidia.

Inuidia res ſtulta & diabolica, 528.529.c.1.
Inuidiæ vitio caret homo verè ſpiritualis, 20.c.2.

Ira.

Ira Dei de cœlo,quæ ſit, 15.c.2.
Ira Dei æterna propriè in euangelio reuelatur, 15.c.2.
Ira quo pacto citra peccatum concedatur, 315.c.2.
Ira bona,qualis, 315.c.1.
Iræ filij natura quo pacto omnes ſimus, 301.c.1.
Iræ filij in die iudicij erunt tantũmodo,qui ex proprio eorum peccato rei inuenientur, 54.55.

Iſaac.

Iſaac fuit typus filiorum Dei ad quos pertinet vera promiſſio, 85.86.273.c.2.
Iſaac verus,eſt Chriſtus, ibid.

Iſrael.

Iſrael verus ſunt tantummodo qui electi & prędeſtinati ſunt, 85.86.c.2.
Iſrael fuit talis ſecundum electionem Dei, non ſecundum carnem, 86.c.1.& 2.
Iſrael verus cur nõ comedit de neruo, 86.c.1.& 2.

Iudæus.

Iudæus carnalis ſub lege & peccato,reſpectu gentilis qualis erat, 65.c.1.69.c.1.
Iudæi nomen olim honorabile, 28.c.2.
Iudæi perſonam induit B.Paulus vt explicaret ſtatum eius ſub lege, 63.64.65.
Iudæi in ſcripturis nomine hominum deſignãtur, 22.c.1.
Iudęi verè,qui ſint, 28.29.30.
Iudæi quantum præſtabant Gentibus per legem, 28.29.31.32.69.84.c.2.
Iudæi non minus indigebant gratia Chriſti ad ſalutem,quàm gentes, 32.c.2.34.35.38.c.1.
Iudæi cur inexcuſabiles facti ſunt, 32.c.2.
Iudæi ex lege Moſeos nullum habebant proximũ niſi qui ex eorum gente erat, 40.c.2.
Iudæi quodãmodo per Moſen ſanctificati, 175.c.1.
Iudæi à Moſe admonebantur per velamen, vt in Chriſtum intenderent, 214.c.2.
Iudæi qualem Meſſiam expectent fruſtra,126.c.2.
Iudæi ante Chriſti aduẽtum erant veluti pueri ſub pædagogo, 277.c.1.
Iudæi Chriſti inimici,vocantur canes, 357.c.2.
Iudæi grauius facinus admiſerunt negantes Chriſtũ,quàm olim ſub Moſe idololatrantes,84.c.1.
Iudæi abuſi ſunt propria prærogatiua, 84.85.c.1.
Iudæi tandem conuertentur ad fidem Chriſti, 86.204.205.c.1.215.c.1.& 2.
Iudæi quomodo ſcandalum acceperunt à Chriſto, & eius prædicatione, 95.c.1.& 2.
Iudæi non habent amplius verum Paſcha, 155.c.1.
Iudæorum cognomen quando inceperit, 29.c.1.
Iudæorum præeminentia ex electione Dei fuit tã in pœnis quàm in gaudiis, 23.c.1.
Iudæorum gloriatio quo pacto excluſa eſt per legem fidei, 38.c.1.& 2.
Iudæorum error de iuſtificatione ex operibus legis abſque fide Chriſti, 38.c. .& 2.95.104.c.1.
Iudæorum error exiſtimantium ſalutem ad ſeipſos tantum pertinere, 41.c.1.
Iudæorum terra promiſſa quàm anguſta, 38.c.1.
Iudæorum populus intendit & aſpirat ad ſola bona præſentia & terrena, 215.c.1.
Iudæorum prærogatiua magna propter Chriſtum ex eorum ſemine natum, 85.c.1.205.c.2.
Iudæorum falſa intelligentia circa veros Abrahæ filios,& veros Iſraelitas, 85.c.1.
Iudæorum ſtulta & inſipiens gloriatio in circunciſione carnali, 64.65.c.1.
Iudæorum populus trifariam diuiſus, 180.
Iudæorum crimen in negando Chriſtum verum Meſſiam fuit crimen idololatriæ, 101.c.1.
Iudæorum crimen maximum fuit occiſio Chriſti, 104.
Iudæorum aliqui licet non receperint Chriſtum, non propterea fuerunt omnino reprobati, 103.c.1.104.c.1.
Iudæorum duritia & perfidia notatur, 30.c.2.100.c.2.101.c.1.150.151.472.

Iudicare & iudicium.

Iudicare debet ſeipſum Chriſtianus,ne à Domino Deo iudicetur, 186.c.1.
Iudicare ſeipſum,pro extollere, 122.c.1.
Iudicare venturus viuos & mortuos quomodo Chriſtus intelligatur, 557.c.1.
Iudicium duplex,poteſtatis ſcilicet,& iudicium cõparationis, 49.c.2.154.c.2.
Iudicium authoritatis,& ſcientiæ, 262
Iudicium poteſtatis ſolius eſt Dei,29.c.1. 154.c.2.
Iudicium comparationis aliquot exemplis illuſtratur, 30.c.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudicium spirituale in regno spirituali, 154.c.2.
Iudicium temporale in regno temporali, ibid.
Iudicij vltimi forma tangitur, 208.c.2.
Iudicij vltimi diem præcedet conflagratio mundi, 203.c.2.
Iudicij extremi tempus quando erit, 382
Iudicij extremi constitutio non propter infideles & hæreticos, vel pueros, sed propter Christianos, 248.c.1.
Iudicij extremi diem ante oculos semper habere deberemus ac metuere, 220.344.c.1.
Iudicia legis Moseos cur populo Hebræo data: & quomodo significabant iudicia futura in Christo, 42.c.1.& 2.
Iudicia sæcularia non improbat lex fidei, licet non sint legis fidei & charitatis, sed sæpe falsa, & semper imperfecta, 42.c.1.& 2.154.c.2.
Iudicia temeraria notantur, 102.c.2.119.149.150.

Iuramentum.

Iuramentum quomodo prohibitũ, 11.c.2.540.c.1.
Iuramentũ est res religiosa & vtilis, 11.c.2.120.c.2.255.486.c.2.487.c.1.
Iuramentum assumere quomodo liceat aliquãdo etiam cum merito, 11.c.2.2.0.c.2.253.c.1.
Iuramentum vt sit iustum, quatuor præcipuè concurrere debent, 253.c.1.
Iuramentum Dei signum puræ, certæ, & immobilis voluntatis eius. 486.487.c.1.

Iustificare, & iustificatio.

Iustificare pro pronunciare aliquem esse iustum, 26.149.c.2.190.191.c.1.
Iustificati factores legis, intelligitur apud Deum, in hæreticos, 25.26.
Iustificatio nostra per Christum solum fit, & Spiritum eius, 96.c.2.156.267.
Iustificatio tribus modis accipitur, 26.c.2.
Iustificatio hominis impij in Simone Petro figuratur, 14.c.2.35.258.c.1.& 2.
Iustificatio prima quæ fit in baptismo ad cursum, nullo modo ex operibus, quasi meritoriis, 35.38 43.258.c.1.& 2.286.c.2.288.301.c.2.443.
Iustificatio secunda post baptismum quæ fit ad coronam, fit ex operibus in charitate patratis, 35.38.45.c. .46.97.c.2.258.282.288.c.1.443.
Iustificatio prima gratis quo ad nos, sed non quo ad Christum, 37.c.1.156.c.2.
Iustificatio prima, vt quis eam assequatur, quidnã præter fidem requirit, 44.c.1.& 2.258.
Iustificatio nostra prima, est quædam resurrectio secundum spiritum, 48.c.1.
Iustificatio per Christum operatur in homine remissionem peccatorum, & facultatem implẽdi legem, 263.
Iustificationis doctrina apud B.Paulum & Iacobũ vna & eadem traditur, 530.531.
Iustificationis gratia & donum potest amitti, 473.c.1.

Iustitia.

Iustitia Dei qua iustificatur impius, quomodo intelligatur, 14.c.1.36.43.c.2.52.c.1.& 2.97.257.258.c.1.338.339.340.c.2.
Iustitia originalis fuit donũ naturę integrę, 50.c.2
Iustitia consummata in paucis consistit, 95.c.2.
Iustitia omnis in dilectione consistit, 64.c.2.
Iustitia originalis non restituitur in baptismo, 66.c.1.& 2.
Iustitia Dei dicitur populus iustus, 221.c.2.
Iustitia pro charitate sumitur in scripturis, 122.156 340.c.1.
Iustitia legis veteris & iustitia ex fide Christi, qua ratione differunt, 96.c.2.339.340.
Iustitia quæ ab Apostolo dãnatur, qualis, 95.338.339.348.c.1.
Iustitia Dei qua vnicuique ius suum tribuitur, quænam sit declaratur, 21.c.1.& 2.36.c.2.
Iustitiæ originalis donum in Adam quidnam efficiebat, 35.66.69.c.1.
Iustitiæ originalis Deo essemus debitores, si Christus pro nobis non persoluisset, 44.c.1.
Iustitiæ perfectio exigebatur ab homine in primęuo statu innocentiæ, 69.c.1.
Iustitiæ euangelicæ præmium, vita æterna, 97.c.1.
Iustitiæ legis Mosaicæ præmiũ, vita tẽporalis, ibid.
Iustitiã acceptã ferre alicui fine operibus, de qua iustitia intelligatur, 44.c.1.
Iustitiam nobis inhærentem negant Lutherani & noui hæretici, 45.c.1.& 2.250.257.
Iustitias nostras esse tanquam pannum mẽstruatę quomodo intelligendum, 25.38.43.c.2.

Iustus.

Iustus simpliciter ille est intelligendus, qui coram Deo est iustus, 14.25.c.1.
Iustus rectè operans potest respicere ad præmium vitæ æternæ, 23.341.c.1.
Iustus à bono quid differat, 49.c.2.
Iustus quantò perfectior, tantò mœstior ob mala quæ contra Deum fieri videt, 84.c.1.
Iustus non solùm sibi debet esse iustus, sed etiã proximo vt impleat omnem iustitiam, 124.c.2.
Iustus in hac vita, quamuis se iustum certissimè sciat, non propterea coram aliis se iustificare potest, 149.c.2.208.c.2.
Iusto lex non est posita, qũo intelligatur, 111.c.2.
Iustum non esse quenquam, quo pacto intelligendum, cùm multi re vera iusti fuerint, 34.c.1.
Iusti pronunciabuntur à Deo illi tantũ qui legem seruauerint, 26.c.1.
Iusti in die iudicij mirificè cõmẽdabuntur à Deo & Angelis eius. 545.c.2.
Iusti sumus formaliter per donum iustitiæ nobis infusæ & inhærentis, nõ per imputationem, in hæreticos, 257.258.282.338.339.340.c.2.
Iusti in hac vita habẽt pacem apud Deũ, sed adhuc imperfectam, vt quæ potest excidere, 48.c.2.
Iusti in hac vita habent legem, sed nõ eis aduersantem, 111.112.c.1.265.285.c.1.& 2.
Iustorum consolatio interna, quam soli qui iusti sunt, nouerunt, 107.207.
Iustorum in hoc mundo duplex vita, 145.146.c.1.
Iustis nullus nocere potest, 554.

L.

Latria.

Latrię cultus soli Deo debetur, 11.12.c.1.19.c.1.107.c.1.& 2.
Latrię cultus est sacrificium, 180.c.1.

Lex.

Lex variè in scripturis accipitur, 34.35.c.1.193.c.2.268.c.2.
Lex Moseos qua ratione dicatur lex peccati, & mortis, 71.c.1.214.215.
Lex Moseos fuit litera occidens, 214.
Lex Moseos non extinxit peccatum, 10.c.1.
Lex Moseos qua ratione iram operabatur, 46.47.64.c.1.& 2.
Lex Moseos ad quid præcipuè data fuerit, 55.56.64.c.1.& 2.70.c.1.268.274.c.2.
Lex neque Moseos, neque naturæ satis fuit ad tollendum peccatum, 32.33.35.275.c.2.
Lex Moseos adueniente Christo cessauit, functa officio, 39.c.1.
Lex Moseos quo pacto nõ erat ex fide, 46.c.2.269 c.1.& 2.
Lex Moseos vt Moseos, per omnia cessauit, 257.c.2.
Lex Moseos cur Moseos dicatur, 273.c.1.
Lex Moseos quo pacto per euangelium non destruatur, sed per omnia stabiliatur, copiosè ostẽditur, 39.40.
Lex Moseos prophetabat & imperabat, 39.40.c.1.
Lex iudiciorũ per Mosen cur populo Hebræo data, 42.c.1.
Lex Moseos in summa continebat dilectionẽ Dei & proximi, 39.c.1.64.c.2.393.c.1.
Lex fidei quæ est charitas, reddit mandata non solum possibilia, verùm etiam facilia, 40.41.265.c.2.590.
Lex veterum cæremoniarum potius dicenda est cessasse & impleta, quàm soluta & destructa, 41.42.c.1.
Lex amoris perfecta si seruetur, non indiget iudiciis, 42.c.1.
Lex fidei nõ habet iudicia in hoc tempore, sed seruantur in futuro, 42.c.2.
Lex quomodo verè impletur, 61.62.c.1.265.c.1.
Lex quibus dominari dicatur, 62.c.1.& 2.265.c.1.
Lex per se non poterat facere vt homo iustè operaretur, 71.96.c.2.213.214.265.c.1.
Lex quo pacto per carnem frustrabatur suo fine, 41.36.71.213.214.257.
Lex operum, & lex fidei, quomodo intelligãtur, & quid inter se differant, 37.38.40.c. .96.c.2.265.c.1.& 2.
Lex fidei dicitur lex spiritus, & lex charitatis, & lex perfectæ libertatis, 38.c.1.265.c.1.
Lex cur dicatur sancta, iusta, & bona, 64.c.2.71.
Lex fidei & gratiæ posita est iusto ad ampliorẽ & perfectiorẽ iustificationẽ, 111.265.c.1.& 2.394.
Lex iusto non est aduersa, 285.c.1.
Lex Christi propriè est lex charitatis, 286.c.1.
Legis veteris decreta per Mosen tradita quænam dicantur, 304.c.2.358.c.2.
Legis Moysi præcepta per se considerata quẽ finẽ habuerunt, 257.258.c.1.
Legis effectus in homine cui dominatur, 62.63.71.c.2.
Legis finis Christus, 95.96.269.c.1.
Legem quomodo per omnia stabiliuit Christus, 40.c.2.
Legem non esse iusto positam, quomodo intelligendum sit, 111.394.c.1.
Legem in vno mandato transgrediens, qua ratione omnium reus constituitur, 529.c.1.
Esse sub lege apud B.Paulum quã vim habeat, 59.60.62.c.2.265.284.c.2.

Liber.

Liber vitæ continet non solùm nomina prædestinatorum, verùm etiam omnium fidelium, 343.c.2.
Liber vitæ talis est, vt de illo possint deleri qui nõ sunt prædestinati, 343.c.2.
Libros Machabæorum & historiam trium Puerorum canonizat B.Paulus, 514.c.1.
Libros hæreticorum legere quàm periculosum, 447.c.1.

Liberatio & libertas.

Liberatio duplex, à malo iam incurso, & à malo alioqui incurrendo, 128.c.1.
Libertas Christiana, qualis, 217.218.263.281.551.c.1.
Libertas B.Pauli, qualis erat, 117.
Libertas carnis est præcipuum fundamentum Lutheranę doctrinæ, 568.c.1.
Libertas insana hæreticorum nostri temporis notatur, 111.119.250.

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium ostenditur, 334.c.2.
Liberum arbitrium nisi illustretur & roboretur à gratia & charitate, nihil potest ad salutẽ, 93.c.1.
Liberum arbitrium per efficacem illam vocationẽ ab Electis non aufertur, sed omninò efficacius statuitur & confirmatur. 81.c.2.
Liberum arbitrium absque gratia & auxilio superno non potest rectè operari, 213.214.250.c.1.335 c.2.
Liberum arbitrium damnat Lutherus, 250.
Liberi arbitrij & gratiæ doctrina catholica, contra Lutheranos, 50.c.1.197.c.1.334.c.1.235.c.1.& 2.
Liberi arbitrij essentia in quo consistat, 81.c.2.
Liberi arbitrij defensores Pelagiani, & destructores Manichæi refelluntur, 214.c.1.

Limbus.

Limbus locus est, vbi detinebantur animæ iustorum defunctorum ante Christi aduentum, 37.c.2.
Limbum expoliauit Christus, quando in cœlum ascendit, 311.c.1.

Lingua.

Lingua, à quibus abstinere debet, 554.c.1.
Lingua & verbo diligere, non idem significant, 585.c.1.
Linguam domari non posse, vel posse, quonã modo intelligatur, 534.c.1.

Lis.

Lites vituperantur, 156.c.1.
Lites etsi aliquando sint licitæ, vt plurimum tamẽ minimè expediunt, 157.c.1.

Locus.

Locus B.Iob: Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, exponitur, 240.c.2.
Locus Psalmi: Delicta quis intelligit, discutitur, ib.
Locus Salomonis: Nemo scit vtrum odio, an amore dignus sit, discutitur, 140.c.1.

Lutherus & Lutherani.

Lutherus veluti semen serpentis contumeliosè de

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctissima Virgine loquitur, 277.c.1.& 2.
Lutherus fatetur se non libenter interpretari sententias Pauli asserentes viram æternam pro premio bonorum operum reddi, 288.c.1.
Lutherus fatetur se docere contra doctrinã ecclesiæ sanctæ,& sanctorum Patrum, 248.249.
Lutherus quàm ineptè ostendat se purum euangelium prædicare:locus consideratione dignissimus, ibid.253.c.1.
Lutherus si diligenter eius doctrina inspiciatur,potissimum satagit vt sibi tanquam Apostolo absque vlla alia probatione contra ecclesiam credatur, 248.249.c.1.
Lutherus damnans alios hæreticos illegitimè prædicantes,semetipsum egregiè damnat, 245.c.1.
Lutheti & sectatorum blasphemia in stigmata sanctissimi Patriarchæ Francisci, 289.c.1.& 2.
Lutherani dedignantur operati spe cœlestis præmij, 78.c.1.& 2.
Lutherani prętextu Christi,quem solum se venerari simulant,eius ministros spernunt, 135.c.1.
Lutherani immeritò accusant & calũniosè Catholicos circa iustificationis doctrinam, 78.c.1.
Lutherani faciunt etiam nunc licitam circuncisionem,& alias legis cæremonias, 257.c.1.
Lutherani soluũt homines ab omni lege, 265.c.1.
Lutherani superbissime atque impudentissime æquales se faciunt B.Paulo in potestate prædicãdi, 247.252.c.2.
Lutheranorum doctrina cum catholica cõfertur, 249.250.
Lutheranorum doctrina fallax de iustificatione detegitur contra spiritum ecclesiæ, & sententias sanctorum Patrum,& præsertim B. Augustini, 45.c.1.& 2.257.c.1.& 2.
Lutheranorum hæresis,qui docent peccatum originale in renatis non esse sublatum,59.c.1.& 2. 264.321.c.2.
Lutheranorum doctrina de libero arbitrio erroribus referta, 50.250.c.1.334.c.2.
Lutheranorum magna impudentia negantium se prædicare vt hominibus placeant, cum re vera nihil aliud agant, 213.c.1.249.250.c.1.
Lutheranorum spes & fiducia de salute, quàm vana, 78.79.335.472.473.
Lutheranorum hæresis circa sacerdotium,550.c.1.& 2.
Lutheranorum error circa traditiones ecclesiæ, 252.c.1.
Lutheranorum error perniciosissimus prædicatores instituentium illegitimè,& eos ad prædicãdum mittentium. 100 c.1.245.c.1.
Lutheranorum mulieres sacrilegæ admonentur, 168.c.1.

Lux & lumen.

Lux summa est ipse Deus, 575.c.2.
Lux dicitur tempus gratiæ, postquã iam Christus saluator venit, 117.c.1.
Lux frequẽter vocatur apud scripturas id quod est verè lucidum, 575.c.2.
Lucis arma quænam sint, 117.c.2.
Lumen naturale à lumine fidei præsupponitur, 355.356.c.1.

M.

Magistratus.

Magistratus sæcularis non habet ius mittendi prædicatores ad prædicandum verbum Christi,in Lutheranos, 100.c.1.245.c.1.
Magistratus sæcularis per euangelium non impeditur ne possit exercere gladium in delinquẽtes, 111.112.c.1.

Magnanimus.

Magnanimus quis verè sit, 20.c.1.
Magnanimus sine Dei gratia nullus est verè,sed inflatus potius & tumidus, ibid.
Magnanimus in lege Christi hoc habet, vt bene precetur inimicis & persequutoribus, 110.c.1.

Maledictum & malum.

Maledictum legis antiquæ,& maledictum euangelij,qua ratione differunt, 269.
Maledictum peccati Adæ & maledictum legis, 270.c.1.
Malum non semper accipitur pro peccato,sed pro incommodo & minus honesto, 159.c.2.
Malum de proximo cogitare an liceat, & quãdo, 190.c.2.
Mala ex mundo tria præcipua, 580.
Mala non esse facienda vt eueniãt bona, 31.32.c.1.

Mandatum.

Mandatũ nouum,& mandatum vetus, quomodo intelligantur, 578.579.c.1.
Mandatum dilectionis nedum per Christi legem destruitur,sed perfectius ex omni parte roboratur ac stabilitur, 40.41.
Mandatum illud,Non concupisces, in hac vita impleri potest cum Dei gratia, 116.c.2.
Mandata Christi in nouo testamento perfectiora omnino legis Mosaicæ mandatis, 40.41.c.1.
Mandata Dei esse impossibilia, asserunt hæretici, 25.40.41.46.72.97.c.2.133.c.1.310.c.1.
Mandata tradere & exigere impossibilia, iniustitia est,nec bonitati Dei conueniens, 32.41.c.1.
Mandata Dei per Christi gratiam sunt possibilia, 32.40.41.72.97.c.2.133.c.1.310.c.1.329.c.1.331. 348.c.1.496.c.1.544.c.1.

Maria Dei mater.

Maria est semen Dauid,de quo natus est Christus, 7.c.1.
Maria mundi appellatione non comprehenditur, 51.c.1.
Maria in originali peccato minime cõcepta ex priuilegio speciali creditur ab ecclesia Rom.& ab omnibus aliis ecclesiis, cuius etiã celebratur cõceptio, 51.c.1.55.c.1.& 2.357.c.1.
Maria quomodo ab originali peccato liberata, 128.c.1.
Maria cur non fuerit à morte corporis præseruata, ibid.
Maria singularis Christianorum aduocata, 76.c.1.
Maria fuit figurata in Sara tanquam mater omnium credentium in Christum, 85.c.1.279.
Maria miro modo cooperata est Christo Redemptori ad salutem mundi, 237.c.1.500.501.c.1.
Maria per excellentiam,Mulier vocatur, 277.
Maria singulariter Domina dicitur, 455.c.1.
Mariæ sanctitas qualis, 289.
Mariam afficere contumelia non perhorruit primogenitus Diaboli Lutherus, 277.c.1.& 2.

Martyr.

Martyrum verorum & hæreticorum differentia, 351.c.2.372.c.1.

Matrimonium.

Matrimonium esse vnum ex septem sacramentis ecclesiæ defenditur, 322.c.1.
Matrimonium legitimè contrahitur,si mas & fœmina mutuò consentiant, 169.c.1.
Matrimonium damnare est hæreticorum propriũ 412.c.1.426.c.2.
Matrimonium quomodo præceptum à Deo, 159. 160.c.1.
Matrimoniũ cur vtilius cœlibatu ab initio,159.c.2.
Matrimonium inter fratres esse omnino turpe, etiam Philosophus ipse cognouit, ibid.
Matrimonium in statu gratiæ,quomodo bonum, ibid.
Matrimonium contrahere non possunt qui castitatem vouerunt, in Lutheranos, 160.161.
Matrimonium contrahere tenentur laici qui continere vel nolunt,vel non possunt, 161.c.2.
Matrimonium Christianorum nullo modo admittit pluralitatem vxorum, ibid.
Matrimonium dicitur quædã seruitus,162.163.c.1.
Matrimonium inter fideles contractum non soluitur,si postea alter coniugum labatur in infidelitatem, 166.c.2.
Matrimonium inter fidelem & infidelem contractum non valet,& eius diuortium permittit Apostolus, 162.163.c.1.166.c.2.169.c.1.
Matrimonium contrahere cum hæretico, licet ratum sit,est tamen peccatum, 166.c.2.
Matrimonium cõtrahere inter dispares cultu prohibitum est & iure naturali & diuino,168.169. 223.
Matrimonij duo sunt fines post Adæ peccatum, 160.c.1.& 2.
Mattimonij regula à Christo data,de matrimoniis fidelium intelligitur, 163.c.1.
Matrimonij vinculis ligati qua ratione liberti Christi ab Apostolo dicantur, 162.c.1.
Matrimonij debitum an possit ab altero coniugũ citra peccatum recusari, 161.c.2.
Matrimonij diuortium facere, an aliqua de causa liceat,examinatur, 163.c.1.& 2.
Matrimonij incommoda, 159.167.168.c.1.
Matrimonia quæ nunc essent illicita, cur à principio mundi tolerabantur, 160.c.1.
Matrimonia infidelium sunt immunda, nec habẽt Deum assistentem, 165.c.1.& 2.
Matrimonia infidelium qũo valida, 165.166.c.1.
Matrimonia clãdestina rectè & magna ratione ab Ecclesia irritarentur, 169.c.1.

Melchisedec.

Melchisedec fuit verus homo,licet ob mysterium dicatur sine patre & sine matre,&c. 491.c.2.

Mendacium.

Mendacium officiosum sitne quandoque licitum, 32.c.1.& 2.
Mendacium per errorem prolatum, non est propriè mendacium, 249.c.1.& 2.
Mendacium officiosum quandoque à Deo præmiatur,quatenus officiosum, 32.c.1.
Mendacium est homo,vt homo est,31.c.1. 249.

Mens.

Mens dicitur homo interior,59.c.1.67.c.2.69.c.1.

Merces & mercenarius.

Merces in cœlo constituta est operibus bonis in hæreticos, 146.c.2.174.323.c.2.506.c.2.
Merces quo pacto verè dicatur reddi vnicuique secundum suum laborem, 146.c.2.
Mercedem in cœlo non habent,nisi qui sponte & voluntarij operantur, non autem qui inuiti & solummodo ad euitandam pœnam, 173.c.2.
Mercedem vberiorem habebunt, qui ea amplius operantur,ad quæ minime obligabãtur,173.c.2.
Mercedem promittens,opus prius exigit, 193.c.1.& 2.
Mercenarij boni,spe præmij cœlestis operantur, 341.c.1.347.c.1.& 2.
Mercenarij mali notantur, 173.c.2.339.c.1.

Meritum.

Meritum bonorum operum est vita æterna,22.23. c.1.& 2.26.c.1.218.c.2.
Meritum nostrum quodcunque apud Deum,præsupponit gratiam eius ac liberalitatem, 23.c.1. 329.c.1.331.c.1.335.c.1.
Meritum Christi cum delicto Adæ confertur, 54. c.2.
Meritum Christi pro omnibus hominibus compatatum, 55.c.1.&2.90.c.2.351.352.
Merita nostra vel demerita in donis Dei gratiosis non expenduntur, 91.c.1.
Merita Christi nobis applicata faciunt nos mereri etiam de condigno, 125.c.1.& 2.
Merita Christi operantur vt Sanctorũ merita pro aliis prosint, 135.136.c.1.237.c.2.352.c.1.& 2.
Merita bonorum operum ad retributionem vitæ æternæ ab Apostolo asseruntur, 146.c.1.& 2.
Merita Christi vt homini prosint, necesse est vt illi applicentur, 237.c.2.352.
Merita Christi non nisi credentibus applicantur, 36.37.352.c.1.& 2.
Merita Sanctorum,merita Christi iure optimo dici possunt, 353.c.1.& 2.
Merita iustorum in gloriam & laudem Dei cedũt, 329.c.1.335.c.2.
Merita æstimare solius Dei est, 481.c.1.

Minister.

Minister Christi verus per omnia debet quærere illius gloriam, 149.c.1.& 2.
Minister baptismi idoneus est quilibet, 136.c.1.
Ministri Christi non sunt spernẽdi prætextu Christi,contra Lutheranos, 135.c.1.205.c.1.
Ministri Christi quid de se sentire debent, 150.c.1. & 2.
Ministri verbi Dei & sacramentorum honorificè ab omnibus tractandi sunt, 337.c.1.
Ministrorum verbi & sacramentorum ecclesiasticorum auaritia notatur, 346.c.1.& 2.
MinistrisDei oblata,Deo oblata dicũtur, 346.c.1. &2.

Miracula.

Miraculum summum,cõuersio peccatoris, 251.c.1.
Miraculorum testimoniis probare debent suas reuelationes, qui asserunt se illas à Deo habere, 250.c.2.
Miracula nulla faciunt noui hæresiarchæ, 387.c.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Miracula Antichristi qualia, 385.386.c.1.

Misericordia.

Misericordia Dei magna, qualis, 545.c.1.
Misericordia Dei semper superat iudicium illius, & iram atque vindictam, 94.95.c.1.
Misericordiæ Dei super se certi sunt, qui à mundo Christum sequentes se auellunt, 288.c.2.
Misericordiæ abũdantia vult potius laudari Deus, quàm exercitio iustitiæ, 86.c.2.87.c.1.
Misericordiam præcedit dilectio. 94.95.c.1.

Missio.

Missio legitima ad prædicandũ à Deo est, 100.c.1.
Missio cuiusquam ad prædicandum legitimè non potest à sæculari magistratu proficisci, 100.c.1. 245.c.1.
Missio quæ à Deo est, vel est immediatè, vel mediatè per homines, 5.126.243.

Monachus.

Monachorum status & vita instituta fuit ab ipso Christo non ab hominibus, 161.
Monachorum status, est status perfectionis Christianæ, 161.226.c.2.370.c.2.
Monachorum regulas impiè damnant Lutherani, 252.c.1.
Monachorum regulæ à Papa probantur, vel improbantur, 263.c.1.
Monachorum vita in ecclesia primitiua floruit, 370.c.2.
Monachorum quænam mendicitas defendi debeat, 389.c.1.420.

Mors.

Mors animæ & corporis propter peccatum originale introducta, 50.51.54.55.c.1.
Mors animæ fuit priuatio datæ gratiæ, & iustitiæ originalis, 50.51.c.1.
Mors secunda quæ est æterni ignis, nõ datur in pœnam peccati originalis, 53.54.55.c.1.87.c.1.& 2.
Mors secunda est eorum pœna peccatorum, quæ propria voluntate committuntur, 60.c.2.64. 69.c.2.
Mors quomodo intrat per sensus corporis, 68.c.2.
Mors corporis quo pacto rectè somno comparatur, 116.c.2.375.
Mors est vox æquiuoca in scripturis, 206.
Mors qua ratione per Christi mortem destruetur, 199.c.1.&.2.
Mortis regnum, quale, 54.c.2.
Mortis regnum vsque ad extremum iudicium duraturum, 54.55.c.1.204.c.1.& 2.
Mortis timore multa faciunt homines, 83.c.1.
Mortis amicorum causa lugere licet, 375.
Mortem corporis nemo omnino euadet, 198.c.2. 203.375.c.2.
Mortem obeuntes in Christo, etiam in Adam quo ad corpus aliquo modo moriuntur, 198.c.1.
Mortem non timet, qui Dei legem & præcepta obseruat, 204.469.c.1.& 2.

Moses.

Moses cur exauditus est rogans pro populo, & B. Paulus minime, 84.c.1.
Moses quo pacto viderit Deum facie ad faciem, 191.c.2.
Moses auctor legis quam promulgauit, 273.c.1.
Moses fuit mediator veteris testamenti, 275.c.1.
Mosi non obediunt Iudæi, si Christi fidem non recipiunt: quia de illo testificatur, 96.c.2.

Mulier.

Mulier absolutè per antonomasiam dicitur Beatissima Virgo Maria, 277.c.1.
Mulierem, & non virum, fuisse seductam, quomodo intelligitur, 406.
Mulieres Deo vacantes in statu virginitatis aut castitatis, possunt quãdoque ex dispensatione docere in Ecclesia, 195.c.1.405.c.1.
Mulieres quatenus debeãt subdi suis maritis, 320. c.1.& 2.
Mulierum ornatus modestus esse debet, 403.c.2.
Mulierum abusus in vestimentis detestãdus, 404. 412.c.1.525.526.c.1.
Mulierũ nimius & superfluus ornatus, an sit mortale peccatum, 405.c.1.
Mulieribus coniugatis non licet docere in Ecclesia, 195.c.1.&2.405.c.1.

Mundus.

Mundus quomodo saluari poterat ante legem, 54. c.1.
Mũdus per mortẽ Christi diues factus est, 104.c.1.
Mundus per Christum reconciliatus est cum Deo Patre ab ira antiqua, 104.c.1.& 2.
Mundus ante Christi aduentum erat veluti puer sub pædagogo, 276.c.2.
Mundus habet suas ætates ad similitudinem hominis Christi, 277.c.1.307.
Mundus vnus tantum, 300.c.2.
Mundus plerunque in scripturis in malam partem accipitur, & quos significet, 300.c.2.
Mundi totius Saluator Christus, non vnius partis mundi tantum, 88.c.1.
Mundi gloriam quærentes, amittunt cœlestẽ, 148. 149.c.1.
Mundi gloria quàm vana & caduca, 148.149.c.1.
Mundi conflagratio vniuersalis erit ante diem iudicij extremi, 203.c.2.
Mundi elementa dupliciter intelligũtur, 276.277. c.1.
Mundi ætas matura, dicitur plenitudo temporis, 276.c.1.& 2.
Mundo exiisse debent Christiani, 153.c.2.
Mundo frui, & in cœlis regnare, impossibile, 109. c 2.

Mysterium.

Mysterium summũ dicitur incarnatio Verbi Dei, 131.142.c.1.296.c.2.305.c.2.
Mysterium incarnationis Filij Dei lumine naturali non potest apprehendi, 141.142.c.1.& 2.
Mysterium incarnationis notum fuit Angelis ab initio ante casum malorũ, 130.131.307.334.c.1. 425.c.2.436.
Mysterium incarnationis Verbi Dei est, in quo relucet integra ac perfecta Dei sapiẽtia, 142.c.1.
Mysterium Christi reuelatum Adæ ante peccatũ, 165.c.1.
Mysterium Christi totum patefactum est in eius morte & resurrectione, 196.c.2.
Mysteriũ incarnationis Verbi Dei quibus fuit insinuatum, 305.
Mysterium incarnationis quo pacto Angelis innotuit, 207.c.1.306.c.2.

Myste-

Mysterium incarnationis Verbi Dei quo pacto in matrimonio primorum parentũ præfiguratum fuit, 222.c.1.2.
Mysterium fidei intelligitur calix sanguinis Christi, 409.c.1.
Mysteria cœlestia verbis humanis non possunt idoneè exprimi, 235.c.1.2.

N.

Natura.

Natura dupliciter distingui solet, in integram, & corruptam, 35.c.2.
Natura rectè & integrè cõstabat per donum iustitiæ originalis, 52.c.1.69.c.1.
Natura fuit corrupta in Adam, 51.c.2.
Natura quæ nobis insunt, non dicũtur dona in scripturis, 40.c.1.2.
Naturæ humanæ non debebatur altissimus finis, id est, cœlestis beatitudo, 77.78.c.1.
Naturæ lapsæ status describitur, 33.34.c.1 69.c.2.
Naturam humanã statuere, & gratiam Christi destruere, est Pelagianum, 26.c.1.
Naturas rerum violare non est Dei, 182.c.1.

Negare.

Negare seipsum Deus cur non potest, 417.c.2.
Negare Christum, est negare totam fidem, 581. c.2.
Negare Deum censentur non solùm qui dictis negant, sed qui factis turpiter viuunt, 33.c.1.431. c.1.

Nox.

Nox dicitur tempus ante Christi aduentum, 117. c.1.
Noctis tempore multa fiunt licitè, quæ clara die fieri decenter nequeunt, 117.c.2.

Nuptiæ.

Nuptiæ vnde dictæ, 180.c.1.2.
Nuptiæ vt sanctæ & legitimę defenduntur, contra Tacianum veterem hæreticum, 287.c.2.
Nuptias probat & honorat Ecclesia, 123.c.1.
Nuptias apostatarum monachorũ, & aliorum qui castitatem vouerunt, improbat & detestatur Ecclesia, ibid.
Nuptias quo sensu videtur damnasse B. Hieronymus, in quosdã imperitos perperam intelligentes, 159.c.1.2.

O.

Obedire.

Obedire suis Prælatis tenentur prorsus omnes Christiani, 250.c.2.
Obedire parentibus quo pacto tenentur filij, 323.c.1.
Obedire Dominis quomodo debent serui, 323.c.2.

Oblatio.

Oblationes quæ ministris Dei porriguntur, Deo offerri censentur, 346.

Odium.

Odij appellatione quandoque remissior dilectio significatur, 90.c.1.91.c.1.2.
Odio vitiorum multi se in zelum rapi putant, cum reuera hominem ipsum oderint, 534.c.1.

Omnes.

Omnes homines ob primum peccatum rei coram Deo, 54.c.2.301.
Omnes in Adam peccauerunt, 37.c.1.52.53.301.
Omnes natura propter antiquum peccatum læsi sumus, & facti peccatores, 49.c.2.
Omnes homines cur astrinxit Deus ad præceptũ charitatis obseruandum, 89.c.1.
Omnes homines esse à Deo ordinatos ad salutem & posse saluari, clarè & potenter ostenditur vel ex vnico loco illo B. Pauli: Deus vult omnes homines saluos fieri, &c. in fine & in sequẽtib. 293. 294.c.1.400.401.
Omnes homines omnino morientur morte corporis, 198.c.2.203.c.2.501.c.1.
Omnes homines per Christum resurgẽt, etiam infideles, 198.c.2.203.c.1.204.c.1.
Omnium hominũ Mediator missus à Patre Christus, 74.c.1.87.c.2.88.c.1.90.c.1.294.c.1.
Omnibus hominibus prorsus offertur Mediator Christus, & eius merita idoneè ad salutem, 36. 37.c.1.55.87.88 90.c.1.354.
Omnibus Christianis proponuntur indifferenter pastores ad salutem, 89.c.1.arg.20.
Omnibus possibilitatem salutis non concedere ex parte Dei, inducit multa ac magna absurda, 89. 90.354.

Opera.

Opera bona quibus rationibus vitam mereantur æternam ostenditur, 23.c.2.& sequent.218. 287.c.1.
Opera bona qua ratione sint vtilia Deo, 23.24.c.1.
Opera hominis adhuc impij & iniusti nullo modo merentur primam iustificationem, 33.38. 266.335.c.2.
Opera hominis iam iustificati perficiunt iustificationem ad coronam & meritum vitæ æternæ, 35.38.45.46.97.174.302.442.443.
Opera legis fidei, quo hinc fiant à iustis, 38.c.2.96. 174.c.2.441.c.1.
Opera bona implent fidem, & quomodo, 47.c.2.
Opera bona qua ratione nostra dicuntur, 50.c.1. 235.c.1.2.335.c.1.
Opera bona spem viuam pariunt, 48.49.c.1.2.
Opera præuisa dicere causam esse prædestinationis, est hæresis pelagiana, 81.c.1.2.
Opera quæ ab Apostolo dãnantur, quænam sunt, 95.c.2.
Opera & bona & mala quandoque appellatione oris significantur, 98.c.2.
Opera tenebrarum notantur, 117.c.2.
Opera supererogationis ampliorem mercedem in cœlo habebunt, 173.c.2.
Opera mortua quænam sint, 483.c.2.
Opera facta solo timore seruili nullã in cœlo mercedem habent, 173.c.2.
Opera nostra vt sint valida coram Deo, debent esse formata charitate, 190.c.1.2.
Opera bona in genere an fiant ex vera charitate plerunque nescimus, ibid.
Opera satisfactoria pro defunctis fidelibus commendantur, 200.c.1.
Opera hæreticorum in specie bona quidem apparere, at esse verè bona non possunt, 318.c.1.
Opera bona pariunt confidentiam in die iudicij, 325.c.1.
Opera verè bona nemo potest facere absque Dei auxilio speciali, 335.c.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Operum bonorum mercedem repositam in cœlo ab Apostolo manifestè asseritur, in Lutheranos, 146.173.204.c.1.229.c.1.323.324.c.1.
Operum bonorum fructus in hac vita est augmentum gratiæ, & in cœlo gloria, 348.c.1.
Operum meritis salutē nostram cōsequimur, contra hæreticos nouos, 335.c.2.381.c.1.
Operibus legis non iustificari quenquam, quomodo intelligatur, 38.c.2.
Operibus bonis possunt sibi facere certam ac firmam electionem suam qui non sunt electi summa prædestinatorum electione, 83.354.355.c.1.

Orare & Oratio.

Orare debemus spiritu & mente, 193.c.1.
Orare animo & corpore decenter composito debemus, in eos qui hac parte sunt negligentiores, 308.
Orare quàm sit necesse vt diaboli insidiis & tentationibus resistere possimus, 325.c.1.2.
Orare quàm sit necesse ad impetrandum & obtinendum Christi auxilium, 479.c.1.
Orare tenentur populi pro suis superioribus, 208.c.1.326.c.1.2.399.c.1.
Orare sicut oportet, cur nescire dicamur, 173.174.c.1.
Oratio quanto cum timore & humilitate fieri debet: & quàm pauci sint veri oratores, 326.c.1.
Oratio perfecta quibus circunstantiis fulciri debet, ibid.
Oratio requirit puritatem manuum, 403.c.1.2.
Oratio est pars præcipua gratiarum actionis, 10.c.2.325.326.c.1.
Orationis necessitas & fructus, 344.c.1.399.c.1.
Orationis assiduitas & locus conueniens qualis, 12.c.1.325.402.403.c.1.2.
Orationem debet præcedere præparatio animæ, 325.326.c.1.
Orationem nostram Deo offerimus velut fidei nostræ protestationem, 71.c.1.
Oratione nostra id petere debemus, quod sit secundum voluntatem Dei, 79.c.1.2.
Orationes publicæ & communes pro causis communibus & grauibus requiruntur, 207.208.399.c.1.
Orationes & petitiones cum magna fide, & sine hæsitatione esse debent, 524.c.1.2.
Orationes ecclesiæ cur quibusdam non prosunt, 400.c.1.

Ordo.

Ordo diuinæ prouidentiæ pro hominum reparatione, 268.269.c.1.
Ordo Episcoporum, 326.c.2.
Ordo diaconatus, ibid.
Ordo non semper indicat dignitatē, 243.259.c.1.
Ordine seruato facienda sunt omnia in Ecclesia, 115.126.185.
Ordinationes clericorum quanta circunspectione fieri debent, 366.c.1.

Otium.

Otium quàm fugiendum, 390.c.1.
Otio quidam malunt quàm honestis exercitiis vacare, ibid.
Otio aliorum perspecto plerūque remissiores fiūt bene operantes, 390.c.1.
Otio vacare nō dicitur, qui exercitiis spiritualibus deditus est, licet manibus non laboret, 389.c.1.

P.

Pactum.

PActum inter Deum & Adam quodnam interuenerit statim ab initio, 52.53.c.1.
Pactum inter Deum & hominem lapsum nullum est, antequam ingrediatur homo per fidem in Christo ad militandum, 92.c.2.
Pactum & signum pacti dicitur circuncisio, 272.c.1.2.
Pactum dicitur Christus, ibid.

Panis.

Panis spiritualis est corpus Christi in Eucharistia, 177.c.1.
Panis spiritualis quid in nobis operetur, ibid.
Panis erat iam consecratus quum dixit Christus: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, &c. 183.c.2.
Panes propositionis cur sanctificabantur, 170.c.1.

Papa, Vide pontificem Rom.

Parabola.

Parabola Samaritani qui curauit semiuiuum relictum à latronibus, exponitur, 36.c.2.
Parabola de eo qui est proximus noster, 40.c.2.
Parabola talentorum exponitur, 91.c.1.2.
Parabola zizaniorum summatim exponitur, contra prauum hæreticorum sensum, 111.c.2.
Parabola vineæ, 146.c.2.

Paradisus.

Paradisi cœlestis incolæ vna lingua loquentur, 191.c.1.

Pascha.

Pascha Christianorum Christus crucifixus, 153.c.1.
Pascha Christianorum iugiter immolatur, ibid.
Pascha non habent recentiores hæretici, ibid.
Pascha Iudæorum cessauit, ibid.

Pastor.

Pastor ecclesiasticus in peccato mortali existēs an sit pastor, & an sit capax donorum spiritualiū, 187.188.c.1.
Pastor fidē amittēs desinit esse pastor, 187.188.c.1.
Pastor quodnam proprium & debitum officium exercere teneatur, 108.c.2.
Pastores proponūtur omnibus indifferēter, 89.c.1.
Pastores veri esse possunt, qui non sunt de numero prædestinatorum, in hæreticos, 89.c.1.
Pastores debent docere oues sibi cōmissas, 513.c.1.
Pastores licitè accipiunt ab ouibus subsidia ad vitę sustentationem, 172.173.287.c.1.
Pastores non debēt quærere quæ sua sunt, 336.c.2.
Pastores summopere vitare debent omnem auaritiæ suspicionem, præsertim in ministrandis sacramentis, 236.c.2.
Pastores seuerissimè coget Deus ad reddendam rationem ouium perditarum, 89.c.1.121.c.1.
Pastores boni maxima donabuntur gloria & præmio in cœlo, 336.c.1.

Pater.

Patres de educatione liberorum admonentur, 323.c.1.
Patres probi merentur à Deo dona pro filiis, 331.c.1.2.

Patientia.

Patientia Dei multi abutuntur in suamipsorū perniciem sempiternam, 520.521.c.1.

Patientia magnum est signum, quo ostēditur quis sit verè seruus Dei, 236.c.1.

Paulus Apostolus.

Paulus erat ciuis Romanus, 1.c.2.
Paulus quando, & quare nomen mutauit, 2.c.1.2.
Paulus eximiæ ac mirificæ cōuersionis exemplar, 2.c.2.251.c.1.
Paulus fuit typus eorum qui syncerè ad Deū conuertuntur, 2.c.2.
Paulus qua ratione seruus Christi dicatur, 3.c.2.
Paulus apostolatum excellentem ac dignitate quadam præcipuum habuit, 5.c.1.243.c.1.305.c.2.
Paulus segregatus in euāgeliū, quibus modis, 5.c.1.
Paulus fuit peculiaris Gentium prædicator, 9.252.c.1.256.c.1.2.
Paulus cur Deum vocat Deum suum, 10.c.2.
Paulus quo spiritu præditus, 11.c.1.2.
Paulus accensus desiderio communicādi dona spiritualia fratribus, 12.c.1.2.
Paulus iniquè calumniam patiebatur, 31.32.& seq.
Paulus talis erat, & eius prædicatio tam efficax, vt ei credere tenerentur quibus pdicabat, 38.39.c.1.
Paulus quanta charitate plenus ostenditur, 84.c.1.174.c.1.
Paulus non optabat separari à gratia Christi per peccatum, sed à gloria & commodo proprio, ob aliorum salutem, 84.c.1.
Paulus cur nō exauditus est à Deo pro Iudęis, cùm Moses ipse fuerit exauditus, 84.c.1.
Paulus vnus erat ex numero prædestinatorum, 176.177.305.c.2.
Paulus quo pacto nolebat scire nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, 14.c.1.
Paulus fuit eloquens eloquentia Spiritus sancti, 144.c.2.232.c.1.
Paulus dicitur pater eorum Christianorum, quos ad fidem Christi conuertit, 151.152.c.1.
Paulus zelo animarum flagrans ostenditur, 174.c.1.179.c.1.231.232.c.1.233.c.1.2.
Paulus fuit peritus linguæ gręcæ, contra Erasmi calumniam, 193.c.1.2.
Paulus solicitudinem magnam pro necessitatibus pauperum Christianorum suscipiebat, 204.c.1.
Paulus humilitate conspicuus commendatur, 205.c.1.306.c.1.2.
Paulus duplici charactere, scilicet baptismi & sacerdotij fuit à Deo signatus, 110.c.1.2.
Paulus quo pacto syncerè fungebatur munere suo in euangelio prædicando, 215.216.c.1.
Paulus non solùm verbo, sed & exemplo prædicabat, 221.222.c.2.
Paulus non placebat hominibus, nisi quatenus ad eorum salutem erat vtile, 248.249.c.1.
Paulus an verè & non simulatè reprehenderit Petrum & de obseruatione legaliū, 258.c.1.& seq.
Paulus fuit pater & mater eorum quos ipse genuit in Christo, 279.
Paulus quo pacto intelligatur fuisse sine querela in Iudaismo, 338.c.1.
Pauli ordo in docendo commendatur, 107.c.1.
Paulo quantum debeant gentiles, 127.c.1.
Paulo fuerit ne vxor aliquando, 128.c.2.162.163.172.c.1.2.342.343.

Pax.

Pax Christianorum duplex, 8.c.2.48.c.2.
Pax Dei oritur iis qui à mundo Dei amore, Christum sequentes, se liberant, 288.c.2.
Pax Dei ex bonis operibus venit, 245.
Pax quàm necessaria sit Christiano, 242.c.1.2.
Pax Christiana in quo consistit, 242.c.1.2.
Pax mundi falsa, ibid.288.c.2.
Pax sequitur charitatem, 544.c.2.
Pax quatenus possit haberi cū malis hominibus, 110.c.1.
Pax cum hæreticis nullo modo habenda, ibid.
Pacis Dei effectus, pacata consciētia, 344.362.c.2.
Pacis recta via est Christus, 34.c.1.
Pacis amator Spiritus sanctus, 242.c.1.2.

Peccare & Peccatum.

Peccare, peccatum habere, & reum esse peccati, quid differant, 59.c.1.
Peccare non coguntur, qui sunt sub gratia, 56.c.2.67.68.c.1.284.c.1.2.
Peccatum originale fuisse vnum, & dignum venia in posteris, nec esse causam reprobationis à regno Dei: & quam pœnam meruerit, ostenditur multis & efficacissimis argumentis, quæ ponderari omnino debent, 86.& seq. per totum, & item 94.292.350.c.2.
Peccatum originale quid propriè, 50.52.c.2.
Peccatum originale quomodo intrauit in mundum, 51.52.c.1.
Peccatum originale simpliciter vocatur peccatum in scripturis, & quare. 43.44.c.1.
Peccatum originale Ecclesia sancta fatetur propagatione à parentibus in filios transfundi, & negat imitatione contrahi: contra Pelagianos, 52.c.2.53.c.1.
Peccatū originale quo pacto per legem cognoscatur, & quo imputabatur, 35.46.47.53.63.64.c.1.
Peccatum originale nobis non imputatur, cùm ingredimur in Christum, 43.44.c.1.
Peccatum originale non erat necessarium, nec vllo modo (sicut nec vllum aliud peccatum) fuit à Deo intentum, 56.c.1.2.
Peccatum iustè fuit damnatum in carne Christi, 72.c.1.2.
Peccatū dicitur factus Christus figuratè, 221.c.1.2.
Peccatum in carne, quomodo appelletur, 153.c.1.
Peccatum sæuiendo per homines in Christū, quomodo ius suum perdidit, 72.c.1.2.
Peccatum aliquando permittit Deus in pœnā peccari, 18.20.93.176.c.2.
Peccatum quibus verè & magis imputabile, 15.c.2.23.63.116.117.317.
Peccatum ad mortem quid, 593.c.1.
Peccatum quomodo prædestinatis cooperetur in bonum, 80.c.1.2.
Peccatum detractionis est directò contra charitatem, 284.c.1.
Peccatum nulla lege vetitum non debet imputari, 46.47.c.1.53.203.204.c.1.
Peccatum sine lege mortuū, quomodo per legem reuixerit, 63.64.c.1.
Peccatum non regnare in nostro mortali corpore, quomodo intelligatur, 59.c.1.68.c.1.
Peccatum simul cum Dei gratia constare non potest: contra Lutheranos, 58.59.66.70.74.c.1.
Peccatum esse omne quod non fit ex fide, ostenditur, 123.c.1.2.269.c.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccatum non vult Deus vt peccatũ est, 55.c.2.525.
Peccatum vitare iam sua culpa non possunt multi mali Christiani, 284.285.c.1.
Peccato subesse, quid sit, 32.56.c.2.64.65.
Peccatorũ præteritorũ aliquando meminit Deus, si homo in eadem relabatur, 101.c.1.
Peccatorum remissio per Prælatos in Ecclesia duplex, 212.c.1.
Peccatorum vitandorum præsentaneum remediũ, 578.c.1.
Peccatorum varia perpetratio, varium quoq; correctionis genus requirit, 286.c.1.
Peccatorum alienorum reatum & pœnas debent in se assumere viri spirituales, ibid.
Peccata venialia charitatis operibus assiduè tegun tur, 43.44.c.1.
Peccata post primam iustificationem commissa, quomodo dimittantur, 36.43.44.c.1.
Peccata iustorum in hac vita purgantur, ad vitandum futurum iudicium, 559.c.1.
Peccata publica publicè arguenda, 257.c.2.
Peccata occulta occultè sunt corripiẽda, 284.284.
Peccata leuia ex quibus Deus indignatur ex parte, 67.c.1.

Pelagianus.

Pelagius suscitauit errorem Iudæorum de iustifica tione, 96.c.2.
Pelagianus negat peccatum originale, 52.c.2.
Pelagianus est qui asserit gratiam non esse necessa riam ad bene agendum, 27.c.1.
Pelagiani ab Ecclesia damnati, 52.c.1.
Pelagiani gratiam vocabãt id quod naturaliter no bis inest, 50.c.1.
Pelagianorum argumenta contra peccatum origi nale refelluntur, 51.52.53.c.2.
Pelagianorum hæresis asserit operum bonorum præscientiã esse causam prædestinationis, 80.c.1.

Perfectio.

Perfectio hominis duplex, 339.c.2.
Perfectio absoluta cui nihil addi possit, non conceditur vlli in hac vita, 341.c.1.2.
Perfectio hominis multiplex, 341.c.2.353.482.c.1.
Perfectio Christianæ vitæ quibus partibus absoluitur, 347.c.2.
Perfectionem consequutus in Christo quis dicatur, 354.c.1.

Perseuerantia.

Perseuerantiæ donum est duplex, 88.c.2.
Perseuerantiæ donum nemini negat Deus, ibid.

Petrus Apostolus.

Petrus caput & fundamentum ecclesiæ, 543.
Petrus cur & quando nomen mutauit, 2.c.2.
Petrus quõ est typus hominis iustificati, 14.c.2.
Petrus fuit verè Christi Vicarius, princeps Apostolorum, & caput totius ecclesiæ ac pastor, 112.c.2.252.c.2.253.c.2.
Petrus quo pacto erat reprehensibilis, 256.c.2.
Petrus non potuit amittere fidem, postquam fuit pontifex, 260.c.2.
Petrus non potuit errare in fide, ibid.
Petrus quo pacto præbuit occasionem erroris infirmis in fide, 261.c.1.
Petrus nedũ non peccauit sua illa incircunspectione, verùm etiam meruit, 261.c.2.
Petrus non simulauit obseruantiam legalium vt Pastor vniuersalis intendens docere & obligare fideles ad obseruantiam illam, 262.c.1.2.
Petrus multipliciter consideratur, 262.& seq.
Petri primatus ostenditur & defenditur contra hęreticos, 252.255.& seq. per totum.
Petri primatus fuit semper præsuppositus in Ecclesia, veluti principium ab omnibus concessum, 260.c.2.
Petri priuilegia explicãtur per conclusiones, ibid.
Petri error non fuit fidei, sed cuiusdam incircunspectionis, 261.c.2.
Petri sedis propria quæ sunt, 263.c.1.
Petro moriente, non interiit Dei prouidentia in Ecclesia, sed potestas eius in successores transiuit, 114.c.2.
Petro quomodo se comparat Paulus, 260.c.1.

Pharao.

Pharao exemplum reprobatorum ex propria contumacia ac duritia, 93.c.2.
Pharao sua duritia promeruit etiam obdurari à domino, ibid.
Pharaonis obduratio à Deo quænam fuerit, ibid.

Philosophia & Philosophus.

Philosophia vera non aduersatur fidei, 351.
Philosophia vera ab Apostolo non damnatur, 351.352.c.1.
Philosophi, quo pacto poterant cognoscere Deũ, & salutem æternam consequi, 15.16.17.c.1.
Philosophi per elementa mundi instruebantur, & alios docebant, 138.c.1.351.352.c.1.
Philosophi mali damnantur ab Apostolo, 351.c.2.
Philosophorum error in cognitione sui, 17.c.1.2.
Philosophorum nullum consecutum esse salutem, durum nimis & acerbum videtur, 17.c.2.
Philosophorum sapientia non penetrauit viscera misericordiæ Dei erga nos, 138.139.c.1.
Philosophorum sapientia neminem adducebat ad perfectum, ibid.
Philosophorum fallacia vnde erat, 351.352.c.1.

Pœna.

Pœna peccati originalis non est in nobis mors secunda ignis æterni, 53.54.55.87.c.1.arg.389.c.2.arg.23.94.350.c.2.
Pœna peccati originalis in filiis Adæ, est tantummodo amissio & priuatio donorum, quæ per illum si stetisset, illis obueniebant, 52.c.2.
Pœna peccati non semper cum culpa remittitur, 45.c.2.246.c.1.
Pœna debet commensurari non secundum durationem actus delicti, sed cum persona offensi, & cum voluntate offendentis, 24.25.c.1.
Pœna longè leuiori puniuntur qui minorem habuerunt cognitionem, 16.17.c.1.
Pœnam ęternam rectè meretur quicunque peccat in Deum, 25.42.60.c.2.
Pœnæ à Prelatis Ecclesiæ inflictæ subditis, in quẽ finem infligantur, 152.c.2.
Pœnæ conuenientia cum ipso peccato, 19.c.1.2. 152.c.2.

Pœnitentia.

Pœnitentia tangitur aliquando Deus vel puniendi homines vel remunerandi pro varia eorum mutatione, 105.106.c.1.
Pœnitentia mutationem morum requirit per satisfactionem & opera afflictionis, 228.238.c.2.

Pœnitentiæ sacramento absoluuntur indistinctè quicunque confitentur peccata sua, & non ponunt obicem absolutioni, 89.c.1.2.
Pœnitentiæ sacramento dimittuntur peccata post primam iustificationem commissa, 44.c.1.2.
Pœnitentiæ publicæ cum magna vtilitate in Ecclesia primitiua institutæ fuerunt, 238.c.1.
Pœnitentiæ publicæ quãtum valerent ad detertendos homines à peccatis, 238.c.1.2.
Pœnitentiam agere parati benignè suscipiẽdi sunt & cõsolandi ne ruant in desperationem, 212.c.1.
Pœnitentiam veram ac synceram ad delenda peccata commissa pauci agunt, 284.285.c.1.
Pœnitẽtiam veram ac synceram agentes quidnam tandem acquirant, 284.285.c.1.

Pontifex Romanus.

Pontifex Rom. multipliciter considerari potest, 262.c.2.
Pontifex Romanus aliquando intelligitur nomine ecclesiæ, 261.c.2.
Pontifex Romanus habet ab ipso Christo clauem scientiæ ad ligandum & soluendum, 262.c.1.2.
Pontifex Rom. docẽs aliquid de cathedra ac mandans id esse credendum ex fide, non potest errare, 261.262.c.1.2.
Pontifex Romanus an possit aliquando dispensare in his quæ sunt diuini iuris, 408.
Pontifex Rom. an errare posset in fide citra fidei iacturam in aliis, 261.c.2.
Pontifex Romanus cur mox ad pontificatũ assumptus nomen mutet, 2.c.2.
Pontifex Romanus quo pacto debet esse & infirmus & potens erga gregem suum, 239.c.1.
Pontifex Romanus qui esset hæreticus, ipso iure non est Papa, 247.c.2.262.c.1.
Pontifex Romanus qui latẽter esset hæreticus, potest se gerere pro Papa donec hæresis manifestetur & deponatur, 262.c.1.
Põtifex Romanus an iure tenere possit terrenam potestatem, 112.c.2.113.c.1.155.c.1.
Pontifex Romanus per Dei prouidẽtiam accepit regnum temporale, 113.c.2.
Põtifex Romanus est rex loco Christi, & Vicarius eius in spiritualibus, 112.c.2.550.
Pontifex Romanus habet iurisdictionem ecclesiasticam super omnes Christianos, 112.c.2.
Pontificis Romani potestas à Spiritu & ore Christi est, 114.c.1.
Pontificis Romani voci & decretis obedire debẽt principes verè Christiani, 114.c.2.
Pontificis Romani primatus qua Dei prouidentia in ecclesia constitutus, 114.c.2.262.c.1.
Pontificis Romani conditiones, & propria priuilegia explicantur, 263.c.1.
Pontifici Romano quam ob causam assistant Cardinales, 260.c.1.
Põtifici Romano quando obsistere possunt & debent Cardinales, 260.c.1.2.
Pontifici Romano credita est dispensatio thesauri indulgentiarum, 353.c.1.2.
Pontifici Romano detrahunt, & eundẽ impiè blasphemant Lutherani & hæretici noui, 393.c.1.

Potestas.

Potestas prælatorum Ecclesiæ, qualis sit, 211.c.1. 231.c.1.241.c.2.
Potestas sacrificãdi corporis Christi data fuit Apostolis à Christo in vltima cœna, 184.c.1.
Potestas remittendi peccata post baptismũ commissa est in Ecclesię prælatis vice Christi, 211.c.1.
Potestas à Deo ordinata est non ad dominiũ, sed ad ministerium, 114.c.2.
Potestas in Prælatis ecclesię nõ negatur à Christo, sed abusus damnatur. 114.c.1.2.
Potestas secularis non debet causas spirituales sibi arrogare, 112.c.1.114.c.2.
Potestas secularis potest concurrere in eundẽ hominem cum ecclesiastica, 112.113.154.c.1.
Potestas terrena & potestas cœlestis, secularis & ecclesiastica, inuicem comparantur, 113.114.c.1.
Potestas secularis gladium in delinquẽtes exercẽs iure agit, nec id repugnat Euãgelio, in quosdam hæreticos, 111.c.1.
Potestas secularis & ecclesiastica quem finem quę que habeat, indicatur, 113.c.2.154.c.2.
Potestas secularis à iure naturali est, & consequenter à Deo, 114.c.2.
Potestas secularis potestati spirituali subseruire debet, 155.c.1.
Potestas secularis legitima potest esse in paganis, 114.c.1.
Potestati seculari qua parte subditus est homo, 111.112.c.1.114.c.1.
Potestati seculari nemo potest se subtrahere, sed executioni potestatis bene viuendo, 112.c.1.
Potestati seculari non subduntur Clerici, in hæreticos, 112.c.1.
Potestati non est resistendum, 113.c.2.
Potestate sua non debet quisquam cõtra iustitiam abuti, 174.c.1.

Prædestinatio.

Prædestinatio Christi qualis, 7.c.1.2.293.c.1.349.350.c.1.547.c.1.
Prædestinatio electorum in Christi prædestinatione fundatur, 81.c.2.293.c.1.
Prædestinatio quid efficiat in electis, 80.c.1.2.
Prædestinatio causam non habet præscientiam bonorum operũ: contra Pelagianos, 81.c.1.292.c.1.
Prædestinatio est causa salutis electorum, ibid.
Prædestinatio quo pacto differt à præscientia, 90.c.1.
Prædestinationis ratio & ordo, 81.c.1.
Prædestinati sunt præordinati ad conformitatem Christi primùm in via, tum in patria, 80.c.2.
Prædestinati sunt immobiliter ordinati ad regnũ æternum, 80.81.c.1.293.c.1.2.
Prædestinati dicuntur fratres Christi modo quodam excellenti, 80.c.2.81.c.1.
Prædestinati non possunt excidere à regno Dei, 81.82.c.1.2.240.c.1.428.c.1.
Prędestinati prosunt aliis non prędestinatis, 81.c.1.
Prædestinati nulli periculo succumbunt, 81.82.c.1.
Prædestinati in Christo tanquam in fundamento, sunt & ipsi aliorum fundamenta, 83.c.1.293.
Prædestinati in tunica Christi significantur, 83.c.2.
Prædestinati qui non sunt, etiam vocantur ad salutem, vt eam consequantur, 88.c.1.
Prædestinati pauci sunt, 293.c.2.
Prædestinati vocati sunt certa & efficaci vocatione, cui nihil obstare possit, 81.c.1.
Prædestinatorum gradum omnibus dare non erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

decens, 82.c.1.394.395.
Prædestinatorum numero non comprehensi, ex Dei præcepto etiam tenentur illum diligere vt datorem gratiæ & gloriæ, 89.c.1.
Prædestinatorũ numero nullus scire potest se esse comprehensum, 240.c.1.241.c.1.2.

Prædicator.

Prædicator dicens, & non faciens, grauiori pœna dignus censetur, 22.126.c.2.174.c.2.
Prædicator legitimus sperni à nemine potest, qui Christum ipsum non spernat, 100.c.1.
Prædicator sapiens quem ordinem exẽplo B.Pauli seruare debet, 107.c.1.194.c.2.
Prædicator vice Christi nemo potest à seipso constitui, contra hæreticos, 100.c.2.
Prædicator qui se iactat missum à Deo inuisibiliter, tenetur ostendere signum certum suæ missionis, contra recentiores hæreticos, 100.c.1.
Prædicator non potest mitti à sæcularibus Magistratibus, in Lutheranos, 100.c.1.245.c.1.
Prædicator Catholicus nõ debet loqui prohibente proprio prælato, 278.c.2.
Prædicator euangelicus debet esse constans & firmus in doctrina, 209.c.2.
Prædicator bonus debet dicere puram veritatem, & qua consideratione, 220.c.2.
Prædicatoris sapientis officium, 13.c.1.
Prædicatoris Catholici themata prædicanda, quæ sunt, 395.396.c.1.
Prædicatoris Christiani fructus est, non propria gloria, sed discipulorũ profectus, 13.c.1.100.c.2.
Prædicatoris crucis Christi gloria est, non erubescere ob euangelium, 13.c.1.216.c.1.
Prædicatoris officium nemo debet assumere absque legitima missione, 174.c.1.2.
Prædicatores Catholici calumniis affecti, quo pacto se consolari possunt, 32.c.1.2.
Prædicatores boni quinã sint, designãtur, 100.c.2.
Prædicatores Lutherani à diabolo missi, ibid.
Prædicatores Catholici admonentur quo pacto se gerere debeant, 126. & seq. 216.c.1 221.370.c.1.
Prædicatores euangelij licitè possunt accipere aliquid pro eorũ sustẽtatione, 172.204.c.2.287.c.1.
Prædicatores qui auaritiæ student, reprehenduntur, 204.c.2.236.c.1.
Prædicatores tria potissimum dedecent, 369.
Prædicatores inuicem æmulatione certantes, notantur, 238.c.1.
Prædicatorum verorum gloria quàm magna erit in cœlo, 336.c.1.
Prędicatorũ sanctorum sermo debet esse simplex, non affectatus, 232.c.2.

Prædicatio.

Prædicatio externa per hominem, an necessariò ad gignendam fidem requiratur, 99.c.1.2.
Prædicatio varia pro vario mundi captu, à Deo ordinata, 99.c.1.
Prædicatio euangelica implebitur aliquando in quouis terrarum loco, 100.101.c.1.
Prædicatio euangelij tunc est perfecta, quũ moribus sermo non repugnat, 216.c.1.221.222.c.1.
Prædicatio Euãgelij innumeris signis & prodigiis confirmabatur ad ostendẽdam eius veritatem, 216.c.1.2.
Prædicatio fructuosa est honesta conuersatio, 374.375.c.1.

Prælatus.

Prælatus bonus castigando subditos quid quærit, 211.c.2.
Prælati munus & officium desiderare quàm periculosum, 239.c.1.407.c.1.2.
Prelati nõ debẽt abuti potestate sua, 231.c.1 241.c.1.
Prælati admonẽtur de conuiuiis sumptuosis, & de eleemosynis tenuibus, 205.c.1.
Prælati non sint plus æquo precipites ad vltionem in delinquentes, 211.c.1.324.c.1.
Prælati Ecclesiæ habent iurisdictionem à Christo remittendi peccata vice Christi, contra hæreticos, 212.c.1.2.
Prælati nostrorum temporum admonentur de zelo & cura ecclesiarum, 234.346.354.
Prælati quomodo infirmi & fortes esse debent erga gregem, & peccatores redarguere, 238.239.c.1.241.318.
Prælati de malis operibus fugiendis admonentur, & quomodo non debẽt quærere quæ sua sunt, 324.c.1.346.c.1.2.379.380.
Prælati tenẽtur reddere rationem suarum ouium, 520.521.c.1.
Prælati quãto in pretio habẽdi ob ministeriũ, 378.
Prelatorũ ambitiosorũ quàm infelix status, 122.c.1.
Prelatorum peccatum quàm graue, 122.222.479.480.c.1.
Prelatorum presentium vita quantum distat à vita B.Pauli, 150.151.c.1.323.324.c.1.
Prælatorum potestas bonis moribus corroboratur: & qualis sit in subditos, 211.231.c.1.442.c.1.2.

Præmium.

Præmium iustitiæ ex operibus legis Moseos, vel iustitiæ propriæ, quale, 97.c.1.
Præmium iustitię ex fide, quale, ibid.
Premium bonorum operum respuunt Lutherani, 72.c.2.341.c.1.347.
Premium quomodo sit nobis interim absconditum, 323.324.c.1.

Præputium.

Præputium quid, 29.c.1.
Præputium duplex carnis & spiritus, 303.c.1.
Præputium significat rebellionẽ & contumaciam quam natura ex primo parente contrahimus, 303.357.
Præputium aliquando accipitur ab ipso B. Paulo pro statu matrimonij, 165.c.2.
Præputium vocabantur Gentiles à Iudęis in dedecus & contumeliam, 303.c.1.

Præscire, & præscientia.

Præscire, sumitur in bonam partem apud scripturas, 545.c.1.
Presciere Dei est prediligere: vnde presciti dicuntur prædilecti, 80.c.1.2.102.c.1.2.
Præscitus impropriè dicitur qui est reprobatus, 80.c.2.
Prescientia bonorũ operum nullo modo est causa prædestinationis: in Pelagianos, 81.c.1.292.c.1.
Præscientia Dei nihil ponit in rebus, 90.c.1.
Præscientia bonorum operum consequitur, non præcedit prædestinationẽ in mẽte Dei, 295.c.2.
Præscientia Dei de contingentibus quomodo fit nobis cogitanda, 395.c.1.

Presbyter.

Presbyteri nomen etiam ad Episcopos extendebatur in ecclesia primitiua, 327.c.2.

Primogenitus.

Primogeniti ius quodnam erat, 516.c.2.
Primogeniti secundum carnem non sunt in consideratione apud Deum, 90.91.c.1.
Primogeniti Dei sunt, quos Deus sibi facit ex gratia & prædilectione, 90.91.c.1.

Princeps.

Princeps secularis non potest iudicare in causis spiritualibus, 112.c.1.114.c.2.155.c.1.
Princeps secularis non habet potestatem in clericos, 112.c.1.
Princeps laicus non habet ecclesiasticam spiritualem potestatem, 113.114.c.1.155.c.1.
Prĩceps q tyrãnicè dominatur, describitur, 114.c.2.
Princeps tyrannus an possit à priuato homine occidi, 115.c.1.& 2.
Princeps tyrannus audiendus, modo non imperet aliquid cõtra fidẽ & Dei legẽ, 114.115.c.1.442.c.2.
Principes seculares heretici nostri tẽporis de duobus notantur, 112.c.1.114.c.2.
Principes seculares plerunque insolentes in Pontifices, 115.c.2.
Principes seculares instituti sunt ab hominibus, Deo tamen approbante, 113.114.c.1.
Prĩcipes seculares, si se inter oues Christi cõputãt, audire debẽt vocẽ pastoris sui spiritualis, 115.c.1.
Principes seculares quando dicantur non regnare à Deo, & non probari, 115.c.1.
Principes seculares non reprobat Christus, sed eorum abusus, 114.115.c.1.
Principes seculares quo pacto se gerere debeãt, vt rectè impleant munus suum, 115.c.1.& 2.
Principes boni quo pacto exigere vectigalia, & ad quem vsum debeant, 115.c.1.& 2.
Principes mali potenter tormẽta patientur, 115.c.1.
Principes loco parentũ populis esse debẽt, 115.c.2.
Principes seculares de cõuiuiis & eleemosynis admonentur, 205.c.2.
Principes seculares à Papa possunt deponi, 263.
Principes quomodo non debent quærere quæ sua sunt, 336.337.c.1.

Promissio.

Promissio nobis facta per Christũ, duplex, 277.c.2.
Promissiones carnales Iudæis factæ, figurabãt etiã dona spiritualia, 84.c.2.
Promissiones Dei sũt firmę, & infallibiles, 209.c.2
Promissiones Dei erga nos sunt fundatæ in Christo, ibid.
Promissiones factæ Abrahæ fuerunt plures ac diuersæ, 271.c.2.

Propheta & Prophetia.

Propheta quid sit, 5.c.2.
Prophetæ magni aliquando in suis iudiciis decipiuntur, 102.c.1.& 2.
Prophetæ falsi nostræ ætatis notantur, 379.c.2.
Prophetæ falsi abutuntur Apostoli dicto: Verbum Dei non est alligatum, 426.c.2.
Prophetarum varij gradus, 5.c.2.
Prophetia etiã pro interpretatione scripturarum, 6.c.1.189.c.1.192.c.2.312.313.
Prophetiæ materia & principale subiectum Christus, 6.c.1.
Prophetiæ vnde probandæ, 379.c.2.

Proximus.

Proximi mandatum de dilectione, per Christũ accepit perfectionem & quomodo, 43.c.2.
Proximum nullum habebant Iudęi ex lege Moysi nisi qui esset illius gentis, 43.c.2.

Pueri.

Pueri qui ante rationis vsum decedunt, non veniẽt ad iudicium discussionis, 24.c.2.219.220.
Pueri qui baptizati decedunt, quibus operibus salutem æternam consequuntur, 24.c.1.& 2.
Pueri qui sine baptismo decesserint, non patiẽtur æterni ignis pœnas, 24.c.1.& 2.52.55.219.
Pueri qui absque sacramento decedunt, qualẽ statum habebunt, 52.55.c.1.
Pueri ex Apostolica traditione in remissionẽ peccatorum baptizantur, 52.c.1.
Pueri parentum infidelium cur inuitis parentibus non debeant baptizari, 164.c.2.
Pueri nati ex impari matrimonio, possunt baptizari propter parentem fidelem, 164.c.2.
Pueri nati ex parentibus fidelibus, cur sancti dicãtur etiam ante baptismum, 164.c.2.
Pueri ex fidelibus nati, speciali prouidentia propter parentes respiciuntur à Deo, ibid.
Pueri & recentes nati in fide cauere summopere debent à fascinatione hæreticorum, 267.c.1.

Purgatorium.

Purgatorium expoliauit Christus quando in cœlũ ascendit, 310.311.c.1.
Purgatoriũ in inferorũ parte esse ponitur, 311.c.2.
Purgatorium asseritur, 317.c.1.

R.

Regnum.

Regnum temporale, & spirituale quomodo distinguãtur, & quid cuique propriũ, 154.c.2.
Regnum Dei quibus negetur, 156.c.2.
Regni temporalis leges transgrediens, contra legem Dei peccat, 154.c.2.

Religio, & Religiosi.

Religio Angelorum dicitur lex Moseos, 76.c.2.
Religio Christiana potens est ad satisfaciendum omnibus aduersus se obiectis, 527.c.2.
Religio Christiana immeritò blasphematur à vulgo propter peccata religiosorum, 29.c.2.61.c.1.
Religionis res ad ludum traducere, vt Erasmus fecit, est peccatũ maximũ, & inexcusabile, 200.c.2.
Religionis veræ fructibus paulatim spoliãtur, qui eam scurrilibus colloquiis prophanant, ibid.
Religionis sanctæ institutionem, quam profitẽtur veri monachi, damnat Lutherus, 156.c.2.
Religionis professores, qui frigidè orant & precantur Deum, notantur, 325.326.c.1.
Religionis voluntariæ electio, id est, à proprio arbitrio inuenta, nõ autẽ à Deo vel à Spiritu sancto per ecclesiã tradita, superstitio est, 357. & se.
Religiosi vagi reprehenduntur, 528.c.1.

Renouatio.

Renouatio nostra perfecta in Christo non fit vno momento, sed paulatim, 217.218.c.1.315.c.1.
Renouationi interioris nostri hominis assiduè & diligenter studere debemus, ibid.

Reprobatio.

Reprobatio mentis, & in reprobum sensum tradere apud B.Paulum quid, 20.c.1.
Reprobatio quorundam in via à Deo ob ingentia

Universidad de Deusto Biblioteca

peccata,20.c.1.93.386.c.1.&2.400.c.1.434.c.2.
Reprobatio ad æternam mortem non sic est sine causa, propriorum peccatorum:sicut electio est sine causa bonorum operũ,86.87.90.91.93.371.c.1.428.c.2.
Reprobatio à regno Dei ad mortem æternam absque cõsideratione demeritorum, tãquã hæresis dira supra modũ ac impia refellitur,86.87.292.c.2.
Reprobatio à regno Dei non venit propter originale peccatũ, 86.87.88.89.350.c.2.291.c.2.
Reprobatio à regno Dei prædicata propter peccatum originale tantũ,scandalum parit,& iam olim Galliarum ecclesias conturbauit, 89.90.
Reprobatio Esau de qua dicitur: Esau odio habui, non fuit reprobatio à vita æterna:quænam autem fuerit ostenditur, 90.91.c.1.
Reprobatio Esau prædicta,neque iuxta sensum literalem, neque secũdum allegoriam probat cũ iusquam à regno cœlesti reprobationem, ibid.

Resurrectio.

Resurrectio Christi, 7.c.1.& 2.
Resurrectio omnium mortuorum in Christo continetur, 8.c.1.
Resurrectio in nobis fit aliquo modo per iustitiã nobis inhærentem, 48.c.1.
Resurrectio Christi quo pacto operatur iustificationem nostram, 48.c.1.
Resurrectio futura consolatur fideles, 376.c.2.
Resurrectio corporum nostrorum tangitur,73.c.1.
Resurrectio Christi continet resurrectionem omnium hominum, 197.c.2.375.
Resurrectio non fuit perfecta eorum qui Christo moriente surrexerunt, 198.c.1.
Resurrectio vniuersalis futura est per Christum, etiam infidelium, ibid.
Resurrectio mortuorum suadetur, 201.c.1.
Resurrectio corporum gloriosa non continget impiis & damnatis hominibus, 202.c.1.& 2.
Resurrectionis Christi dies in scriptutis dicitur, Hodie, 459.c.1.& 2.479.480.
Resurrectionis Christi articulo omnia euangelij continẽtur,quem sciri ab omnibus maxime est necesse, 196.c.1.218.c.1.282.c.1.
Resurrectionis futuræ ordo describitur, 199.203.205.376.c.1.
Resurrectionis corporum beatorũ qualitas & dotes explicantur, 201.c.1.
Resurrectionis Christi articulũ summoperè Apostoli & efficacissime prædicauerunt, 218.c.1.
Resurrectionis corporum articulum coguntur fãteri,qui animam esse immortalẽ credũt, 198.c.1.

S.

Sacerdos.

SAcerdos obligatur ad celebrãdã missã, 108.c.1.
Sacerdos decentissime& conuenientissime perpetuam castimoniam vouet,161.c.1.426.c.2.
Sacerdos licitè viuit ex oblatis in Ecclesia,173.c.1.
Sacerdos debet operari sacra tanquam opus proprium, ibid.
Sacerdos à multis cauere debet vt ei illicita, quæ fortè licita sunt laicis, 316.c.1.
Sacerdos & rex quatenus asserendus omnis Christianus, 550.c.1.& 2.

Sacerdotium.

Sacerdotium Christi quomodo æternũ, 492.c.1.& 2.
Sacerdotium Christi quantam eminentiam habet ostenditur, 488.489,& seq.
Sacerdotiũ ad omnes pertinere dogmatizauit Lutherus hæresiarcha, 550.c.1.& 2.

Sacramentum.

Sacramenta nouę legis quomodo vim habeãt spiritualem, 497.498.c.1.
Sacramentum Baptismi, Vide Baptismum.
Sacramentum Eucharistiæ, Vide Eucharistiam.
Sacramentum pœnitentiæ,Vide confessionem & Claues.
Sacramentum matrimonij, Vide Matrimonium.
Sacramentum ordinis, Vide Ordinem.
Sacramẽtum extremæ vnctionis defenditur & declaratur, 540.541.& seq.

Sacrificium.

Sacrificium corporis Christi quàm sit venerandũ, 161.162.c.1.
Sacrificium Altaris noui testamenti dicitur iugesacrificium,& quanta reuerentia sumendũ,ibid.
Sacrificiũ Altaris longa disputatione defenditur, contra Lutheranos, 501.502.
Sacrificium Melchisedech defenditur, 480.c.1.2.
Sacrificium offertur soli Deo, 170.c.2.
Sacrificium magnum,zelus animarum, 174.c.1.2.
Sacrificium complectitur confessionem laudis & gratiarum actionis pro creatione & redemptione nostra, 170.c.2.
Sacrificij conficiendi potestatem dedit Christus Apostolis suis in vltima cœna, 184.c.1.& 2.
Sacrificia idolis à gentibus immolata nec sanctificare,nec inquinare poterant, 170.c.1.& 2.

Salus.

Salus Christianorum duplex, 13.c.2.
Salus quæ est in hac vita non ea firmitate nititur, vt ab ea non possit homo excidere, in Lutheranos, 13.c.1.& 2.48.49.c.1.176.c.1.
Salus præsentis vitæ adhibito timore mirũ in modum custoditur, 176.c.2.335.c.1.
Salus multorum ad maiorem Dei gloriã pertinet, 84.c.1.
Salutis via nemini vnquam clausa fuit,14.15.c.1.91 c.1.& 2.98.c.2.
Saluris gratiam poterat consequi mundus ante legem, 54.c.2.
Salutis exhibẽdæ causa vocat omnes Deus, etiam qui non sunt prædestinati, 88.89.c.2.98,c.2.
Salutẽ certã nobis charitas verè cõparat,227.c.1.2.
Salutẽ nostrã opamur etiã nos:in hęreticos,335.c.1
Salutẽ negare posse ab omnibus obtineri, sed ejus assequendæ possibilitatẽ non concedere, quàm multa inducat & magna absurda, 89.90.c.1.

Sanctitas.

Sanctitas variè accipitur, 164.c.2.
Sanctitas idẽ est quod mũditia,6.c.1.9.c.1.154.c.2.
Sanctitas varios habet gradus, 287.c.2.470.c.2.

Sanctificatio.

Sanctificatio Christi duplex secundum humanitatem, 7.c.1.& 2.
Sanctificatio Christianorum duplex, 7.c.2.
Sanctificatio variè accipitur, 164.c.2.
Sanctificatio pro candidatione & adaptatione ad recipiendum sanctificationem, 165.c.1.& 2.

Sanctus.

Sanctus quid propriè significet, 470.c.2.
Sanctus dicitur quilibet Christianus iustus, ibid.
Sancti considerandi sunt sub Christo quasi vicarij magistri,& vicaria capita, 135.c.1.& 2.
Sancti viri cùm in zelum Dei rapiuntur,tacitè cõtra scelera vindictam flagitant, 102.c.2.
Sancti prosunt aliis non solùm per modum exempli,sed etiam per modum meriti, 136.207.c.1.236.237.c.1.251.252.
Sancti iudicabunt reliquum mundum assidentes cum Christo, 154.c.2.
Sancti viri quo fine aliquando se extollũt,206.c.2.213.c.1.& 2.
Sancti viri interdum mutant cõsilia, idque ex Dei ipsius voluntate, 209.c.2.
Sãcti qua ratione dicantur pueri fidelium ante baptismum susceptum, 164.c.2.
Sancti qua ratione dicãt se esse primos peccatores 396.397.
Sancti in cœlis pro nobis intercedunt, 399.c.2.
Sancti rationabiliter coluntur ac venerãtur in terris, 449.450.c.1.
Sanctorum canonizatio ad solum Romanũ Pontificem spectat, 263.c.1.
Sanctorum iam beatorum suffragia sunt à nobis imploranda,in Lutheranos, 128.c.1.
Sanctorum merita pro aliis à meritis Christi vigorem suũ & valorẽ habẽt, 135.c.2.237.c.1.352.c.1.
Sanctorum merita multis modis aliis prosunt,237 c.1.352.
Sanctorum cõmunio quid importet,207.332.c.1.& 2.353.c.1.548.549.c.1.
Sanctorum virorum suasiones nõ sine spiritu Dei adiuuante fieri solent, 169.c.1.

Satisfactio.

Satisfactio aliqua pro pœnis temporalibus à nobis requiritur ob peccata post baptismum admissa, 44.c.1.& 2.238.c.1.246.c.1.250.251.c.1.352.353.c.1.556.c.2.
Satisfactio nobiliorum Christi membrorũ prodest aliis, 352.353.c.1.

Scandalum.

Scandalum quo pacto ab offendiculo differt, 121.c.2.122.c.2.
Scandalum fratribus præbere quàm sit fugiendũ, 122.c.2.171.c.1.

Scientia.

Scientia quid differat à sapientia, 186.c.2.
Scientia quo pacto dicitur inflare, 169.c.2.
Scientia quam habemus hic in via cedet scientiæ quę erit in patria, 191.c.1.& 2.
Scientiæ rectus vsus ostenditur, 170.c.2.
Scientiæ naturales non sunt damnãdæ, vt quidam fecerunt, 139.c.1.& 2.355.c.2.

Scire.

Scire ea tantum dicitur magister & doctor, quæ vult alios docere, 141.c.1.& 2.
Scire solummodo Iesum Christũ crucifixum,quid B.Paulo erat, 141.c.1.& 2.
Scire aliquid se existimãtes,quales sunt, 169.170.c.1.
Scire,quando quis verè dicatur, 170.c.2.
Scire tantũ quisque dicitur,quantũ operatur, 347.

Scriptura.

Scriptura sacra tantum pro scriptura absolutè haberur, 125.c.1.& 2.
Scriptura est veluti speculum,in quo potest homo seipsum contemplari, 527.
Scripturæ sanctæ plures simul etiam literales sensus recipiunt, 15.16.c.1.246.c.2.
Scripturæ manifestè testantur bona opera iustificationem & salutem operari, 45.c.1.& 2.
Scripturæ sanctæ admittunt figuram & hyperbolem, 11.c.1.
Scripturæ sanctæ antiquæ per aduentum Christi illuminatæ fuere, 142.c.1.
Scripturæ sanctæ qua fide sint legendæ,ne in periculosos errores labamur, 177.c.1.
Scripturæ sacræ non sunt legendæ in ecclesia communi idiomate,in hæreticos, 193.c.2.
Scripturæ sanctæ non sunt ab omnibus,præsertim à vulgo tractandæ, 369.370.c.1.
Scripturæ quo pacto continent omnia necessaria ad salutem, 387.388.c.1.
Scripturarum quænam sit conuenienes interpretatio, 562.c.2.
Scripturarum lectio cum fide mirificè animam nutrit, 566.c.1.2.
Scripturarum sanctarum interpretatio pręponitur dono linguarum, 192.193.c.1.& 2.
Scripturarum sanctarum interpretatio propria est fidelium, 193.194.c.1.
Scripturarum sanctarum cognitio ædificat intelligentem, 192.193.c.1.
Scripturarum mysticus sensus plurimi faciendus, 206.280.c.1.
Scripturarum diuersarum sententias quomodo licet congregare & in testimonium adducere, 223.c.2.
Scripturarum prętextu hęretici suos errores defendere nituntur, 246.c.1.
Scripturarum maiestati non conueniebat,vt in nouo testamento cũcta exprimerẽtur quæ debeãt obseruari, 388.c.1.
Scripturarum intelligẽtia facilè se aperit fidelibus, 431.
Scripturarum sanctarum excellentia & authoritas 6.c.1.125.c.1.& 2.
Scripturarum firmitatem& illibatam authoritatẽ, & quænam sint, ab ecclesiæ authoritate habemus, 280.c.1.
Scripturarum sanctarum cum charitate mutua collatio multum consolationis affert,12.13.c.1.125.c.1.& 2.
Scripturarum veteris testamenti vtilitas ostenditur, 186.c.1.431.
Scripturarum viua interpretatio est vita sanctorũ, 171.360.c.1.& 2.
Scripturarum quidam interpretes duobus modis contrariis aberrant, 192.c.2
Scripturarum literis non sunt commissa omnia, quę in ecclesia seruantur, 60.c.1.185.c.1.387.
Scripturarum appellatione intelligitur quãdoque vox Dei, 93.c.1.& 2.
Scripturas abundantissimè citant plerique vt eruditi apud vulgus videantur, ibid.
Scripturas approbare vel improbare,atque illas cũ authoritate interpretari,est Romani Pontificis proprium, 169.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scripturas interpretari dedignantur quidã,189.c.2
Seculum.
Seculum quot modis accipitur,19.c.1.107.c.1.245.c.1.300.c.1.& 2.397.c.2.
Seculi huius filij dicuntur qui non sunt in Christo, 245.c.2.300.c.1.& 2.
Semen.
Semen Abrahæ Christus principaliter,85.c.1.& 2. 180.c.2.272.c.2.
Semine Abrahæ comprehenduntur solummodo qui Christi fidem recipiunt, 85.86.c.1.176.c.1.
Seruus & seruitus.
Seruus hominum sit qui non potest ferre iniuriã, quin eam non vindicet, 157.c.1.
Seruus quo pacto tenetur obedire domino suo, 323.c.2.
Seruitus mala,& seruitus bona, 183.c.1.
Seruitus Christiani vera est libertas, 3.c.1.13.c.1.
Seruitus quædam est matrimonium, 165.c.1.& 2.
Seruitutis diuersa genera explicantur, 3.c.1.& 2.
Seruiture non omnino liberantur Christiani,sed à modo seruiẽdi:cõtra Lutheranos,65.c.1.284.c.1.
Somnus.
Somnus sæpe pro morte, quãdoque etiam pro ocio & negligentia capitur, 116.c.2.
Spes.
Spes est arduorum & difficilium, 478.c.2.
Spes iustorũ de salute sua vnde oriatur, 48.49.c.1. 109.110.124.125.c.2.
Spes iustorũ innititur operibus bonis, 48.49.c.1. 124.125.c.1.350.545.
Spes vera & viua quæ non confundit,& quæ commendatur in scripturis,describitur,49.c.1.2.25. 126.c.1.
Spes vera & theologica est eorum quæ non videntur, 77.265.c.2.
Spes aliquando accipitur pro obiecto speratio,77. 78.c.1.
Spes viua non potest inesse Lutheranis, 78.c.1.2.
Spes sanctorũ virorum confirmatur consideratione præteriti auxilij à Deo iam habiti, 207.c.2.
Spe,non re salui facti sumus in hac vita,12.c.2.48. 49.c.1.
Spiritus.
Spiritus sanctus probatur Deus, 143.c.1.158.c.1. 474.c.1.
Spirit⁹ sanct⁹ procedit à Patre & à Filio 73.74.c.1.
Spiritus amoris & libertatis est proprius Christianorum, 73.74.c.1.
Spiritus sanctus duo contestatur spititui corũ, in quibus habitat, 74.c.2.
Spiritus sanctus quo pacto in orationibus adiuuat infirmitatem nostram, 78.79.c.1.
Spiritus sanctus habet suam eloquentiam,145.c.1.
Spiritus sanctus quomodo dicatur esse in nobis, 158.c.1.
Spiritus sanctus est nexus & amor reciprocus Patris & Filij, 206.c.1.& 2.in fine.
Spiritus sanctus ducit hominem ad bonum tum præcipiendo,tum consilia dando, 284.285.c.1.
Spiritus sanctus quos fructus parit, 285.c.1.& 2.
Spiritus sanctus quomodo contristetur propter peccata, 33.c.2.
Spiritus timoris & seruitutis proprius erat eorum qui sub lege erant, 73.74.c.1.
Spiritus ardoris & zeli pro Dei gloria non est omnium, 102.c.1.& 2.
Spiritus soporis & spiritus cõpunctionis effectus, 102.103.c.1.
Spirituũ probandorũ doctrina traditur, 379.c.1.2.
Spiritum sanctitatis præcipuum, vnde certa salus cõtingit,Deus donauit ecclesiæ in persona prædestinatorum, 82.c.1.
Secundum spiritum ambulare, 69.c.1.283.
In spiritu esse quid significet, 73.c.1.& 2.
Superbia.
Superbia mater hæresum atque schismatum,8.c.2.
Superbia quo pacto à charitate vincatur, 111.c.1.
Synagoga.
Synagoga vnde dicatur, 142.c.2.
Synagoga figurata fuit in Agar ancilla, 86.c.1.
Synagoga quo meruit expelli cum filiis suis, ibid.
Synagoga Iudæorum erat cum aliquo honore ad sepulchrum efferenda, 261.c.1.
T.
Templum.
TEmplum Dei viuum sunt Christiani, 148.c.1. & 2.158.c.1.223.c.2.
Templi Dei corruptores,à Deo grauiter puniẽtur, 148.c.1.& 2.
Tempus.
Tempus gratiæ sub Christo,& noui testamẽti dicitur dies azymorum, 153.c.1.2.
Tempus ante Christi aduentum comparatione tẽporis præsentis,dicitur nox, 117.c.1.
Tempus post Christi aduentum in carne, comparatione futuri sæculi dicitur propriè diluculum, 117.c.1.& 2.
Tempus futuri sæculi propriè dies dicitur, ibid.
Tempus huius vitæ breue, 167.c.2.
Tempus acceptabile dicitur præsens status gratiæ euangelij, 222.c.1.
Tempus aduentus Christi ad iudicium, 382.383. 384.c.1.& 2.
Tẽpus aduẽtus Christi nõ possumus scire,386.c.2.
Temporis iactura quantum cauenda, 133.c.1.
Temporis nostri ætates sunt obseruandę pro legũ & morum conuenientia, 159.160.c.1.
Tempori se accõmodare est magnę virtutis, 109.
Tempora sęcularia,& tempora ęterna, 131.
Tenebræ.
Tenebræ dicuntur ignorãtia & peccatum, 117.c.1.
Tentatio.
Tentatio duplex,altera salutaris ad probationem: altera ad pœnam peccati damnola, 176.c.2.
Tentatio data in pœnã peccati à nullo superari potest, 176.c.1.
Tentationes oriti sanctis supra vires aliquãdo permittit Deus,sed per gratiam sustentantur, 207. 208.c.1.
Tentationes quibus remediis superẽtur, 420.421. c.1.527.c.2.
Terra.
Terra promissionis promissa Abrahæ secũdum spiritum fuit Christus, 46.c.1.
Terra viuentium est Christus, 84.c.2.
Terræ Iudææ toti fuit prædicatum euangelium, 100.101.c.1.
Terrę combustio& innouatio,& illius vsus qualis, 461.c.2.571.c.1.

Testamentum.
Testamentum vetus erat carnale & bonorum præsentium, 84.c.2.
Testamentũ nouũ spirituale,in terra viuentiũ, ibi.
Testamẽtum semel factum nemo potest (excepto testatore)irritare, 271.c.1.
Testamentum nouum iureiurando fuit confirmatum, 272.c.2.
Testamenti noui ministratio, est spiritus & iustitiæ, 214.215.c.1.
Testamenti noui gloria gloriam veteris testamenti longè superauit, ibid.
Testamenti veteris author cur dicitur Moses,273. c.1.
Testamenti noui author dicitur Christus, ibid.
Testamenti noui promissio est cœlestis & sempiternæ hæreditatis, 273.c.1.
Testamenti veteris mediator fuit Moses, 274.c.2.
Testamenti veteris & noui collatio ex typo Agar ancilla,& Sara libera, 280.c.1.& 2.494.c.2.
Timor.
Timor Dei multiplex, 34.c.1.
Timor quem Christianus semper habere debet, quid efficiat, 547.c.1.
Timor Dei verus non potest inesse homini in puris naturalibus existenti, 34.c.1.
Timor Dei sanctus qui permanet in seculum seculi, qualis, 34.c.1.& 2.
Timor bonus filiorum commendatur, 225.c.1.2.
Timor pœnæ in lege antiqua, 74.c.1.
Timor fugiendæ mortis quanta facit homines peccati, 83.c.1.
Timor sanctus in Christianis esse debet, ne à gratia Christi sua culpa decidant, 104.105.176.221. c.2.334,& seq.
Timor ne amittatur gratia Dei, est custos salutis, 176.c.2.335.c.1.
Traditiones.
Traditiones Apostolorum habet ecclesia circa cæremonias,quę in nouo testamento expressæ nõ habentur, 41.42.181.c.2.185.458.487.c.2.
Traditiones Apostolorum admittunt dispensationem, 164.c.1.
Traditiones Apostolorũ cur seruãdę sunt,163.c.2.
Traditiones ecclesiæ commendantur in scripturis noui testamenti, 251.c.2.487.c.2.
Traditiones nõ sũt temerè respuẽdæ,251.c.2.& se.
Traditiones S.Patrum spernunt hæretici, 252.c.1. 355.374.c.1.
Traditiones ecclesiæ negans,etiam scripturam ipsam in dubium vertit, 373.374.c.1.
Traditionum necessitas, 487.c.2.
Traditionũ authoritas quàm sit venerãda,374.c.1.
Traditionum authoritate sublata, omnia incerta remanent, 374.c.1.
Traditionum ecclesiasticarum institutio nõ est hominum,in blasphemos hæreticos,374.375.c.1. 387.c.2.
Tribulatio.
Tribulationes reddunt hominem iam iustum, magis adhuc aptum ad recipiendum auxilium Dei, 235.c.2.
Trinitas.
Trinitas personarũ in diuinis ostẽditur,242.c.1.2.
Trinitatis opera sunt indiuidua, 244.c.2.
Tristitia.
Tristitia cordis potest cadere in hominem perfectum,contra Stoicos, 84.c.1.
Tristitia perfecta & dolor nõ est in hominibus iustis, 222.c.2.
Tristitia quæ parit pœnitentiam ad salutem commendatur, 223.c.1.
V.
Vas & Vasa.
VAsa in contumeliã nõ facit Deus,sed ipsi peccando faciunt se tales, 94.c.1.2.428.c.2.
Vasa misericordiæ præparantur à Deo ad gloriam, 94.c.1.2.
Velamen.
Velamen quod Moses ponebat super faciem suã, quid Iudæis indicabat, 215.c.1.
Velamen sacrum sacris virginibus dari solitum, quid significet, 180.c.1.2.
Velamen super capita sua prophetando & orando quinam ponere solebant, 180.c.1.
Velamen super caput mulieris quid significet,180. c.1.& 2.
Velamen super capita sua congruè adhuc ponunt Iudæi increduli dum orant, 180.c.1.215.c.1.
Veritas.
Veritas Dei quo pacto in mendacio commutetur, 19.c.1.
Veritas Dei pro fidelitate seruandarum promissionum,quandoque accipitur, 31.32.125.c.1.& 2.
Veritas Dei quomodo abundat in mendacio nostro, 32.c.1.
Veritas semper omnibus anteponenda, 134.c.2.
Veritas Christi displicet mundo, 249.
Veritatem dicere in Christo Iesu,quid, 83.c.2.
Veritatem dicere & facere,non idem, 576.c.1.
Via.
Via ad quærendum Deum,duplex, 138.c.1.& 2.
In via Dei non proficere quàm sit periculosum, 329.c.1.
Viduitas.
Viduitas præfertur matrimonio à B.Paulo, 162. c.2.169.c.1.& 2.
Viduitas voto perficiebatur, 415.c.2.
Viduitatem profitentes mulieres quid præstare debeant, 416.c.1.
Viduitatem suadet B.Paulus, potius quàm matrimonium, 169.c.1.
Vigilantia.
Vigilantia,præceptum vtilissimum, nec ab re sæpius repetitum, 205.c.2.
Vigilantia in euangelio Christus sæpissimè cõmendauit, 377.c.2.
Vigilantiam requirit prouidẽtia salutis nostræ ad resistendum diabolicis tentationibus,556.557. & seq.
Virgo & Virginitas.
Virgo Christi dicitur sancta corpore & spiritu, 167.168.
Virgo per sacrum velamen quid profiteatur, 180.
Virginitatis status in iuuenculis,sicut viduitatis in vetulis, 417.c.1.
Virginitatis votum indicatur, 168.c.2.
Virginitatem suadet B.Paulus potius quàm matrimonium, 167.c.1.
Virginitatem oderunt hæretici, 167.c.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virtus.
Virtus Dei per euangelium quibus, quomodo, & quando ad salutem obueniat, 13.14.c.1.
Virtus crucis Christi ad confundendam mundi sapientiam in rebus abiectis posita, 136.c.2.
Virtus sapiētiæ Dei in mysterio abscōdita, 142.c.1.
Virtus & laus viuæ fidei, 590 c.1.& 2.
Virtus Christi quomodo in infirmitate perficitur, 236.c.1.

Vita.
Vita nostra in Christo est abscōdita, licet interim fidei oculo videatur, 361.c.1.& 2.
Vita æterna indignum se constituit, qui in ipsius vitæ autorem & datorem credere renuit, 286.c.2.
Vita æterna nobis in manibus Angelorum promissa ante tempora secularia, 425.c.1.& 2.
Vita æterna quæritur & redditur bonis operibus, contra Lutheranos, 22.23.24.84.305.c.1.423.
Vita æterna tribus bonis potissimum perficietur, 22.c.1.& 2.
Vita incipientium in via spirituali, quo discretionis ordine dirigenda, 579.580.
Vita æterna perseuerantibus vsque in finem in bonis operibus redditur, 23.24.277.287.288.433. & seq.
Vita cœlebs ad perfectionem & strictiorem cum Deo adhæsionem, quantum conferat, 139.c.1.
Vita æterna cur nobis dari nō debuit nisi primùm laborantibus in fide, spe, & charitate, 77.78.c.1.
Vita æterna quomodo dici potest & donum esse, & præmium, 60.61.75.c.1.
Vita æterna aliquo nostro certamine per Dei gratiam lōgè pulchrius & gloriosius comparatur, quàm si gratis illam acciperemus: & hac via verius illustratur Christi gloria, in hæreticos, 545. c.2.
Vita æterna ob infirmitatem nostram, non potest à nobis vt dignum esset, desiderari, 78.c.1.& 2.
Vita æterna nobis promissa est, data interim charitate pro arrha & pignore, 89.
Vita æterna indistinctè promittitur omnibus sacramentum Eucharistiæ non indignè sumentibus, 89.c.1.arg.18.
Vita æterna in cœlis homini parata, est omnino supra fines naturæ eius, 77.78.c.1.
Vita æterna datur in præmium iustitiæ quæ est ex fide Iesu Christi, 96.c.2.
Vita prædicatorum quàm pura esse debeat ab omni crimine, & sermo ab affectatione, 116.117.c.1.
Vita æterna Iatroni à Christo non sine aliquibus operibus promissa, 24.c.1.
Vita recentium hæreticorum ad viuum à B. Iuda Apostolo expressa, 600.601.

Vocatio.
Vocatio B. Pauli ad Apostolatum fuit à Deo, non à seipso, contra hæreticos, 4.c.2.
Vocatio Cōristianorum in libertatem, quænam sit & quam impudenter hæretici in carnem transferant, 281.283.
Vocatio Dei prima ad salutem non potest esse ex meritis, sed tantum ex dono, 105.106.
Vocatio omnium hominum ex parte Dei ad dandam salutem ostenditur, etiam non prædestinatorum, iuxta sensum parabolę decem talentorū, 88.c.2.91.c.2.252.c.1.294.295.
Vocatio electorum specialis & secundum Dei propositum efficax, 79.80.81.c.1.
Vocatio prædestinatorum tam potens est, vt nihil ei resistere possit, 81.c.1.& 2.
Vocationis suæ statu vnusquisque contentus esse debet, & in eo fructificare Deo, 165.c.2.
Vocationis suæ terminos nemo debet transgredi, 108.c.1.
Vocationem nullam à Deo habens non presumat fungi officio in ecclesia, 4.c.2.100.c.1.108.c.1. 142.c.1.194.c.1.& 2.
Vocationes multæ sunt ad diuersa officia in ecclesia, 81.c.1.& 2.
Vocationes variæ sunt & variæ ad varios viuendi status in Christo, 146.c.2.
Vocationes Dei in ecclesia primitiua, lōgè magis quàm nunc efficaces, 146.c.2.

Voluntas.
Voluntas Dei quam fieri petimus in oratione dominica, qualis, 108.c.1.
Voluntas hominis censetur totus homo, 59.c.2. 107.c.2.
Voluntatem Dei quando multiplices dicatur probare Christianus homo, 108.c.1.
Voluntatem suam integrè debet homo sacrificare ac deuouere Deo, 107.c.2.

Votum.
Votum castitatis emittere non est à ratione alienum, nec seruare impossibile, contra hæreticos, 160.161.
Votum perpetuæ castitatis conuenientissimè vouere debent sacerdotes, 161.c.2.
Votum Virginitatis commendatur, 169.c.1.
Vota castitatis & paupertatis & obedientiæ instituit ipsemet Christus, 161.c.1.
Vota monastica commendantur, 226.c.2.
Vota monastica esse recentem quādam Monachorum inuentionem callidè in vulgus sparserant hæretici, 160.c.1.
Vota regularium nudis verbis damnāt Lutherani, 252.c.1.

Vulgus.
Vulgus iniquè peccata hominum transfert in leges ipsas, 29.c.2.155.c.2.
Vulgus temerè & falsò ait primam charitatem incipere à seipso, 84.c.1.

Z.

Zelus.
Zelotes Deus cur dicatur, 536.c.1.
Zelus quo prouocatus Deus contemptores tādem subiannabit, 506.507
Zelus animarum magnum sacrificium, 174.c.1.
Zelus amantium proprius, 101.c.1.& 2.
Zelus B. Pauli pro salute animarum, 174.c.1.179. c.1.231.c.1.& 2.234.
Zelus magnus pro religione nō est omnium, 102. c.2.
Zelum Dei habent aliqui, sed non secundum scientiam, 86.c.2.

FINIS.

COMMENTARIA EIVSDEM IN EPISTOLAM BEATI PAVLI AD ROMANOS.

PAVLVS seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri, per quē accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus estis & vos vocati Iesu Christi: omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vobis & pax à Deo Patre, & domino nostro Iesu Christo.

ANtequàm ad horum verborum interpretationem accedamus, nō in fructuosè quæritur ratio, cur hæc epistola cæteris omnibus anteponatur, cum constet eam nonnullis alis eiusdem autoris posteriorem fuisse, nec tamē sine Spiritus sancti suggestione sic esse ordinatas credibile est. Dicimus ergo quòd ordo temporis, quo scripræ sunt, non erat idonea ratio ad constituendum epistolarum ordinem, vt iuxta illius temporis ordinem aptarentur. Nihil enim inde scientiæ, nihil doctrinæ hauriretur: sed magis dignitatis ordo, ordo doctrinæ, ordo denique congruētiæ, quæ ex alia maiori causa oriatur, attendi debuit. Diximus igitur primum, dignitatis ordinem hoc postulare. Ecclesia enim sancta Spiritu sancto edocta atque instructa, postquā iam erant Iudæi reprobati, & primogenituram amiserant, & ad Gentes verbum Dei iam erat translatum, inter epistolas, quas ad septem Gentium ecclesias scribit Apostolus, illam meritò censuit præponendam, quæ ad Romanam ecclesiam dirigebatur, propter summam dignitatem illius Vrbis & autoritatem, vt quæ diuina prouidentia decreta erat caput omnium ecclesiarum, ac totius orbis, vbi sedem suam Dominus, & doctrinæ cathedram iam collocarat, vnde haurire omnes atque excipere deberent à Petri ore rectam fidei confessionem. Quemadmodum igitur hæc propter dignitatem omnibus præfertur, ita illa quæ ad Hebræos propter indignitatem vltimum sibi locum vendicat: quoniam interim spreti sunt Iudæi atque neglecti, donec Gentium intret plenitudo. Nam tum demum & ipsi reuertentur, & veritatem agnoscent. Vnde iure à septem ecclesiis præcedunt, in quibus septem ecclesiis significatur Gentium plenitudo, quæ Spiritum sanctum primò debuit accipere, & exinde saluum fieri Israelem, qui Spiritus hoc septenario numero, propter illius septem distincta dona, significatur. Quapropter & Beatus Ioannes suam Apocalypsim ad septem ecclesias Asiæ mittit, vt Iudæi intelligantur exclusi, quos ita in hoc epistolarum ordine negligit Spiritussanctus, vt etiam præcedant illorum epistolam, personarum epistolæ; etiam quæ ad Philemonem priuatum hominem scribitur: quoniam ipsi Spiritumsanctum contristarunt, seseque indignos constituerunt salutis æternæ vsque ad vltimum temporis. Itaque dignitatis ordo & autoritatis primùm poposcit, vt hæc epistola alias omnes anteiret.

Cur epistola ad Rom. cæteris in ordine anteponatur.

Pro dignitate Rom. ecclesiæ.

Cur epistola ad Hebræos cæteris postponatur.

Fuit & ordo doctrinæ, vtpote quæ prima fidei nostræ tradat fundamenta, statum videlicet hominis in natura, lege, & gratia: in qua quidem diuersorum statuum notitia ferè vniuersa theologia consistit, & Dei notitia simul & nostri: quod est vnicum ac certum salutis nostræ principium & radix. Vnde præclara illa & nunquam satis laudata. Beati Augustini sententia. Nouerim me, inquit, nouerim te, oratum est.

Quod epistola ad Roma. tractet fidei fundamenta, & quæ sint illa.

Ordo denique congruentiæ idem requirebat. Erat enim primùm ipse Beatus Paulus ciuis Romanus, ex Tharso Ciliciæ oriundus, cuius loci ciues, ipsorum Romanorum beneficio, Romani quoque cines effecti erant. Nihil ergo mirum si hoc Spiritus intendit, vt homo Romanus doctrina sua primum Romanos curet instituendos, quibus & proprium dedit sanguinem, quo in ea Vrbe fuso compleuit suum testimonium. Adde quòd ipse idem Apostolus doctor Gentium fuit à Spiritu sancto ordinatus. Gentium ergo caput, quod erat Roma, præhonorari debuit. Quamobrem congruum fuit, vt & Romani primi de verbo salutis, & de præceptoris sui doctrina gauderent.

Quomodo Paulus erat ciuis Romanus.

Neque verò existimandum est parū referre in scripturarum collocatione, quem quæque locum obtineat. Id enim D. Hieronymus intelligens, vehementer in eos indignatur, qui B. Petri epistolas, epistolæ B. Iacobi præponere de proprio sensu, & contra ordinem ab ecclesia Dei præstitutum, tentarunt. Quocirca non immeritò quidam Erasmum notarunt, qui & hunc ordinem peruertere molitus est, præferens Beati Petri epistolam illi, quæ est B. Iacobi, licet ipse more suo, tanquàm calumniam, hanc accusationem reiiciat. Cum autem omnis epistola de more præferre titulum soleat ante tractatum, hæc autem præcipuè titulum habeat plenum, & ex omni parte perfectum, libuit super eo paulò accuratius contemplari. Lector attende.

PAulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, &c. Tria sunt, quibus titulus perficitur. Notificatio personæ scribentis. Notificatio eorum ad quos scribitur: & Salutatio. Quoniam verò personæ notificatio à tribus principaliter fit, videlicet à nomine proprio: deinde à statu: tertio ab officio, hæc tria pulchrè in hoc titulo licet inspicere. ait

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo: *Paulus*. Ecce nomen. deinde addit: *seruus Iesu Christi*. Ecce status. adiungit: *vocatus Apostolus*. Ecce officium. Sed de ipso quidem nomine duo non frustra, neque infructuosè quæruntur, tametsi quidam morosi, parúmque in sacra lectione versati, hæc tanquàm superflua fastidiant. Primum est, quo tempore nomen hoc fuerit illi impositum, vt Paulus vocaretur, cum scripturæ illum, antequàm eius narretur conuersio, Saulum nominent. Non desunt plerique, qui asseuerant illum ab initio fuisse binomium, vt tanquàm Hebræus Hebræo nomine; Saulus; vocaretur: Latino autem & Romano; Paulus; cum esset ipse ciuis Romanus. Posset quidem hæc opinio facilè admitti, nisi scriptura illum à certo quodam tempore Paulum vocare inciperet, anteà verò semper Saulum. Sicut enim Abraham, qui primò Abram dictus est, ex eo quòd & nomen mutatum fuit, vocatus est Abraham, & non antè: ita videtur de ipso Paulo conueniens, vt ex eo tempore nomen illud acceperit, ex quo cœpit eo nomine vocari non antè. Non igitur ab initio fuit illi nomen, Paulus. Quamobrem summus pontifex Damasus, qui & versibus eius honorauit sepulchrum, vt Romæ legebatur, putauit à die sui baptismatis sic illum fuisse nominatum. Verùm huic opinioni similiter obstat, quòd multo tempore post baptismum semper Saulus, nunquã Paulus vocatus est. Itaque D. Hieronymus in ea fuit sententia, vt existimaret ab illius Pauli Sergij proconsulis insigni conuersione nomẽ illud fuisse comparatum: quod & B. Augustinus probauit aliquando, tametsi non in hoc acquieuerit, sed alibi aliter scripserit.

Quãdo, & quare mutatum fuerit nomen Apostolo, vt Paulus vocaretur.

Verùm si in gratiam veritatis differere conceditur, præposterum omninò videtur, cum qui excellat, à minore nomen honoris accipere. Nam vter (quæso) maior, Paulus Apostolus Iesu Christi, an verò Paulus proconsul? Quis præstantior, qui conuertit, an qui conuertitur? Nomina enim & insignia homines obscuri à claris nobilibúsque viris sibi quærere solent, non è diuerso. Præterea & illud valde refragatur, quòd & scriptura ante conuersionem illius Proconsulis, Paulum appellauerit. Quare perspicuum est, priusquàm ad fidem venisset Paulus Sergius, Apostolum nostrum Pauli nomine appellatum fuisse. Ait enim scriptura de illo Sergio, quòd iussit accersiri Paulum, & Barnabam. Quamobrem ego existimo tunc illi mutatum fuisse nomen, quando ille in Apostolatum fuit solemniter per orationes, & ieiunia, & manuum impositiones assumptus cum Barnaba, & segregatus ad Gentes. Non enim fuit à principio in facie ecclesiæ missus à Christo, sed postmodo Spiritussancti iussu declaratus fuit, & segregatus in Gentes. Et meritò quidem tunc accepit nominis mutationem: nam factus est quodam modo alius, & muratus de terra in cœlum. Ob eam causam non audet Propheta vocare Apostolos terræ nomine, sed cœlorum, aiens. Cœli enarrant gloriam Dei. Quare & Petro dedit hoc nomen Dominus, vt Petrus vocaretur, nimirum cum in apostolicum gradum euexit illum, vt est apud Marc. 3. c. etsi aliter B. Chrysostomus, & Augustinus aliquando existimauerint, quorum prior dixit hoc illi nomen impositum fuisse à Domino, cum dixit ei: Tu vocaberis Cephas; alter vero tũc, cum fuit illi dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Sed B. Marcus euangelista diuimit quæstionem, & id quod dicimus probat. Similiter enim & filios Zebbedæi tunc alio nomine honorauit, quando designauit Apostolos. Hinc mos inualuit, vt culmen Apostolicum conscendentes, videlicet Beatissimi Papæ, vrbis Romæ Episcopi, nomen mutent, cum (vt ipsi loquuntur) intronizantur. Verum in B. Paulo mutandi nominis etiam alia fuit ratio. Vocabatur enim anteà Saulus, quòd est nomen Hebræũ, Gentibus ipsis parum admodum plausibile. Nam Gentes vetere odio Hebræos, quasi prorsus superstitiosos ac superbos, prosequebantur, vt qui à ritibus cultúque, quem suis idolis exhibebant, longissimè recederent. Debuit igitur nomen Gentibus non odiosum, sed iucundum, sibi ascisceré, quùm ipse doctor Gentium à Deo eligeretur. Fuit porrò in promptu, vt illi Romanum nomen imponeretur, cum (vt diximus) ciuis Romanus esset, & Roma caput Gentium: ex quo nomine facilem sibi aditum ad maiorem gratiam conciliaret. Siquidem Paulus propriè Romanum nomen est ac celebre, propter insignes viros, qui eo nomine sunt vocati.

Actuũ 13.

Cur mutatum fuerit nomẽ Apostolo.

Cur & quãdo mutatum fuit nomen Petro.

De mira conuenientia nominis Pauli.

Quòd verò hoc nomine; *Paulus*, vocaretur, valdè insuper & per omnia congruit primi status sui mutationi, ob singularem, excellentem, & mirificam conuersionem suam. Conuersio enim quæ vera est & solida, animi disiectionẽ summissionémque requirere consueuit, vt is qui conuertitur, paruulus fiat, & modicus in oculis suis, dicente Domino: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Debent enim quicunque Christum Dominum profitentur, paruuli simplicitatem induere, sicut ipsemet Paulus ait. Malitia paruuli estote. Et Beatus Petrus: Quasi modo geniti infantes lac rationale & sine dolo concupiscite. Et quid (obsecro) discriminis statueretur, si loco eius quod dixit Dominus; paruulus, substitueretur, Paulus, & diceremus: Nisi efficiamini sicut Paulus iste? Qui certè typus fuit, & verum exemplum omnium, qui syncerè ad Deum conuertuntur. Vera enim conuersio in illo verbo inspicitur, quod prostratus ipse ex toto corde protulit. Quid me vis facere? Et vide quàm congruè (vt perfectam omninò conuersionem agnoscas) de Saulo factus est Paulus, id est, de lupo ouis, de inquieto quietus. Nam Paulus, si græcum ethymon respiciamus, quietum significat, ὅπερ ἐστὶ παῦλαν, quod est quies. Saulus verò inquietum, ὅπερ τοῦ σαλεύειν, quod est quatere, commouere, coagitare, fluctuare. Factus est item de dissipatore, & destructore, ædificator & operator ecclesiæ, qui vt sapiens architectus fundamentum posuit, & plus cæteris omnibus laborauit: cui rei conuenit similiter hoc nomen, Paulus, si ethymologia ab hebraico verbo, Paal, quod est operor, recipiatur. Aliqui aiunt Paulum hebraicè significare, os tubæ. Quæ res etiam illi vehementer quadrat. Nam per illius os, quasi per Spiritussancti tubã, Dominus vbique terrarum euangeliũ personuit.

De eximia ac mirifica Apostoli cõuersione.

Matth. 18.

2. Cor. 14.

1. Pet. 2.

Hæc de nomine Pauli.

Seruus Iesu Christi. Hic à statu se notum facit, quoniam seruum se profitetur, sed Iesu Christi. Miror autem hoc in loco Caluini hæretici temeritatem, qui solus audet mutare hanc vocem, *seruus Iesu Christi*, Et eius loco supponit, minister Christi. Quid hic prudens vir sentiat de eiusmodi hominibus, nisi eos esse amantes nouitatum absque vllo fructu? Certè græcè legitur δοῦλος, id est, seruus, & Iesu Christi, nõ Christi. Sed mittamus rem non dignam vel cogitatione, & sensum Apostolicum inuestigemus. Dixit quidam ex Iurisconsultis Deterrima est conditio seruitutis, quæ est maxima capitis diminutio apud Iurisperitos. Vnde & in Esau status inferior designatur est per hoc, quod dictum est. Maior seruiet minori: Tamen vt plenius hæc intelligat is qui ignorat. Sciendum est, quòd ille propriè dicitur seruus, quicunque non sui, sed alterius gratia est, vt ait Philosophus. Naturaliter ergo quicunque alio indiget, eius quodã modo seruus est. Cum autem nulla creatura sit sibiipsi sufficiens, sed alia indigeat, maxime autem Dei beneficiis foueri (solus enim Deus nullius eget) relinquitur, nihil præter Deum, qui summè liber est, vera & summa libertate potiri posse, vt nulli seruiat. Ait creatura de Deo. Bonorũ meorũ non indiges. &: Omnia seruiũt tibi. Porrò creaturarum quæ Deo seruiunt, aliæ quidem naturali instinctu ei seruiunt: aliæ verò etiam voluntate. De prioribus tractare non est præsentis instituti. Earum ergo quæ voluntate seruiunt, quædam qui lẽ liberè: quædam verò coactè seruiunt. Quoniã verò coactè seruire, pœnam habet: quia quod nobis charissimum est opptimitur. nempè ipsa libertas, quam mirum in modum diligimus, ideò huiusmodi coacta libertas, quæ in seruitutem redacta est (vt sic) miseriam habet. Paulus verò noster non coactè, sed liberè seruus erat.

In audaciã nouorũ magistrorum.

De dignitate Christiani status, & nobili seruitute.

Gene. 25.

De diuersis generibus seruitutis.

1. Cor. 6.

2. Pet. 2.

Ioan. 8.

Christiana seruitus, vera est libertas.

Amplius, Earum quæ seruiunt voluntate non coactè, quædam quidem seruiunt superiori, cui parere debent, vt natura poscit & ratio: Quædam verò inferiori, & innaturaliter, & propter culpã. Et prima quidem seruitus nihil miseri habet: at secũda prorius est miserrima. Verbi gratia. Si peccato seruias, si Diabolo, si contra Deum facis, & contra rationem: quoniam subdis te inferiori atque indigniori re, & à debita erga superiorem seruitute te subtrahis, miserrima hæc prorsus seruitus est, eóque futura miserior, quò magis spontanea fuerit. Seruire igitur Iesu Christo sponte, quia nõ innaturale est, sed secundum Deum & rationem, non solùm non est miserum, sed valdè beatum, & eò beatius, quò magis spontaneum. Ipse enim nos iure possidet, qui nos pretio magno (vt ait Paulus) redemit. Empti estis, inquit, pretio magno, & non estis vestri. Imò per hanc seruitutem in illum, liberati sumus ab illa miserrima atque indignissima seruitute, quę erat peccati, & Diaboli, sicut ius erat ob culpam nostram. Vnde scriptum est. A quo quis superatus est, eius & seruus est. &: Qui facit peccatum, seruus est peccati. & rursùm ibidem. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Ergo in conditione, in qua est creatura, cum nequeat summa esse libertas, tunc non esse seruitus dicitur, sed libertas, quum nulli rei quæ sit infra nos, aut etiã æqualis nobis, subiicitur. Talis autem est qui Christi seruus est, qui vincit mundum, & nulli subiectus est, nisi Deo, & hoc libenter. Nam sicuiquam alij subditus est, propter Deum subditus est, ideo reuera potius ipsi Deo. Vnde duo, quæ onerosam admodum miseramque faciunt seruitutem, & illã in primis cuius deterrima est conditio, in hoc seruitutis genere locum minime habent, coactio, vi delicet, & innaturalitas, vt quùm quis seruit inferiori, aut pari: nam hoc innaturale est.

Accedunt ad hanc nobilem seruitutem etiam dignitates. Nam qui sic seruiunt, non solùm liberi (vt dictũ est) facti sunt ab inferioribus, & æqualibus, sed etiam domini inferiorum: vt propterea illud verũ esse experiantur. Seruire Deo, regnare est: & amplius, efficiuntur amici Dei, & filii. Vnde dixit Dominus. Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Et cum simus per eius spiritum adoptati in filios Dei viui, rectè filij Dei & nominamur, & sumus. Sic ergo & ipsemet Christus vocatus est seruus de quo scriptum est. Ecce seruus meus quem elegi: qui tamen omnium erat liberrimus, vtpote dilectionis Filius. Per hanc ergo non deterrimam sed optimam pulcherrimæ, fœlicissimæ, ingenuissimæque seruitutis conditionem, seipsum facit nobis notum Apostolus, & insinuat: qui & alibi de seipso testatur his verbis. Vos scitis à prima die, qualiter fuerim vobiscum per omne tempus, seruiẽs Domino cum omni humilitate, & lachrimis, & tentationibus &c.

Ioan. 15.

Isa. 42.

Act. 20.

Dignitas ergo huius seruitutis elicitur à persona cui seruitur, nimirum Iesu Christi, cuius se seruum profitetur, & ex quo talis seruitus magno honore digna habetur. quæ his nominibus accipienda est, Iesus, &, Christus: quæ sunt nomina magni ponderis. Nam Iesus, id est, Saluator, cœleste nomen est, ab Angelo prius vocatum, quàm conciperetur, conuenientissimum quidem operi quod perfecit: quia operatus est nobis salutem in medio terræ. Et quidem hoc congruentissime, vt per quem factus erat mundus in prima conditione per sapientiam atque omnipotentiam, per eũdemmet repararetur per insipientiam & infirmitatem, quæ à summo erga nos amore processit. Illa nanque sua insipientia atque infirmitate, delicta à nobis nostra abstulit, & in se transtulit punienda. Vnde & ipsemet ait: Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel. Quod est dicere. Nemo scandalum patiatur à stultitia Crucis & infirmitate: qui salutem expectant à Domino, requirant illam; quoniam hæc insipientia in illo summam habet sapientiam. Eius enim erat reparare, cuius fuit condere, & non alterius. Cum ergo per ipsum, & in ipso, & propter ipsum, condita essent à Patre vniuersa, decuit vt & per ipsum, & in ipso, & propter ipsum instaurarentur dilapsa. Quo factum est vt hoc nomen Iesus, meritò sit super omne nomen, summáque veneratione dignũ, vt in illo omne genu flectatur. Extat & iustissimũ Pontificis decretũ, quo mandatur, vt ad hoc nomen, Iesus, omnes inclinarent caput. Verum quàm multi sunt, qui ir-

De nomine Iesu.

Psal. 68.

De decentia Redemptoris.

Quod nomen Iesu sit verandum etiã

Universidad de Deusto
Biblioteca

canonis præcepto. reuerenter & audiunt hoc sanctissimum nomen, & pronunciant? Nonnulli etiam non sine frequẽti blasphemia. Neque illud minus Deo displicet, quòd plerique hoc sanctissimo nomine abutũtur ad suam hypocrisim contegendam, quales sunt hęretici, qui cum nudis verbis eum sexcenties ferè in vna & eadem pagina confiteantur, impietate tamen sua, & professione falsorum dogmatum sunt Antichristi.

Hypocrisis hæreticorũ

De hoc nomine; christus; et eius significatione. Christus, aut cognomen est, aut agnomen nomini proprio adiunctum, quo declaratur eius excellens gratia, cui non ad mensuram datus est spiritus. Christus enim grecè, idem est quòd; vnctus latinè; Hebraicè dicebatur Messiach. Vnde & scriptum est: Spiritus Domini super me, eo quòd vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. & alibi: Vnguentum effusum nomen tuum. &: De cuius plenitudine omnes accepimus. &: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis, hoc est, præ his, qui ipsius gratiæ participes fiunt. Hoc enim vnguentum, & oleum, significant gratiam & dilectionem spiritus. Consueuerunt autem vngi Pontifices, Sacerdotes, Reges, ac Prophetæ, quemadmodum ex sacra scriptura traditur, vt de Aaron, & filiis, de Dauid, & Salomone, denique de Elisæo: quia specialiter in hoc Christum significarunt. Nam huiusmodi genus hominum pollere gratia super alios decet, cum per illos in alios deriuet. Pontificis enim & sacerdotis est, mediatoris officium facere inter Deum offensum, & homines qui offenderunt. Regis est pascere, & prophetæ est docere. Vt autem ad hæc officia sit quis idoneus, necesse est vt supra modum communem abundet gratia. Quis enim idoneus mediator ad conciliandum inimicos principi, nisi qui plurimum gratia valeat apud principem? Et quis est rex idoneus, nisi cui adfuerit multa sapientia ad regendum? quæ sapientia est à gratia, & Dei dono. Similiter quisnam alios probè valeat perdocere, nisi cui adsit scientia exundanter ac sapientia? Sed & hæc sunt dona Dei. Itaque vnctione opus est his, ad quos hæc munera pertinẽt. Quę tria fuerunt eximiè ac eminenter ipsius Christi. Alij post illum huiusmodi donorum participes fiunt: vnde & qui prope ipsum fuerunt excellentiores aliis, excellentius & ipsi quoque Christi præ aliis appellati sunt, non tam quia typus fuerunt veri Christi, quàm quia participarunt de eius oleo abundius. Vnde & scriptum est. Nolite tangere Christos meos. Et Dauid pepercit Sauli, eò quòd esset Christus Domini. Christus igitur noster fuit eminenter Christus: quia Pontifex, Rex & Propheta summus, cuius se Paulus seruum profitetur, vt hinc statum suæ seruitutis esse optimum declararet: sicut de huiusmodi seruis Regina Sabba Salomoni dixit. Beati serui tui qui stant coram te, & audiunt sapientiam tuam. &c. Hactenus de statu.

Isa.61. Cant.1. Ioan.1. Psal.44.

Christus Sacerdos, Rex, & Propheta.

Psal.104.

3.Reg.10.

Vocatus Apostolus. Postquàm & à nomine, & à statu se iam insinuauit, modo (quod minime prætermittendum erat) ab officio declarat, quòd erat Apostolus. Ait enim, *Vocatus*, id est, vocatione Apostolus. Non enim sua sponte ausus est hanc rapinam facere, sicut nunc multi faciunt, rapientes ea quæ ad illos minime pertinent. Et quod intolerabilius est, ipsimet hoc detestantur, cum ad hæc scripturarũ loca descendunt, cum tamen in hæc arrogantissime, & impudentissime committant, vt agnoscere valeas in eis frontem meretricis: & hoc sanè iustè, vt damnationẽ ore proprio consequantur. Sciebat B. Paulus, quòd nemo accipere quicquàm à seipso potest, nisi fuerit illi datũ de cœlo, vt B. Ioãnes Baptista prædixerat. Nam & ipse met dixit. Nec quisquã assumit sibi honorẽ, nisi is qui vocatus est vt Aaron. Oportebat ergo ad hoc officium per vocationẽ ascendere. Vnde ait de Apostolis B. Marcus. Vocauit quos voluit. Vt intelligeres, quòd hæc vocatio non ex meritis, aut dignitate illorũ fuit, sed ex meravoluntate ac dignatione: Et fecit vt essent duodecim. Quo in loco, vt intelligas officij excellentiam, id sonat hæc vox, Apostolus; quod missus. Missio autem dignitatem habet, tum à mittente, tum à re ac negotio, ad quod quisque mittitur. Quare quæ à Deo missio est, illa est digna præ cæteris, quæ non sunt à Deo.

De vocatione Beati Pauli ad Apostolatum contra nouos hæreticos.

Ioan.3. Heb.5. Marc.3.

Verum eorum qui missi sunt à Deo, vnus excellenter missus fuit à Deo Patre immediatissime, & ille quidem non ad quodlibet ministerium, sed ad summa munera & præstantissima, nempe ad redimendum genus hominum, & legem illi dandam. Hic fuit Christus filius eius. Iccircò vocatur eminentissime Apostolus ab ipso B. Paulo. Considerate, inquit, Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum.

De dignitate Apostolatus, et varia missione.

Heb.3.

Post hunc B. Ioannes Baptista de hominibus insigniter missus est. De quo dicitur. Fuit homo missus à Deo. Sed tamen non sicut Christus, audiens ipsissimam Patris vocem. Vnde ipse Baptista dixit. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Dei filius, qui est in sinu Dei Patris, ipse enarrauit. Et ille quidem missus fuit, vt Christum indicaret, eiúsque viam præpararet, quod fuit magnum & egregium munus, illi datum soli. Vnde & Angelus vocatus est. Post Christum verò & B. Ioannem, præ cæteris omnibus electi sunt duodecim principales, Apostoli verbo Christi, ad euangelium propagandum. Hoc enim nomine ipse vocauit illos, vt B. Lucas testatur, licet vnus eorum ab hoc munere sua perfidia exciderit Iudas, in cuius locum Matthias subrogatus est: & tunc fuerunt Apostoli verè, ex quo dictum eis fuit. Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos. & iterum. Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Nam anteà non habuerunt potestatem prædicandi, nisi in Iudæa: & nec ibi voluit ab eis predicari se esse Christum. Itaque verus eorum apostolatus post resurrectionem incœpit, quando in vniuersum orbem missi sunt. Post hanc verò missionem, fuit illa insignis B. Pauli in apostolatum electio per Christum, qui dixit. Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coràm gentibus, & regibus, & filiis Israel. Cui postmodo & Barnabas adiunctus est per Spiritum sanctum, vt non fuerint ij gradu inferiore, quàm cæteri per Christum vocati: quia & ij simpliciter Apostoli instituti sunt, de quibus manifestè iussit Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Et cum sacratus esset numerus duodecim, qui vo-

Ioan.1. Marc.1. Luc.6. Ioan.20. Marci vlti. Actuũ 9. De nobili Apostolatu B. Pauli Act.13.

vocatus fuit, prius etiam sactatus est numerus quatuordecim postmodo. Nã ille ter quatuor: hic decem & quatuor complectitur, vt significetur in vtroque numero perfecta euangelij lex & stabilis, tribus finiri virtutibus, fide, spe, & charitate: & in illa contineri decẽ præcepta legis, atque perfici.

Tertius ordo est eorum, qui licet ad idem opus missi fuerint à Deo, non immediatè tamen, neque absolutè in omnem terram, sed per ipsos Apostolos, eorúmque successores ideò non vendicarunt sibi hoc nomen absolutè, sed cum adiuncto. Vocati sunt enim quidã à B. Paulo, Apostoli ecclesiarũ, videlicet certarum ecclesiarum, ad quas mittebãtur. Vt B. Dionysius, Apostolus Galliarum dicitur: & ita de aliis dicendum. Vnde vt ab iis B. Paulus segregaret Christi Apostolos, id est, illos qui à voce Christi erant electi, supra modum, id est, eminenter, Apostolos appellauit. Nam horũ erat præ cæteris, & principaliter signa facere: quia eorum erat statuere fidem. Vnde B. Paulus qui par illis erat, negat se superatum ab eis in omni patientia, in signis, prodigiis, & virtutibus.

2.Cor.12.

Extremus ordo (quod pertinet ad missionem) eorum est, quicunque post promulgatum euangelium mittũtur à prælatis suis ad exponendũ ipsum euangelium, & ad prædicandum, non promulgandum, quales sunt Episcopi, & qui in ecclesiis christianis à præpositis, missi concionantur, & agũt Ecclesiasten. Verum hoc nomen nemo, præter primos, potest iure sibi tribuere absolutè, vt vocetur Apostolus, etsi missi fuerint omnes à Deo. Sicut nec omnes qui nunciant, dicuntur Angeli, sed qui à Deo, & qui de cœlo nunciant, dicuntur Angeli: licet vox ipsa non aliud, quàm simpliciter nunciũ significet. Scriptura tamen hac voce, sacerdotes, & insignes aliquos vitos, & præpositos honorat, vocans Angelos, vt apud Malachiam de B. Ioanne Baptista legitur: & de Episcopis septem ecclesiarum, ad quos loquitur Dominus per dilectum discipulum in Apocalipsi. Et idem sentiendum est de hac voce, Euangelista; quæ peculiariter ad eos, qui euangelia scripserunt, accommodatur: cum tamen & Euangelistæ dici possent plerique alij: & vtrunque testatur B. Paulus ad Eph. & ad Timoth. Hic velim cogitare hæreticos (si fieri potest) quisnam sit qui eos mittat: & cogitare, quòd indoctũ vulgus possunt quidẽ fallere, sed non ipsum Deũ, nec eos quos edocuerunt scripturæ sanctæ.

Angelus quid significet.

Quid euangelista.

Arrogantia hæreticorum.

De segregatione Beati Pauli. *Segregatus in euangelio Dei.* Qui segregatur, ab aliquo segregatur, cui prius hærebat. A tribus ergo segregatus fuit B. Paulus, vt totus euangelio incũberet. Primùm à synagoga Iudæorũ, cui prius nimiũ permitiosè iungebatur. Vnde ipse aiebat. Cũ autẽ placuit ei qui me segregauit ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiã suã, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarẽ illũ in gentibus &c. Secundò segregatus fuit à cæteris Apostolis, vt cũ Barnaba iret ad Gentes. Sic enim dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulũ, & Barnabam. Tertiò segregatus fuit ab omni alio negotio, vt expeditissimè legationę euangelica fungeretur: quod ipsemet affirmat his verbis. Non n. misit me Dominus baptizare, sed euangelizare.

Gal.1.

1.Cor.1. Euangeliũ *In euangelium Dei.* Euangelium est bonũ nunciũ, quod venit à Deo benedicto. Et verè bonum nũcium, à quo tria bona nobis summatim afferũtur. Primum est, summi mali depulsio: Alterum, summi boni adeptio: Tertium, modus, quo hæc obtinuimus, summè amabilis atque acceptabilis. Et hinc quam longa tela extendi posset, ô bone Iesu, ad vulnerandam tui amore animam piam.

quid, & eius summa vtilitas.

Quod ante promiserat. Ne quid nouum & suspectum videretur afferre, id primum commemorat, fuisse, scilicet, multo tempore anteà promissum. Nam hæc series diuinæ erga ecclesiam prouidentiæ confestim ab ipsi conditione mundi ad hæc vsque tempora, continuis traditionibus, nobis per Patres innotuit. Optimus enim & clemẽtissimus Pater nullum reliquit fluere temporis spacium in orbe terrarũ notitia euangelij vacuum. Vnde mysterium ab initio Adæ commendatum est de Christo, & Ecclesia, sicut docet Apostolus ad Ephesios scribens: quanquam reuera antequã veniret, ac seipsũ manifestaret & explicaret, plurimis fuit absconditum, sicut in eadem epistola testatur. Et hoc est quod tenacissimè nos in fide debet retinere constantes, videlicet ista admirabilis catena temporum, vnde & Christus ab origine mundi, & in quauis ætate notus fuit. Quare Moses. Memento, inquit, dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi. Hæc si considerassent, non fuissent scandalum passi illi, qui in Christum obiiciebant. Quæ est hæc doctrina noua? Non enim quodcunque est nouum cuipiam, nouum est absolutè. Hic verò nota astum hæreticorum, qui cum noua quædam obtrudant, non tamen tanquam noua commendant, ne inuidiam ineant, & suspitionem, quòd sint nouatores. Aiunt enim sæpenumero: Olim sic erat, mendaciter tamen, & calumniosè, atque cauillosè. Hic obiter admoneo: alibi etiam probo, præcipuè in lib. de consideratione temporum.

De promissione Euangelij antiquissima.

Deute.32. Marc.7. Astus hæreticorum.

Per prophetas suos. Prophetæ olim dicebantur Videntes, & secundum scripturas intelligitur, non de visione quæ est à virtute hominis, & est eorum quæ potest ipse homo, vel sensu, vel intellectu perspicere, sed eorum quæ vim sensus excedunt, & sunt omnino supra captũ hominis: quia videntur lumine superiore. Vnde legimus: Plurima supra sensum ostensa sunt tibi. Ideò hæc vox, propheta; sic accipitur propter subiectam scripturæ materiam, quæ est de his quæ supra sensum sunt. Porrò varij sunt prophetarum gradus, quemadmodũ item sunt diuersi videndi modi, alius alio dignior ac nobilior. Christus solus est summus Propheta qui in Deo limpidissime vidit semper, & quæ vidit annunciauit, in quo prophetæ significatio completur. Vnde eminenter in scripturis Propheta dicitur, qualem se esse negauit B. Ioannes Baptista, qui tamen plusquam propheta vocatus est. Sciendum tamen est, quòd ij proprie ac peculiariter prophetæ dicuntur, qui de Christo pronunciarunt, & ita hoc in loco intelligit Apostolus. Vnde Dominus. Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Dicitur nihilominus propheta, qui interpretandi scripturas habet facultatem: quia eodem, quo factæ sunt, spiritu exponi debent. Quam obrem Beatus Petrus ait. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ pro-

1.Reg.9. Propheta quid. Eccle.3. Solus Christus summus Propheta. Qui proprie in scripturis dicãtur prophetæ. Matth.11. Epistol.2. cap.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, &c. Et de huiusmodi prophetia dicitur. Cùm defecerit prophetia, dissipabitur populus. Et iuxta hunc intellectum hortatur nos B. Paulus ad æmulationem, vt expetamus hoc prophetiæ donum, potius quàm loqui linguis, idque propter ædificationem ecclesiæ. Dixit autem hîc, *per prophetas suos*, ne arbitrarentur aliquid illum confictì in iis allaturum, quæ erat eis annunciaturus, cum in prophetis, qui multò antè scripserant hæc eadẽ haberentur. Vnde & Dominus Iudæos hortabatur, vt scrutarẽtur scripturas: quoniam illæ de ipso loquebantur. Quare recte B. Hieronymus: Ignorantia scripturarum est ignorantia Christi. Et bene ait *prophetas suos*: quia & Diabolus etiam suos habet prophetas, sicut quidam dixit. Ero spiritus mendax in ore prophetarum. Et Dominus aduersus istos Diaboli prophetas conqueritur. Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.

1. Cor. 14.

Ioan. 5.

3. Reg. 22. *In pseudoprophetas.*

In scripturis sanctis. Ne quis diceret: Et vnde habemus hoc esse Dei prophetas? Ecce, commẽdata sunt eorũ oracula scripturis, & his quidẽ sanctis, idest, mundis, firmis, & ab aliis segregati, vt pote purissimæ, atq; irrefragabilis autoritatis, & veritatis, & super quas diuinæ prouidentiæ oculus semper fuit intẽtus, vt illibatissimæ persisterent: & iã tunc promulgatæ erant in Gentes, apud quas etiã autoritas illatũ præualebat. Quòd si quis quærat. Et vnde habemus, quod scripturæ sint sanctæ? Respondetur, eas esse sanctas, quas summus Põtifex esse sanctas decernit, & ecclesia in hoc ordine recipit. Necessaria autem fuit scriptura sancta in ecclesia Dei, vt in his quæ supra captum nostrum erãt, fideliter humana regeretur infirmitas, & certò sciretur quid credendum, quid faciendum, quid deinque à nobis sperãdum. Nunc verò multi sunt, qui nobis suas prophetias obtrudunt, quæ à scriptura nullam prorsus accipiunt commendationem, & tamen volunt nos ij cogere vt credamus. Sed non habent certam veratum prophetiarum notam, quæ est materia eius. Non enim loquuntur de Christo, nec eas probauit ecclesia, ideò sequitur.

Proprietates sanctarum scripturarum, quibus ab aliis distinguuntur.

De filio suo. Hæc est materia, & principale subiectum omnis prophetiæ, & totius scripturæ. Nam de Christo loquitur vniuersa, & ad ipsum cuncta rediguntur, & ipsi prophetæ specialiter, & non de regnis hominum atque imperiis vaticinantur, nisi quòd his olim vtebantur tanquam inuolucris quibusdam & figuris, & illi populo carnali, qui sic primò erat alliciendus. Et nota, quòd certus filius per articulum designatur, vt scias eum esse quem Pater sanctificauit, vt in eo cæteri quodam modo insererẽtur. Nam & singularis hæc appellatio, quòd singulariter filius Dei dicatur, non competit in vllum alium, quàm in ipsum Christum, teste Apostolo ad Heb. capitu. 1. Et cum ita sit, Iudei tamen adhuc velamen habent, & nonnulli Christianorum, qui ita nudam sæpe sequuntur literam, vt spiritus oculum amittant. Hinc signum habes ad discernendos prophetas, vt omnis qui non conducat & promoueat ad Christum, & eius fidem, vanus, & suspectus tibi sit. Ego enim Dominus, (ait Spiritussanctus) docens te vtilia. Sed mundus tales facit, qui ad illos ait. Loquimini nobis placentia. Et Dominus ob hoc permittit: quia sunt homines curiosi, maximéque de rebus fluxis & temporalibus solliciti, & facile sustinent deceptionem. Quare spiritui nequam dicenti: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore prophetarum, Respondit: Decipies, & prævalebis. Egredere, & fac ita.

Nota.

Nota discretionis prophetarum.

Isa. 48.

Cur permittatur a Deo pseudoprophetæ.

Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Manifestè per hoc adiectũ, *secundum carnem*, resoluit quod obiici poterat. Quomodo factus est, qui non habet causam? Et de quo habemus in symbolo: Genitũ non factũ? Respondebitur id in symbolo negari secundum naturam diuinam: quoniam verbum non est factum. Hoc verò quòd sit factus secundum carnem, id est, secundum humanam naturam, admittimus: Nam ex tempore prodiit homo. Quare nihil est absurdi de eadẽ persona prædicari opposita, ob diuersas naturas in eodem supposito consistentes. Carnis autem appellatione hîc totus homo significatur. Vnde dicitur: Verbũ caro factum est. &: Videbit omnis caro, salutare Dei. Et hîc est locus vbi satis palàm ostenditur Christus non purus homo, sed etiam Deus. Cur verò dixit, *ei*? B. Ambrosius interpretatur de Patre, quòd factus est ei filius. Hoc B. Thomas non satis probat, videlicet modum hunc dicendi: Christus factus est Patri filius. Neque hunc admittit. Homo factus est Deus, quem tamen nonnulli recipiunt, & probant. Ego verò non operæpretium duco de verbis hîc esse contendendum. Qui rem capiunt, facile sensum intelligunt, possúntque eũ separare, qui admitti valeat, ab iis qui absurdi sunt. Si enim hoc dicto. Homo factus est Deus; intellexerimus hoc factum esse per illam, scilicet carnis assumptionem, & vnionem naturarum in vno supposito, vt homo sit filius Dei, & Deus, verus est sensus. Sin autem intelligimus, quòd homo aliquis iam existens homo, sit factus Deus, videlicet postquam est homo, non est veritas in hoc dicto. Quòd verò illa oratio non possit sensum priorem recipere, ego quidem asserere non ausim. Et ipse B. Thomas concedit hanc: Filius hominis prædestinatus est filius Dei. Qui tamen sermo eandem pati videtur difficultatem, si paulò subtilius dispiciatur. Sed hęc sunt scholasticorum.

Luc. 3.

Christi diuinitas.

Alia expositio est. *qui factus est ei*, id est, in eius gloriam: quia caput Christi Deus. Nam in eo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Patris sunt absconditi. Nullum enim aliud opus Dei magis ostendit omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem eius. Et nulla creatura suo quouis opere, ita glorificauit Deum, sicut Christus Patrem per obedientiam. Quamobrem nunquam Pater carere voluisset tali filio, etiam si Adam non peccasset, quemadmodũ peculiari tractatu exposuimus. In græcis tamen exemplaribus, que circunferuntur, nõ legitur, *ei*; Quæ lectio si vera sit, quod quidem ad hanc literam attinet, superiores expositiones superuacaneas reddit.

Christus est gloria Patris.

Col. 2.

Quod verò dicitur *factus ex semine Dauid*; habet quæstionem. Nam si ex semine Dauid, quomodo ex Spiritusancto? & quomodo nõ in peccato? Omnis enim qui ex semine viri prodit, peccat or cõstituitur, sicut habet doctrina sanctorũ. Non sum nescius quid ab aliis responderetur, nempe, quòd

non immediatè venit Christus ex semine Dauid. Vera quidem est hæc expositio. Mihi tamẽ magis placet, vt ipsam immaculatissimam Virginem intelligamus semẽ Dauid, ex qua natus est Christus, cum & ipse Christus dicatur semen Abrahæ, & semen Virginis. Et bene dixit; *Ex semine Dauid secundum carnem*: quia beatissima Virgo solam carnem ministrauit. Ipse autem Spiritussanctus suppleuit virtutem formatiuam, quę est in semine viri. Sicut enim prima mulier fuit ex primo viro Adã secundum carnem, quia de carne viri eam Deus eduxit: ita secundus Adam fuit ex Virgine secundum carnem. Meminit autem non ab re Apostolus ipsius Dauid ob factam illi promissionẽ: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Quid sit semẽ Dauid.

Qui prædestinatus est filius Dei. Primùm, quod latinè legitur, *prædestinatus*, Græcè absque præpositione legitur, ὁρισθέντος, id est, definiti, aut destinati, vel (vt scholia græca habent) declarati. Quo in loco cum multi multa dicant & varia, ego breui quod sentio, exponam. Non est dubium quòd Christus ab initio fuit prędestinatus, aut destinatus, seu definitus à Deo filius suus, non secundum diuinam naturam, quæ prædestinationem non recipit, aut destinationem vllam. Quæ enim æterna sunt, prædestinari, aut destinari non possunt, ergo (vt verè ait B. Thomas) secundum naturam humanam prædestinatus fuit. Quid igitur hactenus prohibet suscipere Christum fuisse destinatum aut determinatũ, seu etiam prædestinatum filium Dei, cum verè sic fuerit, inspecta humana natura, quam decreuit Dominus sibi vnire? Sed addit, *in virtute*. Nam in hoc fuit prædestinatio, vt esset filius Dei in virtute. Vbi prudẽs lector debet aduertere, de scripturis sanctis non vnam elici Christi sanctificationem, sed duas: sicut & nos qui sanctificati iam, aliam expectamus. Ipse ergo secundum primam sanctificationem, quùm venit in mundum, venit in forma serui, in infirmitate, exinanitus, humiliatus, Deus absconditus, vir dolorum, & experiens omne tentationum genus, & mortem tandem, ipsamque acerbissimam; non clamans, non contendens, sed mutus, & non aperiens os suum, & sicut agnus coram tondente se obmutuit. Quare secundum hunc sanctificationis spiritum non potest dici prædestinatus in virtute. Sed venit posterior sanctificatio, quã respexit prima prædestinatio Dei Patris. Nõ enim ab initio voluit Deus vt sic aduenirет nobis Christus infirmus, sed in suo decore & potentia: & ad hoc fuit principaliter prædestinatus à Deo. Quòd autem aliter factum est, propter peccatum fuit: quod peccatum prædestinationem quidem hanc non sustulit, sed in aliud tempus reiecit, quod Dei consilium ab initio fuit, si tamen interueniret peccatum. Vnde vt & hoc declararet, adiecit.

De prædestinatione Christi.

Nota.

Duo spiritus sanctificationis.

Secundum spiritũ sanctificationis ex resurrectione mortuorum, id est, eo spiritu, quo ipse à mortuis resurrexit. Ex tunc enim verificatur hic sermo perfectè, quòd fuerit filius Dei in virtute, videlicet, à die resurrectionis eius, quando accepit gloriam suam. Prius enim fuit filius hominis in infirmitate. Nam duplex fuit Christi generatio passiua, etiam secundum carnem considerati. Vna quidem cùm de Virgine natus est, de qua generatione scriptum est. Christi autẽ generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius, &c. Secunda verò cum à mortuis resurrexit, de qua scriptum est, teste B. Paulo ad Hebr. 1. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vtraque igitur generatio suam habuit sanctificationem. Prima enim generatione sanctificatus fuit per vnionem naturarũ, & secundum animam per gratiam Spiritus sancti, non autem secundum corpus, quod fuit passibile & mortale, infirmum & in glorium, peccatum factum & maledictum propter nos, teste Apostolo ad Gal. 3. & de hac ipsa prima sanctificatione Dominus aiebat. Quem Pater sanctificauit, vos dicitis quia dæmonium habet? Secunda autem, quæ plena fuit sanctificatio, fuit ex resurrectione mortuorũ, quando accepit gloriam suam, & factus est forma perfectionis nostræ. Nam illi sumus conformandi in gloria, vt ait inferius Apostolus de prædestinatis. Quos, inquit, prædestinauit cõformes fieri imagini filij eius. Et hanc ipse sanctificationem intelligi voluit, cùm dixit: Ego pro eis sanctifico meipsum, vt & ipsi sancti sint in veritate. Quia omnis nostra sanctitas in eius sanctitate fundata est, & ab ea venit. Dixit autem se id facere, quod paulò post erat facturus, tradendo videlicet se morti, vt sic istam vltimam sanctificationẽ mereretur, quam tamen à Patre petebat, tametsi ita esset prædestinatum, dicens. Pater glorifica Filium apud temetipsum gloria, quam apud te habui antequam mundus fieret, id est, quod initio de me erat apud te, videlicet, de mea gloria; quo modo gloria filij est gloria patris. Vnde etiam ipse pro nobis orauit Patrem. Sanctifica, ait, eos in veritate: sermo tuus, id est, verbum tuum, veritas est, sanctificans in tui gloriam ecclesiam tuam, vt reddas eam gloriosam, hoc est, illo posteriore simili sanctificationis spiritu ita glorifices eam, vt non habeat maculam, aut rugam, aut quicquam huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Nam & nos ipsi configurati illi, duplicem habemus generationem secũdum spiritum. Prior est spiritualis communiter in baptismo propter quod scriptum est. Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. & B. Petrus: Regenerauit nos in spem viuã. Posterior est in resurrectione, sicut scriptum est. In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. Vnde etiam duplex est sanctificatio nostri. Prima, qua sanctificamur in prima generatione nostra, & resurgimus spiritualiter à peccato. Et de hac scriptum est. Sed ablati estis, sed sanctificati estis. Et ad Col. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite: quæ sursum sunt sapite, non quę super terram. Secunda erit in communi resurrectione corporum, quando assimilabimur perfectæ resurrectioni ipsius Christi: quando præcipitata erit mors in sempiternum, & implebitur illud quod ait Apostolus, videlicet, quòd Christus tradidit semetipsum pro ecclesia, vt illam sanctificaret, videlicet primò sanctificans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt demum fieret perfecta sanctificatio. Quapropter addidit: vt exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem, rugam, aut maculam, vel quid tale, sed vt sit sancta, & immaculata. Sic ergo destinatus, aut prędestinatus est Dominus sanctificari, vt esset filius Dei tãdem in virtute, sicut scriptum est. Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Quod factum est

Duplex Christi generatio.

Matth. 1.

Rom. 8.

Ioan. 17.

Ioan. 17.

Duplex generatio spiritualis Christiani, & sanctificatio.

Matt. 25.

1. Cor. 6.

Col. 6.

Eph. 5.

in resurrectione sua. Tunc enim, quia secundò (vt diximus) genitus est perfectè, accepit fortitudinē, & decorem, & gloriam, & honorem, & sapientiā: addam, non ego, sed Dilectus discipulus, etiam diuinitatem. Hoc verò regius Psaltes in spiritu præuidens, *Apoc.5.* etiam præcinebat in psalmo illo: Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinē, & præcinxit se virtute. Et denuò: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Et rursum: Dominus regnauit, irascātur populi. Vide igitur vt procedit rectè & sine scrupulo, iuxta hunc sensum, sermo Apostoli, quòd Iesus à Deo Patre destinatus, seu prædestinatus est, videlicet secundum eam partem, quę subiiciebatur prædestinationi; & prædestinatus quidem vt esset Filius Dei in virtute: quāquàm ad tempus sit passus, interim in infirmitate existens, absconditus in forma serui, exinanitus, humiliatus, vir dolorum, vermis denique, & non homo, opprobrium hominū, & abiectio plebis. Id verò dispensatiuè propter necessarium nostræ redemptionis opus. Quod verò adiecit, Iesu Christi: doctè adiectum est: Quamuis non me lateat D. Augustinum annotare hunc sermonem, quasi durum, & excusare eo quòd hic sit mos scripturę, singulari plurale adiungere. Sunt & qui admonent ex græca litera posse legi Iesu Christo Domino nostro, vt cum superioribus hoc pacto iungantur, de filio suo Iesu Christo, &c. Mihi tamen videtur Apostolus longè illustriorem sensum porrigere. *Quæ sit resurrectio mortuorū Iesu Christi.* Quia enim in Iesu Christo, omniū mortuorum resurrectio continetur (Nam eo resurgente, & nos resurrectionem in illo certissimè adepturi sumus sua die) nihil duri habet hic sermo, sed id exprimit, quod verissimum est, nempe Iesu Christi resurrectionem, esse mortuorum resurrectionē: *1.Cor.15.* quia eius resurrectio causa est resurrectionis omnium. Hinc enim doctè ipse B. Paulus alibi euincit vniuersalem resurrectionem, videlicet à capite Christo, qui resurrexit. Ergo & membra resurgent, ne caput sine membris existeret: quod haberet nescio quid mōstri simile. Non me etiam latet diuersis modis hunc locum ab aliis exponi, quos non libet insectari. Ego eam intelligētiam attuli, quæ & planior videtur, & totā mysterij rationem, videlicet, incarnationis, & crucis manifestat.

Per quem accepimus gratiam, & apostolatum. Christus.n. est velut caput, vnde mēbra vigorem accipiunt. Propterea est scriptum: Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, accepit dona in hominibus. Hoc est, quæcūque dona nos habemus, illi data sunt pro nobis accipienti, vt ex illo in nos fluant; quomodo & nos in ipso, & ipse in nobis est. Vnde & apostolatum Pauli ipse dominus accepit, sed in Paulo. Ipse enim est in omnib⁹, qui sunt eius. *Quid est Gratia.* Dicit autem, *accepimus*, non; accepi; ne se singulariter prædicaret in eo, quod erat pariter aliis commune. Per gratiam intellige cœlitus demissum & infusum nobis inhærens donum, quo gratiosi coram Deo statuimur, statūque Christianitatis ingredimur, & candidamur ad gloriam æternā. De quo dono Dominus Samaritanæ dixit. O si scires donum Dei. Et paulopost: Aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hoc est donum quod contemnunt hæretici, quia illud amiserunt: & ideò exponentes hunc locum, aliò hanc vocem torquent. Per apostolatū verò officium intellige, quod iam superius declarauimus. *In eos qui vt loquantur latine, non exprimunt quod erat exprimendum.* Nec oportuit mutari hanc vocem iam receptissimam, & eius loco reddi, legationem, sicut quidam ex nouitiis fecerunt. Licet enim sit eadem significatio ex ipsa prima impositione, tamen non sic est ex vsu. Nam apostolatus maxime hoc apostolicum officium significat. Legatio verò etiam ad prophana extenditur. Sunt autem quædam voces, siue grecæ, siue hebreæ, quæ ad peculiarem significationem restringuntur, & ideò propter receptum diuturnúmque vsum seruari debent: vt est hoc nomen, Christus. Quod si latinè reddi oporteret, diceremus, Vnctus: quod nullus doctor vnquam ausus est.

Ad obediendum fidei. Hic finis Apostolatus, vt obediatur fidei. Licet autem quidam, fidei obediētiam ad assensum solum his quæ de fide prædicantur, restringant: mihi tamen magis placet vt dicamus, tunc demum obedire hominem fidei, quùm facto complet ea, quę mandantur in lege fidei. *Quid sit obedire fidei.* Nā qui Christum ore confitentur, factis autem negāt, assimilantur homini insipienti, iuxta parabolam Domini, qui ædificat domum suam super arenam. *In hæreticos.* Finis igitur prędicationis non est credere tantum, sed etiam operari secundum fidem: id quod sæpius Doctor noster inculcat. Hic.n. finis vniuersæ scripturæ est, vt sit perfectus homo Dei in iustitia, ad omne opus bonum instructus, ne simus in eodem gradu cum dæmonibus, qui credunt, imo deteriore: nam illi cum hoc quod credunt (quod ad pudorem multorum Christianorum dici posset) etiam contremiscunt.

In omnibus gentibus, hoc est, inter omnes gentes, *in*, pro; inter, plerúmque vsurpatum in scripturis inuenitur. Et videtur esse tropus Hebræorum proprius. Nec ab re dixit, *inter gentes*. *Contra Iudæorū persuasionē extensum est euāgelium in gentes.* Primò quidem vt hæresim agnoscerent Iudæi, qui arbitrabantur se solos esse populum Dei, tāquam cui soli esset data lex Dei, & prophetæ. Deinde vt animaret nostros, idest, gentes & intelligerent, quòd in Christo Iesu non esset Iudæus, neque Grecus, sed noua creatura: ideóque sine lege manifestari illis Christum. Vnde & scriptum erat, tāquam dictum Christo à Patre: *Isa.49.* Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremū terrę. Hoc ergo quod annunciare deberet omnibus gentibus, peculiare fuit B. Pauli prę allis. Vnde ipse in fine istius epistolę, se ibi prędicasse, vbi anteà nullus prędicauerat, gloriatur: & quòd ab Ierusalem vsque ad illiricum repleuerit euangelium Christi, & alibi: *Gal.2.* Qui operatus est, inquit, Petro in apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Denique de semetipso ait: *2.Tim.4.* Dominus mihi astitit, & cōfortauit me, vt per me prędicatio euangelij impleatur, & audiant omnes gētes, scilicet Romani, ad quos etiam mei apostolatus amplitudo extenditur.

Pro nomine eius, idest, ad glorificationem nominis eius, nempe, Iesu Christi. Ad hoc enim electus fuit, vt portaret nomen eius inter gentes, dicente Domino: *Act.9.* Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, &c. Et cū audis nomen, Iesus, non ad nudum vocis sonū, sed

ad cuius iucundissimam significationem debes attendere, quod ipse verè est salus nostra. Quidam legunt, de nomine eius, vt significetur de quo esset fides, & in quo nomine salui simus. *Act.11.* Non est enim aliud nomē datum sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri.

In quibus estis & vos, id est, inter quos estis & vos scilicet serui, tanquàm ab eo redempti, & ē manu Diaboli liberati: *Quid est esse Christianum.* Aut, Iesu Christi discipuli, vnde seipsum exponens subdit. *Vocati Iesu Christi*. Innuit nomen, quo primum cœperunt Antiochię vocari fideles, nempe, Christiani, iuxta Isaię vaticinium: *Isa.65.* Et seruos suos vocabit nomine alio. Idem est enim Christianus, quod Christi seruus atque discipulus.

Omnibus qui sunt Romæ (longé melius, qui Romę estis) *dilectis Dei, vocatis sanctis*. Hic explicato officio suo, & eius dignitate, atque pręstantia, incipit notificare personas ad quas scribit, videlicet, ad eos qui erant Romę, non omnibus tamen, sed dilectis Dei, ea scilicet dilectione, qua ille prior dilexit nos, vnde venit vocatio: quia quos diligit, etiam ad sanctitatem vocat. Non enim ideò vocat quia sancti simus, sed cōtrà, vt sancti fiamus, id est, *Sanctitas quid.* mundi corde à labe peccati. Sanctitas enim id est quod munditia. Nam horum est videre Deum, vt *Matth.5.* ipse dixit. Beati mūdo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Id autem fit primum fide, quemadmodum legitur. Fide purificans corda.

Salutatio B. Pauli & Christiana. *Gratia vobis & pax.* Ecce nūc postremo loco genus salutationis. Gratia primum, id est, illud donū, quo grati sumus, & à Deo venit ad nos gratis, ideò ait: *à Deo Patre.* Illi enim primùm ratione principij, aut etiam ratione paternitatis, tribuitur omniū donorum & bonorum largitio. Vnde B. Iacobus. *Iac.1.* Omne donum perfectum, & omne datum optimum desursum est, descendens à Patre luminum. Nisi per; Patrem; velis totam Trinitatem intelligere. Nam & ipsa Trinitas pater noster est: vtrúnque enim conuenit. Gratiam igitur præcatur illam, de *2.Cor.12.* qua audierat: Sufficit tibi gratia mea. addit, *& pax*, quod est vltimum post cōsequutam fœlicitatem, *Ps.147.* sicut legimus. Qui posuit fines tuos pacem. Plena est ergo salutatio, quæ & fœlicitatem, & medium ad illam conducens habet. Latini dicebant, salutem; & quæ esset vera salus, & quo pacto acquireretur, ignorabant. Græci dicebant, ευπράττειν, quod est, bene agere. Sed nec viam ad hoc, nec modum habebāt. Pax autem de qua loquimur, duplex est. *Pax Christi duplex.* Prima in via, & hæc in spe: secunda in patria, & illa in re. Vnde legimus dictum fuisse discipulis à Christo iterum. Pax vobis, id est, post dies octo, quæ dies octauam significat, per quam absoluta beatitudinis perfectio designatur. Pax autem non potest esse malis, peccatoribus, & impiis. scriptum *Isa.57.* est enim: Non est pax impiis. & iterum: Non est *Psal.73.* pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Imò nec ab huiusmodi potest agnosci vera pax: quia pax Christi exuperat omnem sensum. At isti *Sap.14.* (vt exprobrat in eos Sapiens) in magno viuentes inscitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. *Pax falsa mundi.* Sed in pace Christi non est turbatio, non est scandalum. Propheta nanque ait: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Et ipse Dominus: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Iustum, ait alius, non conturbabit quicquid ei acciderit. Hæc igitur est pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. *Nota.* Excludendus est tamen nouus Lutheranorum error, qui pacem, quæ est viæ, ita perfectam prædicant, vt in sola fide innitentes, securitatem ei de futura beatitudine adiungant, quod certè nimium est, & nimia seductio.

Et domino nostro Iesu Christo. Frequens hæc appellatio, & quæ Christo propriè conueniat, vt dominus vocetur. *Error Lutheranus de pace.* Nam licet communi dominatione, vt Deus verus, potiatur, & gaudeat cum Patre, & Spiritu sancto: attamen & ipse Christus, vt homo, dominus peculiariter dicitur. *Christus peculiariter Dominus, & quare.* Vnde idem B. Paulus ait, quòd eum Pater constituit hæredem, id est, dominum, vniuersorum: & per illum voluit ad nos effluere, tanquam à capite, magna & pretiosa dona. Ipse enim sic dicitur pax nostra & iustitia nostra, quia per illum accepimus & promerentem nobis ac dantem. vnde illi dictū est: Sede à dextris meis, vt dominus fieret. Non est autem dubium, Patri quoque hoc tribui, & Spiritui sancto, vt vterq; vocetur dominus. Sicut .n. scriptum est de Patre & Filio: Dixit dominus domino meo, ita & de Spiritu sancto: Diuisiones ministrationū sunt, vnus autem dominus, id est, Spiritus, de quo dixerat. *1.Cor.12.* Et cum ita sit, vt & Pater & Filius & Spiritus sanctus domini sint, non tamē tres domini, sed vnus. Christus autem, vt homo, vnus dominus omnium: quia omnia acquisiuit suo pretiosissimo sanguine, ac meruit.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

CVM Romæ iā plures cùm ex ipsis Gentibus, tum ex Iudæis fidē Christi suscepissent, magnum inter eos erat ortum dissidiū, ab eo verò concitatū, qui seminarę discordias non cessat, Satanā dico. Excitauerat enim Malignus ille vtriusque gētis arrogantiam, atque superbiā. *Superbia & arrogātia mater discordiæ, & schismatum.* Nam hūc ferè tendit semper: tum quia videt hoc vitiū lętale esse, & capitale, ac summū: tū quia probè meminit se per hoc olim collapsum, & per illud primos nostros parētes magno malo nostro supplantasse: & denique, quia in hoc natura omnes sumus mirum in modum propēsi labascere, tanquam hęredes patris nostri Adę. Extimulauit ergo Iudęos primum, quòd ipsis data esset lex, & iam dudum essent populus Dei electus: *Error Iudæorum.* Vnde & volebant cęrimonias legis ab omnibus obseruari, vt gloriarentur in carne. Animo enim ægro ferebant, Gentes sibi exæquari, & in statu gratię pares esse. Econtrariò autem excitabatur superbia Gentium, quę despiciebant istorum insipientiam, *Error gentium.* vt potè tum edoctæ, quòd in Christo iam cessauerant illę cęrimonię, & data erat omnibus libertas atque liberatio ab illa seruitute. Sed in hoc non parum errabant, quòd non miserebantur infirmis, & imperitis Iudęis: neque longissimam eorum in illis ritibus assuetudinem considerabant, à qua tam facilè non poterant auelli.

Apostolus igitur sese medium, vt eos inuicē conciliaret, ponēs, pulchram hinc occasionem nactus fidei nostrę fundamenta tradēdi, Primum illud statuere satagit, omnes tam Iudęos quam Gręcos, seu Gentes (nam per Gentes & Gręcos, intelligit om-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Nota.

In Adam non minus peccatores Iudæi quã Gentes.

Lex Moseos non extinxit peccatum, sed auxit.

Ingressum primum in Christum non opera legis dant sed fides.

nes qui non essent Hebræi) inueniri peccatores coram Deo, & sub lege, & sub peccato, & indigere gloria & iustificatione Dei, tum propter antiquũ peccatum, quo pariter inuoluti sumus omnes tam Iudæi, quàm Græci, tum ob delicti ipsius potentiã; quo factum est, vt nec Græci legem naturalem seruarint, nec Iudæi legem Moseos: propter quod deterioris conditionis ipsi constituti sunt, tanquam qui certius didicissent, & sciuissent, quæ seruanda essent, cum per legem haberent boni ac mali declaratam rationem, & infœlices peccati effectus. Admonet igitur Iudæos primùm de remedio vero, quòd non sit illis alius ad salutẽ aditus, aut ingressus, quàm per fidem Iesu Christi: & quòd nõ erat illis confidẽdum in operibus legis aut vlla legis vi absque fide: quia non ex lege poterat esse iustificatio coram Deo, sed ira potius (quod plus satis probat) atque hic simul insinuat, quòd dura illa legis onera cessauerant. Adiecit & in illos, quòd propterea multi illorum offenderant, & excæcati erant: quia volebant suam statuere iustitiam, id est, iustificari ex operibus legis, non credentes in Christum. Vnde ipse pro illis venerat in tantum charitatis affectum, vt optaret fieri anathema pro eis. Porrò ne aliqua fortè desperatione frangerentur, mox reuelat, quòd cæcitas cõtigit in Israel non in totum, sed ex parte. Ideo multi poterant subleuari, si veritatem agnoscerent atque amplexarentur, ac simul intelligerent quinam essent verè filij Abrahæ, & veri Israelitæ. Anunciat insuper aliquando electionem forè saluam.

Quantum autem ad Gentes attinet, ostendit atque extollit eorum vocationem, honorans ministerium suum, vt ipsos Hebræos ad salutarem æmulationem prouocaret. Hic prædestinationis admiscuit mysterium, & in eius profunda descendens, rapitur in exclamationem illam. O altitudo diuitiarum, & cæt. Obiter tamen Gentiles admonet, ne sese aduersus Hebræos extollerent, sed fidem cautè & cum timore teneant, misereãtur infirmis, & à casu illorum discant, ne quando similiter irascatur Dominus in ipsos, & ipsi quoque, sicut & illi, cadant. Præterea hortatur promiscuè omnes, vt idem (si fieri possit) sentiant. Sin autem, retineant charitatem semper & concordiam, & Iudæus non iudicet fratrem suum: & Gentilis non spernat infirmum in fide, pro quo Christus mortuus est. Denique ad alias communes exhortationes, & charitatis officia inuicem debita, & inuicem impendenda descendit, sicut & in cæteris diuinis suis epistolis facere consueuit. Tum claudit epistolam, indicans se plenum desideriorum in commendationibus, & salutationibus vltrò citroque datis. Igitur vniuersa epistola referta est summa doctrina, sententiis profundissimis, cum ad dogmatum fidei, tum ad bonorum morum salutarem reformationem. At cum hic, vt in aliis diuini huius Doctoris epistolis, pleraque insint intellectu (vel ipso B.Petro teste) difficilia, Lector diligenter attende.

PRimùm quidẽ gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Testis enim mihi est Deus cui seruio in spiritu meo in euangelio Filij eius, quòd sine intermißione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperũ iter habeam in voluntate Dei veniẽdi ad vos. Desydero enim videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul cõsolari in vobis per eã, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Nolo enim vos ignorare, fratres, quia sæpè proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Græcis & barbaris, sapiẽtibus & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare. Non enim erubesco euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. *Abac.2.*

SApientissimus Apostolus non antè ingreditur tractatum, nec erũpit in verba doctrinæ, quàm præmisso quodam prooemiolo disponat lectores, beneuolos eos, dociles, atque attentos reddens, præsertim qui nondum eos de facie nouerat, & si de illis quædam iam orta esset à fama celebris notitia. Ait ergo.

Proœmiũ Epistolæ. *Matt.11.*

Primum quidem gratias ago. Gratiarum actio, est collati beneficij confeßio cum benefacientis laude. Sic enim plerumque confeßio capitur in scripturis, vt ibi. Cõfiteor tibi Pater cœli & terræ, &c. Est autem gratiarum actio in Deum actus religionis, & pars orationis, & quidem præcipua. Impudenter enim denuò petit, qui de acceptis iam beneficiis non agit prius gratias. Et tamen quis hac in parte coram Deo non peccat? Historia de decem leprosis mundatis id nos apprimè docet quorum vnus tãtum rediit, vt gratias ageret, & ille quidem erat alienigena. Et hæc causa est, teste B.Bernardo, cur sępenumerò quod petimus, non impetramus. Ingratitudo enim animum benefacientis restringuit, ne effluat vlterius sicut scriptum est, Ingrati spes sicut glacies hibernalis tabescet.

De actione gratiarum quàm sit necessaria. *Sap.16.*

Cur suum Deum vocat Paulus.

Deo meo. Quanquam Deus, omnium est Deus, qui creauit, gubernat, & poßidet vniuersa (nam Deum esse, eius prouidentiam includit) quorundã tamen peculialiter dicitur Deus; propterea quod speciali in eos prouidentia feratur, dum eos præ aliis curat, vt versa vice nihil magis illi curent, quàm ipsum: quia sicut ipse est verè summum omniũ bonum, ita super omnia ab eis accipitur, honoratur, colitur, & glorificatur. Propterea Dominus frequẽter ingeminat: Deus meus, Deus meus. Et scriptura Deum Abrahę, Deum Isaac, Deum Iacob vocat. Sic Deus Danielis dictus est. Et Elisæus dixit: Vbi est Deus Eliæ etiam nũc? Iuxta ergo hanc considerationem vocat Apostolus Deum suum, tum quia Deus magnis, & specialibus donis illum honestauerat, tum verò quia ille ex eo tempore nihil

Philip.1.

duxit Deo, illiusque obedientia dignius: Imò cætera omnia vt stercora reputauit, vt verè, & ex toto spiritu diceret: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Item gloriabatur in tribulationibus, & cruce propter illum: & eius stigmata in corpore suo portabat. Ecce igitur quomodo cõuenienter eum vocat Deum suum, propter mutuam charitatem.

Per Iesum Christum. Aut hoc referas ad id quod dictũ est, *Deo meo*, vt intelligas quòd per Iesum Christum hoc factum est, vt esset Deus illius: quia ipse fuit propitiatio, & pax nostra cum Deo: Vel referas ad id quod dicit, *Gratias ago*. Nam per eum habemus accessum ad Deum, & per eum recipimus dona, & denique per eum dignè pro donis illis acceptis gratias agimus. Vnde sancta mater Ecclesia ferè omnem orationem suam sic terminat: Per Dominum nostrum Iesum Christum. Et hic nota, vt captat beneuolentiam, exponens de quibus, & de quare gratias agat, nempe, *pro omnibus vobis*, vt charitatem suam in illos insinuet. Et expone, *pro omnibus vobis*, id est, aut loco vostri: aut potius, super omnes vos, sed de omnibus vobis: vt ipsi intelligantur esse quasi materia, pro qua gratias ageret, in eo quòd donum fidei acceperant à Deo. Vnde addit.

Quia fides vestra annũciatur in vniuerso mundo. Hoc igitur eorum donũ erat fides, de quo dono est gratiarum actio, & presertim quia id spargebatur in alios in vniuerso mundo, ob famam tantæ Vrbis. Sic enim videbat impleri verbũ Domini per omnes prophetas: & quod prędixerat Christus ipse in parabola de grano synapis, & de fermento farinæ in satis tribus. Magnũ enim donum est fides, cum sit omnium virtutum radix & fundamentum: sed maius est charitas. Quod verò ait: *In vniuerso mundo*. Per hyperbolem hoc dictum quidã aiunt, à qua figura non abhorrẽt sacræ litteræ, vt cum legimus: Si scribantur per singula quæ fecit Iesus, arbitror nec ipsum mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Ego verò potius dixerim, quòd hic sermo suam idoneè habet veritatẽ per hoc, quòd annunciari, connotat tractum temporis, & illius actionis. Non.n.dixit, quòd annunciata esset, sed quòd annunciabatur. Quod quidem satis verum erat, cum occiperet annunciari in nonnullis orbis partibus, quod erat decretum annũciari in vniuerso orbe. Nam & Precone inchoante denunciare quicquam in Vrbe, non falsò dicitur: Præco per totam vrbem denunciat. Potest & aliquo modo dici satis annunciari in vniuerso mundo, cum in ea Vrbe, quę mundi caput erat, & ad quam confluebant omnium nationum plurimi, annunciabatur.

Admittit Scriptura figuras & tropos dicendi.

B.Paulus iurat religiose. *Matth.5.* *2.Cor.1.*

Testis enim mihi est Deus. Iusiurandum est hoc, licet quidam negent, & dicant. B.Paulum asserere, non autem iurare. Habent enim quidam hæreticorum pro re absurda, quòd B.Paulus iurauerit, cum Dominus dixerit: Ego autem dico vobis, non iurare omninò. At verò alibi manifestè iurat Apostolus, testemque Deum inuocat in animam suam. Quod autem afferunt, Deum præcipere non iurare omninò, ostendunt se non intelligere Dominicum sensum. Ipse enim eo dicto: Non iurare omninò; Hebræorũ inscitiam notare voluit, qui non habebant pro iureiurando, quod seruari deberet quãcunque attestationem, sed eam tãtum, qua Deum attestarentur, afferentes ex lege: Reddes Deo iuramenta tua: quare paßim iurabãt per creaturas. Dominus autem ibi hoc detestatur, & prohibet: vt intelligas ibi prohibitum potius omne iurisiurandi genus, cum temerè fieret, quàm quòd omninò nõ iuraretur, cum opus esset, maxime cum iusiurandũ sit actus religionis, & poßit etiam cum merito fieri, quando vallatur circunstantiis suis, id est, veritate, & charitate, cum tamen res ipsa talis sit ponderis & momenti, quæ postulet, aut suadeat iusiurandum, vt persuasio fiat rei, præsertim ad vitam spiritus conducentis. Sic enim iuramentum est res religiosa. Irreligiosum autem est, si vel falsum, vel temerè iuratur, vbi neceßitas nulla, nulla vtilitas, timor nullus. Propter quod scriptum est: Nominatio Dei non sit aßidua in ore tuo, & nominibus Sãctorum ne admiscearis, & paulopost: Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. Vide ibi in iuramento quid prohibeatur. Apostolus autem in causis maximis, & ita postulãte neceßitate, & cum religione magna, Dominũ inuocabat testem, & sic iurabat etiam cum merito ac virtute. Superstitiosè igitur quidam hæreticorum omninò iusiurandum detestãtur, vt prohibitum à Christo quasi malum, cum non dixerit malum esse Dominus, sed à malo. Verùm hac de re proprio loco fusius.

Iuramentũ res religiosa, quod neceßitas, siue vtilitas, & veritas, & charitas etiam meritoriũ faciunt.

Cui seruio in spiritu meo, &c. Græcè λατρεύω, vnde latria, quæ soli Deo debetur: quanquam Grammaticulus quidam obstet, & velit λατρεύειν, à, λάτρις nõ differre, sed non audimus illũ. Placet magis hoc verbum dici à τρεῖν, quod est tremere, &, λα, particula, quæ vehementiam significat: vt hinc maxime ille cultus, qui Deo debetur, accipiatur. Vnde scriptũ est: αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Quod verò addit, *in spiritu meo*, hoc est, in donis meis, quæ à Deo per Spiritũ eius accepi. Nam quilibet spiritũ suum, id est, propria dona spiritus habet. Vnde dicitur spiritus lenitatis, spiritus mãsuetudinis: de quo spiritu dictum est filiis Zebedæi. Nescitis cuius spiritus filij estis. Et idẽ dicitur spiritus zeli & iustitiæ, quo Phinees, & Helias, & B.Ioannes Baptista agebantur. Nam de Ioanne dicitur, quòd venturus erat in spiritu, & virtute Heliæ. Helias autem spiritum zeli habuit, quo occidit pseudoprophetas, continuit cœlum à pluuia, & restitit Achab. B.Ioannes eodem zelo testificatus est Christo, exterruit Pharisęos, & corripuit Herodem. Est & spiritus timoris, reuerentiæ, humilitatis, quo B.Petrus, & Centurio euãgelicus agebãtur, cum ille dixit: Recede à me, quia homo peccator sum. & alter: Non sum arbitratus me dignum, qui venirem ad te. Et B.Ioseph isto spiritu actus cogitat relinquere Mariam sanctißimã coniugem suam. Est etiam econtrariò, spiritus confidẽtiæ, quo Cananæa, & Zachæus prędititi fuerunt. Est rursum spiritus sapientiæ: est & spiritus doctæ insipiẽtiæ, & sanctę cuiusdam ebrietatis amore Christi, quem Dominus aliquando ostendit, dum ea ageret, quę quasi furentis videri poterãt mundi hominibus. Vnde & sui volebant eum comprehẽdere, vt apud B.Marcum legitur. Eo spiritu efferbuit B.Franciscus, & quidam alij, qui velut ebrij (diuina tamen dilectione) quædam moliebantur, quæ sapientia huius mũdi, & prudentia carnis minus probaret. Hunc verò spiritũ quidam nostræ ætatis homines voluerunt imitari, idque ineptè admodum,

Erasmus notatur. *Deut.6.* *Spiritus Pauli.* *De varijs spiritibus sanctorum.* *Nota.* *Marc.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cõtra quosdam infæliciter agentes se suo spiritu vt appareant, nihil agunt.

nescientes quòd non imitatione quæritur, sed infusione superna accipitur. Spiritus autem B. Pauli multiplex erat, ob multa & excellentia dona, videlicet humilitatis, charitatis, zeli, misericordiæ, patientiæ, tolerãtiæ, veritatis, sapientiæ, scientiæ, consilij, fortitudinis, reliquorũmque donorum, quibus fuit abundantissime refertus. Sic nimirum exigebat egregium illius apostolatus officiũ, in quo maxime seruiebat Domino. Vnde ipsemet ait: *In euangelio Filij eius*. Hoc enim suo spiritu agebatur, & impellebatur ad euangelizandum. Vnde cum esset Athenis, & videret tantam ciuitatem idololatriæ deditam, ait de illo scriptura: Incitabatur spiritus eius in ipso, &c.

Act. 17.

Quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Nõ pertinere ad istum locum videtur illa quæstio, quam hùc afferunt aliqui: vtrum sine intermissione orandum sit. Non enim ipse hîc dixit, se sine intermissione orare, sed quòd cum orabat, sine intermissione memoriam illorũ faciebat. Græca tamen vox, qua vsus est Apostolus, ἀδιαλείπτως, attentionem & assiduitatem quãdam significat. Nam hoc exigit vera oratio, quæ est perfectorum, vt sit attenta & assidua, quantum fieri potest. Proditu est litteris, crebras olim fuisse sed breues, & quodam modo iaculatas monachorum orationes. Qui verò perfectiores erãt, diuturnius eis orare licebat. Et hoc est quod nunc meritò desideratur apud Christianos, cum vx vllum tempus vnquam magis orationes ab Ecclesia sic fluctuante ac periclitante exegerit.

De assiduitate ac prolixitate orationis.

Obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Legitur græcè, δεόμενος, quod est deprecans, & non obsecrans, ne fiat vis in ratione illius vocis; obsecrare, quasi per sacra obtestari, vt quidam faciunt. Perpende autem vt plenè explicat desiderij sui vehementiam, dum ait, *si quo modo tandem aliquando*. Qui enim vehemẽter aliquid cupit, primùm illud vellet omni modo assequi, ideo ait: *si quo modo*. Deinde impatiens est moræ, vnde addit: *Tandem*. Tertiò nihilominus longanimis est in expectando, vnde adiecit: *Aliquando*, ac si dixerit. Modo id mihi detur aliquando consequi, contentus ero. Nec tamen præcipitanter illud optabar, & inconsideratè, vt plerique faciũt, sed iter prosperum expectabar. Verùm cum nihil sit prosperum, quod non sit in voluntate Dei, illam Dei voluntatem non (vt insipientes quidam) horoscopo venabatur, neque stellis captabat opportunum tempus proficiscendi, vt stulti & à spiritibus erroris decepti faciunt, ignorantes quàm sit hoc vanũ, & quàm displiceat summo Deo. B. autem Paulus orationibus opportunum, circa hoc, Dei beneplacitũ vestigabat, & obseruabat, vt iret in voluntate Dei. Vnde & exauditus est tandem. Nam data fuit illi fœlicissima Romam proficiscendi occasio, cum esset vinctus catenis propter Christum. Prouocauit enim ad Cæsarem, vt impleretur verbum Dei dicentis: Vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. &: Ostẽdam illi, quanta oporteat illum pro nomine meo pati. Et ecce nunc in eius gloriam veneruntur catenas illas, vnde & magna signa ac prodigia olim (teste B. Gregorio) fiebant, quæ ob infidelitatem nostram cessarunt.

Contra obseruantes tempora & momenta à stellis.

Actuũ 9.

Desydero enim videre vos. Græca vox, ἐπιποθῶ, vehemens quoddam & ardens desyderium significat. Hactenus eos benevolos studuit reddere. Et nota (quæso) desyderij causam, ait: *vt aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis*. Nam græcè, χάρισμα, legitur, id est, donum. Eccè omne viri desyderium ad spiritualia tendentis, & ad communicandum illa. Tenebat enim Domini sentẽtiam verissimam, quam ipse nobis manifestauit. Beatius est dare, quàm accipere. Nam bonum (vt B. Dionysius testatur) sui ipsius est effusiuum. Volebat. n. impartiri eos de spiritu suo: quia sic instituit Dominus, vt essent Apostoli, & doctores, p̃ quos alij inferiores instruerẽtur. Sic inter nos initur amicitia, & alitur, & crescit, cum inuicẽ beneficiis astringimur. Sic & charitas, quæ non nisi quædam amicitia est, dum mutuis fouetur & exercetur officiis atque obsequiis, illustrior redditur atque feruentior. Vehementius autẽ cupiebat eos præsenti sermone docere, quàm per epistolam: cum propter illam viuæ vocis energiam (Nam viua & vera vox, vultus, gestus docentis spiritum quendam habent, & quoddam viuum valens plurimum ad suadendum, & mouendum) Tum quòd multa plerũque existunt, quæ literis rectò committi nec possunt, nec debent. Adde quòd occurrunt conferenti sæpe dubia, & difficultates, quæ non ita scribenti occurrunt, vt præoccupet, & declaret. Item multa sunt, quæ non nisi à præsente magistro commodè explicãtur. Denique epistolę, præsertim inter eos qui longo locorum spacio seiunguntur, antequàm reddantur, plerunque volutur annus, nec est semper accinctus ad iter Tabellarius, & non rarò etiam intercipiuntur. Sequitur.

Nota quid præcipuum ac fermè solum cogitant viri spirituales & desiderant.

Act. 20.

Ad confirmandos vos, hoc est, simul consolari in vobis, per eam, quæ mutuem est, fidem vestram atque meam. Modestè loquitur. Non. n. spondet fidei doctrinã, sed confirmationem in ea. Siquidem ea prediti superbia sumus omnes natura, vt vix vel quæ ignoramus, doceri patiamur. Vnde rectè quidã: Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo? Rem igitur odiosam molliore sermone temperauit, aiens; *hoc est, consolari in vobis*. Nam in cõfirmatione eiusdem sententiæ & veritatis, eorum potissimum quę ad fidem attineant, plurima est consolatio, cum plurimi in eandem concurrunt sententiam: quoniã charitas congaudet veritati, & ei veritati, quę tam salutaris est, nimirum ęternorum. Hoc persentire illi discipuli cœperunt, qui dicebant. Nonne cor nostrum ardẽs erat in nobis, dum aperiret nobis scripturas? Hinc tantus in primitiua ecclesia feruor: quoniam erant perseuerantes in doctrina Apostolorũ, & scrutabantur scripturas, & probabant rem ita se habere, sicut audiuerant. Tales quęrit, & diligit, & promouet Spiritussanctus. Sic. n. ait scriptura. Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Qui malunt hoc in locò legere; cohortationem; potius quàm; consolationem, non intelligunt in voce ista; consolationis; cohortationem quoque intelligi, quam ad Heb. ipse Apostolus appellat verbum solatij.

Horatius.

Nota gaudium quod ex fide & collationibus spiritualibus venit.

Luc. vlt.

Prou. 8.

Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, &c. Occurrit hic tacitę obiectioni, quę huiusmodi erat. Si tãtopere, Paule, desiderabas ad nos venire, quid ergo obstitit? Respondet. Id quidem se proposuisse in ànimo, sed prohibitum fuisse vsque ad illum diem. Non tamen affert causim prohibentem, quæ facile subintelligi potest, videlicet, ipse Spiritus, qui aliarum ecclesiarum ædificationem, & confirmationem per illum prius exigebat. Nam aliquando Phrigiæ & Galatiæ regiones pertransiens, admonitus fuit à Spiritu, ne ibi euangelizaret. Et tendens aliquando in Bithiniam, prohibitus est à Spiritu, & diuertere coactus est in Macedoniam. Ad Thessalonicenses tamen scribit, cũ desiderio simili teneretur, & semel & iterum impeditum se fuisse à Satana. Sed illud etiam permisit Deus ad aliquod bonũ, quod sæpenumerò non cogitamus.

Act. 16. Nota quomodo particulari prouidentia Dei dirigebatur prædicatio Apostolica.

Vt aliquem fructum habeam in vobis. Fructus doctoris nõ est propria gloria, sed est profectus discipuli. Nam doctor est velut quidam agricola spargens semen, quod est verbum: discipulus verò est velut terra, quæ recipit semen: & tũc fructus est, cum de semine illo accepto egreditur vbertas bonorũ operum, quæ sunt in verbo tanquam in semine, non actu, sed potentia. Prius tamẽ præparat terrã, vertẽs illã vomere, quod est corda scindere, & eorũ duritiã, vt capiant verbũ salutis: puta, q̃ homo repletur multis miseriis, & quòd moriendũ est omninò, & omniũ quæcunq; gesserimus, reddenda strícta ratio, etiã verbi otiosi. His & similibus incipit terra cordis nostri quodã modo scindi & cõteri. Et cum sic euersa est, tũc apposito stercore. i. propriẽ vilitatis notitia, potest facile iaci semẽ, quod est verbũ Dei, ipse videlicet Christus pro nobis crucifixus, qui & deprecatur pro salute nostra, & interpellat apud Deum Patrẽ: quod & custodiri debet ac seruari sarculo exhortationũ & collationum, ne crescentibus herbis noxiis, spinis, ac tribulis, id est, voluptatibus, & erroribus, & necessitatibus huius seculi, suffocetur. Sic ergo fit fructus per præceptorem, quod illi est summè gratũ, vt dixerit dilectus: Maiorem hac nõ habeo gratiam, quàm vt videam filios meos id veritate ambulare. Et Apostolus de talibus ait: Vos estis corona mea, & gaudiũ meum in Domino.

Quis sit verus fructus doctoris.

Philip. 2.

Sicut & in cæteris Gentibus, Græcis ac Barbaris. Laetenter prouocat ad æmulationem Romanos, proponens quòd & alibi apud alias nationes fructum verbi retulerit. Hoc in loco per Græcos intelligit eos, qui literis & moribus cultiores erant, apud quos vigebant gymnasia philosophorum. Quod sanè mirum videri poterat, superbam illam Græcorum sapientiam euangelicæ prædicationi collum submisisse. Opposuit autem Græcis Barbaros, id est, populos ferociores & immites, quod erat longè difficilius eos edomuisse. Verùm hoc effecit B. Paulus, imò Deus per B. Paulum, qui apud Arabes fuit prædicãs, & apud Græcos, & proficiens in verbo Dei, vt verum fieret illud Isaiæ vaticinium: Lupus habitabit cum agno, & pardus accubabit cum hœdo.

Doctrina christiana quomodo omnes alias superauit.

Isa. 11.

Sapientibus & insipientibus debitor sum. Vocat sapiẽtes, qui ingenio pollebant; & studiis literarum profecerant: qui tamen indigebant magistro, vt fidem ediscerẽt, & per eam verè saperent, sicut scriptum est. Prou. 1. Audiens sapiens sapientior erit. Nam hæc propriè dicuntur audiri, quæ non nisi auditu disci, & capi possunt: vt sunt ea quæ sunt fidei, quæ verè sapiẽtem reddunt. Vnde B. Paulus: Fides ex auditu, auditus per verbum Dei. Et Isaias: Quis credidit auditui nostro? Et Dominus per Moysen: Audi Israel, Deus Deus tuus ego sum. Ergo econtrariò, insipientes vocat, qui nullis honestis literarum studiis & disciplinis imbuti erant. Nam & Christus in suam doctrinam hos recipit, qui fecit omnes dociles Deo, vt præscriptum erat. Nam in Christo non est Iudæus, aut Græcus, Barbarus, aut Scytha, sed noua creatura.

Nota pro sapientia Christiana

Rom. 10.

Ita quod in me promptum est & vobis qui Romæ estis euangelizare. Emphasim habet ista nominatio tantæ ac tam superbæ Vrbis. Nam Roma idem est quod excelsa. Ponit ergo tacitè illos, ad quos scribebat, inter sapientes, gratiam captans & beneuolentiam, sed non inter veros sapientes, sed mundi tantũ: vt ostendat eos etiam indigere doctrina per auditum. Promptum autem sibi esse ait (quod ad se pertinet) illis etiam euangelizare, cum id in mandatis haberet: Væ mihi, inquit, si non euangelizauero. Est autem euangelizare, ea quæ de Christo sunt, annunciare: quare addit:

Nota de excellentia vrbis Romæ, ab ipso nomine.

1. Cor. 9.

Non enim erubesco euangelium. Quod tamen multi tunc erubescebant, propter opprobrium crucis Et nunc non desunt partim irridentes, partim erubescentes. At B. Paulus idipsum gloriam reputabat, sicut est reuera: sciebat enim dictum: Qui me erubuerit, & sermones meos, erubescere illum faciam coram Patre meo. Quare nunc multò magis quosdam miramur, qui cognita euãgelij dignitate, malunt nihilosecius doctores esse scholasticæ disciplinæ, & logicæ ac philosophiæ, quàm verbi Dei prædicatores, & tamen prædicatorũ nomine gloriantur. Adiecit ergo rationem, cur nullum ex euangelio pudorem contraheret.

Prædicatio crucis non erubescẽda. Nota.

Virtus enim Dei est in salutem, omni credenti. In salutem, inquit, non quamlibet, sed verã, & eximiam salutem. Non cuilibet tamen, sed credẽti, id est, recipienti euangeliũ per fidem, & dilectionem. Sicut medicina virtutem habet ad sanãdum, si tamen recipiatur. Neque verò sic in salutem, vt continuò salus ei sit re ipsa, vt ait hæreticus. Spe enim salui facti sumus. Propter quod scriptum est: Qui credidit, non festinet ac si dixerit: Adhuc grandis illi restat via. Hæc autẽ dicimus aduersus pernitiosam Lutheranorũ sectam, qui vnà cum fidei apprehensione, simul & salutem apprehendi inexterminabiliter docent, stulte quidem ac pernitiosè. Hic verò incipit Apostolus latenter, miróque artificio, de proœmio in tractatum descendere, & explanare prouidentiam Dei erga omnes homines, non tamen sine ordine, vnde ait:

Contra Lutheranam doctrinam.

Iudæo primum & Græco. Græci appellatione hîc quemlibet alium cõprehendit, qui non est Iudęus. Vnde & Romani eo vocabulo cõprehendebãtur, propterea quod (vt existimo) eo tempore maxime cõmunis erat Græca lingua. Ait autem, *primùm Iudæo*, ne in eorum odium videretur loqui, tacens veritatem quæ erat pro eis, vt sic eos sibi conciliaret, quos præcipuè habebat infestos. Nã verè hîc erat ordo. Ipsi enim Iudæi prius vocandi erant: quia salus. i. Christus, ex Iudæis erat, sicut dixit Dominus Samaritanæ: & ipsis primum promissus fuit, vnde scriptũ erat: Exibit lex ex Sion, & verbum Domini de Ierusalẽ. Sed quia illi repulerũt, ideò primogenitura amiserunt. Et hîc est finis proœmij, & initium

Iudæorum vocatio prior.

Mich. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tractatus epistolæ, vbi incipit virtutem euangelij vniuersalem in Iudæos & Græcos enarrare.

Hic incipit tractatus epistolæ.

Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. Primùm tacitè innuit differentiam quæ est inter legem, & euangelium: quoniã iustitia Dei, non qua iustus ipse Deus est, & reddet vnicuiq; iuxta opera sua, sed qua nos (vt rectè ait B. Augustinus) iustos facit, hæc est iustitia quæ in euangelio reuelatur. In lege autẽ non erat reuelata, sed claudebatur in ea tanquam in velamine. Vt autẽ probet quòd virtus in salutem cõtineatur in euangelio, non autem in lege, hoc primũ sumit, quòd hæc iustitia Dei reuelatur in euangelio, tanquam sic arguẽs. Virtus in salutem est iustitia Dei, quæ apprehenditur per fidẽ: non apprehenditur autem nisi fuerit reuelata. (Fides.n. reuelationi innititur) reuelatur autem maxime in euangelio: Ergo ibi talis est virtus in salutem. Hæc verò iustitia donum Dei est inhærens cordi nostro, infusum desuper per spiritum Christi, cui Dæmones inuident: & ideò instruunt suos, vt illud negẽt, aut floccifaciant. Est igitur hoc donũ iustitiæ quodam modo Ipse Christus, qui (vt Apostolus ait) factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, si tamen fide recipiatur. Sic enim quodã modo Christum nobis concipimus per fidem viuam, vt illum demum nobis per charitatis opera, & passiones, parturiam⁹, ac pariamus. Quid enim est fides, nisi susceptio eorum quæ sperantur? Æternæ autem hæc sunt, quæ interim non videmus, sed ex reuelatione habemus, & spe. Quid autem sperantur nisi Christus vita nostra? Nam ipse est qui reuelatus est in euangelio: qui à seculis fuit absconditus, & sub velamnibus contectus, & à prophetis plerunque sub figuris, & enigmatibus prænunciatus. Ipse est qui manet in ęternum iustus noster, & iustitia sempiterna. Ipse charitate concipitur, quæ ex fide accipitur, ideò ait:

Quid sit iustitia Dei. Nota propter hæreticos.

Ex fide in fidem. Quod multipliciter exponi potest. Et primo, ex fide, videlicet, implicita, quę erat Gentium, & Iudæorum, in fidem explicitam, quæ est Christianorum. Neque.n. fuit Gentibus clausa vnquam ad salutem via, quam cõsequi prorsus absque fide est impossibile. Gentium ergo fides erat duorum duntaxat articulorũ, videlicet, quòd Deus sit, & habens prouidentiam: Et quòd inquirẽtium illum sit remunerator. In quo articulo cæteri continentur implicitè, vt B. Thomas elegãter docuit. Hebræorum verò fides aliquanto plenior erat, sed nec ipsa omnino explicita. Ipsi.n. ex fide de Christo venturo, prouecti sunt in fidem de illo exhibito. Non enim erãt olim sine fide Iudæi veri, etiam de Christo, quem venturum credebant, & in illo sperabãt, iuxta fãctas Patribus promissiones. Sed quæuis harum fides, præ illa quæ nobis est reuelata, vix dicitur fides in scripturis. Nam ipsimet Iudæi sua improbitate verificantes scripturas, illam fidem nobis explicarunt, cum in cruce mactarunt Agnum nostrum, verum sacrificium. Vnde cessit prior eorum fides tanquam imperfecta, sequenti perfectæ. Sic hæc perfecta nostra fides cedet tandem visioni: quando videbimus illum in gloria facie ad faciem.

Prima expositio. Nota de fide implicita & explicita. Duo fidei articuli primi ac præcipui, & omni tempore necessarij, vt explicitè credantur.

Secũdo potest intelligi, *Ex fide in fidem*, hoc est, ex fide prædicantis, in fidem recipientis. Hic est enim ordo diuinæ prouidentiæ, vt primoribus Ecclesiæ, scilicet, Prophetis, & Apostolis primò reuelet quæ fidei sunt, vt sic deinde in alios reuelatio propagetur. Quare Isaias dixit: Quis credidit auditui nostro? & brackium Domini cui reuelatũ est? & Apostolus noster Paulus ait: Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Nam quibus prius reuelatum est, non ob hoc tantum illis reuelatum est, vt ipsi crederẽt soli, verùm etiam vt in alios fidem suam extenderent.

2. Cor. 4.

Tertio potest intelligi, *Ex fide in fidem*, id est, ex fide terrenorum bonorum per Moysen promissorũ in antiquo pacto, & testamento in Agno veteri consecrato, in fidem cœlestium, quæ in nouo & æterno testamento consecrato in Christi sanguine comprehensa sunt, & promissa in vero Agno. Vnde rectè ait: Ex fide in fidem: quoniam vetus illa fides, de qua scriptum est. Crediderunt Deo & Moysi seruo eius, quæ erat terrenorum bonorum, cessit huic nouę de Christo, qua in eũ creditur, qui promittit ęterna. De qua fide ipse dixit: Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.

Tertia expositio. Hic nota fidem Iudæorum. Exod. 14. Ioan. 8.

Possemus etiam quarto modo intelligere, *Ex fide in fidem*, id est, ex fide eorum quę contigerunt Christo, in fidem eorum quę contingent nobis. Ipse enim typus est nostri: quoniam & nos resurgemus, sicut & ille resurrexit: & coronabimur, sicut & ille coronatus est. Nã & ob hoc pręcessit fides terrenorum bonorum, vt sicut viderunt Iudęi tum demum eos obtinuisse promissionẽ terrenorum, qui crediderunt, & non tentauerunt Deum, sed eius pręcepta seruarunt: sic & qui crediderint euangelio, & qui fuerint obedientes in spiritualibus, ij demum requiem sempiternam obtinebunt.

Quarta expositio.

Quinto, potest intelligi, *Ex fide* Dei, qua ipse quod promisit, effecit, mittẽdo Filiũ suum, *in fidem* Iudęorum, & eorũ qui sicut crediderũt promissionibus, ita ipsam exhibitionem fide acceperunt.

Quinta expositio.

Occurrit sexta & nouissima expositio, quæ hũc habet sensum: Homo.n. impius & iniustus, cum se disponit vt fiat iustus, primũ credit adhuc in præputio existens, fide sua, id est, actu credulitatis, qui procedit ab ipso adhuc longè existente, licet excitetur ea fides in illo à Deo miris modis. Et ex hac fide sua homo accipit hoc donum iustitiæ, & charitatis, & gratiæ, quod non aduenit sine dono fidei infusæ. Hæc enim fides est donũ Dei: & sic procedit ex fide in fidẽ, id est, ex fide sua, id est, actu prio re informi: nec ex habitu procedente, in fidẽ, quæ Dei donum est formatum charitate. Quod totum ego aliàs figuratũ esse in Simone Petro & agnoui, & latiùs declaraui. Simon enim, quod est paternũ nomen, significat consensum, qui ex nobis venit, fauẽte Deo, quem præbemus auditui fidei. Petrus verò, quod est nomen à Deo & Christo, significat superius donum fidei, & lumen, vnde homo cõfirmatur: & sic ex fide in fidẽ proceditur, sicut ex Simone in Petrum. Cum autem omnes hę expositiones in seuerę sint, & verba ipsa Apostoli illas minime respuãt, non video cur vlla sit respuẽda, cum scriptura sancta plures simul, etiam literales sensus recipiat, & intentos à Spiritusancto autore. Nam si veri sunt, & nihil veri potest Spiritum veritatis

Sexta expositio. Nota hæc.

Nota.

Secunda expositio.

præterire, cur (quęso) non eos intendat spiritus? Sequitur ergo:

Sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. Locus in Abacuch, vbi hebraicè (vt quidã volunt) legitur: Iustus autem ex sua fide viuet. Etsi quidam legant: Iustus meus. i. Iustus coram me Deo, non corã hominibus. Nam hic tantum qui coram Deo est iustus, simpliciter iustus est. Et ideò B. Paulus nõ curauit adiicere, ly, meus, sed simpliciter dixit; iustus; quanquam reuera in codicibus hebraicis, qui nũc legũtur, non est, ly, meus, sed legitur: Iustus ex sua fide viuet: quia impij hominis fides est principium pietatis, disponens ad recipiendam gratiæ vitam, quæ est à Deo, nec datur hęc vita absq; fide nostra; ideò dixit: Ex sua fide viuet. Gratia.n. & veritas est qua viuimus, & interim vitam gratiæ habentes, expectamus beatam spem. i. gloriæ vitam. Quoniam verò gratia ex fide nostra venit, ideò ex fide nostra dicimur viuere: quanquam & in fide, quam cum spe, & charitate infundit nobis Deus, dicimus viuere, sicut dixit Apostolus. Quod autẽ in carne nunc viuo, in fide viuo Filij Dei. Sed non propter ipsam fidem tantũ, sed multo fortius propter charitatẽ, quæ surgit ex fide, viuimus. Et hæc in hæreticos dicimus, qui perspicuè contra ipsum B. Paulum (in quo tamen fidere ac niti se fingunt) primas deferunt fidei, charitate posthabita: eũ & fides, & omnis virtus, si quam habeant vitam, à charitate (ipso Apostolo teste) mutuentur. Sed hæc latius & passim suis locis declarabuntur. Annotãdum interim, quòd Septuaginta hunc locũ sic interpretati sunt: Iustus autem meus ex fide mea viuet, decepti (vt B. Hieronymus existimat) elementorum similitudine. Porrò mirum videtur, quòd idẽ B. Hieronymus dicat hunc locum à B. Paulo iuxta Septuaginta citatum. Quod tamẽ nec in græcis, nec in latinis codicibus nunc inuenitur.

Gal. 2.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus.n. illis manifestauit. Inuisibilia.n. ipsius, à creatura mũdi, per ea quæ facta sunt intellecta, cõspiciũtur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint ĩexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

Officia legis duo, præmiare & punire.

Sicut legis est, præmium proponere facienti bonum, ita eiusdem legis est, etiam pœnas, & supplicium indicere præuaricanti. Vt noscas igitur, saltẽ à posteriori, iustitiam Dei in euangelio esse reuelatam, qua iusti efficimur ad acquirendam vitam æternam, adiecit, quòd in eodem euangelio reuelatur, ira, id est, vindicta Dei, cõtra eos qui nolunt iustificari, aut qui in accepta iam iustitia non steterunt: Hinc enim elicitur validissimum argumentum, quòd in eo manifestè perfecta ira Dei reuelatur: quoniam in hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucẽ, hoc est, æterno ac perfecto supplicio, æquissima Dei sententia, digni sunt: quia tantũ donum sibi oblatum vel recusarũt, vel in illo non profecerũt. Quare vt hanc Dei iram summam, & non quamlibet iram intelligeres, addit: *de cœlo*, quæ apparebit in die nouissimo. Multę nanque sunt & variæ Dei irę, & furores, quos licet in veteri lege cernere, quibus tamen tunc homines temporaliter feriebantur. Talis fuit cataclismus ab initio, & terribilis illa quinque ciuitatum cõflagratio. Tales fuerunt plagę Phataonis, & Ægyptiorum. Tales & in lege Moseos fulminabantur. Quare clades filiorũ Israel, quibus in deserto ira Dei sæuiente sæpenumero sunt affecti, ac deinde captiuitates multę, nõ veniebant ab ira Dei perfecta illa, quæ de cœlo veniebar. Nam nulla earum de cœlo talis patuit, qualis est illa futura, quando audient: Ite maledicti in ignem æternum. Hæc ira non est reuelata in lege, sed in euãgelio Dei. Quòd si prophetę hanc iram pręnunciarunt (vt certe pręnunciarunt) non ita tamen apertè sicut in euangelio, neque quasi esset ira hęc ex lege. Est enim non ex lege ira hęc de cœlo, sed ex euangelio. Nam multa, quę ad euangeliũ pertinent, prius fuerũt per prophetas prędicta tanquam euangelica, & à Domino ipso profecta, non ex Mose.

Quæ sit ira Dei de cœlo. Nota.

Hęc autem ira Dei reuelatur *super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent*. Per impietatem intellige id, quod est contra Deum; vt infidelitas, idolatria, blasphemia, & omne sacrilegium. Per iniustitiam verò etiam omne quod in proximũ infertur iniustè. Et in his duabus concluditur omne peccatũ, quod tamen est imputabile illis tantum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, id est, qui contra cõscientiam agunt, & contra id quod sentiunt, & sciũt, aut scire debent de Deo, operãtur: à qua impietate, & iniustitia possunt (Deo fauente) se auertere. Scitur enim, & sciri debet de Deo ab omnibus, illum esse omnium Deum & Dominum, & qui ea requirat à nobis quę recta sunt, & quę sibi debentur, & proximo: quę si negligamus, non sumus excusabiles. Quoniam verò Gentes non sunt derelictę absque hac de Deo cognitione, pręcipuè autem eorũ maiores, qui ingenio pollebant, & sapientiam profitebantur (nõ enim omittebat Deus eos per suos Angelos illuminare) ideò hos primùm taxat Apostolus, vt inde possit confidentius ad Iudęos se cõuertere, & sic ostendere quòd omnes fuerant sub peccato, & indignissimi gratia Dei, ita vt nullus haberet causam sese extollendi aduersus alterũ, nec Gentilis aduersus Iudęum, nec Iudęus aduersus Gentilem. Ait ergo de Gentibus:

Accusatio aduersus Gentes.

Quid ab omnibus sciri debeat de Deo.

Quod philosophi etiã habuere cognitionem de Deo sufficientem ad quærẽdum illum.

Quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Hoc notum est Dei, seu noscibile de Deo, quòd ipse est prima causa, principium omnium, summè potens, summè sapiens, summè bonus, summè iustus, summè perfectus, non mutabilis, sed absque vlla mutabilitate sempiternⁿ: & alia quę huiusmodi sunt, de

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus facilè elicitur, quòd ipse solus erat dignus summo cultu ac veneratione. Ne autē hanc manifestam de Deo notitiā arbitraretur quisquā venire à lumine tantū naturali, sine aliquo diuino afflatu, & auxilio superaddito, statim adiecit: *Deus enim illis manifestauit*. Licet.n. ex his quæ poterant ex hoc creaturarum libro videre, potuissent (qui ingenio perspicaces erant) ea coniectare de Deo quæ diximus, non tamen firmiter his hærere tanquam rei manifestæ, nisi intus per Angelos adiuti fuissent. Nam omnis nostra cognitio, circa eius in nos prouidentiā ex his quæ videntur, non est eo vsque firma, quin posset nonnullis apparentibus ècontrario rationibus, & Dæmone adiuuante labefactari, si Deus omnino relinqueret nosmetipsos nobisipsis. Apostolus ergo declarans modum, quo nouerunt: & vt hinc etiam acciperes quid de illo potuerunt nosse, ait, quòd Deus lucis suæ beneficio ac participatione, qua participatur omnis intellectus naturaliter, & per media obiecta, quæ sunt ipsius creaturæ, illis manifestauit ea, quæ de ipso naturaliter noscibilia erant, adiuuādo naturę lumen intrinsecus eo modo, quem ipse nouit. Alioquin si sibiipsis, & suæ tantum solertiæ dimissi fuissent seculi sapientes, nec sic Deum cognouissent. Nam de cunctis filiis Adæ si sibiipsis relicti fuerint, meritò dicitur: Non est intelligens, non est requirēs Deum. Homo enim si in veteri peccato relinquitur, nec speciali auxilio adiuuetur à Deo, etiam ex his creaturis, & cunctis quę videntur, non poterit constanter colligere, quæ sunt debita erga Deum pietatis officia: cui sententiæ ex doctrina B. Augustini consentit D. Anselmus hoc in loco, cuius verba sunt hæc: Deus, inquit, illis manifestauit, id est non solùm naturalis ratio profuit, sed Deus quotidie adiuuit, ne sola natura sufficere videretur. Iudæis autem multa etiam supra sensus captum ostēdit Deus, in quo exultare poterant præ Gentibus, & cantare: Notus in Iudæa Deus, &c.

Etiam philosophos nō reliquit Deus in puris naturalibus sine auxilio speciali.

Psal. 13.

Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Vocat inuisibilia Dei, quęcūque sunt illi intima. Nam quodcūque Dei est, Deus est. Vnde sicut ipse est inuisibilis, ita & inuisibilia sunt, quæ sunt eius. Inuisibilia autē dico nobis: alioquin suapte natura ipse Deus, qui summa lux est, summè est visibilis. Et ideò quę sunt illi intima, summè sūt visibilia: sed propter imbecillitatem visus nostri, ipse, & quæ sunt eius, vt sapientia, bonitas, potentia, & reliqua omnia, nobis inuisibilia sunt. Habitat.n. ipse lucē inaccessibilē. Nam cum ipse sit lux, & summa lux, cōsequentissimè visibilis est, & summè visibilis. In eo verò ꝙ nostri intellectus acies est tenuissima ac debilissima, & infirmissima ad sustinendā tantam lucem, inaccessibilis, & inuisibilis nobis est, & in luce sua quodā modo, quasi in tenebris obuolutus, nobis delitescit. Sapiēter autem plurali numero dicit Apostolus: *Inuisibilia Dei*. Quā quam enim omnia quę Dei sunt, sunt ipse Deus, & consequēter res vna sunt, eāq; simplicissima: quia tamen hęc vna res æquipollet multis, & eminentissimè, Deus est omnia: ideò rectè Apostolus plurali numero dixit: *Inuisibilia*. Quod verò addit: *a creatura mundi*, vel expone, ab ipsa creatione (nam hāc expositionem etiā fert græca litera) vel melius, ab ipso homine, qui mūdi creatura dicitur: quoniam ipse est finis omnis creaturæ, & in eo etiam quodā modo omnis creatura continetur. Hic est enim, nēpe solus homo, qui p ea quę facta sunt intellecta, intelligere potuit quæ Dei sunt, & non alia creatura. Licet enim inuisibilis sit Deus ipse in se, non tamen vt in creaturis relucet, aut resplendet aliquo modo: sicut Sol qui directò non potest à nobis his oculis cerni, sed ex resplendentia cernitur, tametsi hæc comparatio sit debilissima. Et bene dicit:

Creatura mūdi quid est potissimū in scripturis.

Per ea quæ facta sunt intellecta. Quoniā si bene intelliguntur quę facta sunt, quod tunc est, quando causę cognoscūtur, non dico tantum materiam & formam, sed efficiētem quoque & finem, tunc venitur in aliquam Dei cognitionem: & inuisibilia Dei, non quid sint, sed quòd sunt, conspiciuntur in ipsis creaturis quasi in speculo, & in ænigmate: neque quòd sint eo modo quo apprehendimus, sed quòd sunt quodam modo eminentissimè. Siquidē nihil eorū quę nouimus, & per quæ Deum noscimus, repręsentare potest illum nobis vti est, cum quicquid est extra illum, in immensum excedatur ab illo. Non est verò nouum in scripturis, creaturę appellatione hominem intelligi, sicut dixit Dominus: Prædicate euāgelium omni creaturę. Nam & homo quodam modo omnis creatura est, qui de omni creatura aliquid participat, & (vt diximus) propter illum sunt omnia mundi huius.

Marc. vlt.

Sempiterna quoque eius virtus, id est, ipsa omnipotētia sempiterna, quę de cœlis maxime agnoscitur, qui infatigabiliter mouētur: vt hinc infinitum Dei vigorem Philosophus collegerit, *& diuinitas*, hoc est, superexcellētia. Vnde & cœlum dicitur diuum & diuinum, & heroes multi diui & diuini: quoniā longè alios superexcellunt virtute.

Ita vt sint inexcusabiles: quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Hic ostendit Apostolus mundum miserum & infœlicem: primùm per hoc, quòd Gentiles non profecerunt in suo naturę libro, etiā Dei auxilio confirmati in notitia veritatis: quoniam magni philosophi defecerūt, qui minime probarūt ipso opere, quod probabant intelligentiā, ac sermone. Si igitur illi magis illustrati à Deo, & electi vt illustrarēt alios, prolapsi sunt, quid putandū est de imperita multitudine, & vulgo reliquorū hominum, qui per illos ducebantur: Nam vt ex illis coniicias reliquos: Cū enim ipsi nouissent Deum, id est, eum in se summè pulchrum & excellentem, cuius prouidentia, ac sapientia cuncta sunt condita, & gubernātur (hoc est enim verè nosse Deū, nam scripturę vt alibi sępius declaro, in hac notitia, quòd est Deus, concludi volūt & notitiā prouidētię eius.) Cum ipsi, inquam, hanc Dei haberent notitiā, ac propterea intelligerent illum esse colendum, & glorificandū cum omni laude, sancto timore, debita quoque gratiarum actione, nec tamen id præstiterunt, redditi sunt inexcusabiles, & meritò. Qui enim cognouerunt ab eo esse omnia bona, & dona, quæ hominibus euenire possunt, & quę ipsi mer acceperant, ac de iis insuper longè meliora atque fœliciora sperare poterant, non egerunt tamen gratias, vt debuerant, profectò sese inexcusabiles prorsus constituerūt. Neque.n. pari pœna plectuntur minores, qui non ita cognoscūt, sicut maiores. Nemo igitur dicat: Satis est nosse, vt operemur. Ecce philosophi nouerunt,

Quare philosophi inexcusabiles

Sola notitia veritatis non satis est ad bene agendum.

& non fecerunt quod bonū erat. Nihil enim prohibet intellectum capere quidem veritatē, voluntatem verò ob arbitrij libertatem, quæ in ea est, & propter imperium, quo cæteris imperat animę potētiis, non sequi agnitam veritatem. Potest etenim non probare vt finē, quod ei vt finis ab intellectu proponitur. Potest item non probare vt bonū ad finem, id quod sit tamē verè bonum ad finē: quanquam ipsum finem iam notum, & adeptū non possit spernere, aut reiicere. Volūtas autem hominis, quæ naturaliter erga carnem afficitur, etiam naturaliter ipsius petulantiis succumbit dominātę peccato, donec homo Dei gratia non illustratur. Accedente autem gratia peccatum non dominatur, nisi illi nosmetipsos subiiciamus.

Qua via poterant philosophi æternam salutem consequi.

Sed hoc in loco dubium oritur. Si enim homo sine gratia Dei nihil boni agere ex vi liberi arbitrij potest, & philosophi gratiam non habuerunt, nec illam vllo suo facto promereri poterant: quomodo sunt ex hoc solo inexcusabiles, quòd non ignorauerunt veritatem, cum etsi illam scirent, facere tamen non potuissent? Licebit ne dicere, quòd ex vi lib. arbitrij poterant facere, id est, glorificare Deum, & gratias illi agere, ac propterea implere legem naturæ? Hoc non videtur catholicum. Dicere autem, potuisse eos vitare singula, licet non collectim, nihil est. Ecce quæro de hoc: Aut poterant sine gratia glorificare Deum, & dignas ei gratias agere (quæ res continet totam iustitiam) aut non. Si annuas, in eum incidis errorem, qui creditur ab ecclesia reprobatus: quoniam hoc per solam naturę vim, absque gratia Dei, fieri nequaquam potest. Si neges: Quomodo ergo redditi sunt inexcusabiles? An fortè verū erit, quod isti noui hæretici blasphemātes asseuerant, videlicet, Deum à nobis exigere impossibilia, vt si non fecerimus, puniat nos æternis suppliciis? At hoc non est diuinæ clementiæ & æquitatis. Credimus ergo nec philosophos fuisse Dei auxilio destituendos, si agnoscentes debilitatem suam, petiissent à Deo fortitudinem operandi per gratiam suam, quam vt supplices postularent, ipsa ratio, & angelicæ inspirationes proculdubiò (vt par est credere) deposcebant. Sicut enim Deus illuminauit eos, vt intelligerēt quid esset eis faciendum ad salutem, ita non defuisset in præbendo opportunum (quo ea facere poterant) auxiliū, si poposcissent. Quapropter id quod insequutum est explicat, aiens.

Sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiēs cor eorum. Vanitas est, quod non est finis, neque conducit ad finem. Eorum igitur cogitationes, tanquam hominum cogitationes quæ vanæ sunt, in hominum gloria suam ipsorum fœlicitatē constituerunt. Ideò vani redditi sunt à fine, id est, ab ea gloria, quæ à solo Deo est, exciderunt: vnde meruit insipiens cor eorum obscurari. Obscuratur autem cor prauo & indebito affectu, quo prohibetur, ne ad verum finem possit aspicere. Et quia obtinuerunt gloriam ab hominibus, etiam sapiētiam sibi falsa persuasione arrogarūt, in quo patiter turpissimè desipuerūt. Nam honor propter virtutem esse debet. Neque enim verus reputatur honor, nisi ipsa virtus, cui iure debetur, præsens adsit. Sed ipsi honorem propter se appetentes, non curarūt de vera virtute ac sapiētia: Imò quòd ab aliis honore afficiebantur, ex eo se sapientes esse arbitrati sunt, non perspicientes verum sapientię probatorē non esse hominem, qui falli potest, sed Deum, qui neque falli, neque fallere nouit: Vnde addit.

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Nam hoc summum est stultitiæ, putare te, cum vehemēter desipias, plurimùm sapere: & contrà, initium sapientiæ est agnitio propriæ inscitiæ, & insipientię. Non est autem remedium ei qui se putat sapere, nisi primùm discat se desipere, vt ait Apostolus: Si quis, ait, videtur sibi esse sapiens, stultus fiat, id est, stultum in primis se agnoscat, vt sit sapiens. Hoc peccatum fuit Angeli, præsumere se sapere supra Deum suum; vnde stultissimum se reddidit, & obscuratum est autem, & color optimus immutatus. Hic ergo philosophorum summus error, de sapiētiæ, scilicet, ac scientiæ persuasione gloriari. Licet enim quidam illorum essent ironici & dissimulatores, & contra humanam gloriam disputantes, tamen (vt verè quodam in loco Cicero ait) vel eo ipso eam quærebant, quòd illius contemptores videri studebant: cuius rei perspicuum ostendebant in de argumentum, quùm de industria suis in libris etiam nomen proprium inscribebant, vt vel sic clari & illustres redderentur.

Summum stultitiæ.

1. Cor. 3.

Peccatum Angeli.

Et quàm facilè, & miserè (bone Deus) in hoc genere insipientiæ peccat homo, & non vno modo. Nam quidā sibi arrogant quod non habēt, & plusquam habeant ostendunt, & semper augent. Quidē verò & si quid habeāt, ipsi tamen quid, & quantum eis desit, nec agnoscunt, nec cogitant: & non metiuntur seipsos ex re ipsa & veritate, sed cōparatione sola imperitiorū. Non secus atque illi solent facere, qui in aliqua turri excelsa collocati, si deorsum deiiciant oculos, celsi admodum, præ his qui repunt in terra, esse sibi videtur. Qui si sursum versa vice spectarent, & cum iis se cōferrent qui sunt longe superiores, quique cogitatione atque auiditate in supernis habitāt, profectò nanos sese & pigmæos, quin & formicarum simillimos magnitudine ipsa æstimarent. In vtroque ergo errarunt philosophi. Primò enim sibi, quod non habebāt, arrogarunt: deinde seipsos in eo quod habebāt, non vera regula metiētes, vt dictum est. Et ideo suo meritò nescierunt, quid sibi ad veram sapientiam deesset, quam à re ipsa debebant metiri in seipsis, non in comparatione ad vulgus, & inde seriò de vero fine suo cogitare, & de his quæ ad illum ducunt, quem cum per se non potuissent cognoscere, petiissent à Deo, & ipse ostendisset eis. Sunt autē qui verè accipiunt, sed perinde ac si non acceperint, gloriantur, nullas Deo gratias agētes, sicut Diabolus: quo errore etiam philosophi lapsi sunt. Hæc autē licet proculdubio ita se habeant, sicut testatur Apostolus, non eò tamen vsque seuerè mihi intelligenda videntur, quæ penitus omnes philosophos concludant ita succubuisse, vt nullus eorum sit adeptus salutem, sintque facti prorsus omnes rei secundę atque æternę mortis. Durum nimis hoc, atque acerbum videtur. Quare ob istam causam hic locus fortè intelligendus est de maiori illorum parte, quemadmodum ea quæ in sequ. cap. cum aduersus Iudæos inuehitur. Nam de Socrate & Platone meliora fortassis dignum est opinari, quàm quæ Apostolus generaliter hic in philosophos obiicit.

Facilis & frequens error hominis in æstimatione suipsius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verùm cum venitur ad hęc particularia, ſolius Dei eſto iudicium, vel eorum qui à Deo certam reuelationem habuerint.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & ſerpentium. Voluit Apoſtolus hîc à ſcelere ſtultiſsimo, eorum probare inſipientiam, tanquam à fructu ipſius. Omnis enim arbor à fructu cognoſcitur. Scelus autem fuit mutare gloriã Dei. i. gloriam quæ Deo debetur, aut, quæ in ipſo Deo eſt, qui ſolus eſt incorruptibilis ex ſe ipſo, & eam ponere in ſimilitudine imaginis. i. in ſimulacro, vbi erat ſimilitudo, vel imago corruptibilis hominis, & nedum hominis, ſed & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Nam horum omnium imagines colebant etiam diuinis honoribus: quo facto nihil certè poterat excogitari ſtultius. Et de huiuſmodi imaginibus certum eſt: quoniam & ad huc Iouis, Saturni, Iunonis, Veneris, & aliorum idola extant. Nec tamen id ſatis erat eorum ſtultitiæ, niſi & beſtiarum adderẽt adorationem, & eorum imaginum, vt de Æſculapij ſerpente tradunt hiſtoriæ. Babylonij ſerpentem draconem adorabant: Ægyptij appem beſtiam vaccæ ſimilẽ, & columbam, & turturem. Alij idola coracina, alij ouẽ, nonnulli hircum, quidam arietem. Romani idola omnium gentium, quas bello ſuperabant, recipiebant in cultum. Et hæc erat illa Græcorum magna ſapientia, pariter & Romanorum, quæ nihilominus tantis præconiis celebratur, qua nihil ſtultius (vt iã dixi) poterat excogitari. Quęritur enim Dñs aduerſus hanc gentem adeò inſipientẽ per Iſaiam dicens: Cui aſſimilaſtis me? Et alibi: Incommunicabile nomen, lignis & lapidibus impoſuerunt.

Miranda cœcitas, atque inſania philoſophorum, & Gentium.

Iſa. 40.

Sap. 4.

Sed noſtra ætate è ſepulcris redierunt hypocritæ quidam, & falſi magiſtri, qui hoc ſacrilegiũ idololatriæ Chriſtianis impingunt, quaſi illi adorent & venerentur imagines, & ligna, & opera tandem manuum hominum. Quã in parte egregios ſe ſycophantas produnt. Etenim Chriſtiani vtuntur imaginibus & figuris non vt eas colãt, aut vllo modo venerentur ſiſtentes in eis, ſed vt quod verè colendum eſt & adorãdum, per illas recolatur, & ad illas adoratio ciuſmodi fiat. Hoc autem non eſt colere ſimulachra, ſicut illi faciebant, quorum error in duobus conſiſtebat, videlicet, & in colendo ipſas imagines, & ſimiliter quòd putarent Deos eſſe, qui illis imaginibus repræſentabantur. Nam & in eis eſſe vim diuinam putabant, fallentibus ita Dęmoniis, dum reſponſa per eas redderent: quamuis non dubitem, idolorum ſacerdotes multoties in reddendis oraculis fefelliſſe miſerũ vulgus. Quare & ipſas imagines verè colebãt, & in ipſis vim eſſe diuinam exiſtimabãt, quorum neutrum vllus verè Catholicus facit. Obiiciunt, prohibitũ eſſe omnino, ne qua ſculperetur, aut pingeretur imago. Sed hæc prohibitio finẽ habet adiunctum, videlicet, ad colendum illam & adorandũ. Non enim ex ſe peccatum erat fingere quicquam, aut ſculpere ſimulachrũ: alioqui cur erant ſculti Cherub ſuper propitiatorio? Et cur alias imagines licebat iuſſu legis efingere? Adde, tunc iſta fuiſſe prohibita, quãdo meritò poterat de idololatria oriri facilis ſuſpitio in illa cœcitate mundi, quùm falſorum Deorum vbiq; cultus vigebat. At nunc iam mundi oculos aperuit Chriſti lux, niſi excœcauerimus noſmetipſos. Nec eſt contumelioſum Deo, ſi illum colamus in imagine, vt falsò nos arguit Caluinus quidã, qui ſe in hæreſiarcam huiuſmodi maledicentiis extulit, eò quòd per eam craſsè (inquit) maieſtatem imaginamur. Nam verè ipſe craſsè imaginatur, & calunioſè obiectat. Non enim adeò craſsi ſumus, vt putat, ſed ex imagine qualis qualis eſt, venimus in cognitionem ſeu recordationem Dei, & operum ſuorũ, quæ frequenter oſtẽdunt picturæ, vt glorificemus eũ, & agamus, & habeamus illi gratias pro modulo noſtro. Neque verò putamus talem eſſe Deũ ſecundum diuinitatem, qualis in imagine apparet. Et tamen ſi craſsè imaginari Deum piaculum eſt: quæro ego ab hoc ſapienti viro, ac cẽſore, An non & ipſe craſsè Deum imaginatur, ſi quando de illo cogitat? Imò in ſcripturis ipſis, nonne aſsimilatur multoties Deus creaturis ſenſibilibus? Recolat infœlix homo, quomodo apud Danielẽ deſcribatur Pater, & apud Ezechielẽ, & alios propheras, & dicat nobis homo blaſphemus, vtũ illi Angeli craſsè Dei maieſtatem reuelabãt? O verè miſeros, qui Eccleſiam matrem ſuam docere præſumunt. Præterea, Chriſtus ſecundum humanitatẽ talis pingitur, qualis erat, nimirũ verus homo: quamobrem omni ex parte peccat calũniator iſte & reprehenſor. Sed ad rem noſtram, vt videas tanto ſacrilegio dignos fructus, quos philoſophi illi, & mundi ſapientes ex cœcitate mentis reportarunt:

Calumnioſa reprehenſio hæreticorum circa venerationem imaginum.

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immũditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Qui commutauerũt veritatem Dei in mendaciũ: & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris ſui in ſemetipſis recipientes.

Propter quòd, &c. Tradidit autem illos in immũditiam, dimittendo eos in ſuis immundis cogitationibus, & concupiſcẽtiis, propter flagitium tam infandæ abominationis, id eſt, idololatriæ. Scriptum eſt enim: Infandorum idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis. Sic Deus dicitur facere malum & peccatũ, cum dimittit hominem ſuomet ſe regendum arbitrio, qui non poteſt ex ſe ſolo vllum bonũ patrare. Deus enim qui poteſt prohibere peccatũ, ne fiat, & adiuuare hominẽ vt caueat, & nõ prohibet, nec adiuuat ad cauẽdum: imò permittit, imò & interdũ ponit (vt ſancti doctores dicũt) offendicula, occaſiones peccatorum, incitationeſque per angelos malos ad ſcelera, vt admittant ea, nonnullo modo videtur poſſe dici cauſa peccati, ſed nõ vt eſt peccatum, ſed vt eſt pœna peccati. Hoc. n. pacto peccatum à Deo eſt, & bonum eſt: quia vt pœna conſideratur, quæ à iuſtitia eſt. Cum ergo peccatum pariat peccatũ, facilè conficitur reſtis, & funis fortiſſimus, quo homo ſtrãgulatur, & in barathrum inferni præcipitatur. Vocat autem immunditiã, fortè ſpecialem lapſum carnis, quem mollitiem vocant. Vnde ait.

Quam pœnam ſecum ferat contemptus Dei, & idolatria.

Vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Verè enim afficitur contumelia corpus noſtrum in nobis ipſis, cum illud per hæc feculenta ita fœdamus, vt dedignetur illic habitare Spirituſſanctus. Hoc enim vno peccato corpus coinquinatur quia quod eſt membrum Chriſti, obligatur meretrici, vt alio in loco Apoſtolus nobis manifeſtè declarat.

1. Cor. 6.

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium. Rectè legitur græcè; in mendacio; non in mendacium. Quomodo enim veritas Dei verti poteſt in mendacium? Commutatur autem veritas Dei in mendacio, quando quod propriè Deo debetur, transfertur arrogando illud creaturæ, quæ coram Deo mendaciũ eſt, vt legitur: Omnis homo mendax: & iterum. Vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium? Sic ergo fecerunt illi, quia *coluerunt, & ſeruierunt creaturæ, potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.* Et vide dignã peccato pœnam, vt qui ſpreuerunt Deum, etiam ſeipſos ſpernerent, & inſuper afficerent contumelia, belluarum vitam agentes immundam. Exprimit autem contemptum Dei in hoc, quòd cultum & latriam, ab ipſa creatura Creatori debitam, qui ſolus eſt. & ideò benedictus in ſæcula, ipſi creaturæ reddiderunt, quæ nihil eſt ex ſeipſa. Benedictum Deum vocat in ſæcula, id eſt, glorioſum in æternũ quod omne ſæculum ambit, cui omnis creatura dat gloriam. Et ſi enim multi, dum in via ſunt, blaſphement illum, certè de hoc ſumitur glorificatio Dei: qui longanimis, & bonus in ſuſtinendo illos, per hoc interim agnoſcitur. Qui autem iam damnati ſunt in inferno, dum illum blaſphemant, laudem illi ſuo modo dicunt: quia iuſtitiam ipſius cõmendant. Credendum verò, non eſſe exiguam eis tormentorum partem, dum rabiem ſuam ne quicquam ſic exercent, Deo interim ridente, & irridẽte illos ineffabiliter. *Sæculum* autem ſignificat certam durationis periodũ, & maxime illã quæ ſumma eſt, ſiue huius, ſiue alterius vitæ. Itaque ſæculũ, vitæ durationẽ ſignificat. Et quia duratio vitæ huius finita eſt, etiam ſæculum finitum eſt. Alterius autem vitæ ſæculum, infinitum eſt: quia & vita ſine fine. Hoc igitur modo ſæculum intelligitur, vbi Dominus dixit: Non dimittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Dicitur & ſæculum ſæculi, & ſæcula ſæculorũ, quæ ſunt prẽſtantiora, vt æuũ reſpectu temporis, & æternitas etiam reſpectu ęui ſicut dicitur cœlum cœli, cœli cœlorũ, Deus deorum, canticum canticorum, tropo hebraico. Nonnulli ſæculum mille annis finiunt: alij centum annis, quæ prẽſumitur vita hominis longęua. Vnde dictum eſt carmen ſęculare, quod canebatur in ſacrificiis centeſimo quoque anno. Aſtrologi, qui multa ſuo ingenio fingunt, ſcilicet hoc illis dante ſuo Mercurio, aut ſtella fixa, triginta annis ſęculum clauſerunt.

Nota conuenientiã pœnæ cum peccato.

Pſal. 115. & 4.

Damnati blaſphemãtes Deum laudant illum, & ſeipſos macerant.

Sæculum quid.

Matth. 12.

Amen, vox hębraica, ſignificans confirmationem: quę & optantis eſt, vt hîc apud Apoſtolum. Eſt item promiſſionis, & veritatis nota, & atteſtãtis illam ſummam & primam Veritatem. Et ſic vſus eſt frequenter Chriſtus, qui & ea voce ſignicatus eſt, Dilecto dicente: Hoc dicit Amen, qui eſt teſtis fidelis. Et in eius honorem manſit hęc vox in ſua lingua.

Amen quid.

Apoc. 3.

Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ &c. Specialiter nunc declarat, quod in genere dixerat de immunditia. Et primò ponit ignominioſiſſimũ ſcelus, & infandum contra naturam, id eſt, non modo contra rationem hominis naturalem, ſed contra vniuerſalis inſtinctum naturę: Alioquin ſi ratio attenditur, omne peccatum eſt contra naturam. Et bene vocat paſsiones ignominię: quia per has etiam infra bruta animantia ſeſe deiicit miſer homo. Et vide iuſtitiam congruam dignãque peccato. Tu homo infœlix, qui Deo prętuliſti creaturam, nonne congrué fit, ſi etiã infra bruta te ipſum in tantam ignominiam pręcipites? Et hinc patere poteſt, quibus tenebris obuoluantur Turcę, qui ſub lege illa Mahumetis ſpurciſſima viuunt, & hoc inſigne flagitium (vt fertur) non habent pro ſcelere, vt ſint inexcuſabiles: quos etiam vel animalia bruta damnabunt. Illud porrò ad commendationem diuinę iuſtitię notandum, quòd plerúmque homines qui ſunt elati & ſuperbi, & impij, & ſęcularibus imbuti diſciplinis, hoc ſpurciſſimo & immaniſsimo ſcelere tenentur captiui, atque fœdantur. Verum quidem eſt, fœminas primum (vt aiunt quidam) dediſſe huic nephandę operationi initium: poſtmodum creuit audacia, & mares ſimiliter fecerunt, vt Apoſtolus huic videtur innuere. Et vt declararet hoc peccatum eſſe pœnam ſui ipſius congruam, adiecit.

Peccatum contra naturam.

Nota hæc omnino.

Et mercedem, quam oportuit &c. hęc eſt merces, vt inhonorantes proprium corpus, exturbent Spiritum ſanctum inhabitantem in ſeipſis. Congruentia verò talis pœnę magis exprimitur, per id quod ſubſequitur.

Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus nõ obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Qui cùm iuſtitiã Dei cognouiſſent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

Et ſicut non, &c. Dictio; *&*, frequenter in ſcriptura tropo hebraico capitur pro, quia, & ita puto hoc in loco accipiendam, vt ſit ſenſus. Quia non probauerunt, ſcilicet facto ipſo, ſe noſſe Deum, quem tamen intellectu conceperant & nouerant, ob eam cauſam ſunt dimiſsi & traditi in reprobũ ſenſum. Sic enim græcè legitur, vt propterea Deus

Et, pro quia ſæpenumero in ſcripturis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſimiliter dicatur non probare ſe noſſe illos, & dignitatem illorum quam fecit ipſe, excellentius eis ingenium, & animam meliorem donãs, dum poſt modo propter eorum tanta ſceleta permitit tale eorum ingenium & intellectum, tenebris adeò denſis, per ſubtractionem lucis, & auxilij ſui, obſcurari, vt perpetrarent tanta ac tam vehementer abſurda. Et propriè reproba mens eſt, quæ tantos fecit in malo progreſſus, vt mala velut bona probet vnde omnis conflatur iniquitas: quia ſi lux, quæ in te eſt, tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quante?

Iniquitas, & iniuſtitia idem. *Repletos omni iniquitate.* Græcè iniuſtitia, quæ eſt omne peccatum ſicut econtratiò iuſtitia eſt omnis virtus.

Fornicatio. *Fornicatione.* Hæc omnem venerei delicti ſpeciem complectitur. Thobias enim Dixit filo ſuo: Attende tibi ab omni fornicatione. Et hoc vitium primò nominat, vel quia commune plutibus, vel quia indignum ſapiente.

Malitia. *Malitia,* πονηρίας; Quę eſt inueteratum vitium, & connaturale factum, cum quis de induſtria exquirit etiam laborans, male agere, ita delectatur in malo. Et eſt proprium Diaboli epitheton, à quo in oratione Dominica petimus liberari, dicentes: Sed libera nos à malo, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

Auaritia. *Auaritia,* Vitium eſt, quo quis ſibi de bonis terręplus ęquo concupiſcit: magnum ſanè vitium & capitale. Nam omnium malorum radix eſt, teſte B. Paulo. Et ſcriptura ait: Auaro nihil ſceleĉtius. Eſt. n. quoddam idololatrię genus ipſa auaritia, qua ſe homo indigniſsime ſubiicit vili metallo. Vnde reĉtè poſt malitiam ſequitur auaritia: quia tota malitia auaritia eſt. Eleganter enim dixit quidam: Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?

Ecclę.10.

Nequitia. *Nequitia.* Gręcè, κακία, ideſt ignauia, aut deſidia, ab ἀκαιρῶ, quod eſt deficere, & laſſari, videlicet, à bono: huius oppoſitum, ἀρετὴ, ideſt, virtus, quæ fortiter & cum delectatione operatur honeſtum. Concluſit autem perfectam iniuſtitiam in his, videlicet in malitia, & nequitia: ſicut contrà, omnis bonitas in faciendo bonum, & declinando à malo conſiſtit. Per nequitiam enim declinamus à bono: per malitiam verò etiam operamur malum. Sed hę indiuiduę ſorores ſunt. Omnis enim nequam & ocioſus, malus eſt.

Inuidia. *Plenos inuidia.* Rectè ſequitur ad nequitiam inuidia: vnde oculus, nequam. Ei qui frugi, eſt inuidet ignauus, cum ſe illi comparat, quaſi bono illius opprimatur. Eſt enim inuidia vitium anguſti animi, vnde ſcriptum eſt: Paruulum occidit inuidia. Magnanimus autem, vt ait Philoſophus, non inuidet, quia parui ęſtimat ea, quę multi magni faciunt, & ipſe ſibi ſufficiens eſt. Hęc à Philoſopho dicuntur quidem, & ex partè verè, ſi modo magnanimum dare poſſet humana philoſophia: ſed illum non dat niſi ſola gratia. Qui autem ex philoſophia magnanimus eſt, inflatus eſt, & intumeſcit. Præterea, homo nũquam ſufficiẽs erit ſibi ſine gratia Dei: quia ea ſunt verè bona, quæ ſunt ſpiritualia, & ſola hæc magni ſunt æſtimanda. At verè ſpiritualis non inuidebit illa alteri, cum ſciat ſe participare de illis: potius congaudebit ſicut membrum eiuſdem corporis alteri membro. Si igitur fueris ſpiritualis, ô pie lector, non habebis vllam inuidendi cauſam. Aut enim non erunt verè bona, & hoc noſces, nec erit cur inuideas; Aut verè bona, & erunt ſimiliter tua: quia charitas facit omnia cõmunia. Et ideò nec ſic poteris inuidere.

Homicidio, Quod ex inuidia ſæpè ſequitur. Tale fuit homicidium primum Dæmonis. Tale & illud Caim. Tale quo in Ioſeph fratres eius flagrabant. Tale quod principes Iudæorum in Chriſto admiſerunt. Sciebat enim Pilatus (ait Euãgeliſta) quòd per inuidiam tradidiſſent eũ. Magnum itãque peccatum inuidia, & diabolicum, vnde odia non rarò & homicidia naſcuntur. *Homicidiũ ſæpe ab inuidia.*

Contentione, Hæc fit verbis inuicem altercando, dum quiſque pertinaciter vult & mordicus ſuas partes defendere. Eſt tamen quædam ſtudioſa contentio, quæ ſi moderata fuerit, poteſt eſſe ſine culpa, cum vtilitas ſcilicet, aut neceſsitas id exigit: & dum quilibet putat ſe, quod verum eſt, tueri. Sic contendebat B. Paulus reuincens Iudæos, vt in Act. legitur. At vbi nulla neceſsitas, vtilitas nulla, & præſertim cum non adeſt veritas, omnis contentio vitioſa eſt, qualis eſt illa Sophiſtarum, qui comparandæ inanis glorioląę gratia contendunt: aut etiam perfidorum, qua veritatem conantur op primere. Et ab hac nos, qui verè Chriſtiani & haberi & eſſe volumus, debemus omni ſtudio cauere. Nam in magnam Domini laudem ſcriptũ eſt: Non clamabit, néque contendet. Quoniam verò hæ contentiones maximè ab eodem inuidiæ fonte deſcendunt, poſt inuidiæ commemorationem ſunt poſitæ. Nam ob hoc de fratribus Ioſeph ſcriptum eſt, quòd non poterant ei quicquam pacificè loqui. *Contentio.* *Iſa.42.*

Dolo. Dolus eſt, cum aliud agitur, & aliud agi ſimulatur: quod eſt eorũ, qui aportè nocere aut non audent, aut non valent. *Dolus.*

Malignitate, Gręcè, κακοήθεια, quæ eſt quędam morum peruerſitas: quia non poſſunt, quia ea tenentur, pacificè & manſuetè cum proximis loqui, agere, & conuerſari. Et quia horum varia ſunt & peſsima officia, declarans ea, ſubdit. *Malignitas.*

Suſurrones. Hi ſunt qui maledictis, & tacitis accuſationibus ſeparant amicos, dum ea de vno deferunt ad alterum, quæ nata ſunt inuicem parere diſſidia, addit. *Suſurratio*

Detractores. Hi ſunt qui improbè de abſente loquuntur, vt eius famam obſcurent, aut etiam infamem illum reddant: quales ſunt qui in ſilentio mordent vt ſerpentes. Vt autẽ deteſtetur eiuſmodi peccata, quæ ſocietatem lędunt humanam, & contra amicitiam & charitatem militant, addit. *Detractio.*

Deo odibiles. Gręcè tamen legitur, θεοστυγεῖς; Quod ſignificat etiam Dei oſores: & hoc magis placet. Faciebat enim catalogum delictorũ, inter quę hoc inſigne flagitium collocat, videlicet, odiſſe Deum, quod non poteſt eſſe, niſi à mente corruptiſsima. Qui enim malè agit, ideſt, malitia & electione cõſtãti probat malum quaſi bonum, hic eſt qui odit lucem: quia ab illa arguuntur mala eius opera, vnde Dominus: Me odit mundus: quia teſtimonium illi perhibeo, quòd eius opera mala ſunt. Nemo enim qui peccatum diligit, facile patitur lumen, à quo manifeſtatur atque arguitur. *Odiũ Dei.* *Ioan.7.*

Contumelioſos. Gręcè, ὑβριστὰς, ideſt, iniurioſos. Nam cõtumelia propriè, eſt iniuria quæ fit verbis, à contemnendo dicta, vt volunt Iuriſconſulti. *Cõtumelia*

Superbos. Hi ſunt ſuperbi, qui appetunt ex ſcelere aliis ſupereminere quouis modo. Græca vox: ὑπερφάνους; iactantiam quandam ſignificat, & oſtentationem, quæ propriè ſuperborum eſt, vnde ſequitur. *Superbia.*

Elatos. Hi ſunt qui ſeſe efferunt, efferríque ab alijs gaudẽt, & in cœlum laudibus extolli: quod à ſuperbia deriuat. *Elatio.*

Inuentores malorum. Fuerũt qui nouos cruciatus, & horribilia omnium crudelitatum genera adinuenerunt. Alij inauditas blaſphemiarum ſpecies protulerunt. Nonnulli etiam in tantam fœdarum cogitationum lapſi ſunt turpitudinem, vt nouos libidinem exercendi modos, libris etiam editis, excogitauerint. Quos qui imitantur, Dei benignitatem, qui ad pœnitentiam expectat, ſibi in iracundiam vertunt. At ipſi hanc diſsimulationem arbitrantur infirmitatem, perinde ac ſi neſciat Deus, vel nequeat vindicare. Et ignorant infœliciſsimi, quòd ſi ad inuenienda noua ſcelera fuerunt ipſi in genioſi, multò minus ſit Deo defuturũ ingenium ad exquirenda noua & ſpectatu digna ſupplicia. *Inuentio. ſcelerum.*

Parentibus non obedientes. Quod eſt graue crimẽ, contra primũ ſecundæ tabulæ præceptum, quod habet promiſsionem vitæ non ſolùm preſentis, ſed & futurę, vt ſcriptura teſtatur. Huic delicto capitalis pœna, ideſt, pręciſio vitę adiicitur; vt quale eſt pręmium ſeruanti hoc mandatum, par ſit econtrò & æqualis pœna non ſeruanti. Qui enim eũ à quo vitam accepit, ſpernit: vitam iure amittere debet. *Inobedientia ergamatores.*

Inſipientes. Qui neſciũt quò tendãt, nec prouidẽt nouiſsima: contra quos Propheta: Vtinam, inquit, ſaperent, & intelligerẽt, ac nouiſsima prouiderẽt. *Inſipientia*

Incompoſitos, mente videlicet, & corpore: qui temerè, & inordinatè, prętermiſſa omni rationis lege, beluarũ more atque impetu feruntur. Hoc vitium ei opponitur virtuti, quam Græci, εὐταξίαν; eleganter vocant, noſtri modeſtiam ac tẽperantiam, à qua & habitus, & ſtatus, & inceſſus, & denique omnes corporis geſtus & actus (vt D. Ambroſio placet) moderationem accipiunt. *Incompoſitio.*

Sine affectione. Hinc omne malum, omnis impietas, & crudelitas. Sunt enim tales, qui ſolùm ſeipſos amant, vnde ait: *Crudelitas*

Sine fœdere. Aut quia nolunt cuiquam illo fœdere iungi: aut quia fœdera vel pacto inita, vel natura inſita, frangunt. *Fœdifragum.*

Sine miſericordia. Quod eſt innaturale. Nam homo ex alterius miſeria & calamitate naturaliter mouetur ad miſericordiam: quanquam Tetrici, & Stoici, vitio potius dent hanc affectionem, quaſi ſit mollities quædam animi. Verùm hæc non humana eſt hæreſis, ſed ferarum atrocitas. Nam qui ſe hominem agnoſcit, nihil à ſe humani alienum putat, & non poteſt hunc recipere ſpiritũ. Eſt ergo eorum qui eum nolint eſſe homines (quorum eſt his affectionibus permoueri) feras hac parte (ſi nõ quid peius) ſe conſtituunt. Porrò duplex eſt miſeria, vel pœne, vel culpæ: & vtrique debetur miſericordia in hoc mundo, vt qui eam, dum viuit, non fecerit proximo, non ſit illam poſt obitum conſequuturus à Deo. Sicut enim miſericordes à Deo dicuntur beati: quoniam miſericordiam cõſequentur. Ita infœlices, qui nõ fecerint miſericordiam: quoniam nec ipſi eã, qua ſummopere indigebunt, conſequentur. Denique ait: *Sauitas.* *Cõtra ſtoicos.*

Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent &c. Vulgata lectio habet quæſtionem, quia ſupponit quòd ij cognouerint Dei iuſtitiam, & tamen non intellexerint, eos, qui talia agunt, dignos eſſe morte. At hæc pugnare inuicem videntur, niſi exponas: *Non intellexerunt,* ideſt, voluntate ac facto ipſo non probauerunt ſe intelligere, quòd tamen intellectu conceperant. Dicitur enim rectè is non nouiſſe, qui quod nouit, non probat. Hoc in loco iuſtitia Dei non intelligitur, vt ſupra, pro dono quo iuſtificamur, ſed pro illa Dei voluntate, qua vnicuique ius ſuum tribuit. Ne quid autem diſsimulem, longè magis mihi placet græca lectio, quæ ſic habet: *Qui cũ iuſtitiam Dei cognouiſſent, quòd qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus.* Facilè autem procedit ſic litera, & ſine vllo ſcrupulo: vt rectè concluſum eſſe probet, quòd ſint inexcuſabiles, qui Dei iuſtitia cognita, & ipſi malum perpetrant, & facientibus etiã conſentiunt, quos tamen ipſi vt maiores, & conſilio, & exemplo debebant erudire. Vbi notandum. Quod cum maiores conſentiunt peccatoribus, videntur quodam modo probare peccatum, & ita dicere malum bonum, quod Væ æternum meretur.

CAP. II.

PRopter quod, inexcuſabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Iis quidem qui ſecũdum patiẽtiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Iis autem qui ſunt ex cõtentione, qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio, & anguſtia in omnẽ animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonũ, Iudæo primùm & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarũ apud Deum, quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege &

Universidad de Deusto
Biblioteca

peribũt:& quicũque in lege peccauerũt, per legem iudicabuntur. Non enim audi tores legis iusti sunt, apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

Accusatio in Iudæos.

PRopter quod, &c. Hic proculdubiò nacta occasione ab increpatione, qua superius vsus est in Gentes, conuertitur nunc ad Iudæos Apostolus, quorum proprium erat hoc nimirum Gentes iudicare ob earum impietatem, & iniustitiam, volens, ostendere illos minimè esse idoneos, qui possent iudicare & damnare Gentes ob earum impietatem (vt dixi) & se illis ea ratione præferre, quod ipsi acceperint à Deo legem. Eò quippe damnabiliriores se, quàm illas ostendebant, quòd cùm legem bonam, & sanctam recepissent, eius tamen legis erant præuaricatores, ait ergo: *o homo*, id est, ô Iudæe, qui te hominem putas, & præ cæteris tete effers, tanquam Gentes sint belluæ extra Dei pro uidẽtiam reiectæ. Vocabantur. n. Gẽtes in scripturis, bestiarum nominibus quæ erãt immundæ: & his notis solebant nos Iudæi designare. Vnde & ipsemet Dominus nos canes vocauit, dicens: Nõ *Matth. 15.* est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. *Act. 10.* Ostendit etiam B. Petro linteum bestiis immundis plenum, per quas voluit Gentes significare. Iudæi verò in lege frequenter hoc nomine, homo; designabantur, vt palsim in Leuitico patet. Ergo in Iudęos sermonem suum conuertens Apostolus, sicut superius Gentes arguendo, maiores eorum, id est, philosophos increpauit: sic nunc aduersus maiores Iudæorum dirigit hanc reprehensionem, vt ex illis coniectaremus quales erãt reliqui. In hos igitur tanquam in vnum inuehitur, cum omnes, aut ferè omnes, iisdem vitiis rei tenerentur. Tu (ait) homo, id est, ô tu, qui saltem homo ob legis doctrinam esse debueras, & ab aliis tanquam a belluis differre: Tu, inquam, alios iudicans, condemnandus ipse es, nec vllam honestam potes prętendere legitimæ excusationis rationem: quia multò clarius quàm illi, nouisti veritatem Dei, & nihi *Attendãt doctores et prædicatores, qui dicunt & non faciũt.* lominus eam in iniustitia detines. Quare tantò etiam magis inexcusabilis es, quòd cum in eodem crimine verseris, alios tamen non vereris iudicare. At reuera eo ipso quòd alterum iudicas, temetipsum condemnas: cuius subdit rationem, aiens: *Eadem enim agis quæ iudicas*, vel potius, *qui iudicas*. Sic enim rectè habet, vt *qui*, non *quæ*, legamus: quod perspicuè in græca lectione patet. Non enim peccata tãtum, quæ (cum nota sunt) iudicare licet, sed etiã ipsos homines iudicabãt Iudæi, quod nõ licet. Hoc enim solius Dei iudicio est reseruandum. Vnde optimè sequitur:

Scimus enim, quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Videlicet nos Iudęi, qui ex lege sapimus, per ipsam nimirum legem instructi, scimus, quòd Deus iudicat secundum veritatem in eos qui talia agunt, personas in iudicio non accipiens, sed vt res ipsa, & factum cuiusque postulat, sicut scriptum est: Reddet vnicuique secũdum opera sua. Gentes autem hoc non ita diluci dè norant. Vnde amplius vrgens in Iudæos, adiecit:

Existimas autem, ô homo, qui iudicas, &c. Rursus hominem appellat. Efficacissima sanè confutatio aduersus impudentiam, & iniquitatem huiusmodi hominum, qui alios eorundem criminum reos agunt, quibus ipsi implicantur, atque tenentur: ac si dixerit: Quod tu in aliis tam acutum cernens perspicis, & iudicas: cum idem in te sit, id non videbit Deus? Quòd si videbit, non etiam iudicabit? An forte tu Deo perspicacior, aut tu illo iustior? Ergo qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculũ non considerat? Dices: Quur ergo patitur Deus? *Patientia & longanimitas Dei, non est contemnẽda, quia irritatur & exasperatur nimis.* cur non confestim vindicat? Audi:

An diuitias bonitatis eius, &c. In illos vim ista habent, qui ab impunitate animantur ad peccandum & aiunt: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Et nõ consyderãt diuinæ bonitatis diuitias, nec id quod sequitur, quod tamen maximo cum tremore esset ponderandum, ait:

Secundum autem duritiam tuam, &c. id est, Quemadmodum auarus, qui paulatim thesaurum cõgregat, vt tandem multis congestis ad summum diuitiarum peruenias: Ita tu paulatim tibi ab assiduitate peccandi per duritiam, congregas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: quia tunc omnibus apparebit in maiestate. Interim tamen erit particulare de singulis iudicium in animam cuiusque, qui ex hac vita excedat. Iustum verò vocat *Vita æterna quæritur & reditur bonis operibus.* iudicium ex eo quod sequitur:

Qui reddet vnicuique secundum opera eius. Declarat autem quomodo secundum opera cuiusque futurum sit iudicium, eò quòd his qui in patientia boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionẽ *Audiant Lutherani.* quærunt, id reddetur quod quæsierunt, id est, vita æterna, quæ his tribus concluditur, videlicet, gloria primùm, quæ est animæ & corporis claritas ab ipsa Dei visione procedens, in cuius lumine videbimus lumen: Fulgebunt enim iusti sicut Sol. Deinde honor aderit: quia ab impiis segregati, cõputabimur inter filios Dei viui: & sicut angelis Dei, ita erit nobis honor coram discumbentibus angelis. Aderit & incorruptio, id est, impassibilitas, & omninò immortalitas ab omni noxio. Et hæc erit bonorum operum retributio. Et contrà in prauos, id est, in eos qui sunt ex contentione, nec acquiescunt veritati, vel non recipientes illam, aut illa recepta præuaricantes. Vnde additur: *& credunt*, seu potius obediũt, *inquietati*: reddit ur similiter iusta retributio, quæ est indignatio, & ira Dei. Hæc prima biga diuinæ iustitiæ. Primùm enim Deus quasi secum fremens animo, indignatur in hominem qui illum contemnit: tum irascitur, id est, animo meditatur vindictã. Et quia non in vanum cogitat quicquam Deus, ecce exequutio præsto adest, tanquam secunda biga, quæ primam sequitur, videlicet tribulatio & angustia. De tribulatione quidem Sophonias propheta ait: Vox Dei domini amara: tribulabitur ibi fortis. De *Soph. 1.* angustia autem loquitur, quæ significat nullum fugæ relinquendum locũ ab ipsi pressura, nec vllam euasionem. Apud B. Iacobum legitur: Nũquid clamorem illius audiet Dominus, cum venerit super eum angustia? Adiecit autem:

In omnem animam operantis malũ, Iudæi primùm & Græci. Ne sibi blandirentur Iudæi, primos illos nominat. Sicut. n. primi vocandi erant ad præmium, si fideles fuissent, propter gratiam Dei olim in illos profusiorem: ita contrà, abundantiore supplicio afficiendi quàm Gentes, si tantam gratiam re-

cusarent. Et sic nõ est personarum acceptio apud Deum. Nam quod illi nobis in præmio prælati erant, ex iustitia erat, iã posita illorum prærogatiua ex Dei gratia. Et similiter quòd in pœnis primi sint, ex iustitia est: quia magis ingrati sunt inuenti, cum magis fuissent honorati. Quòd autem à principio priores electi fuerunt, nõ facit acceptionem personarum: quia acceptio personarum in iudicio reprehenditur; & vbi iustitię debitum reddendum est, vituperatur, non autem in donis: quia principi licet præponere quem voluerit, aut cui voluerit ho *Deut. 10.* norem exhibere. Ideò scriptum est: In iudicio non accipies personam: vnde sequitur:

Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Gentes istæ erant sine lege, quæ sine lege dicuntur peccasse, & sine lege perire: & hoc intelligitur de lege scripta. Perierunt autem sine lege, quoniam nec lex scripta, nec Moses accusauit, aut damnauit eas, sicut Iudæos qui per ipsam legem iudicabuntur, quoniam legem Dei per Mosen audie- *Ioan. 5.* runt. Vnde Dominus dixit: Nolite putare quòd ego vos accusaturus sim apud Patrẽ: est qui vos accuset: Moses, in quo vos speratis. Moses enì remittebat eos ad Christum, vt audirent eum, quod ipsi nõ fecerunt. Sunt verò quidam, qui ex hoc Apostoli dicto putant mitius esse agendum cum Iudæis, quia iudicandi dicuntur, quàm cum Gentibus, quæ perire dicuntur. Sed hoc primùm contra Apostolum videtur, qui primos constituit Iudęos in iudicio, siue ad præmia, siue ad supplicia. Deinde pro hoc facit ratio: quia idem peccatum propter maiorem notitiam, magis erit imputabile Iudæo, quàm Græco. Et ridiculum est ex eis verbis, videlicet; perire; &, iudicari, capere illam differentiam, quia idem est hìc iudicari quòd condemnari, & sic perire. Quare & B. Augustinus meritò reprobat illam opinionem, & expositionem.

Hac verò declaratione illius tritæ sententiæ: Quòd redditurus est Dominus vnicuique iuxta opera sua, inuictissimè expugnantur ab Apostolo hæretici, qui negant bonis operibus, aut bonorum operum meritis, reddi vitam æternam. Nam contra hoc manifesta est ipsius Apostoli expositio huius sentẽtiæ, qui per patientiam boni operis quæri *Cauillus hæreticorum.* vitam æternam declarat. Aiunt, non dicere Apostolum quòd eam vitam opera mereantur. Sed nõ animaduertunt vim illam verbi, quod est, reddere, in qua includitur vis meriti. Id enim propriè redditur, quod debetur: tametsi non desint alia loca, vbi merces exprimitur operum. Quòd si merces, ergo debitum, ac meritum. Quæ cum ita sint & adeò clara, miror hominum impudentiam & ar- *Error hæreticorũ confutatur.* rogantiam, qui hæc volunt suis fucis obtegere. Ad de, quòd etiam in alio dogmate retũduntur, quo negant hominem posse intendere ad præmium operando, cum hìc dicat Apostolus de iustis, eos per patientiam boni operis quærere vitam æternam. Nemo enim quicquam quærit, ad quod non intendit. Dominus item dixit: Primùm quærite regnum Dei. Quod si dicant (vt quidam eorum à veritate coacti tandem dicunt) principaliter quærendam esse Dei gloriam, non bonum nostrum, nihil aduersus nos dicunt. Sed cum bonum nostrum coniunctum sit cum gloria Dei, cuius voluntas est vt sancti & beati simus, nõ est inhonestum id quærere, id sperare, & ad illud anhelare, quod nobis proposuit pro præmio Deus ad gloriam suam.

Occurrunt tamen plura contra istam veritatem: Quòd Dominus reddet vnicuique secundum opera sua. Primo enim videtur contra illam Isaiæ sen- *Argumẽta quòd nõ reddat Deus vnicuique secundum opera sua.* tentiam: Vniuersæ iustitiæ nostrę tãquam pannus menstruatæ. Secundo quod idem Apostolus ait: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Tertio. Pueris non redditur secundum eorum opera. His enim datur vita æterna, qui cum sacro decesserunt: aliis verò qui sine sacramẽto supplicium æternum, qui tamen nihil mali egerunt. Quarto, Accidit esse nonnullos, qui plurima bona egerunt, & quia in vltimo vitæ spiritu lapsi sunt, condemnantur. Contra verò alij, qui semper mala perpetrarũt in vita, & in vltimo vitæ spiritu conuersi, recipiunt vitam æternam, vt de latrone legitur: quorum si computarentur bona opera, inuenirentur plura esse eius qui damnatur, quàm qui fit saluus. Quinto, Si proponatur aliquis multo tempore in bonis operibus insudasse, & alius pauciore, pares tamen fiunt in præmio & mercede, vt probatur ex parabola operariorum apud B. Matthæum. Quinimo qui breuiore tempore laborarunt, nec tantos substulerunt agones, nonnunquam maiore præmio donantur. Sexto, Videtur quibusdam incõgruum, vt qui momento temporis transgressi fuerint, puniantur æterno supplicio. Non enim hoc videtur fieri secundum opera, eò quod momentanea ferè sunt. Quæ autem comparatio æterni cum momentaneo? Tu verò, syncere lector, vt hæc profundius intelligas, audi primò veritatem: quia ea intellecta videbis omnia hæc argumenta per se facilè solui, atque euanescere.

Sciendum est ergo valorem operum æstimari *Resolutio argumentorum, & doctrina de meritis, & valore operum.* vel ab ea vtilitate, quam ipsa opera afferunt ei cui operamur, vel alioqui à sui (vt ita dicam) pretiositate, vel à pacto, quia sic est constitutum & placitum, vel à gratia personæ, vel à principio vnde fiũt & propter quod fiunt. Si igitur operum pensemus vtilitatem, certè opera nostra coram Deo, nullius sunt valoris. Quid enim dedimus illi, & retribuetur? vt ait scriptura. Et iterum: Cum feceritis hæc omnia, dicite serui inutiles sumus. Si verò pensentur opera vt pretiosa de se, & secundum sui substã tiam, certè nec possunt sic equare æternum glorię pondus, à quo in immensum exceduntur. Et secundum hanc considerationem ait Apostolus: Non *Rom. 8.* sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Et iuxta hanc inspectionem, dicimus beatitudinem non esse purè mercedem operum, sed etiam donum. Si verò consideretur pactum, quo estimãtur ipsa opera à Deo, rectè dicitur merces ipsa beatitudo, & reddita operi, quod opus equiualens illi est, nõ quidem ex se, suique substantia, sed ex pacto (gratioso tamen & liberali) quo tanti est estimatum. Vnde quòd tale pactum fecerit nobiscum Deus, gratię fuit & munificẽtię. Quòd autem post pactum retribuat secundum illud ipsis operibus, iustitię est. Et secundum hanc considerationem habes pa- *Matt. 20.* rabolam de operariis, qui conducuntur in vineam vt operentur. Neque enim aliud ibi consideratur, quod faciat mercedis debitũ, nisi pactum ipsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde dicitur:Nonne ex diurno denario conueni
sti mecum?

Hoc tamen insuper aduertendum est circa vti
litatem:quia Dominus accepta haber ea, quæ inu
icem exhibemus,misericordiæ & charitatis offi
cia,perinde acsi essent sibi facta,iuxta pollicitatio
Matth.25. nem eius:Quod vni ex minimis meis fecistis,mi
hi fecistis.Possumus etiam audacter dicere, quòd
nostra opera ex charitate facta proximo propter
Deum,etiam æstimantur tanquam vtilia Domino
& sic meritoria mercedis,& retributionis magnę,
& Deo dignæ,propter quem illa fecimus, & cui
primùm facimus, cum in alios propter illum ali
quid impendimus. Nam magni est & excellentis
Domini, pro paruis magna retribuere. Et apud
2.Tim.2. hunc ipsum nostrum Apostolum, qui seruit Deo,
& abstiner se ab omni immunditia, vocatur vas
vtile ipsi Domino.

Si autem consideretur gratia personæ,& vis spi
ritus mouentis ac perficientis opera,etiam ipsa o
pera æquant beatitudinem:quia filij Dei sumus in
Christo,& vt filij Dei agimur à Spiritusancto, Æ
quant autem non æstimatione, quasi tantum va
leant,sed virtute:quemadmodum est vis in semi
ne ad producendum arborem. Et secundum hoc
2.Tim.4. dicit Apostolus:Si filij,ergo hæredes. Nam filiis
ipso iure debetur hæreditas,si modo compatimur
vt & conglorificemur.Considerãtur ergo sic ope
ra à sacris doctoribus,ex principio vnde fiunt, &
propter quod fiũt:quia principium est charitas &
gratia,qua Deo iungimur.Deus enim est charitas
1.Ioan.4. & qui manet in charitate,in Deo manet, & Deus
in eo.Et ob eam potissimum causam dicimus, bo
na opera esse æquiualéria præmio, & æternæ mer
cedi:quoniam habent quodammodo ptincipium
Deũ ipsum:quia donum gratiæ participatio quæ
dam est Spiritus.Hoc non agnoscunt hæretici:vn
de illis dona Dei in nobis inhærentia nihil sunt.
In qua re plurimum aberrant.Ex his tamen facilè
licet soluere omnia, quæ superius contrà produ
cta sunt.

Nam ad primum,Quòd omnes iustitiæ nostræ
sint tanquam pannus menstruatæ. Respondetur
paucis(licet variis modis possemus aliter respon
dere,attamen solutionẽ non legi promptiorem)
locum Isaiæ loqui de operibus iniusti hominis,&
adhuc in natura lapsa existentis.Si quis minus hoc
mihi credat,repetat superiora non ita remota pro
Isa.64. phetæ verba,quæ clarè hoc innunt. Ecce,inquit,
tu iratus es Domine,& peccauimus, in ipsis fui
mus semper,& saluabimur.Et facti sumus vt im
mundus omnes nos,& quasi pannus menstruatæ
vniuersæ iustitiæ nostræ.Et cecidimus quasi foliũ
vniuersi,& iniquitates nostræ quasi ventus abstu
lerunt nos.Non est qui inuocet nomẽ tuum, qui
consurgat & teneat te. Hæc profectò non nisi de
hominibus extra gratiam(nisi magna vis adferat
ur literæ)possunt intelligi.

Ad secundum verò:Non sunt condignæ passio
nes,&c.Dicimus verum esse,etiam de filiis Dei,se
cundum tamen operum ipsorum vtilitatem, &
substantiam,non autem secundum pacti tenorem
&(quod magis est considerãdum)secundum Dei
gratiam,qua sunt informata ipsa opera.

Et ad tertium,Quòd pueri nihil sunt operati, fa
temur: sed de his non loquitur Apostolus (quia
isti non veniunt ad iudicium discussionis) verùm
de his tantùm,qui operari potuerunt. Et tamen
Christus pro illis supplet opera,vt nec illi sine ope
ribus vitam æternam obtineant.Præterea, si verũ
amamus,nec illi sine suis passionibus consummã
tur.De quo alibi locutus sum fusius.Nec putamus *Pro pueris*
æterno igni tradendos pueros,qui sine sacramen- *absque bap*
to discesserint:quod est impium, & crudele dog- *tismo dec*
ma,licet hoc inueniatur à quibusdam doctoribus *dentibus.*
dictum,coactis tamen sic dicere, magis in obse
quium scripturarum,quæ id porrigere videbãtur,
quàm ex propriis,& vlla vrgenti ratione.Scriptu
ræ autem si non exactè considerentur, frequenter
porrigere quædam videntur,à quibus spiritus veri
tatis longè abest. Et ideò non ab re dixit Domi-
nus:Scrutamini scripturas,De qua re etiam parti- Ioan.5.
cularem tractatum edidimus.

Ad quartum dicimus, Ex pacto sic iustè fieri cõ
tra illum qui destitit operari:quia dixit Dominus:
Qui perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit. Matth.24.
Et per Ezec. Si iustus auersus fuerit à iustitia sua, Ezech.18.
omnium iusticiarum eius nõ recordabor.Et simil
iter de impio,& iniquo dicitur. Quòd si auersus
fuerit ab impietate & iniquitate, omnium impie
tatum & iniquitatum nõ recordabitur Dominus.
Ecce igitur quomodo iuxta pactum suũ facit Do
minus in proposito casu.Perseuerantia coronatur
& finis agonis consideratur, vt reddatur corona:
non.n. sufficit bene incipere.Nam & sic est in cur
su ad metam:sic est & in certamine campestri,qui
tandem superauerit,in fine ille coronatur. Vnde Ezech.18.
per Ezech.conqueritur Dominus, quòd hæc via
non diceretur æqua,cum sit æquissima, cui & iusti
tia,& misericordia admiscetur.Adde similiter pro
illo qui ceperit in fine vitæ:quia est illi animus be
ne operandi etiam perpetuò, imputatur hoc illi
quasi factum.Neque ille latro sine operibus excef
sit. Non.n.sine opere fuisse dicendus est, qui in
cruce confessus est Christum, tam ignominioso
mortis genere à principibus condemnatum.Item
adde,quod tãtò magis ingratus ille innenitur, qui
diu bene operatus est,si non perstitit:quia ex gra
tia Dei bene antea operatus est,& ex propria mali
tia recessit à bono,& à Deo.

Ad quintum dicimus:Si qui minus laborant,&
tantundem accipiunt,quantum multũ laborantes
id ex gratia Dei est & bonitate,qui potest alij,quẽ
magis diligat,supererogare,modò alius non frau
detur de pacto.Vnde ait:An oculus tuus nequam,
quia ego bonus sum?Et dicitur ei facere secũdum
opera:quia eadem prorsus opera, facta ab eo qui
gratiosior fuerit, fiunt ponderosiora ad præmiũ,
Sic.n.dabit vnicuique secundum suum laborem,
vt cæteris paribus ratio de labore habeatur. Quan Matt.20.
quam in euangelio illo potius illud est positum,
vt intelligantur omnes pares,quantum attinet ad
beatitudinem.Omnes n.beati aliquo modo pares
sunt:quia omnes similiter Deum vident, licet a
lij intensius,alij remissius videant. Vnde cæteris
paribus,qui plus laborauit,plus accipiet, vt ait A- 1.Cor.3.
postolus.

Ad sextum dicitur,quod pœna non debet com
mensurari secũdum durationem actus delicti, sed
cum persona offensi & cum voluntate ipsius qui
offen-

offendit.Deus ergo cum sit immensus, & infinitæ
bonitatis,offensus est: & qui offendit (quod ex se
fuit)per suam impotentiam in illud se coniecit, vt
perpetuam haberet voluntatem auersam à Deo,
meritò ad ęternam duratione pœnam iustè se tru
sit,vtpotè æterni reus delicti.Denique qui spreue
tunt æternum bonum,nonne etiam æterno digni
sunt malo? Siquidem prætulerũt momentanea æ
ternis,& caduca immortalibus.

Non enim auditores legis iusti sunt a
pud Deum,sed factores legis iustificabũ
tur. Cum enim Gentes quæ legem non
habent,naturaliter ea quæ legis sunt, fa
ciunt,eiusmodi legem non habentes,ip
si sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis
scriptum in cordibus suis, testimonium
reddente illis conscientia ipsorum,& in
ter se inuicem cogitationibus accusanti
bus,aut etiam defendẽtibus, in die cum
iudicabit Deus occulta hominum,secun
dum euangelium meum,per Iesum Chri
stum.

Magna illa Iudæorum præsumptio,quam de le
ge conceperant, primùm frangitur hac sententia:
*Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum.*Gloria
bantur enim mirum in modũ Iudæi ob datam sibi
à Deo legem,qui & in populũ peculiarem eos ad- *Hic damnatur Iudæi manifestè, & Lutherani opera bona spernentes.*
optauerat,magnisque prærogatiuis, & donis orna
uerat:nihili aut parũ cogitantes,an grati legem im
plendo fuissent.perinde ac si audire legem satis es
set.Tales existunt hac nostra ætate Lutherani,qui
totam suam gloriam in Christo reponunt(ad sub-
terfugiendos operum labores)cuius se dicunt ap
prehendisse iustitiã sola fide,& vt filij iam suæ sa
lutis & hæreditatis certi,habere pacem, nec vlte
rius esse sub illa lege. Apostolus ergo & Iudæos
tunc,& Lutheranos nunc,simul redarguens,ait:
Legẽ solum audire non iustificat, sed facere. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum.* hoc
est, Non in eo quòd auditur lex, ac fide recipitur,
cõtinuo est inde apud Deum iustificatio: sed in eo
quòd opere cõpletur lex, inde venit vera iustifica
tio:quod verbis ita claris exprimit, vt clarioribus
explicari non potuerit,subiungens:*sed factores legis iustificabuntur.* Et tamen insurgunt in nos Luthera
ni,& dicunt:Si factores legis iustificabuntur,quid
est ergo quòd ipsemet Apostolus ecõuersò, ac tan
topere contendit, omnem carnem non iustificari
coram illo?Vnde & omninò legem operum despi
cit.Itaque(aiunt) quòd hic ait,*iustificabuntur:* non
de vera iustificatione intelligi necesse est,sed de ap
parenti.i.iusti reputabũtur apud homines.At hoc
non est exponere,sed destruere. Dicitur enim hic
apertissimè,habentibus aures,quòd iustificabũtur
apud Deum.Hoc autem quo pacto,si non in veri
tate?Alij ergo dicũt,*iustificabuntur*,id est,iustitiam
aliquam exercebũt,non tamen per quam sint gra
ti coram Deo. Et ad eum sensum parabolã de Pu
blicano intelligũt,qui præ Phariseo legitur reuer
sus in domum suam iustificatus.Quę expositio mi
nime placet:quia etiam vim affert literæ.Et primò
quidem,quia in scripturis nusquam legitur,quen
quam pronunciari iustum absolutè, quin de vera
coram Deo iustitia intelligatur:si secus, aliquid ad
ditur.Secundo, quia hoc in loco ex vi ipsa sermo
nis,vera,& quę apud Deum est,exprimitur iustifi
catio,dum dicitur:
Non enim auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quòd.n.ait,sed facto
res legis,&c.cum,ly,sed; sit aduersatiua particula,
vt officium suum faciat, & aduersetur dicto su
periori, necesse est retineat omnem ipsius dicti con
ditionem.Quia ergo superius habetur: Auditores
legis non iustificabuntur apud Deum, oportet se
quens dictum aduersatiuum,quod est: Sed facto
res legis iustificabuntur,similiter intelligere,apud
Deum. Etenim hũc sermonem, Non.n.auditores
legis iusti sunt apud Deum,sed factores legis iusti
sunt apud homines, quis probaret vt congruum?
Id enim non aduersatur superiori dicto, contra
quod est vis aduersantis particulæ. Porrò iustifica
ri apud Deum,quid est aliud quàm haberi & pro
nunciari iustum ab eo,qui iudicat secundum veri
tatem?Non leges in vniuersa scriptura,aliquem di
ci iustum apud Deum,& non intelligi hoc de vera
iustitia,cui redditur æterna vita. Tertio, ipse Do
minus hoc expressè videtur probare, videlicet,
quòd factores legis iustificabuntur apud Deum,&
ad vitam ęternam,quia dixit:Si vis ad vitam ingre Matt.19.
di,serua mãdata.Et cum diceretur ei,Quæ? respon
deus,tantum ea quæ in lege scripta erant,comme
morauit.Et alibi,homini scribæ roganti eum:Ma
gister quid faciendo vitam æternam possidebo?re
spõdit:In lege quid scriptum est? quomodo legis? Luc.18.
& cum respõdisset,Diliges Dominum Deũ tuum,
&c.dixit ei Dominus,Hoc fac,& viues. Atqui ri
diculum esset dicere,vt aiunt hæretici,quòd nemo
posit seruare mãdata legis cum gratia Dei. Nam
si hoc esset,decepisset ergo Christus homines ro
gantes,quid faciemus, & vitam æternam posside
bimus? eo modo respondens, vt scilicet facerent,
quæ scripta essent in lege, si ea facere non pos
sent. Quod absit, vt de tanto Magistro suspice
mur. Non me latent hæreticorum ad hæc loca cau
illationes, & fugæ ridiculæ, indignæ equidem
quæ in disceptationem venire debeant: præsertim
verò hoc in loco,postquam alibi de his copiosissi
mè scripsimus. Ergo factores legis verè iustifica
buntur,& apud Deum, & ad vitam æternam pro
merendam.

Quomodo autem respondeatur ad ea quæ ex
opposito adducuntur,quòd ex operibus nemo iu
stificatur,audi: Si rem subtiliter (vt oportet) con
syderes,longè aliud est dicere:Factores legis iusti
ficabuntur apud Deum,& aliud: Ex ipsius legis o
peribus,aut,ex ipsa lege, & vi legis iustificari sine
fide.Illud enim prius ait Apostolus, & verum est. *Resolutio quæstionis.*
Posterius verò falsum est, quod & ipsemet Apo-
stolus reprobat. Non.n. erat illis antiquis præcisa
via salutis, quæ veniebat primum ex fide Christi
venturi,in quo,& per quem iustificabuntur (sicut
& nos)coram Deo.Deinde ex operatione eorum,
quæ in lege scripta erant. Quæ quidem opera qui
verò erant iusti non ex vi legis faciebant: quia vis
ipsa legis timor erat,nõ amor:sed ex ipsa fide,quæ
per dilectionẽ operabatur, ipsa videlicet dilectio
ne faciente opera, & sic ipsis etiam data erat perfe
cta iustificatio. Nam si pueri circũcisi saluabantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſine operibus vllis propriis, quomodo non etiam multò magis maiores,adiungentes opera legis,id eſt,opera in lege ſcripta, quæ ex fide, & per dilectionem facta ſalutem afferebãt, & iam non legis opera,ſed fidei dici poterant ? Sed hæc latius ſunt explicanda ſuo loco inferius.

Verùm aliud eſt quod mouere poteſt, & vrget acrius.Si enim nõ poteſt facere legem homo, niſi iam iuſtificatus fuerit apud Deum,cur(quæſo) dicit Apoſtolus:Factores legis iuſtificabuntur, cum iam fuerint iuſtificati? Quòd ſi de illa iuſtificatione,quæ fit per opera,intelligitur, de qua ſcriptum eſt:Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc, cur ſaltẽ non dixit:Factores legis iuſtificantur,& non; iuſtificabuntur,reſeruando hoc in futurum?

Apoc.22.

Iuſtificatio tribus modis accipitur in ſcripturis.

Reſpondeo. Tripliciter accipitur iuſtificatio in ſacris ſcripturis. Vno modo pro illa, qua quis ex non iuſto fit iuſtus. Alio modo pro illa, qua quis ex iuſto fit magis iuſtus.Et neutro iſtorum modorum hîc, meo iudicio, accipitur. Eſt ergo tertius modus, cum quis ſententia iudicis abſoluitur ab obiectis,& pronunciatur iuſtus.Et quia hoc fiet aliquando à ſummo Deo, & domino noſtro Ieſu Chriſto,de hac proculdubiò iuſtificatione intelligendum eſt,quod ait hîc Doctor noſter: Factores legis iuſtificabuntur,hoc eſt, qui iuſtificati ſunt,& aſsiduè operantur bene, tandem aliquando, poſtquam perſeuerauerint vſque in finem,pronunciabuntur iuſti, & tales apud Deum coram omnibus Gentibus magna cum eorum gloria apparebũt in veritate:quia ſententia Dei erit in veritate.

Non præteribo hoc in loco aduerſus hæreticos, qui deſpiciunt legem & opera,qui ex hoc Apoſtoli loco conuincuntur irrefragabiliter: ait enim exertè Apoſtolus: Factores legis iuſtificabũtur apud Deum.Quid ad hoc reſpondeant? Audi (rogo te) bone lector,vnum ex illis Caluinum,vt rhetoricè agit nobiſcum. Habent.n. huiuſmodi regulas,vt cum ſe premi veritate perſenſerint, tunc maxime oſtentent ſe bene valere,& nos deſipere. Audi,inquam,hominẽ ſua verba reſonantem.Qui hoc loco(inquit) abutuntur ad erigendam operũ iuſtificationem,etiam puerorum cachinnis ſunt digniſſimi.Proinde ineptum eſt,& extra locũ,hûc longas de iuſtificatione queſtiones ingerere ad ſoluẽdum tam futile cauillum. Tantum enim vrget apud Iudæos Apoſtolus illud, de quo meminerat, legis iudicium,quòd nõ poſſent per legem iuſtificari, niſi legem impleãt:ſi tranſgrediantur, paratã mox eſſe in illos maledictionẽ.Nos verò non negamus præſcribi in lege abſolutam iuſtitiam,ſed quia omnes tranſgreſsionis conuincuntur, quærendã eſſe dicimus aliam iuſtitiã.Quin ex hoc loco argumentari licet,neminem operibus iuſtificari.Si.n.ſoli ij qui legem implent,per legem iuſtificãtur,ſequitur nullum iuſtificari, quia nullus reperitur, qui iactare queat legis cõplementum:hæc ille.Tu autem vide vt conatus eſt illudere, & vim noſtri argumenti, quam verã ſentiebat,vafrè præterire.B.Paulus,ait: Factores legis iuſtificabuntur.Hæc autẽ eſt aſſertiua oratio,non habens cõditionem:& cõtinet duo, inueniri nimirũ qui fecerint legem,& hos eſſe iuſtificãdos.Si enim nulli poſſent facere legem,nunquam diximus:Factores legis iuſtificabuntur. Imò verò ne illum ſenſum à veritate alieniſsimum quis acciperet,ſtatim probat dari factores legis,aiens:

Caluini cauillus.

Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt,&c. Hîc.n.vult manifeſtè oſtendere,quòd Gentes poterãt adhuc iuſtificari coram Deo,& facere quę legis erant,ne quis diceret, quòd ſolùm perire poterant,ſi naturæ legem tranſgrediebãtur,non autem ſaluari, ſi facerent legem. Incongruum omnino id eſſet,nec ſecundum eam æquitatem,qua clemẽtiſsimus Deus & Pater miſericordiarum vti & abundare prædicatur.Ait ergo, quòd & ipſe Gentes non erant penitus ſine lege, quam faciẽdo merebantur ſalurem.Probat autem hoc dicens:Quod cum illa Gentes operabãtur naturaliter quæ legis erãt.i.quæ ſcripta erant in lege, ipſi profectò ſibiipſis erant lex: quia oſtendebant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.Id enim opus eſt legis,præcipere bonum vt fiat,& vetare malum ne fiat,& hoc propter Deũ.Loquitur ergo de moralibus legis.i.de decalogo,& iis quæ ad illud explendũ pertinent.Hoc verò legis opus impreſſum erat,& eſt,in cordibus omniũ,quod tunc non obſcurè legitur,& tunc oſtenditur, quum fit per ipſa opera.Qui.n.ex Gentibus iuſta facit & recta, confidens quòd Deus benefacientes afficiet præmio, indicat ſe habere hãc notitiam,& legem cordi impreſſam naturaliter.Legẽ dico iuſti & iniuſti,boni & mali.Non placet autem quòd dicamus(vt ait B.Ambroſius)opus legis,id eſt,ipſam fidem:quoniam fides non eſt opus legis,ſed opus Dei, vt ait Dominus.Hoc eſt opus Dei, vt credatis. Alioqui rectè diceretur, quòd ex operibus legis homo iuſtificatur, ſi inter legis opera admiſceretur fides. Quòd ſi quæras:Vnde probas,in Gentibus hoc opus legis,quod eſt præcipere bona,& vetare mala, eſſe ſcriptum natura in cordibus earum? Nam qui dam putarũt bonos mores non tam à natura eſſe, quàm ex hominum placitis,& cõſuetudine,vt Pythagoras,& alij ex contentioſis quidam, in quos & alij philoſophi diſputarũt,& Cicero ipſe in lib.offic.B.autem Paulus vt hoc probet,vnum & maximum argumentum profert,aiens:

Quomodo Gentes iuſtificari poterãt apud Deum.

Ioan.6.

Quomodo in cordibus Gentiũ fuerit ſcriptũ legis opus.

Teſtimonium reddente illis cõſcientia ipſorum. Verum eſt.n.tritum illud prouerbium: Conſcientia mille teſtes.Eſt.n. cõſcientia cognata quædam ſcientia, cuique aſsiſtens de operibus propriis, ob inditum naturale lumẽ,à quo vel probatur, vel reprobatur quodcũque agimus. Vnde Apoſtolus noſter in ea confidens,aiebat: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium cõſcientiæ noſtræ.Et Iob ait:Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.& Dilectus:Si reprehenderit nos cor noſtrũ maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Si non reprehenderit nos,fiduciam habemus ad Deum. Quia tamen in hoc mũdo poteſt offuſcari conſcientia noſtra paſſionibus,ſed aliquando clara fiet,addidit: *& inter ſe mutuò cogitationibus accuſantibus,aut etiam defendentibus.* Hîc vim ſynderesis oſtendit & conſciẽtiæ ex naturali lumine,quo velimus nolimus,accuſamus mala,defendimus bona:quæ vis conſcientiæ (quæ perturbata eſt dum peccatum admittitur) poſt modo illa paſsione ſemota,conſurgit,accuſat,& damnat factũ.Hac primus homo reprehenſus,cognouit ſe nudũ.Hac Iudas correptus dixit:Peccaui tradẽs ſanguinem iuſtum.Et Cain:Maior eſt iniquitas mea,quàm vt veniam merear,Sequitur:

2.Cor.1.

Iob 27.

1.Ioan.3.

In die cùm iudicabit Deus occulta hominum. Videtur hoc totum referri ad diem iudicij.Tunc enim accuſabit, vel defendet hominem ſua conſcientia. Quamuis Origenes id ad præſens hoc tempus trahat:& verum eſt.Nec.n.ſi diligenter homo ſua interiora ſcrutetur,poterit ſeipſum latere.

Secundum euangelium meum. Euãgelium ſuum vocat,tanquam ſibi creditum ad diſpenſandũ, idque per Ieſum Chriſtum:quia non ab homine, neque per hominem accepit,ſed per Ieſum Chriſtũ. Aut ſi mauis,referas ad id quod ſcriptum erat.Cùm iudicabit Deus occulta hominum,ſcilicet,per Ieſum Chriſtum,cui omne iudicium datum eſt.

Galat.3.

Sed nunc quæſtio adhuc viget:Quonam modo Gentes potuerunt naturaliter non ſolùm bonum noſſe & malum,verum etiam ipſam legem facere, & ita ſaluari,vt hîc textus ſatis clarè videtur innuere,vbi ait:Cũ.n.Gentes naturaliter quæ legis ſunt, faciunt:&c.At hoc Pelagianum eſt, qui ſtatuebat naturam,& Chriſti gratiam deſtruebat, quam etſi prodeſſe diceret,negabat tamen eſſe neceſſariam. Contra quem arguit B.Auguſtinus ,quàm fœliciſſimè illum expugnans.Nam primò:Si lex Moſeos non adducebat quenquam ad perfectum,vt ait Apoſtolus, multò minus lex naturæ. Secundo ſcriptum eſt : Non eſt,aliud nomen datum ſub cœlo, in quo nos oporteat ſaluos fieri.Et Apoſtolus:Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.Reſpõdemus primùm,quòd Gentes, etſi naturaliter haberẽt notitiam Dei,& boni & mali,concurrente tamen auxilio Dei, qui per Angelos confirmat prædicationem naturæ in nobis,attamen non poterãt legem naturæ implere naturaliter.i.in ſua natura corrupta per vim naturæ:quia licet naturę lex oſtenderet quid eſſet bonum,& quid eſſet malum, & ipſi apprehẽderent fauente Deo, hoc tamen non ſatis erat,cum vis liberi arbitrii non poſſet ad bonum etiam oſtenſum,niſi informatũ eſſet gratia. In quo errarunt Pelagiani,& ex ſcholaſticis nonnulli,qui non animaduerterũt, quòd homo interior in natura lapſa & corrupta,carni ſubditus eſt,& concupiſcẽtiæ,quæ dominatur(vt Paulus teſtatur)& à qua opprimitur,eiúſque dominationi ſeruit,& mundi illecebris & blandimentis obſequitur,à quibus diſtrahitur, & Dæmonis tyrannidi ſubiicitur,à quo ducitur quò ille vult: & conſequentet non poteſt velle operari bonum, dum vult potius gratificari carni & mundo,totus auiditate & affectione ipſe caro exiſtens,quo fit vt nolit intelligere vt bene agat.Neque.n.vis illa naturæ poteſt veſtigando reperire,& quieſcere in diſcretione boni & mali. Et de concupiſcentia,quæ nobis innata eſt,non poterat homo,niſi prius edoctus à Deo,certò ſtatuere, an eſſet peccatũ,quemadmodum ca.7.vberius ſuo loco dicturi ſumus.Falſa eſt ergo, & admodum deteſtanda hæreſis pelagiana, & perniciosa opinio, confidere ſcilicet in naturæ viribus,iiſque ſperare etiam legem naturalem ſeruari poſſe ſine alia ſuperinfuſa gratia,& ita conſequi regnum ęternũ,vt inueniatur Chriſtus gratis crucifixus.

Heb.7.
Actuũ 4.
Heb.11.

Quare ob iſtam obiectionem variè exponitur iſtud quod ait hîc Apoſtolus, quòd Gentes facerent naturaliter quæ legis erant. Nam hoc ſupponere videtur.Itaque aliqui intelligunt, Gentes aliqua legis præſcripta feciſſe, ſed non omnia,cũ lex nequaquam poſsit impleri naturaliter,hoc eſt, ex naturalibus viribus.Sed hoc minime placet : quia qui tales exiſtunt,nulla ſunt vera laude digni, nec verè dici poſſunt facere quæ ſunt legis. Qui enim vnius præuaricator eſt mandãti,vniuerſæ legis(teſte B.Iacobo)prẽuaricator cenſetur.Quamobrem B.Auguſtinus & Ambroſius aiunt,hîc Apoſtolum de Gentibus loqui,quæ ad fidem Chriſti peruenerũt.Verùm,quomodo de his rectè dici poteſt, eas naturaliter quæ ſunt legis,facere,cũ ex fide & gratia faciant, euangelio nimirum ipſo monſtrante quæ ſunt legis ? Scio ab eis exponi naturaliter, id eſt,ex vi liberi arbitrij,ſanati tamen gratia Chriſti. His ego tantis viris non libenter contradico. Poteſt fortaſsis,& congruẽtius intelligi, Apoſtolum de iis Gẽtibus habere ſermonem,de quibus cœperat ab initio loqui,quibus nondum erat euangelium promulgatum.Nam eas demum cum Iudæis comparabat:& de his verum eſſe poterat, quòd naturaliter quæ legis erant, faciebant, id eſt, natura ipſa dictante atque monſtrante loco legis ſcriptæ,non tamẽ ſine lumine diuino internè infuſo, & doctrina per Angelos miniſtrata,& cõfirmata,cui ſi credatur,fides inſuper & gratia licet occulta deſuper infunditur. Et propterea de huiuſmodi dicitur, quòd faciebant quæ legis erant. Faciebant autem ex fide & charitate ſuperueniente,cum obtemperabant(Deo ſemper iuuante)iis,quę vice legis ſcriptæ natura monſtrabat.

Quòd ſi dicat quis,quomodo erat fides in Gentibus,cum ſcriptum ſit:Fides ex auditu auditus autem per verbum Dei, videlicet reuelatum & prædicatum? Tu ergo qui id reſcire cupis,audi. Dominus Deus,qui cogitat cogitationes pacis,& non afflictionis,prouidit de remedio ab initio, quo mundus ſaluus fieri poſſet. Hoc autem remedium fuit in Chriſto benedicto:vnde veriſſimum eſt,non eſſe vllum aliud ſub cœlo nomen,in quo nos oporteat ſaluos fieri.Nec verò putandum eſt,in eorum tantum gratiam, qui poſt Chriſti aduentum extiterunt, paratum fuiſſe & propoſitum remedium, cum ſcriptum ſit : Deus vult omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionẽ veritatis venire. Et quòd Deus,eſt omnium Deus,non Iudæorum tãtum(vt falsò illi ſibi perſuaſerant)ſed & Gentium. Neque etiam dicendum,quòd huius nominis, in quo eſt ſalus,notitia explicita exhiberetur omnibus, cum non eſſet adhuc reuelatum. Duo tamen tenenda ſunt catholicè.Primùm eſt,quòd Deus vult omnẽ hominem ſaluum fieri, cum nulli vnquam præcluſerit viam ſalutis.Præcluſiſſet autem,ſi non propoſuiſſet remedium omnibus applicabile.Illud ergo propoſuit. Secundum, quòd remedium eſt fides æternorum,& charitas Dei,vt ex charitate fiant opera bona. Et de fide quidẽ clara eſt Apoſtoli ſententia. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo: qui prius dixerat,Fide aptata eſſe ſecula verbo Dei. Dixit ſecula,vt non vnum, aut alterum tantum intelligeres,ſed omnia huius tẽporis ſecula. Vnde cœpit ab initio mundi enumerare ſanctos,dicens:Fide, plurimã hoſtiam præ Cain obtulit Abel Deo, per quam teſtimonium conſequutus eſt eſſe iuſtus.Fide Enoch tranſlatus eſt. Ante trãſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.Poſtmodo deſcendit ad Noe,deinde ad Abrahã,& Saram,

Gentes potuiſſe ſaluari adipiſci, non tamen ſine fide.

2.Tim.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& alios vſque ad Dauid,& Samuel.Ergo & Gentibus Deus quæ credenda neceſſariò illis erant prædicauit.Quomodo autem?Audi. Oportet.n.accipi,quòd non omnia quæ ſunt modo fidei,tenebatur olim omnis ætas credere: quia quæ fidei ſunt, paulatim ſunt reuelata. Sunt quidam certi articuli principales,qui fidei ſummam cõtinent,& in quibus cæteri omnes continentur implicitè.Et ij duo ſunt,qui olim Gentibus ſatis erant,à quibus Deus non aliud exigebat:quia non aliud reuelabat.Hos autem duos fidei articulos vigilãter Apoſtolus explicat dicens: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quòd eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit, id eſt, quòd habet & ſeruat in alia vita remunerationem,& talem,vt remuneret eos qui inquirunt eum,videlicet optimis ſtudiis, & operibus bonis charitatis. Hi autem articuli prædicantur intus à natura, per hæc quæ viſibilia ſunt. Nam ex hoc creaturarum libro elicitur,nõnullam Dei de nobis eſſe curam,& prouidentiam.Confirmatur autem ſic à natura prædicata,intus ab Angelis.Vnde & B.Dionyſius ait:Quòd plurimi Gentilium per Angelorũ illuminationes ſalui facti ſunt: quoniam illam naturæ prædicationem ſecreto & interno lumine comprobando confirmarunt. Vnde recipientes illi à Deo fidem,quæ certos illis eos articulos reddidit,& conſequenter ſpem,& charitatem(quantum poterant) legis mandata etiam ex charitate ſeruarunt.Quæ certè ſententia & pietate innititur,& ratione:quam multi capientes,à multa animi anxietate liberantur,in quem profectò ſe alij coniiciunt,qui mordicus tenent,explicitam de Chriſto fidem ab omnibus exigi,omnique tempore exactam eſſe.Verum hac de re proprio tractatu fuſius egimus.

Heb.11.

Nota, fidē variè apud Paulum accipi.

Quod verò ab initio obiiciebatur: Fides ex auditu,auditus autem per verbũ Dei.Et iterum:Quomodo audient ſine prædicante?Intelligendum eſt de fide explicita de Chriſto,& pro eo tẽpore,quo eam euigere volebat à nobis Deus.Tunc enim oportuit eam prædicari, & prædicatam recipi. Sed antequam prædicaretur,non exigebatur.Vnde & Cornelius ante agnitionem & confeſsionẽ Chriſti,pronũciatur à ſcriptura iuſtus ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi,& deprecans Deum ſemper,cui & Angelus tam præclarum præbet teſtimonium, vt ei dicat:Orationes tuæ,& eleemoſynæ tuæ aſcenderũt in memoriam in cõſpectu Dei.Quomodo autem hoc,niſi & ipſa perſona fuiſſet Deo grata? Et quomodo potuiſſet eſſe grata,niſi fidelis fuiſſet coram illo ? Quoniam ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Vnde B.Petrus eo in loco ait:In veritate cõperio, quòd non eſt acceptor perſonarum Deus: ſed in omni gẽte qui timet eum, & facit iuſtitiam, acceptus eſt illi. Et iis omnibus etiam illud adiicimus, quòd qui fidem habet ſllorum duorũ articulorum explicitam,etiam de cęterisomnibus habet implicitam fidem,vt docet B.Thomas: quia in eo quòd quis credit remunerationem bonorum operum apud Deum, implicitè etiam credit mediatorem,per quem Deus remunerat.Vide acute & pie lector,quo pactò quæ videri poterant ob quãdam falſam perſuaſionem difficilia,& obſcura,illa perſuaſione poſtpoſita,reddita ſunt adeò facilia & clara,vt ſit euidens ſignum compertæ veritatis, quæ facit hominem quieſcere.

Act.10.

SI autem tu Iudæus cognominaris,& requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius,& probas vtiliora inſtructus per legem,confidis teipſum eſſe ducem cæcorum,lumen eorum qui in tenebris ſunt,eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium,habentẽ formam ſcientiæ & veritatis in lege:qui ergo aliũ doces,teipſum non doces? qui prædicas non furãdum,furaris?qui dicis non mœchandum,mœcharis?qui abominaris idola,ſacrilegium facis?qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras ? Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptũ eſt: Circunciſio quidem prodeſt,ſi legem obſerues:ſi autem præuaricator legis ſis,circuncisio tua præputium facta eſt . Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat: nonne præputiũ illius in circunciſionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura eſt præputium, legem cõſummans, te qui per literam & circunciſionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt,neque quæ in manifeſto in carne eſt circunciſio,ſed qui in abſcondito Iudæus eſt,& circunciſio cordis in ſpiritu,non litera, cui laus non ex hominibus,ſed ex Deo eſt.

Perſtat in Iudæum,qui iudicabat Gentes,& potentius illum reuincit,dicens:*Ecce*,vox eſt demonſtrantis rem præſentem. Vulgata æditio habet loco; *Ecce*; illam coniunctionem; *ſi*; facilis lapſus in græca ſcriptione.Ego amplector hanc lectionem, quam græci codices habent,vt commodiorem.*Ecce tu Iudæus cognominaris.* Erat honorabile tunc hoc nomen;Iudæus,quo nomine omnis Iſraelita vocabatur à Iuda illo filio Iacob. Non quòd omnes ex eo deſcendiſſent, ſed quòd electus fuit præ cæteris,de cuius germine naſceretur Chriſtus : quo factum eſt,vt omnes ab eo cognominarentur Iudęi, ſicut erat in prophetia : Iuda te laudabunt fratres tui. Vnde & omnis terra Iſrael, vocata eſt Iudæa: quãquam ſpiritualiter Iudas, ipſe Chriſtus fuerit, quem verè fratres Apoſtoli collaudarunt.Vnde & verè Iudæi ſunt, qui cum Chriſto cœleſtem Patrẽ confitentur,& ipſius & noſtrum,ſicut ille aiebat: Aſcendo ad Patrem meum , & Patrem veſtrum: Deum meum,& Deum veſtrũ. Vnde & qui Chriſtiani dicũtur,hoc nomine eum laudant, ſi tamen cum nomine rem ipſam teneant.Nonnulla tamen (etiam ſecũdum carnem)ea cognominis gloriatio fuiſſet,ſi non tantùm gloriati eſſent in carne, nec ſecluſiſſent ſpiritum,& verum Iudam,vt verè concinerẽt:Notus in Iudæa Deus:in Iſrael magnũ nomen eius. Ioſephus ait à Iuda Machabæo primum habuiſſe initium , vt tota illa gens denominarẽtur

Gen.49.

Iudæi vocabulum vnde,& cur honorificũ.

Gen.49.

Ioan.20.

Iudæi,ſed non placet: Nam multò antea eo cognomine denominati ſunt, vt patet 4.Reg.c.25. & 1. Eſd.5.& Nem.4.& Heſter.3.8.9.16. Item Ieremi.10.& Dan.3.Dicendum eſt ergo,vt mihi videtur, quòd à tempore captiuitatis Babylonicæ cœpit eſſe iſta cognominatio,vt ſtaret gloria Iudæ, & firmaretur prophetia illa:Nõ auferetur ſceptrum de Iuda,& dux de fœmore eius. Stabat ergo regnum Iuda etiam in captiuitatibus illis prioribus, & honor illius,vſque ad Herodem Aſcalonitam : cuius rei ſignum eſt,quòd ab eo ſunt denominati,qui erant ex aliis tribubus.Addit:

Rom.10.

*Et requieſcis in lege.*Quia lex à Deo eſt,& explicat tibi finem tuum,qui eſt Chriſtus.Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti . Non enim quieſcit homo , donec inueniat ſuiipſius finem, quem lex naturæ non certò monſtrabat, ſicut illa Moſeos,vt dixerit Dominus: Scrutamini ſcripturas , quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.Illa enim verè eſt finis.

Ioan.5.

Et gloriaris in Deo, tanquam tibi peculiariter fauente,& tecum loquẽte,vt poſſes dicere : Non eſt alia tam grandis natio , quæ habeat deos appropinquantes ſibi,ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.Et iterũ: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Pſal.147.

*Et noſti voluntatem eius,*ſcilicet quoad mores, & ad ea quæ facienda ſunt,vtpotè magis ad finẽ conferentia.

Iudæi propter legem & prophetas multò præſtabant Gentibus.

Et probas vtiliora inſtructus per legem. Legis enim in prophetis:Ego Dominus docens te vtilia. Hæc igitur non ita ſcire poterant,qui in ſolo lumine naturali ambulabant . Quare circa mores tanta erat inter eos controuerſia , vt penè in principiis ipſis diſſentirent. Nam eximij morum magiſtri Socrates & Plato, etiam in nonnullis turpiter errarunt. Volebat enim hic communes eſſe vxores:& de ceſtis non bene docebant . Vſuras verò communiter concedebant . Et diuortium improba licentia laxatum,non coercebatur: Quinquam & hoc quoque permitteret lex Moſeos,ſed ad eorum duritiam. Debes & inter hæc reponere , quæ ad cultum diuinum pertinebant , in qua re Gẽtes ſuperſtitioſiſſimè agebant.

Confidis te eſſe ducem cæcorum. Diſtinctè loquitur. Quia enim ſunt quos oportet magis ducere,quàm docere,vt ipſi per ſe ambulent: quoniã naturæ pratię ad hoc diſpoſiti ſunt,& ideo ſunt indociles,propterea de iis ait:Confidis te eſſe ducem cœcorum. Et ſunt qui poſſunt videre ad ambulandum,modo admoueatur lucerna, vt recedant tenebræ , & videant.Et ex his quidam ſunt inſipientes, qui & finem ignorant,& viam qua tenditur ad illum,quos oportet erudiri.Quidam verò debiles, & non apti continuò ad ſolidum cibum. Et hi veluti infantes lacte primùm alendi ſunt,vt quaſi per elementorũ traditionem inducantur in arcana ſapientię.Erant ergo illi Rabbini,qui tales ſe eſſe præſumebant,vt cœcos ducere poſſent , & tenebroſos illuminare, & inſipientes erudire, & infantes docere, vtpotè habẽtes formam in lege.i.rationem, ſiue modum ad formandum alios in ſcientia ac veritate legis. His igitur Rabbinis dicitur ſub numero ſingulari, vt intelligantur omnes,quaſi vnus.

Qui ergo alium docet,teipſum non doces? Pronunciandа ſunt hæc omnia cũ aſſertione, ac deſpectu. *Qui prædicas non furandum , furaris ?* Furti appellatio in ſcripturis omnẽ fraudem ſignificat, qua quis cum aliena iactura ſit iniuſtè locupletior.Et mœchia ſimiliter ad omne fornicationis genus extenditur. Sacrilegium verò propriè cõpilationem rei ſacræ ſignificat : quod græca vox manifeſtius indicat , ἱεροσυλία. Extendunt tamen ſcholaſtici hoc vocabulum ad ſignificandũ quoties quid iniuriarum in ſacrum & dicatum Deo infertur, ſiue in perſonã, ſiue in rem,ſiue in locum: vnde affinitatẽ quandam habet cum peccato idololatriæ . Vtrobique enim contemnitur Deus,& Dei cultus:quanquã & auaritia, qua hæc ſacrilegia admittebant,quædam erat idolorum ſeruitus. Concludit ergo Apoſtolus tandẽ id quod volebat,ſcilicet,quòd vana erat Iudęorum gloriatio ex lege, cum legis eſſent præuaricatores , & conſequenter magis Dei contemptores, quem talibus prętaricationibus inhonorabant.Et addit (vt grauaret illos acerbius) quòd propterea apud Gentes blaſphemabatur nomen Domini, vt ait ſcriptura apud Ezech.Et verè ſic accidit,vt vulgus peccata hominum etiam in leges ipſas transferat.Sic enim nunc per monachos,& ſacerdotes,& Chriſtianos malos , qui ſuo exemplo cæteros deprauant,blaſphemãtur religioſorum ordinum patriarchæ,& inſtitutiones ipſorum Patrum: & ſimiliter ſacerdotium,& ipſemet Chriſtus.Quod licet iniquè fiat,tamen graue eſt peccatum eorum , qui præbent occaſionem,ſicut hic Apoſtolus cum tanta deteſtatione exprimit.

Nota peccatum & errorem vulgi.

Audiant mali Chriſtiani & ſacerdotes.

*Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.*Quia poterant ſe iactare de circunciſione,quæ olim fuit data Abrahæ per quam ſegregabantur à cæteris,vt eſſent populus Dei peculiaris,etiam ſecundum ſpiritum, eò quod haberẽt promiſsionem vitæ factam Abrahæ,qui credidit Deo dicenti: Noli timere,ego protector tuus, & merces tua multa nimis : ita vt viderentur omnes incircunciſi,à gratia & ſalute excluſi,etiam ad hoc reſponder Apoſtolus duabus rationibus.Prima quòd nec propterea poterãt gloriari,cum eſſent præuaricatores legis. Quia circunciſio illa tùm demũ prodeſt, cum ſeruabatur lex, cum lex ſolùm ad circũciſos pertineret,tametſi veniret circũciſio ex Patribus,vt ait Dominus , apud Ioan.Altera,quòd neque hoc valebat ad excludendos omnes alios à ſalute, ſeu à potentia adipiſcendæ ſaluris , ob id quòd non eſſent filij circunciſionis.Quo in loco primùm aduerte,Apoſtolũ loqui ſecundum priorem ſtatum,quando vigebat lex,& circunciſio . Quicunque enim circuncidebantur, ſtatim vniuerſæ legis faciendæ debitores cõſtituebantur,alias ſubdebantur maledicto legis, vt teſtatur ad Galatas Apoſtolus noſter.Et credibile eſt in ipſis conceptis verbis, & in ſolemnitate circunciſionis hoc ipſum exprimi conſueuiſſe:ſicut & nos in baptiſmo nomen damus,& fidem profitemur, & renuntiamus ſatanæ, & omnibus pompis eius, & accipimus donũ iuſtitiæ (quod in veſte candida ſignificatur) ad quod conſeruandum obligamur. Quicunq; igitur ſoluebat legem,quo modo poterat in circũciſione confidere,in qua inibatur pactũ ſeruandæ legis? Vnde rectè ait,quòd circunciſio illa non ſeruanti legem, in præputium conuertitur.

De vi circũciſionis.

Gen.15.

Galat.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præputium verò significat obtrusioné auris,& obturationem.Græce ἀκροβυστία, à, βύω i.sepio & obturo aures, vnde contumacia & inobedientia significatur,& ignoratio diuine legis ac præcepti: in quo statu erant Gentes naturaliter ob antiquum peccatum.Vnde & ipse præputium vocabantur, vt sic à circuncisione (qua voce Iudæi appellabantur) distinguerentur:Addit:

Quòd si præputium iustitias legis custodiat, &c. Vide vt in manu nostra est immutare id , quod natura sumus.Ecce ergo,sicut circũcisio in præputium euadit,si circuncisus legem non seruet;ita quod est natura præputium in circuncisionem computatur,si legis iustitias faciat. Appellatur natura præputium,qui non erat Iudæus.Nam qui ex illo populo erant,natura Iudæi dicebantur.Sic dixit Apostolus:Nos natura Iudæi,& non ex Gentibus peccatores.Et hinc adipiscitur etiam quandam iudicij autoritatem,si id quod est natura præputium legis iustitias obseruet,qua potest Iudæum præuaricatorem legis condemnare . Est enim quoddam iudicium non quidem potestatis(nam hoc solius Dei est & Christi)sed,vt vocant,iudicium comparationis.Hoc autem tunc locum habet, cum ij qui minus tenentur aliquid facere,eò quòd minus donorum acceperint,nihilominus tamen faciunt.Tales enim quodam modo suo facto, & sua adepta gloria, iudicabunt eos , qui magis tenebantur facere, cum plus donorũ accepissent,nec fecerunt tamen. Hoc iudicij genere regina Austri,& Niniuitæ condemnabunt Iudæos,vt ait Dominus.Vocat autem præuaricatores illos legis per literam & circuncisionem,quia litera legis eos obligabat ad sui obseruantiam,qui sponte ipsimet, Mose pronunciante,se subdiderunt legi, eaque omnia se facturos astrinxerunt,quæ legis erant,& dixerunt, Amen,super benedictionibus , & maledictionibus . Vnde non facientes quæ legis erant, ex ipsa vi legis præuaricatores constituebantur,& proinde sub maledicto.Et similiter per circuncisionem , in qua (vt diximus)legis ipsius obseruantiam promittebant.

Gal.5. Vnde idem Apostolus ait:Testificor omni circuncidenti se, quòd debitor est vniuersæ legis faciendæ.Nam inde accipiebant à Deo,vnde possent custodire.Verum quoniam multi crassi erant,& manebant in carne,solùm quæ carnis erãt considerantes,quę autem spiritus non videbãt,nec adhuc hodie vident, idcirco eos docet Apostolus (si velint capere)quinam essent verè Iudæi,& quæ vera circuncisio,& ait:

Non enim qui in manifesto Iudæus est, &c. Quod sic interpretari oportet.Cum enim dupliciter intelligatur Iudæus, & secundum carnem in manifesto, id est, descendens ex illo Iuda, vel fratribus eius,

Nota qui vere Iudæi erant, & quæ vera circuncisio. Marc.14.

qui fuit filius Iacob : etiam secundum spiritum in occulto,id est,descendens ex vero Iuda,id est,confessore Christo,qui bonam & confessionem fecit coram Pilato.& Anna,& Caipha,vt patiens se innocentem ab iniquis iudicari,mereretur accipere iudicium:propter quod dixit:Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.Cum(inquam)hoc pacto dupliciter Iudæi intelligãtur, qui secundum carnem sunt,ij sunt qui ex Abraham venerunt per carnem.Qui autem secundum spiritũ, hi sunt qui verè credunt sicut Abraham fidelis , & ipso opere obedientes,sicut ille, confitentur Domino quoniam bonus,quoniam in seculum misericordia eius.Confiteri enim solum verbo,non autem etiam opere & facto,non est confiteri verè & acceptabiliter coram Deo.Modo si quæramus quinam verè, id est,coram Deo, Iudæus reputabitur, an qui in manifesto tantum Iudæus fuerit,hoc est, secundum carnem tãtum:An qui in occulto secundum spiritum? Audacter Apostolus docet (si velent capere)non eum, qui carne tãtum Iudæus est, Iudæum esse, scilicet, verè & coram Deo : neque eam quæ tantum in carne est,vel in litera(quod idem est)circuncisio,circuncisionem esse,vt similiter intelligas coram Deo : Sed qui in occulto , id est,in spiritu,in interiori homine Iudæus est,quicquid ille sit secundum carnem,hic verè Iudæus est coram Deo.Et quæ in spiritu est,scilicet,ipsius cordis,non præputij carnalis,circuncisio:hæc circuncisio vera est , quoniam habet laudem à Domino, illa verò ab hominibus:quia homines vident quæ foris sunt & apparent , Dominus autem intuetur cor.Et ipse quidem Deus spiritus est, & ideò quæ sunt spiritus diligit, & coli vult & adorari in spiritu & veritate . Caro autem nõ prodest quicquam, nec apud Deum cõsideratur,nec regnum Dei possidere potest,nec subiici legi Dei.

In Iudæorũ duritiã.

Sed ô miseri Iudæi,qui adhuc hæc in tot annorum curriculis non percipiunt,sed gloriãtur in carne,circuncisionem suam efferentes , cum secundum spiritum ipsi sit merum præputium,habentes clausas aures ad verbum fidei,quod est spiritus initium . Sed quoties, obsecro,exprobratum est in eos hoc vitium,quòd essent incircuncisi corde,& auribus? *Deut.10.* Vnde Moses, Circuncidite(inquit) præputium cordis vestri . Et *Ier.4.6.9.* Ieremias similiter ait:Circuncidimini Domino,& auferte præputia cordium vestrorum , viri Iuda. Quocirca conqueritur Dominus apud eũdem prophetam,omnem domum Israel incircuncisam esse corde.Et alibi idem:Incircuncisæ sunt aures eorum,& audire non possunt. Sed & Ezechiel hanc duplicem circuncisionem notat , videlicet cordis, & carnis. *Act.7.* Vnde & B.Stephanus hoc in illos obiectat,aiens:Dura ceruice & incircũcisi corde & auribus,semper Spiritui sancto restitistis . Sed vtinã hic esset Iudæorum error tantum , & non etiam Christianorum , cum plerique baptismum solùm secundum literam gerant,& in eo confidant,contemnẽtes verum baptismum cordis. Vnde nescio an verendum sit , ne multi paganorum magis tali baptismo baptizati sint , quàm multi Christianorum , eò quòd illi magis euangelica præcepta custodiant,& euangelij iustitias , ita vt eos sint iudicaturi,cum patebit veritas.De qua re ego alibi proprio tractatu. Neque tamen putandum est , propterea antiquam illam carnis circuncisionem inanem fuisse atq; superfluam,sicut nec est superfluus baptismus secundum literam . Homines. n. quia carnales sunt,indiguerunt etiam sacramentis,quæ secundum literam & carnem aptata , declararent nobis ea quæ Dominus spiritualiter operari dignatur id cordibus nostris.Et vt ait B.Augustinus,necessaria sunt ad vnum religionis cultum ab omnibus obseruandum.

CAP. III.

QVID ergo amplius Iudęo est? aut quæ vtilitas circuncisionis?Multum per omnem modum.Primùm quidẽ:quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?Absit.Est autem Deus verax,omnis autem homo mendax,sicut scriptum est:Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commẽdat,quid dicemus?Nunquid iniquus est Deus qui infert iram?(Secũdum hominem dico) Absit : Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum ? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius : quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor,& non(sicut blasphemamur: & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala,vt veniãt bona?quorum damnatio iusta est.

QVoniam ex dictis videbatur(male tamẽ colligentibus)sequi,nullam esse præcellentiã Iudæi respectu Gentilis,si solùm obseruatio mandatorum beatum faciebat,& ita Gentilis sicut Iudæus poterat illa seruare natura dictante , ostendit id perperam colligi:quoniam multa erat vtilitas & circuncisionis,& à lege,per omnem modũ, id est,omnino multò præcellebat Iudæus . Et id quod erat præcipuum declarat,dicens:

Quæ sint eloquia Dei, & quomodo differãt a verbis & litera Moseos. Nota

Primùm , quia credita sunt illis eloquia Dei . Quæ sunt autẽ eloquia Dei,nisi beneplaciti sui de Christo venturo cœlestis reuelatio?in quo benedicendi essent omnes,& instaurandi in amicitiam Dei. Vbi nota,quòd eloquia Dei vocat ea,quæ promissionem habebant vitæ æternæ.Vnde scriptum est: Eloquia Domini eloquia casta,argẽtum igne examinatum,purgatum terræ, probatum septuplum. Dixerunt Israelitæ ad Mosen : Non loquatur nobis Dominus,ne fortè moriamur : loquere tu nobis,& audiemus. Et Dominus iterum dixit Mosi: hæc dices filiis Israel.Vos vidistis quòd de cœlo locutus sum vobis.Non facietis Deo argenteos,nec Deos aureos facietis,&c.Et sequitur: In omni loco,in quo fuerit memoria nominis mei , veniam ad te,& benedicam tibi.Hæc igitur erant de cœlo eloquia secundum sapientiam spiritus intellecta.Non aliud.n.annunciabant quàm Christum, & verum Dei cultum,non in Iudæa solùm , sed in omni loco,in quo esset sacrificium,& holocaustũ, & pacificum acceptabile,Christus etiam aliquando *Ioan.5.* dixit:Si literis Moseos non creditis,quomodo verbis meis credetis ? Et alibi ipsemet declarat, quod verba sua erant spiritus & vita, & non promissiones carnales.Et discipulis ait:Vos mundi estis propter sermonem meum.Hoc igitur est summum,quod habuerunt Iudæi ex eis eloquiis præ Gentibus,videlicet,promissionem Christi,& dona consequentia Spiritus sancti: propter quod & filij vocati sunt , si modo crederent , vt scriptum fuit.Ego dixi dij estis,& filij excelsi omnes : Et ad incredulos : Vos autem sicut homines moriemini,& sicut vnus de principibus cadetis.Vnde Apostolus inferius:Quorum adoptio est filiorum , & gloria,& testamentum,& legislatio,& obsequiũ, quorum patres,ex quibus est Christus, &c. Gentes ergo cum in suo naturæ libro essent relictæ, vt per visibilia vestigarent inuisibilia , & inde Christum quærerent(si fortè valerent attrectare)multò inferioris erant conditionis quàm Iudæi,qui ex Dei eloquiis proficere & facilius & validius poterant quod tamen multi eorum non faciebant.Sequitur:

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Commendat Apostolus diuinam tanti beneplaciti firmitatem,quæ non retraxit manum gratiæ suæ propter quorundam infidelitatem,in quos conqueritur Dominus per prophetas , vt in incredulos & subuersores,vnde scriptum est : Non crediderunt *Psal.105.* verbis eius,& pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.Propriè enim verba Dei(vt diximus)sunt quæ de Christo loquebantur,& salutem veram ostendebant.His verbis non crediderunt , sed Dominum ad iracundiam prouocauerunt,& occiderunt prophetas,& omnes qui annunciabant de aduentu Iusti.Nec tamẽ Deus est ita irritatus,vt desineret esse fidelis in verbis suis sed misit Filiũ suum *Deus fidelis.* sicut promiserat:quia ipse est verax, omnis autem homo mendax,scilicet vt homo est . Si autem verax est,hominis id excedit conditionem , & tunc ex gratia habet.Græcè legitur sic:

Homo mendax.

Est autem Deus verax , ac si dixerit, Id sentiamus & statuamus de Deo,& de nobis, nẽpè quòd nos mendaces sumus,& ipse fidelis est, vt iustificetur ipse in sermonibus suis, quos implet ex parte sua: & vt vincat cum iudicatur, aut cum iudicat , sicut aiunt haberi in hebræo.Sed B.Paulus sequutus Septuaginta,dicit:Cum iudicatur, ipse nimirũ Deus Erasmus tamen hebraicam vocem ait esse ambiguam ad passiuam, &actiuam significationẽ:quod verius esse existimo . Iudicatur autem à perfidis, qui à propria iniquitate metiũtur illius immẽsam bonitatem,dicentes:Non faciet:Non parce:Non curat.Tunc ergo vincit,cum ostendit diuitias bonitatis suæ,pluens dona abundè , & seruans promissa fideliter . Et hæc victoria patebit in iudicio æterno,quod faciet in nouissimo die.Sequitur:

Si autem iniquitas nostra iustitiã Dei cõmendat, &c. Erant qui ex B . Pauli prædicatione magnificantis bonitatem Dei , qui ex peccatis hominum nactus erat occasionem suæ gloriæ, falsam conclusionem eliciebant,videlicet,esse peccandum,vt inde maior Dei gloria sequeretur, qui non contineret vel offensus misericordias suas:& ipsa Dei iustitia,qua videlicet ipse iustus erat, commendabatur,eò quòd appareret mundo.Ex quo etiam videbatur sequi,quòd esset iniquus iram,idest , vindictam inferens in perfidos & malos,quorum perfidia resultabat in gloriam eius . Protestatur tamen Apostolus hæc se dicere secundum hominem,id est,secundum cogitationem mendacis & corrupti hominis,& rem iudicantis secundum carnem materialiter,non formaliter,& nescientis separare quod est per se,ab eo quod est per accidẽs,

Calumnia in Apostolum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde primò tanquam exhorrescens dictum nephandissimum, ait: *Absit*. Et interimens illam ipsorum conclusionem, addit:

Deus iudex non potest esse iniquus quia summus.

Alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Vis argumenti est in hoc, Mundi iudicium extremum, summum esse iudicium. Ergo est summi iudicis. Ergo est eius, in quem cadere iniquitas non potest: Alioqui quis emandaret? Non potest enim error in summa veritate inueniri, sicut nec in Ente summo quicquam passiuæ potentiæ, aut accidentis, ità nec in summo iudice iniustitia. Porrò quia ex interempta eorum conclusione, nondum data erat ad eorum argumentum responsio, iterum recollit argumentum, vt planius soluat, & ait:

Si autem veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, &c. id est, si fidelitas Dei, qua se veracem ostendit seruando promissa, *in meo mendacio*, id est, per meum mendacium, id est, infidelitatem. Induit enim hic Apostolus personam peccantis, & infidelis Deo. Si ergo, ait ipsa Dei fidelitas *abundauit*, id est, excelluit, ob id quòd poterat sine iniquitate non seruare infideli datam fidem, iuxta cõmune dictum. Frangenti fidem, fides frangatur eidem: & si hæc abundantia bonitatis eius, qui reddidit non promerentibus quod promisit, resultauit in gloriam eius, *Quid adhuc & ego tanquam peccator, iudicor*, supple tu, & non potius verum sit illud, quod quidam aiunt (blasphemantes tamen) nos dicere: Faciamus mala, vt veniãt bona? Et subdit: *Quorum damnatio iusta est*, id est, damnatio eorum qui faciunt mala, vt eueniant bona, non solùm si hac mente non facerent, sed etiam si illa mẽte facerent, id est, vt bona inde peruenirent, iusta tamen esset. Vbi nota quòd licet non videatur Apostolus adhuc resoluere argumentum, in ipsa tamen vi verborum implicitè continetur resolutio: quoniam vt manifestè falsum dimittit id, in quo sustentabatur cõclusio hęc, nẽpe faciẽda esse mala, vt eueniãt bona. Sustentabatur enì in hoc quasi ex malo possit procedere bonũ: quod est impossibile, nisi per accidẽs. Ex malo enim per se, nõ nisi malũ procedit. Quod autẽ per accidẽs est, nõ considerat à legislatore, sed id quod per se est. Non intelligas ergo hanc sententiam: *Quorum damnatio iusta est*, in eos dictam esse, qui blasphemabant Apostolum, calumniam in eum iacientes. Disputabat enim Apostolus de veritate morum non de meritis calumniantium, ideò potius paralogizantes redarguit, quàm minetur calũniantibus. Adde quòd blasphemia inscripturis propriè est, quæ à creatura in Deum est, & ab inferiore in superiorẽ, cum derogatur illius gloriæ, & maiestati. Quoniam verò Apostoli fungebantur legatione pro Deo (vt B. Paulus ait) omnis conrẽptus, & iniuria in eos, tãquam in Deum facta computabatur: & ideò erat penè blasphemia.

Non sunt faciẽda mala vt eueniant bona.

2. Cor. 5.

De mendacio officiosõ.

Nec illud omninò prætereundum est, Si non sunt facienda mala, vt eueniant bona, nec officiosum mendacium dicendum esse ob quodcunque bonum. Vnde non excusarentur à peccato, nec Iacob, neque obstetrices illæ ægyptiæ, nec Iudith, & alij, qui cum sancti essent, & commẽdationem habeant à scripturis, in hæc tamen mendacia & prudenter, & consultò venerunt. Sed hæc quæstio alium sibi proprium locum postulat. Fuerunt enim qui officiosum mendacium non esse peccatum existimarunt ex doctrina Platonis, in quam sententiam B. Hieronymus inclinare videtur & B. Chrysostomus in illo pulcherrimo libr. de sacerdotio. Interim ad solatium piorum illud animaduertendum est, non defuisse calumniatores tanto Apostolo etiam in doctrina: vt discamus & nos pati si quando etiam cum calumnia obtrectatores nostri nos de doctrina reprehenderint, ne hac in parte simus Apostolis fœliciores.

Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Iudæos & Græcos, omnes sub peccato esse, sicut scriptũ est: Quia non est iustus quisquã: non est intelligẽs: nõ est requirens Deũ. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nõ est qui faciat bonũ, nõ est vsque ad vnum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorũ os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundẽdum sanguinem. Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

In Christo, non præcellunt Iudæi, vt minus egeant saluari per fidem quàm Gentes.

Ostensa prærogatiua Iudæorum per legem, & eloquia Dei olim illis credita, & circumcisionem mandatam, vt esset populus Dei peculiaris, nunc vult ostendere, quòd in Christo & in euangelio non præcellunt, scilicet, vt illi putabant, qui iudicabant Gentes, putantes non posse illas salutem assequi, nisi & ipsæ fierent sub Mose & lege, & transirent in eorum coloniam, non cogitantes quòd in Christo non est Iudæus, neque Græcus, sed noua creatura. Incipit ergo post quæstionem positam, cùm ait: *Quid ergo? præcellimus eos?* Et postquam respondit, *nequaquam*, probare respõsum ratione: quoniam respectu Christi, omnes inueniuntur sub peccato, tã Iudæi quàm Græci, & aliquo modo etiam magis Iudæi. Esse autem sub peccato, idem est quòd habere peccatum, id est, concupiscentiam dominantem, à qua indigebant liberari per Christum omnes, & sic pares erant. Quòd autem omnes essent sub peccato, inde accipit, videlicet, ab effectu: quia maiores tam in lege naturæ, quàm Moseos, non restiterunt illi peccato, sed in profundũ malorum venerunt, sicut superius primo & secundo cap. præcausatus est Apostolus vtrunque populum, videlicet, Iudæos & Græcos in maioribus eorum, vt inde minores colligere liceat. Nam accusando maiores, & minores simul accusantur. Si enim lex naturæ, aut Moseos fuisset satis ad tollendum peccatum, profectò non inuenta fuisset (saltem in maioribus eorum) tanta transgressio & cõtumacia, vt supponit Apostolus. Supponit autem, illos qui seruarunt legem naturæ & Moseos (quales fuerunt quos commendat scriptura) nec ad naturam attinuisse, nec ad Mosen, sed ad Christum & gratiam: non enim erant sub lege, sed sub gratia. Neque verò in hoc erant inexcusabiles, quòd peccauerint sub eis legibus existentes, sed in hoc,

quòd cum illis via esset ad sanitatem per Christũ, viam tamen illam non curatunt: ideò inexcusabiles redditi sunt. Non enim iniustus est Deus, qui exigat impossibilia ab homine. Nam quod erat impossibile homini per legem, reddebatur illi possibile per Christum, quem lex ipsa & prophetæ Iudæis ostendebant. A gentibus autem non exigebatur explicita fides de Christo, sed satis erat implicita, ad quam poterant peruenire natura intus prædicante & Angelis bonis confirmantibus Dei prouidentiam, quòd inquirentibus se remunerator esset futurus, sicut superius diximus. Post hoc autem subiicit probationem à scriptura sumptam, & subdit:

Vis peccati orig.

Non est iustus quisquam, &c. In psalmo autem, ad quem respicere videtur Apostolus, non sunt hæc verba in litera, sed in sententia, legitur enim: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, id est, Adam pater noster, in corde suo, id est, in voluntate sua contumaci, & operante malum, dixit: Non est Deus. Est enim idololatria quodam modo non obedire facto siquidem ipso negatur Deus & bonus, & iustus: dicit enim qui peccat: Non puniet Deus, non vindicabit: quod est quodam modo negare Deum, cui iustitia negatur, & veritas. Ex eo autem Adæ insipientis peccato declarat Psalmista quid insequutum sit, nimirum quod sequitur:

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, id est, ex eo peccato id consequutum est, vt omnes homines corrupti, & abominabiles facti sint in studiis suis. Et inducitur Deus tãquam prospiciens de cœlo, vt videret, esset ne aliquis intelligens, aut requirens Deum: & respondetur:

Omnes declinauerunt, &c. Et hoc non est aliud, quàm non esse iustum quenquam, nec intelligentem, aut requirentem Deum. Quanquam & hoc ab Isaia, prædictum fuit: Non est, inquit, qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Nam cum duo essent bona, quibus honorauit nos Deus in patre nostro Adam. Primum, iustitia illa originalis qua & inferiores animæ vires reprimebantur à parte superiori, id est, à ratione, ne contumaciter rebellarent & ipsa ratio Deo subdebatur. Alterum verò Gratia, qua ad cœlestia promouebatur vt filius, & spem hæreditatis habebat: nato peccato, & subtractis illis donis, factum est vt omnis iniustitia vigeret in nobis: quoniam & mens aliena ta est à Deo, & à mẽtis imperio inferior sensitiua pars rebellauit, vt ad se illã attraheret, idque meritissimè. Qui enim superiori non paret, dignum se constituit vt inferiori subdatur: quod est sanè innaturale, si naturam rectam consideremus. Hoc enim nunquam fecit Deus, cuius opera sunt perfecta. Ergo hoc tam peruersum atque prępostero, à peccato venit. Vnde benè sequitur:

Isa. 46.

De impotẽtia naturæ.

Non est intelligens, aut requirens Deum, id est, ex eo quòd corrupti inuenti sunt omnes homines propter peccatum, ipso iustitiæ dono amisso, & abominabiles redditi amissa gratia, hinc est quòd nõ poterat inueniri faciens bonum, nec vnus quidẽ. Quod autem dicit, non esse qui Deum intelligeret; sic oportet accipi: quia ex puris naturalibus (Deo non auxiliante) non poterat homo assequi talem de prouidentia Dei cognitionem, videlicet ipsum Deum esse finem hominis, & fœlicitatem eius, sicut reuera est. Et ideo nullus poterat Deum inquirere vt eo potiretur: quia non erat pactum Dei vllum tale manifestum cum hominibus. Quis enim vnquam inquisiuisset, quod ignoraret? Sola autem fide hanc de Deo notitiam consequimur, videlicet & Deum esse, & remuneratorem inquirentium se, vt docet Apostolus: Et hinc sequitur:

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Fieri. n. non potest, quin homo amet aliquid. Extincta autem fide & spe cœlestium, oportuit terrenum esse quod amaret, & sic declinare oculos, & staturere in terram propter concupiscentiæ pondus, quo trahitur anima ad inferiora, & crescit pondus indies; etiam hoc pacto inutiles omnes constituti sunt: quia nec sibi, nec proximo vtilitatem afferre valebant vllam veram, quæ ad veram salutem faceret. Nec item Deo: quanquam Deus in se nihil vtilitatis ab homine consequi potest, qui nullius boni indiget. Et sic iterum rectè concluditur: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et quoniam non operantes bonum, necesse est corruere in barathrum iniquitatis, idcirco additur:

Sepulchrum patens est guttur eorum. Hoc autem ad intemperantiam pertinet. Per guttur enim omnẽ carnis libidinem intelligimus, quæ appositè comparatur patenti sepulchro, quod fœculentam carnem quodam modo concupiscat, & voret. Vnde & græcè sarcophagon dicitur. Sunt qui per guttur intelligũt internas cogitationes prauas, quæ si proferantur, quasi sepulchrum patens, fœtorem emittunt foras intolerabilem: quæ intelligentia nõ mihi videtur esse reprobanda. Quod verò ait:

Linguis suis dolosè agebant. Ad iniustitiam eleganter refertur, per quam nocemus proximo, & tum maxime id lingua agimus, dum promittimus fraudulenter, aut promissa negamus, aut falsò accusamus, testificamur, iudicamus, & aliis multis modis decipimus in cõmerciis, & distributionibus.

Venenum aspidum sub labiis eorum. Hoc ad malam doctrinam pertinere videtur. Nam aspidum venenum est insanabile, cuius contactu tabescit caro, & obstupescens homo in stuporem lætiferũ conicitur. Hoc diligenter attendant, qui cum hæreticis conuersantur: tales enim fiunt. Remedium est ergo præsentaneum, vt protinus fugiant. Vel potest hoc aptari ad odium, quo alter alterum plusquam hostiliter insectatur & diabolicè ad perniciem: vnde sequitur:

Cõsortium cũ hæreticis fugiẽdum.

Quorum os maledictione plenum est. Est enim ira quędam potens, omniumque irarum pessima, qua maledici fiunt & amari, qui ea inuaduntur. Quæ autem hactenus citauit Apostolus, ex. 5. & 9. & 13. Psalmo accepta sunt.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Ex Isaia citatum est. Et euidẽter homicidij peccatum exprimitur. Et quod ait: pedes ad effundẽdum, nõ solùm corporis, sed etiam animæ pedes intelligas, id est affectus cordis, quibus etiam homicidium completur coram Deo, licet non sequatur factũ, si modò perfectus consensus adsit: & pulchrè sequitur:

Anima suos pedes habet.

Contritio & infœlicitas in viis eorum. Quicunque. n. finem quemlibet sibi præstituunt in rebus humanis, antequam illum assequantur, sæpius in medio cursu conteruntur, & deficiunt. Vnde conque

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto Biblioteca

ri tandem coguntur,& cum gemitu dicere:Ambulauimus vias difficiles. *Sap.5.* Quod ſi etiam aſſequantur, etiam infœlices ſunt:quia falſo bono delectãtur, quo velociter priuantur, & miſerè. Opponit autẽ viis eorum,quas ambulabant,& in quibus erat cõtritio & infœlicitas,viam pacis,quam non cognouerunt. Pax enim ſequitur fœlicitatem. Non cognouerunt autem(inquit)quia nec ex ſe ipſis poterant cognoſcere. Via enim ad pacem & fœlicitatem, erat Chriſtus & ipſe pax noſtra, à cuius notitia longè aberant, in eiuſmodi & delictis & miſeriis perſiſtentes, tanquã ſedentes in tenebris & vmbra mortis.

Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Hoc ex nono pſalmo acceptum eſt:quod ad omnem Dei timorem aptari poteſt, ſcilicet, quo timetur vt potens inferre malum,aut auferre bonum. Sed hi timores ex proprio procedunt amore, quo homo malum ſuum exhorret,& bonum ſuum concupiſcit. Nam homo in puris naturalibus non poteſt inferni pœnas metuere,quas ignorat: aut amiſsionem paradiſi,de quo non cogitat.

De timore Dei.

Nec poteſt timere aliquam pœnam temporalem à Deo,quem nõ curare noſtra exiſtimat. Non eſt autem dubiũ,quòd timorem illum ſanctum, qui permanet in ſæculum ſæculi,qui ex amore Dei oritur, quo timore timetur Deus vt pater,vt bonus, vt iuſtus, vt dignus omni cultu,& obſequio,& reuerentia, nullus poterat tunc habere, cum nullus illum vt patrem noſceret, & adhuc nullus eſſet bonus & ſapiens,vt quæ Dei ſunt,non quæ hominum, diligeret:& de hoc timore præcipuè verum eſt hoc,*Non eſt timor Dei ante oculos eorum*: Hic timor conſummatio eſt ſapientiæ,vt inquit ſcriptura, & in hoc eſt verus Dei cultus,quo meretur homo exaudiri: *Eccl.21.* vt ait Apoſtolus de Chriſto, quòd exauditus eſt pro ſua reuerentia,id eſt,quia timore Domini repletus eſt,& reueritus eſt Deum. *Heb.5.*

Quæſtio quo pacto ſit verum neminem eſſe iuſtum.

Verùm circa prædicta incidit quæſtio,videlicet, quonam modo verum ſit nullum eſſe iuſtum,cum multi in ſcripturis de iuſtitia commendentur? Ad hoc facile reſpõdetur:quoniam ſcripturæ illæ manifeſtè loquuntur de filiis hominum,id eſt,de natura hominis,qualis eſſet,ſi ſibi relinqueretur,quę ſatis apparet in his,qui adhuc homines manent,id eſt, in ſtatu naturæ amiſſa iuſtitia, & non recuperata gratia per Chriſtum. Quod vt intelligeremus, introducitur Deus reſpexiſſe ſuper filios hominum, vt videret num vllus eſſet eorum qui intelligeret,aut requireret Deum: & nullus prorſus inuentus eſt. Qui autem tales non fuere (fuerunt enim multi non tales) vel ex Iudæis vel ex Gẽtibus,ex gratia Dei aſſequuti ſunt vt tales non eſſent,non ex ſeipſis: & ideo computandi ſunt cum aliis ſecundum naturam,vt filij hominum. Itaque ſecundum gratiam non iam filij hominum,ſed filij Dei cenſendi ſunt. Nam omnes homines proculdubiò tales fuiſſent, quales deſcribuntur à ſcriptura viſi ab ipſo Deo, qui videt omnia futura vt ſunt in cauſis, quùm certæ & determinatæ ſunt cauſæ ipſæ ad futurum certum. Iudicium enim datur ſecundum naturam rei:ſicut medicus rectè dicit ægrotum ſanandum,ſi hoc videt in cauſis:licet fortè ex alio accidente non ſanetur. Sic omnes homines dicuntur fuiſſe iniuſti, ex eo quod tales ex ſui natura fuiſſent niſi gratia perueniſſet. Nec aliter intelligi poteſt hęc ſcriptura,& multæ ſimiles, quas(quia non intelligunt hæretici)longè aberrãt à veritate:& ſimiliter nonnulli ex noſtris, qui hoc in loco etiam hærent:ideo variè exponitur, & nõ aptè. Verùm tribus verbis cuncta diſſoluit. B. Auguſtinus dicens:Hic verus eſt intellectus: quia nemo intelligitur bonum feciſſe,niſi ille monſtrauerit. Ideoque rectè dicitur, nullum feciſſe bonum: quia quod fecit quiſque bonum,non ipſe,ſed gratia Dei ſecum fecit. Ipſe autem ex ſe, non niſi malum feciſſet.

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur,iis qui in lege ſunt loquitur, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo:quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem.n.cognitio peccati. Nũc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt,teſtificata à lege & prophetis. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt,& egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorẽ per fidem in ſanguine ipſius,ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ,propter remiſsionem pręcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei,ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore:vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum,qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? Non: ſed per legem fidei. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? Nónne & Gentium? Immò & Gentium. Quoniam quidem vnus eſt Deus,qui iuſtificat circuncisionem ex fide,& præputium per fidẽ. Legem ergo deſtruimus per fidẽ? Abſit: ſed legem ſtatuimus.

Scimus,&c. Occurit Iudæo,qui fortè diceret hãc ſcripturam,quæ omnes ſub peccato ponit, non attinere ad Iudæos,ſed ad Gentes tantum. Vt autem contra hoc probet,ſumit:Quòd quæcunque ſcriptura loquitur,nõ ad Gẽtes, ſed ad Iudæos loquitur,qui ſunt in lege. Cui propoſitioni ſi & hoc adiunxeris,quòd ſcriptura eos,ad quos loquitur,conſtituit ſub peccato(quod Apoſtolus qui alloquebatur Iudæos inſtructos in lege, vt per ſe manifeſtũ tacet)planiſsimè ſequitur,& ipſos ſub peccato exiſtere. Nam illis promiſſus fuit Redemptor, & Saluator à ſeruitute Diaboli & peccati,vt omnes prophetæ,& præſertim Iſaias,teſtificantur. Hic tamẽ nota,legis appellationem ad totam veterem ſcripturam ſignificandam extendi. Nam quandoque pro ſola ſcriptura Moſeos accipitur, & quandó-

que pro ea ſola parte,quæ legem continet, vt prudens lector ex varijs ſcripturæ locis poteſt addiſcere:quod & diligenter in loco eſt obſeruandum. Sequitur:

Vt omne os obſtruatur, id eſt, ex hoc conſequitur, neminem poſſe mutire coram Deo,& de ſua iuſtitia ſe iactare. *Et ſubditus fiat*, græcè ὑπόδικος, id eſt, obnoxius,aut reus, *omnis mundus*,ſeu potius,totus mundus: (Nõ enim ſunt plures mundi) *Deo*,id eſt, non ſolùm Gentes,ſed etiam Iudæi: quia omnes caro facti ſumus,abſque verbo Dei & ſpiritu: Vnde ait:

Quia ex operibus legis, non ſolùm cæremonialibus,verum etiam quibuſcunque operibus(tametſi quidam ex noſtris aliter exponant,ſed non exactè conſiderantes, ſicut fecit poſtmodo B. Auguſtinus) *B. Aug. de ſp. lit.* *non iuſtificabitur omnis coram illo*,id eſt,nulla caro iuſtificabitur,id eſt, nullus homo vt eſt in puris naturalibus,ex operibus legis. Caro enim appellatur homo natura:quoniam natura quæ ſunt carnis diligit. Hic igitur exiſtens iniuſtus, nullo erga Deum tenetur affectu propter carnem, vnde legimus: *Rom.8.* Qui in carne ſunt,Deo placere nõ poſſunt. Spiritus enim eſt qui viuificat. Et ideo per ſpiritum viuificatur homo,id eſt,per gratiam & charitatem,quæ dicitur lex ſpiritus,non per opera quæcunque,quaſi meritoria primæ iuſtificationis quæ fit in baptiſmo: quia primam gratiam nullus poteſt mereri. Alioqui ſi per opera acciperetur ſpiritus,gloriari poſſet homo in ſemetipſo, & non inueniretur reus & ſubditus Deo,& miſericordiæ illius non indigeret: contra quod Apoſtolus vehementer diſputat,& inuehitur. Et doctè ea loquitur,quæ caro non poteſt intelligere, quia caro eſt. Intelligat ergo ſpiritualis homo, quòd non iuſtificatur caro per legem,ſed per fidem: quia ſpiritus eſt qui iuſtificat.

Nota, & cape hæc, acute, lector, & à multis quæſtionibus explicaberis.

Spiritus autem ex fide,eſt,non ex lege:quia nec lex eſt ex fide,vt ait Apoſtolꝰ. Quid eſt non eſſe ex fide, niſi quod non ſequitur,ſed pręcedit fidem? Ab ipſo tamen ſpiritu caro mortificatur,vt qui accipit ſpiritum,non ſit iam vlterius caro,ſed ſit ſpiritus coram Deo,vt docet ipſe: Qui adhæret Deo,vnus ſpiritus eſt. *1.Cor.6.* Et Dominus: Qui natus eſt ex carne,caro eſt. *Ioan.3.* Et qui natus eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt. Qui ergo manet in carne,non eſt iuſtitia Dei in illo,vt coram Deo iuſtificetur, nec facultas vlla ad promerendum ſpiritum. Vnde Dominus ait:Nõ permanebit,ſeu non iudicabit, aut non fixabitur ſpiritus meus in homine in æternum,quia caro eſt. Homo igitur qui non eſt iuſtificatus ſpiritu,caro eſt. Quamobrem vt iſta caro iuſtificetur,& in ſpiritum euadat, Deo ſuperno adiutore eget. Deus autem non mouetur carnis operibus:quamuis opera illa carnis eſſent etiam opera legis. Vocat autem legis opera non ex eo tantùm quod in lege præciperentur,ſed potius quòd fierent virtute legis,animo ſcilicet mercenario, & timore ſeruili,non ingenuo liberaliter,& ex amore diuino. Nam hæc demum ſunt opera quæ Deo grata ſunt,vt hic ſit in opere iuſtificationis rectus ordo. Primùm audit homo quæ proponit Deus de Chriſto ſuo:tum de noſtro ſtatu & cõditione. Cui auditui ſi credit,gratis Dei iuſtitiam,hoc eſt, charitatem ex fide adipiſcitur,per quam charitatẽ, ſiue iuſtitiam, ipſa fides poſtmodo amanter operatur ac liberaliter(ſicut oportet)ad perfectam & abſolutam iuſtificationem. Vt intelligas,quòd illa ſolummodo opera, quæ poſt acceptam fidem facta fuerint,iuſtificans amplius iam iuſtificatum ex fide. Qui enim iuſtificatus eſt,ad curſum iuſtificatus eſt:vt ſicut iuſtificatur ex fide ad curſum, ſic ex ipſo curſu iuſtificetur ad coronã,hoc eſt,ex operibus bonis perueniat ad requiẽ. Nõ igitur excludũtur hoc in loco bona iuſtificati hominis opera quæ ex ſpiritu procedunt & ex fide,ad augendam iuſtificationem,& tandem promerendam vitam æternam,quæ opera Deo ſummoperè placent:ſed excluduntur opera hominis adhuc in carne exiſtẽtis,& in propriis viribus confidentis. Dãnat enim Apoſtolus apertè vanitatem illam Iudæorum, & pernicioſam eorum pręſumptionem,qui confidũt in operibus legis abiecta fide: ac ſimul docet veram hominis conditionem quòd ſuapte natura caro ſit. Et hoc eſt quod primùm agnoſcere debemus & fateri,videlicet,nos eſſe reos,& ſub peccato & morbo,indigentes miſericordia Dei, & ſanitate:vt ſic deinde nobis cõmodè medicus, & medela monſtretur,ac propinetur.

Nota quænam ſint opera quæ iuſtificant, & quæ nõ.

Hęc eſt Ieſus Chriſtus, in quem credentes iuſtificamur primùm ex fide,quia ex hac fidei noſtræ profeſsione inclinatur ille ad ſanandum nos per Spiritumſanctum,infundens in corda noſtra in lauacro vitæ, gratiam & charitatem ſuam, qua à macula & contagione peccati mundamur,grati facti Deo, vt ſic deinde inuocantes eum per bona opera,perfectè iuſtificemur ad meritum vitæ æternæ, & ſic tandem obtineamus ſalutem. Hæc ſunt quæ nolunt capere hæretici,ad quæ tamen ſi non perturbato animo attenderent,& diligerẽt magis veritatem,quàm gloriam ſophiſticam,proculdubio nobiſcum ſentirẽt quia res iam patefacta eſt, & iungeremus dexteras. Sequitur:

Per legem enim cognitio peccati,aut potius (vt Græca vox ſignificat) *agnitio peccati*. Arguit potenter Apoſtolus,quòd lex non induceret iuſtificationem, quia non tollebat peccatum,ſed magis hoc faciebat,vt agnoſceretur.

De vtilitate legis Moſeos, & fine.

Et dixit; agnitio; Quia quod ab initio cognoſcebatur, recognoſcitur; & quòd ex tot & tantis miſeriis noſtris poterat quodam modo coniectari,aut ſuaderi, per ipſam legem à Moſe traditam clarè agnoſcitur. Neque verò erat poſsibile hominem habentem peccatum,& conſequenter odium Dei ſuper ſe, ſic odioſum Deo exiſtentem,poſſe ſe iuſtificare. Et peccatum voco concupiſcentiam carnis dominantem,quæ ex peccato naturaliter ineſt homini,& ad peccatum trahit illum. Dico naturaliter, ſignificans non bonam & integram,quæ fuit à Deo ab initio,ſed malam & corruptam naturam,quæ à peccato noſtro conſecuta eſt. Lex autem ſolum hoc efficiebat, vt peccatum agnoſceretur,id eſt,vitium nobis inhærens & dominans. Agnoſcebatur autem hoc ipſo, quòd prohibebat lex homines concupiſcere. Prohibebat enim hoc tanquam malum & peccatum ex ſe,& conſequenter tãquam innaturale. Et cum homo ſentiat vim concupiſcendi in ſemetipſo inſitam atque innatam,ita vt non valeat non concupiſcere,manifeſtè comprehendit, hoc vitium natura in ſe ineſſe,vnde hæc neceſsitas venit. Quoniam verò Deus & natura,quæ à Deo eſt, non po

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare vocetur peccatũ concupiscentia.

rest esse autor vitij, cognoscit hoc vitium esse natu rale, non quidem secundum naturam à Deo constitutam, sed ad quam per peccatum decidimus. Deus enim neminem coniecit vnquam in necessitatem peccati. Ipse.n. condidit hominem rectũ, sed is qui plus voluit sapere, quàm oporteret, immiscuit se infinitis quæstionibus, vt testatur scriptura sancta. Videns igitur hanc malam naturam homo in seipso, ex vi legis cogitur confiteri eam venisse à peccato, non à Deo. Et iccircò ipsa vocatur peccatum: quia defectus est, & à peccato est, & ad peccatum cogit. Et adhuc habere illam, non renatis peccatum est: quia tenentur non habere ex primo pacto in Adam, quo tenebantur retinere iustitiam illam primæuam. Quicunque igitur fomitem habet (quilibet autem naturaliter habet) in peccato est assiduè. Vnde scriptum est: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non
1. Ioan. 1. est. Verùm quia ab hoc debito liberamur per gratiam Dei, iam non imputatur ad peccatum homini in gratia existenti: quia illi non est peccatum, sed conuertitur Christiano in exercitium ad meritum, vt pugnet & superet. Quòd autem ipsa caro concupiscat, si eius concupiscentias nõ sequimur, nihil habet damnationis, propter Agnum Dei Christum, qui assiduè mundat sanctificatos aqua sua per iuge sacrificium in sanguine, quo tollit assiduè peccatum mundi.

Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, id est, nunc autem iustitia Dei, id est, Christus, qui est iustitia nostra: Aut iustitia Dei, id est, ipsum iustitiæ donum, quod nobis obtinuit Christus, & nobis offertur sine lege, hoc est, absque Mosaicæ legis obseruantia. Hæc inquam iustitia, manifestata est, videlicet, à seipsa, & à prædicatione Apostolica, sine lege, id est, vt non conferat quicquam lex, id est, legis obseruatio, ad hanc iustitiam agnoscẽdam, & accipiendam. Non enim dicebant Apostoli, neque Christus prædicantes. Facite legem, & iustificabimini: sed dicebant. Credite euangelio, & induemini iustitia ex alto, & sic intrabitis sub lege, non Moseos, sed Christi: & tunc facietis legem & ampliorem facietis iustificationem vestram. Quòd ergo ait: Iustitia Dei sine lege manifestata est, quantum attinet ad Gentes, haud dubium est, quòd sine lege hæc iustitia illis est manifestata, cũ legem non haberent. Quoad Iudæos autem etiam verum est: quia lex iam cessauerat, legitimè functa officio suo: quod fuit ostendere morbum, & medicum, & medicinam, quæ erat hæc ipsa Dei iustitia. Manifestata autem fuit miraculis, & prodigiis, & admirabili ac subita conuersione Gentium.

Error hæreticorum.

Hæretici per Dei iustitiam intelligunt Christi iustitiam, id est, qua ipse Christus iustus fuit, & quam se apprehendere putant fide, & aiunt vocari iustitiam Dei, vel quia sola illa placet Deo: vel quia Deus illam ipsis largitur credentibus. Sed mirum quòd hæc iustitia nunquam dicatur iustitia Christi, sicut dici debuisset in eum sensum, sed solummodo dicitur iustitia Dei. Insuper nouum est atque inauditum à sæculo, quòd homo alterius iustitia, non sua sibi inhærente, denominetur iustus.

Hæc igitur via iustificationis aperta est omni carni sine ope legis, vt lege postposita, quæ nõ me debatur, sed potius eximulabat vulnus & irritabat, fide primùm inniteremur, quæ iam apertè nobis & morbum, & medicinam insinuat, vnde sanemur, iudicans nobis totum mysterium in homine, qui descendens de Ierusalem in Ierico, incidit in latrones: & cum exspoliatus, ac penè confectus esset, ab omnibus præteritur, præterquam a Samaritano nostro, cuius vnguento fouetur, & cuius humeris portatur ad hospitium, vt ibi perfectè curetur. In eo homine nos omnes contineri, & significari perspicuum est, qui in primo parente Adam prostrati, spoliati, & vulnerati sumus. Qui nos pretetierunt, fuerunt patriarchæ & prophetæ, & Moses & Aaron, qui non poterant nos sanare. Nã & ipsimet nobiscum pariter fuerunt vulnerati, & sanari indigebant. Samaritanus autem Christus est, qui solus misericordia motus, factus est nobis proximus. Hic vinum infundit, & oleum, id est, charitatem & fidem: & alligat vulnera nostra suis sacramentis, & imponit super se in humeros suos, portans & delens in carne sua peccata & onera nostra, & debita, & facit nos quiescere in diuersorio. Hæc est ecclesia, in quam velut viatores diuertimus. Ibi est stabularius, cui cura de nobis commititur, in quo ecclesiæ significantur prælati. Si igitur tales nos esse, nobis ipsa fides mõstret, videlicet ægrotos, & sanari indigentes, & per illam nõ ignoremus proximum nostrum Samaritanum, id constentes obtinemus proculdubiò vinum, & oleum quo sanamur absque ipsa lege, illa nimirum iam cessante, accedente vero medico, qui etiam dixit: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Nam hic est *Matth. 11.* Christus noster, & vsque ad illum duratura erat lex illa: non dico lex absolutè, sed lex illa Moseos. Et bene dixit Apostolus, *manifestata*: quia licet prius etiam esset talis iustitia, occulta tamen erat, & paucis agnita: Nõdum enim erant dociles Deo *testificata à lege, & prophetis*, in figuris tamen & enigmatibus: & multis item locis satis apertè, nisi oculos clauserimus.

Expositio parabolæ Samaritani.

Iustitia autem per Dei fidem Iesu Christi. Nam hoc solum nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo nobis est salus constituta. Et bene dicit; per fidem Iesu Christi; videlicet, qua illi creditur. Non est enim satis ad hanc iustitiam assequendam, credere Deo, & Mosi seruo eius, nisi credatur Deo, & Christo filio eius. Aut per fidem Iesu Christi, id est de Iesu Christo, vt sit ipse materia quæ proponitur credenda, videlicet ipsum esse Redemptorem, Mediatorem, & Saluatorem nostrum. Nam in illo est summa & vera benedictio, quam speramus: vnde sequitur,

In omnes, & super omnes qui credunt in eum. In omnes, inquit, id est, erga omnes, non Iudæos tantũ, sed etiã Gentes. Nam omnibus offertur Christus, Et super omnes, ac si dixerit: Etsi in omnes hæc Dei iustitia sit manifestata, qui vult omnes homines saluos fieri (quia prompta est ex parte sua omnibus exhiberi) his tamen solis cum efficacia obuenit, qui credunt in eum: vnde sequitur,

Non enim est distinctio, videlicet Iudæi & Græci, sicut olim erat quantum ad legem, quæ erat sola Iudæorum. Et reddit causam. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, videlicet, quantum est

ex

ex seipsis, & eorum natura: Alioquin multi iam erant in gloria, nec ea indigebant. Peccauerunt autem omnes in Adam peccante: quod & apparuit ex propriis cuiuslibet peccatis, quæ ex illo primo exoriebantur, vt radice omnium.

Iustificati gratis. Si iustificati gratis, quomodo indigent gloria Dei, quam (in spe saltem) sunt assequuti iam iustificati? Respondebit aliquis: In spe sunt assequuti, nõ in re, vt etiam indigere dicatur, quicunq; nondum sit eam re ipsa assequutus. Nos autem potius per eam vocem græcam: Διαιούμενοι, quæ est participium præsentis temporis, interpretamur dispositos ad iustificationem, vt dicamus quòd acceperunt eam facultatem posse iustificari gratis absque vllis prorsus operibus. Ne etiam dicas: quomodo verum est, quòd omnes qui peccauerunt, & egent gloria Dei, gratis iustificati sint de facto, cum multi non iustificẽtur? Poterat ergo sic verti: *Qui gratis iustificantur*, hoc est, illi indigentes gloria Dei, id quod habent capacitatis ad iustificationem, gratis habent. Et intellige gratis respectu ipsorum: quia cum adhuc impij essent, in hanc gratiam venerunt per fidem absque operibus. Non tamen omnino gratis respectu Christi, qui meruit pro illis, vt eos redimeret, & conciliaret Deo sua gratia, & operibus, & condignis meritis: vnde ait,

Quomodo gratis iustificamur.

Per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, &c. Aperiuntur singula propriè. Primò enim redemit nos à seruitute Diaboli, & peccati, & mortis. Secundò propitiauit nos (vt ita dixerim) Deo, & hoc in sanguine suo, seu per sanguinẽ suum, modò credamus: quia solùm credentibus applicatur hoc beneficium, nobis sanguinis sui pretio comparatum. Ille enim sanguis satisfecit Diabolo sitienti illũ iniustè, vt iustè prædam suam amitteret. Satisfecit & peccato: quoniã à peccatoribus, qui erat sine peccato, iniustissimè punit' est: vt sicut ipsum peccatum ausum est ius accipere in innocentẽ, ita meritò ius quod habebat super nocentes, hoc ipsa iustitia poscẽte amitteret. Satisfecit & morti, cum per eius sanguinis effusionem, innocenter defecit ipsa vita, & mortua est pro nobis, vt hunc tantum mortis ausum iure vindicaret: vt quia ausa est in illum, in quem nõ habebat ius, irruere, meritò illud amitteret imperium, quod iure in alios habebat. Denique satisfecit & Patri, cuius etiã nos serui eramus, vt est apud Ieremiam: Quia fecerunt (ait) irritum pactum meum, ego dominatus sum eorũ. Et iam dictũ est, quòd subditus factus est totus mundus Deo. Satisfecit autem Filius Patri pro nobis, quùm obedienter in eius gloriam effudit sanguinẽ suum, vt sic sua obediẽtia inobedientiæ nostrę reatum, quem in patre nostro Adam contraxeramus, dimitteret. Meritò ergo sanguinis efficacia ostensa est, cum simul cum ipso sanguine, aqua mũda effluxit à latere. Vnde sanctificata est Ecclesia, quam redemit: vt sic dignè exhiberetur Deo immaculata, non habens rugam, aut quid tale.

Nota congruentiam redeptoris ac redeptionis nostræ.

Ierem. 31.

Hæc autem sic ordinata sunt, *ad ostensionem iustitiæ suæ*, i. ipsius Dei, qua ipse iustus est. Sic enim exigebat iustitia nato peccato, vt esset qui pro peccato satisfaceret Deo volenti facere misericordiam. Et hoc voluit nobis Deus ostendere, vt appareret iustus, simul & bonus. Tunc enim verum factum est, quod ait Psalmista: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.

Propter remissionem præcedentium delictorum. Nota hoc prudens lector. Vocat præcedẽria delicta, quę præcedunt fidem, & hanc Dei iustitiam, quæ donatur nobis: & præcedunt propitiationẽ, & primam conciliationem. Nam peccata quæ hanc iustificationem sequuntur, non eodem modo purgantur. Semel enim habemus crucifixum Christum ad delendum penitus cuncta, sicut ipse semel est mortuus. Postmodum verò, hoc est, pro delictis factis iam suscepta iustificatione, habemus eundem aduocatum apud Patrem, vt remittantur illa nobis, non sine supplicio tamen aliquo nostro. Nõ enim voluntariè peccantibus relinquitur vlterius talis hostia pro peccato, sicut à principio. Qua de re tamen fusius suo loco dicemus. Et aduerte, quòd simili modo potest intelligi de delictis præcedentibus aduentum Christi. Et ne quis conturbaretur quærens, quomodo Christus fuerit propitiatio pro iis, qui præcesserunt aduentum eius, cum videantur mortui in peccatis, nec potuisse participare de pretio sanguinis nondum effusi. Respondet Apostolus:

Nota hæc.

Quomodo purgantur peccata post primã iustificationem.

In sustentatione Dei, vt ostenderet iustitiam suam in hoc tempore. Et sensus est, quòd Deus sustentauit delicta priora, & præcedentia propitiationis effectum, in hoc quòd in iudicium illa non adduxit. Sustentauit autem illa, donec venit plenitudo temporis, & fieret propitiatio extendens se ad anteriora quoque tẽpora: quia Christi merita à Deo prædestinata ac præuisa, quadam (vt ita dicam) retrotractione etiam antiquioribus profuerunt. Propterea scriptũ est, quòd Agnus patitur ab origine *Apoc. 31.* mundi: & non sicut habet quędam phanatica illusio, qua nescio qui dæmones docẽt, quòd Christus realiter existens, non secũdum carnem tamen, sed secundum animam, siue mentem passus est: quæ hæresis magis est contemnenda & obuoluenda silentio, quàm argumentis refellenda. Ostensa est autem iustitia Dei in eo tempore, quando venit & verè passus est: quia tunc apparuit deletum peccatum, & sic satisfactum fuit Deo, vt & iusti qui præcesserunt, interim donec pro illis, & omnibus cum effectu pretium solueretur, detinerentur extra paradisum, ne possent videre gloriam & regnũ Dei, antequam ipsius glorię Autor intraret in suam. Seruabantur enim in limbo, nullis tamen doloribus afflicti, sed in maxima spe venturi ad eos Redemptoris. Sequitur,

Vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi. Tropus est, ac si diceret planius. Hæc sic ordinata sunt, vt sit ipse iustus, id est, vt talis cũctis appareat, qualis reuera est, videlicet, ipse Deus iustus: quoniam ex iustitia puniuit peccatum in carne Christi, quæ data est pro mundi vita. *Et iustificans.* Deus enim est qui iustificat, sed nõ absque iustitia: quia enim puniuit delictum in Filio, ideo iustè voluit iustificare credentem, vnde alt: *Eum qui est ex fide Iesu Christi.* Et hic est tropus. Dicitur enim ille esse ex fide, qui quodam modo sic renatus, nouam essentiã nactus est: & nouus homo effectus, iam peccato mortuus est, & viuit Deo, siue Iudæus fuerit, siue Græcus: vnde subdit,

Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Concludit ergo in Iudæũ id quod volebat, & iã dixerat, videlicet,

d

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Christo Iudæũ non præcellere, vt excludat eum, qui tamen in lege & Mose præcellebat: quoniam illi soli populo lata erat. Quia igitur fide aduentante cessauit lex, exclusa est gloriatio Iudæi: quoniã successit lex fidei, quæ ad omnes pertinet: ideo ait,

Per quam legem? exclusa est gloriatio tua, ô Iudæe? *Factorum?* siue operum, & respondet, *Non, sed per legem fidei.* Opponit (ne erres ô lector) legem operũ, legi fidei in hoc, quòd lex operum (quæ erat Moseos) solùm opera iubebat, sed nõ adiuuabat vt fierent, & tamen nisi fierent, constituebat homines sub maledicto. Lex aut fidei ea est, quæ licet ipsa etiam exigat opera, attamen illa ipsa opera per dilectionẽ operatur, & facit ea. Nam per legem fidei datũ est homini, vt valeat iustè operari. Sensus ergo Apostolicus est, Iudæi gloriationem exclusam esse, non propter legem, quæ edicebat opera nihil mandans de fide, tanquam illam perfecisset gentilis absque gratia, & non Iudæus, cum æquè essent & Iudęi sub peccato, nec possent facere legem: sed gloriatio Iudæi exclusa iam erat per ipsam legem fidei, quæ non ad eos tantùm pertinebat, verumetiam ad gentiles, & potens erat ipsa facere vt perficeretur, vt propterea dixerit Apostolus: In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur. Et alibi aliis verbis idem Apostolus dixit: Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mãdatorum Dei. Hæc ergo perfectior de Christo fides, quæ communiter ab Iudæo & à Græco exigitur ad iustificationem, fecit excludi gloriationem Iudæi, qui omnem (quam habebat) gloriam ex lege habebat, ignorans quòd neminem vnquam ad perfectionem adduxit lex illa, cum non daret spiritum in corde. Spiritus autem est qui viuificat, qui non datur nisi ex fide. Ergo lex fidei, quæ etiã lex spiritus, & lex charitatis, & perfectæ libertatis dicitur, quæ complectitur eloquia Dei salutaria, & nõ lex operum (tametsi etiam essent eius legis præuaricatores Iudęi) excludit gloriationem Iudæorum: quia lex fidei infunditur, & sculpitur in corde: lex operum manet in tabulis lapideis. Ideo lex fidei facit opera per dilectionẽ, quæ res implet iustitiam, & facit hominem Deo gratum, & dignum vita æterna. Hoc autẽ impossibile fuit legi operũ. Non enim spiritus viuificans, & potentiam donans ad operandum, ex lege Moseos accipiebatur, quæ solùm carnali populo præcipiebat opera, sed ex lege fidei, vt meritò dicatur lex spiritus vitæ: quia per eum spiritũ oritur virtus ad operandum. Lex enim operum, quę in tabulis lapideis extrinsecus scripta est, non immutabat hominem natura corruptũ, & ideo non operabatur quicquã boni in eo, sed magis exulcerabat vulnus: & eatenus operabãtur qui sub lege erant, quatenus habebant virgã incutientem timorem: & quatenus continebat promissiones bonorum temporalium, aut minas pœnarum. Vnde quæcunque opera ex lege proficiscebantur, inueniebãtur vestita dilectione propria, & sine dilectione Dei. Quamobrem habebãt fortè aliquid gloriæ, sed coram hominibus. At coram Deo, erãt velut pannus menstruatæ: quia debita pietate carebant, & debita iustitia, quæ ex charitate sola est, vt sit meritò acceptabilis coram Deo. Hoc igitur in loco impegerunt Iudæi, quia viribus propriis quę-

Nota verã intelligentiam legis operũ, & legis fidei.

Gal. 5.

1. Cor. 7.

siuerunt iustitiam, & non inuenerũt portam iustitiæ, quæ est fides, per quam ingredimur in Christũ omnes. Ideo exclusa est maxima eorum gloriatio: imò maxima confusione aspersi sunt. Superati enim sunt à Gentibus hac parte: quia promptiores fuerunt ad fidem, quòd tamen minus debuit esse. Vnde Dominus Cẽturionem illum admiratus, dixit: Non inueni tãtam fidem in Israel. Et ad Cananæam: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Concludit ergo Apostolus, & ait:

Gẽtes promptitudine fidei Iudæos anteuerterũt.

Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis. De primo ingressu in Christum manifestè loquitur, qui est per primã gratiam, qua conciliamur Deo, & renascimur. Hæc gratia, quæ donum Dei eximium est & supernaturale, nõ potest quouis modo operibus vllis tribui, non solùm illis quæ lux naturæ indicabat, sed neque illis, quæ iussit Deus per Mosen. Nec distinguendum est, vt dicamus hic solùm de cęrimonialibus loqui Apostolum, vt quidam volunt. Loquitur enim & de moralibus, imò de illis maximè, vt rectè docet B. Augustinus: quoniã opera legis etiam moralia, non sunt via ad iustificationem primam, sed humilitas fidei. Per hãc enim intramus in portam iustitiæ, quæ est Christus, vt insiti in eo per spiritum, operari possimus, & operemur. Non ergo ait, quòd iam fide suscepta, & per fidem accepto dono spiritus, hoc est, gratia & iustitia, non sit postmodo operandum, & non sint facienda opera, quæ lex mandabat, vt impleatur fides ad iustificationem perfectam (vt ait Frater Domini) cui debetur salus & vita æterna. Hoc, inquam, nullibi dixit Apostolus, aut vlla scriptura; quod tamen nunc hæretici blatterant. Est enim falsum, erroneũ, & improbabilissimum dogma, cui refragatur vniuersa scriptura. Nam lex fidei iubet opera, sed opera fidei, non opera legis, id est, iubet opera iustitiæ Dei, non opera humanæ iustitiæ. Hæc enim opera (vt sæpe dictum est, & necessariò sæpius adhuc repetendum) fiunt vel timore illius pœnæ, quam lex minatur, vel amore temporalis præmij, quod illa pollicebatur, seu mũdanæ gloriæ. At fidei opera à charitate veniunt, quæ est Spiritusanẽti quædam participatio, & fiunt amore Dei Patris, & Christi Redemptoris nostri, in spe cœlestium bonorum, non autem temporalium. Hæc sępissimè inculcanda veniunt propter hæreticos. Siquidem & ipsemet Apostolus crebrò repetit, animaduertẽs magnam in his (cum rectè intelliguntur) & fructuosam doctrinam consistere. Ob eam ergo rationem distinxit B. Paulus legem fidei à lege operum, per has notas, *fidei*; &; *operum*, non quia in vtraque lege non similiter edicantur opera, sed quia per vtranque legem non similiter fiebant opera. Nam lex operum, vt Beatus Augustinus declarat, dictabat tantùm, & mandabat ea fieri. Lex autem fidei etiam impetrabat vt fierent. Lex operum præmissa erat, vt indicaretur homini morbus suus, & experto cognosceret quòd non poterat ea facere (vt oportebat) dignè Deo, quia infirmus. Lex fidei venit, vt agnita infirmitate, homo conuerteret se ad medicũ & medelam, & sic sanaretur per fidem: quia per eam venit charitas desuper (vt diximus) sanans, & robur habens ad operandum, sicut oportet, amore Dei, vt sit verum Domini dictum. Credẽti, omnia sunt

Nota.

Quæ differentia inter opera fidei, & opera legis: & legem operum, & legem fidei.

possibilia. Quòd verò dixerat, *arbitramur*, notandũ est, quòd eo verbo autoritatẽ apostolicam indicabat, & in ea sententiam suam statuebat. Erat enim Apostolus Christi, cui tenebãtur credere propter ingẽtia signa ac testimonia Apostolatus sui in virtutibus, & prodigiis. Nec enim se solũ adducit, sed etiam coapostolos, qui erant eius sententiæ, dicẽs: Arbitramur, ac si expressius dixerit: Non ego arbitror, vt priuatus homo, sed vt Apostolus edoctus à Deo. Non sum enim solus, sed alij idem docẽt. Noluit tamen propter duriores, hoc dictum carere rationibus, & argumentis: adiunxit ergo,

Nunquid Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentiũ? Imò & Gentium: quoniam quidem vnus est Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Probat quòd non est iustificatio ex lege, sed ex fide: quia lex ad solos Iudæos pertinebat, & sic illis solis Dominus Deus salutem procurasset. Et sic Iudæorũ tantùm esset Deus, & non Gentium: quod est manifestè falsum, cum æquè crearit omnes, & misit redẽptionem pro omnibus. Nec hîc dicat aliquis, Gentes potuisse iustificari per legem naturæ inditam menti. Nam hoc Iudæi non admittebant, contra quos disputabat B. Paulus: imò volebãt solà illa lege, quæ cõplectebatur etiam cærimonias, fieri iustificationem & sine obseruatione cærimoniarum non esse iustificationem, & ideo excludi Gentes ab illa. At quænam, rogo, fuisset Dei prouidentia tam coangustata in vnam Gentem solũmodo? cuius tota terra in longitudinem vix ad cẽtum sexaginta miliaria extẽdebatur: in latitudinem autem ab Ioppe ad Beth-leem vsque, ad quadraginta sex, cui & eremus eorum barbarorum, qui Barcæi dicebantur, vastissima iũgebatur, vt testatur B. Hieronymus. Cum igitur Deus non Iudæorum tãtum esset Deus, sed etiam Gentiũ: Gentibus quoque ad salutẽ prouidere debuit, & sic prouidit: vt sicut est Deus, omnium prorsus ipse cõditor, ita esset similiter omnium absq; exceptione Redemptor. Vnus igitur existens Iudæorũ Deus pariter & Gentium, & nõ plures dij ac diuersi, vnus nimirũ Iudæorum, & alter Gentiũ, sed vnus omnium, ipse idem volẽs salutem omnium (quemadmodum par & æqualis omnium conditio deposcebat) *iustificat circumcisionem*, i. circumcisos, ex fide, nempe explicita de Christo. Quædam enim de Christo fides circuncisionẽ præcedebat, cum illa esset fidei signaculum. Addit, *& præputium per fidem*, quæ similiter erat de Christo. Itaque cum primùm quis credit, circunciditur spiritu, & desinit esse præputium: & sic præputium præcedit fidem, & iustificatur ex fide solùm, seu per fidem aduenientem. Circuncisio autem fidem aliquam sequebatur: vnde Dominus de illa dixit, quòd non erat ex Mose, sed ex patribus: quia Abrahæ data fuit, qui multos ante Mosen annos fuerat, ac si expressè dixerit, quòd ex fide erat, nimirũ data Abrahæ iam fideli, & de fide commendato. Lex autem Moseos non erat ex fide. Nõ enim habebat æternorum bonorum promissionem. Fides verò est sperandarum substantia rerum. At quæ sperantur, æterna sunt. Cum igitur lex non esset ex fide, videlicet Christi, quę habet promissiones ęternas, ideo non poterat coram Deo iustificare. Abraham autem ex fide æternorum iustificatus est, cum illi sit dictum. Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Hoc argumento vtitur Apostolus ad Gal. vbi ait; Legem non esse ex fide. Non sum nescius alibi Apostolum (vt rectè notat B. Augustinus) vti huiusmodi particulis; ex fide, &; per fidem; in eum sensum, vt dixerit Gentes ex fide, & Iudęos per fidem iustificari. Sequitur:

Magna ratio pro misericordia Dei in omnem hominem.

Ioan. 7.

B. Aug. de spi. & lit. cap. 29.

Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus. Poterat videri indoctis, & malè Apostolica verba interpretãtibus (vt hæretici faciunt) quòd per eius doctrinam, quæ adeo fidem commendabat, & legem operũ deprimebat, destrueretur lex Dei, quæ iubebat ea quæ erant sancta, & secũdum spiritum Dei: ita vt si hęc non fierẽt, sed solummodo crederetur Deo, saluus fieret homo. Sed non ita est. Tantum enim abest (ait) vt destruamus diuinam legem per fidem, vt etiã statuamus eam. Dominus quoque eandem sententiam dixit, cum ait: Non veni soluere legem, sed adimplere: quoniam zelus Iudæorum erat pro lege. Et viri inuidiosi & maligni captabãt hinc ex industria occasionem ad mouendum in Christũ rudis plebis animos & furorem. Nam & hoc mouerunt in B. Stephanum: idem in B. Paulum. Verùm quoniam hoc longiore indiget declaratione, & in hoc articulo magna cõtinetur doctrina, diligenter animaduertere debet prudens lector. Primùm circa ipsam legem de renore eius, vt videamus vtrum destruatur, an verò potius statuatur, ac impleatur per Christum, & euangelium, & fidem eius.

Matth. 5.

Tota ergo lex illa duo faciebat, nempè, prophetabat, & imperabat. Vnde Dominus de lege inquit: Prophetę & lex vsque ad Ioannẽ prophetauerunt. Sũma autem totius legis hæc erat. Audi Israel: Dominus Deus noster. Deus vnus est. &: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente, & fortitudine tua; & proximum tuum sicut teipsum. Nam ad hoc mandatum perficiẽdum, tendit quodcunque scriptum fuit in lege, & à prophetis. Quapropter Dominus hoc nos docens, ait: In his duobus mãdatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Et apud B. Marcum legimus, ipsum Dominum post præmissam doctrinam vnius Dei & sanctæ Trinitatis, hæc duo præcepta commẽdasse. Primum videlicet, quod est dilectio Dei: & huic proximũ, quod est dilectio proximi. Scriba quidem probans doctrinam hanc, respondit: Magister, bene in veritate dixisti: quia vnus est Deus, & non est aliud præter eum, & vt diligatur ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximũ suum, sicut seipsum, magis est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis: hæc Scriba. Et subdit euangelista: Iesus autem videns quòd bene respõdisset, dixit: Non longe es à regno Dei. Et nemo audebat eum amplius interrogare: hæc B. Marcus. Quare autem non audebãt eum amplius interrogare: nisi quia videbãt, quòd manifestè probabat legem, & non destruebat, sed sua etiam doctrina statuebat eam, vt non possent quicquam aduersus eum causari.

Attende lector hanc doctrinam, quomodo lex non destruitur sed statuitur per fidem.

Marc. 12.

Summa autẽ eius quod prophetabat lex, erat ipse Christus, cui prophetiæ erat adiunctũ mandatũ, vt ipsum auditẽt. Sic enim legimus dictum illi populo à Mose. Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo

Prophetiæ legis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Oreb,quando concio congregata est,& dixisti. Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei , & ignem hunc maximũ non amplius videbo,ne moriar.Et ait Dominꝰ:Bene omnia loquuti sunt. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tibi,& ponã verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius,quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit,ego vltor existã.Hæc est summa prophetici sermonis ipsius legis:quam vtinam miseri Iudæi vellent capere,aut possent.

Discutiamus ergo nunc singula:& videamus primùm,nunquid Christus destruxerit legem,quoad doctrinam propheticã de vnitate & trinitate Dei, quæ illis verbis probabatur,vt alibi latius declaratum est,& nunc sumo pro explorato atque cõperto.Et certè Dominus hanc ipsam doctrinam stabiliuit,ostendens se esse Deum cum Patre & Spiritu sancto,& Deum esse vnum,habẽtem de omnibus curam:& ideo non esse tantum Iudęorũ,sed etiam Gentium.Vnde declarauit,se non missum pro salute illius populi tantum,sed pro salute omnium:primò tamen pro salute illius populi.Quare hæc doctrina legis non destruebatur per Christũ, sed confirmabatur, declarabatur, & opere complebatur. Quocirca cùm putabant Iudæi ad se tantùm pertinere salutem,& non extendi ad omnes Gẽtes, error erat,inuidia erat,contra doctrinam legis erat. Quapropter in Isaia Pater introducitur sic ad Filium loquens.Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: dedi te in lucem Gẽtium,vt sis salus mea vsque ad fines terræ.Non tunc ergo destruitur lex, sed statuitur,cum salus(iuxta legis doctrinam) extẽditur ad omnes fines terræ.Et cũ per prophetas prænunciasset etiam legem ipsam cessaturam,& nouo testaméto per Christum subintrãti locum daturam, non hoc fuit destruere legem,sed veracem illã reddere,& implere.Sic enim per Ieremiam scriptum erat.Ecce dies veniunt,dicit Dominus,& consummabo super domum Israel,&c.

Isa.49.

Ieremi.31.

Institiones legis.

Sed nunc de summa eius, quod imperabat lex, videamus,Nunquid Dominus destruxerit, an verò potius eam statuerit,atque impleuerit. Legislator enim duobus modis statuit legẽ: Primùm quidem facto & exẽplo:Secundo autem dicto ac iussu.Et circa primum haud dubium,quòd Dominus factus sub lege,per omnia legem seruauit:quia nõ est inuentus dolus in ore eius . Vnde ipse aiebat: Quis ex vobis arguet me de peccato ? Et iterum: Quia quæ Dei placita sunt facio semper. De secundo autem etiam patet:quoniam ipse interrogatus: Quid faciendo,vitam ęternam possidebo?in hunc modum respondit:In lege quid scriptum est?quomodo legis?Et cum ille respondisset : Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex omnibus viribus tuis,& ex tota mẽte tua,& proximũ tuum sicut teipsum,dixit ei Dominus:Hoc fac,& viues. Ecce quomodo non destruit,sed confirmat legem & statuit.Primùm quidem exemplo,deinde verbo:propterea,quia quòd dictum erat prius per famulum Mosen,nunc dicitur per ipsum Dominum ore suo proprio . Moses enim famulus erat, tametsi fidelis in domo. Iesus autem filius patrisfamilias , & Dominus domus: quia & ipse cum Patre suo fabricauit eam . Quare firmius oportet esse verbum per os Filij & Domini annunciatum,quam per os famuli . Et ideo lex non destruitur,sed statuitur Christi verbo.

Ioan.8.

Quoad summam verò legis,quæ est mandatum dilectionis,tãtùm abest vt destruatur lex, vt etiam omni ex parte maximè roboretur , ac stabiliatur. Et primò quidem circa mãdatum dilectionis Dei considerandum est,per Christum nos ad hoc perficiendum latius atque intensius obligari.Cum enim charitatis nostræ ratio sit charitas Dei , vt ait Dilectus:In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum,sed quia ipse prior dilexit nos:charitas autem Dei erga nos à beneficiis eius metienda sit,& in ipso Christo iam nobis explicato atq; extenso in cruce , comperta sit illa charitas omnino immensa,& nulli comparãda dilectioni: quia misit Filium suum propitiatorẽ pro peccatis nostris. Cum hæc inquã, ita sese habeant,roboratur profecto maxime & perficitur hoc charitatis præceptũ, quoad ipsum Christum,in quo exercuit Pater summũ charitatis suæ,quꝰ dedit nobis Filium dilectionis suæ,vt suis vulneribus nostra vulnera sanarentur,sua morte restitueremur in vitam:& (vt ait Dilectus) in hoc apparuit charitas Dei in nobis. Ob eam causam tantò nunc amplius charitatis erga se à nobis exigit:& sic perficitur lex quantum ad hoc primum & maximum mandatum pertinet . Perficitur autem ad summum per ipsum Christum, qui mandatum Patris expleuit in cruce, animam reddens pro nobis.

1.Ioan.4.

Adhæc lex ista,quoad mandatum de proximi dilectione,perfectionẽ accepit. Nam & illud etiam magis confirmatum est,& declaratum , & impletum:quoniam Iudęi ex lege Moseos,vt Moseos erat,non cognoscebant vllum sibi proximum, nisi esset illius gentis Iudaicę. Vnde Dominus hoc præceptum quatenus à Deo datum est , & facit ad regnum cœleste,volẽs extẽdere,dixit:Audistis quod dictum est:Diliges proximum tuum,& odio habebis inimicum tuum.Ego autem dico vobis:Diligite inimicos vestros,&c.Hoc enim per Iesu Christi mortem & passionem factum est , vt inimici nostri in illo constituti sint proximi nostri:quoniam pro illis passus est Christus.Passus est enim pro omnibus,cum omnes inimici essemus.Præterea illum scribam, qui volens iustificare se ipsum rogauit:Quis est meus proximus?eleganti & admirabili quadam parabola docuit ipsemet Christus,se esse omnium hominum proximum,& consequẽter omnes nos inuicem proximos , in quibus ipse est aliquo modo, siue per dilectionẽ , siue per fidem. Denique per hoc quòd est paratus omnibus in salutem , facti sunt nobis proximi omnes homines: & hoc fuit legem statuere , & legem implere suo exemplo & facto.Siquidem in ipso lex ipsa perfecta conspicitur: & secũdum quod ipse fecit nobis, etiam vt nos inuicem faciamus,mandat,quod est, vt(si sit opus)ponamus animam nostram pro mutua salute.Hoc est,inquit,mandatum meum,vt diligatis inuicem,sicut dilexi vos.

Ioan.15.

Ad hæc.Quicquid aliud erat mandatum in lege, erat quodammodo accessoriũ ad eorum duorum mandatorum principalium obseruantiam . Vnde patet in huiusmodi, à Domini decretis superari

decreta legis:quoniam Dominus ea præcipit, quæ maxime faciunt ad perfectam Dei & proximi dilectionem. Scimus enim, nos à Deo tantò magis disiungi charitate,quantò arctius cum istis inferioribus coniungimur. Sunt autem tria natura , quæ nos à Deo vehementer sciungunt, quia non sunt à Patre,sed à mundo,& à peccato , nimirum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.Ad tria autem hæc mitigãda & restinguenda, multò magis incomparabiliter cõducunt noua Christi siue concilia,siue præcepta,quàm illa vetera Moseos.Ecce quantum attinet ad concupiscentiam carnis , audiuimus ab eo vocem nunquam in ea veteri lege expressam. Beati qui lugẽt: quoniam ipsi consolabuntur.Luctus enim concupiscentiæ carnis aduersus est.Et alibi : Sunt eunuchi,qui se castrauerunt propter regnum Dei.In ea verò lege dictum erat. Non erit infœcunda & sterilis in terra tua:& quòd in gaudio & lætitia, & in rerum tẽporalium abundantia seruirent Domino Deo ipsorum.Et circa concupiscẽtiam oculorum Dominus intonuit: Beati pauperes, siue mendici, spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. &:Si vis perfectus esse , vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Illis autem dictum fuit. Omnino mẽdicus & indigens non erit inter vos. Et circa superbiã vitæ, inimicorum persequutio & vindicta mãdabatur. Oculum pro oculo,dentem pro dente. Dominus autem ait nobis:Si quis te percusserit in vnam maxillã,porrige ei & alteram. &: Quicunque te angariauerit mille passus,vade cum eo duo millia.Mittimus autem nonnulla,quę licenter Iudæi sibi vendicabant in illa lege:vt erat vxorum pluralitas, & diuortia, & cõcubinatus,& alia multa,quæ in lege perfecta debuerunt vetari,nec vllo modo permitti.

Matth.5.

Ibid.c.19.

Exod.23.

Matth.5.

Ibid.c.19.

Deut.15.

Exod.21.

Matth.5.

Verùm illud potissimum considerandum,quomodo lex maximè per Christum impleta fuit.Ecce cum lex illa esset spiritualis,& præciperet carni, id est, homini (in quo erat dominatus peccati & carnis) ea quæ sunt spiritualia,impossibile homini reddebatur implere illã:quia illa lex non imprimebatur in cordibus.At lex fidei,quæ est charitas,infusa est cordibus per Spiritum sanctũ,& ideo reddit mandatum non solùm possibile homini,sed etiam facile:quicquid dicãt hæretici, qui fingunt laborem in præcepto, & crudelitatem atque iniustitiam ponunt in Deo, quasi in lege gratiæ præcepserit impossibilia,vt misericorditer condonaret peccata.At nos id, quod maximè pertinet ad laudem diuinæ gratiæ,& ad gloriam Dei,asserimus , quòd ille regenerauit nos in spe viua, & sic fortes reddidit vt possemus nobis comparare salutem: in quo magna est medici gloria.Finis enim legis erat charitas,quam ipsa lex præstare non poterat.

Quomodo lex potest impleri,cuius mãdata Christiana nõ sunt grauia.

Cum ergo data sit nobis charitas, necesse est credere non frustra datam esse:esset autem frustra, si legem non posset implere,ac per hoc odium Dei potius parere,& Christus hoc pacto sic peccati minister,sicut erat lex,vt oporteat quæ destruximus, iterum ædificare:quod vt est absurdũ dictu , ita & summopere detestandum. Hoc enim vehementer detestatur Apostolus ad Gal . Igitur cum verè lex fidei præstet,quod lex illa nõ poterat, hoc non est aliud,quàm stabilire atque implere legem:quia illud maximum,quod illi legi deerat,supplet, videlicet,vt posset impleri, quemadmodũ iam superius dictum est,& sæpius dicetur inferius propter hæreticos . Nam lex illa morbum tantum ostendebat, & indicabat medelam . Fidei autẽ lex etiam sanat à morbo,afferens secum medicinam.

Verùm dicet quis:Et si videam legem(quantum attinet ad moralia præcepta) non solùm non destrui,sed statui atque impleri:quantum tamen attinet ad cærimonias & iudicia,solui videtur atq; destrui.Nec tamen est verum. Nam quum quid decretum est ad tempus & cautũ , post illud tempus magis cessare dicẽdum est,quàm destrui.Et quum loco eius quod cessat, aliquid melius substituitur, non tam dicitur solui, quàm impleri . Quam rem vt exemplis ostendamus,illud sciendum,cærimonialia præcepta esse propter obseruantiam moralium cõdita, & propter illa prima dilectionis mandata:nam fundamẽtum in eis habent . Quia enim diligendus est Deus,ideo & colẽdus debito cultu. Exigit autem ratio,vt in colendo obseruentur modi peculiares,quales sunt personæ,loca, & tẽpora, & res siue instrumenta ad cultum apta:quę omnia debent à prophanis esse remota.Quamobrem,cærimoniæ semper, ratione ipsa docente , multis de causis existimatę sunt ab omnibus sapientibus necessariæ.Nunc autem si quæramus:Sit ne lex soluta circa cærimonias?possumus respõdere:Si consideremus cærimonias in genere & non in particulari aut has,aut illas,manifestũ est, legem Moseos non esse solutam per legem fidei: quoniã lex fidei non respuit cærimonias,imò admittit , imò etiam præcipit per euangelium,partim per id quod cum esset iam adulta ecclesia , Christus hoc negocium tradẽdi cærimonias commisit summo Prætiuli.Vnde multa de his ab Apostolis per traditiones accepimus,& postmodo à successoribus proditæ sunt. Patefactis enim misteriis , & instructa melius ecclesia,facilius fuit inuenire aptas cultui diuino cærimonias secundum tempus.Nam & Spiritus sanctus iuxta promissa Christi, illuminat , & assiduè suggerit ecclesiæ suæ,quæ conueniant & necessaria sint.Quare non soluitur lex circa cęrimonias,si cærimoniæ in genere considerentur.

De cærimonis legis quomodo non destruantur.

Si verò considerentur cærimoniæ,& earum rationes in illis certis & particularibus cærimoniis, neque sic(si propriè loqui volumus)destructã esse legem dicemus, sed impletam potius. Nam multas & duras admodum fuisse cærimonias illas,quibus ille populus grauabatur, illud erat in causa, vt per eas,cum adhuc puer esset , quasi quibusdã vinculis contineretur , ne se ad lasciuos , & nefandos Gentium ritus cõuertteret & ad idolorum culturã. Quæ ratio cùm cessauerit aduenente illo,qui disrupit imperium Diaboli,& ad eius lucem tenebrę euanuerunt,non mirum si cessauit etiam illã tanta cærimoniarũ multitudo, tanquam reddita inutilis illi populo eo tempore,qui iam creuerat,& à puericia excesserat,nec indigebat vinculis illis & pedagogo,vt contineretur in officio, cũ apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei . Nã & vsque ad tẽpus illud datæ sunt,vt B.Paulus ad Gal. eleganter declarat.Itaque cùm venit signatum,cessasse potꝰ illas, quàm destructas esse,dicendũ est. Quinimo paulò adhuc subtilius cõsiderantes, etiã

Galat.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

impletam fuisse legem, quoad hæc, asserimus: quoniam loco seruitutis, libertas accessit: & loco duritiæ, lenitas. Sicut aduenientе perfecto doctore, & facto docili discipulo, qui iam adoleuit, cessare debet duritia pedagogi, & virga eius. Legis enim perfectio in libertate est, non in seruitute, scilicet cum nostra sponte aptamur disciplinæ, non autē quum potius metu & formidine. Adde quòd spiritus à multitudine cærimoniarū obruitur potius, quàm iuuatur.

Adhæc, illæ cærimoniæ (inquantum tales erant) significationem quandam habebāt ad doctrinam spiritualem de Christo. Nam hæc est principalissima cærimoniarum vtilitas, videlicet significatio. Significatio autem illa erat futurorū, quæ de Christo promissa erant, ita vt omnes illæ cærimoniæ figuræ essent Christi venturi. Veritate igitur aduenientе, quæ erat Christus, debuerunt omnino cessare. Nam figura debet cedere veritati: ac per hoc non destruitur lex, sed impletur ipsa quidem. Et quod in ea reperitur vacare, non destruitur, sed cessat. Adde, si quæ significabant, vēturum Christum cærimoniæ, adhuc mansissent in obseruantia, manifestum mendacium (quod præsertim in cultu Dei abominandum est) continerent. Et ideo cessauerunt suapte sponte, & non sunt solutæ, aut destructę: imò per hoc lex impleta rectè dicitur, cum quod promissum fuit à Deo, exhibitum est. Qui enim fidei legem habet impressam in corde: iam Christū ipsum venisse, & vigere in semetipso sentit, & dicere potest cum Apostolo: Viuo ego, iam non ego; viuit autem in me Christus. Non igitur oportet eum, qui iam rem tenet, respicere ad figuram, quæ enunciat quod promissum est: neque vmbram sequi, qui tenet corpus. Et hæc quoad cærimonias attinet.

De iudiciis legis quomodo non destruantur.

De iudiciis autem, quoniam illa iudicia magis respiciebant negocia secularia, & vnum illum Iudęorum populum, vt metu iudiciorum, & promissione terrenorum bonorum abstinerent ab iniuria in proximum, & seruarent pacta inuicem, vt & illa eorum respub. saluaretur, cum dominante peccato nulla congregatio possit diutius stare absque iudiciis, Ratio manifesta est, cur debuerit cessare iudicia. Lex enim perfecta amoris non indiget iudiciis, si modo seruetur. Quod autem seruari valeat, iam datum est ipsa vi legis, quæ est ipsamet charitas. Si verò dixeris: Inueniuntur non pauci, qui excidunt à charitate. Verum est hoc quidem: sed hîc prouisum est per charitatem, & correctionem fraternam vsq; ad iudicium excōmunicationis. Hoc non satis esse asseuerabis: quia adhuc debacchātur homines, si eis impunè liceat peccare. Respondetur, à lege ista charitati dimitti eos, qui huiusmodi sunt, ad iudicia secularia. Nam indignum erat, legem Dei, quæ habebat suum finem vitā æternam, & quæ non vni populo, sed orbi dabatur vniuerso, tractare de secularibus, & vniformiter sub vnius Gentis legibus astringere omnes Gētes. Hoc certè neque ex dignitate legis erat, neque ex prudentia legislatoris. Deus igitur qui dedit per Mosen iudicia illi genti, succurrit eo tempore eorū imperitiæ & ignorātiæ, qui nesciuissent se regere, neque valuissent sine iudiciis durare. At cum mūdus cœpit magis sapere, & per Christi lucem facti sunt homines longe prudentiores, hoc negotium statuendi moderādiue iudicia terrena reiecit in illos, & illa etiā sua doctrina probauit. Vnde dixit: Quæ sunt Cæsaris Cæsari. Et cuidam dicenti: Magister dic fratri, vt mecum diuidat hæreditatem, respondit: O homo quis me constituit arbitrum inter vos? Et adulteram nō liberauit, nisi per æquitatem legis. Non enim dixit, lapidibus illam non esse obruendam, sed confirmauit hoc quidem illam mereri, quod erat legis, iniquum tamen esse, vt peccatrix à peccatoribus lapidaretur, & ab iis qui longè magis erant legis præuaricatores. Absonum enim erat, vt tales in alios legis seueritatem exercerent. Lex ergo Dei viuentis, & fidei, non habet iudicia in hoc tēpore, sed seruantur in futuro, quando veniet cōsummatio seculi: licet quilibet cum ex hoc seculo eripitur, sentiat particulare iudicium ex parte, & iam noscat certò futurum. Et in hac lege, eiusque iudiciis verè implentur iudicia huius seculi, quæ sunt sæpenumero falsa, certè semper imperfecta. Falsa, inquam, quia sæpe homines falluntur in iudicando, qui ea tantum respiciunt quæ apparent: non autem respiciunt neque intueri valent secreta cordis. Et sæpè insuper fallunt: quia etiā non nunquam se corrumpi sinunt vel muneribus, vel gratia, vel acceptione personarum, vel odio, aut quauis alia de causa. Ideò lex fidei suo iudicio emēdabat cuncta falsa iudicia. Dixi item imperfecta illa iudicia, etiam si vera fuerint: quoniā nec est punitio, nec remuneratio pro meritis. Nam peccatū quod est contra Dei maiestatem, & ipsius charitatis pręceptum, non satis punitur ab homine in hac vita, cum sit dignum æterno ignis supplicio. Ideo suppletur iudicium per legem fidei, & sic perficitur lex, quod attinet etiam ad iudicia. Mitto, fuisse in illis iudiciis similiter significationē futuri, quæ aduenientе veritate cessare debuit. Sed hęc de figuris cōsideratio, ad illud legis officium pertinebat, quod debuit prophetare de Christo. Nam tota lex & in doctrina, & pręceptis, & in rerum gestis, erat prophetia futuri status, qui erat creandus per Christum, & sub illo. Nam omnia in figuris contingebant illis, vt ait Apostolus.

Luc. 12.

Ioan. 8.

Summa doctrinæ, q̄ lex non destruitur, sed perficitur per fidem.

Quocirca (vt in vniuersum colligamus) concludimus, quòd ex omni parte per Christum lex illa Dei statuebatur, & implebatur, cum quæ lex in obscuro docebat, patefacta sunt in cōspicuo. Et cum illud quod à patrefam. edicebatur per famulum, edictum est postmodo per filium & dominum domus. Et cum quod edictum fuit vni populo, edicitur vniuerso mundo. Et cum ipsa lex, quę scripta erat in tabulis, non dans efficaciam qua perfici posset, scribitur in cordibus, vt valeat impleri: vt quod timore fortasse (& vix) fiebat, possit amore fieri. Et quod amore terrenorum, amore cœlestiū. Et cum multa imperfecta quæ tolerabantur, & conniuentia quadam Dei licebant, nec imputabātur, emendata sunt. Et cum quę ad perfectionem dilectionis faciunt, sunt introducta, & cum quæ erant seruilis status sublata sunt, & quæ libertati conueniunt, restituta. Denique cum quæ promissa erant, exhibita sunt: & quæ significata figuris, ipsa præsente veritate conspicua facta sunt. Vt sic famulus cedat filio & Domino, & orbis particula vniuerso, & impotentia potētiæ, & perfecto imperfectum, timor

amori, terrena cœlestibus, seruitus liberati, figura denique veritati, & vmbra corpori. Quid amplius obsecro te acute lector, desideras? Error autem hæreticorum vbique in hoc deprehenditur, qui nunquam discernunt legem à lege, opera ab operibus, iustificationem à iustificatione: quam tamen discretionem necessariò varij status admittūt: de quibus etiam passim dicetur.

Hæreticorū propriū nihil distinguere, sed permiscere omnia.

CAP. IIII.

QVID ergo dicemus inuenisse Abraham patrē nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei: sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati, quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? In circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam: & sit pater circuncisionis, non iis tantùm qui sunt ex circuncisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

QVID ergo dicemus, &c. Exclusa gloriatione Iudæorum, quam à lege & Moise sibi arrogabant, qua sibi solis viam iustificationis vendicabant, nunc eam quoque molitur Apostolus excludere, quæ ab Abraham veniebat, qui eorum pater dicebatur, & meruit accipere circuncisionem ac benedictionem sibi, ac semini suo. Ait igitur: Si exclusa est gloriatio Iudæorum, vt non præcedant Gentes, quid ergo inuenit pater noster Abram secundum carnem, id est, qui fuit pater noster secundum carnem: Aut, Quid inuenit secundum carnē: id est, peculiariter pro suis filiis, sua iustitia & circuncisione & obedientia? Respondet ergo Apostolus, eo supposito, quòd Abraham propositus fuit quasi typus & exemplum iustificationis, vt in de in cæteris ratio iustificationis acciperetur. Ait ergo subtilissimè respondens: *si enim ex operibus, &c.* Manifestè loquitur de initio iustificationis Abrahæ, & primùm excludit viam, quam humana superbia sibi præsumit, vnde putabatur venire prima iustificatio, qua ex iniusto fit quis iustus, nimirum ab operibus, negans Abraham ab operibus iustificatum fuisse coram Deo, licet coram hominibus fortè propter aliqua speciosa opera iustus fuerit habitus.

Est igitur iustitia humana, & iustitia Dei. Illa ex humanis viribus est, & est tanquam pannus menstruatæ: hæc ex Dei dono desuper, quæ infunditur & donatur gratis, quam nemo potest sibi vllis operibus ac meritis comparare. Quòd igitur nō fuerit Abrahā ex operibus iustificatus, probat à scriptura, quæ ait? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Sensus scripturæ est, quòd illa fides, qua credidit Abraham Deo dicenti sibi: Egredere de terra tua, &c. &: Ego protector tuus, & merces multa nimis. Illa inquam, fides, non autem præcedentia vlla bona opera, fecit vt Abrahā acciperet donum iustitiæ à Deo, quo esset verè iustus coram eo, & operari posset iustitiam. Nec illud fecit fides, quasi illud ipsa mereretur: sed reputata est ei illa fides, id est, acceptata à Deo gratiosè ad iustitiam, hoc est, ad hunc effectum, vt iustitiæ donum consequeretur. Vis autem argumenti in hoc est: Homo qui suis operibus meretur, non indiget vt reputetur ei quicquam gratiosè, ad id consequēdum quod meruit. Abræ autem illa fides ex gratia reputata est in hunc finem. Ergo non ex operibus meritoriè iustificatus, sed ex fide gratiosè: & hoc est quod ait: *Ei autem qui operatur, &c.* ac si dixerit. Hęc est rei natura, vt homini operanti, ex debito reddatur merces, non autē imputetur ex gratia. At illa Abræ fides imputata est ei ex gratia: non ergo ex debito, & consequenter non ex operibus. Vnde ait:

Iustitia duplex humana, & diuina.

Gen. 15.

Nota vim argumēti, pro imputatione iustitiæ.

Et autem qui non operatur, id est, qui nō habet opera meritoria: aut cuius opera non considerantur ad meritum, *credenti autem in eum qui iustificat impium*, hic est Deus, qui iustificat impiū, & hoc absque meritis: quia impius non habet merita, *imputatur fides eius ad iustitiam*, id est, illa ipsius impij fides acceptatur à Deo quasi opus iusti, & promerētis illam verā iustitiam, qua verè iustificetur: cum reuera fides illa nō sit iusti opus, ac propterea nec promerentis quicquam. Ideo dicit, imputari, quasi sit iusti, *secundum propositum gratiæ Dei*, seu beneplacitum, hoc est, ex gratia, quæ ex beneplacito Dei venit, non ex merito: quoniam illa fides non est opus meritorium, cum sit adhuc hominis impij. Si autem iam iustificatus quis fuerit, etiā actus fidei, qui ex iustitia & charitate postmodo procedunt, sunt meritorij, vt propter eos augeatur iustita: quemadmodum Beatus Augustinus, & omnes theologi docent. Quod ergo dicit hîc, *credenti in eum*, non sic accipitur, tanquam ille actus fidei ex charitate infusa descenderit. Non enim sic semper intelligimus in scripturis, vt patet de principibus qui dicuntur & ipsi credidisse in Christum: & tamen non cōfitebantur, diligentes magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Quod autem dicit de imputatione ex gratia, & non ex debito, probat ex psalmo Dauidis beatificantis hominem, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, id

Ioan. 12.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,à quo posset Dominus exigere iustitiã, quam tenebatur habere,& tamen non exigit, sed accepto fert,dimittens illi peccatum, & ideo perinde ac si non peccasset, non imputat ei quòd non habeat illam iustitiam, cuius erat debitor (sicut & omnes debitores eramus) & propterea iustificat eumgratis superna iustitia indignum,quasi dignũ. Et hæc est vna hominis beatitudo.id est, vnus modus,quo beatur homo in spe tamen,non in re .Et ponit verba psalmi:

Nota pro intelligentia verborum psalmi.

*Beati quorum remissæ sunt iniquitates,&c.*Beatitudinum duo genera inducit ex Propheta Apostolus vt diuersa.Et primum est, quum remittuntur iniquitates:quo dicto videtur significari gratia, quæ ex pœnitentia & confessione venit ad remissionem peccatorum:quæ peccata sunt præuaricationes,quæ hominem extra Dei gratiam mittunt, vnde iniquitates vocauit Propheta . Propterea Dominus apud Beat.Matth.Vt sciatis,inquit,quia filius hominis habet potestatem remittendi peccata, &cæt.Et apud Ioann . Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis . Et accedit etiam huic beatitudini,quum reguntur peccata, quæ sunt errata minora,per opera charitatis assiduè. Aut etiã (si magis placet) quia in remissione peccatorum, vbi semper culpa remittitur,non remittitur tamen semper pœna,sed manet,nisi per opera satisfactionis,quæ sunt opera charitatis,operiantur, iuxta illud: Charitas operit multitudinem peccatorum. Ideo adiecit:*& quorum tecta sunt peccata.* Hactenus ergo de actualibus peccatis loquutus est, & non ad rem nostram.

Matth.5.

Ioan.20.

Verùm alia est beatitudo, qua homo beatur in hoc,quòd non imputatur ei peccatum. Et hoc proculdubiò de originali intelligitur, quod simpliciter in scripturis vocatur peccatum: quia vnum est, quo omnes tenemur . Et hanc beatitudinem ex Propheta affert Apostolus, vt doceat, hominem ab imputatione illius peccati tum liberari atque absolui , cum incipit credere per Christum deletum esse,& hoc acceptat,sibique applicat . Vnde mirificè loquitur ibi Psalmista dicẽs. Beat⁹ homo, siue Adam,id est qui adhuc in Adam est peccator, beatus si fide sua hoc sibi comparet, vt nascatur Deo. Quod ipse idem apostolus declarans ait:

*Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantum manet, an etiam in præputio?*hoc est,Beatitudo ista, qua fides ad iustitiam imputatur,vtrum ad existentes in præputio spectat,an verò ad circuncisos?Et vt determinaret quæstionem & solueret, conuertit se ad typum & exemplum Abrahæ & subdit:

Dicimus enim quia reputata est Abræ fides ad iustitiam,Quomodo ergo reputata est ? id est, in quo statu erat Abraham,quùm illi imputata est fides ad iustitiam?*in circuncisione?*id est,nunquid tunc demum quando fuit circuncisus,vt sic possis aliquid prætendere ob circuncisionem tu,qui ex circuncisione es:*an in præputio?*id est,an tunc, quum existeret adhuc in carne & præputio, nondum factus pater circuncisorum,cum ipsemet non esset circuncisus,vt relinquatur spes iustificationis etiam incircuncisis?Et respondet,negans in circuncisione fidem illi imputatam fuisse ad iustitiam: affirmat autem in præputio. Qui locus maximè iugulat hæreticos,eorumque dictum , quo nolunt imputari peccata post baptismum propter fidem, non aduertentes quòd hæc beatitudo , qua non imputatur peccatum, est propriè de peccato originis, & iis quæ primam iustificationem præcedunt: quæ beatitudo accipitur in præputio,& non post iustificationem, ad quã postmodo pertinet alia beatitudo,qua remittantur iis peccata per claues,& per opera charitatis,qui post primam iustificationem, & acceptam gratiam præuaricati sunt.

In hæreticos.

Præterea notandum, quòd non sufficit impio, vt sic iustificetur per primam iustificationem,nuda fides,sed oportet insuper non esse dolum in spiritu eius,si velit non imputari sibi,id est, oportet vt ingrediatur in pactum bona fide, cum pœnitentia anteactæ vitæ,& animo obtemperandi Deo,& ita permanere,quò sit perpetuò beatus. Ille enim verus est Israelita,in quo dolus non est. Et Dauid dixit:Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo ? Hic est Christus,tabernaculum Dei verum & viuum. Et respondet: Qui ingreditur sine macula , id est, qui fide pura in Christum ingreditur,non habens dolum.Et qui(postquam scilicet ingressus est)operatur iustitiam:quia nihil est damnationis iis , qui sunt in Christo Iesu,qui non secũdum carnem ambulant,sed secundum spiritum . In iis enim dolus non est,& iis prodest hæc beatitudo.Et hoc in hæreticos , qui docent etiam beatos esse qui sunt in peccato,modo credant,cum habeant in seipsis dolum,& non donum Dei.Probat autem eo tempore quo adhuc erat incircuncisus Abram, iustificatum illum fuisse dicens:

Et signum accepit circuncisionis,id est, quia accepit, circuncisionem in signum.Frequẽter (vt superius iã monuimus)in scripturis , *&*, capitur pro;quia, *signaculum iustitiæ fidei,quæ est in præputio* . Græcè, σφραγῖδα,hoc est,vt ipsa circuncisio esset nota quædam illius iustitiæ,quam ex fide acceperat. Sicut enim in circuncisione illa amputabatur petrino cultro,quod in illo membro videbatur esse superfluum in carne:ita illa iustitia , quæ venit ex fide, est veluti quoddam Christi cultrum, per quam deciditur ille fomitis fluxus, qui est in præputio, id est,in homine carnali.Quod verò ait: Quæ est in præputio,refertur ad fidem,id est,ad illum fidei actum,siue illam credulitatem, quæ fuerat in præputio.Sic enim græca vox sonat . Illum enim actũ fidei nondum circuncisi , hoc est , nondum iusti, Deus imputat ad iustitiam.Quod ergo ait:*Et signũ accepit,&c.*manifestè sic exponendum est: quia accepit;&;pro quia:vt palàm fiat, eum ante circuncisionem iam fuisse iustificatum per fidem, quam postmodo circuncisio significauit.Sequitur:

Vt sit pater omnium credentium per præputium , id est,ex hoc quòd ipse credidit in præputio , & iustificatus est in illo,insequutum est,vt sit præpositus pater omnium credentium per præpurium, id est,credentium in statu præputij, vt notint qui in tali existunt statu , se illuminari atque adiuuari à Deo posse sine lege,vt credant:& hanc suam ipsorum fidem etiam illis imputatam iri ad iustitiam, sicut Abrahæ . Sic enim ostendere voluit Deus, quòd ex lapidibus poterat facere filios Abrahæ. Credere autem illi dicuntur per præputium , qui non adiuti lege & circuncisione , sola persuasione

prædicationis euangelij Christi adducuntur ad fidem:quoniam(vt eleganter hic ait B . Anselmus) fides præcedit isto casu iustitiam , non iustitia fidem:ita vt ex hac fide donetur iustitia , & non ex iustitia fides.

*Et sit pater circuncisionis,&c.*id est,circuncisorum non tamen omnium ,id est,non eorum qui circuncisi tantum fuerint carne , quos vocat Apostolus suo tropo;ex circũcisione; dicens iuxta veritatem græcæ lectionis,quæ longè melius sic se habet:*His qui non sunt ex circuncisione tantum,sed qui etiam incedunt per vestigia fidei*,hoc est,non iis qui solùm sunt circuncisi carne,sed qui,cum sint circuncisi carne, incedunt etiam per vestigia fidei,idest, sic ambulant vt fides monstrat,& iubet.Et hæc est obedientia fidei,abundare scilicet in operibus bonis . Siquidem hæc iam iustificati hominis opera , perficiunt iustificationem ad æternam salutem . Et de hac secunda iustificatione, qua homo perficitur ad meritum vitæ æternæ,loquutus est B . Iacobus dicens:Quòd Abraham iustificatus est ex operibus offerens Isaac filium suum super altare. Tunc enim manifestè iam iustificatus erat Abraham ex fide , & signaculum fidei circuncisionem acceperat:& tamen non profuisset illi sua fides,nisi ipso opere obediens Deo,suam fidem perfecisset. Quare non nobis est typus tantum Abrahã in eo,quòd credidit à principio, vt ex iniusto fieret iustus, sed multò magis in eo quòd operatus est post adeptã iustitiam,vt ex iam iusto fieret amplius iustus : vt similiter & nos simus perfectè filij eius non solùm credentes,verum etiam post fidem ac per fidem operantes,sicut dixit Dominus: Si filij Abrahæ estis,opera Abrahæ facite . Qui enim dicit se in Christo manere , debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.Non enim satis est hoc in se recipere,& dicere:Ego vado,nisi quod promissum fuerit,reipsa fiat : sicut docet Dominus in parabola. Talis fuit Abraham qui opere impleuit fidem : & non quia credidit solùm accepit repromissionem hæreditatis,sed quia cum fide , ea quæ lex & verbum fidei imperauit,est exequutus,ideo repromissione potitus est.Vnde ipsemet Apostolus de Abraham ait : Quòd longanimiter ferens adeptus est repromissionem . Quapropter hortatur Hebræos vt ad eius, & aliorum imitationem seipsos cõpararent,qui fide & patientia,non fide tantum, sed fide & patientia ,hæreditarunt promissiones. Vbi(quæso te bone lector) vide quam perperuo, vel hoc in loco,iugulentur hæretici,in quo tamen ipsi maximè innituntur.Et idem est de cæteris scripturæ testimoniis iudicium, quæ sibi fauere arbitrantur.Ipsismet enim præcipuè refelluntur , quæ tamen illi ad stabiliendam suæ opinionis rationẽ afferre solent.Est autem operæpretium insanas eorum & positiones & expositiones ad hunc locum adiungere,vt dispiceat pius lector & iudicet.

Ioan.8.

1.Ioan.2.

Iac.3.

Heb.2.

Lutheranorum errores circa iustificationem detegũtur, & refelluntur.

Primùm,dicunt nullum hominem verè iustificari,& istum esse apud Deum, dici tamen in scripturis nos iustificari in hunc sensum,hoc est, nos reputari iustos,non autem verè esse, reputari autem solùm per Chtisti iustitiam nobis inputatam ac donatam,modo credamus: quia fides illam iustitiam apprehendit,& facit nobis eam imputari. Negant ergo iustitiam inhærentem , qua verè iustificamur coram Deo : qua valeamus etiam promereri ampliorem iustitiam, & tandem salutem. Et hunc sensum hauriunt ex hoc Apostoli , loco vbi ait , quòd fides reputata est Abrahæ ad iustitiam,id est,fides apprehẽdit iustitiam Christi,qua vna reputamur iusti coram Deo. At huic tam absurdę expositioni plutima repugnant.Primùm hic Apostoli verba,quę manifestè torquentur in eum sensum accepta.Non enim idem est, fidem reputari ad iustitiam,quod est , fide apprehendere iustitiam,qua reputeris iustus,licet iustus non existas. Deinde repugnat proprietas vocum. Iustificari enim propriè,est fieri iustum,non reputari. Et similiter esse iustum,non significat reputari ,& tamen non esse. Tertiò repugnant scripturæ , quæ nulla tergiuersatione eludi possunt,quæ & bona opera, & merita operum,iustificationem & salutẽ restãtur operari,vt planè pateat doctrina hæreticorum plena(vt antea diximus)confusione , non distinguentium statũ impij à statu iusti:nec legem Moseos,quæ erat iniusto tradita,à lege Christi , quæ data est iusto.Et consequenter confundunt opera iustificati cum operibus impij . In his eorum omnis fallacia.Impius.n.nullis suis operibus iustificari potest,sed mera gratia:vt de Abraham ab initio dicitur,Quòd credidit,& imputata est ei fides ad iustitiam.Iusto autem dicitur,vt iustificetur adhuc sicut dictum est Abrahæ.Ambula mecum, & esto perfectus . Vnde & iustificatus est ex illo insigni opere:quia postquam est iustus factus, obtulit filium suum in altari.Fuit. n. opus illud iam iusti opus.Tunc.n.acceperat iustitiã Dei in corde, vt posset operari fortia ac mereri.Sic dictũ fuit Apostolis,nimirum iam iustis:Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquam scribarum,& pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Gen.17.

Mitto quòd hæc eorum doctrina repugnat spiritui ecclesiæ,& sanctorum sententiis,& pręcipuè B.augustini,quod nec ipsi inficiantur. Illud maximum est,quod eiusmodi doctrina perspicuè extenuat bonitatem,& gratiam Christi , quam tamen ipsi fingunt se amplificare.Si quidem longè maius est,eius beneficio obtinere & esse iustum,& posse operari iusta ac mereri,quàm id solummodò,vi delicet,reputari iustum,& non esse,sed solùm alienis inniti meritis . Verùm de his in opusculis nostris latius egimus. Diximus enim hic habendam esse commentariorum rationem,quæ fusiorem interpretationem non ferunt.

Non enim per legem promissio Abrahæ,aut semini eius, vt hæres esset mundi:sed per iustitiam fidei . Si enim qui ex lege,hæredes sunt,exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur.Vbi enim non est lex,nec præuaricatio.Ideo ex fide,vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ , qui pater est omnium nostrum,sicut scriptum est:Quia patrẽ multarum gentium posui te ante Deum,cui credidisti:qui viuificat mortuos, & vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cat ea quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt. Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris. Et non eſt infirmatus in fide: nec conſiderauit corpus ſuum emortuum (cum iam ferè centum eſſet annorũ) & emortuam vulnam Saræ. In repromiſsione etiam Dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſsimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus potens eſt & facere. Ideo & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

Non enim per legem, &c. Poſt iuſtificationem facta eſt promiſsio Abrahæ terræ peregrinationis ſuæ, vt haberet eam in ſempiternum, dicente illi Domino: Dabo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Chanaam in poſſeſsionem æternam, eroque Deus eorum. Hæc terræ promiſsio, niſi ſpiritualiter intelligatur (vt Iudæis declarauit B. Stephanus) vana inuenietur. Vnde & Apoſtolus ad Hebr. de Abraham, & aliis prophetis ait: Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſsionibus, ſed alongè eas aſpicientes, & confitentes: quia peregrini ſunt & hoſpites ſuper terram. Act.7. Heb.11. Qui enim hæc dicũt: ſignificant ſe patriam inquirere. Ergo ne vana ſit illi promiſsio facta Abrahæ, ac propterea ne mendax ſit ſcriptura, cum ipſe nihil bonorum carnalium obtinuerit in vita, cogimur intelligere per illam terrã Chriſtum noſtrum cum toto ſuo corpore, quòd eſt eccleſia, quæ & mundi nomine vocatur, cuius hæres deſignatus fuit Abraham, & ſemen eius, id eſt, Chriſtus, & qui ſunt in Chriſto. Et hæc terra eſt, quæ meritò terra peregrinationis noſtræ dicitur: quia in eo viatores cenſemur, tanquam in typo & exemplo, quod reliquit nobis imitandum, & in quo debemus ambulare. In illo.n. ambulauit Abraham ſecundum veſtigia, quæ fide accepit, ideſt, veſtigia bonorũ operum, & patientiæ Chriſti. Vidit enim paſſionem eius in ſpiritu, & confortatus eſt illi. Rectè ergo dicitur promiſſam illi fuiſſe hanc hæreditatem, non ex lege, id eſt, ſi faceret legem (quoniam non fuit data lex Abrahæ) ſed per iuſtitiam fidei. Audi hæretice, per iuſtitiã fidei, hoc eſt, ſi faceret verè opera bona, quæ fiunt ſolummodo per iuſtitiam, quæ dicitur fidei: quia obuenit nobis ex fide. Fuit.n. illi dictum: Ambula coram me, & eſto perfectus. Hæc nimirum ſunt edicta fidei, ambulare coram Deo & Chriſto per bona opera ſicut ille ambulauit, & nobis ſequendi ſe reliquit exemplum. & adiecit: Cuſtodi pactum meum: quod erat acceptæ circunciſionis. Et ſignificabat debitum conſeruandæ atque augendæ iuſtitiæ, quam fide acceperat, & circuncisione ſignificata fuit: quod fit ambulando coram illo bonis operibus obedientię, quibus creſcit iuſtitia Dei in nobis, & fit meritoria ſalutis. Vnde dixit Dominus: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, vt paulo ante citauimus. Hæc hæreticus cautè præterit, gaudens de ſua ſemel apprehenſa per fidem iuſtitia, quæ illi non inhæret tamen. Sequitur:

Si enim qui ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, &c. Eſſe aliquem ex lege (ex tropo dicendi) eſt eſſe in ſtatu, in quem lex poteſt aliquem collocare. Qui autem tales ſunt, non poſſunt eſſe hæredes promiſsionis factę Abrahæ: quoniã lex habuit ſuas promiſsiones carnales. Quòd ſi ij qui ſunt ex lege, venirent ad hæreditatem Abrahæ promiſſam, exinanita eſſet fides. Nam ſi lex ſatis erat ad hoc, quid faceret fides? At fide iuſtificatus eſt Abraham: & fide poſtmodo perfecit operã, & placuit & ambulauit corã Deo. Heb.11. Vnde Apoſtolus de illo: Fide ait, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in terra promiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat.n. fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Ecce quomodo fide ipſe tanquam pater eccleſiæ, cognouit futura ciuitatis Dei bona, cuius artificem & conditorem Deum ipſum per Ieſum Chriſtum oculis fidei videbat. Vnde & per obedientiam fidei meruit eius obtinere poſſeſsionem. Probatum eſt igitur ſatis, ſemini Abrahæ, cui fuit facta repromiſsio hæreditatis vnà cum ipſo Abraham ſub eadem cõditione, vox, *ex fide*, non potuiſſe contingere hæreditatem ex lege, quæ non erat ex fide, eo quod ſi ex lege (quæ ex fide non erat) fides exinanita intelligeretur, & conſequenter etiam fuiſſet abolita illa promiſſio facta Abrahæ, & ſemini eius, ſi ex lege tantum penderet: quoniam nulli poſſet obuenire, cum nullus facere legem, nec poſſet facere abſque fide: et hoc nolunt capere hæretici. Ipſi.n. intelligunt abſolutè, neminem poſſe facere legẽ. Et nos dicimus, neminem poſſe facere legem abſque fide iuſtificante. Sic B. Auguſtinus & vniuerſa eccleſia ſemper ſenſit.

Lex enim iram operatur, eo quòd operatur præuaricationem perfectam, quæ præſupponit expreſsum mandatum, & eius notitiam, quapropter ſubdit: *Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Si.n. lex non fuiſſet, peccatum internæ concupiſcentię non fuiſſet conſiderarum tanquam tranſgreſsio imputabilis, ac propterea non conſtituiſſet hominem coram Deo præuaricatorem: quoniam lex naturalis, quæ cum hominis natura corrupta oritur, non poteſt docere concupiſcentiam eſſe peccatum, cum illam videat eſſe naturalem, vt potè ex ipſius carnis natura venientem. Et nemo potuiſſet diuinare hoc naturæ vitium veniſſe ex peccato antiquo, ac propterea habere imputationem. Lege autem adueniente, & edicente: Non concupiſces, & non obtemperante per vllam vim legis homine, lex quidem ipſa conſtituebatur operatrix iræ propter mã

datum, & propter doctrinam peccati: quoniam in ueniens hominem non obtemperantẽ, conuincebat eum preuaricatorem, cum ei per legem innotuiſſet eſſe malum concupiſcere, ſicut latius declarabitur. Et propterea concludit:

Ideo ex fide, vt ſubaudias, non ex lege, venit hæreditas. Et adiicitur: *vt ſecundum gratiam*, id eſt, vt ex gratia fieret hominis inſtauratio ad merita comparanda, non ex meritis. Quoniam iuſtificatio ex mera gratia promiſſa erat, & non ex operibus, fidem aut ipſam iuſtificationem præcedentibus, *firma ſit promiſsio.* Nõ.n. firma fuiſſet promiſsio, ſi premium hæreditatis veniret à lege ſine fide prius iuſtificante: quia (vt dictũ eſt) ſine fide lex non poterat impleri. Lex autem vt iuſtificet, ſui implementum depoſcit. Cape iſta pie lector, & cognoſces hęreticos in his locis mirificè allucinari: *omni ſemini*, melius, toti ſemini, ne contra Apoſtoli doctrinam plura ſemina intelligamus. Vnum eſt.n. ſemẽ Chriſtus, in quo omnes concluduntur, qui ſunt ex fide, ſiue ſint ex gentibus, ſiue ex Iudæis, in Chriſto enim neque circunciſio conſideratur, neque præputium ſed noua creatura. Vnde bene ſequitur: Galat.3.

Non ei qui ex lege eſt ſolum. Quod ait, *ei*, noli referre ad ſemen: quia non ſunt plura ſemina (vt dixi) ſed ad hominem, vt ſit ſenſus: Non tamen homini Iudæo, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, id eſt etiam illi qui licet non ſit Iudæus, ſit tamen fidelis, ſicut fuit Abraham: vt ſic benedictio reſpiciat totum ſemen, & non partem ſeminis tantùm, quæ pars erant Iudæi: quoniam Abraham conſtitutus fuit omnium gentium pater, non ſolummodo Iudæorum, quare addit:

Qui eſt pater omnium noſtrum, &c. Inde enim probatur pater omnium tam Iudæorum, quàm Gentium, quia ſcriptura dicit: *Quia patrem multarum Gẽtium poſui te.* Si pater multarum Gentium, non ergo tantùm Iudæorum qui erant tãtùm vna gens. Quod autem ſequitur: *ante Deum*, ſine coram Deo *cui credidiſti*, adiunctum eſt ab Apoſtolo illi antiquæ ſcripturæ, ita ſuggerente illi Spiritu ſancto. Eſt autem ſenſus quòd hæc paternitas Abrahæ erat decreta ab ipſo Patre æterno coram Filio ſuo, cui ipſe credidit, id eſt, coram Domino Ieſu Chriſto. Nam verba illa, Noli timere Abraham: ego protector tuus, & merces tua magna nimis? verba filij Dei ſunt. Et ſecundum hãc literam probatur Chriſtus eſſe Deus. Græcè legitur; *cui credidit*, & tunc ſunt verba ipſius Apoſtoli, quæ interpoſuit quaſi ſua. Sed vereor ne corrupti ſint codices græci ab hæreticis: quoniam ſecundum aliam literam Chriſtus probatur Deus. Quia verò dicit conſtituturum eſſe Abraham patrem multarum gentium ante Deum, cui ipſe credidit, ne quis miraretur, quoniam eo tempore (quo ad vixit Abraham) hoc nõ videbatur, & durũ videri poterat, quòd ſobolem generaret extraneam iam defunctus: ad hoc reſoluendum tendunt ea verba, quòd hæc coram Deo facta ſunt, id eſt, in mente Dei ac prædeſtinatione & eius virtute, *qui viuificat mortuos*, vt poſſit illos excitare filios ipſi Abrahæ, faciendo imitatores eius, ac per hoc imitatione filios. Quod ergo ait: *Qui viuificat mortuos*, intelligit ipſas Gẽtes, quæ erant mortuæ Deo, ſine illius prouidentiæ notitia erga ſeipſas. Eos enim viuificauit Dominus per fidem, & fecit Abrahæ filios, qui imitati ſunt illum in fide, & in operibus fidei. *& vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Et hoc item ad ipſas Gentes pertinet, quæ Dei vocatione excitãtur, vt ſint quæ non erant prius. Dicebantur autem non eſſe, quia non reſpiciebantur à Deo ſicut Iudæi, qui dicebantur eſſe, eo quòd ſub peculiari Dei prouidentia detinebantur. Sed Deus Pater per Chriſtum facit omnes dociles Deo, & ita vocauit ea quæ non erant, id eſt, Gentes, potens illas ſtatuere, ſicut ea quæ erant id eſt, Iudæos, quorum bonam partem eorum perfidia fecit vt non eſſent. Vnde Apoſtolus ad Corinth. Deus, inquit, elegit infirma, ſtulta, & ignobilia mundi, & ea quæ non ſunt, id eſt, ipſas Gẽtes, vt quæ erant fortia, & nobilia, & habentia ſapientiam mundi, denique illa quæ erant, id eſt, ipſos Iudæos perfidos, confunderet, atque fermè ad nihilum redigeret. Sequitur: 1.Cor.1.

Qui contra ſpem in ſpem credidit, id eſt, illud credidit, & ſperauit poſſe fieri à Deo, quod erat extra omnem ſpem ex vi naturæ. Et hic laudatur Abrahæ fides, per quam dignus factus eſt apud Deum fieri pater multarum Gẽtium. Dixerat enim illi iã cẽtenario Deus: *Sic erit ſemen tuũ ſicut ſtellæ cœli, & harena maris, & non eſt infirmatus in fide, &c.* Nota hiſtoriam, cum illi dictum eſſet, ex Sara futurum illi ſemen, non debilitatus eſt fide, nec à ſpe iſta deiectus eſt, tametſi ad centum fermè annorum ætatem peruenniſſet, & Sara vxor duplici de cauſa infœcunda eſſet: quoniam & natura ſterilis erat, & inſuper ætate confecta. Deſierant enim in ea fieri muliebria, & nonagenaria erat, & quando concepit, erat propemodum centenaria. Et vide (quæſo) miram congruentiam. Nam meritò, & iure optimo factum eſt, vt ſicut ille credidit, ſperans quod per naturam ſperari non licebat circa filios carnis, quos acquiſiuit, non ex vi carnis, ſed diuina, propter fidem: ita etiam contra rei naturam haberet eos filios ſecundum ſpiritum, qui ſecundum ſpiritum mortui, nihil erant coram Deo.

In repromiſsione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, &c. Hæc promiſsio illa eſt, qua dixit explicitè: In Iſaac erit tibi ſemen. Et commendatur, quòd non hæſitauerit diffidentia, vel (vt græcè legitur) non diſquiſiuit perfidia & incredulitate, cum fuit illi poſtmodo mandatum, vt immolaret filium. Non enim ratiocinatus eſt ſecum dicens: Quomodo hoc fieri poteſt, vt de Iſaac, quem modo immolare iubeor, veniat populus Dei? Sed dans gloriam Deo, confitendo in animo omnipotentiam eius, obediuit illi, in tam grandi præcepto, *pleniſsimè ſciens*, hoc eſt, certa fidei perſuaſione, quod Deus eſſet ſummè potens, qui faceret quæcunque promiſit. *Vnde & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, hoc eſt, iſto facto corroborauit, & confirmauit primam iuſtificationem, qua fides reputata eſt ei ad iuſtitiã. Per opera enim impletur fides: & fide implentur opera, vt & ipſa aliquo modo imputentur ad iuſtitiam: quoniam propter gratiam valent, & meritoria ſunt. Quæ tamen gratia aduenit nobis propter fidem, quæ eſt imputata ad iuſtitiam; ita vt propter radicem gratię, quę eſt ex fide, cuncta dici poſſint aduenire nobis gratioſè & imputatiuè:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia à principio fides imputata eſt ad iuſtitiam. Hanc confeſsionem ſi facerent hęretici, non eſſet (hac parte duntaxat) vlla cum eis contentionis ratio.

Non autem ſcriptum eſt propter ipſum, &c. Hîc apparet quod diximus, videlicet, propoſitum nobis fuiſſe Abraham exemplum, vt modum inde iuſtificationis noſtrę intelligeremus: quia ſcriptura non propter ipſum ſolùm ea narrauit de illo, *ſed etiam propter nos*, vt ſimili modo intelligamus, reputatum nobis iri ad iuſtitiam, ſi crediderimus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum dominum noſtrum à mortuis: *Qui traditus eſt propter delicta noſtra*, id eſt, ex eius morte conſequuti ſumus extinctionē peccatorū noſtrorū: nā & ille obhoc mortuus eſt: *& reſurrexit propter iuſtificationē noſtram.* Sicut enim mors eius fuit mors peccati, quo grauabamur, ita reſurrectio eius & vita noua, fuit reſurrectio noſtra, & noua vita noſtra: vt quodā modo reſurgētes à peccato & iuſtificati per ipſum, viuam⁹ Deo in operibus bonis. Eſt enim iuſtificatio in nobis, quædam reſurrectio ſecūdum ſpiritū, & pręcedit eā, quę (etiā ſecūdum carnē) erit glorioſa in cœlis: ſed hæc interim per gratiā eſt. Vnde bene canit eccleſia ſancta: Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.

CAP. V.

IVſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtá, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vt quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur: Nam pro bono forſitā quis audeat mori. Commendat autē charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecūdum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in Deo per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

REpetens iterum de modo iuſtificationis, incipit manifeſtare ſtatum iuſtificati. Modus enim iuſtificationis fuit gratis, ex fide tamen. Status autem iuſtificati, eſt ſtatus pacis cum Deo. Ex iuſtitia enim pax venit, quę eſt fructus ſpiritus: propter quod ait:

Iuſtificati ergo ex fide pacem habemus ad Deum. Sic enim græcè legitur, *habemus*, & non, *habeamus*, vt habent plerique codices quod mihi magis placuit quanquam audio eſſe & antiquos codices græcos vbi legitur, habeamus. Hic non pugnabo: vtraque enim lectio poteſt ſuſtineri. Hæc autem omnino mihi magis probatur. Primùm quidem, quia vera vera eſt ſententia, iuſtificatos pacem habere ad Deum. Nec ab hæreticis eſt nobis metuendum, qui hoc in loco quaſi victores geſtiunt, ob eam, quam ſibi falsò fingunt, ſalutis à pace ſua certitudinem, non conſiderātes miſeri aliam eſſe atque aliam in ſcripturis pacē, perfectam, ſcilicet, & imperfectā. Perfecta eſt, quam res ipſa largitur. Imperfecta verò, quam res pollicetur, quemadmodum mox declarabitur. Secundò placet græca lectio, cum hoc in loco Apoſtolus adhuc ſuo more doceat, nec dum ad hortationes deſcenderit: quod tamen poſtea facturus eſt. Et docet quidem à iuſtificatione venire pacem: quia homo ingreſſus in Chriſtū, nouit Deum ſibi ob remiſsionem peccatorum eſſe placatum & pacatum: cum etiam dona ab eo perceperit, quibus gratioſus effectus, poteſt in via mandatorum incedere, ad perfectum tendere, ac tandem perfecta pace potiri ſua die. Eſt enim pax viæ, & eſt quoque pax patriæ. Hæc firma, ſecura, atque perfecta eſt. At illa eiuſmodi eſt quæ poſſit excidere, imò verò quæ non rarò excidat: nec ſecuritatem habet de futuro, nec in ſe perfectionem hoc tempore, quo viuimus. Contra quam veritatem peſsimè docent hæretici. Addit autem Mediatorem pacis huius, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habuimus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua fide, ſiue gratia, ſtamus. Fides enim eſt radix gratię, per quam erecti, ſtamus coram Deo. Iccirco rectè dicimur & verè, ſtare in fide, ſicut alibi B. Paulus: Tu fide, inquit, ſtas, vide ne cadas. Neque minus verè dicitur, nos etiam gratia ſtare. Hoc & B. Petrus conteſtatur, dicēs hanc eſſe verè Dei gratiam: in qua & ſtatis, inquit. Itaque volens Apoſtolus huius celſitudinem ſtatus oſtendere ſubiunxit:

Quam pacem aſſerat prima iuſtificatio contra hæreticos.

Et gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Ecce quid ex iuſtificatione actum, quamue inde vtilitatem conſequuti ſumus & honorem, nempe vt valeamus tā quam filij Dei gloriari, ius habentes in hæreditate ipſius Chriſti. Magna profectò hæc & ſingularis gloriatio, quòd ſimus filij Dei, & ob id ſperare poſsimus hæreditatem filiorum vna cum ipſo Filio ſuo vnigenito. Magna, inquam, hæc gloriatio, modo ſit ſobria, modo eas conditiones habeat, quas ipſa requirit: non autem ſit nuda & deſtituta & talis, qualem porrigunt noui hæretici (quos lubet fiduciarios appellare) qui ſolam extollunt fidē, quam & fiduciam vocant, qua vna & ſola putant ſe Dei gloriam apprehendere: qui quidem aduertere nolunt, nos per fidem ſaluos eſſe interim in ſpe, & nondum in re. Grandis enim nobis adhuc & laborioſa via ſupereſt, multis expoſita periculis, in quæ facile incidimus, ſi cum timore magno & tremore ſalutem noſtram negligimus operari, inuocato ſemper Dei auxilio. vnde ſubdit:

Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, &c. Et hic pergit iis obuiam, qui ſtultè in ſua fide & fiducia gloriantur, non intelligentes quid ſit illa ſpes, per quam inceditur vſque ad interiora velaminis, & quonā modo oriatur in cordibus noſtris, & coaleſcat: ac ſi dixerit manifeſtius, Nemo exiſtimet noſtram hāc de ſpe gloriæ filiorum Dei inanem eſſe & vanam gloriationem, quia filij eius facti ſumus. Siquidem & Angeli, qui corruerunt, aliquando filij Dei fuerunt, & item plerique alij, qui tamen præuaricati ſunt, & à ſpe ſua exciderunt: quoniam nos nō in hac vna re gloriam noſtram collocamus, quòd ad ſublimem illum filiorum Dei honorem & gradum conſcēderimus, verùm in hoc potius gloriamur, quòd hanc noſtram ſpem firmam tenemus & ſolidam, & per opera bona in perſeuerantia vſque in finem, facimus illam nobis certam. Vnde ait:

In tribulationibus. Tribulatio eſt velut materia, ſuper qua homo patiens exercetur. Porrò ſi nulla extaret tribulatio, quænam relucere poſſet patientię virtus? Patiētia verò probationem per modum meriti operatur. Nam is qui patitur, meretur probari à Domino, qui cum ſit iuſtiſsimus, non poteſt id, quod verè probādum eſt, non probare, præſertim quia ipſe ſic ordinauit, vt probaretur. Eſt enim tentatio, & quaſi quædam militia, vita hominis ſuper terram. Vnde & Frater Domini, Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Oportet ergo (vt B. Petrus cōfirmat) contriſtari in hoc mundo variis tentationibus, vt probatio fidei noſtræ multò ſit pretioſior auro, quod per ignem probatur. Sic ſic, inquam, probatur fides, & illa eſt quæ verè exit in fiduciam, nimirum quæ ex patientia cōſequuta eſt probationem: hæc eſt enim non vulgaris, ſed apoſtolica prædicatio. Oportet per multas tribulationes intrare in regnum Dei.

1. Pet. 1.

Actu. 14.

Verùm hîc occurrit ſcrupulus: quoniam B. Iacobus videtur dicere oppoſitum, videlicet, quòd probatio fidei patientiā operetur, non patiētia probationem. Sed ibi manifeſtè probatio fidei pro ea tribulatione capitur, qua probatur fides. Quanquam & illud dici poſsit, quòd etiam probatio patientiā operatur. Nam homo patiens, qui ſe videt probari à Deo, magis ad patientiam animatur. Nec eſt nouum, idem eſſe alterius & cauſam & effectum, ſecūdum aliud atque aliud genus vel modum cauſæ, vt dilucidè philoſophi declarant. Probatio autem hæc diuina, operatur ſpē: quia Dominus in eo quē probat, ex patiētia creat ſpem viuam. Vt hîc planè videas qualis ſit, & vnde oriatur ſpes noſtra, ſcilicet, non ex ſola fide, ſed quæ ex patiētia in tribulationibus, & perſequutionibus, & perſeuerātia boni operis venit. Et hæc eſt vera ſpes & viua, quam cōmendant ſcripturæ. Vbi ergo ſunt iſti fiduciarij, qui in ſola fide nitūtur? & nihilominus contra veram fidem docent, nihil minus habentes quàm fidem, qui à doctrina eccleſiæ recedūt, volētes ſuam ſtatuere, quæ etiam ratione, & iudicio prorſus caſſa eſt. Quis enim nec arās, nec ſerens, nec triturās, poterit ex terra fructum cum ratione & prudentia ſperare? Quid enī eſt quod legimus, Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent? Eūtes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cū exultatione portantes manipulos ſuos. Hæc eſt igitur viua ſpes, quę non confundit. i. non ſuffundit hominem pudore: ſicut accidit ei, qui fruſtratur de concepta ſpe, cū id quod ſperat, non venit. At noſtra ſpes non eſt talis: & ratio eſt,

De vera ac viua ſpe.

Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Charitatem Dei intelligit B. Auguſtinus, qua nos Deum ipſum diligimus, & rectè: quanquam aliter hæretici (vt Caluinus) qui aiunt B. Auguſtinum in hac expoſitione eſſe allucinatum. Et non videt miſer & infœlix Caluinus, in hac expoſitione B. Auguſtini etiam illorum expoſitionem, qua intelligunt de dilectione Dei erga nos, eleganter comprehendi. Nam ipſa Dei charitas, nimirū qua illum diligimus, quia fundata eſt in charitate ſua, qua ipſe diligit nos, certa fidei luce perſpicit immēſam illam Dei benignitatem, qua adeò dilexit nos, vt etiam cum inimici eſſemus, dederit pro illo tempore Filium ſuum noxæ pro nobis. Arguit ergo homo dilector Dei in hac luce fidei, & dicit: Si hoc fecit mihi Deus cum non eſſem filius, ſed inimicus illi, quid mihi faciat modo, cum ſim iam filius dilectionis, & dilector? Quam vim argumenti ipſe Apoſtolus declarans, adiecit:

Vt quid enim cum adhuc infirmi eſſemus, &c. pro eo quod nos legimus, vt quid enim; græcè legitur, Adhuc enim; nec redditur alius ſenſus. Significat nanque Apoſtolus, quòd ſi Chriſtus mortuus eſt pro nobis cū eſſemus infirmi, hoc eſt, ægroti, & impij, quales ſumus natura omnes propter antiquū peccatum, licet ad tempus (propterea quòd hoc malū decreto Dei futurum erat tēporale, donec veniret medicina) multò meliora de ſalute nūc ſperare poſſimus, quum ſumus ſanati, & reconciliati, & facti pij. Quod vt magis declaret, adiungit:

Vix enim pro iuſto quis moritur, &c. Non me latet quoſdam aliter exponere, quos non reprehendo: ſed non viſi mihi ſunt in mentē Apoſtoli penetraſſe. In hoc eſt vis argumenti ad cognoſcendam immēſam & incomparabilem Dei bonitatem, quòd ipſe mortuus eſt pro inimicis & impiis, cum vix reperiatur qui vel pro iuſto velit mori, id eſt, pro homine innocente, & reddente ius ſuum vnicuique. Hic eſt enim iuſtus ſecundū iuſtitiam, quæ eſt virtus quædam particularis, & in commerciis requiritur. Vix ergo quiſquam moritur pro huiuſmodi iuſto, licet inueniatur, qui pro bono forſan velit mori. i. pro eo, à quo beneficium acceperit. Bonum enim hîc pro liberali accipitur. Vnde dixit Domin⁹: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Conſideretur ergo Chriſti erga nos charitas: quoniam ille nō pro bonis mortuus eſt, à quibus beneficium receperit, quod aliquis fortè auſit: nec pro iuſtis, quod vix vllus: ſed pro iniuſtis (quod certè ſuperat omnē creatam bonitatem) non dubitauit mortem oppetere. Si hoc igitur iam fecit, vt mortuis vitam ſua morte daret, & eos ſaluaret ab ira iam concepta, quomodo non multò facilius ſuperaddet nobis vitam ſua vita, ipſe in æternum viuēs, vt ſalui ſimus ab ira futura? Nam quid eſt facilius? Non enim oportet eum aſſiduè mori. Vna ſiquidem morte ſanctificat

Inter iuſtū & bonum quid interſit.

Ioan. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos in æternum, nisi denuò ſpontè ac voluntariè prolabamur. Sequitur:

Nota de vera gloriatione.

Non ſolum autē, ſed gloriamur in Deo, &c. Ne quis autem inſipienter, & vanè gloriaretur in ſpe glorię filiorum, & ſimiliter in tribulationibus ſuis, vnde ſpes illa coaleſcit, addit: *Non ſolum autem, &c.* Nam origo bonorum, de quibus poſsimus gloriari, Deus eſt, qui per Mediatorē Filium recepit nos in ſinum gratiæ ſuæ, ſibi per eum reconciliatos: vt ſic, quicunque gloriatur, in Domino glorietur, vt ſit illi laus & gloria. Vbi eſt aduertēdum, quòd etſi quæcunque ſunt bona ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, ea cuncta acceperimus à Deo, non tamen æquè omnia quæ habemus, dona dicuntur, & æquè noſtra. Nam quæ naturaliter nobis inſunt, vix dicemus dona. Non enim ſic loquuntur ſcripturę, & hæc magis noſtra dici poſſunt, tanquam quodam modo naturæ noſtræ debita. Et iccircò ſi iis benè vteremur, non male gloriari poſſemus in nobis, quòd bene illo, quod erat noſtrū, vſi eſſemus. At quæ ſuperuenerunt, & acceſſerunt nobis ſupra naturam gratioſè & ex dono ab ipſo Deo, hæc minus noſtra dicuntur, & verius dona ſunt. Et ideo ſi iis bene vtimur, & per illa quædam meliora meremur, non debemus gloriari ex nobis, quaſi à nobis hæc venerint. In qua re multum aberrarunt Phariſæi & Pelagiani, qui gloriabantur, quaſi ex viribus naturæ potentes. Vnde ſuum arbitrabantur opus, ſi quod facerent bonum. Illis igitur dicitur, Quid gloriaris, quaſi non gratioſè acceperis? Lutheranis autem, qui nihil omnino nobis tribuunt, niſi malum, dicitur: Cur non permittis, Lutherane, me in Domino gloriari? Ego enim non mihi aſcribo, quod non eſt meum. Scio quòd nō ego ex me ſed gratia, quę eſt in me, operatur: quæ tamen mihi dono data, effecta eſt mea, & per illam operans ego operor, & opus meum eſt: quāquam ex gratia ſentio auxilium Dei aſsiduum & externū. Quare cum ex gratia mihi inhærente, & ipſo Deo adiuuante, bonum aliquod operor, gaudeo, & cōgratulor mihi: quia verè illud ego operor ex meo libero arbitrio, gratia tamen informato. At quia gratiā, & inſuper adiutorium habui à Deo, ſine quo nihil potuiſſem operari boni, cōfiteor ingenuè, & glorior, non in me tātùm, ſed in Deo, qui hæc omnia operatus eſt in me: & qui velle bonū, & perficere pro bona volūtate dedit mihi per donum gratię & auxilium, quod ipſā gratia ſuo iure depoſcit. Qui enim diligitur, dignus eſt fauore ab eo qui diligit, ad finem ad quem diligit. Quapropter dictum eſt B. Paulo, Sufficit tibi gratia mea. Hæc eſt catholica doctrina de libero arbitrio, & operibus bonis: vt gratia liberum arbitriū non auferat, ſed ſtatuat, & perficiat, & ad omne opus bonum promptum, ac paratum reddat.

Nota propter Pelagianos.

In Lutheranos.

De gratia & libero arbitrio breuis doctrina.

2. Cor. 12.

Proptereа ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatū mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Vſque ad legem enim peccatū erat in mūdo. Peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet. Sed regnauit mors ab Adā vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt, in ſimilitudine præuaricationis Adę, qui eſt forma futuri. Sed non ſicut delictum ita & donū. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei & donū, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudiciū quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationē. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundātiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipiētes, in vita regnabūt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitę. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituētur multi. Lex autem ſubintrauit vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia: vt ſicut regnauit peccatum in mortē, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.

Quoniam verò dixerat recōciliationem factam cum Deo, & per Ieſum Chriſtū, quod ſupponebat iram, & indignationem Dei aduerſum nos, nec irę cauſam ſatis declarauerat, hîc oſtendit peccatum omnium noſtrum, & modum liberationis ab eo peccato congruentiſsimum. Ait ergo:

Propterea ſicut per vnum hominem, &c. Dura quidē conſtructio literæ, & quiddam neceſſariò ſupplendum eſſe videtur. At ſenſus ipſe non ita obſcurus eſt. Ego enim ſic ordinarem. Propterea, vt hîc ſiſtatur, & fiat punctus (vt græci codices habent) & referatur ad ſuperiora, ac ſi dixerit, Propterea reconciliationem accepimus per Ieſum Chriſtum, quia (ſupple tu) erat cōueniens per vnum hominem inſtaurari eos, qui per vnum hominem perditi ſunt: vnde vt id exprimeret, ſubdidit:

Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, &c. Ita econuersò debuit intrare iuſtitia per vnum, & per iuſtitiam vita, & ita intrare vita in omnes homines, in quo omnes iuſti & obedientes fuiſſe intelligimur, qui fide in illum ingredimur. Sed expēdantur ſingula diligenter.

Per vnum hominem, id eſt, Adam, *peccatum intrauit in mundum.* Quodnam peccatum fuit hoc, quod intrauit in mūdum? Certè illud quod admiſit ipſe Adam: quoniam in ipſo quodam modo continebatur vniuerſus mundus, & ab ipſo pendebat. Cum enim poſteri omnes naturam ab eo eſſent accepturi, cōgruum erat, vt & quæ naturæ quodam modo debebātur, per illum acciperent. Illo igitur peccante intrauit peccatū, & per peccatū mors, videlicet,

debita illi delicto: quæ mors pertinet ad mortem corporis (cuius debitum tūc incurrimus) tum etiam animæ, quæ fuit priuatio gratiæ & iuſtitiæ. Intrauit autem & peccatum & mors in mundum, quaſi in vnam maſſam, vt ſic in ſingulos homines, qui ex illa educerentur, ipſum peccatum penetraret. Nam (vt rectè Theologi docent) in Adam primùm intelligitur corrupta natura: ita vt particulares homines eam naturam participātes, inueniantur peccatores, eò quòd in mūdum, id eſt, in illam maſſam intrauit peccatum, & inquinata eſt vniuerſa. Quicunque ergo de illa accipit, etiam inquinatus inuenitur.

Nunquid autem de hoc contaminato mundo eſſet ſpeciali quadā gratia ſubducta beatiſsima Virgo, vt mundi appellatio (ob ſingularem præſeruationem) minime illam cōtingat, ac propterea non inuoluatur cum cæteris in peccato antiquo, nequaquam erat in primis fidei noſtrę cunabulis tractandum. Ideo ſermonem ſuum ita tēperauit Apoſtolus, vt nihil prorſus afferat præiudicij aduerſus veritatē illam, quam de immaculata eius conceptione vna cū eccleſia ſancta tenemus: nec verbis quidem eius (ſi rectè intelligātur) valeamus argui. Dicit enim B. Paulus, intraſſe peccatum in mundum. Nos autem dicimus, hac mundi appellatione non comprehēdi illam B. Virginem, iuxta intellectum ſcripturarum, in quibus frequentiſsimè vox iſta, mundus, ſignificat gratia Dei vacuos. Vnde Dominus de diſcipulis ſuis ait: Mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut ego & non ſum de mundo. Quod ergo dedit diſcipulis Dominus ex tempore, vt eos de mūdo ſubduceret, hoc non dederit dilectiſsimæ Matri ſuæ, ac Sponſæ, vt nunquam cum iis, ab initio creationis illius, qui eſſent de mundo computaretur? Nec illud obſtat, quod addunt, Peccatum & mors pari paſſu incedunt, vt quem apprehendit mors, etiam peccatum apprehendit: quia per peccatum mors, & ita mors intrauit in omnes, in quo omnes peccauerunt. Reſpondetur enim non eſſe huiuſmodi ordinem in ipſo Apoſtolo, videlicet: In quē mors intrauit, in eum quoque intrauiſſe peccatum, ſed econuersò: In quem peccatum, in eum & mors. Alioqui & Chriſtus mortuus eſt, & tamē non intrauit in eum peccatum. Et qui liberantur ab eo peccato, nihilominus moriuntur. Quid ergo mirum ſi & illam mori oportuit, quæ præſeruata fuit à peccato? Non enim placuit Deo (ſicut nec erat decens) illam præſeruari à morte, quā præſeruauit à peccato: quemadmodum nec vllum eorum quos liberauit à peccato, voluit liberare à morte. Præſeruatio autē quędam liberatio eſt. Si enim mortuum eſt caput, etiam mori membra decentiſsimum fuit. Verùm quoniam quæſtionem hanc copioſè in noſtris opuſculis & accuratè tractauimus, ad ea remittendum lectorem noſcendæ veritatis cupidum, duximus: quam certe veritatem illic (ſolutis in contrarium argumentis) ſentētiis, & rationibus, atque auctoritate eccleſiæ ita corroborauimus, vt ij ſoli minimè perſuadeantur, qui perſuaderi dedita opera nolunt. Hic habenda fuit inſtituti noſtri ratio, vt ipſa breuitate, quoad fieri poſſet, lectorem ab omni faſtidio liberaremus.

Ioan. 7.

De immaculata conceptione B. Virginis.

Sed quæſtio eſt, quonam pacto illud peccatum intraſſe dicatur in mundum, cum fuerit actus quidam, qui ſtatim tranſiit? Reſpondemus, quòd licet peccatum illud trāſierit actu, manebat tamen ſemper reatu ante oculos Dei reſpiciētis Adam vt peccati autorem & reum, in quo continebatur mundus. Ipſe enim Adam qui peccauit (quantum in eo fuit) non deſtitit à peccato: & ita mundus, qui fuit in illo, ſub eo peccato inuoluitur. Vnde & peccatum illud Adæ, peccatum mundi dicitur. Sicut B. Ioannes Baptiſta dixit, Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.

Peccatum Adæ trāſ ut actu, remanſit reatu.

Verùm aliter hunc locum interpretati ſunt Pelagiani, qui negārūt originale peccatum, non valentes penetrare ſapientiam Dei, nec acquieſcere diuinis ſententiis, & communi eccleſiæ ſenſui à maiorum traditionibus accepto. Aiebāt enim: Quo pacto fieri poteſt, vt illud peccatum in poſteros tranſeat, aut poſteris noceat? Nam anima quæ venit à Deo, & ab illo in corpora noſtra infunditur, quomodo non innocēs venit? Cum igitur non peccet qui generatur, nec qui generat, nec Deus qui generationi dat incremētum, vnde, & per quas (aiebāt) rimulas poteſt intrare iſtud peccatum inter tot innocentiæ præſidia? Illud inſuper vehementer obiiciebant de paruulis, tāquam vehementer abſurdū, ipſos innocentes non debere ob patris peccatum æternæ flammæ plecti ſuppliciis. Addebant, hunc locum de peccato illo originali non poſſe intelligi: quoniam non per vnum, ſed per duos potius, & primò quidem per mulierem exordium habuit peccatum. Quapropter ita hunc textum intellexerunt, vt dicerēt, per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, non contagione & natura, ſed exemplo & imitatione: quoniam omnes fetè homines imitati ſunt illum, actualiter peccādo. Sicut & diabolus dicitur pater præuaricantium eorum, qui imitati ſunt illum: & Abrahā pater credētium. Vnde Dominus: Vos ex patre diabolo eſtis. Et qd ſequitur; *Et per peccatum, mors*; de morte gratiæ tantùm interpretati ſunt, non de morte corporis.

Error Pelagianorum.

Ioan. 8.

At quoniam hæc hæreſis meritò iam damnata eſt atque explosa, non eſſet ad diſceptationem iterum reuocanda, niſi Eraſmus eam (ſicut & plerāque alia) ſubdolè ſuſcitaſſet. Et nihilominus vile eſt ſemper ſcire ſolutionem eorum, quæ illi obiiciebant: quoniam & in aliorum mentē cadere poſſunt quàm facillimè, quæ huiuſmodi ſunt. Nā quædam ab illis in nos obiecta & magni ponderis & momenti viſa ſunt B. Auguſtino, vt penè ſit faſſus neſcire ſe illa reſoluere. Nos igitur hîc ſtrictim nō nulla attingemus.

Et primum quantum ad illud attinet, quod ipſi aſunt circa ſenſum Apoſtoli, illum ſenſiſſe non de peccato quod contagione contrahimus, ſed quod imitatione voluntate noſtra committimus: vtrunque irrationabiliter aſſerūt. Quod enim aduerſus nos primum pro ratione afferunt, illud eſt, quòd ſi de tranſfuſione peccati per contagionem ſenſiſſet Apoſtolus, non diximſſet: Per vnum hominem, ſed per duos homines. Nā prior fuit mulier in peccando. Sed id commenti ipſos prius iugulat. Etenim ſi de peccati tranſfuſione per imitationem loquebatur, pari (imo maiori ratiōe) de peccato mulieris loqui debebat, quę prior, & grauius peccauit, & fuit occaſio peccati Adæ, qui illam eſt imitatus. Vnde

Reſolutio argumentorum Pelag.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eccles.17. rectè scriptura ait: A muliere initium peccati, & per illum omnes morimur. Cum igitur hoc eorũ argumentum retorqueatur in illos, vt non possint hiscere: nostrum nunc est per illud ipsum confirmare nostra.

Dicimus ergo peccatum illud, quod est transfusum & nocuit mũdo, fuisse ipsius Adæ peccatum, & non Heuæ. Si enim peccasset tãtum Heua, non corruisset vniuersa posteritas, nec ipsa quidem Heua amisisset illam originalẽ iustitiam. Eatenus autem nocuit nobis, vt naturæ & gratiæ dona amitteremus, quatenus illa suo peccato adduxit virum ad peccatum: imò ipsamet Heua in Adam peccante inuenta est peccatrix. Quare rectè dicitur, per vnum hominem peccatũ intrasse in mundum, sub quo mundo & Heua conclusa est, cum & ipsum viri peccatum illi nocuerit, vt ipsa quoque amitteret iustitiã illam, qua nostra natura rectè constabat & integrè: licet antea proprio peccato personalẽ gratiam amisisset. Hoc autem erat ratione pacti, quod in solo Adã positum erat, nec absque ratione: sicut ego latius in opusculis declaraui. Quare euanescit hæc aduersum nos argutatio, vt patet in eiusdem B. Augustini epistola ad B. Hieronymum.

Nota hæc acute lector

Verùm argumentum de pueris quod obiectabant, quo etiam multis & magnis angustiis angebatur B. Augustinus, & fatebatur se non habere quicquam certi in promptu, quod responderet, maioris esset ponderis, si nos etiam admitteremus (quod nimis facile aliquando ipse B. Augustinus sibi persuasit) videlicet, à solo Adæ peccato deberi filiis supplicium secundæ atque æternæ mortis. Quod vt est horribilissimum dictu, si ad immensam Dei bonitatem respiciamus & summam æquitatem, ita certè falsissimum. Nos ergo cum omni schola respondemus, summum æternæ & secundæ mortis supplicium, quod est sulphur & ignis, non manere eos, qui solùm cum originali peccato decedunt: quorum pœnam tantummodo esse carentiam diuinæ visionis Innocentius tertius doctè, & eleganter declarauit. De qua re & nos particulari tractatu disseruimus. Nunc satis sit hoc inde sumpsisse, quòd pueri non plectantur illa crudelissima pœna, imò ab omni pœna sensus immunes sunt. Hoc tantũ ferent (sed æquo animo) quòd non videbunt gloriam Dei: nec tamen carebũt sua fœlicitate, quæ deceat hanc nostram naturam, qua homines sumus, pollentes ingenio, & ratione. Et hæc satis quantum ad argumẽtum de pueris. Nam & hoc ipsum de pueris reiectatur in illos. Certum est enim quòd pueri baptizantur in remissionem peccatorũ: & hoc ex apostolica traditione est compertissimum, quod & vsus perpetuus ecclesiæ semper habuit, cui qui resistit, semetipsum cõdemnat. Cum igitur imitatione non habeãt peccatum pueri vllum, hoc necessariò superest, vt illud habeant ex contagione.

De pœna originalis peccati.

De statu puerorum qui absque gratia & sacramento decedunt.

Quod verò cum tanta derisione proferebant, inquirentes per quas rimulas hoc peccatum ingrederetur cum tot innocentiæ prẽsidiis, facile resolutum patet habenti aures. Scimus enim, & constanter credimus, animarum creatorem esse Deũ, qui animas creãdo non peccat. Et scimus illum etiam qui generatur, non peccare dũ generatur, aut quia generatur. Et concedimus, patrem cum generauit, concumbẽdo fortè non peccasse: quia rem non illicitam, imò etiam à Deo imperatam fecit, & cum omni debita circunstantia. Et mater similiter non peccauit concipiens puerum, & pariens: quanquã etiam si peccarẽt, non noceret animæ filiorum ad mortem: quia proximorum peccata parentum in sobolem non transeunt, sed illud primi patris nostri peccatum duntaxat. Et cum his omnibus, quæ facile fatemur, nihilominus dicimus, quòd qui cõcipitur & nascitur, peccator concipitur & nascitur coram Deo: non propter nouum aliquod peccatum, sed propter illud antiquum, quod quilibet nostrum peccauit in parte Adam, existens in illo peccante, & comedente. Vnde & creditur cum illo comedisse, & peccasse quilibet nostrum, secundum pactum, & intellectum Dei. Neque verò id mirum est (si hæc sanè capiantur, & considerentur) ita euenire, propter rationabile pactum quod iniit nobiscum Deus, ipso Adam pro nobis paciscente ac recipiente: vt simul accipiamus, eatenus in illo nos dici peccasse, quatenus filij peccatoris per naturam, quam ab eo accepimus, cõstituimur; vt tantùm modo ea per illud peccatũ amiserimus; quæ conueniebant naturæ integræ, quam ab eo (si stetisset) eramus accepturi. Illo igitur non stante, sed prẽuaricãte & cadente, non possumus iure conqueri, si & nos tanquam filij inobedientis patris, ac per hoc inobedientes, in illo & cum illo cecidimus, & eo caremus, quod per illum & propter illum, si fuisset obediẽs, erat nobis obuenturum. Eo igitur ipso quòd sumus filij prẽuaricatoris, qui promisit retinere accepta dona pro se, & filiis suis, nec retinuit tamen, peccatores & odio digni constituimur coram Deo. Sed iis donis dũtaxat fraudamur excisi à pacto, quæ dona nobis per illum obueniebant. Sicut econuersò, si ipse obediens fuisset, constituti fuissemus iusti coram Deo per illum, & dilecti ad accipiẽdum omne donum in ipso nobis decretum. Quid igitur habet incõgrui, si nos qui eius obedientia obediẽtes & iusti censiti fuissemus ad acquisitionem donorum, per hoc solum quòd patris iusti & obedientis fuissemus inuẽti filij, modo nunc conuerso, inobedientes & iniusti censeamur ad ea dona amittenda, cum nascamur & concipiamur patris iniusti & inobedientis filij?

Quid sit vere peccatũ originale.

Sed dicet aliquis: Ego generor à patre Christiano, qui liberatus est ab ipso peccato, & inuenitur in Christo filius Dei, & non amplius filius Adæ, ac propterea nec iræ filius: Quomodo ergo ex eo nasci potest filius iræ, & filius Adæ? Respõdemus, quòd qui est Christianus, vt homo generat, & non vt Christianus: & secũdum illam partem generat, quæ venit ab Adam, & adhuc vitium habet, & est quodam modo odiosa Deo: quia in illa est malũ, sicut ait Apostolus inferius. Scio enim (inquit) non habitare in me, hoc est, in carne mea bonum. Et ipse Dominus hoc ipsum docens, dixit: Filij huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias: vt intelligamus homines secundum illam partem generare, secundum quam sunt filij huius seculi, id est, secundum carnem. Et ideo tãquam filij Adæ, & non tanquam filij Dei generant. Et sic tanquam iræ filij, & non filij reconciliationis habentur. Donec enim viuimus, filij Adę sumus secundum istum hominem, qui foris est, donec corrũpatur, & penitus

Quomodo pater Christianũ tradit peccatum originale in sobolem.

moriatur: & sic efferbuerit atq; exarserit ira Dei.

Sed aiunt: Quomodo peccasse in Adam intelligimur, cum non essemus tũc, quum ipse peccauit? Et nos dicimus: Quomodo decimatus fuit Leui in lumbis Abrahę, qui pro illo dedit decimas Melchisedech, cum Leui tunc nõdum esset? Eramus ergo in lumbis Adæ cum illud peccatũ peccauit, & peccante illo etiam nos peccasse censiti sumus, quatenus in ipso, & in pacto donorum, continebamur. Et hæc satis nunc ad ea, quæ Pelagiani mouebant contra peccatum originale. Non possunt item ipsi se defendere in eo, quod aiunt hîc loqui Apostolum de peccato imitationis, etiã alia ratione. Non enim dixisset: Per vnum hominem peccatũ intrasse in mundum, & in omnes homines: quoniam (vt ipsimet fatentur) multi vixerunt absque peccato, quos de iustitia cõmendat scriptura. Et de pueris, citra controuersiam eos imitatione non peccasse, conceditur. Quomodo igitur ipsi inueniũtur peccatores? Nam B. Paulus (vt mox videbimus) asseuerat & peccatũ & mortem regnasse etiam in eos qui non peccauerunt (quales sunt ipsi pueri) in similitudine prẽuaricationis Adæ. Insuper cum dicat pertrãsiisse peccatum & mortem, de certo quodam peccato, & certa morte loquitur, vt & ipsi articuli græci indicant. Non ergo potest de imitationis peccato intelligi. Non enim propriè peccatum illud & mors à primo parente pertransiit, si nos imitatione peccaremus: sed nouum est nostrũ peccatum, & mors, quæ singulis peccatoribus ob propria delicta aduenit.

Nota, Quomodo dicamur omnes in Adam peccasse.

Præterea, dicet inferius Apostolus, iudiciũ fuisse ex vno peccato in condemnationem. & iterum: Quòd vnius delicto mors regnauit per vnum. At si imitatione multi peccarent, non veniret iudiciũ ex vno peccato, sed ex multis: neq; regnaret mors delicto vnius, sed multorum. Addo, multos fuisse qui peccando nec de Adæ peccato quicquã intellexerunt, neq; de ipso quidem Adam cogitauerunt, qui minime dici potest suggerere peccatum, sicut de diabolo dicitur. Quamobrẽ non propriè dicuntur imitatione peccasse, aut suggestione. Non deesent pleraque alia argumẽta aduersus hunc dicendi modum efficacissima, sed cum per se sit ineptissimus, satis superque ex superioribus confutatur: præsertim cum vigeat in Pelagianos ecclesiæ sanctę definitio, quę confitetur originale peccatũ propagatione transfundi, & negat imitatione contrahi: & ex hoc potissimum loco damnat aliter opinãtes, quemadmodum in concilio Milcuitano constat, à sum. Pontificibus hac in parte comprobato. Quare nos tã superius dictis contenti sumus. Quosdam tamen esse non ignoramus, qui ista floccifaciunt, & qui mendaciis adinuentis etiam defendere hæreticorum partes conantur, vt & ipsi aliquid esse videãtur. Erasmus enim huic temeritati dedit initiũ, contra quẽ satis in nostro tractatu diximus.

Pelagiani ab ecclesia damnati.

Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: sed peccatum non imputabatur, cum lex non esset. Locum hũc variè interpretantur tractatores, & reuera difficultatibus non videtur carere. Nam si de actuali peccato est sermo, & Apostolus dicat illud fuisse in mundo vsque ad legem datam, primò non est admodum peruiũ, quid ad rem propositam hoc attineat: neq; satis est aperta nõ imputationis ratio ex eo tantum, quòd nondum extaret lex illa Moseos. Erat quippe naturæ lex, ex qua poterãt & agnoscere peccatũ, & quod improbè agentibus imputabatur peccatũ. An non docuit ipsemet Apostolus superius, eos qui sine lege peccauerũt, sine lege perire? Sed aiũt quidam, quòd non imputabatur ab iis qui erant insipientes: quanuis Deus ipse, quẽ nihil latere potest, imputaret. Verùm nec hoc quidẽ satisfacere debet: quia etiam post promulgatam Moseos legem non defuerunt insipientes, qui non imputabãt peccatum. Præterea, non propter paucos, eosque insipientes, dixisset Apostolus absolutè, quod peccatũ non imputabatur. Adde quòd græcè legitur absolutè, tanquam regula. *Sed peccatum non imputatur, cum lex non est:* quę lectio (vt ita dixerim) magistralior est, vt sic indicet rei naturam & cõuenientiam, quæ est, non debere imputari peccatum non existẽte lege, quæ illud prohibeat: quod & superius dixerat: Vbi non est lex, nec præuaricatio.

Locus difficilis, & attentione dignus.

De originali ergo peccato loquitur hîc B. Paulus, in quo totus mundus ignarus inuoluebatur. Et de hoc planius dicitur, quòd erat vsque ad legem. Non enim ex illa lege venit, cum ex Adam processerit, sed potius ex illa lege manifestatum est. Erat autẽ, & debacchabatur per varias concupiscentias ante legem, absq; imputatione tamen. Nam quod cũque veniebat ex eo peccato ex necessitate somitis impellẽtis, non erat æquum vt imputaretur tanquam nouum peccatum, quod parit secundam & æternam mortẽ. Erat tamen illa prima mors super homines ex veteri peccato. vnde ait:

Sed regnabat mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam in eos qui non peccauerunt, &c. Ne autẽ putares, peccatum illud penitus nõ fuisse imputatum, adiecit, quòd regnabat illa mors (de qua iã dixerat) quę ab illo peccato venerat. Regnauit autẽ vsq; ad Mosen, ex eo quòd tunc apparuit peccatũ, & significata est medela peccati: vt inciperet illa mors amittere regnũ. Nam tunc populus ille accepit legem, qua dictum est: Non concupisces. Non enim poterat homo ex lumine quod habebat à natura, satis cõiectare concupiscentiã esse peccatũ, vt inferius docet ipse Apostolus, dicens: Nam concupiscẽtiam nesciebam, nisi lex diceret, Non cõcupisces. Quid est dicere, nesciebam concupiscentiam, nisi, nesciebam eius rei malitiam? Cum enim concupiscere carni, sit ei naturale, nec possit homo fœnare illã ne concupiscat, imò nec potsit absque gratia, & gratiæ auxilio non consentire illi concupiscenti, proculdubiò non poterat diuinare hoc esse malũ, quod sibi à natura inesse perspiciebat. Quod enim naturale est, neque laude, neque vituperio dignum esse Philosophus docuit, & ratio videbatur cõfirmare. Tametsi alia parte, cum ad superiorem hominis partem respiciebat, rei indignitatem cogebatur agnoscere: sic tamẽ poterat in his tenebris cernere concupiscentiæ legem esse improbam, & in decoram tantæ creaturæ, quanta est homo. Sed qui poterat scire vnde venisset? Et ideo miser homo non valebat agnoscere peccatum, nisi doceretur per legem, & à Deo desuper. Et cum nõ posset agnoscere esse peccatum, non poterat nec quidem cogitare (nedum optare) remediũ. Et sic regnabat in eum peccatum, & eius mors vsque ad Mosen: quo tempore & nosci, & simul cœptum est illi obuiari.

Notã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota de prouidentia Dei.

Verùm hîc magnum exoritur dubium: dicet enim mihi quis. Ergo Deus vſque ad Moſen dimiſit in eo peccato mundũ abſque remedio, vt propterea nullus potuerit habere ſalutem, & liberationẽ ab ea morte? Abſit. Sed dicimus, quòd quæ erant remedia, non veniebant ex lege naturæ, niſi in eis qui per eam legem ita proficerent, vt per Angelos internam huius rei illuminationem mererẽtur, & venirẽt vſque ad eam, quã lex Moſeos dabat, notitiam. Nam tũc ſibiipſis erant lex: quanquam vix etiam poterãt venire ad limpidam originẽ cognoſcẽdæ mortis & vitij naturæ, niſi vel traditione maiorum, vel certa reuelatio illius peccati veniſſet à Deo, quæ per paucorum erat. Cum igitur nõ eſſet publicè datum remediũ, neque publicè illius peccati retecta notitia, rectè dictũ eſt, quòd mors regnabat etiam in eos qui non peccauerunt, *in ſimilitudine præuaricationis Adæ*. i. in eos qui nõ peccauerunt actualiter per ſeipſos, ſicut fecit Adam, quales ſunt habẽdi ipſi pueri. Iraque mundus vſq; ad legẽ paſſus eſt graſſationem illius peccati: quãuis multi ab illo fuerint liberati, qui pertinuerunt potius ad legem gratiæ, quàm ad legem corruptæ naturæ.

Sunt tamen qui ſic exponunt. *Regnauit peccatum in eos qui non peccauerunt*, nimirum peccatum Adæ. Redditur autẽ ratio, quare in eos regnauerit, cum ipſi non peccauerint: quoniam *in ſimilitudine præuaricationis Adæ*. i. in ea præuaricationes ſimiles inuenti ſunt ipſi Adæ. tanquam in quo omnes continebamur, & ſimiles illi facti ſumus, eius preuaricationis participes. Hæc expoſitio vera eſt in ſe. An verò eam ferat litera, ipſe lector iudicet. Siue autẽ hæc, ſiue ſuperior expoſitio eligatur (nam vtraq; in idem recidit) notabis hîc differentiam temporum: hanc etenim Apoſtolus indicare volebat. Ante legem derelictus eſt mũdus ſine doctrina illius peccati, ne fieret imputabile, cum nõ eſſet tempus adhuc indicãdi remedium. Poſtmodo per legem indicatum eſt peccatum, ſimul & remedium. Demũq; verò per euãgelium omnibus vltrò propinatũ eſt. Non me latet B. Ambroſium legere hunc locũ abſque negatione, & hoc magis probare. Dicit enim regnaſſe mortem etiam in eos qui peccauerunt in ſimilitudine præuaricationis Adæ. Sed quis dubitare poterat, quòd in illos qui actualiter peccarũt, ſicut Adam, regnauerit mors? Cur autem diximſſet Apoſtolus etiam in eos qui peccauerunt? cur diximſſet; etiam; tãquam eſſet magis dubitabile, & minor ratio, vt debuerit mors regnare ĩ illos? Quare prior lectio melior veriorque videtur, niſi fortè illud; *etiam*; abunder, & non ſit in textu.

Quod autem dicitur Adam eſſe forma futuri, ſic intelligitur, vel quòd in illo figurati ſunt poſteri, qui conſentur cum illo peccaſſe: Vel (quod magis placet) quia ille fuit quodã modo typus, ad quem Deus futurũ Adam, id eſt, ipſum Chriſtum redemptorem noſtrum aptauit, ſed cõuerſo modo, nempe: Vt ſicut ille perdidit, Ita Chriſtus ſaluos faceret. Ille inobedientia & peccato: Chriſtus obedientia & iuſtitia. Ille guſtando dulcem fructiferi ligni cibum: Chriſtus guſtãdo ligni ſterilis amarum. Et ſic facile eſt inuenire alias huius antidoti admirabiles congruentias. Addit tamen:

Sed non ſicut delictum, ita & donum, &c. ne putaremus per omnia cõuenire typum: ideo hîc declarat excludi Adam priorem à ſecũdo Adam: quoniam non tantum nocuit ille, quantum profuit iſte. Vnde ait:

Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Græcè verius legitur, in multos, non in plures. Eſt ergo dictum Apoſtoli, quòd licet vnius delicto multi mortui, tamẽ gratia Dei, id eſt, donum illud iuſtitiæ, propter gratiam vnius hominis Ieſu Chriſti, abundauit in illos multos, hoc eſt, vis gratiæ in bonum exceſsit vim delicti, quod erat in malum. Hîc verò nota quòd non auderaſſerere omnes mortuos per Adam, ſed dixit, multos: fortè volens ſeruare ſe ab immaculatiſsima Virgine Dei Matre. Nec alienum videri debet, ſi ita (Spiritu ſancto autore) proſpectum eſſe futuris quæſtionibus exiſtimaremus. Porrò declarans in quo exceſſerit gratia, ait:

Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. Credo hoc in loco; &; (ſicut ſolet) accipi pro; quia; vt declarentur dicta ſuperius, & ſit hic ſenſus. Quòd enim gratia & donum multò magis abundauerit, hinc probatur: Quia nõ ſicut per vnum peccatum (ſupple tu) meritò veniebat iudicium in omnes, ita per Chriſtum ab eo tantum peccato venit meritum iuſtificationis in omnes. Nos. n. a multis delictis illi peccato ſuperadditis meruit Chriſtus iuſtificare. De merito enim hîc loqui videtur Apoſtolus, & nõ de facto, cum ſeipſum declarãs dicat:

Nota de gratia Chriſti, ſi conferatur cum peccato Adæ.

Nam iudicium quidem ex vno in condẽnationem. Non audet dicere fuiſſe pronunciatam damnationẽ, ſed quòd ſecundum meritum iudicium erat ſic diſpoſitum ad condemnationem, propter illud vnum tantum delictum. Donũ autem ex multis delictis ad iuſtificationem, hoc eſt, donum Dei per Chriſtum diſpoſitum fuit vt daretur, non ad iuſtificationem tantum ab illo delicto, ſed à multis delictis. Et ſic patet quomodo meritum Chriſti ad bonũ, extendat ſe ad plura peccata, cum demeritum fuerit tantum ex vno peccato. Non me latuit græcè hunc locum aliter legi, videlicet: Et non ſicut per vnũ peccatorem. Sed noſtra lectio mihi videtur verior, vt ſit ſenſus, Magis etiam de facto profuiſſe, quod habuit Chriſtus in meritis pro nobis, quàm obfuerit quod ex demeritis Adæ de facto contigit aduerſum nos. Quod & probat ſubdens:

Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, &c. Ecce quomodo obfuit peccatum illud: quia mors regnauit per illud peccatum in multos. Sed ecõuerso, vide quomodo qui acceperunt abundantiã gratiæ & iuſtitiæ, habeant vitam, in qua multò magis regnant per vnum. Ecce, expendamus conditionẽ mortis illi⁹, & regni eius, quæ mors accidit ob peccatum: & conferamus cum illius vitæ conditionibus, & regni eius vitæ, quæ nobis confertur per Chriſtum. Mors enim illa non erat perfecta mors, nimirum ſecunda illa, quæ aufert omnem vitam. i. vitam gratiæ beatam, & vitam hominis fœlicem, vt homo eſt. Illa enim mors quę ex illo peccato nobis accidit, & ſi amputat vitam gratiæ, non tamen vitæ humanæ ſuam aufert fœlicitatem. Ideo pueri (vt iam diximus) etiam ſi in eo peccato moriãtur, ac propterea non ſit illis aditus ad vitam ęternam, tamen non carebũt humana fœlicitate, ſicut credibile eſt. At vita beatorum perfectiſsima erit, omnẽ

concludens felicitatem. Ad hæc regnũ illius mortis fuit temporale regnum. Regnauit. n. vſque ad Moſen (ſicut declaratum eſt) & cœpit deſtrui oſtẽſo morbo, & indicato remedio, & hoc magis in aduentu Chriſti. Quòd ſi etiam regnauit in multis, in eos, in quos regnauit, habuit temporale regnum, ſcilicet, vſque ad iudicium. Nam tunc mors ex illo peccato veniens eliminabitur in ſempiternum: nec erunt tunc vlli filij iræ, niſi qui ex nouo & proprio peccato rei inuenientur æterni delicti. Nam pueri qui deceſſerint abſque gratia Dei, & ipſi quoque inſtaurabuntur: & ſi non ad gloriam in cœlis, ad ſuam tamen fœlicitatẽ in terris vt non nulli Theologorum non temerè crediderunt, & ſic non penitus filij iræ inuenientur. Poſſumus autem hoc in loco (cum de accipientibus abundantiam gratiæ, & donationis iuſtitiæ ſermo eſt) intelligere de his, qui præcipui ſunt acceptores donorum ſecundum Spiritus abundantiam, qui & prædeſtinati ſunt coram Deo: quibus ita diſpoſitum eſt regnum, vt nullo modo ab eo diuelli poſsint ob eximiam gratiam, quam decreuit eis impartiri Deus per Ieſum Chriſtum. Sequitur:

Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condamnationem. Poſtquam declarauit in quo typus excedatur, nunc in quo conueniat exponitur. Et primò quoad meritum: Secundò quoad effectũ. Et de merito quidem ait: Quòd ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem. Eccè hîc manifeſtè deeſt verbum (quia de merito loquebatur, non de facto) quia condemnatio illius peccati ſuſpenſa eſt propter decretam reparationẽ. Erat autem huius delicti meritum, vt ſententia in omnes homines procederet ad condemnationem: nec propterea ſequitur, quòd ita de facto fuerit. Vnde quidam ex hoc loco ineptè inferunt. Beatiſsimam Virginem ſubiacuiſſe illi peccato. Ineptè inquam, ſiquidem non aliud hîc probatur, niſi quòd meruit ſubiacere, vt Adæ filia: quod nemo negat. Sicut econuersò, cum dicitur:

Nota hæc, quomodo Apoſtolus non de facto loquatur, ſed de merito.

Sic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem. Apparet enim de facto per Chriſti iuſtitiã non omnes fuiſſe iuſtificatos. Ergo de merito loquitur Apoſtolus, vt ſit verus ſermo ipſius. Nam ſi quod dicitur, in omnes homines, cum de Adæ peccato eſt ſermo, ſimpliciter (vt vis verborum ſignificat) intelligitur: ſic profectò debet pariter intelligi, cum eſt ſermo de Chriſti iuſtitia, illud idẽ quod dicitur, *In omnes homines*. Nam hoc reſtringere ad regeneratos tantum, ſiue ad prædeſtinatos, apertè violat literam, & deſtruit conuenientiam typi. Apoſtolus enim æqua lance iſta diſponit, videlicet delictum Adæ cum iuſtitia Chriſti, quòd ſicut illud delictum in omnes homines, ita hæc iuſtitia in omnes homines. Sed iuſtitia non de facto in omnes homines, ſed de merito: ergo & delictũ de merito, vt ſimiliter de vtraque dictum verificetur. Quia ſicut meritum Adæ per delictum extendebatur in omnes, ita Chriſti meritum per iuſtitiã extendebatur in omnes, modo in omnes applicaretur. Quòd ſi non applicetur omnibus, per ipſum non ſtetit: ſicut nec per Adam ſtetit, quo minus applicaretur ſui delicti meritum in omnes. At nos cum omnibus piis credimus, ſanctiſsimam Dei Matrem per eximiam Chriſti filij eius Domini noſtri gratiam fuiſſe exemptam. Per gratiam, inquã, non per naturam: ne quis calumnietur, nos illam facere Chriſto filio parem, qui ex ſuiipſius natura hoc habuit, ne vlli prorſus peccato poſſet ſubiacere: Mater verò ex gratiæ dono in gratiam Filij, vt decentiſsimum erat. Sed nos de hac re alibi. Nam cùm de efficacia peccati Adæ, & iuſtitia Chriſti loqui voluit Apoſtolus addiecit:

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, &c. Ecce hîc, quomodo multos opponit multis. Non enim dixit, omnes conſtituros peccatores per Adam, ſed multos. Et ſimiliter per Chriſtum, nõ omnes conſtitutos iuſtos, ſed multos. Loquitur enim manifeſtè de iis, qui effectu ipſo conſtituti ſunt tales, hoc eſt, vel peccatores per Adam, vel iuſti per Chriſtum. Nam de Chriſto Iſaias palam ait: Iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos. Sequitur: *Iſa. 53.*

Lex autem ſubintrauit vt abundaret delictum. Quoniam dixerat, legem non ſolùm non iuſtificare coram Deo, ſed iram etiam operari: & hoc videbatur pertinere ad ſugillationem Dei, qui rem nedũ inutilem, ſed inſuper noxiam per ſeruum ſuũ Moſen introduxerit: hîc aperiens Dei prouidentiam, diuinum cogitatum plenum miſericordiæ & æquitatis detexit. Ait ergo: *lex autem ſubintrauit*, id eſt, quaſi latenter & obiter irrepſit, tanquam non ad rem faciens, hoc eſt, ad ipſam iuſtificationem, quod tamen erat intentum Dei principale, ſed hoc fuit, vt abundaret delictum. Ad talem. n. finẽ valuit illa, & hoc Dei ordinatione factum eſt, nõ vt huiuſmodi eſſet finis legis, videlicet, peccatum, ſed abundantia gratiæ, quæ ſuperabundaret, vbi abundaſſet delictum: quod accidit Iudæis, quibus data eſt lex. Ipſi enim ſupra modum ob acceptam legem conſtituti ſunt peccatores: ideo abundauit in eis delictum. *Nota ad quid data fuerit lex.*

Nec metuendum eſt confiteri Deum velle peccatum, vt & B. Auguſtinus ait. Non quia ipſe velit peccatum, vt eſt peccatum & malum, ſed vt bonũ eſt, putà, vt eſt vel pœna peccati, & vindicta in reprobos (ſic enim intenditur à Deo, & bonum eſt, non malum) aut vt ipſum peccatum eſt occaſio ad bonum in dilectis & electis ſuis, vt cedat in gloriam ſuam. Et ſic Deus vult interdum, atque intendit peccatũ hoc pacto, dum id præcipit, quod videt hominem non facturum, qui tamen putat ſua ſuperbia ſe poſſe facere, vt agnoſcat miſeriam ſuam, & certò compertum habeat ſe non poſſe facere, & ſic humilietur, & confiteatur, & deprecetur, vt conſequatur miſericordiam, & facultatem faciendi. Sic non ſolùm permiſit negare Petrum, ſed etiam voluit, & hoc intendit, derelinquẽs eum propriæ fortitudini & viribus ob præſumptionẽ eius, idque meritiſsimè. Sed factum fuit miſericoditer, quo illi ſeſe, & infirmitatem ſuam agnoſceret, & humiliaretur, & confiteretur & conuertereturr, & ſanaretur, & diſceret erga alios eſſe miſericors. Et hac prouidentia vſus eſt Dominus erga mundum ad domandam eius ſuperbiam. Dimiſit enim illum ingredi vias ſuas, vt reipſa videret, ſe nihil boni poſſe facere ſine illo, ſed plurimum mali. Et Iudæorum populo, quem peculiariter dilexit etiam vt magis abundaret delictum, per legẽ prouidit, vt peccatum concupiſcentiæ agnoſceret, id eſt, morbum ſuum: vt miſer homo nolens tranſ- *Quomodo Deus velit peccatum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gredi, & nihilominus transgrediens, verè recognosceret suam infœlicitatem, & curreret ad medicum & medelam: & tunc abundaret misericordia Dei.

Attamen sunt qui exhorrent confiteri, Deum quouis modo intendere peccatum, & volunt ly; vt; consecutiuè, non causaliter accipi. Et non vident quòd si Deus præcipiat alicui quicquã quod ille non potest efficere, ex ipso præcepto consequenter peccatum vult, & intendit. Non dico quòd ipsa lex intendat hoc: quia non est legis intendere malum, sed bonum: quanquam lex ipsa non intendat quicquam, sed legis autor. Non autem poterat lex impleri, sine gratia Christi: gratia autem non veniebat sine confessione peccati. Cõfessio autem non exculpebatur absque cognitione ipsius peccati. Cognitio autem propter superbiam hominis, non poterat prouenire absque præuaricatione & transgressione. Præuaricatio autem & transgressio non erat absque lege. Ergo de industria data est lex, vt peccatum inualesceret, & hoc homo agnosceret, & humiliaretur. Ergo non intẽdit peccatum Deus vt peccatum, & vt deordinatio est, sed in remedium propter conditionem hominis malam & proteruam, vt constitueretur in dispositione ad accipiendam misericordiam: quod sola facit agnitio, & confessio peccati, & humilis prostratio suiipsius coram Deo. Tunc enim accurrit, & effundit ille misericordiam suam, vt est in parabola de filio prodigo. Neque tamen sic vsus esset peccato nostro Deus ad bonum, nisi in eum statum homo semetipsum coniecisset, vt iam esset necessarium ad salutem apparere peccatum, & consequenter peccare, vt per hoc magis pateret infirmitas: & nos aliquando agnosceremus nosipsos infirmos, & (sicut diximus) curreremus ad medicum & medelam. Nam (vt rectè inquit B. Thomas) etsi morbus corporalis medelam possit suscipere etiam ipso ægroto nesciente, aut etiam inuitò, non sic tamen est de morbo animæ spirituali, qui venit ex culpa propria contra Deum. Nisi enim homo infirmus morbum animæ suæ agnoscat, & pœniteat, & oblatam recipiat: imò etiam petat medelam, honorans medicum, non saluabitur. Sic ergo necessarium fuit vt abundaret delictum, & sic legem dari, qua lata fierent transgressiones, & agnosceretur status morbi: & ita desideraretur medicus & medela, & consequenter sic legitimè obueniret ægrotantibus salus. At ab initio, cum esset homo in statu integro, nequaquam necessariũ erat peccatum, nec à Deo fuit vlla de causa intentum, vt rectè docet B. Augustinus. Vnde quod canitur in ecclesia: O verè necessarium Adæ peccatum, non est absolutè intelligendum, sed ex suppositione, id est necessarium ad ostensionem diuini illius excellentis erga nos amoris, quæ ostensio non fuisset, nisi Adam peccasset. Sed ostensio illa non erat conueniens nisi peccato posito, & peccatum illud nullo modo tunc erat desiderabile, nec dignum vt à Deo quouis modo intenderetur, ad ostensionem illam suæ misericordiæ. Quis enim sapiens pater intendat filij existentis in iustitia, & non proterui, contumaciam, vt ostendat suam erga illum misericordiam? Aut quis intendat periculum vllum eius qui bene habeat, vt liberet eum ab illo? Proculdubio inconuenienter talia & cogitantur, & dicuntur. At iam facto filio rebelli, & contumace & proteruo, & hoc non ex patris prouidentia & deliberatione, sed mala illius voluntate, potest quidem pater consultò, & de industria, nec sine prudentia, talem filium dimittere vt incidat in pericula, & miserias: imò & occasiones honestas ea ratione præbere, vt sese tandem cognoscat, & reuertatur, & resipiscat, & imploret veniam & indulgentiam paternam, & obtineat. Hoc igitur fuit consilium diuinum (exorto iam à culpa nostra peccato) vt per legem crescere, vt sic agnosceretur, & veniam mereretur, & gratiæ abundantiam. Vnde ait:

Nota hæc diligenter.

Differentia inter morbum corporis & animæ, & hominem medicum, & Deum medicum.

Adæ peccatum quomodo necessarium.

Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia, &c. Non est dicẽdum, *in mortem*, sed, *in morte*: quia peccatum & infirmitas illa non erat ad mortem iam parato Redemptore: sed dicit, *in morte*, id est, in illa priore morte, quæ non erat perfecta, sicut declarauimus. Regnum enim illius peccati erat in ipsa morte gratiæ, vsque ad aduentum medici. Moses enim non fuit medicus, sed fecit potius vt per legem inualesceret peccatum, & morbus peccati. Solùm in lege prophetauit de illo, per quem mactandum erat peccatum, & ipsa mors, & loco peccati & mortis, restituenda iustitia, & vita gratiæ, quæ regnaret ad vitam æternam per ipsam iustitiam, & per Iesum Christum Dominum nostrum. Quo in loco consydera statum, in quo positi sumus per Christum: quia prius regnabat peccatum in morte, vt non possemus non peccare. Nunc regnat gratia per iustitiam, vt non cogamur peccare nisi dederimus nostra sponte manum peccato. Et quidam etiam propter eximiam gratiam Dei, peccare non possint ad mortem.

Nota statum in quem peruenimus per Christum.

CAP. VI.

QVID ergo dicemus? Manebimus in peccato vt gratia abũdet? Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo: scientes quòd Christus resurgens ex mortuis iã non moritur: mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit,

viuit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autẽ Deo in Christo Iesu.

QVoniam ex Apostoli doctrina malè accepta, quidam prauas consequentias colligebãt, & aiebant: Si commendatur gratia Dei ex abundantia peccati, ergo peccandum est, & non est suscipienda medicina, sed manendum est in peccato, vt abundet gratia. Respondens B. Paulus, primùm abominans talem conclusionem, ait: *Absit*. Tum affert rationem, vt inualidum argumentum ostendat, dicens:

Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? vt sit sensus, Qui in bono statu existũt, non debent intendere in malum, sed quiescere à malo: nec debent sperare vitam in eo, vnde est per se mors. Prius enim quàm reciperet homo gratiã Dei, cum esset in ægritudine, & viueret peccato (quod super eum iustè dominabatur) Dei benignitas interim procurabat illi vitam licet persisteret in illo peccato, quin & peccatum peccato adderet, nec aliter facere posset. Substentabat autem illud peccatum Deus, tue in suum effectũ (qui est mors secunda) erumperet, vsque ad exhibitionem medicinæ in mente diuina iam præparatę, & vsque ad recuperationem sanitatis, tanquam conniuens interim, & dissimulans delicta. Nam corã Deo quodam modo viuebat adhuc homo (quanquam infirmus) quia positus erat in eo statu, vt acciperet medelam sua die, paratam sibi ab ipso Deo. Ergo vbi iam venit gratia, & reddita est sanitas per medicum & medicina, minimè peccandum est, vt gratia abundet: sicut nec ab initio, cum esset natura integra intendit Deus peccatum hominis, vt ostenderet abundantiam gratię. An vllus vnquam peritus & fidelis medicus consulet homini prospera corporis valetudine vrenti, sese vt crapulæ dedat, ægritudinemque incurrat, quò suæ in eum artis exercendæ postmodo habeat occasionem? Hoc sane vir prudens nunquam committet. At postquam is qui sanus erat, in grauem aliquem morbũ propria culpa inciderit, quædam ei de industria indulget, imò etiam præbet (quæ aliàs per seipsa essent noxia) eo quòd nouit per medicinam, quam parauit, illa omnino vomitanda, seu eiicienda quocunque alio modo: nec posse aliter euacuari, nisi pluta sic fuissent simul congesta. Recepta verò iã sanitate per medelam sapiens medicus non iã permittit ægroto vt quicquam tentet, quod ad distemperantiam humorum faciat, ac denuò ægritudinẽ inducat: imò hoc ipsum instantissimè prohibet, ne fortè etiam in peiorem conditionem recidat. Et hanc prudentiam Christus nobis ad huius rei doctrinam manifestauit, quùm hominem illum, quẽ sanauerat ab infirmitate, offendens in templo, dixit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi contingat: quoniam recidiui grauius ac periculosius postmodo laborant. Hanc doctrinam noui hæretici omnino ignorant: sed perinde docent, ac si semper homo in priori statu maneret, nihil sanitatis in baptismo recipiens, nec vllum Spiritus donum. Sequitur:

An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus, &c. Mirabili doctrina hoc ipsum nobis Apostolus ex typo ostendit, in quo vt id cernas, aduerte diligenter, eos qui baptizantur Christi Baptismo, in Christũ Iesũ baptizari, id est, quodã modo induere illum, vt in eo maneant, sicut de illo nobis mystica significatione declarat scriptura. Cùm igitur baptizamur in illum, non nisi in illum cruci fixum, & mortuum baptizamur: quoniam in mortem ipsius baptizamur, hoc est, ipsam eius mortẽ, ac sepulturam illa immersione commemorãtes & significantes. Hoc autem non aliud est, nisi profiteri effectũ suæ mortis in nobis, qui est mors peccati. Ergo quicunque baptizamur sic in Christum intrantes, ita morimur peccato, sicut ille mortuus est, ad delendum illud. Et sicut à corruptibili vita illa, quæ erat quædam mors, liberatus fuit morienda: sic & qui in illum ingreditur, debet effici liber à priore conuersatione, qua satisfaciebat peccato. Et sicut sepultus est ille post mortem, & tres dies mansit vsque ad resurrectionem: sic & sepultum oportet manere corpus peccati, quod est caro hæc nostra putida, condita tamen aromantibus, id est, odore bonorum operum, & spe resurrectionis futuræ, donec appareat illa perfecta resurrectio: & interim reliquum temporis, abiectis prioribus desideriis, viuamus Deo. Vnde declarans hæc, ipse ipsemet ait:

Nota pulcherrimum typũ in baptismo conditionis Christianæ

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt sicut idem Christus resurrexit per gloriam Patris, non ad veterem vitam, vt vlterius satisfaciat peccato (quod fecit semel) sed in vitam nouã, incorruptibilem, gloriosam, vt viuat Deo in sempiternum, nunquam moriturus. Sic & nos post extinctionem peccati, debemus in vitam nouam resurgere, sine corruptione peccati ambulãtes cum illo inculpabiliter & innocẽter, quadraginta dies, id est, perpetuum vitæ nostræ tempus vsque ad ascensionem cum illo, sicut post resurrectionem ille fecit cum discipulis suis. Tantundem enim temporis nobiscum manet Dominus, vt nobis illuceat. *Quoniam si complantati* (melius coinsiritij, vt habet græca vox) *facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Nam perinde ac si inserere mur in corpore Christi ad nouam vitam, in ipso baptismo commorimur præteritæ vitæ, quæ fuit in peccato: vt sicut ille resurrexit in gloria, sic & nos aliquando cum illo. Nam quod insitum est, & manet in eo in quo est insitum, ab eo accipit vigorem vitæ, & eius vitam meritò consequitur. Et amplius declarans, addit:

Hoc scientes, id est, hoc scire debentes, *quòd vetus homo noster*, ipse Adam, in quo eramus omnes, *crucifixus est* nimirum cum Christo in eo corpore. Et propterea nos extincti sumus, quatenus peccatores eramus cum illo, & in illo: quia Christus illum hominem, & nos omnes posuit in carne sua, vt sic cum illa destrueretur totum corpus peccati, & omnis eius vis, ita vt non sit nobis necesse vlterius seruire peccato: quoniam regnum suum perdidit.

Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato, id est, Christus qui se peccatorem constituit pro nobis, & reum, soluto debito per mortem, & vnam suiipsius hostiam, iustificatus est à peccato, scilicet, vt non teneatur amplius ad soluendum, & sic moriẽdum pro illo quod semel fecit. Vnde iustus est factus, vt viuat Deo. Sic & omnis qui in illo est ba-

Universidad de Deusto Biblioteca

ptizatus,inuenitur mortuus cum illo,& sic iustificatus est à peccato:quoniam peccatum nullum ius in eo habet,vt iure valeat dominari, cum sit solutum illud debitum.

Quodnam ius habuit peccatū in homines.

Vbi nota,peccatum habuisse ius in ipsum Christum,& in nos,sed vario modo.In Christum quidem volente illo habuit ius afficiendi eum morte vt pro peccatis nostris satisfaceret.Hoc enim ille in se recepit voluntariè mandante Patre.In nos autem velimus nolimus,habuit ius vt teneret obnoxios sibi ad fructificandum, donec sibi satisfieret. Et sicut Christus moriens semel, iustificatus est à peccato:quia satisfecit illi,neque rediit rursus in priorem conditionem,vt amplius esset moriturus sed excitatus est vt viuat Deo:sic qui in illo semel iustificatus est, in eandem conditionem transfertur,tanquam iustificatus à peccato,vt non debeat vlterius seruire peccato,sed Deo,& in gloriā eius: cum in eius gloriam excitatus fuerit. Sicut Christus,qui vt resurrexit ex mortuis,iam non fuit amplius morti obnoxius: quia semel soluit (vt diximus)quod peccato quodammodo debebatur,Ergo in hoc typo similiter considerandi sumus, vt tales inueniamur,quales esse debemus,videlicet, in Christo propter peccatum moriente, mortui peccato: & in Christo resurgente & viuente propter Deum,similiter & nos ex resurrectione à peccati, mortisque dominio liberati, viuamus seruientes Deo,& viuentes illi.

Si autem mortui sumus cum Christo credimus,id est fide tenemus,*quòd simul viuemus cum illo*. Hîc vita gratiæ:in cœlis vita gloriæ, de qua vita hîc intelligit. *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur,&c.* Ostendit typum commutationis nostri status ipsum Dominum,vt in qua conditione simus,intelligamus. Ille enim semel mortuus est pro peccato. Sic & nos debemus semel mori pro peccato in baptismo:& ita non amplius peccare,sed Deo viuere,sicut ille.Quod ipsemet apertè declarat,subdéns:

Sic & vos existimate,&c. Clara est litera.Illud solum notandum, quòd vbi nos legimus: Quod mortuus est peccato, mortuus est semel. Græcè melius legitur.Quod mortuum est peccato:& intelligitur de corpore Christi.Nam illud verè mortuum est peccato,ad extinguendum illud.Sed sensus idem est.Hanc eandem doctrinam nobis tra-

1.Pet.4.

dit B.Petrus Christo igitur,inquit, passo in carne pro nobis, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne,desiit à peccatis,vt iam non desideriis hominum,sed voluntati Dei,quod reliquum est viuat temporis.Ecce vt Christū proponit nobis tanquam peccatorem,& peccatorum typum gerentem: qui postquam passus est in carne pro peccatis,desiit à peccatis,id est, desiit esse mortalis & passibilis,seruiens illo modo peccato, quò satisfaceret ei. Factus est autem postquam peccato satisfecit,impassibilis, & immortalis vt Deo seruiat,non vlterius peccato,propter quod semel est mortuus.Eadem igitur cogitatione armandi sunt omnes qui baptizantur,videlicet,vt intelligant se fuisse peccato obnoxios:qui & seruiebant concupiscentiis eius,vsque ad mortem illam,quā profitentur in baptismo cum Christo. Postquam verò iam satisfecerunt debito,quo seruire peccato cogebantur,& ad nouam vitam promoti sunt,permanere debent in ea,& non implicari denuo sub eadem miserrima seruitute:sed diligentissimè præstantiam noui status considerare, & in eo permanere.Vnde Magnus ille & sanctissimus Pontifex Leo,Agnosce ô homo dignitatem tuam & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire,

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore,vt obediatis concupiscentiis eius.Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo,tanquam ex mortuis viuentes:& membra vestra,arma iustitię Deo.Peccatum enim vobis non dominabitur.Non enim sub lege estis, sed sub gratia.Quid ergo?Peccabimus,quoniam non sumus sub lege,sed sub gratia?Absit. An nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis,siue peccati ad mortem,siue obeditionis ad iustitiam?Gratias autem Deo quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ,in quam traditi estis. Liberati autem à peccato,serui facti estis iustitiæ.Humanum dico,propter infirmitatē carnis vestræ.Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ,& iniquitati ad iniquitatem:ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.Cùm enim serui essetis peccati,liberi fuistis iustitiæ.Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?Nam finis illorum mors est.Nūc verò liberati à peccato,serui autem facti Deo,habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati,mors:gratia autem Dei,vita æterna,in Christo Iesu domino nostro.

Exhort... ad perse... rantiam... noua vi...

Non ergo regnet peccatum,&c. Hactenus hic locus confundit aduersarios, qui negant sublatum baptismo originale peccatum: & aiunt nobis adhuc dominari,vt non valeamus non peccare damnabiliter,sed solùm non imputari nobis peccatum. At ex Apostolica istius loci doctrina nouus colligitur Christiani hominis status, à quo vita pura & immaculata in Christo exigitur: quam si renatus homo præstare minime posset,longè fit status iste deterior priore, in quo peccati abundantia super abundantiam gratiæ inuenit.Hæc autem gratię abundantia nedum præuaricanti in hoc nouo statu non promittitur,sed contrà,pœnarum potius abūdantia.Non eousque stupidi sunt hæretici, vt hæc absurdissima non videant.Itaque nescio qua fronte,eandem cum nostra interpretationem ad hunc locum afferunt(nec enim tergiuersatione vlla po-

Hæreti... dolus... promitt... clare... peiura... monitu...

test hic locus in alium sensum torqueri) sed quasi non inde iugulentur, callidè dissimulant. Sed iis missis,rem nostram prosequamur.

Postquam nos de statu,in quo per gratiam sumus,erudiuit Apostolus,videlicet, insiti in Christo,in morte & sepultura peccati,& in resurrectione nouæ vitæ: vnde sequitur quod iam excitati à mortuis,& secundum vitam gratiæ facti sani,non debemus vlterius relabantes sperare abundātiam gratiæ,ad hoc ita nos hortatur:

*Non ergo regnet peccatum,&c.*id est,fomes & concupiscentia,quam vocat peccatum:quia ex peccato descendit,& in ea peccatum agnoscitur. Non enim omnino extinguitur per baptismum,& com-

Quòd concupiscentia quæ est in carne naturalis, verè non est peccatum.

munem gratiam: nec tamen verè est peccatum, nec vllam peccati rationem habet cum adest gratia,quæ non potest esse simul cum peccato, licet peccati nomen hæc concupiscentia retineat: quia ex peccato venit,& ad peccatum vrget,& omnino morbus est & vitium,in quo antiquum peccatum conspicitur.Non autem verè est peccatum, quia est in carne,non in mente: nec imputabile est iis qui sunt sub gratia,qui illi non consentiunt voluntate.Sublatum est enim debitum habēdi primam iustitiam:sublatum,inquam,per Christum.

Lutherana hæresis.

Hæc diligenter animaduertere debet prudens lector,propter nouam & insanam hæresim, quæ docet per baptismū non esse sublatum peccatum. Prudentissimè igitur hortatur Apostolus dicens: *Non ergo regnet peccatum*:& non dixit, Non habeatis illud,id est,talem fomitem & concupiscētiam, vt noui fatui dogmatizant,qui ponunt in baptizato hoc peccatum etiam imputabile, quanquam non imputetur.At B.Paulus ait:*Non regnet*, id est, & si pugnet,& valeat,non tamen præualeat aduersus spiritum.Nam ne sit,& ne pugnet (secundum communem gratiæ statum)impossibile est.Vnde dixit Dilectus:Si dixerimus quòd peccatū nō habemus,nosipsos seducimus, & veritas in nobis nō est:proculdubio de hoc fomite & concupiscentia intelligens,vt planè procedat illa sententia. Non ergo in voluntate nostra est ne sit, aut ne pugnet, sed ne superet:hoc in nostra est potestate, per gratiā Christi tamē,quā Dominus nulli negat,nisi iis qui proprio delictoilla sese indignos constituerūt, & excisi sunt à Christo.Sed qui manet in Deo,nō peccat, licet habeat peccatum, vt ait idem Dilectus.Aliud est enim peccare,aliud peccatum habe-

Nota.

re:& aliud reum peccati teneri.Habere enim potest quis peccatum,& non peccare,nec peccati reū teneri:quoniam habere peccatum,est esse in ea cōditione concupiscendi:cui si non consentimus,nō peccamus,nec vlli damnationi subiicimur. Vnde Apostolus declarat vbi non debeat regnare peccatum,nimirum,

In vestro mortali corpore:quia in corpore,& in carne propriè hoc malum est,quod repugnat menti: vt apertè ipsemet docet seq.c.vbi ait habitare hoc malum in carne.Et declarat quomodo regnet peccatum hoc,scilicet concupiscentiis eius obedien-

Iac.1.

do per consensum mentis.Vnde B.Iacobus,Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit,parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit,generat mortem.Vnde B.Paulus cauens ne concipiat concupiscentia hæc, & tandem pariat,ait:

Neque exhibeatis membra vestra arma, id est, instrumenta *iniquitatis peccato*,id est,ipsi concupiscentię. Et per membra intelligit omnia organa siue animæ,siue corporis,quibus vtitur anima ad aliquid agendum,aut faciendum:*Sed exhibeatis vos*, id est, voluntatem vestram,*Deo tanquam ex mortuis viuentes*,id est,sicut dignum est eos facere, qui ex mortuis surrexerunt,ne vlterius moriantur.Hoc enim facere summa diligentia debent,nimirum, cauere postmodo periculum mortis,à quo semel euasere cùm,ne in illud iterum incidant,potestatem acceperint,imò & obligationem contraxerint.Quo in loco nota, quod voluntas censetur totus homo: quia est regina & domina.Et qualis illa est, talis homo censetur,siue bonus siue malus.Ideo primū dicit,*exhibete vos*,id est(sicut diximus)voluntatem vestram. Nam cæteræ potentiæ & vires hominis obsequuntur illi:ideo addit:*Et mēbra vestra arma iustitiæ Deo*. Eleganter arma iustitiæ armis iniquitatis opposuit.Nam per iustitiam,omnem virtutem intelligit,qua Deo, & proximo suum ius tribuitur, videlicet,pietas & æquitas.Et contra,per iniquitatem,intelligit omne vitium.Sic & Deum,cui seruiendum est,opponit peccato,id est, concupiscentiæ,cui seruiunt inimici Dei: quia sapientia carnis est inimicitia in Deum.Ne quis verò pugnandi laborem frustra suscipi ob victoriæ adipiscendæ difficultatem,obiicere posset, hoc remouet Apostolus,& militis Christiani animum certa superandi pollicitatione erigit,dicens:

Peccatum enim vobis non dominabitur. Loquitur autem hic de isto malo & peccato, tanquam sit aliquid extra nos,& aduersarium nobis: quoniā est in carne,non in mente.Caro autem(quę homo exterior dicitur)alter quidam homo censetur à mente,quæ dicitur homo interior apud Beatum Paulum:qui renouatur de die in diem.Exterior autem homo de die in diem corrumpitur: quia secum vitium habet, quo semper pugnat aduersus interiorem hominem. Non enim quandiu istius vitæ mortalis cursum tenemus,etiam in baptizatis,extinguitur.Quamobrem non dixit, non erit, quia in baptismo non tollitur,nec dixit,*non imputabitur* tanquam sit imputabile post adeptam gratiam homini humiliato,& confitenti miseriam suam: sed dixit,*non dominabitur*:quia per gratiam & auxilium Dei poteritis ei resistere ne præualeat, quod satis est militanti sub Christo,vnde adiecit:

Non enim estis sub lege,sed sub gratia. Est homo sub lege,cùm ita ei peccatum dominatur, vt nequeat resistere concupiscentiis eius:& nisi minis,ac terroribus legis terreretur,omnino etiam in exteriora facta erumperet.Sub gratia verò est, qui spiritu Dei actus,eius amore frangit has improbæ concupiscentię vires,ne in actum prodeant:quia charitas Dei foras mittit timorem.Rursum.Apostolus ne quis ignauus audiens se esse sub gratia, hinc ad peccandum caperet occasionem, tanquam indulgentiam facile consecuturus,hoc argumentum adducit quo excitari poterant ignaui ad nequitiam, aiens:

Quid ergo?peccabimus quoniam non sumus sub lege sed sub gratia:quod abominans respondet:*absit*.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota contra nouum hæreticorũ dogma.

An nesciti, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, &c. Directò hæc Apostoli doctrina confundit nouorum hæreticorum dogma, qui Dei gratiam cum peccato posse constare prædicãt: quoniam, secundum Apostolicam doctrinam, qui peccant in gratia Dei existentes, amittunt eam, & rursus fiunt serui peccati. Quisquis enim se exhibet ad obediendum alicui, eius seruus fit, siue peccati, id est, ipsius concupiscentiæ, per quam peccauit, cuius finis est mors siue obeditionis, id est, præcepti diuini, cui obediuit; cuius finis est iustitia: quoniam in ea obedientia iustificatio perficitur. Nam in hoc apparuit gratia Dei (vt idem ait) omnibus
Ad Tit. 2. hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Quæ si non facimus, in deteriorem nos statum coniicimus, sicut B. Petrus te-
2. Pet. 2. statur. Melius erat illis, inquit, non cognoscere viã iustitiæ, quam post agnitam retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Sequitur:

Gratia autem Deo, supple tu, *est,* aut debetur, *quòd fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* Clarus est sensus. Nõ enim agit gratias Deo, quòd fuerint serui peccati, sed quòd cum prius essent serui peccati, illa turpissima seruitute repudiata, obediuerunt ex corde in eam formam, siue in eũ typum doctrinæ, qui fuerat illis ostensus, & is accipitur in Christo.
Ioan. 13. Ipse enim exemplum dedit nobis, vt quemadmodum fecit, ita & nos faciamus. In quem typum traditi iã erant Romani per B. Petri prædicationẽ & Barnabæ, qui ante B. Paulum Romam iam peruenerant: etsi impudẽtissimi quidam hæretici negẽt hoc tam constans, totque sæculis iam receptum, totque ac tantis veterum autorum testimoniis cõfirmatum, atque eorum reliquiis, quę perpetua obseruantia custoditæ sunt, cunctis hominibus per-
Nota confidẽtiam impudentissimam hæreticorum. suasum. Sed audi eorum rationem: quia hoc inquiunt, non habetur in scripturis: quasi scripturis debuerint omnia committi. Quo argumẽto quid frigidius? Probatur enim illo argumento, nullibi mortuum esse B. Petrum: quoniam scripturæ non dicunt nobis quo sit in loco mortuus licet dicant illum moriturum. O ceruices malleo dignas. Sed redeundo ad rem: Dicit obediuisse eos in eam formam doctrinæ, in quam erant traditi: quia syncera fide illam susceperant & moribus post inceperunt profiteri. Gratias autem agit Deo de tãto accepto beneficio: quia à Deo venit salutaris hæc status mutatio: vnde ait,

Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Ac si dixerit, Non vobis hoc accidit ex vobis. Nõ enim liberastis vosmetipsos à peccato, sed liberati estis per Christum ab hac indigna seruitute peccati (propter quod gratias agimus) & intrastis in statũ ingenuæ libertatis, vt seruiatis iustitiæ longe maiori alacritate, quàm hactenus peccato seruieritis. Sequitur:

Humanum dico propter infirmitatem, seu, propter ægritudinem *carnis vestræ.* Potest hoc referri simul & ad superiora, & ad inferiora. Ne enim videretur B. Paulus in eorum proprium vituperium hæc obiectare, rem humanam vocat: non quin sit in se turpis, sed quòd communis ex naturæ vitio, & contigit omni homini. Nam cui non contigit, supra hominem & ex gratia fuit. Quod autem hominis est, non videtur ferè culpabile, nisi in parente nostro, ideo excusationẽ habet: quia hæc seruitus accidit propter infirmitatem, id est, ægrotationem carnis vestræ, quæ trahit voluntatem in obsequium sui. Vnde ait:

Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire, &c. Instrumenta voluntatis, quibus illa operatur malum vel bonum, vocat mancipia: sed cum ad malũ exercentur, sunt mancipia peccati, siue iniquitatis: & hoc prohibet fieri Apostolus. Contra autem iubet vt exhibeant ea mancipia iustitiæ ad sanctificationem. Et per iustitiam intelligit infusum desuper Dei donum, per cuius exercitium adiicitur cordi sanctificatio, id est, mundificatio, qua dignus homo constituitur visionis diuinæ.

Cùm enim serui eratis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem ergo fructum, &c. Exponit eorum priorem statum, qui erat seruitus peccati: & consequenter libertas ab imperio iustitiæ. Et fœditatem illius status indicat à fructu: quia arbor à fructu cognoscitur. Et fructum quidem tacet propter honorem autium: signo tamen satis ostendit turpitudinem eius, subiungens:

In quibus nunc erubescitis. Erubescimus enim de turpitudine. Et dicit, *nunc,* id est, in statu resipiscentiæ & gratiæ: vt indicaret quanta olim licentia, & sine vllo pudore peccabant, vt qui indignitatem peccati non agnoscerent: & hoc miserrimum erat. Sequitur:

Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato &c. Mortem dicit finem eorum, qui immunditiæ & iniquitati seruiunt, quod de secunda morte intelligitur: & fructus peccati est ipsa iniquitas completa. Et eorum contra qui seruiunt iustitiæ, fructũ ait esse sanctificationem: quia assiduè per bona opera mundantur, vt fiant digni cõspectu Dei, sicut ille dixit: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deũ *Matth. 5.* videbunt. Propter quod ait Apostolus: *Finem verò vitam æternam,* hæc est autem vita æterna, videre Deum patrem, & quem misit Iesum Christum.

Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna. Differentia est inter præmium peccati, & præmium virtutis. Nam peccato aliud præmium non est, nisi stipendium: virtuti verò etiam donũ: quia virtutis donum est. Stipendium autem hic vocat, græcè obsonium, quod est vilissima merces. Nam olim solis obsoniis contenti erant milites, quæ pro victu dabantur, & stipendia dicebantur. Eleganter autem dixit peccati obsonium esse mortem. Nam cum obsonium paratum sit ad vitam hic sustinendam: e contrario illic pro merito peccati mors obsonium erit. Hoc in lenticule Esau significatum est, propter quam ipse irreuocabiliter statum & prærogatiuam dignitatis amisit: sic est mors in olla. Sed e conuersò, donũ Dei, quod manet seruientes iustitiæ, est vita æterna, quæ est in Christo Iesu, domino nostro, vt sit, α, &, ω, principium & finis, via & vita, gratia & gloria.

Porro hic est locus, in quo nituntur hæretici, & dicunt, quòd gratia Dei est vita æterna, id est, per gratiam habemus vitam æternam. Aut ipsa vita æterna, gratia est. Quod si est gratia, ergo non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia, iuxta do- *Argumentum hæreticorũ, quod*

ctrinã

soluit B. Augustinus in libr. de lib. arb. & gratia. ctrinam Apostoli. Sed ad hoc respondet B. Augustinus, quòd verè bonis operibus redditur vita æterna, sicut euidentissimè dicunt scripturæ. Et tamen quia & ipsa bona opera pertinẽt ad gratiam, rectè dicitur & ipsa vita æterna esse gratia: quod est verissimum. Sed hoc in loco legitur, donum Dei, & declaratur, donum illud quod iis datur qui iustitiæ seruiunt, esse ipsam vitam æternam, vt per antithesin respõdeat stipẽdio peccati, quod est mors æterna. Nec prohibet vitam æternam, & donum esse simul & stipendium, & mercedem, cum & redatur operibus, & nihilominus in immensum excedat valorem operũ, si secundum sui substantiam considerẽtur. Nam tanti opera nostra æstimari, ex gratia est. Quare idem gloriosus doctor Augustinus doctè concedit, quòd si Apostolus vitam æternam vocasset stipendium, non errasset: tametsi donum vocans, lectorem admoneat, omnia tandem ad gratiam Dei debere referri.

CAP. VII.

AN ignoratis fratres (sciẽtibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Si autẽ mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autẽ mortuus fuerit vir eius, libera ta est à lege viri, vt nõ sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaq; fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quę per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Nũc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquãdo. Sed cùm venisset mãdatum, peccatũ reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitã, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mãdatum seduxit me, & per illud occidit. Itaq; lex quidem sancta: & mandatum sanctũ, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factũ est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonũ. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum, nõ inuenio. Nõ enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malũ adiacet. Condelector enim legi Dei secũdum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuãtem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo? quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Igitur, ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati.

AN ignoratis, &c. Etsi locus hic difficilis videatur, sicut reuera est. Neq; enim vllius interpretis expositio ad satisfactionem quadrare videtur. Attamen cum Dei gratia explicare illum rẽtabimus. Putamus enim (si liceat aliquãdo insipienter loqui) nos, per Dei gratiã, sensum Apostoli penetrasse. Primùm autem vt explicemus, statuere oportet, quid hic probare intẽdat Apostolus. Et certè non aliud, quàm statum eius, qui est sub gratia, esse nouum, & longè diuersum ab illo statu, qui dicitur sub lege, & alia huic statui conuenire: vt non miremur, si qua alteratio conspiciatur facta de lege. Supponit autem primùm, esse tunc quempiam sub dominatu legis, quando ille preuaricator eius est. Et hoc erat necesse obseruare, dũ homo inueniebatur sub dominatu peccati. Oportebat enim vel erũpere contra legem, vel solis minis & terroribus legis in officio contineri: quod non erat implere legem, quæ ex Dei amore dilectionẽ præcipiebat. Quapropter qui à malo abstinet solo pœnæ metu, seruiliter operatur, non secundum virtutem: quia reuera malus est adhuc, & ideo sub lege. Nam (vt rectè ait Philosophus, & experientia probat) qui iam praua est ac turpis, nõ bonis ac placidis sermonibus facile amouetur à prosequutione mali & turpitudinis, sed verberibus magis, tanquã iam brutum animal effectum: seruit ergo legi. Sub gratia verò esse, non est aliud, quàm liberatum esse à peccato per legem charitatis internam, & sic ha- *Quid sit esse sub lege, & sub gratiã.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bere facultatem seruiendi Deo de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. In primum statum ventum est per legem, qua cognoscitur peccatum, nec sanatur voluntas, quæ ob peccatum Adæ carens fræno iustitię, non potest liberaliter seruire Deo. In secundum verò statum redacti sumus per Christum, in quo sanata volũtas libenter se exercet in operibus iustitiæ. Et præterea, iuxta primum statum dicimur esse in Adam, qui dicitur vetus homo. Et iuxta secũdum statum dicimur esse in Christo, vtpote exspoliati veteri homine Adam, & induti hominem nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Ex his fiebat, vt quandiu peccatũ in homine dominabatur, lex etiam (quæ data erat homini talem peccati dominatũ patienti) dominaretur illi. Tunc.n. lex dicitur dominari homini, cum illũ deprehendit transgressorem: aut saltem cum illum violẽter cogit ad officia legis. Et hoc non est verè facere legem. Nemo.n. potest duobus dominis seruire seruitute liberali. Nõ oportet aut vnum diligere, & alterum odio habere: aut vni hærere, & alterum contemnere, quemadmodũ in euangelio testatur summa Veritas. Postmodo verò cum per nouum hominem liberatur seruus peccati à peccati seruitute, consequenter à seruitute talis legis eripitur, ita vt lex illi vlterius (nisi propria & noua culpa) nõ dominetur. Nam quodcunq; erat legis ad seruitutem pertinẽs & ad dominatũ, extinctum est & euanuit, scilicet, impotẽtia illa seruandi legẽ, & ipsius legis odium.

Quòd autem hoc sit conueniens, & adhuc probetur ex doctrina ipsius legis, Apostolus doctè & subtiliter incipit manifestare. Et primùm quidem sumit hoc tanquã per se notum ex lege. Quòd lex in homine dominatur, quanto tempore viuit ipse homo, cui datur lex. Nulla siquidem est in mortuũ dominatio. Vt autem ad rem nostram aptè accommodetur eiusmodi sententia, aduertendum est, hominis appellatione in scripturis, pleruncq; eum hominem intelligi, qui seruus est peccati, & sua spõte succumbit libidini, talem agens vitam, qua libẽter viuit peccato: quia citra vllam repugnantiam mouetur ad omnem nutum concupiscentiæ, cum sit carnalis & caro. Huic ergo meritò est data lex iubens illi contraria, id est, quæ sunt sancta, & spiritualia, quæ ille non potest perficere, vt sic meritò dominetur ei lex: quæ tunc dominari (vt diximus) censetur, quum inuenit hominem peccatorem. At postquam talis homo legis præuaricator, aut saltẽ ingratus & seruiliter operans, mortuus fuerit, non amplius viuẽs peccato, sed liberatus fuerit ab illo: continuò etiam liberatur à legis iugo & dominatu. Moritur autem homo, & extinguitur vita hominis (vita nimirum peccato libenter seruiens) cum quis renascitur in Christo, vetere homine crucifixo in illo: quia per Spiritum sanctum innouatur, vt iam ei placeãt quæ sunt legis bona, & sancta, & spiritualia. Et ob id liberatur, vt ea libenter ac liberaliter facere valeat. Hæc præmisit Apostolus, quæ & cupit non nesciri maximè ab iis qui cognitionem legis profitebantur. Vnde ait:

An ignoratis fratres, Scientibus enim legẽ loquor, &c. Fratres eos appellat, ad parandos sibi in re difficili animos beniuolos. Iudæi enim vix vllis rationibus adduci poterant, vt crederent Mosaicam legem, in qua maximam suam præ cæteris nationibus gloriam repoluerant, locum aliquando alteri legi, id est, euangelicæ, dãturam. Quod Apostolus exemplo ab ipsa lege petito nunc illis persuadere conatur, aiens:

Nam quæ alligata est viro mulier, &c. Oportet autẽ sic aptare hæc ad propositum, vt agnoscamus & verum & mulierẽ, & viri legem. Attende, lector, quia hæc subtilia sunt. Vir est interior homo, superior pars: mulier est caro, & dicitur apud B. Paulum homo exterior. Lex viri super illa, est quæ cõuenit ei, vt scilicet, honestè se habeat, & operetur quę bona sunt, & iusta, & multa quidem alia, quæ ad affligendam carnem dura sunt nimis & onerosa. Hæc erat lex Moseos in primo statu peccati; quæ lex imperabat contraria carni, & consequenter contraria homini, qui afficiebatur carni, cum esset adhuc in Adam, imponẽs multa onera seruilia, & insupportabilia. Venit ergo vir iste ad Christũ, & per baptismum mortuus est ille homo interior, crucifixus in carne Christi & euasit in nouam creaturã: viua tamen remãsit mulier, id est, homo ille exterior. Sic vocemus eam carnem, quæ non inuenitur mortua cum viro in baptismo: quia non aufertur ab illa fomes, qui vita quædam est ad peccatum. Inuenitur ergo mulier libera à primo viro defuncto, & consequenter ab illa lege illius viri: & inuenitur copulata alteri viro, qui est ille homo interior, cuius vita est Chtistus, & ita inuenitur subiecta legi noui viri, cui nõ dominetur lex, sicut dominabatur priori viro. Hoc autem, videlicet, quòd mulier liberetur à lege primi viri, non potest dici factum cum adulterio, cum sit mortuus vir ille prior. Et ideo suscipit legem alterius viri, id est, alteri viro conuenientem: ita vt inueniatur nouus homo mortificatus legi, & eius dominationi, quemadmodum superius erat sumptũ. Licet autem non videatur conuenire hęc aptatio superiori dicto: siquidem in eo, à morte eius cui dominetur lex, arguitur & cõcluditur extinctio dominationis. Hoc autem exẽplo contrà: Nam à morte viri, qui dominatur mulieri, concluditur liberatio mulieris à lege eius. Si hoc tamen rectè intelligatur, in idem recidit: solum aliud quiddam nunc adiungitur, quod minus erat superiore dicto declaratum. Erat enim ibi consyderatus homo cui dominabatur lex, secũdum partem tantùm superiorem, quę moritur. Et nunc hic additur mulier, id est, caro, quę non moritur, vt seruiat Deo per baptismũ, sed viuit. Vnde videbatur (saltem quantum ad illam) legem illam antiquam debere adhuc viuere. Sed non ita se veritas habet: quoniam mulier per ipsum virum recipit eius medio illam legem. Itaque si vir mortuus est, & consequenter mortuus legi, ita vt dominatum lex non habeat in virum mortuum, nec habebit etiam in mulierem eius: quia illa mulier mediante viro legem accepit, quo mortuo, libera facta est à lege illa viri. Et quoniam legitimè coniuncta est alteri viro sine vllo prorsus adulterio, illius quoque alterius viri, cui iungitur, legem recipere debet: quæ quidem lex nouo viro minime dominatur, qui volens ipsi legi se subiicit. Est enim lex spiritus vitæ, lex amoris ac libertatis. Vnde ipse potius per illam legem dominatur mulieri, id est, carni suæ, vt æquum est. Hoc enim totum declarans doctor

Nota totã expositionem pro intelligentia scripturarum.

noster in ipsis Christianis, tanquàm in exemplo & figura, adiecit:

Christianos non esse à lege liberos, sed à modo seruiendi, in hæreticos.

Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, &c. Homo erat in carne, quando mens & ratio superior erat addicta carni, subtracta illa iustitia originali & gratia, tanquã vir qui malesuadæ, ac blãdidicæ mulieri auscultat. Hoc.n. meritò fuit ob illud peccatum, quo cecidit primus homo, voci vxoris obediẽs magis quàm voci Dei. In membris igitur ralis hominis per carnẽ corrupti. i. in omnibus instrumẽtis eius, quibus ipse operatur: passiones ipsę peccatorum. i. passiones concupiscẽntiarum, quas lex ipsa excitabat, inueniens carnem cõtumacem, operabantur omnem efficaciã, ita vt homo ea instrumenta haberet promptissima in omnem lapsum concupiscentiæ, vnde fructificabant morti, & propterea lex mortis nuncupabatur. Quanquam græcè legitur, morientes, aut mortui, non mortis: vt sit sensus. Quòd morientes, siue mortui, videlicet, in Christi morte, soluti sumus à lege. At nunc (inquit) id est, postquã homo vetus in Christi corpore extincto, simul etiam extinctus est: soluti sumus à lege illa dominante, sub qua detinebamur: quia lex dominatur homini donec viuit. Et in hõc finẽ soluti sumus ab ea lege, vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Audiãt hæretici, minime nos absolutè liberos à legis seruitute, sed à modo seruiẽdi. Sub lege enim euãgelica constituti, etiam seruire tenemur, sed in nouitate spiritus. Vocat autem vetustatem literæ, quæ iam inde debuit interire. Nam quod veterascit, prope interitum est. Et dicimus debuisse interire, quoad ea scilicet quæ sunt pœnarum, & præmiorum carnaliũ in lege veteri, & cęrimoniarum, & figuratum, quę iam adueniente charitate spiritus, qui aspicit æternã: & veritate Christi, qui apparuit mundo, cessare debuerunt atq; euanescere. Nam perfecta charitas expellit timorem: & veniens veritas iam nõ admittit figuras. Item liberras spiritus soluit illiberalia vincula. Et hoc est seruire in nouitate spititus.

De effectu legis Mosaicæ.

Nunc esset videndum, quomodo vetũ sit, quòd mulier sit alligata viro secundum legem, quandiu viuit vir. Quid enim si tempore legis factum esset diuortium? Et præterea: Nonne liberatur à lege viri mulier, si vir commiserit adulterium, saltem ne teneatur viro circa debitum coniugij? Sed Apostolus hic quid esset ex regula consideruit (vt rectè ait Caietanus) non exceptiones: quanquam sunt quidam exactores nimis duri, ita vt ex pumice succum velint exprimere. Certè hic locus nihil stringit contra diuortium, & præsertim quia Apostolus loquebatur secundum legem, quando etiam quoad vinculum permittebatur diuortium. Sequitur:

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Mouet sibi quæstionem Apostolus: An lex sit peccatum. Appellauerat enim illam legem Moseos, legẽ mortis: quoniam operabatur trãsgressiones, quę fructificabãt morti. Quare videbatur, legem esse peccatum, & ipsum legislatorem Deum peccasse dando illam. Quoniam verò blasphemũ hoc erat, mox cũ horrore respondit: Absit. Et vt ostẽderet q̃ Deus, & lex non intendebant vltima intentione trãsgressiones illas, quæ occasionaliter proueniebãt à lege Iudæo carnali data, sed illud potius, vt ex transgressionibus illis homo peccatũ suum. i. naturę vitium agnosceret, vt cognito morbo, de medico Christo, & de medicina (quæ erat eius gratia) cogitaret, quæ per fidem accipiebatur, adiecit:

Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nàm concupiscentiam nesciebam, &c. Hic primùm absq; controuersia apparet, Apostolum Iudæi carnalis sub lege, & nondum in gratia existentis, personã induere: cui data fuit lex ad agnoscendum naturæ morbum, qui apud Apostolum, concupiscẽtia & peccatum vocatur. Ait ergo: *Concupiscentiam nesciebam*, id est, non cognoscebam istam vim, quæ est in carne rationi contrariam, venisse ex peccato, & ita esse rem vitiosam: neque id vnquam potuissem existimare, cum sentirem esse naturalem, & de vẽtre matris exire, & comitari vsque ad mortẽ. Hanc igitur concupiscentiam vitium esse nunquam coniectassem, nisi lex diceret: Non concupisces. Hoc enim illa dicẽte, ego qui videbam me non posse nõ cõcupiscere, & interim doctus ex lege, quã noueram Deum fidelem esse & absq; vlla iniquitate, iustum & rectũ, coactus sum intra me dicere: cur ergo hæc lex mihi illud imperat, quod non possum efficere? Hem, deprehẽsa causa est. Malum ergo in me est, non in lege, nec in Deo. Lex enim iusta, & sancta, quæ prohibet quod est malũ, videlicet, concupiscere. Cõtentire enim necessãtiò per ipsam legem hoc ipsum me docentẽ compeliebar, malum scilicet & turpe esse, & aduersarium Deo, concupiscere. Et expertus in me hanc inesse malitiam, quia cato dominabatur menti cogens illam ad concupiscendum, confestim deprehendi vitium in natura mea, & rem indignam, & innaturalem, & præter diuinæ prouidentiæ ordinem, vt quod natura superius est atque longè nobilius, ordine immutato subdatur inferiori. Cernimus.n. (vt quidam eleganter dixit) cuiq; optimo dominatum ab ipsa natura cum vtilitate infimorum datum.

Cicero.

Nota diuersos status hominis existentis sine lege, in lege Moseos, & in lege Christi.

Hactenus Apostolus, vt doceret quid conferret illa lex Iudæis, nimirum, cognitionẽ peccati. Qua in parte melioris erat conditionis Iudæus, quàm paganus, qui cum non esset de primo peccato (vnde manat ista inordinatio) à lege instructus, cogebatur vel ignorare turpitudinem concupiscentiæ suæ, & fateri non esse indecoram homini: Vel si meliore rationis luce illustraretur, incusare naturam. In quam audaciam nonnulli venire ausi sunt. Quidam verò naturam incusare veriti, somniarũt in homine sanitatem, & ipsius nostræ naturæ potentiam ita extulerunt, vt ea ab homine in hoc statu corrupto effici posse defenderent, quæ ad dignitatem tantæ creaturæ iudicarunt pertinere. At Iudæus instructus à lege, veniens in hanc meditationem, ab ipso Deo vetari hanc concupiscentiam, & vetari eam tanquam malum & peccatum, & cum videret (si seipsum decipere nollet) quòd non poterat, propter innatã carnis malitiam, non concupiscere, subitò cognouit peccatum. i. vitium in natura. Dicere enim homini fomitem dominantem habẽti, Non cõcupisces, perinde est ac dicere: Noli habere istum fomitẽ ad concupiscẽdum cogentẽ, videlicet, ipsam radicẽ peccati, & perfectæ concupiscentiæ: quoniã malum est. Ecce quomodo illa, quę ab historia, & prophetis habebat Iudęus de peccato originis, & de isto morbo naturæ lapsæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

poterat accipere melius in ſemetipſo per experientiam: & agnoſcere, ſi ſe ad hoc præceptum, Non cõcupiſces, aptaſſet. Apoſtolus enim quia rei naturam docebat, indutus Iudæi perſonam, dixit ſe per hoc præceptum legis cognouiſſe peccatum, & per illud præuaricatorem ſe eſſe conſtitutum. Quo in loco (vt penetres mẽtem Apoſtoli) non intelligas illum narrare de ſe hiſtoriam, & hæc dicere de ſeipſo, quaſi ita fuerit, ſed propter id quod ex natura rei debebat eſſe ex rerum cauſis. Ecce igitur quomodo lex non erat peccatum. Non enim ipſa faciebat, ſed inueniebat peccatum in homine. Et ad hoc data erat, vt vel ſic homo ſuperbus id agnoſceret experiendo, quod nunquam audiendo recepiſſet. Itaq; non erat is legis finis, vt hominem ad ea facienda, quæ minimè poterat, aſtringeret: ſed vt ſuperbus tandem agnoſceret rectum illud & integrum, quod naturæ optimè à Deo ab initio conditæ conueniebat. Et ſic certa & (vt ita dicam) palpabili experientia, hanc in ſua natura lapſa impotentiam perſentiret, & cõfiteretur tantum vitium nequaquam ex Deo eſſe, cuius omnia ſunt opera perfecta, ſed ab aliquo nouo peccato noſtro. Hoc autem nunquam ſuperbus homo audiẽdo ſolùm, & non etiam in ſe experiundo, crediditſet. Quare de ipſo ſecundum carnem Iudæo loquens, & eo qui Iudæus manere vellet, oſtendit Apoſtolus legis effectum ex ſe, cuius erat iram inducere atque mortem: quia lex dedit vitã peccato, vt ex peccato poſſet mortem immittere. Vita peccati ad inducẽdam mortem, eſt peccati per legem Dei cognitio. Quicunque enim voluntatis domini ſui ignarus, contra illam quippiam admittit, nõ perficit peccatum dignum quo vapulare debeat multis. Cum ergo ea lege promulgata, veniſſet iam peccati agnitio, qui legis non parebat præceptis, præuaricator proculdubio conuincebatur, & ita coram Deo moriebatur: quia peccatum illud (quod dum ignoraretur, mortuum erat) exuſcitauit & reuiuiſcere fecit. Et ob eam cauſam lex illa homini in ea perſiſtere volenti, iram operabatur & mortem. Et hoc eſt quod ipſemet Apoſtolus ſubiecit, aiens:

Nota huius capitis vniuerſam expoſitionẽ, ex qua magna doctrina.

Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquãdo. Ecce vides quomodo Apoſtolus induit nunc perſonam Gentilis, & in natura lapſa exiſtentis, cum tamen illud ipſi Apoſtolo minime conueniret, qui nunquam fuit ſine lege: ſed ſeipſum more ſuo, modo in Iudæum, modo in Gẽtilem doctrinæ gratia transferens, dixit, Quòd in ſe ſine lege exiſtente, peccatum erat mortuum: quia non habebat homo ſine lege exiſtens, huius vitij notitiam. Non enim excitabatur ad concupiſcendum per legem prohibentem, quẽ illi diceret: Non cõcupiſces. Et ideo hoc peccatum non habebat in eo, qui ſine lege erat, ſuam ad pariendã mortem efficaciam, & iram Dei perfectam. Non enim imputabatur, cùm nulla eſſet lata lex, quæ illud indicaret. Et ideo homo viuere dicebatur, qui nõ incurrebat quaſi nouus præuaricator ſecũdam mortem, propter ignorantiam. Ideo ſuperius dixit: Lex iram operatur. Vbi autem non eſt lex, nec præuaricatio, ſcilicet perfecta. Et poſt modo: Vſque ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum autẽ non imputabatur, cum lex non eſſet, videlicet iſta: Nõ cõcupiſces. Ecce ergo quomodo in perſona Gẽtilis ait Apoſtolus. Ego viuebã ſine lege aliquando: & (vt ſæpe dixi) vita hæc erat reſpectu ſecũdæ mortis, quæ venit à peccato actuali, quæ mors adueniente lege & mãdato accidit: quia & ipſum peccatum reuixit. Quàm doctè dixit; *reuixit*; Reſpectu enim initij eius in Adam, cum ipſum peccatũ natum eſt, & quandiu eius notitia manſit, peccatum viuebat. Sed cum videret ipſemet Dominus Deus Gentes omnes ingredi vias peſſimas, & eas de ſuo malo deſideraret erudire, huius peccati tantis per paſſus eſt ſubintrare ignorantiã: & ſic mortuum videbatur peccatum, in ipſa ignorantia tanquam tumulo quodam vſque ad legem ſepultum. Lege autem aduenente & illud patefaciente, reuixit. Vnde ait:

Ego autem mortuus ſum (ſcilicet ego Iudæus) *& inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Mihi, ait, nempe Iudæo carnali & volenti manere in meo iudaiſmo, & ſub ipſa lege, inuentum eſt (tanquã de improuiſo) inferens mihi mortem, non ex ipſius mandati natura quod erat bonum, & intẽdebat vitam. Quamobrem igitur? Audi Apoſtolũ. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, &c.* hæc verba facile ex ſuperioribus dictis poſſunt intelligi, vt concludatur, vitium non fuiſſe in lege, ſed in homine: & quòd lex ipſa præcipiendo extimulans vitium, & mẽti dans ipſius vitij intellectum, hæc in Iudæo operabatur, iram videlicet, & mortem ſecundam. Nec tamen hoc intendebat lex, cuius finis bonus erat: quoniam lex Moſeos præcipiens ex intẽtione Dei, erat data, vt hac experientia (ſicut ſæpiſsime dictum eſt) patefaceret vitium Iudęi carnalis, vt cognoſceret per carnis vim erumpentem contra mandatum, animæ morbum, quo reddebatur inualida ad perficiendam legem. Hac autem notitia accepta, iret ad medicum & medicinam, quæ illi oſtendebatur, vt ex carnali Iudæo, Iudæus efficeretur ſpiritualis per verum Iudam. Poſtquam verò hoc edocuiſſet lex ipſa, videlicet, morbum & medicum, functa erat abũdè ſuo officio, vt quod illa (vtpotè in tabulis ſcripta) præſtare non poterat, illamet ipſa Chriſti lex, lex, inquam, ſpiritus vitæ ſuperueniẽs in corde impreſſa efficeret. Itaque lex ipſa quidem ſancta erat, id eſt, illibata, & munda, vt ab eius mandatis conſpicere licet. Ipſa enim primùm prohibebat concupiſcentiam: deinde habebat mandatum dilectionis Dei, quod ſanctũ eſt. Purificat enim cor hominis cum ibi imprimitur: & in ea dilectione conſiſtit omnis iuſtitia. Qui enim diligit, implet legem. Et ideo mandatum iuſtum: quia iuſta præcipit, vt exſoluantur quæ alteri debentur. Et ideo bonum: quia non vult quæri quæ ſua cuiuſque ſunt, ſed quæ alterius. Bonum enim eſt diffuſiuum ſuiipſius. Quare lex præcipiens dilectionem (nam ad hoc referũtur omnia in lege ſcripta) non eſt ex prudentia carnis, ſed ſpiritus. Et hoc eſt quod ait:

Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor nõ intelligo. Non enim quod volo, &c. Hæc ſi cum ſuperioribus coniungantur, manifeſtè indicant hactenus Apoſtolum Iudæi perſonam retinuiſſe, cum nihil appareat, quo videri poſsit, eam mutaſſe. Cui veritati etiam fauet quod nunc addit: *Scimus quia lex ſpiritualis eſt.* Hoc enim dixit plurali numero, tanquã Iudæus ſciens hæc ex lege, modeſtè deferens aliis,

quidem ex lege poterant ſcire, & inde probare vtiliora, vtpote inſtructi per legem. Inſtruebaturergo per legem Iudæus, primò ipſam legem eſſe ſpi-
Pſal. 18. ritualem. Erat enim ſcriptum: Lex Domini immaculata, conuertens animas. Deinde inſtruebatur, quòd ipſe eſſet carnalis, venundatus ſub peccato.
Iſa. 52. Hoc Iſaias dicit: Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. Et iterũ: Omnis caro fœnum. verè fœnum eſt populus. Quis iſte populus, niſi Iudęus ille populus ſub lege & Moſe carnalis, donec
Ierem. 9. peruenirẽt ad Chriſtum? Hoc & Ieremias confirmat: Omnes Gentes (inquit) habent præputium. Omnis autem domus Iſrael incircunciſi ſunt corde. Et illi miſeri gloriabantur in circuncíſione carnali. Et ideo ſcrutatores legis poterant illud reſcire, quòd lex ipſa quidem erat ſpiritualis, ſpiritualia præcipiens, & contra carnem dicens: Non concupiſces. Et quòd ipſe Iudæus neceſſario concupiſceret, etiam nolens. Et cùm ad ſummum efficaciæ legis peruenirẽt, inueniebatur adhuc carnalis: quia volũtatem habebat ſubiectam magis carni, quàm Deo, nondum redemptus, ſed in promiſſione redemptionis exiſtens: quia charitas nondum ei diffuſa erat in corde. Vnde reſpectu Gentilis, erat tanquam incontinens reſpectu intemperati, vt declarat Philoſophus in ethicis. Et ideo dixit.

Quod enim operor non intelligo. Talis eſt incontinens, qui noſcit in genere, & in vniuerſali quod decet, & tanquã bonum veller ipſum decens. At poſtmodum in particulari à concupiſcentia ſeductus, non applicat vniuerſale, vt intelligat id quod agit non eſſe bonum. Si enim attenderet, nunquã illud operaretur, ſicut rectè dicitur: Nemo attẽdens ad malũ, operatur. Ideo non intelligit quod operatur. quia in ipſa praxi decipitur, obnubilatus mente à concupiſcentia quaſi blãdidica pellice, & ſuccumbit. Et hoc pacto non intelligens operatur. Aliqui exponunt: Non agnoſco, id non probo ſecundum rationem: & ferè in idem recidit. Vnde ſubdit:

Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Abſque dubio conſentiẽs etiam abſtractus (vt dictũ eſt) à concupiſcentia & deceptus, cum ſim carnalis, & carni ſubiectus, tanquam non intelligens: quia quod odi in vniuerſali per intellectum, perpetro ſeductus in particulari per affectũ: quia caro non permittit me rectè ſyllogizare practicè. Et bene adiecit:

Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. Ecce quouſque tenditur Iudaica perfectione, quæ ex lege, nimirum, quòd homo carnalis ſecundum intellectum illuſtratus, & eruditus per legem, noſcat quæ bona ſunt, & ad verum bonũ conferentia (Verum autẽ bonum eſt adhærere Deo) & tamen illa bona, & conferentia non faciat, vt poſsit quidẽ docere, non tamen facere, & ideo inconuenienter imò impudenter docere. Et propter ea ſuperius dixerat Iudæo etiam erudito & docto. Ecce tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, probans vtiliora inſtructus per legem, &c. Hactenus non puto quenquã poſſe dubitare circa hanc expoſitionem, qua & Gentilis, & Iudæi ſtatus diligentiſsimè ſimul ac doctiſsimè ab Apoſtolo (paucis tamen) declaratur.

Sed quia reſtabat vt declararet ſtatum gratiæ, ad hoc deſcendit ſumẽs Chriſtiani perſonam, quam ipſe verè per baptiſmũ induerat: non tamen voluit de ſe ipſo loqui, ſed de ſtatu ipſo Chriſtiani hominis. Hoc non animaduerterũt pleriq;, & tamen ex eius verbis poterat facillimè colligi, Dixit enim:

Nunc autem non adhuc ego operor illud, Nunc, id eſt, in tempore gratiæ, quãdo ſtatum gratiæ ſum aſſequutus. Hoc importat illud aduerbium temporis; *Nunc*, ſicut egregiè quodam in loco animaduertit, & notauit B. Auguſtinus. Eſt autem apud B. Paulũ; *Nunc*; nota certa temporis, & ſtatus gratiæ: vnde ipſe idem ſuperius: Nunc ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt. Et iterum: Multo magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, &c. Et iterum: Nunc exhibete membra veſtra. Et iterum: Nunc ſoluti ſumus à lege mortis in qua detinebamur. Et ſequenti cap. Nihil nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu. Et iterum: Nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis. Sunt & alia plurima loca in aliis eiuſdẽ epiſtolis, quibus hoc quod dixi facile comprobatur. Et vide conſequẽtiam textus. Prius dixerat indutus Iudæi perſonam. Sed cum veniſſet mandatum, ſcilicet, legis, quod olim venerat per Moſen, peccatum, id eſt, vis illa concupiſcentiæ reuixit. Et hic ait, Nũc ego non iam operor, id eſt, cum venit tempus gratiæ, etſi concupiſcentia carnis ſuum officium faciat, ego tamẽ non vlterius operor illud, id eſt cum ſim ſpiritualis, mente non conſentio. Et ſic ſi quid caro ipſa operatur, ego nõ adhuc, ſeu non amplius, operor illud ſicut prius, cum carnalis eram dilector carnis pluſquã Dei. Ideo autem non operor: quia non volo, non conſentio. Spiritualis. n. homo non ſolum non conſentit, ſed nec poteſt conſentire peccato, vt ſpiritualis. Qui enim huiuſmodi eſt, ex Deo genitus eſt, & nõ peccat, nec poteſt peccare, vt ait Dilectus. Eſt enim arbor bona, *1. Ioan. 3.*
quæ non poteſt facere fructus malos. Poteſt bene fructificãdo frigeſcere, & non reddere bonos fructus, ſi minus curetur, ac nutriatur. Sed malum inde venire, eſt impoſsibile: quia ibi nec quicquã eſt vitij, nec eius eſt ſuſceptibile. Quod enim ſupra naturam eſt, ex Deo eſt, & quædã eius participatio. Et ideo ſi fiat malum, non facit ipſe, quia nũquam concordat. Qui autem carnalis eſt, conſentit illequidẽ in particulari (vt iam dixi) ſed ſpiritualis nequaquam. Et ideo hanc differentiam primùm conſtituit inter Iudęum & Chriſtianum, illum qui eſt ſub lege, & illũ qui eſt ſub gratia. Carnalis faciens quæ ſunt carnis, ipſe facit ea: quia carnalis conſentit. Spiritualis verò dum ſpiritualis eſt, non cõſentit: & ideo non facit ea. Vnde & totus homo cenſetur ſecundum eam partem, quæ ſuperat. Quo fit vt ſpiritualis non dicatur eſſe in carne, ſed in ſpiritu. Vnde Apoſtolus dixit: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

Quod ſi roges, Vnde ergo venit peccatũ & malũ, quod ex me progreditur, ſi ſpiritualis ſum? Reſpondeo. Ex peccato quod habitat in te, hoc eſt, ex fomite in carne tua, & concupiſcentia carnis. Hãc voco peccatum: quia vitium eſt à peccato originẽ trahens, & ad peccatum extimulans. Hoc igitur vitium, eſt id quod in homine ſpiritui operatur malum, cum operatur. Spiritus. n. ipſe nunquam conſentit, ſed mens, quæ deprauari ſe ſinit à concupiſcentia mala, quæ eſt in carne, vt ait Apoſtolus.

Scio enim quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonum. Quid est bonũ? Ipse Deus, & quicquid participat de Deo. Et ipse Spiritus est Deus. Ergo quod cunq; participat de Spiritu Dei, bonũ est. Et spiritus Dei est amor, & appetitus Dei. Qui ergo huius appetitus particeps est, habet bonũ habitans in se: sed in carne hominis etiã spiritualis, in hac vita, nõ est talis appetitus. Nõ est enim illa adhuc spiritualis, vt velle possit quæ sunt Dei, sed vult quæ sua sunt, & quæ sunt mũdi huius, quæ nec placẽt Deo. Vnde ipse dicet seq. c. Istam carnis prudẽtiam esse inimicitiam quandam inter nos & Deum: quoniã ipsa inimicitiæ radix est. Et hîc dicit, *scio*; superius autem dixerat, *scimus*; more suo, cũ de carnali seipso, tanquã personam Iudæi sustinente, loqueretur: & non dixit, *sio*; quia quod sciebat, ex lege in chartis scripta (quę & aliis cõmunis erat) sciebat. Nunc verò, quia quod sciebat, ex lege Dei scripta in corde suo sciebat, & in seipso experiebatur, dixit, *scio*; quia homo spiritualis, cuius personã sustinebat, habet in se statim istam cognitionem, quòd in carne sua non habitat bonum. 1. participatio Spiritus sancti, vt illa etiam bonũ appetat: quia statim vt mẽs est imbuta Spiritu & iustitia, sentit in semetipsa discordiam inter spiritum & carnem: ideo Apostolus in persona talis ait:

Velle quidem mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio, hoc est: Cũ sim spiritualis, video quòd velle bonum, quod mihi non est innatum natura, sed est à superueniẽte Spiritu superadiectum in voluntate mea, adiacet quidẽ mihi: quod tamen dum volo perficere externis bonis operibus (sic enim perficitur charitas quæ vult bonũ) non inuenio. Nam cum venitur ad particularẽ operationem, ad quam requiruntur organa & instrumenta corporis, quibus bonum quod volo possit perfici, experientia cõprobo nullo pacto me esse idoneũ ad perficiendum. Nam tũc perficitur bonũ, cum quod vult voluntas, & ipsa mẽbra pari alacritate vt id exequantur, concurrunt. In hac autẽ exequutione experior quidem spiritum promptum, carnem autem infirmã. Et hoc est quod alias ipse dixit. Spiritus & caro sibi inuicẽ aduersantur, vt non quæcunq; vultis illa faciatis. Multũ enim per hoc certamẽ de bono (quod alioqui fieret) minuitur, si hoc bellum non intercederet. Vult enim plerunq; orare spiritus, & caro vult dormire, aut quiescere, aut comedere & bibere. Vult ille feriari à carne, & excedere Deo: At illa tristatur, quę vellet ludere, & spectaculis ad sensum paratis oblectari. Indicit spiritus silentium carni, ieiunium, luctũ; & illa protinus murmurat, quæ in risum, & voluptates varias magis erumpere gestit, & in defensionẽ & vindictã ialit. Quòd si verberes & castiges, ex alia parte fit infirma ad bonũ, vt nec sic perficere queas illud κατόρθωμα, id est, rectum illud ac decorũ, quod homini in illo statu integro, in quo eum Deus collocarat, conueniebat. Et hoc propter hanc inter spiritum & carnem inextinguibilem (nisi morte) pugnam. Neq; verò sic erat à principio: quoniã in carne erat bonum, quæ nullo modo rebellasset spiritui, sed fuisset tũc illa metaphorica iustitia, quã viderunt quidem philosophi, sed ad eã non attigerunt, qua vires animæ ita componebantur, vt inferiores essent expeditæ & aptatæ obtemperare superiori parti. i. menti & rationi. Sed hac iustitiam & tranquillitatẽ, in qua primus noster parens Adam fuit cõditus, cuius & nos heredes ordinati eramus, illo suo antiquo peccato irrecuperabiliter amisimus. Nec enim in baptismo nobis restituitur, solùm renouamur in parte superiore mentis: quia ibi Spiritus adueniens recipitur. Mẽs autem ipsa purificatur, quia Deo coniungitur: & consequenter à carne abstrahitur, vt semper meminerimus peccati antiqui, & humiliemur corã Deo, & in hac infirmitate proficiamus, qui in multitudine fortitudinis non profecimus, sed defecimus ac cecidimus. Nam & per hanc infirmitatem & pugnam coacti sumus ad Deum suspirare, poscentes eius auxilium in tanto dissidio, & intestino malo, & prælio, ne succũbamus, vt ipse Apostolus desuper admonitus faciebat.

Nota dissidium etiã in homine qui est sub gratia.

Hanc verò pugnam inter spiritũ & carnem, non possunt nosse, nisi qui spirituales sunt; quia ĩ eis est Spiritus qui penetrat sensum Apostoli: quoniã in se ipsis experiuntur, quæ ille docet. Carnalis quidẽ aliquid fortè suspicari potest. sed vix sentire atque probare: quia & facile carni consentit, & dat manus. Vnde & qui magis spirituales sunt (quia vnaquæq; pars magis conatur propter antiperistasin) magis etiam cognoscũt: Et cum perficere summoperè appetãt illud, ἀγαθόν, id est, bonum egregium, & absolutum, non autem perficiunt: quia diligunt maximè, etiam plurimũ dolent. Non autem dico, nullũ eos opus bonum facere (vt hæretici aiũt) sed non illud bonum absolutũ, sicut vellet Spiritus, vt etiam sępe quod nolunt malum, illud faciant, non tamẽ lętale, si sancti fuerint & cõfirmati. Ideo non dicit Apostolus, πονηρόν, sed, κακόν, volens magis defectum, ac vitiositatẽ, quàm malitiam, aut malignitatem denotare. Nam illud propriè sonat vox, sicut clarissimus oratorũ aduertit. Spiritualis ergo etiã malũ, quod non vult, facit sicut & carnalis. Sed in hoc à carnali differt, primùm circa latitudinẽ. Carnalis enim complebit homicidium, adulterium, & huiusmodi, saltem corde. At hæc facere non est viri spiritualis. Nam cum primùm hæc agit homo spiritualis, desinit esse spiritualis. Fit enim seruus peccati, & diaboli. Porrò quæ coniunctio Christo cum Belial? & quæ societas lucis ad tenebras? Itaq; anathematizandũ est dogma illud, quod noui hæretici suscitarũt, esse in homine peccatore & criminoso gratiam Dei: cõtra quos Dilectus clarissimè ait, Si quis diligit mũdum, non est charitas Dei in eo: quia nec diligit Deum, nec diligitur à Deo. Inimicus enim odio habet Deus. Spiritualis ergo manẽs spiritualis, nõ facit hæc: quia concupiscẽtię malæ non cõsentit: ideo peccatũ non perficit. Facit autem aliquod malũ: quia deficit à perfecto, & offendit in multis, nisi extrinsecus adiuuetur à Deo. Quin & vlterius dico, si dimittatur tẽtationi, non erit potens resistere, quominus & ipse quoq; grandia admittat crimina. Ideo dulcissimus, & nostræ salutis cupidissimus Magister prouidit, vt quamliber oraret, & diceret: Et ne nos inducas in tentationẽ. Nã satis inducit in tentationẽ, quum permittit hostes inuadere, & suas oẽs artes intendere, nec adiuuat.

In hæreticos qui gratiam cum crimine ponunt.

Spiritualis ergo sic deficiẽs in bono propter certamen carnis & contumaciam, si ad malũ, quod caro facit, non consentiat, ipse illud nõ operatur qui resistit, & nõ exhibet ad iniquitatem arma iniquitati. Ideo hæc petulãtia carnis, & hoc eius malum

non imputatur ei in culpam: quia illud facit caro mulier, non vir: nisi fortè quid negligentiæ ei poterit imputari, quòd minus prouiderit. Potest enim in homine sua socordia hoc donum Spiritus esse segne, & frigescere. Vnde cuidam dictum est, Sua deo tibi emere aurum igoitum. At homini carnali bene imputatur: quia non potest excusare se, & dicere: Ego non operor illud. Si. n. carnalis est, succumbit carni. Et iccircò cum illa concordans, & instrumenta permittens ad malum atque exhibẽs, operatur illud. Spiritualis autem non: quia nõ consentit, sed cohibet arma corporis, ne perficiat caro quod vult. Non est tamen sine culpa homo, qui suo libero arbitrio gratia Dei adiuto, facere quæ sunt suæ partis negligit. Est enim in homine spirituali mens informata spiritu, sed nõ perfectè contenta ab illo. Inuenitur quippe in voluntate & amor Dei, quo homo spiritualis est: & adhuc nonnullus amor naturalis carnis, quo voluntas æquè prona inuenietur in illam, si parum, per auertatur à spiritu. Nec solùm carnis inuenitur amor, sed amor suiipsius etiam naturalis, qui si in officio non continetur per charitatem Dei, reddit hominem fermè dæmonem & Satanam. Nam & si spolietur anima carne, adhuc tamen amabit seipsam: sicut & dæmones sine carnis appetentia peccauerunt: quia seipsos dilexerunt magis quam Deum. Et licet amor Dei in homine qui est sub gratia, sit potentior (quanuis imperfectus) quàm carnis amor, & quã ille amor sui proprius, si charitas suas vires exerceat: attamen si pet carnem excitetur voluntas ad malum, & à propria superbia diabolo iustigãte & vrgente, & ille amor Dei non excitetur, & currat ad arma sua, quæ sunt humilis ac deuota oratio ac deprecatio assidua, proculdubiò succũbet homo sub carne cõsentiẽs illi: & tunc operabitur illud malũ, qua parte spiritualis est & mente, & volũtate. Non tamen hoc faciet ipse spiritus, & sic non ille homo spiritualis, vt est spiritualis, qui sic persistens, aut potius qui sic consideratus, peccare non potest. Mens igitur posita quodam modo inter spiritum & carnem, si carni consentiat in crimen moritur, & Spiritus Dei recedit ab illa: quia Deus indignatur, & subtrahit ab illo gratiam & dotũ Spiritus, per quod est vita, & vera vita. Si verò cõsenserit non in crimen, sed in aliud leue peccatum, patietur detrimentum aliquod: & licet non moriatur, indignabitur tamen ex parte Deus: quia nõ sic adiuuabit negligentem, & socordem voluntatem non sic protegit: & fortè etiam mittet in tentationem, & derelinquet, & erit casus. Tunc ergo non immunis erit homo Christianus à peccato concupiscentiæ carnis, vel quùm consenserit, vel quùm plus æquo illi indulserit, vel non vigilans fuerit super illam castigando & cohibendo, & aduertendo ne vires accipiat fortiores, & intumescat. Et hic vide quomodo bene de homine carnali, Iudæo tamen, non dicit Apostolus, quòd ipse non operaretur illud malum, quod oderat etiam faciens: sed dicit, quòd non intelligebat quod operabatur. Operabatur enim, sed non intelligens. Non intelligere autem quod operaris non est non operari sed est operari: non tamen ex malitia, sed ex errore & infirmitate. Spiritualis autem dum in hoc statu persistit, talis est vt non operetur ipse malũ. Dilectio enim malum nõ operatur. Et sic verum est, quòd qui diligit seruat mandata. Quamobrem concludens tandem Apostolus dixit:

Apoc. 3.

Amor Dei in homine, & item amor sui.

Rom. 13.

Inuenio igitur legem mihi volenti facere bonum, quod malum mihi adiacet. Etsi enim spiritualis ego sum, informatus gratia in parte meliore, quæ est superior hominis: habeo tamen inferiorem, in qua malum inest, quod illi quidem innatum est. Mihi verò, licet iã spirituali adiacet, & obturbat me, quò minus valeam intendere iis quæ Dei sunt, vt oportet, ac totis viribus illi inseruire.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, qui est mens. Cum autem eram olim in carne non poteram condelectari legi Dei, licet eam accepissem, & cognouissem bonam. Eram inquam in carne: quia non liberatus ab eius dominatu, & illecebris, cui magis seruire libebat: quoniam non dum mihi aderat spiritus vitæ. Nunc autem quando mens mea aspersa est charitate Dei, cõdelector cum ipso Spiritu sancto in hac lege sua, quę est lex amoris & charitatis. Congaudet enim charitas veritati. Charitas ergo quæ in me infusa est, facit me amantem suæ legis, & desiderantem eius implemẽtum: quia sic video me lucrari perfectionem meã, quæ est adhærere Deo meo. Vnde surgit delectatio de ipsa lege, quæ est medium ad perfectionem obtinendam. Et quamuis ita sit:

1. Cor. 15.

Video tamen aliam legẽ in membris meis, &c. Haud dubium talẽ esse legem in mẽbris id est, in instrumentis carnis, quæ data sunt vt obediant menti. Omnis homo spiritualis hæc in seipso sentit, & assiduè experientia probat.

Et captiuantem me in lege peccati. Hæc verba magnum habent dubium, vnde pauci sese ab eo explicarunt. Dubium autem est, quomodo conueniant huic homini spirituali, cui (Apostolo teste) non dominatur peccatum. Et nunc videtur de seipso dicere, qui erat vas electionis, quòd captiuabatur à lege carnis in legem peccati: quod non est aliud quàm dominari peccatum, & hoc contingere etiam tanto Apostolo.

An Christianus dici possit captiuus peccati in lege noua.

Hic locus hæreticis videtur in speciem quidem valdè fauere, vt adhuc in gratia existentes, captiui teneantur à peccato. Tu verò benigne lector audi. Primùm reuera nihil loquebatur de se ipso Apostolus, nisi quatenus sub illa spiritualis hominis cõmuni persona comprehendebatur: & quod erat proprium status illius, tanquam doctor ac magister, non quid in se, aut in quouis particulari homine esset, enunciauit. Non enim historiam (vt diximus) tradebat, sed doctrinam. Et ideo non quid de facto efficeret lex membrorum in quolibet, manifestabat, sed quid esset innata efficere, nisi obuiam iretur Nec superius dicitur, non dominari peccatum, quasi non valeat vincere, & sic dominari: sed dixit exhortans iam Christi Spiritum adeptos. Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitię Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Vide quomodo non dixerit: Non est tale, vt non valeat dominari. Nam per Christum reuera non sic liberati sumus à potentia carnis, quin possimus denuò captiui fieri, sed dixit: Non dominabitur, retinens cõditionem prædictam, videlicet, si exhibueritis vos Deo tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo: quod possunt, qui sub gratia sunt constituti. Alioqui periculum est, ne denuo eis dominetur peccatum. Et similiter non dixit, quòd ista caro haberet subiectam mentem, quod esset non solùm repugnare illi, sed dominari. Sed dixit, non habere legem membrorum, atque carnis repugnantem legi mētis: vt sint quasi duo hostes inuicem ad certamen instructi, nondum tamen alter sub altero. Adhuc enim istam legem carnis sentimus (quia bellua est) esse tantæ temeritatis vt velit: & tantæ fortitudinis, vt etiam valeat captiuare non spiritum quidem ipsum, sed mentem, & hominem etiam aflatum spiritu, in lege peccati & mortis. Et enim denuo dominaretur, nisi legitimè certet homo in illam, & opponat sese illi per arma spiritus. Et ideo admonebat Apostolus: Exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes. Quid est dicere, tanquam ex mortuis viuentes? nisi tāquam illi, qui semel à morte liberati, debent fieri cautiores, & diligentiores, ne iterum incidant in eādem mortem: cum sit nunc in nostra potestate non succumbere, si tamen caueamus. Cauemus autem timore, & præparatione, & medelis conseruatiuis sanitatis, & à morbo præseruatiuis. Et ideo addidit:

Et membra vestra arma iustitiæ Deo. Membra nostra sunt, qnæcunque sunt instrumenta in corpore vt sensus interni, & externi, oculi aures, &c. Sunt igitur hæc omnia arma iustiriæ legendo, audiendo loquendo, meditando, orando, & reliqua denique faciendo, quæ imperat charitas. Sic enim faciendo, peccatum, id est, concupiscentia, quæ alioqui captiuum redderet, non dominabitur. Et ideo hic dicit, *captiuantem*, quia (quod in se est) hoc facit: & potens est etiam efficere, eo quòd semper est in pugnam parata, & semper stimulat, semper excitat, nisi magna cum attentione & violentia oppri matur, retundatur, castigetur. Et ideo dicit veritatis salubertimæ Magister: Oportet semper orare, & nunquam deficere, & iterum: Orate ne intreris in tentationem. Similiter & aliis tem ediis esttēdum. Vnde & ipse Apostolus in exemplum nostrum aiebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et B. Petrus cum ad iustitiæ opera cohortaretur: hæc, ait, facientes, non peccabitis aliquando: aut, non labasceris. Verè magna est hęc miseria, esse in hoc statu bellum tā assiduum, tamque intestinum: vt non frustra dixerit sæpe Dominus, Vigilate. Propterea adiecit Apostolus: 1.Cor.9.

In fœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? infœlix, aut potius, miser ego homo, qui nō possum perficere in hac vita bonum illud perfectum & absolutum, quod in alio statu naturæ integræ potuissemus. Nunc verò nos impedit ipsa conditio status nostri: quia habemus hostes admodū fortes, mundum, carnem, Diabolum, qui conualuerunt supra modum in nos, Et ideo dixit, *Ego*, scilicet spiritualis. Et adiecit, *homo*, vt significaret quòd ita est homo spiritualis, vt in hac nostra vita etiam adhuc sit homo, id est, in carne existens, & in iugi cum illa dissidio, eiusque ferens pondus. Quamobrem adest periculum, ne denuo in captiuitatem adducatur, vt etiam sanctorum sit in bello superari metuentium vox ista. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Omnia membra carnis conficiunt corpus mortis: quoniam si quodlibet consideremus, vndique intrant per ea in animum quæ inferunt mortē. Ecce scriptum est: Ascendit mors per fenestras vestras. Videt homo mulierem, & subrepit concupiscentia: cui si cōsentitur, gignitur mors. Audit auris verbum susurij, & detractionis: & hinc etiam conflatur mors. Gustat homo, & bibit in vino luxuriam; & hoc est mors. Denique quoduis obiectum mundi huius secum mortis habet fomenta. Et ideo periculum est vndique, & vbique: quia semper inimici sunt præsto: semper sunt parati & accincti domi, non tantum foris. Et inimici hominis domestici eius, ait Dominus noster. Apostolus igitur talis hominis personam adhuc retinens, & tot periculorum occasiones vitare cupiens, quibus mortem incurri intelligebat, in illam exclamationem erupit, tanquam qui in hac vita nullum à quouis homine posset expectare alicuius remedij solatium. Infœlix (inquit) ego homo, quis me liberare poterit de isto corpore mortis? Et mox declarat quis sit verus & solus tantarū ærumnarum liberator: non naturæ lex, non ipsius Moseos. Quid igitur? Ier.9.

Gratia Dei per Iesum Christum. Dices: An non recipisti iam gratiam? Recepi: Cur igitur non es liberatus à principio? Quia nondum (inquam) est tempus perfectæ liberationis. Non.n. est hoc præsentaneum remedium, licet sit certum. Hæc enim gratia medicina morbi, quasi fermentum est in massa positum, & indiget tempore ad fermentandum totam massam. Oportet ergo vt fermentetur & ipsa caro: sed non potest hoc fieri, nisi & ipsa prius corrumpatur, vt sic totus homo liberetur. Et ideo verè ipsa gratia liberabit nos perfectè, quæ iam incepit: quoniam gratia est quod sumus in Deo. Gratia quoque est quòd maneamus in illo. Et ipsa denique est, in qua Spiritus deprecatur pro nobis gemitibus inenarrabilibus: & orat redemptionē corporis nostri, vt perficiatur inchoatum erga nos suū opus in Christo. Neque verò potest non exaudiri Spiritus Christi bonus in bonis, ac trementibus eum, & expectantibus aduentum eius, & regnum Patris.

Scio quòd & aliter legitur locus iste in græcis, videlicet: Gratias ago Deo meo per Iesum Christum. Nec inde alienus sensus colligitur. Nam verè ita conueniebat Apostolo, vt ageret gratias peculiaris gratiæ suæ memor, qua certus erat futuræ liberationis, nullo modo dubitans se esse charissimum Deo per Christum, & quòd mundus erat sibi crucifixus, & ipse mundo. Gratias igitur agebat in spiritu, tanquam qui iam illud recepisset, quod spe certissima se recepturum sperabat. Et in ea gratiarum actione voluit subintelligi responsum tanquam in actu exercito (vt dicunt logici) iuxta illū sensum quem porrigit latina lectio, id est, quòd omnis homo qui est in Christo, debet agere gratias per Christum: quia hoc malum ad tempus est, & interim Spiritum habet suæ spei arrabonē: quoniam liberabitur tandem aliquando ab isto corpore mortis, si modo sentiat gratiā eius in se, quam verè ille sentit, quem Deus dignum fecit aliquid pati pro Christo iniustè, vt habeat fortiorē illam

spem quæ non confundit, quam sentiebat in semetipso tantus Apostolus: vnde & assiduas agebat gratias. Sed ad rem rediens, conclusit ille tandem statum spiritualis hominis manentis in gratia, his paucis.

Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Homo materialis, qui non intelligit modum doctrinæ, dicet: Qui fieri potest vt idem homo seruiat legi Dei, & legi peccati? cum veritatis Magister dixerit, Nemo potest duobus dominis seruire, &: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Sed non attendit illis verbis (vt iam dixi, & sæpius inculcandum est) cōditionem hominis significare voluisse Apostolum, vt intelligeret prudens lector, quòd homo etiam spiritualis in Christo, secundum inchoatam iustitiam ita se habet, vt secundum mentem sit paratus ac dispositus seruire legi Dei, id est, Spiritui, & imperio charitatis. Secundū carnem verò sit dispositus ad seruiendum legi peccati. Non autem quòd ita ei de facto contingat. Non est enim possibile eūdem de facto posse hęc officia partiri, vt ex parte seruiat legi Dei, & ex parte legi peccati: stultissimum est hæc putare. Homo enim in Christo existens, nulli peccato debet seruire, cum hæc sibi inuicem aduersentur, sicut superiori capite declaratum est. Nam qui mortuus est, peccato mortuus est; & ita iustificatos à peccato, vt non sit vlterius sub illo. Destrui enim debet corpus peccati, vt non vltra seruiatur illi.

Hæc Apostolus, quantum ad hoc caput pertinet, cuius egregiam doctrinam, si (vt mihi visus sum) apprehendi, benedictus Deus: sin autem cogitent alij meliora, paratus sum libenter audire.

Summa doctrinæ valde pulchræ & necessariæ ex hoc capite.

Interim summabo varias conditiones, & proprietates variorum statuum, quas Doctor noster Apostolus gentium doctè, ac paucis perstrinxit, in quibus post peccatum inuentus est homo miser, & infœlix. Verùm hoc non satis sciti potest, nisi primi quoque status conditio sciatur, in qua erat homo ante peccatum. Nam hinc melius cognoscetur illius status conditio, ad quem redactus est homo post peccatum, sequestrata omnino lege, & speciali auxilio Dei, quem dicimus statum naturæ lapsæ. In statu igitur primæuo ante peccatum inueniebatur homo in magna diuinorum notitia, & indutus veste gratiæ, & veste iustitiæ, qua mens erat sub Deo composita, caro sub mente, corpus sub anima; & consequenter exigebatur ab eo perfectio iustitiæ, quam proculdubiò potuisset facile præstare in eo statu existens. Nihil enim erat ei repugnans, quo minus hoc posset, propter eminentem scientiam, & claram diuinorum notitiam, & expeditam membrorum facultatem, quæ erant arma ad perficiendam omnem iustitiam promptissima. Neque enim in mentem hominis rectè de summo & optimo opifice Deo sentientis venire debet tam iniqua cogitatio, vt ab initio creaturam ad imaginem & similitudinem suam conditam reliquerit in tanta ad virtutes comparandas difficultate, quantam nunc vel Christiani experimur. Et vtinam omnes verā illius status cognitionem haberemus, & eius qui post est insequutus per peccatum. Illa enim nihil efficacius puto ad efficiēdum nos verè erga Deum gratos, & humiles, & ad confitendum illum summè bonum in omnibus viis suis, & sanctum in omnibus operibus suis. Neque enim pereuntium delectatur multitudine, qui cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis. At nos sumus admodum ad submurmurandum propensi, qui natura fugimus laborē, & delirias sectamur, quæ fuissent in hoc primo statu.

Verùm cecidit miser homo, & amisit scientiæ dona, & iustitiam illam & gratiam: & redditus est non iam carnalis, sed omnino caro ipsa, sicut vocant eum scripturæ. Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Non intelligēs, non requirens Deum: ita vt possit comparari homini intemperato, qui malum omnino ignorans faciat quasi bonum, corrupta mente. Porrò hoc iā non imputetur ei: quia bestia est: ita vt viuat non respectu primæ, sed secundæ mortis, quæ solum à proprio actuali peccato procedit. Vnde existimo propter hoc dixisse Apostolum de his, qui dimissi sunt à Deo huic statui tanquam sine vlla sua specia li prouidentia. Qui, inquit, in præteritis generationibus dimisit gentes ingredi vias suas, videlicet, vt pateret status ille, in quem post peccatum redacti sumus. Nam illæ merito dictæ sunt Gentium viæ, quæ pessimæ erant, & ducentes in baratrum profundum malorum, propter naturalem omnium pronitatem ad malum, iuxta cuiuslibet desideria. Et ideo dictum est, Non permanebit: aut potius, non iudicabit, vel (vt quidam non irrationabiliter volunt) nō irritabitur Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Quod idem videtur esse, ac si dixisset: Non imputabo eis peccatum, nec in æternum illos propter hoc puniā, quia caro sunt: quod est dicere, sunt plusquam carnales. Ideo maluit punire temporaliter, vt vel sic aliquam exculperet ab iis pœnitentiam, qui non absque aliqua sua culpa dimissi sunt: & hoc ex magna misericordia, ne eos in æternum damnaret. Et sic exponit eum locum eleganter Beatus Hieronymus in heb. quæsti. Psal.48. Act.14. Gen.7.

Alius autem legis status, qui post statum naturæ corruptæ est insequutus, fuit ille, in quem euectus est populus hæbreus, in quo longè clariorem de prouidentia Dei acceperunt notitiam, ita vt magna cum gloriatione canerent: Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius, & iterū: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Erat enim status notitiæ, respectu tamen Gētium: quoniam Iudæi erant illuminati de bono & malo, & de prouidentia & voluntate Dei sicut dixit Apostolus de Iudæo. Et nosti voluntatem eius, probans vtiliora instructus per legem. Ex qua notitia inuitabatur ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum. In eo ergo statu existens homo, factus est melioris conditionis, quàm si fuisset dimissus sibiipsi: & hoc propter notitiam à lege acceptam. Ignorantia enim pars erat peccati nō minima, ita vt homo lapsus diceretur caro & bellua: quia id faciebat, & id probabat, quod placeret carni. Iudæus autem iam non caro (carnalis homo tamen) quia secundum rationem & legem instructus, id probabat quod erat bonum, licet non faceret, cum esset voluntate carnalis, propter inhabitans in eius carne peccatum, & dominans menti nondum compositæ per iustitiam, & gratiam. Peccare enim cogebatur obnubilato per carnem in- Rom.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tellectu,cum ad obiectum particulare,quod placeret carni,descenderetur:& sic etiam ipse perfacile intemperatus efficiebatur.

Erat ergo Iudæus in deteriore statu ex parte, quàm esset homo in natura lapsa:quia accepto mãdato ne concupisceret, magis irritabatur caro ad concupiscendum:& concupiscens actu, gravius efficiebatur peccator.Quod sanè factũ est à Deo non in eius malum,sed bonum,videlicet,vt per legem noscens se carnalem,& natura iniustum, & incontinentem,non maneret in lege,ne prẽuaricator fieret,sed curreret ad Christum, quẽ ipsa lex indicabat,vt spiritu viuificaretur,& lex illa imprimeretur in corde,quæ erat scripta in tabulis,cum
Sap.8. sciret ex ipsa lege(sicut scriptum reliquit Sapiens) Quòd nemo potest esse continens,nisi Deus det, & hoc per Christum. Testificatur enim lex iustitiæ Dei,quæ scribitur in cordibus nostris per Christum:sicut idem Apostolus dixit. In hunc autem statum poterãt venire etiam Gẽtes,quibus ipsa natura prædicabat bonum,& malum: Deum prouisorem, & remuneratorem mortalium, si prædicationem naturæ recepissent,sicut & nonnulli receperunt.Verùm Gẽtes non tam facile accessum habebant ad Christi notitiam,sicut Iudæi legis beneficio instructi. Non ergo datus est Iudæis ille status,vt in illo manerent: sed vt cognito morbo ad medicũ currerent,& venirent in statum gratiæ qui est nouissimus status ab omnib⁹ aliis differẽs.

A statu autem primæuo hic noster status differt quia in illo erat clarior diuinorum notitia.Nos autem ambulamus videntes quasi per speculum in ænygmate.Amplius in illo statu fuissemus in ea iustitia, quo continebatur pars inferior sub superiore,& superior sub Deo. Nunc verò habemus eam contumacem,vt sæpius declaratum est.Et ob eam causam non tenemur ad illud omnino rectũ ac perfectum,ad quod eramus obligati in primo pacto,cum eramus innocẽtes:modo confiteamur obligationem:non enim exigit à nobis Deus impossibilia.

Differt & hic status à statu Iudæi, sicut differt status continentis à statu incontinentis.Est quidẽ & in nobis peccatum,sicut in Iudæo,id est,concupiscentia in carne: sed non dominatur menti nisi velimus,& demus vltrò manus, non repugnantes cum armis gratiæ,quæ sunt,vigilantia,oratio,sacramenta,castigatio corporis, & alia huiusmodi. Si autem resistamus legitimè,non dominatur.Prẽualet enim quæ est in mente lex charitatis,ita vt possimus continere.Non autem in eam venimus temperantiam & moderationem, vt æquemur statui illi,qui fuisset ante peccatum. Nam tunc non solùm erat in mente gratia iungẽs Deo superiorem partem: verùm & adfuisset illa iustitia,qua inngebatur pars inferior superiori, ne esset contumax, sed quadam impressione fileret obtemperando edicenti.

Et ideo quod ad hoc pertinet,videlicet,quantũ ad consummationem iustitiæ, in deteriore statu modo sumus,quàm fuissemus ante peccatum.Sumus enim in difficiliori propter peccatum menti repugnãs in bono & optimo,vt periculum etiam sit expugnationis non negligendum. Multi enim expugnantur &pereunt,eundo post cõcupiscẽtias suas:Deinde vix est in hoc mundo, propter tam grauem carnis sarcinam,mundi & diaboli pugnã, qui perfectè(vt par esset)insistat in bono,& perficiat illud,& auertatur à necessitatibus, & irrumpẽtibus cogitationibus,& malis,& morbis,& innumerabilibus vitæ huius incommodis. Maiorẽ præterea habet potestatem in nos Diabolus,quàm in primæuo statu habuisset. Itaque peccatum reddidit difficiliorem virtutis viam, & minus certam quàm antea fuisset.

Attamen in hoc melioris sumus conditionis, quòd hunc magis arduũ agonem magisque acrem superantes,etiã maiora promeremur in cœlis gaudia,sicut promptum est credere. Nam & ipsemet Dominus noster & caput Iesus Christus,propter mortis acerbissimæ cruciatum gloria maiore, & corona potitus est. Maior ergo victoria, & illustrioris triumphi dignior est futura ratio, si frangantur ac superentur vnà cum suo rabido exercitu numerosiores hostium copiæ, quàm si pauciores ac infirmiores leuiori pugna fugarentur & prosternerentur.Hoc non ignorãt ipsi dæmones,quibus maximum est studium, vt suadeant nos semper esse infirmos,& ea fortitudine per nouum statum minime esse roboratos,qua possimus tantis (quantæ nos circumstant) tentationum fluctibus resistere.Et ad huius rei fidem faciendam armarũt suos milites nouos nostrę ætatis hęreticos,qui prędicant hominem etiam in Christo existentẽ,peccatorem adhuc inueniri,& non qualicunque peccato,sed lætali, & ad mortem imputabili. Quod iniquissimum,& contra Christi gratiam excogitatum dogma,Apostolus seq. cap. initio clarissima sententia damnabit.

CAP. VIII.

NIHIL ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulãt.Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu,liberauit me à lege peccati & mortis.Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittẽs in similitudinem carnis peccati, & de peccato dãnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secũdum carnem ambulamus,sed secundum spiritum.Qui enim secundum carnem sunt,quæ carnis sunt,sapiũt:qui verò secũdum spiritum sunt,quę sunt spiritus sentiunt.Nam prudẽtia carnis mors est:prudentia autem spiritus,vita,& pax. Quoniã sapiẽtia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest.Qui autẽ in carne sunt, Deo placere non possunt.

Hæretici noui hoc in loco prosternuntur.

Nihil ergo, &c. Quod primum ait: *Nihil*,hoc vno verbo iugulauit hæreticos: quod vt planè perspicias,attende. Stet igitur B. Pauli hæc inuicta sententia,quæ velut sagitta coniecta, oculos istorum excæcet. Loquens de iis qui sunt in

Christo per fidem,ait:*Nihil ergo*,Quid est quod ait *Ergo*? Vnde(quæso)educitur ista conclusio, nisi ex proxima sententia,quam dixerat describens spiritualem virum in Christo,quem figurauit in semet ipso dicens: Igitur mẽte seruio legi Dei,carne autẽ legi peccati:Ac si diceret,vt verè dicit:Quia mẽte seruio legi Dei,id est,quia sic sum per gratiã dispositus ad seruiẽdũ legi Dei,nihil nunc dãnationis habeo,id est,nullã dãnationẽ: quia peccatũ nõ est in mevllũ,id est,mẽte mea,vbi iã nulla est macula: quia ex fide mihi cor est purificatum,& gratis iustificatus sum dono Dei.Itaque satis est mente purificatum esse ad iustificationẽ meam coram Deo,
Matt.5. qui mentem respicit,& dicit:Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Non enim obstat si in hoc statu seruiã legi peccati, id est,ita sim dispositus secundum carnem ad peccandum:quia dispositio hæc mala iam purgata est, & non est ipsa peccatum, cum peccatum sit actus. Item non ex carne procedit peccatum,sed ex voluntate.Modo ergo voluntas per spiritum resistat carni,& nõ sequatur concupiscentias eius,nihil mihi erit damnationis.Et ideo bene sequitur:

Iis qui sunt in Christo Iesu,qui non secũdum carnem ambulant,sed secundum spiritum,id est, qui incedendo in hac vita mortali,affectibus & operibus non obtemperãt appetitui carnis,sed ambulant vt boni æmulatores Abrahæ per vestigia fidei obedendo legi vt filij Dei,qui Spiritu Dei aguntur,& mouentur ad fructus ipsius Spiritus perficiendos, qui sunt charitas,gaudiũ,pax,&c.quæ qui agunt,non habent legem aduersam & minitãtem, vt ipsemet
Gal.5. B.Paulus testatur.Nam qui sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscẽtiis suis. Et ideo nihil dãnationis est iis qui eiusmodi sunt. Nam vnde potest prouenire in eos tali dispositione præditos damnatio? Non equidem ex antiquo delicto,quod damnatum est, & interemptum in carne in Christi data pro noxa. Nec ex vi legis: quia aduersus huiusmodi qui faciunt legem, & non ambulant in concupiscentiis carnis facientes eius desideria,non est(inquit Apostolus)lex,scilicet,damnans eos, sed potius commendans: quia inuenit illos facientes quæ sunt legis. Et hoc est quod ait:

Lex enim Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Lex Spiritus,est lex charitatis, quæ est infusa per Spiritum sanctum in cordibus nostris,vnde anima nostra viuit coram Deo: quia vitam accepit,vt seruire possit Deo. hæc ergo lex Spiritus,vnde est vita,liberauit me (ait Apostolus in persona Christiani)à lege peccati & mortis, id est,ab antiqua lege,quæ cum esset in tabulis,& iuberet mihi existenti carnali spiritualia,non valenti ea perficere propter carnis imperium, erat isto modo mihi ministra peccati,& mortis. Itaque ab ea liberati sumus per hanc legem Spiritus vitæ nobis infusam,modo maneat hæc lex in nobis:quod erit si nos maneamus in Christo Iesu Manebimus autem in illo,si dilexerimus illum, in quo sumus omnes: & iccirco debemus nosipsos in illo inuicem diligere. Ipse enim est vitis nostra, de qua hic Spiritus vitæ tanquam de radice dimanat in nos: de cuius vitali humore tanquam palmites haurimus,si modo in ea vite permaneamus.

Permanebimus autem,si non consenserimus carni, sed fecerimus mandata Dei. Vt ostendat autẽ quomodo per hãc legem Spiritus vitæ liberemur à lege peccati & mortis,adiecit:

Nã quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. Sensus est,quòd lex quæ posita erat homini animali & carnali,& contumaci, & iniusto, cum ipsa iuberet spiritualia,& ea quæ carni molesta sunt,non poterat efficere per seipsam quod suę intentionis erat,videlicet,vt homo perficeretur in actibus iustitiæ.Homo enim malus, & sentiens legis vim & iussum,& non valens obedire, imò per legem tanto magis excitatus ad resistendum(quoniam semper obinnatam malitiam & superbiam nitimur in vetitum)transgrediẽs legem, supra modum fiebat peccator & prævaricator: quoniã esti lex ipsa ex se esset fortis,& fortia iubens,infirmabatur tamen per carnem.Nam caro quæ legem recipiebat non tamen in seipsa scriptam,sed in tabulis lapideis.inueniebatur ipsa mente fortior: ita vt lex suo fine frustraretur, qui erat, vt homo esset perfectus in iustitia,faciens iusta coram Deo.Hoc est ergo quod dicit legi fuisse impossibile, nimirum,vt faceret hominem iustum coram Deo & operantem bona,scilicet,obstãte peccato, quod erat in carne,& dominabatur homini ne posset etiã volens,iussa legis perficere, quæ reddebatur infirma hac parte propter carnem,id est,propter illum dominatum carnis.Quomodo ergo quod erat impossibile legi,perfectum sit,explicat,& ait:

Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati,supple tu,hoc effecit.Frequens enim est Apostolo omittere verba,quæ possunt facile subaudiri.Et vide(quæso) Dei consilium, in quo maxima misericordia & iustitia illius elucet.Ipse enim perspiciens non esse legis defectum, si ei non obtemperaretur,sed hominis,idque propter ius quod habebat peccatum in hominem cui dominabatur,secundum illam diuinæ legis regulam:Qui facit peccatum,seruus est peccati: voluit homini succurrere,& illum liberare ab hoc peccati dominatu. Noluit autem hoc facere cum aliqua ipsius legis iniuria,id est,noluit à sua possessione peccatum expellere,nisi rursum aliquod ius nasceretur aduersus ipsum.Ergo ad hoc misit Filium suum,scilicet ad tol
Ioan.16. lenda peccati iura:quoniam misit illum in similitudine carnis peccati. Mississe autem tunc dicitur Pater Filium,quando decreto illius ipse Filius assumpsit humanam carnem,infirmam,corruptibilem,caducam.Nam sic dicitur ipse exiisse à Patre: quoniam sic exinanitus,gloriam, quæ decebat illum(vt pote Filium Dei vnigenitum)abiecit à se. Vnde & rediisse ad Patrem postmodo dictus est, cùm gloriam suam accepit, & indutus est virtute, vt sedere dicatur ad dexteram Patris.

Quid est venisse Christũ in similitudine carnis peccati.

Venit ergo in similitudine carnis peccati: non quia non venerit in vera carnis nostræ substãtia, sed quia cum carnẽ acciperet,noluit accipere insitum in carne nostra peccatum,& in vniuersa massa naturæ.Accipiens tamen conditiones pœnales in carne sua,quæ nobis à peccato venerunt,vt erat corruptibilitas,& passibilitas,& mortalitas, verè habuisse dicitur & assumpsisse carnẽ similem carni peccati.Sic dicitur venisse in similitudine homi
Philip.2. num,& habitu inuentus vt homo.Quo genere di

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendi non negatur vera in eo hominis substãtia, quæ ex tali forma & materia resultat, id est, anima & corpore tali: sed declaratur illum non fuisse hominem secundum conditiones illas, quæ humanæ naturæ propter peccatum debebantur, inter quas erat dominatus peccati.

Fuit autem similis aliis hominibus : quia miserias & pœnas peccati (sine peccato tamen) in se assumpsit, & ideo habitu inuentus est vt homo. Et sic in seipso cœpit dissoluere iura peccati, cũ ipse iniuria, quod ad se attinebat, in sua carne pœnas antiquo peccato debitas cœpit luere, & Deo restituere suam gloriam, quam nos rapuimus. Nos enim diuinum illud nescio quid rapuimus, quùm parentes nostri ab initio appetiuerunt diis esse similes. At Iesus tum hoc debitum Patri restituit, quum diuinas conditiones sibi conuenientes, id est, illam gloriam quasi Vnigeniti à Patre, à seipso abiecit, & se exinaniuit, atque formam serui immeriro substinuit, vt hoc efficeret, quod lex non poterat, videlicet, iustificationem nostram. Nam & hoc pacto effectum est quod sequitur:

Et de peccato dãnauit peccatum in carne. Veniens Iesus in hũc mundũ absque peccato (vt dictũ est) sed assumptis pœnis peccato debitis, cœpit habere hostem ipsum peccatum cum quo & conflixit, & de quo triumphauit. Mundus enim ab eo peccato impulsus restitit euangelio & veritati, quam Christus prædicabat: & sic ab illo ipso peccato fuit indignissimè summaque iniuria crucifixus. Peccatũ igitur (à quo isto tantus ausus fuit) quia extendit iura sua in eum, in quem nullum prorsus ius habebat, merito perdidit sua iura, quę in vniuersum mũdum merito habebat. Nam illud Christi opprobrium, quod passus est à peccato, longè præponderauit illi debito, quod ipse mundus peccato debebat. Sic igitur Deus benedictus, & per omnia iustus, hanc iniuriam à peccato venientem cernens in Filio suo, & in illa benedicta suæ carnis hostia, quam ipse obtulit pro peccato in ipsa carne Filij sui summa iniuria damnata, summo iure damnauit peccatum, vt hoc pacto, de ipso peccato damnatio ipsius peccati mirifica æquitate processerit.

Quicunque igitur inuenitur in Christum regeneratus, & per baptismum in illo cõfiguratus morti eius, gerit quidem in se, hoc est, in carne sua peccatum, sed damnatum: quoniam non dominatur vlterius. Non enim inuenit vlterius hominem peccatorem, in quem ius habeat: quia mortuus est homo verus in carne Christi, & nouus excitatus est, qui non agnouit peccatum, sed est conditus in iustitia & sanctificatione ad seruiẽdum Deo, & gloriæ eius. Tales sunt qui renati sunt, effecti noui & in spiritu & in carne: quoniam membra sumus corporis Christi de carne eius, & ossibus eius. Nõ q̃ in carne nostra non sit malum adhuc, cum & in carne Christi fuerit malum, licet non peccatum: sed quòd hoc malum non est nobis vlterius in pœnam & peccatum, sed in exercitium ac meritum. Sicut fuit Christo suum malum carnis, factum propter nos maledictum, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Tales & nos, qui hãc carnem in hoc penè similem suæ carni habemus, quã oportet à nobis castigari, tanquam inimicam, donec perfectè moriatur; vt fiat quasi semen futuræ incorruptionis & gloriæ.

Hactenus pro huius loci explanatione: Etsi me non lateat alios aliter exponere, sed ego illud protuli, quod magis placuit. Videat lector alios si libeat, & remotis (quæ rectum iudicium impediũt) prauis affectionibus diiudicet. Non est enim mihi in animo cuncta quæ ab aliis dicuntur vel improbare, vel saltem recensere. Quod & si facere cuperem, citra magnum animi tædium fieri non posset qui à contentionibus libenter abhorreo.

Ad rem igitur nostram redeundo. Dicimus hoc Dei consilium fuisse, vt isto pacto iustificatio legis impleretur, videlicet, damnato peccato, & omni eius iure ab illo sublato, & consequenter illius tyrannide. Dicit autem legis iustificationem, id est, illam quam imperabat, & intendebat lex, cum diceret homini: Non concupisces. Et hic vides, acute lector, satis redargui nouos hæreticos, qui nolunt posse impleri à nobis iustificationem. Et attende in quibus dicat impleri, & quomodo, ait:

In nobis, hoc est in Christianis iustificatis spiritu & fide. Sed quia hoc non satis erat aduersus hæreticos, adiecit: *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Hi enim demum sunt, in quibus impletur desiderata legis iustificatio, videlicet, qui ambulant secundum spiritum, non secundum carnem, id est, qui non quæ carni placent, cuius opera manifesta sunt, vt immunditia, auaritia, libido, superbia, & huiusmodi alia, sed quæ sunt spiritualia agunt, facientes fructus spiritus, qui sunt opera charitatis, & patientiæ, & reliquarum virtutum, quæ inde, hoc est, à Spiritu sancto proficiscuntur, per media tamen ipsius Spiritus dona. Sequitur:

In hæreticos, quomodo potest impleri lex.

Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. Ostendit hoc in loco Apostolus, Christum ambulantibus secundum carnem nihil prodesse. Ratio verò est: quia ij, scilicet, sunt secundum carnem. Hoc enim supponit: quia esse secundum carnem est esse carnalem, id est, habere in se principium ducens volentem ad ea quæ sunt carnis. Vnde vsitato in scripturis more loquendi, dicuntur esse carnales, vel ex carne, vel secundum carnem. Et qui tales sunt, sapiunt quæ sunt carnis, id est, ea iudicant bona, & his afficiuntur, & hæc eligunt, quę sunt carnis, id est, quę carni placent, vt obiecta propria. Hæc autem sunt carnis, quæ temporalia sunt, & morti subiecta, vt sic mortem afferant, merito digna morte in illo, qui illa elegit, & contẽpsit immortalia & cœlestia. Vnde subdit:

Nam prudentia, carnis mors est. id est, mortem affert. Vt hic sit absolutus Apostoli sensus: Qui secundum carnem ambulant, non iustificantur per Christum. Probatur: Quia si secundum carnẽ ambulant, secundum carnem sunt. Et qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. Et cum cui quẽ merito id reddendũ sit, quod sapit, id est, quod elegit (quę autem sunt carnis, sunt mortalia.) Concludendum igitur est, huius prudentiæ meritum esse ipsam mortem: vt illi amittant cœlestia, & simul priuentur terrenis, qui ita sapiunt. Et hoc inde est: Quia prudentia ista carnis est inimicitia aduersus Deum, id est, causa, qua nos illam sequentes, inimici constituimur, eo quòd ista caro non est subiecta legi Dei, sed odit illam. Nec enim potest subiecta esse: quia huius naturæ est caro. Caro enim, vt caro est, ex seipsa semper cõcupiscet quę sunt carnis, nisi reprimatur à spiritu. Vt ergo non concupiscat, mortificare illam oportet. Ediuerso autem cuncta contingunt secundum Spiritum ambulantibus: quia isti ex Spiritu sunt, & ex Deo: & ita sapiunt quæ sunt Spiritus, & quæ sunt Dei. Spiritus enim est Deus, & charitas, quæ non potest amare quæ sunt mundi: quorum qui vult amicus fieri, Dei inimicus (vt testatur Dilectus) constituitur.

Prudentia autem Spiritus, vita & pax, &c. In his qui non sequuntur voluntatem carnis, prudentia Spiritus est vita, quæ est gratia Dei, à qua gloria est, & perfecta vita & æterna. Inde enim venit pax, quæ superat omnem sensum.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Esse in carne (vt iam dictum est) non est aliud, quàm ipsi carni ita affici, vt homo in omnibus ei consentiat, & finem suum in ea ponat. Et idem videtur esse secundum carnem. Talis ergo existens in carne, siue secundũ carnem, cum illi cõsentit, & iam non molestè tolerat eius petulantiam, imò ea libenter delectatur, Deo placere non potest: quia caro inimicitia est in Deum. Nec potest subiici legi Dei, ea quæ carnis naturæ repugnant, præcipienti.

Vos autẽ in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuũ est propter peccatum: spiritus verò viuit propter iustificationem. Quòd si Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritũ eius in vobis. Ergo fratres, debitores sumus, non carni, vt secũdum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

Vos autem, &c. Ostẽdit Apostolus, quòd qui erãt iã candidati in Christo per fidẽ, non erant amplius in carne. i. subiecti & addicti carni, sed in Spiritu hærentes illi, si modo Spiritus habitaret in eis. i. si non fuisset exturbatus è tẽplo suo, propter obediẽtiam carni rursus datam. Quod & notandũ est aduersus eos qui aiunt stare gratiã Dei etiam in crimnosis: sed B. Paulus opposita in tales sententia ait:

Si quis autem Spiritum Christi non habet; hic non est eius, videlicet Christi, seu ipsius Spiritus, qui non possidetur ab eo, nec regitur. Possent fortè se excusare, & dicere se intelligere de gratia prædestinationis, quæ quouis prædestinati peccato non tollitur. Sed quia isti aliam gratiam non agnoscũt, imò etiam floccifaciunt: ideo meritò reprehenduntur, nec se defendere vlla excusatione possunt.

Si autem Christus in vobis est, corpus quidem, scilicet ipsius Christi, *mortuum est*. i. est res mortua: νεκρὸν græcè, id est, cadauer, *propter peccatum*, id est, ad destructionem peccati. Et ideo per hoc simul caro nostra mortificata est peccato. *Spiritus autem viuit propter iustificationem.* Spiritus enim noster iustificatur propter adhærentiam ipsi Spiritui Dei, & Christi. Quid autem est hic Spiritus Dei, & Christi, nisi Dei charitas, & amor, qui nostro spiritui iungitur nexu indissolubili, nisi per nosmetipsos illum à nobis dissoluerimus?

Si ergo Spiritus eius, id est, Dei Patris, *qui* Pater, *suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis.* Ipse enim Deus & Pater qui à mortuis suscitauit Iesum dilectum suum & vnctum oleo, de cuius plenitudine & nos oportet accipere. Suscitauit autem respectu corporis ipsius, secundum quod erat ipse mortuus: Ipse, inquam, idem Deus Pater *viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Spiritus enim Dei ille bonus qui habitat in corpore illo Christi mortuo, & non dereliquit illud in infernis, sed suscitauit, si in nobis habitet, viuificabit etiam mortalia corpora nostra aliquando. Corpus enim nostrum nunc quasi cadauer ad tempus relinquitur, suo die suscitandum à Spiritu, sicut accidit corpori Christi: eius enim membra sumus. Faciet igitur hoc Deus Pater per Spiritum suum, cum apparuerit Christus vita nostra. Tunc enim & nos integri apparebimus cũ illo in gloria. Hoc verò in loco agnosce eundem Spiritum dici Spiritum Dei, & Christi, vt Christum agnoscas Deum. Et similiter Patris & Filij Spiritum, vt ab vtroque processionem eius intelligas.

Ergo fratres debitores sumus non carni, &c. Concludit Apostolus id quod volebat, post ortam nobis & datam Christi gratiam per quam mortuum est peccati regnũ, debitores nos esse non carni, vbi est regnum peccati & mortis, sed Spiritui, per quem liberati sumus à lege carnis, & redempti à captiuitate peccati, & erepti à seruitute diaboli. Nam qui redemptus est, eius qui redemit seruus est. Christus autem & Spiritus eius nos redemit à dominatu carnis. Illius igitur serui sumus, & illi seruire debemus in spiritu nostro. Vnde meritò nos si rursum seruierimus carni, & dereliquerimus fontem vitæ, moriemur, scilicet secunda, & æterna morte. Sicut econtrariò, retinẽtes Spiritum, per quem facta carnis mortificantur (quia fortis est vt mors dilectio) viuemus, scilicet æterna & perfecta vita. Ipse enim Spiritus, cui hæremus amore, vita est. Ecce rursum vt probatur, quòd per peccatum exturbatur & eliminatur à nobis Spiritus & gratia Dei. Simul quippe peccatum, & gratia stare nequeunt: quemadmodũ nec simul stant mors, & vita. Et ideo non sola fides potest saluum reddere, nisi per dilectionem operetur quæ præcepit Dominus Deus in sua noua lege. Nam cum fide stat vt seruiamus

Per peccatũ Spiritus Dei expellitur, & gratia auferitur à nobis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

carni:licet hoc aduersarij vel negent,vel cauillis & tergiuersationibus suis excusent,dum fidem aliam secundũ substantiam asserunt esse iusti,aliam cum à iustitia recedit.Sed nec sic sibi constant, sed nec constare possunt,qui sunt veritate vacui.Ideo difficile est valdè illos modo hâc,modo illâc elabentes,neque curantes an secum pugnent , apud vulgus ostendere redargutos.Et tamen continuò hoc idem Apostolus docet,aiens:

Quicunque enim Spiritu Dei aguntur,ij filij Dei sunt. Probat iis tantùm fore vitam , qui Spiritu Dei facta carnis mortificauerint: quoniam tales Spiritu Dei ad hoc faciendum aguntur. Illi autem qui Spiritu Dei aguntur,filij Dei sunt:qui præceptis patris libentissimè obtemperant,liberati à terrore legis,& minis assiduis.Et hoc declarat,subdens:

*Non enim accepistis iterum spiritum seruitutis in timore.*Spiritus seruitutis erat in lege antiqua,quo pœnæ formidine inducebatur odium peccati. Elegan
Horatius. ter enim dixit quidã,Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Sed alio spiritu nos afflati sumus,qui est spiritus adoptionis filiorũ Dei, spiritus libertatis filiis cõueniens,qui efficit vt amore,nõ timore obsequamur:& ob pietatem,non proprij cõmodi gratia.Hoc verò patet,quoniam hoc spiritu acti,

Clamamus Abba,Pater . Tres linguas duobus his vocabulis complexus est . Nam Abba,Hebræum: Pater.Græcum atque Latinum . Vt ostendat hanc adoptionem non ad Hebræos tantùm pertinere, sed ad omnes Gentes.Nam & Christus sic orauit ad Patrem: Abba Pater,vt ostẽderet illũ omnium esse Patrem:& seipsum pro omnibus constitutum à Deo patre clemẽtissimo omnium Mediatorem. Pro omnibus, inquam, non pro solis tantùm Iudæis,sed etiam pro Gentibus. Ob hoc mysterium his tribus linguis conscriptus fuit titulus crucifixi. Iesus Nazarenus,Rex Iudęorum,id est,eorum qui secũdum spiritum sunt Iudæi.Et ne quis vanum putaret somnium,quod simus Filij Dei,adiecit:

*Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.*i.contestatur spiritui nostro,& confirmat hanc persuasionem spiritui nostro.

Ex hoc loco ortæ sunt etiã inter Catholicos nouæ disputationes.Nam si contestatur Spiritussanctus spiritui nostro , quòd sumus filij Dei (quod proculdubio est per acceptam & inhærentem gratiam & charitatem) consequẽter testatur,quia per charitatem filij Dei sumus,vt ait Dilectus:Videte, inquit,qualem charitatem dedit nobis Deus,vt filij Dei nominemur & simus . Testatur hoc ergo nobis Spiritussanctus.Quòd si attestationi eius habemus fidem, certi ergo erimus de accepta gratia, & hoc certitudine fidei. Quod tamen dum nõnulli verbo inficiantur,multa hoc disputatione discutientes,vi tamẽ veritatis (vt mihi quidem videtur) coacti,re ipsa confitentur. Fatentur Spiritum sanctum attestari filiis,quòd sunt filij:& necesse est fateri illos, quòd qui sunt filij , hanc attestationem, ne sit frustrà,recipiant.

Verũtamen hic est quæstio,vtrum qui eam Spiritus attestationem recipiunt, fidéne an verò opinione recipiant,vel etiam euidentia. Euidentiã autem nullus ponit.Præter fidem verò,& opinionẽ, & euidentiã, non video quicquã aliud fingi posse. Et quidem non arbitror vllos qui seriò cogitauerint , dicturos opinionem ex attestatione Spiritus gigni,sed fidem:vt non ineleganter ibi docet Caietanus.Quid prohibet ergo dici hanc certitudinem fidei,quæ à testimonio Spiritus conflatur?

Respondent quidã, Primùm non posse dici certitudinem:quia etsi certum sit per scripturã , quòd ipse Spiritus sanctus id testatur filiis suis, attamen non est certum illis quibus testatur , quòd ipse sit Spiritus qui testetur. Nõ enim se illis insinuat esse testem.Quod certè dictum suam secum fert absurditatem.Cur enim testetur,nisi vt testimonio suo fides habeatur? Et quomodo habetur testimonio fides, nisi declaretur simul persona testificãtis fide digna,cum veritas testimonij ab ipsa testis conditione accipiatur? Itaq; Spiritus sanctus contestificans,nisi se testãtem insinuet,iam non testatur.Insinuat ergo,& in ipso testimonio semetipsum ostẽdit loquentem:quod totum fide capi oportet,non opinione: Alioqui iniuria testimonio fieret ac testi.Inauditum quippe est , quæ diuino testimonio suggeruntur,ea non esse accipiẽda fide, sed opinione,vt super his dubitare oporteat,ac formidare.

Dicunt:Insinuat se quidẽ Spiritus,sed per coniecturas, in quibus potest esse fallacia . At nunquid (rogo) est hoc se insinuare,ac verè testificari?Certe miror posse hoc viros doctos admittere:nisi quòd substinere iam coguntur quod excidit semel.

Sed vt hanc nimis ineptam tergiuersationem & fugã prorsus excludamus,oppono illis B.Ambrosium,qui tanquam illam præuidisset,docuit Spiritum sanctum non solùm testari quòd sumus filij Dei, verumetiam quòd ipse idem Spiritus sanctus est qui hoc testatur.Eius verba hæc sunt.Qui spiritu,inquit,facta carnis mortificat, viuet. Nec mirũ si viuat,cũ filius Dei fiat, qui habet Spiritum Dei. Adeò filius Dei , vt non accipiat spiritũ seruitutis, sed spiritũ adoptionis filiorũ,eo vsque vt testimonium spiritui nostro sanctus Spiritus reddat,quòd sumus filij Dei. Testimoniũ autẽ hoc,est Spiritus sancti,quòd ipse est qui clamat in cordibus nostris Abba Pater,sicut ad Galatas scriptum est.Sed & illud grande testimonium q̃ filij sumus Dei:quia sumus hęredes Dei cohæredes autẽ Christi.hęc ille.

B. Ambr. epist.22. lib.5.

Nota.

Gal.4.

Possem & plerasque alias sanctorum Doctorum sententias ad hoc corroborandum proferre, quas prudens in re clara prætermitto . Ecce idem prorsus docet gloriosus Doctor Augustinus in ser. de verb.Apostoli.Non spiritus noster, inquit, reddit testimonium spiritui nostro, quia sumus filij Dei: sed Spiritus Dei, arra , reddit testimonium pro ea re quæ nobis promissa est,&c.

B. Aug. in ser.13.de verb. Apostoli.

Quare nullius est momenti quorundam euasio dicentium : Admittimus esse fidem huic testimonio,sed dicimus humanã fidem,non diuinam.Hic quæso,quamobrem:Date nobis distinctionis huius notitiam.Aiunt:Fides humana est eorum,quæ constãt humana autoritate.Et fides diuina est eorum,quæ cõstant autoritate diuina.Si ergo ita est, & volunt ij sibiipsis constare,nec loqui pugnãtia, hac sua ipsorum doctrina conuincuntur.Impossibile est enim vlla humana autoritate cuiquam esse persuasum,& constare se esse filium Dei:quoniam hoc obiectum est eorum, quæ humanam exceduũt cognitionem:& sine fidei lumine certa esse nequaquam possunt.

Præterea,hoc in loco Apostolus ipse manifestè dicit,nos Spiritus sancti testimonio initi in huiusmodi cognitione. Credo autem in Spiritus sancti testimonio inesse non humanam,sed diuinam authoritatem.Itaque profectò non video quomodo aut qua via elabi possunt,qui secus docent. Caietanus hanc notitiam,fidei esse notitiam elegãter docet.Puto autem de fide diuina illũ intellexisse,non de humana . Sic enim Theologi intelligunt , cùm simpliciter & absolutè loquũtur de fide . Quin etiam alibi idem Caietanus declarat expressè,se de notitia fidei infusæ intellexisse in re proposita. B. Bernardus hoc idem multis in locis docet.Verùm hanc totam materiam alibi tractauimus vberioribus verbis.

Vnum hic addam, quòd cùm iubeãtur filij Dei dicere Abba,Pater, & ita quiliber in oratione prositeatur.In oratione autem(vt aiunt sancti Doctores) contineatur fidei nostræ protestatio:&(vt quidam summus Pontifex eleganter dixit)legem credendi lex statuit supplicandi , durissimum esset Christianos omnes iussos orare , & dicere: Pater noster,& hoc,quòd sit eorum pater, neminem penitus ex fide nosse,sed opinione . Erit ergo protestatio,& professio in oratione omnium Christianorum,& non ex fide,sed opinione.Quod est absurdissimum,& contra ipsum verum ecclesiæ spiritum.Redeamus ad Apostolum nostrum, qui colligit ex testimonio Spiritus nos esse filios Dei Patris & hęredes,& Christi cohæredes.Sed illius verba audiamus,ait:

Si autem filij & hæredes,scilicet vitæ æternæ.Hæc est enim hæreditas , quam Christus moriens nobis reliquit vt Deus : & ipse eam primus accepit post mortem suscitatus vt verus hæres,cui suo iure debebatur.Nos verò adoptione hæredes, & ita cohæredes Christi:Si tamen simul patimur, vt & simul regnemus.Hoc dicit propter multos, & ferè omnes,qui libenter volunt regnare cum Christo:pati autem cum illo minime Gentium . Et hic etiam locus in hæreticos,qui sola fide apprehendi regnum cœlorum prædicant:& nihil tribuunt hac in parte patientiæ propter Christum, & bonis operibus, argumentantes ex B.Paulo: Si filij, ergo hæredes.Et quod subiecit,de industria omittẽtes. Si modo,ait Apostolus,compatimur,vt & cõglorificemur.Nota modum loquendi, quo omnes eorum glossæ franguntur.Ipsi aiunt:Nos non negamus oportere sequi fidem bona opera,& crucem. Verum neque operibus, neq; cruci reddi gloriam vitæ æternę.At hoc profectò à verbis ipsis Apostoli confutatur.Non enim dixit tantũ:Si modo compatimur,sed adiecit,Vt conglorificemur: manifestè volens compassioni reddi cõglorificationem. Quare cum ad hæc loca veniunt hæretici, aut dissimulãt, aut suis quibusdam strophis ac præstigiis, quæ illos Diabolus docet, lectorem non vigilantem abducunt.Sciunt enim quòd hæc adiectio B. Pauli,Si modo compatimur,cõturbat carnem,cui ipsi eius iam mancipia facti,placere,& morem gerere student.Itenim omnes sumus natura tales,vt velit quilibet sedere in regno Dei,& hoc fœminea auiditate flagitat à Christo.Sed quid ait ille, Potestis bibere calicem,quem ego bibiturus sum? Hic est locus suspirij,quem hæretici fugiunt.

Nota in hæreticos.

Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius tẽporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens , sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Scimus enim,quòd omnis creatura ingemiscit,& parturit vsque adhuc. Non solùm autẽ illa:sed & nosipsi primitias Spiritus habentes,& ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei , expectantes redẽptionem corporis nostri . Spe enim salui facti sumus . Spes autem quæ videtur,non est spes . Nam quod videt quis, quid sperat?Si autem quod nõ videmus, speramus , per patientiam expectamus. Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem nostrã.Nam quid oremus(sicut oportet) nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.Qui autem scrutatur corda,scit quid desideret Spiritus : quia secũdum Deum postulat pro sanctis.

*Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis.*Probat quod dixerat,videlicet,quòd vt filij accipimus hæreditatẽ Dei:ne quis putaret per suam passionum tolerantiam,se illam lucrari condignè,ex illa conditione posita: Si tamen compatimur,vt & cõglorificemur:quasi passionibus nostris tãta gloria debeatur.ait ergo:*Existimo*.Est sermo fiduciæ,id est, confidenter asserentis ob patentem veritatem, vt vltra hanc existimationem non sit aliud exquirendum probationis testimonium. Dicitur enim quodam tropo,Existimo Deum homine esse maiorẽ: Aut cœlum maius terra, & quæ huiusmodi sunt . Cum igitur non sint condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam per se quibus hæreditatem obtineamus , iam sequitur quòd illam vt filij accipimus, adoptati per gratiam Christi,vt hac tanquam forma tales passiones formatę (quoniam à filiis proficiscũtur & ex amore Christi) iam efficiantur condignæ gloria illa cœlesti.

Ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis,aut in nos,vt legitur græcè:Quoniam nunc tecta manet, sicut mansit in Christo quoad carnem , cum esset in hoc mortali corpore.Accipimus enim eam iũc fide:tunc videbimus facie ad faciem. Interim hoc momentaneum & leue tribulationis nostræ operatur nobis immensum æternæ gloriæ pondus, vt testatur alibi Apostolus. Et quòd omninò hoc futurum sit,ostendit dicens: *2.Cor.5.*

Nam expectatio creaturæ, &c. Græca vox arxiam quandam expectationem significat, vt ingens desiderium,& appetitus creaturæ significaretur.Vnde colligitur,talem expectationem, cum sit ex desiderio cœlitus indito,frustra nõ futuram. Profundè verò loquitur Apostolus, & proponit de crea-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tura id, quod absque dubio cerni potest, eam videlicet vehementi cœlestis gloriæ desiderio angi. Et nunc se habet tanquam parturiẽs mulier, quæ cum acerbis partus doloribus auidissimè expectat futuram prolem, tantisper se macerans & affligens, donec nato puero masculo possit lætari. Declaremus hæc omnia.

Appellatione creaturæ hîc intelligo hominem, nec hominem nudum gratia, sicut vox quãdoque significat, vt quùm dixit Dominus; Prædicate euangelium omni creaturæ, sed hoc in loco hominem significat in Christo regeneratum, qui dicitur noua creatura. Quare & græca lectio ipso articulo certam creaturam notare videtur, & certam quandam anxiam expectationem: sic enim legitur. ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, ac si dixerit. Illa anxia expectatio illius creaturæ, quam scilicet genuit Christus Dominus creans illam, & ipse in sua dolorosa parturitione & nimia anxietate Crucis parturiuit, nõ aliud expectat, quàm illam futuram gloriam, quæ est filiorum. Expectat autem eam quasi sibi, qui filius effectus est, debitam.

Sensus ergo est (vt etiã latius manifestetur) quod noua creatura per Christum, quia facta est Dei filius renatus in Christo, cuni non sit liberata à passionibus in hoc mũdo, sed subiecta illis in spe est, & viuit. Non absque expectatione, inquam, sicut reliqui qui patiuntur, sed non expectant, vtpote non existẽtes in Christo: In illis enim nõ est spes. Et ideo anxietas eorum non includit expectationem futurorũ bonorum, sed desperationẽ magis. Habẽt enim pœnas quasi artam inferni, vt possint etiam sperare deteriora. Sed creatura Dei in Christo non sic. Quas enim patitur pœnas velut expectans, patitur propter futurum fructum. Hoc ergo creaturæ nomine hîc Apostolus vtitur ad significandam nouam creaturam, quæ per Christum generata est. Nam & alibi hoc declarãs, ait: Si qua ergo noua creatura, Vt sit sensus, quòd quicunq; inuenitur in Christo, noua est creatura: quia genitus est per resurrectionem in eo. Et alibi ait: In Christo Iesu neque circuncisio, neque præputiũ, sed noua creatura. B. Iacobus etiam amplius audet, dicẽs: Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium (aut significantius) primitiæ quædam creaturæ ipsius. Et in Apocal. de Christo dicitur, Quòd ipse principium est creaturæ Dei.

Quæ sit expectatio noue creature.

Gal.6.

Iac.1.

Et licet omnis creatura, Dei creatura sit (quia à Deo creata & condita) tamen magis propriè Dei creaturam dicimus hominẽ, qui creatus est ad Deum, vt Deo vacare possit & debeat. Tales sumus nos (Deo gratia sit) qui creati sumus ad imaginem & similitudinem Dei Christi in operibus bonis, vt & nos similiter ambulantes in illis, reddamur conformes illi, qui creauit nos in semetipso. Hæc. n. creatura vocatur homo nouus, qui creatus est in iustitia & sanctitate. Et hic demũ est in quo reponitur spes, & expectatio reuelationis gloriæ filiorum Dei. Quod & magis probare intendens, ait:

Vanitati enim creatura subiecta est non volens. Ex hoc enim, quòd ista creatura. i. hic nouus homo, subiectus est vanitati non volens, probatur quòd expectat reuelationem filiorum Dei. Etsi enim liberatus sit per Christi gratiã à seruitute peccati & Diaboli, non tamen à seruitute corruptionis, & mutabilitatis. Quãdiu enim in ista fragili carne sumus, multis indignis, quæ ad rem non pertinent, subdimur: imò quæ nos à veri contemplatione plurimũ auocant, & in seipsis nihil præter vanitatẽ habent. Vnde magnus Ecclesiastes meritò conqueritur, & aperiens os congeminat: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Cuius pater dixerat: Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertrãsiuit homo, seu, vir: sed & frustrà conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ est mea expectatio? nonne Dominus? Ac si dixerit: Hæc mutabilitas & corruptibilitas circa hominem dum in hac vita est, facit ipsum vniuersãm esse vanitatem. Sed vir qui in Christo est, ambulans in his vanitatibus, pertrãsit: quia in vmbra & imagine, & in multis tumultuatur frustrà, & congregat ignorans cui congreget. Et quia ab ista vanitate liber nullus est, nec ille quidẽ qui est in Christo (quia non in re consequutus est salutem dum hîc agit, sed in spe) ideo creatura Dei subiicitur huic vanitati non volens, in ipsa tamen spe, quæ habet expectationem certam bonorum. Qua propter Psaltes aiebat: Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea apud te est, id est, quod expectabile est & sperandum, in te est: quia tu vita es incommutabilis & æterna.

Ecl.1.

Psal.38.

Itaque rem ita se habere, id est, esse istam creaturam cum tali expectatione, quæ non frustrabitur eã, probat Apostolus mirè subtiliter ex hoc, quòd homo in Christo subditur huic vanitati non volens. Cur enim non volens? nisi quia hæc vanitas non est ei conueniens, vtpote iam facto filio Dei? Si non illi conueniens, sed est quodammodo violenta, non poterit ergo durare: quia nullum violentum perpetuum. Quòd autem non volens creatura Dei subdatur corruptioni huic & mutabilitati, potest ostendi in B. Petro in transfiguratione Domini. Ipse enim quasi ex hoc mundo & eius vanitatibus liber, ait: Bonum est nos hic esse. Tales omnes sumus, qui volentes patriam, nollemus viam: Nec hoc pacto peregrinari, id est, tam durè tantisque sudoribus, placet. Vnde & idẽ Psaltes ibi hoc recognoscens, dixit. Exaudi Domine orationem meam, auribus percipe lachrimas meas: quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Itaque peregrini est durare donec viam consummet, & expectare vt perueniat ad metam: & interim sufferre multa, quæ inferuntur aduenis. Creatura. n. Dei viator est in terra, & peregrinus. Hoc significauit illud dictũ Heliæ à Domino: Surge, comede: grandis enim adhuc tibi restat via. Vnde & Dominus vigilantiam suadens, dixit: Et vos similes hominibus expectantibus Dominũ suum, quando reuertatur à nuptiis. Verùm quia videri poterat perperam factum, talem ac tantã Dei creaturã vanitati esse subiectam, cum iam confessi sumus & docuerimus, id eius non conuenire dignitati, & esse rem quodam modo violentam, quam & ipsa recusat non volens; Respondet huic tacitæ obiectioni Apostolus dicens:

Nota hæc subtilia.

Matth.17.

Luc.12.

Sed propter eum qui subiecit eam in spe, hoc est, Licet hoc simpliciter æquum non sit, videlicet, vt tot vanitatibus subiiciatur creatura Dei non volens, tamen rem totam considerãti, non est iniquum, sed rationabile. Hoc enim sic ordinatum est propter

eum qui subiecit eam, id est, propter Christum, qui subiecit eam in spe: quoniam nos etiam ipsum adegimus ad humanas miserias, vt quod suum erat in re, fieret in spe. Gloriam enim suam per passiones obtinuit, & lucratus est: sic illi statuente Patre propter nos, vt nos eximeret à peccato. Itaq; non est mirum, nec inconueniens, si nos propter Christum hæc ad tempus patimur, vt conformemur illi, qui propter nos etiam decidit ipse à sua gloria ad tempus, vt conformaretur nobis. Nec est nouum, vt ex vno inconuenienti dato plura sequantur. Nam ille fuit in causa horum inconuenientiũ, qui primò inconuenienter agens, primum inconueniens introduxit. Hic autem non fuit Dominus, sed Diabolus instigator, & homo illi obtemperãs. Igitur Christus, siue Deus Pater per ipsum, subiecit nos isti vanitati, in spe tamen: vt sicut corruptioni & mutabilitati subiectus ipse Dominus obtinuit gloriã suam, sic & nos obtineremus nostram. Nulla enim ratione decebat, seruum & famulũ melioris esse conditionis, quàm fuerat Magister & Dominus. Fuit ergo conueniens ista subiectio, sed ad tempus, non autem in perpetuum. Et ob eam causam certa est hęc nostra expectatio. Cur autem certa est? Audi plenam solatij rationem:

Quia & ipsa liberabitur à seruitute corruptionis. Nota copulam; &; ac si dixerit. Sicut ipsius creaturæ Creator Christus liberatus est ab ea seruitute corruptionis, cui subiecerat illum Deus Pater propter ipsam creaturã: Ita & ipsa creatura, quæ ad similitudinem eius ab eo subiecta est vanitati, etiã ad similitudinẽ ei⁹ liberabitur ab ista seruitute corruptionis, & ascendet in libertatem glorię filiorum Dei. Quod vt facilius credetemus, protinus adiunxit:

Scimus enim quòd omnis (melius, tota, vel vniuersã) *creatura ingemiscit & parturit, &c.* Melius (vt græcè legitur) congemiscit & cõparturit, videlicet simul cum creatura Dei, qui est homo genitus in Christo, effundit gemitus suos in hac vanitate, & necessitate corruptionis. Et reuera nihil vanius esset visibili creatura, si cœli, & qui cœlos mouent, essent solũmodo propter ista inferiora, vt nascantur & moriantur, sicque voluãtur res in æternum. Etenim hoc quasi ludus quidam esset puerilũ exercitiorum simillimus. Quare statuẽdum est, à Dei sapientia esse alienissimũ tale factum. Nam & homo, cuius gratia sunt cuncta quæ videntur, cui omnia seruiunt, miserrima esset creaturarum: & illi ante omnes qui sunt in ipso Christo, & Christum arctiori vitæ coniũctione sequuntur. Vnde ipsemet Apostolus dicebat: Si in hac vita tantum in Christo sperantes essemus, sumus miserabiliores omnibus hominibus.

1.Cor.15.

Hæc ergo vanitas & corruptio (qualis est modo in vniuersa creatura) accidit propter peccatum hominis. Dignus enim fuit vt omnis creatura post illum, multò magis quàm prius in vanitatẽ & corruptionẽ veniret. Est enim omnino probabile, quòd lõgè compositius se habuisset in alio statu reliqua creatura, si homo in sua innocẽtia, in qua conditus fuit, permansisset: licet ignoremus quo modo. Porrò, scimus quòd hanc vanitatem & corruptionem excutiet tandem à se cuncta visibilis creatura: ita vt futuri sint cœli noui, & terra noua, & nihil vlterius nec orietur, nec occidet: sed omnis creatura seruiet Deo perpetuo, & quælibet suo modo. Nam impij atq; iniusti habebũt suas parturiones, non à gemitibus tamen, sed à risibus quos elegerunt. Vnde & ipsi liberabuntur ab ista corruptione, & quodam modo innouabũtur, sed in deterius: & quod parturierunt suo risu, parient sibi, videlicet extremũ fletum perpetuo duraturum, iuxta verbum Veritatis, Vę vobis qui ridetis, quoniam flebitis. Ignorarunt enim aliud illud verbũ: Beati qui lugent, quoniam & ipsi consolabuntur. Et item illud: Qui seminant in lachrimis, in exultatione metent. Et nota acutè lector, quàm pulchrè in gemitu afflictiones minime de se diligibiles, & in parturitione effectũ partus desideratum significauit. Quo exemplo etiam Dominus vsus est ad discipulos suos, aiens: Mulier cum parit tristitiam habet: cum autem pepererit, iam non meminit præssuræ propter gaudiũ, quia natus est homo in mundo. Sequitur:

Ioan.16.

Non solùm autem illa: sed nos ipsi primitias Spiritus habentes, &c. Ne quis putaret Apostolum, & alios eius ordinis viros, qui erant maiores in Christo, minime sub hac vanitate comprehendi, tanquam excedentes conditionem creaturæ Dei, ait: *Non solùm autem*, sic Græcè legitur: & deest *illa*, vt sit sensus. Non solùm autem hoc dico de creatura Dei, quæ est in Christo secundum quandam communẽ gratiam & effusionem Spiritus, quę est super omnem carnẽ: sed & de nobismetipsis idem assero, qui habuimus primitias Spiritus, vt scilicet per nos in alios effunderetur. Nos inquam, etiam interius sumus gemẽtes & flentes in valle hac lachrymarũ, & miseriarum. Gemimus enim quasi parturientes adoptionem filiorum Dei, quę nõdum cõsummata est, nec cõsummari potest in hoc tempore. Vnde illa vox, Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim, ego me nondum arbitror comprehẽdisse. Sequor autem si quo modo cõprehendam. Et interim alia eius vox quasi partus & gemitus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et alibi: Non cupimus exspoliari, sed superuestiri. Et hoc est habere redemptionem corporis, quod erit in extrema die. Interim autem ea ratione expectare oportet: quoniam non adhuc re salui facti sumus, sed spe, quæ solicitam expectationẽ secum habet. Huius autem tanę anxietatis causa & ratio inde accipitur, quia in rẽ magnoperè arduam tendit. Vera nanque & theologica spes, de qua loquimur, non est eorũ quæ videntur. Porrò omnis creatura eleuatur in finẽ sibi destinatum à Deo iuxta modum suum, id est, secundum quod extendi potest. Intellectualis autẽ creatura inuenitur eleuabilis in altissimum finem, qui est supra fines naturę suæ. At cum talis finis iã non sit aliquod debitum, tãquam natura exigẽte illum, sed sit donũ: conueniens fuit vt hoc sapientissimo ordine res componeretur. Primùm quidem vt crederet, licet nõ videret. Si enim videret, iam esset finem suũ consequutus: quia in visione consistit gloria, quæ expectatur. Sed quia non erat conueniens haberi sine aliquo merito: ideo interim debuit credi vt absconditũ. Debuit etiam desiderari vt desiderabile, ac sperari vt tale arduum, ad quod tamen liceat pertingere expectando in desiderio multo ac gemitu. Non enim danda erant hæc tam sublimia dona non credẽti, aut non sperãti. i. vehemẽter ac magnopere desideranti, & in multa patiẽtia expe-

Phil.1.

2.Cor.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctanti. Propter quod ipsemet Apostolus in epistola ad Heb. dixit: Cupimus autem vnumquemq; vestrum eandem ostentare solicitudinẽ ad expletionem spei vsq; in finem, vt non segnes efficiamini: sed imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditant promissiones. Talis enim est qui sperat: siquidem spes non est absq; desiderio, cũ id quod spera tur, magnum quiddam est & summè optandum. Nec est sine expectatione ac gemitu cum patiẽtia, vt iam diximus. Quod etiam probat dicens:

Heb. 6.

Spes autem quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Spem hic accipit pro obiecto sperato, sicut & aliàs dixit, Expectãtes beatam spem. & sensus est: Cum vera spes sit inuisibiliũ, & consequenter eorum quę maximè bona sunt, & ita verè ardua, dignum est vt per gemitum ea & per patientiã expectemus: quia quæ huiusmodi sunt, sub spe includũtur. Nam quæ videntur, quomodo sperari possunt, cum nõ sint ardua sed temporalia (vt ipsemet Apostolus declarat) quæ autem nõ videntur sint æterna? Vnde dixit: Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: Quæ autem non videntur, sunt æterna. Propterea in hæc propriè cadit spes propter sui magnitudinem: quia excedunt mensuram naturæ nostræ, vt sic verè sint ardua, & ipsius propria spei: quam Apostolus alibi hortatur retinendam quasi anchoram animæ tutam ac firmam, & incedẽtem vsque ad interiora velaminis. Vnde nõ dicitur anima, quæ iam est beata, sperare sui corporis coniunctionem (teste B. Thoma.) Iam enim videt hoc non vt arduũ, sed vt sibi debitum apprehendit: nec potest ingemiscere & parturire. Spes igitur exigitur à nobis, vt obtineamus. Nam cum excedant nostram infirmitatem, exigunt à nobis desiderium, suspirium, expectationem, orationem, obsecrationẽ, patientiam, vt vel sic etiam digni aliquo modo efficiamur potiri. Hæc enim docemur orãdo postulare, Sanctificetur nomen tuũ: adueniat regnum tuum. Et ad nostrã singularem aduocatam profitemur hãc expectationem & desiderium plenum gemitu, & clamore, & suspiriis, dicẽtes: Ad te clamamus exules filij Hæuæ. De hac spe non possunt habere sermonem hæretici, quia scilicet iam certò possident, & sola illis fides satis est. Dedignantur autẽ operari in spe præmij, quod non agnoscunt, imò etiam vilipendunt.

Quæ sit spes vera, & quorũ.

2. Cor. 5.

Heb. 6.

Similiter autem, & Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Vidimus quòd ad rationem spei exigebatur, rem quæ speratur, esse arduam nobis, & cõsequenter inuisibilem & æternam. Hæc enim sunt nobis ardua, non quæ videntur, & temporalia sunt. Et vidimus quòd & Deus, vt aliquo hæc meritò obtineremus, exigit à nobis horum bonorũ desiderium, quæ supra nos sunt. Sed in hoc est defectus ex parte nostra: quoniam non possumus desiderare bona illa (vt dignum esset) secundum sui ipsorum excellẽtiam, nec etiam rectè & congruè orare. Nam congruè oramus & petimus, quę nobis sunt nota. Tantum enim appetimus, quantũ verè noscimus. Nam appetitus sequitur cognitionẽ. Cum igitur ignoremus quod oramus & petimus, videlicet cœlestem patriam, quam tamen scire conueniret, ad hoc vt congruo desiderio in tantũ ferreremur bonum. Ideo adiecit Apostolus, quòd huic defectui subuenit supplens pro nobis Spiritus bonus, qui adiuuat infirmitatem nostram, vt postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & ait:

Similiter & spiritus, id est, sicut Spiritus sanctus cõtestatur spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, similiter etiam vt (ita dicam) orat nobiscum, vt obtineamus plenã adoptionem filiorũ Dei. Nos enim non sumus fortes cum Deo, vt possimus expugnare illum, & de sua manu tanquam eripere hęc adeò grandia, scilicet, per conueniens rei desiderium, & cõgruum: ideo succurrit ille Spiritus benignus & misericors, qui fertur super aquas benignitate, & charitate immensa, satagens consummare & perficere opera, ad quæ creatura per semetipsam eleuari non potest. Ideo & adiuuat supplẽs per gemitus suos inenarrabiles, & suiũibiles pro nobis, id quod nobis deest, ad obtinendũ illa bona inenarrabilia & inuisibilia, quę sunt filiorũ Dei. Neque turbetur quisquam (obsecro) cum audit Spiritum sanctũ gemere. Nam ad hoc excludendũ adiecit Apostolus, quòd ij gemitus erant inenarrabiles. Gemit enim suo modo, non nostro. Sic & dicitur contristari, Nolite, inquit, contristare Spiritũ sanctum. Sic dicitur quòd est tactus dolore cordis intrinsecus Deus: quæ omnia castè & sanctè interpretãda sunt, & non vt hæretici negãtes Spiritum sanctum Deum, aut asserentes Deum veteris testamenti malũ esse.

Quomodo Spiritus postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Eph. 4.

Gen. 6.

Non me latet aliter ab aliis communiter totum hunc locum exponi, sed parum (vt mihi videtur) illustri sensu: imò & cui litera ipsa minime congruit. Volunt enim significare Apostolum, quòd homo orãs nesciat quid debeat petere: sed ipse Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, intus docens quid petere debeamus, & faciẽs etiam vt nos petamus illud gemitibus inenarrabilibus. Primùm hic sensus parum videtur aptari ad id quod ait Apostolus: imò cum de spe & expectatione creaturæ, quæ est in Christo sermonẽ habeat, & ita de filiis Dei, qui eius Spiritu agũtur, manifestè de iis qui id nouerunt quod est petendũ, loquitur. Istos enim proponit in vehementi regni cœlestis desiderio. At hoc est quod petendum est, & quod ipsum desiderium docet eos cum gemitu & feruore petere.

Præterea, nimium esset etiã sic in genere de omnibus, qui huiusmodi sunt, dicere, eos nescire quid orãdum sit. Nonne ipsi sancti admoniti à Christo, sciunt quid debeant petere, & quomodo, cum & ipsi alios modum orandi doceant?

At ipse Apostolus (aiunt) erranit, petens amoueri à se stimulum carnis, qui tamen illi datus erat ad virtutum custodiam, ne se extolleret. Sed nũquid & Dominus ipse erranit, qui petiit vt à se transiret calix ille, quem tamẽ illi propinabat Pater ad eius maiorem gloriam? Absit. Dices: At Christus reposuit illud in Patris volũtate. Rectè id quidem: Sed putamus Doctorem Gentium non omnia similiter reposuisse in voluntatem Dei?

2. Cor. 12.

Adde non fuisse dicẽdum, quòd Spiritus coadiuuat infirmitatibus nostris (sic enim græcè legitur) sed dicere potu⁹ debuisset, spiritus nostri ab eo corrigi in orãdo errorem. Neque diceret simpliciter. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: sed addidisset, quidnã illud sit aliud quod postulat, vnde nostri erroris appareat correctio. Itaq; non placuit hæc intelligentia, quam tamen si quis

velit defendere, non ero contentiosus. Planior autem mihi est sensus, quem iam exposui, & ad id de quo agebatur, longè accommodatior.

Cùm enim cerneret Apostolus in spe, & expectatione filiorum Dei, contineri debitum orandi, vt necessarium (quoniam non est conueniens obtineri tam excellens donum, si non fuerit summè desideratum, & orationibus feruientissimis postulatum.) Et quia planè cognoscebat, qui viderat arcana Dei, quantum ad desiderij vehementiam, & consequenter ad intentionem orationis faciat, scire quid sit, & quantum donũ illud in cœlis repositum: quoniam nemo alacriter currit propter brauium, quod ignorat, & nemo fortiter certat pro corona quam non vidit. Cum enim vidit, & considerat donum propositum esse pretiosissimũ, tunc proculdubio vehementer agitur, & impellit seipsum in cursum & in agonem. Quia ergo sciebat Doctor noster quòd illud pro quo certamus, nemo scit donec accipiat, quia ambulamus in fide, non in specie, & abstracti sumus à cogitatione cœlestium propter multas carnis infirmitates, ideo propter hanc rei ignorantiam, & miserias atque infirmitates corporis (corpus enim corrumpitur, & aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem) minus ardenter, quam oporteret, aduentũ regni Dei desideramus & sic minus quoque frequenter oramus, vt aduenat: Ideo ait, quòd ipse Spiritus diuinus supplet, coadiuuans infirmitatibus istis, postulans (vt dictum est) gemitibus inenarrabilibus pro nobis. Græcè legitur, ὑπερεντυγχάνει quod significat quandam superintendentiam & principalitatem in oratione, vt oratio nostra per illum perfecta, exaudiatur à Patræ, qui scrutatur corda, & nouit quid Spiritus in eis existens pro eis desideret. Ipse enim Spiritus est quasi mater apud illum poscens pro filiis, qui potest omnia superabundanter facere, & amplius etiam (vt alibi docet Apostolus) quàm petimus, aut intelligimus, secundum virtutem quę operatur in nobis. Hęc est Spiritus sancti virtus, quę tacitè operatur in nobis supra id quod petimus, & quod intelligimus. Qui ergo scrutatur corda De⁹, scit quid desideret Spiritus pro nobis, qui nimirũ Spirit⁹ latet in corde nostro, & iũgitur media charitate Deo. Scit autem desiderium Spiritus: quia vnũ est cũ illo. Aut (quod magis placet) scit quid desideret Spiritus, hoc est, noscit approbans & exaudiens eius petitionem: quoniam ipsa eius petitio est secundum Deum pro sanctis, vt sit exaudibilis. Nam tunc exaudimur, cum secundum Deum postulamus, vt fiat illa eius bona voluntas, bene placens & perfecta, de nominis eius sanctificatione in nobis, quo nos inuocato quotidie sanctificamur orantes.

Eph. 3.

Nec turbetur quis, cum audit Spiritum sanctũ postulare & intercedere, aut interpellare pro nobis, cum & hoc habeamus de ipso Christo: quanquam dici potest quòd hoc facit Christus secundum quod homo est. Nec tamen absurdum est dicere, quòd illa bona & optima voluntas Dei quodam ineffabili modo interpellet se ipsam pro sua creatura, velut mater. Sicut & antequam essent res eductæ in suas naturas, dicitur Spiritus sanctus circunlatus super aquas ad modum gallinæ cubãtis: quia volebat (vt diximus) participẽ facere creaturam suæ bonitatis, quod erat quodam ineffabili modo tanquam eniti & parere, aut orare seipsam, & exorare à sua bonitate, vt rerũ fines & perfectiones produceret. Sed ista capere non est omnium.

Gen. 1.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperatur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui cõdemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexterã Dei, qui etiã interpellat pro nobis? Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, ananguſtia, an fames, annuditas, an periculũ, an persecutio, an gladius? sicut scriptũ est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sum⁹ sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quę est in Christo Iesu domino nostro.

Scimus enim, &c. Vult Apostolus ostendere hoc in loco Electorum prærogatiuam, quæ est, nihil mali eis nocere posse: sed omnia cooperantur eis in bonum. Quid est quod ait, *omnia*, nisi etiam istã corruptibilitatem & infirmitates? Ita vt & ipse B. Paulus libenter gloriaretur in eis, & in tribulationibus, & persecutionibus. Vt sit sensus, Quòd filiis Dei relictæ sunt huiusmodi infirmitates: nõ tamen relictæ sunt ab re, sed ad consummationem spei, vt sit expectatio eorum probata coram Deo, & sic omnia cooperentur eis ad bonum, id est, ad salutem, sicut triticum à zizaniis adiuuatur.

Quibus, & quomodo, omnia cooperantur in bonum.

Veniunt hæretici, & impugnant fideles: & hoc facit ad manifestationem probatorum. Veniunt pseudoprophetæ: & hi eos qui sunt veraces commendant Tyrannorum persecutio quid aliud fuit, quam Martyrum probatio, & exaltatio? Philosophorum argumentationes fuerunt ad gloriam doctrinæ Piscatorum. Magorum ars diuinam probauit virtutem in sanctis Dei, & eorum miraculis, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

fateri cogantur, Digitus Dei est hic. Sic illustratur fides nostra in persequutionibus & angustiis. Et hoc pacto omnia cooperantur in bonum, etiam quæ aduersa videntur: non omnibus tamen, sed iis tantum qui diligunt. Néque tamen adeo omnibus qui diligunt Deum, cum hæc multis officiant, & cedant in malum: quoniam non persistunt in dilectione. Sed iis proculdubiò qui per Dei propositum vocati sunt sancti, id est, quos Deus propria deliberatione, & speciali quadam vacatione vocauit ad hoc, vt sint sancti, id est, firmi & perfecti. Quodcunque enim vocat Deus huiusmodi proposito, illud fit quod vocatione vult fieri. Vocat autem non sanctos, sanctos. Ecce ergo sanctos illos esse oportet, quia vocauit. Ipse est enim de quo dicitur: Dixit & facta sunt. Qui ergo ex proposito vocati sunt sancti à Deo, erunt absque vlla dubitatione sancti: quoniam Dei propositum inefficax esse non potest. Et hos certè non conturbabit quicquid eis acciderit: sed omnia cooperantur eis in bonum, id est, ipsæ etiam persecutiones, & tentationes. Quidam dicunt, etiam peccata. Sed non ueni in scripturis sanctis hac nota; *omnia*; comprehendi peccatum, quod nihil est. Apostolus dixit, Omnia mihi licent, & non existimo sub eo quod ait; *omnia*; voluisse peccatum includere. Peccatum enim propriè & per se non operatur ad bonũ, sed ad malum. Ex malo enim per se, nõ potest nisi malum procedere.

Electorum prærogatiua.

1.Cor.9.

Non inficior tamen Deum ipsum hoc operari in Electis suis, vt illi etiam ex peccatis proficiant, id est, occasione accepta à peccatis reddantur humiliores, prudentiones, cautiores. Exemplum possemus assignare aptissimum in B. Petro, qui ante lapsum longè erat ad magnifica quędam de suis viribus sibi promittendum ardentior, quàm facto periculo postea fuerit. Ita vt non solùm peccatum illud ei profuerit, sed & multis quoque aliis, qui eo admoniti summissius de se senserunt, quàm sensissent nullo tali casu proposito. Et ille insuper didicit (iuxta verbum Christi) confirmatus, etiã fratrum corda nutantia confirmare. Idem accidit B. Thomæ, cuius in credendo duritia de pectoribus nostris duritiam sustulit. Quare rectè B. Gregorius aiebat, sibi plus Thomam qui tardè credidit, profuisse, quam Magdalenam, quæ facile & cito credidit.

Quod verò prædicarunt quidam nostri sæculi pseudoprophetæ, prædestinatorum peccata esse virtutes, & præscitorum virtutes vitia esse, nescio an sit magis pernitiosum, quàm stultum: cum pernitiosum esse non possit tale dogma, nisi apud stultissimos, quibus hoc placeret. Et est indignũ prorsus confutatione.

Hic tamen annotandum, in græcis qui nunc circunferuntur codicibus, desiderari vocabulum istud: *sanctis*; in quibus simpliciter legitur: *Qui secundum propositum vocati sunt*. sed parum aut nihil interest. Hoc admiscet Apostolus, vt differentes esse vocationes cognoscas, videlicet, prędestinatorum quæ vocatio secundum propositum dicitur, quia firma & sine pœnitentia, vt inferius declaraturus est: sine pœnitentia enim sunt dona Dei & vocatio. Est verò alia communis vocatio, & hęc nõ talis est. Vt autem latè pateat hęc differentia, pergit.

De vocatione speciali electorũ & prædestinatorum.

Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui. Probat omnia cooperari in bonum huiusmodi vocatis sanctis ex proposito, ex eo quòd tales Deus præsciuerit. Quid est præsciuerit, nisi prædilexerit? Hoc enim sæpe est in scripturis, præscire Dei, seu prænoscere. Ita B. Petrus vocat Electos secundum præscientiam, seu præcognitionem Dei Patris: quoniam quos eligit, diligit, & ante alios diligit. Vnde & præscitum, seu prącognitum vocat Dei Filium ante mundi constitutionem: quoniam eximia dilectione Deus illum prætulit omni creaturæ. Quod ergo scire & nosse, significet diligere, & probare: sicut nescire, & non nosse, ècontrario significat reprobare, & odio habere, frequẽs est in scripturis. Legimus.n. in psalmis. Nouit Dominus viam iustorum. Et iterum: Nouit Dominus dies immaculatorũ. Et de Electis Apostolus ait: Nouit Dominus qui sunt sui. Et ipse Dominus in die iræ dicturus est quibusdam: Nescio vos. Discedite à me operarij iniquitatis.

1.Petr.1.

Quid sit præscire Dei in scripturis.

Luc.13.

Probatum est ergo satis supetius dictũ. Ex proposito vocatis sanctis omnia cooperari in bonũ, quandoquidem isti tales præsciti sunt, id est, prędilecti videlicet ante alios, & ante quælibet eorum opera: quia in hoc prædilecti, vt faciant opera, & omnia eis cooperẽtur in bonum. Nam eorum prædilectio non est ad tempus, nec ad certum, quodlibet bonum, sed vsque in finem, sicut Dilectus testatur de Christo Iesu, qui cum dilexisset suos, id est, eos quos elegerat cum Patre ante mundi constitutionem in semetipso, vsque in finem dilexit eos, id est, perpetua dilectione ad beatitudinẽ perfectam. Vnde & hic ait Apostolus:

Ioan.13.

Quos prædilexit, eos & prædestinauit, id est, ad hoc prædilexit vt prædestinaret eos, firma scilicet & immobili prædeterminatione, *vt essent conformes imaginis Filij sui*, hoc est, ipsi Filio similes, qui est perfecta Dei Patris imago. Hæc vero Electorum ad hanc cum illo conformitatem prædestinatio, complectitur non solùm conformitatem, quę erit in patria, verum etiam illam quæ præuia debet esse in via (quod nolunt hæretici intelligere) vt qui primo secundum finem destinantur ad gloriam, etiam primo secundum tempus destinentur ad laborum tolerantiam & mundi ignominiam: vt qui magis configuratus illi in angustiis, etiam magis configuretur illi in delitiis & gaudiis, vt alibi idẽ Apostolus declarat, vbi ait: Si fuerimus socij tribulationum, erimus & consolationum. Si sustinebimus & conregnabimus. Et passim in euãgelio cõmendatur ista cum capite nostro conformitas in via, si velimus cum illo affluí delitiis in patria. Hęc sunt crebro ob Hæreticorum versutiam, & temporum præsentium nequitiam inculcanda. Clara est n. Redemptoris nostri sententia: Quicunque vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Addit euangelista Lucas: *quotidie*; & hanc viam sequendi caput, optimè Apostoli intellexerunt, qui apertissimis verbis, & nulla interpretatione egentibus prædicabant, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Fratres primùm vocat hos immobiliter prædestinatos, sicut dicit Dominus, Nũciabo nomen tuũ fratribus

meis. Et Magdalenæ dixit: Vade ad fratres meos. Et ipse est primogenitus secundum spiritum sanctitatis, qui est ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, sicut scriptũ est. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut etiam hunc locum nobis exposuit Apostolus dicens: Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est. Ipsam hanc Deus adimplebit filiis vestris, resuscitãs Iesum, sicut & in psalmo 2. scriptum est: Filius meus es tu: ego autem genui te. Sic ergo secundum hunc spiritũ est primogenitus: propter quem etiam nos similiter generabimur in illo: alioqui vnigenitus est secundum diuinam naturam.

Quomodo Christus sit primogenitus in multis fratribus.

Non me latet apud scholasticos aliter & contraria prorsus significatione accipi, *præsciri*, ita vt præscitum eum vocent, qui sit reprobus propter mala opera. Sed hoc impropriè valde, & præter scripturarum sensum. Nec etiam me fugit aliquos sic hunc locum exponere, vt faueant Pelagianis, qui à præscientia bonorum operum diuinam dixerunt oriri prædestinationem, vt illos prædestinauerit Deus, quos præsciuerit bona opera facturos, accepturos scilicet gratiã, & bene illa vsuros: ita vt & gratiam secundum bona opera dispensari prædicarent. Quod est absurdum, & contra Apostolum passim, & contra ipsam rei euidentiã: quia multis dari videmus gratiam, qui tamen non bene ea vtuntur. Et contrà multis negari, qui fortè bene vti essent: vt sunt pueri qui absque baptismo decedunt. Quis enim nouit vtrum illi bene essent acturi? Et quis præsumeret dicere, quòd nulli eorum accepissent gratiam, nec bene illa vsuri fuissent si vixissent, & oblata illis fuisset gratia, & facultas eam retinendi? Commenta sunt profectò ista phantastica, & cerebrosorum hominum.

Pelagianorum error refellitur.

Addo, quòd nec ipsa Apostoli oratio hanc intelligentiam patitur. Non enim per id quod ait; *Quos præsciuit*; possumus hoc accipere, id est, quorum opera fore bona præsciuit: non magis quàm si alius ecõuerso exponeret: *Quos præsciuit*, id est, quorum opera præsciuit fore mala. Nam prescire aliquem, non significat præsciri eius opera: imò (vt iam dixi) esse à Deo præscitum, scholastici potius in mala partem accipiunt. Itaque nullo pacto est ferẽda hæc opinio, quæ iam non est opinio, sed hæresis: quam in proprio tractatu fusius sum prosecutus. Nam B. Paulus abhorret vbique ab hoc dicto, gratiam videlicet ex meritis dari, aut propter opera quamuis præuisa. At collatio gratiæ sub ipsius prædestinationis proposito continetur. Itaq; vniuersaliter dicendum est, gratiam siue prædestinati, siue non prædestinati, nulli ex operibus, aut meritis etiam præuisis cõferri: Alioqui gratia iam non erit gratia. Ratio igitur prædestinationis est prædilectio. Et prædilectionis ratio est beneplacitum Dei: quia sibi in eis complacuit. Quia igitur prædilexit hos Deus, ideo prædestinauit. Et quia prædestinauit, ideo & vocauit. Disponit enim sua sapientia suauiter omnia. Liberè quippe trahendi sunt homines ad cœlestia, & modo illorum naturæ conuenienti, qui libero potiuntur arbitrio. Et iccircò vocandi prius erant proposita eis fide, vt per eam ingtederentur in militiam, & opera charitatis exercentes, contendant ad brauium fœlicitatis æternæ. Et hęc est vocatio, de qua hîc loquitur.

Prædestinationis ratio & ordo.

Sunt tamen aliæ vocationes ad officia & ministeria, vt ad apostolatum, ad sacerdotiũ, ad episcopatum, & huiusmodi. Vocationẽ autem istam (de qua est sermo) sequitur iustificatio: quia prædestinatorum vocatio certa est, & efficax: & huic generi vocationis nullus resistit. Apostolus de illa tali vocatione tanquam experientia edoctus, alibi dixit: Qui vocatione sancta vocauit nos: ita vt iustificatio necessariò consequatur vocationem. Iustificationem verò sequitur magnificatio, quæ est eorum maximè, qui ex proposito vocati sunt sancti. iuxta quod dixit Dominus, Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Sic & magnus vocatus est B. Ioannes ab angelo priusquam nasceretur. Græca tamen vox habet, *glorificauit*.

Ephes.1.

Matth.5.

Sed sunt qui cum talem vocationẽ audiunt huiusmodi esse, cui non possit resisti: & talem iustificationem, à qua tandem non valeant excidere qui prædestinati sunt, putant per hoc liberum auferri arbitriũ, cum potius statuatur, & validius fiat per certitudinem luminis, & per adiectum robur fortitudinis. Etenim certius, ac longè libentius (qui electi sunt) respondent vocationi, & accipiunt gratiam: & potentius iustificati, libertima & firmissima atque constantissima volũtate absque vlla penitus coactione tẽdunt in gloriam. Falsa est enim quorundam persuasio, putantium liberi arbitrij esse sententiam in hoc cõsistere, videlicet, vt possit quodlibet bonum refutare, quantumuis bonum appareat: & eligere ac prosequi malum. Sed non ita se res habet. Non enim liberum arbitrium est posse tendere in malum. Siquidem istud est creaturæ defectus. Nullus enim malum vnquam eligeret, nisi haberet speciem boni. Deus ergo eorũ quos prædiligit, mentem sic illuminat, eorumque voluntatem ita sanat, vt rectè iudicent quod est bonum, bonum: & quod malum, malum. Igitur ante oculos posito illis aliquo obiecto ad salutem, quantò vehementius mouentur, tantò etiam liberius: quoniam promptissima voluntate bonum suum quisque prosequitur. Deus est enim qui hoc in illis magna prouidentia, & cura effecit. Vnde concludens nihil posse obsistere his prædilectis, quò minus assequantur, quod pro illis intendit Deus, ait:

De natura liberi arbitrij.

Quid ergo dicemus? id est, quid proferemus, quod obstare possit huic validæ prædestinationi? Et vt ostendat cunctas vires humanas minimè posse, ad iicit: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et vt etiam probet ipsum Deum hoc facere, & esse pro illis, addit signum & argumentum grande: quoniam prædestinatio istorũ fundatur in prædestinatione Christi, & meritis eius. Nam (vt alibi dixit) in Christo prædestinati sunt. Et licet obstare videretur prędestinationi peccatũ, proponit mortem Filij ad hoc expiandum, & restituendam omnem gratiam, & omne donum perditum. Vnde ait:

Persuasio prædestinationis.

Qui proprio Filio suo non pepercit, Dicit, *proprio Filio suo*, id est, vero & naturali. Nos.n. non sumus veri filij præ illo: quia adoptio est imitatio quædam veritatis. Ideo fictionem eam vocant Legulei. Quapropter & B. Ioannes verum Filium vocat Iesum. Declarat autem quomodo nõ pepercerit proprio Filio suo Deus, vtpote quem tradidit pro nobis omnibus. Hic ait, pro nobis omnibus indifferen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertsed & multò magis pro talibus electis:Et ideo sequitur:

Quomodo non etiã cum illo nobis omnia donauit? Sensus est:Si tradidit illum pro nobis, nulla est ratio, vt putemus aliquod doni genus excogitabile (decens tamen) non esse donatum nobis cum illo. Quamobrem hoc quod ait, *omnia*, comprehendit proculdubio hunc Spiritum sanctitatis præcipuũ, vnde certa salus contingit,qui erat eximiè in Christo,vt ex illo plenè multi acciperent,id est, secundum illam immutabilem prędestinationem,iuxta Christum,sicut scriptũ erat?Stemus simul,& quis est aduersarius meus?Si enim hoc non fecisset,certè non donasset nobis omnia, id est, omne genus donorum,quæ donare poterat,& erant decẽtia in veritate, iuxta Dei summam bonitatem. Arguit ergo Apostolus à re difficiliori, quam pro nobis fecit Deus etiam inimicis, vt quod est facilius credamus. Nam cum tradiderit Filium in necem, & eum dimiserit cruce necandũ,in quo erant omnia, & hoc fecit pro toto mundo:quomodo non libentius etiam donorum omnium illius participauerit ipsum mundum, in Electis saltem? Siquidem Deo molestius esse debuit (vt ita loquamur)tradere Filium pro nobis,quàm,cum illo donare nobis omnia quæ filij sunt, cum ex dono nihil sibi depereat.Intelligo autem omnia,quorum tamen capaces essemus ex decentia. Ne quis dicat,Cur ergo non fecit quemlibet esse verè Deũ, sicut fecit illum? Respondetur, quoniam hoc indecens erat.Vnum enim oportuit esse Solem,nõ plures: nos autem ex eo Sole participare, secundum mensuram in illo vnicuique nostrum destinatam,vt sit corpus suis membris rectè dispositũ & proportionatum, ne sint plura capita, & plura colla,aut nimis multæ manus,& ita de cæteris. Et sic respondetur dicenti,Cur nõ prędestinauit omnes? Non enim decebat,& satis est, quòd omnes gaudent prædestinatione: quoniam prædestinati prosunt aliis. Maiorum nanque gloria redundat etiam in minores: quia vnum corpus omnes sumus in Christo,sequitur:

Esa.50.

Quis accusabit aduersus electos Dei? Possunt hæc omnia legi interrogatiuè, vt probet istos electos & immobiliter prædestinatos, non posse à gloria excidere. Sumit enim quodcunque posit in eos torqueri,siue peccata eorum, siue accusatores,aut iudex condemnans. Vnde supponẽs peccata,rogat: Sed quis erit accusator? *Deus qui iustificat*:ac si dixerit,minimè credendum est, vt qui iustificet, accusare velit. Rurium interrogat:

Quis est qui condemnet? Nunquid Christus, &c. ac si item dixerit. Nequaquàm ille condemnaturus est, qui mortuus est ob peccatum nostrum, vt ipsum extingueret ne comdemnaremur: & qui resurrexit propter iustificationem nostram, & qui sedet ad dexteram Dei, vt posit aliis dare vitam,& facere illos secum cõfedere in cœlestibus. Denique & qui interpellat pro nobis,sicut & alibi Apostolus dicit. Introiuit in ipsum cœlũ,vt appareat nunc vultui Dei pro nobis,id est,maximè pro prædestinatis. Vnde primò pro illis(vt testatur B.Ioãnes) rogauit,sed non pro illis tantùm,sed & pro iis qui credituri erant per illos.

Hebr.9.

Ioan.16.

Potest & alio modo legi, vt quasi per ironiam respondeatur. Et primò interrogans: Quis est accusator aduersus Electos Dei? Respondeat ironicè, Deus qui iustificat?ac si dixerit.Ille,scilicet,accusabit (si credere dignum est) qui confert iustificationem,vt idem,qui iustificat,accuset? Et ita interroganti:Quis est qui condemnet? Respondeat, Christus qui mortuus est? similiter per ironiam, videlicet,condemnabit? Sed hic modus mihi non placet.

Est & tertius modus intelligendi, & hic magis placet,vt non sint interrogationes,neque responsiones interrogationum, id quod sequitur. *Deus qui iustificat*. Et item illud: Christus Iesus, sed sint positiones, vnde colligatur impossibilitas damnationis hoc pacto:Deus est qui iustificat Electos suos,quis ergo accusabit,Deo videlicet iustificante?Item:Christus Iesus est qui mortuus est pro nobis &c. quis ergo condemnabit? Ipse enim est iudex. Quòd si quis dixerit: Nonne possunt ij excidere à gratia,& charitate Dei,vt per hoc condemnentur? Respondet: Nequaquàm. Et ostendit inefficaciam omnium caularum, quæ possent putari idoneæ, quibus homo à gratia separari posset. Et ait:

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio,an angustia &c. Quia multi ab alienantur à charitate Christi propter tribulationes, id est, pressuras & puncturas quaslibet, siue in animam, siue in corpus, siue etiam in bona externa: & præsertim cum non videtur esse inde exitus,aut effugiũ, quin incurratur malum aliquod, vt sic tribulationem sequatur angustia: quemadmodum illa sancta mulier dicebat: Angustiæ mihi sunt vndique: & elegit potius turpiter mori, quàm incidere in manus Dei viuentis. Sic Elias, & Apostolus noster in tales venerunt angustias,vt eos vitæ suæ tederet.Et vnicuique responsum est à Deo verbum consolationis plenum.Ideò non proficiunt angustiæ, nec tribulationes aduersus Electos Dei, & qui eò adducuntur, vt cupiant anathemata esse à Christo propter fratres.

Dan.3.

Adiecit & particulares ex omni parte tribulationes. Et primò famem, deinde nuditatem, quæ sunt miseriæ in corpus à paupertate. Deinde quæ ab inimicis inferuntur,vt persecutio, gladius, periculum: quanquam & periculum aliunde veniat, vt à mari,à tempestate, & aliis casibus. Profert & de scriptura pro his testimonium.

Quoniam propter te mortificamur tota die,id est,assiduè acerbos mortis dolores perpetimur, idque propter te,id est,propter iustitiam, & eius amore.Iustitia autem Christus est. *Æstimati sumus sicut oues occisionis*.Bene dixit,*oues occisionis*,vt & iplorum mansuetudinem declararet.(Nam ouis est animal mansuetum, & mansueta ad victimam ducitur) & aliorum simul opinionem de illis,quàm vili eos facerent, qui putarent aræ destinãdos veluti nocentes, & quos Deus abominaretur viuos. Verùm ait B.Paulus,

Sed in his omnibus superamus. Ecce certitudo victoriæ: quoniam qui tales sunt à Deo prædilecti, nulli succumbunt periculo, sed lucrum & victoriam reportant illustriorem ex pressuris, & persecutionibus, quas libentissimè tolerant. Sed cuius amore hoc faciunt?*Propter eum qui dilexit nos*,id est,

propter Dei charitatẽ. Potest enim intelligi Deus diligens,vt causa huius victoriæ:sicut aliàs Apostolus gratias agit Deo, qui dedit victoriã per Iesum Christum dominum nostrum.Potest etiam Deus ipse & diligens & dilectus, significari vt causa finis agonis & victoriæ.Et post hæc in spiritu exultans procedit.

Certus sum quòd neque mors,neque vita,&c. Græcè, confido,aut,persuasus sum.Et ponit mortem vt omnium terribilium vltimum: & vitam, vt præcipuum appetibilium,quæ maximè possunt hũc atque illũc mentem mouere.Quid enim non faciũt homines timore mortis,& amore huius vitæ?Adiecit & Angelos, qui sunt chorus vltimus vltimæ hierarchiæ, qui mittuntur: & fortè complectitur Archangelos, chorum proximè superiorem eiusdem hierarchiæ,iuxta B.Dionysij doctrinam. Nõ tamen ascendit superius: quia ij sunt maximè qui intendunt super nos,particulariter exequentes superiorum scita atque decreta.

Hic posset rogare aliquis,Quomodo verò possunt ij beati Angeli studere, vt separent electos à Christo?Respondetur,non perinde loqui Apostolum quasi ita verè sit,vt id curẽt,sed ad exprimendam rem illis,etiam si conarentur, impossibilem. Quanquam nihil absurdi,si fortè Angelus curans alterius salutem,per accidens aduersus alterum ex nobis militet. Quilibet enim dum suum ex Domini mandato curat, potest per accidẽs & per occasionẽ,esse detrimento saluti alterius. Inueniuntur enim apud Danielem ob istam gratiam certasse inuicem.Quid (quæso) mirum,si quidam Angelorum quãdo B. Paulus persequebatur ecclesiam, vt tuerentur suos,consequenter in ipsum B. Paulum militarent?sed quia ipse erat de electis,tãdem emersit,Adiecit:

Neque instantia,neque futura,videlicet,vel aduersa,vel prospera. Instans enim quod imminet si sit aduersum,potest abundantiore tristitia hominem superare. Instans verò prosperum, in socordiam & superbiam adducere. Futurum aduersum, metu afficere & dererrere. Futurum autem prosperum ad se allicere,& ita dimouere à charitate Dei. Aut fortè (vt existimo) per instantia intelligit quæ accidunt in hoc sæculo, siue secunda sint seu aduersa. Per futura autem, ea quæ prædicantur de alio sæculo, quæ aut sperantur,aut metuuntur. adiecit: *Neque fortitudo*, sed hoc deest in Græcis codicibus.

Neque altitudo,neque profundum.Per altitudinem spirituales creaturas intelligit Deo propinquiores. Et per profundum, illas de paradiso Dei eiectas,id est,dæmones.Nulla igitur tandem creatura (inquit) poterit nos separare à charitate Dei, qua scilicet ipse dilexit nos, vt nos versa vice eum perseuerando diligeremus.Hæc enim est in Christo Iesu domino nostro:quia,vt alibi de huiusmodi electis ait: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Est enim optimè collocatus ordo in hoc ædificio, vt qui propinquiores sunt Deo in Christo Iesu, constituti sint immediatè tanquam in proximo fundamẽto,vt & ipsi sint fundamenta aliorum, in quibus alij superædificentur. Vnde ipsemet de nobis aiebat,Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Et apud B. Petrum,Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, &c. Hi enim in tunica Christi quæ non scinditur,mihi videntur significari.Vnde Dilectus de iis, qui abscindebatur, ait, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.Si enim fuissent ex nobis, vtique mãsissent nobiscum. Sed vt manifesti sint, quòd non sunt omnes ex nobis,vt sit sensus:Quidam qui conuersi erant, & spirituales videbantur & doctores in ecclesia, & defecerunt apostatantes à Christo (nam de iis loquebatur) prodierunt ex nobis:quanquam Græcè legamus, ἐξῆλθον,id est, exierunt,quod potest dupliciter intelligi,vel vt significet, prodierũt: quia à doctrina Apostolorum venerant in fidem: vel vt significet quòd ab ipsa doctrina,quam semel imbiberant, & consequenter à Christianorum consortio exierunt, cuius rei causam manifestat, dicens: Sed non erant ex nobis, hoc est, non erant immobiliter prædestinati, sicut nos.Si enim tales fuissent, vtique nobiscum mansissent. Quare Deus voluit, perpetrato prius peccato, eorum casum permittere,vt cognosceretur, quòd non omnes sunt electi: vt discamus & nos cauere,& non omnibus credere,sed probare, diligenter spiritus,vtrum ex Deo sint.Nam à fructibus sæpe cognoscuntur.

Ephe.1. & 2.

1.Petr.1.

1.Ioan.2.

CAP. IX.

VEritatem dico in Christo Iesu,non mẽtior,testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniã tristitia mihi magna est, & cõtinuus dolor cordi meo. Optabã enim egoipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secũdum carnem,qui sunt Israelitæ,quorum adoptio est filiorum,& gloria, & testamentum,& legislatio,& obsequium,& promissa,quorum patres,ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

INtentio Apostoli,vt mihi videtur,est declarare statum Iudæorum & Gentium ex meritis peccatorum,& gratiæ Christi, hoc est, reprobationem & excœcationem Iudæorum ex parte iam factam à Deo ob eorum incredulitatem, & ob istud tantò magis electas esse Gentes per gratiam Dei, ne ipsi vltra vanè gloriarentur aduersus illas. Neque ob hoc Deum fuisse reprehendendum, tanquam non fidelem in promissis, aut quasi acceptorem personarum,& quicquam agentem iniquè.Et incipit(vt rem molliat) à dolore proprio suo ex hac re accepto.Id verò testificatur protestando se veritatem dicere in Christo, & non mentiri: quia contestificatur illi etiã conscientia in Spiritusancto. Dicere autem veritatem in Christo Iesu, est dicere secundum sapientiam & in charitate, secundum circunstantias debitas. Non enim semper necessarium est & bonum vera loqui. Vnde plerique loquuntur veritatem, sed non in Christo, vt cum proximi scelus reuelant propter odium,ad infamiam,ad seditionem, & huiusmodi.

Universidad de Deusto
Biblioteka

Contestificatur etiam tunc conscientia in Spiritu sancto, quando non obscurata prauis affectionibus, sed in lumine Spiritus, verum ostendit. Quòd certè norunt, qui habent animam deputatam, & ab huiusmodi prauis affectionibus liberam.

Maxima charitas B. Pauli erga Iudæos.

Protestatur autem non solùm tristitiam & dolorem, verum etiam tristitiæ dolorisque magnitudinem & assiduitatem: ita vt optaret esse anathema à Christo. Et dicit, *cordi meo*. Quia tristitia & dolor est à constrictione cordis: sicut econtrario, lætitia & delectatio cor dilatare solent. Sileant ergo Stoici, qui in hominem perfectum non cadere tristitiam somniabant. Non viderunt istud vnquam, néque in hoc statu habere potest veritatem quia quantò quis perfectior & scientia & charitate, tantò est ob ea mala & flagitia tristior, quę videt in mundo contra honorem Dei à petuersis admitti. Tali tristitia penè absorbebatur Apostolus, nisi quieuisset tandem in prouidentia Dei, eius bonitatem considerans, qui de maximis malis summa bona nouit elicere. Talis tristitia erat illa Ieremiæ, qui optat dari capiti suo aquã, vt fleat die ac nocte interfectos populi sui. Non enim est tristitia hæc deliccans ossa: quia venit à charitate.

Neque verò per hoc quod optat se anathema à Christo pro fratribus, putare debes id fuisse contra charitatem, tanquam optauerit separari à gratia Christi propter aliquod peccatum. Absit hoc omnino: sed solummodo renunciabat bono proprio, quod consistit in visione Dei ac fruitione, vt sic complures animæ fratrum saluæ fierent, & illud ad maiorem Dei honorem pertinere existimabat, iuxta illud: In multitudine populi dignitas regis. *Prou.14.* Neque est contra charitatem, quæ non (vt vulgus temerè ait) incipit à seipso. Non enim à seipso incipit vera charitas, sed à Deo, qui præferendus est omnibus. In Deo igitur Apostolus putabat hoc esse multò dignius, vt multos lucrifaceret Deo, etiam cum sui abiectione, qui non faciebat animam suam sibi præ Deo pretiosam. Et in hoc erat pretiosior, qui tãto feruore studebat gloriæ Dei. Sic & Moses optabat, imò & hoc petebat, se deleri de libro viuentium propter illum populum nisi ei remitteretur peccatum: qua de causa indulsit ei Dominus. Sed non auditus est B. Paulus, & exauditus est Moses: non quia Moses maior B. Paulo, sed quia grauius facinus admiserunt negantes Christum sub B. Paulo, quàm qui in idolatriæ crimen incurrerunt sub Mose. O miseri & infœlices Iudæi, qui spreuerunt, & adhuc hodie spernunt sanguinem testamenti.

Anathema quid propriè significet.

Hic annotandum apud Hebræos (B. Hieronymo teste) anathema significari extremam detestationem, propriè tamen suspensionem ac separationem quandam. Et in malam partem hæc vox plerunque accipitur, quanquam & in bonã: vt per anathema significentur suspensa templis & sacellis donaria, aut quæuis dicata & sacrata Deo. Sic & sacer & sacrum in malam partem interdum accipiuntur pro execrando & detestabili, iuxta quam significationem dixit quidam, Auri sacra fames. *Vergilius.* Et alius, Intestabilis & sacer esto. *Iuuenalis.* Idem huius vocis vsus apud Hebræos, quæ maledictionem & benedictionẽ sonat. Ideo Latinus interpres honesti sermonis causa, sic vertit verba vxoris Iob execrabilia. Benedic Deo & morere, pro maledic. Similiter & in 3. Reg. in literis Iezabel inuenitur, Benedixit Deo & Regi, pro maledixit.

Non sum nescius à quibusdam locum hunc minimè sic exponi, qui negant se induci posse vt credant, in eam venisse cogitationem Apostolum, cui vnicum erat illud desiderium: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et non considerant, quòd Moses etiam in eam cogitationem manifestè venit, qui tamen maximo desiderio petebat ostendi sibi gloriam Dei. Etenim non erat contra charitatem ista cogitatio, sed ex summa charitate, si fieri potuisset. Et licet esset desiderium cõtra bonum proprium, tamen non contra charitatem, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, à quo videbat infinitam gentem segregari. Sed intellexit quòd Deus in locum segregatorum Iudæorum in zelo suo vocabat alias Gentes multas, & quieuit. Nam & ad hoc ministerium ipse vocatus fuit, vt esset Apostolus ad Gentes.

Pro fratribus meis, vt Iudæus loquitur secundum carnem, vocans fratres more scripturæ, in qua peculiariter Iudæi inuicem fratres vocabantur: Sicut & post Christum, fratres dicuntur inuicem Christiani. Vocat & cognatos secundũ carnem, vt magis declaret: quia ex Abraham omnes. Item Israelitas: quia ex Iacob, qui & Israel appellatus est. Addit:

Quorum adoptio est filiorum. Non dicit, est filiorum ex parte ipsorum, quum exciderint ab ea propter perfidiam: quoniam qui credidetũt, ij soli nacti sunt potestatem filios Dei fieri. Erat ergo adoptio eorum præcipua ex parte Dei in destinatione quadam eius, si videlicet crederent, & inde vera illius adoptionis sequebatur gloria. *Prærogatiuæ Iudæorum.*

Et testamentum. Græcè legitur testamenta, vt intelligamus duo testamenta. Primum erat carnale testamentum bonorum præsentium in terra carnali: Alterum spirituale futurum in Christo, qui est terra viuẽtium. Et de hoc scriptum erat: Feriam Israel pactum nouum, addit, *Ierem.31.*

Et legislatio. Legem Moseos intelligit, ob quam non parum gloriari solebant Iudæi. Et reuera iure ac meritò præ cæteris populis gloriati poterant, si tamẽ eam perficere voluissent, aut potuissent. vnde exprobrans in eos Dominus, aiebat, Nonne Moses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? *Ioan.7.*

Et obsequium, aut cultus potius, quod ad diuinum cultum pertinet in omnibus cærimoniis, quæ datę illis fuerũt, non autem Gentibus, vt verum Deum vero cultu & religione cognoscerent.

Et promissa. Multa erant promissa particularia, si legem seruarent, si obedirent parentibus, & huiusmodi. Et erant promissa carnalia sub eis tamen etiam spiritualia intelligebãtur dona, vt idem Apostolus declarat, promissionem vtriusque vitæ intelligens iis esse factam, qui suos parentes honorarent. Demum ponit honorabilissimum Iudæorũ, propter quod fuerũt electi primi ad hæc tanta bona, videlicet, quòd ex eorum patribus descendit Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula: dixit,

Quorum patres ex quibus est Christus. Quia principaliter patribus fuit hoc datum, Abrahæ maximè & Da-

& Dauidi, ob singulares illis factas promissiones. Et in hoc fuit magna eorum prærogatiua, qua tamen ipsi abusi sunt, vt per Malachiam conqueratur Dominus, Dilexi vos dicit Dominus, & dicitis: In quo dilexisti nos? Nonne Esau frater erat Iacob, & cæt. Et in Deuteronomio ait, Dilexi Patres tuos, inquit, & elegi eorũ semen, qui est Christus. Et per Oseam, Quasi poma ficulneæ eius vidi patres eorum. Quantum autem hoc fuerit, quòd Christus ex eis descenderit, continenter declarat, dicens: *Malac.1.* *Deut.4.* *Oseæ 9.*

Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen. Quid clarius vt audias Christum Deum? Et tamẽ venerunt diabolici viri qui interpretati sunt, hic esse doxologiam, & peruertunt hunc locum mutatis pũctis, in suam ipsorum perniciem. De qua re, quia latius particulari libello scripsi, & hic locus adeò clarus est, vt nequeat obscurari, non libet diserere. Si de quo loquor nescit lector, palam omnino, Erasmus est, diuinitatis Christi non obscurus, iis qui puros oculos habent, hostis: licet subdolè suo more studeat perfidiam contegere.

Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. Sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, ij filij Dei. sed qui filij sunt promissionis, æstimãtur in semine. Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam, & erit Sarę filius. Non solùm autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret: nõ ex operibus, sed ex vocante dictũ est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Ex dictis poterat ab imperitis colligi, excidisse verbum Dei, hoc est, veritate caruisse eas promissiones salutis, & iustificationes à peccato, quæ ore prophetarum certò erant pronũciatæ Iudæis. Hoc enim fuit promissum filiis Abrahæ, & Israelitis quasi electis Dei. Nam de Israel scriptum fuit per Mosen hoc egregium benedictionis genus. Beatus es tu Israel. Quis similis tui populo, qui saluaris in Domino? scutũ auxilij tui, & gladius gloriæ tuę. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. Et per Ieremiam Dominus ait ad Israel: In charitate perpetua dilexi te. Igitur ex pluribus scripturarum locis habebant Iudæi laudes filiorum Abrahæ & Israelitarum, vt canerent, Semen Abrahæ serui eius: filij Iacob electi eius. Ita quòd Abrahæ semen (qui fuit seruus, id est, cultor Dei) videbatur esse solum, cui promissum erat. Et filij Iacob, qui fuit electus eius, videbantur soli ad electorum numerum pertinere. Sed erauerunt miseri Iudæi, oculo carnis cogitantes, quotquot nascerentur ex Abraham secundum carnem, eos omnes in semine computandos, & sic fore amicos Dei, non intelligentes qua in re vera cum Deo amicitia conciliaretur: quod postmodo Christus declarauit aiens. Ioan. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Rursum etiam sibi persuaserant esse omnes Israelitas secundum spiritum scripturarum, qui venirent ab Israel secundũ carnem: similiter non intelligentes notam à Christo datam vero Israelitæ, cum dixit de Nathanaele: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Oportet enim hoc ex dono Dei venire, nõ ex carne. Electio enim meræ est gratię, non ex acceptione personarum. Hunc ergo locum volens Iudęis declarare B. Paulus, in quem etiam vsque in hodiernum diem impingunt, postquam negauit excidisse verbum Dei, cum hoc fit impossibile, quia Deus ipse est veritas: omnis autem homo mendax, doctè ac sapienter (quod etiam multum facit ad intelligendas scripturas) adiecit: *Ierem.31.* *Docet Apostolus in quo fallantur Iudæi,* *non intelligentes scripturas.*

Non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ, siue Israel, vt Græcè legitur, *neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, &c.* Cum enim audimus, *Sed in Isaac vocabitur tibi semẽ*, debemus intelligere exclusum esse Ismaelem cum filiis suis, vt non intelligatur filius Abrahę, nec pertinere ad promissiones, cum tamen filius esset secũdum carnem. Hoc autem fuit vt agnosceremus istam filiationem non debere secundum carnem, sed secundum Dei voluntatem intelligi, qui non cõplacet sibi in carne, sed in spiritu. Spiritus enim est Deus, & tales adoratores quærit, qui Spiritus sint: quoniam ij filij eius sunt. In Ismaele igitur & filiis designati fuerunt omnes ex Abraham descendentes etiam per Isaac, qui tamen secundum carnem fuerunt filij, non secundũ spiritum. Hi autem non inueniuntur filij Dei: quia filij Dei non sunt ex voluntate carnis, sed ex Deo per fidem. Quotquot enim Christum recipiunt per fidem, ij filij Dei efficiuntur: & ij solùm computantur in semine, hoc est, in Isaac, in quo Christus verum Dei semen significatus est: quia in eo continentur omnes qui sunt eius. Et ij sunt qui nascuntur ex libera. Qui autem ex Ismaele sunt, ex ancilla ducunt originem, id est, ex synagoga, quæ generat in seruitutem, quibus nõ debetur hæreditas. Cum enim sint filij carnis, carnalibus sunt donis contenti. Sed hæreditas debetur Isaac & filiis eius, qui ex libera veniũt, id est, ex Ecclesia, quæ in libertatem filiorum generat nos per legem spiritus, fidei, & gratiæ, siue charitatis & iustitiæ Dei. Quæ lex Spiritus (vt iam dictum est) liberat nos à lege peccati, & mortis. Et quàm pulchrè hoc misterium significatur in litera, vt filij Dei significentur in Isaac: vt & eorum origo originem imitetur ipsius Isaac, qui nõ venit ex volũtate carnis, sed ex promissione, & voluntate Dei. Sara enim sterilis erat nonagenaria, imò penè centenaria (vt volunt quidam) cum peperit, & desierant ei fieri muliebria. Vnde & risit occultè, cum audiuit promissionem, dicens: Postquã confe- *Gen.18.* nui, & dominus meus vetulus est, voluptati operã dabo. Quare non carnis filius Isaac, sed promissionis cẽsetur: ac per hoc datus fuit fidei. Credidit enim Abraham Deo promittenti illum. Sed & Sara, in qua in primis significata est beatissima Virgo, & ecclesia, credidit. Vnde & idẽ Apostolus: Fide Sa- *Hebr.11.* ra sterilis virtutem in cõceptione seminis accepit,

Nota, p Vera intelligẽtia scripturarum.

Prærogatiuæ Iudæorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam præter tempus ætatis: quia fidelem credidit eum qui repromiserat. Et hic air,

Promissionis enim verbum est hoc, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Agnosce (quæso te, acute lector) totum typum: quoniã Isaac significat omnes qui in Christo, aut in quibus Christus fuerit per gratiam. Hi autem nascuntur ex Sara, id est, domina, seu principe ac matre multarũ Gentium. Hęc est enim Maria verè mater nostra benedicta. Venit.n. Deus, id est, Spiritus sanctus super eam secundum tempus illud. Rectè Græca lectione tempus aptum notatur, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, id est, vt locus citatus habet, in fauore diei inualescente Sole, nimirũ in Spiritus sancti feruore, quo & illa correpta est, & consepultus est Isaac, Christus mysticus, risus Patris: & nõ ita dudũ parturiuit, & pòst enixa est eum sub cruce: & ibi facta est verè mater multarum Gentium, quæ sub ligno inuenientur fideles. Sed specialiter assignatus est ei filius Ioannes dilectus, qui est typus Electorum. Tunc fuit illud tempus, quando Dei benignitas in feruorem venit, quo feruore & incaluit Domina nostra, & princeps nostra Virgo mater, & concepit & peperit verum Isaac Iesum Christum, risum nostrum. Et hæc est etiam Ecclesia Gentium illorum, qui ex fide sunt Iesu Christi. Et hæc eligitur tandem vt libera, eiecta Agar ancilla cum filio suo. Agar enim est illa ancilla synagoga, quæ habet virum Mosen & legem, & seruit in carne, & carni: quæ cum videt partum suum, intumescit, & gloriatur, & superbit aduersus sterilem, eamque cõtemnit. Ob eam causam meruit expelli cum filio suo, vt sit peregrina & aduena, sicut nomen, Agar, hebraicè sonat. Dico autem aduenam, seu peregrinã à domo Domini, ab ecclesia separatam, sicut scriptum est. Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Hoc autẽ meruit: quia gloriosa nimis & superba in plenitudine veteri sui, id est, in patribus, patriarchis, & prophetis, quos conceperat & pepererat, facta est insolẽs aduersus Dominam suam, id est, Virginem benedictam Ecclesiam, spernens etiam partum eius benedictum, id est, Christum, & eos qui in illo. Quocirca eius filius Ismael ferus homo, intractabilis, duræ cerui cis, eiicitur foras cũ ancilla vt peregrinetur, id est, ille populus Iudęorum alienatus est interim à conuersatione Israel, & factus est hospes testamentorum, vt ait Apostolus: pro quo tamen orans Abraham tandem exauditur. Nam & ipsi aliquãdo charissimi futuri sunt propter patres. Ecce igitur vt ex primo typo probati sunt veri filij Abrahæ, non qui secundũ carnem, sed qui ex promissione. Promissio autem est duntaxat credentibus: vt sic videas eos demum veros Abrahæ filios, qui ex fide fuerint, & non solùm iuxta carnem. Nunc superest vt declaret verè Israelitas (id est, electos, qui in Israel significati sunt) similiter non esse attendendos secundum opera, aut secũdum quanuis aliam causam, sed secundum merum Dei beneplacitum per alium typum: ait ergo,

Eph. 2.

Non solùm autem, sed & Rebecca, &c. id est, Non solùm autem in Sara nascuntur filij Dei, quia ex eadem nascentes computantur in semine: verum etiam in Rebecca possunt intelligi, qui sunt electi. Et declarat typum: Quia cum Rebecca in vtero ex vno patre Isaac haberet binos Esau & Iacob, cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est: Maior seruiet minori. Quod certè iuxta literã significat (vt ipsamet docet) quòd in vtero Rebeccæ inueniebantur duo filij, vnde duo populi erãt oriundi, quorum maior, qui Esau Idumæus, seruiturus erat minori, id est, populo Israeli, ad certum tempus. Quod verificatũ est tempore Dauid. Hoc autem in mysterio fuit, vt agnosceretur propositum excellẽtis gratiæ non ex operibus cuiusquam, sed ex electione Dei & vocatione procedere. Siquidem nullus eorum operatus erat quicquam boni aut mali, vt per hoc posset vel eligi, vel reprobari. Electus est autem Iacob, vt ex eo Christus prodiret Deus noster: vnde populus eius maioribus debuit gaudere prærogatiuis, cum ipse tamen non esset maior, sed Esau. Vnde si carni dandum erat illud, non minus, imò magis ad Esau pertinebat ius illud, quod erat primogenituræ, si caro fuisset consulenda. Ergo Israelitæ, siue, Electi illi verè sunt, qui intelliguntur in Iacob, qui fuit Israel secundum electionem Dei, non secundum carnem. Iacob.n. ex illa electione nactus est illud, vt sit Electorũ typus. Nec tamen antea Israel vocat⁹ est, quàm emarcuerit illi neruus. Et hoc significauit propriarum virium mortificationem & ipsius carnis, in qua fidebãt Hebræi, vt ex tunc fieret fortis cum Deo. Vnde veri Israel filij de neruo noncomedunt: quoniam qui verè sunt Israelitæ non fidunt in semetipsis, id est, in neruo & robore proprio, sed in virtute Dei: & tunc vincunt Deum, & sunt fortes luctando cum illo.

Hic refellere incipit.

Acceperũt autem quidam ex hoc loco occasionem ad cogitandum valdè iniqua. Putarunt enim hinc educi, sic se habere prædestinationis causam ac reprobationis, vt dicerent, Deum ab initio in mente sua quosdam elegisse, vt potirẽtur tandem aliquando secum regno suo, idq; nullis bonis eorũ operibus consideratis aut meritis. Non quòd non sint futura eorũ bona opera, sed quòd nõ propter illa prædestinauit: imò quia prædestinauit, & opera consequuntur & merita, tanquã prædestinationis effectus. Alios verò, i. reliquos non sic electos, Deum ab eo regno reprobasse, similiter absq; consideratione ac merito operum ipsorũ. Hanc verò hæresim ex hoc præcipuè loco accipiũt: quoniam sicut hic dicitur de Iacob, qui est electorũ typus, quòd ex Dei proposito & mera gratia fuit dilectus ex mero beneplacito, non ex operibus, sed ex vocãte: sic oportet statuere de Esau, fuisse illum odio habitum & reprobatum à Deo, destinatumque ad æternam mortem, antequam quicquam mali ageret: ideóq; similiter non ex operibus, sed ex mero Dei beneplacito. Nam pariter de vtroque dicitur: Antequã quicquã boni egissent, aut mali: vt intelligeremus ita reprobatum Esau, sicut electũ Iacob. At Iacob electus fuit absq; vlla operum cõsideratione: ergo similiter & de Esau dicẽdum: Quod adiuuatur ex eo, quoniã ipsemet Apostolus volẽs in hoc facto iustificare Deũ ab iniquitate, & defendere, producit omnipotẽtiam, & superexcellentissimã dominationẽ Dei dicens. O homo, Tu quis es, qui respondeas Deo? An nõ habet figulus potestatẽ facere aliud quidem vas in honorẽ, aliud verò in

Autor opinionem de Massa perditionis.

contumeliam? Sicut inferius explicabimus.

Verùm quoniam hæc opinio, quam excitarunt Lutherani, & prædicant, dira est supra modum, & manifestè impia, quæ Deum constituit punitẽtem antequam appareat quouis modo vllũ coram eo peccatum: vt eam tuerentur illi, retulerunt hoc totum in originale peccatum, per quod omnes constituti sumus peccatores. Nam cùm omnes inueniamur in Adam tanquam vna massa perditionis, & iniquitatis, nulla est apud Deum iniquitas, si ex illa massã quosdam eripit & euehit in salutem, reliquos autẽ dimittit. Non enim punit quenq; sine peccato, saltẽ illo antiquo. Verùm hanc opinionẽ, pprio tractatu ita idoneè à me esse cõfutatam existimo, vt nihil ex aduerso, quod appareat alicuius momẽti, respõderi possit. Hic solũ capita colligã.

Primũ argumẽtum disputationis contra opinionẽ de Massa perditionis.

Primum est, illud peccatum (nisi velimus nos nobisiipsis crudelitatem vltro accersere) erat dignum miseratione in omnibus, ac presertim in potestate: quoniam non propria voluntate peccauimus nos, sed voluntate parentum: quod peccatum illi instigatione Diaboli patrauerunt. Si autem (vt Dominus dixit) omne peccatum & blasphemia remittetur, cur non multò magis peccatũ hoc, quod vix habet rationem in nobis peccati?

Argu. 2.

Secundo, Si Deus voluit & in iustitia laudari & in misericordia, cur non magis in parte misericordiæ? Ac præterea, cur tam paucos eripuit ab ea perditione, & non longè plures iis quos dimisit? Ipsimet enim fatentur, quòd reprobi sunt multò innumerabiliter plures, quàm electi. Nunquid igitur Deus voluit magis laudari in parte iustitiæ, quàm in parte misericordiæ? Sed vbi erit illa eius tãtoperè decãtata in scripturis misericordia? Et miseratio nes eius (aiunt scripturæ) super omnia opera eius.

Argu. 3.

Tertio, Quas pœnas (rogo) dabimus pro illo peccato? Si ignẽ perpetuum, qui paratus est Diabolo & angelis eius, vt isti noui dogmatistæ aiunt, nõne hoc durum valdè & impium, & contra scripturã, quæ ait: Filius non portabit iniquitatem patris? Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Sin autem pœna peccati originalis in nobis, est carentia visionis diuinæ, & ab hac pœna non vult Deus plures eripere: cur ergo finit eos venire in hanc vitam? Nunquid solùm vt peccent, & habeat vnde puniat eos acerbius, videlicet, illa ignis gehenna? Si enim non sunt eruti ab eo peccato, profectò veniunt in hunc mundum non nisi ad peccãdum finaliter, certi de ampliore damnatione sua, & sine vlla spe melioris conditionis. Hoc autem quàm sit æquum, qui non fuerit prorsus amens, facilè discernet.

Argu. 4.

Quarto, Natura illius peccati repugnat isti diuisioni massæ. Est enim vnum illud peccatum, & est naturæ potius quàm personarũ. Non ergo debuit eius peccati redemptio diuidi in personas.

Argu. 5.

Quinto, Etsi nos iure per illud peccatum eramus sub potestate Diaboli, tamen nos ille non iure ex parte sua possidebat. Vnde dignus erat, à quo auferretur omnino quoad omnes dominatio, & non quo ad paucos tantum.

Argu. 6.

Sexto, Quod vehementer considerandũ est, nos à corpore cantrahimus hoc peccatũ, vt etiam propterea coinquinetur anima: quia secũdum corpus descendimus ab Adam, vnde venit ipsum corpus. At cur respectus animæ, quæ venit à Deo, non magis valeat ad deprecandum Deum pro liberatione corporis? An magis valebit pars indignior carnis, quæ venit ab Adam, ad coinquinandum totum hominem, quàm pars illa animæ superior, quæ venit à Deo, vt non respiciatur saltem ad redẽptionem, ne intereat opus Dei propter opus hominis, sed potius opus hominis propter opus Dei? At non hoc sibi Dabit Deus? Hem sentis ne lector argumentũ? Si sentis, bene est.

Septimo, Si Adam radix peccati, qui fuit causa ruinæ omnium, reparatus est, & ab eo peccato sanatus factus, & à cæteris etiam, si quæ postmodo ipse contraxit, vt dicit scriptura: Nonne multò magis debuerunt ab ipso peccato liberari, qui fuerunt in ipso peccato propter ipsum? Si enim radix peccati accepit redemptionem, cur non & rami, qui à radice sunt peccatores? *Argu. 7.*

Octauo, Respiciamus ad summũ Patrem Deũ, patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, & quæ de illius misericordia in scripturis sanctis dicuntur. An non de illo dicitur, quòd omnium misereturˇ? Et quòd nihil odit eorum quæ fecit? Et non vult aliquẽ perire? Et patiens est, longanimis, expectans ad pœnitentiam, & innumeris ingratissimis, sceleratissimis, & immanissimis tribuit misericordiã & vitam, & iussit parci indistinctè omnibus, non solùm septies, sed etiam septuagesies septies, hoc est, toties quoties? Et nunc dicemus illũ multis & innumerabilibus non remittere vnum peccatum, quod tamen nullus posterorũ sua voluntate admisit? Quis hoc ferat dici de Patre, supra quàm possit quisquam cogitare, clementissimo? Et cum hoc ita sit, isti tamen sunt qui se iactãt prædicare misericordiam Dei, & gratiam. Saltem facerent in hac Dei prouidentia, vt essent numero vasa misericordiæ plura. At ipsi econtrariò, multò plura faciunt vasa iræ, quæ absq; proprio ipsorum peccato sed solùm alieno, dãnationi subiecta sint. *Argu. 8.*

Nono, Respiciamus ad Filium Dominum nostrum Iesum Christum, & cõsideremus quòd verbum caro factum est. Si caro factum est, & de carne nostra & ossibus nostris, profectò cõsanguinitas cõtracta est cum carne nostra tota, non cum illo, aut cum illo. Id autẽ quare: nisi vt tota caro sanctificaretur? Elegãter enim dixit sanctissimus Leo Papa: Cõmunem naturam assumpsit, vt communẽ omniũ causam susciperet & adiuuaret. Et hoc est certè quod ram luculenter dixit Apostolus, vnum esse Deum, & vnum mediatorẽ Dei & hominum hominem Christum Iesum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Dixit mediatorem Dei & hominum, non illorum aut illorum, sed hominum: vt per hoc quòd homo erat, communem hominum causam ab illo susceptã declararet. Vnde & adiunxit de illo Apostolus: Qui, ait, dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. *Argu. 9.* *1. Tim. 2.*

Decimo, Cõsideremus eius merita. Aut enim in meritis habuit satis ad omnium redemptionẽ, autem non. Si quis dicat: Non satis habuisse, blasphemat. Sin ergo habuit satis, cur igitur noluit ea merita expendi in omnes, & cunctis applicari? Nunquid inuidit sibiipsi, ne benignitate vteretur erga omnes, vt impẽsum pretium sanguinis, quod satis erat ad soluendum pro omnibus, noluerit, nisi pro paucis esse impẽsum? Nũquid hoc faceremus nos *Argu. 10.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui ſumus mali? Equidem non puto. Quantò igitur minus ille qui eſt optimus, & ipſamet bonitas? Sed dicet quis. Voluit laudari Deus ĩ iuſtitia: Quaſi verò non hoc iuſtè deberetur ipſi Chriſto, quod merita eius etiam ſuperabundanter, & in immenſum promeruerant. Satis ergo hac parte de iuſtitia laudatur Deus, quòd miſeretur nobis, ꝓpter Chriſtum. Quanquam friuolum eſt omnino quod affertur, nimirum voluiſſe Deum in oſtẽſione iuſtitiæ ſuæ laudem ſibi tribui: quaſi hac poſita ſententia, Ab ipſo Chriſto omnes redemptos eſſe, defuturus eſſet omnipotenti Deo modus exercendi iſtam iuſtitiam, cum non omnes credant euãgelio; & eorum qui credunt, multi (non ſicut credunt) operantur, ſed contra Dei voluntatem, vt dignos ſeſe cõſtituant æterna morte. Itaque non defuiſſet laus iuſtitiæ Dei, ſi tamen illam Deus concupiſceret. Sed verè non vult Deus vindicatiuam iuſtitiã, niſi præcedant digna merita: Neque attinet ad gloriã eius, velle habere quos puniat. Sed hoc ad laudem eius attinet, vt tunc demũ puniat, cum homo ſeſe punibilem reddiderit. Nec ſic tamẽ adhuc punit, vt non multa vtatur miſericordia in ſubſtinendo, in parcendo, donec inueniat in homine pertinaciam, & fixam mũdi dilectionem, & cœleſtium bonorum cõtemptum. In hoc eſt enim iudicium, *Ioan.3.* ait, quia venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.

Arg.11. Vndecimo, Si ille Adam eſt forma futuri, id eſt, Chriſti: & ille Adam (quantum ex ſe fuit) perdidit omnes: cur non etiam Chriſtus (quantũ ex ſe fuit) non dederit ſemetipſum pro omnibus? Apoſtolus enim eſt qui dixit, Sicut per vnius delictum in omnes homines in cõdemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem. Et hoc diceremus, ſi non expreſſum fuiſſet clarius in ſcripturis. Sed quid latius, quàm quòd ipſe eſt propitiator (vt ait Dilectus) pro peccatis noſtris, non *1.Ioan.2.* ſolùm pro noſtris, verum etiam pro totius mundi? Ipſe.n. eſt Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitũ daret, & per eum reſtitueret vitam mundo. Alioqui quomodo dicitur abſtuliſſe peccatum mundi, ſi tam paucis vitam reſtituit, & tam multos reliquit in ea maſſa perditionis? Et quomodo dicitur quòd deleuit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & affixit cruci (vt ait Apoſtolus) ſi tãtum de chirographo illo deleuit aliqua nomina relictis aliis innumerabilibus?

Arg.12. Duodecimo, Si Chriſtus nõ pro omnibus mortuus eſt, ergo non erit omniũ reſurrectio. Si enim peccatum illud manet adhuc in multis, etiã mors eis dominabitur. Sed hoc repugnat Apoſtoli doctrinæ, qui dixit: Sicut in Adam omnes moriũtur, ſic in Chriſto omnes viuificabuntur.

Arg.13. Decimotertio, Reſpiciamus ad dona Spiritus. Primo enim non eſt dubiũ, quòd Dominus vocat paſſim omnes. Et certum eſt, quòd quos vocat, nõ ſunt oẽs prædeſtinati, cũ ſint pauci electi, & multi vocati. Ad quid ergo vocat illos nõ prędeſtinatos? Certè ad nuptias vocat, vt veniant, & fruantur nuptiis, ſicut eſt in parabola. Et tamẽ (vt habet hęc opinio) reliquit eos in maſſa pditionis: & ſic nõ vult vt nuptiis potiãtur, ad quas tamen vocauit eos. Deceptor igitur eſſet Deꝰ, quod horreo vel cogitare.

Quartodecimo, Queritur etiam Deus aduerſus *Arg.14.* illos, qui vocati non reſpõderunt, iuxta quod ſcriptum eſt: Quia vocaui, & renuiſtis: extẽdi manum *Prou.1.* meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſiliũ meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo. Quomodo autẽ hoc faciat Deus aduerſus eos, quos ipſe prius relinquendo in maſſã perditionis, neglexit?

Quintodecimo, Quomodo poteſt Deus eis nolle ſalutem, quorum tamen ſalutem magno deſide *Arg.15.* rio ſitire deſcribitur? Vtinam, inquit, ſaperent, & *Deut.22.* intelligerent, & nouiſsima prouiderent. Et Domi *Iſa.48.* nus ad Iſrael, Vtinam attendiſſetis mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.

Decimoſexto, Veniunt & multi vocati, & ſuſci- *Arg.16.* piunt baptiſmum, & confertur in eo gratia, & intrant in Chriſtum. Si hoc eſt verum, ergo liberati ſunt ab originali peccato. Quomodo ergo derelicti in maſſa perditionis?

Decimoſeptimo, Si confert gratiã Deus iis non *Arg.17.* prædeſtinatis: aut confert eam ita vt velit eos poſſe in ea manere ſi velint, aut non. Si primum, non ſunt ergo relicti in maſſa perditionis. Si alterũ. An non eſt hęc mera deriſio, & eluſio ſine cauſa, quòd Deus quibuſdã conferat gratiam, & nolit eos permanere in illa?

Addam & hîc liberè, gratia veritatis, & ad inſtruendum lectorem, non ad eleuandam autoritatẽ ſanctiſsimi & doctiſsimi viri B. Auguſtini, quẽ multum veneror, & cui tantum tribuo, quantum vlli ex doctoribus, & tractatoribus ſcripturarum auſim concedere: qui tamen primus & vnus iſtud de maſſa perditionis commentum induxit, & ſuadere conatus eſt. Ipſe enim ſentiens ſe dicere duranimis, inducens contra ſe argumentum quod modo diximus: fatetur ſe ſolutionem neſcire. Hæc enim eius ſunt verba. Hîc autem, ſi à me quæritur, *In libr. de cor. & gr.* cur eius Deus perſeuerantiã non dederit, qui eam, qua Chriſtianè viuerent, dilectionẽ dedit, me ignorare reſpondeo. Sed cur ignorabat tantus vir cauſam? niſi quia eſſe effectum ſupponebat, qui verè non erat: & conſequẽter habere cauſam non poterat, quam tamen ille quærebat. Supponebat enim quòd Deus nollet hominem non prædeſtinatum, cui dederat gratiam, poſſe perſeuerare: quod eſt incredibiliſsimum. Et ideo ipſemet ſibi ipſi minime conſtans, in eodem libro, de eo loquens qui accepit gratiam, quòd in ea non perſeuerauit, illi imputat, & non Deo: quia potuiſſet (inquit) perſeuerare ſi voluiſſet. Ergo non fuiſſet relictus in maſſa perditionis: hæc eius verba ſunt. Iuſtior videtur excuſatio dicentium, Non accepimus audientiã, quàm dicentium, non accepimus perſeuerantiam: quoniam dici poteſt homini, In eo quòd audieras & tenueras, in eo perſeuerares, ſi velles: hæc ille. Agnoſce bone lector, quanta ſit vis veritatis.

Cæterum, ſi ea ſit quæſtio. Quare nõ omni homini dedit Deus perſeuerantiam, videlicet, illam, qua omnino ſint perſeuerature, ita vt excidere nõ valeant? In promptu eſt ratio: quia non eſt debitũ, imò etiam nec eſſet pulchrum, ſi omnibus ęqualis daretur gratia. Quiſque tollat quod ſuũ eſt, & vadat, Satis eſt hoc, quòd nemini Deus deeſt ad ſalutẽ, vt eam valeat aſſequi. An oculus noſter nequã,

quoniam ille eſt in alios valde bonus, modo ſit etiam nobis bonus eſt? Quòd enim ad maiores gratiæ gradus & ſummos non omnes perueniãt, non eſt abſurdum. Imò abſurdũ, ſi omnes eſſemus pares in tanto corpore, quod eſt eccleſia. Vnde quidam rectè: Æqualitate nihil inæqualius. Et ipſe Apoſtolus hãc litem dirimit, aiens: In magna domo *Plinius iunior.* *2.Tim.2.* ſunt nõ ſolùm vaſa aurea & argẽtea: ſed & lignea, & fictilia. Itaque quiſque timeat, & ſeruet ſeipſum in ſua ſorte cum poteſt, & audiat dictum à Domino: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam *Apoc.3.* tuam. Et dum hoc audit, certò ſciat quòd poteſt tenere, cui iubetur vt teneat. Nam gratia & charitas infuſa, eſt arra & pignus vitæ æternæ, vt ait Apoſtolus. Dabit ergo Deus arram & pignus, & non *Arg.18.* quod ſub arra & pignore repromittitur? Abſit.

Decimooctauo, Habemus & à Spiritu ſancto Euchariſtię ſacramẽtum, quod mihi accipiunt, & promittitur eis indiſtinctè per illud vita æterna, Qui *Ioan.6.* mãducat me, & ipſe viuet propter me, & non morietur in æternũ. Hoc autem quomodo verũ eſſet in iis, qui ſunt relicti in maſſa perditionis? Adhæc, & de ſacramẽto pœnitentiæ nõne habemus, quòd abſoluuntur indiſtinctè quicũque confitentur peccata ſua, & non ponunt obicẽ abſolutioni? At quomodo poſſunt abſolui, qui in illa maſſa perditionis permanerẽt, non abſoluti à peccato originali?

Arg.19. Decimonono, Nonne Angeli ſingulis hominibus (vt habet catholica veritas, & pietas) aſsignantur? Et hoc quamobrem, niſi vt ſint miniſtri ſalutis, ſicut ſcriptum eſt: Nonne ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? At hoc minime cõgruit cum maſſa perditionis, ſi Deus ſcilicet nolet ſalutem his, quos inde noluit liberare.

Arg.20. Vigeſimo, Pugnat hæc opinio cum aliis multis diuinis beneficiis, & prouidentiis, quas Dominus pro omniũ ſalute indiſtinctè prouidit. Cur enim proponuntur paſtores indifferenter omnibus? Et cur requirit Deus ſanguinem perditorũ de manu ipſorum? Si enim Deus vult illos perdi, imò iam illos eſſe perditos, quid amplius curari etiam vult ne perdantur? Quòd ſi Dei deliberatione perdantur, quomodo exigit eorum ſanguinẽ ab aliis, qua ſi illorum culpa perditi fuerint, qui tamẽ ſalui eſſe illorum cura non poterant? Inconſtantiſſima ſunt hæc, & apud rectè cogitãtem abſurdiſsima. Adde, quòd paſtores, qui proponuntur ouibus, poſſunt eſſe de non prædeſtinatis, & ſic non attinere ad regnum Dei. Et quàm (obſecro) prouidè factũ eſſet, vt per hos curarentur oues, qui in ſcientia & prouidentia Dei ipſi ſint extra gregem? Et hinc venit quorundam meritò damnata opinio, qui dixerũt, non eſſe verè paſtores & prælatos, qui non fuerũt in numero prædeſtinatorum.

Arg.21. Vigeſimoprimo, Dominus omnes aſtrinxit ad præceptum dilectionis & charitatis, quod eſt (vt rectiſsimè B. Thomas exponit) teneri nos atq; obligari diligere Deum vt datorem gratiæ, & beatificatorem. At non prędeſtinati ad hoc minime obligati eſſent, ad quos pertinere non poſſet gloriæ promiſsio.

Arg.22. Vigeſimoſecundo, Si tam multi ſunt relicti in maſſa illa perditionis, profecto non poſſunt dici viatores. Non eſt enim viator, qui non eſt deſtinatus ad patriam, & ad terram promiſsionis: Quod neſcio an quiſquam concedere auſit.

Vigeſimotertio, Si conſideremus rationem iudicij futuri: in omni loco ſcripturarum inuenimus *Arg.23.* quemlibet, qui damnatur, non propter originale peccatum damnari, ſed propter actualia peccata: quoniam ab originali omnes (ſi voluerint) liberati ſunt per Chriſtum. Quòd ſi noluerint, ipſorum peccatum fit actuale, propter quod pereunt.

Mitto hic pueros, qui non concluduntur in futuro iudicio. Nam iam factũ eſt de his iudicium, quemadmodum alibi copioſè probaui.

Adhæc, Nulli qui eſſent in inferno, eſſent ibi reuera ob proprium actuale peccatum, ſed propter originale, à quo non fuerunt liberati, vtpote relicti in maſſa perditionis. Sed originale nõ ſaris eſt ad æternæ gehẽnæ cruciatus infligẽdos: quoniam igne inferni & verme non poſſunt torqueri, qui videbunt ſe non ob ſuam malitiam perdidiſſe regnũ Dei, quod adipiſci nunquam valuerunt, cum ad illud nunquam aptati fuerint.

Vigeſimoquarto, Magna conſequuntur hanc o- *Arg.24.* pinionem abſurda. Et primum, quia anguſtat nimium gratiam Dei, & miſericordiam efficacẽ ex parte ipſius: & rem ita conſtituit, vt vnus gradus eorum qui poſſunt cogitari, deſit in prouidentia Dei. Cum enim ponant primum gradum prædeſtinatorum, id eſt, eorum qui per prouidentiam Dei non poterunt non ſaluari: Et deinde eorum qui reprobati ſunt, & ſaluari non poſſunt. Ille modo gradus deeſt, nimirum eorum qui & ſaluari ſimul ac damnari poſſunt, quorum aliqui ſaluentur, aliqui damnentur. Sed non eſt bonũ vt iſte gradus deſit, quem in Angelis fuiſſe B. Auguſtinus ponit.

Aliud eſt abſurdum, & quidem magnum, quod dum omnes bonę mentes audiũt, rem iam actam eſſe vident, & exitum iam determinatum vnicuique, videlicet, Quoſdam prædeſtinatos ad vitã, reliquos autem relictos in maſſa perditionis. Si.n. res ſe ita haberet, iam nec ſalus nec perditio pẽdet ex futuro, & ex nobis, ſed ex decreto olim apud Deum ſententia. Dicet enim quis non imprudens ratiocinator: Aut ego inter prędeſtinatos ſum: Aut inter eos qui nõ ſunt prędeſtinati. Si inter primos, iam non poſſum deficere, ſaluus ero omnino. Sin autem non in eo numero ſum, actum eſt de me. Et cum ſit in promptu prudẽti viro, non ſe temerè in eo numero ponere: quantam hęc cogitatio afferat bonis mentibus anxietatem & amaritudinem, ij queunt noſſe, qui veniũt in hanc cogitationẽ, quæ profecto (cũ ſic prædicatur prædeſtinatio) confeſtim exoritur, & conturbat multorum animos, ac præſertim piorum. Quamobrem B. Proſper & Hilarius non ab re datis epiſtolis admonuerũt B. Auguſtinum de hac opinione, quæ iudicabatur ſcandaloſa: & quæ ꝑdicata, perturbauerat omnes Galliæ præſules, cum propter crudelitatem, quæ mox continere videbatur, tum etiam quod noua eſſet, & nunquam à ſanctis Patribus antea cogitata. *Prædicatione Maſſę conturbatas quondã omnes Galliarum eccleſias.*

Neque obſtat quod à quibuſdam reſpondetur, & (ne quid diſsimulẽ) etiam ab ipſomet B. Auguſtino, idem videlicet abſurdum ſequi ex Dei præſcientia, quam tamen nemo negat. Si enim præſciuit Deus (aiunt) aliquem damnãdum, & alium ſaluãdum: ergo aliter non poteſt euenire, quàm præ-

Universidad de Deusto Biblioteca

Differētia inter præscientiā & prædestinationem.

ſciuit.Sed multū profectò intereſt inter præſcientiā,& prædeſtinationē, & ſimiliter reprobationē. Nā preſcientia nihil ponit in rebus:ſed videt Deus vt ſeſe res habet,& eo modo quo ſeſe res habet.Id eo.n.videt Deus,quia ita res eſt:nō autem ita eſt, quia Deus videt,vt Origenes inquit:ita quòd non ſequatur ita eſſe ad videre Dei,ſed ita ipſum videre ſequitur ad ita eſſe.Vnde illius preſcientia nullam ponit in rebus neceſſitatem.Contrà autem eſt de prædeſtinatione,& reprobatione.Nā quia prædeſtinatus pōnitur quiſquā,ideo ſaluabitur . Et quia immobiliter prædeſtinatus, ideo etiam & immobiliter ſaluabitur. Similiter de reprobato: quia enim reprobatus , ideo non ſaluabitur,nec poterit ſaluari.Itaque facile retunditur hęc iſtantia de præſciētia,ſi quis rectè capiat,& illud bene intelligat quod ait B.Thomas,videlicet, Ea quæ præſciūtur à Deo contingentia futura,non preſciuntur in cauſis,ac propterea non præſciuntur vt futura. Sed de his in noſtris opuſculis fuſius diſputauimus.

Tertium ex tali opinione ſequitur abſurdū hoc. Nam malæ mētis homines, & qui ſunt ad malum diſpoſiti,vehementer ac incredibiliter gaudent de hac hęreſi:& ita facillimè argumētantur.Si ad hūc modū ſe haber prædeſtinationis ratio, bonum eſt pro nobis,præclarè nobiſcū agitur. Nam ſi ſumus ex illis qui ſunt prædeſtinati , quicquid egerimus, ſalui erimus:quia Deus id iam decreuit.Voluntati autem eius quid eſt quod reſiſtat? Poſſumus ergo interim gaudere & lætari. Lætari ſimiliter & gaudere oportet,etiam ſi in aliorū numero ſumus relicti in maſſa:quoniam non eſt bonum,ſi reprobati ſumus,vt in hac vita inſuper maceremur.Satis ſuperque macerandi ſumus in alia vita ſempiterna. Vnde concludunt, Comedamus ergo & bibamus interim,& fruamur bonis quæ videmus, nec nos prætereat flos temporis:coronemus nos roſis,antequam marceſcant,&c.Eiuſmodi nos hiſce auribus audiuimus ex ore perditorum, cum tales prædicationes ſpargerentur in vulgus.Illam ergo opinionem quæ pios quidem conturbat,impios autē exhilarat,poterit quiſpiam pius probare?Abſit.

Argu.25. Verba Apoſtoli clara, quibus tamē vim aliqui inferunt.

Vigeſimoquinto,Si nihil aliud eſſet quàm quod B.Paulus tam expreſſè dixit,& ratione conuſq; potenti vallauit, opinor poſſet ſatis eſſe iis, qui non affectatè iurarint in verba magiſtri . Ait enim B. Paulus:Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes,orationes,poſtulationes,gratiarum actiones,pro omnibus hominibus,pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt cōſtituti,vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni caſtitate & pietate. Hoc enim bonum eſt , & acceptum coram Saluatore noſtro Deo,qui vult omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionē veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homoChriſtus Ieſus,qui dedit redemptionē ſemetipſum pro omnibus: hæc Apoſtolus . Quid (quæſo te veritatis amator)quid inquam dici poterat clarius ac manifeſtius? Non hoc in loco dicit, ſufficere meritum Chriſti pro omnibus, ſed de facto traditum illum pro omnibus . Et vide vt bene congruit ratio ipſi præcepto.Præcipit vt fiant orationes pro omnibus. Et ſubditur ratio: Quoniam Deus vult omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire.Et huius voluntatis ſubditur rationem validiſsimam dicens: Et vnus Mediator Dei & hominum, id eſt, inter Deum & homines, homo Chriſtus Ieſus,qui dedit redemptionem ſe metipſum pro omnibus . Verè neſcio ſi quid plenius dici poterat,ad id quod defendimus comprobandum.Cum enim audis Mediatorem,debes meminiſſe inimicitiæ , quæ erat inter Deum & inter homines,non illos aut illos , ſed inter omnes homines,quaſi vnum:quoniam contra vniuerſam naturam noſtram iratus erat Deus: & ideo non erat facienda diuiſio perſonarum. Vnus autem dicitur fuiſſe Mediator , vt ab eo cauſa omnium ſuſcepta declararetur.Et adiicitur,hūc Mediatorem hominem eſſe,vt intelligeres quòd ſtabat pro tota natura,& ſic pro omnibus hominibus,& non pro parte hominum. Quod vt amplius etiam declararet, adiūxit:Qui dedit ſemetipſum pro omnibus. Nūc tædetque pigetq; commemorare ad hunc locum agglutinatas gloſſas, quibus profecto nedum exponitur,ſed laceratur,ſed deſtruitur.Si cui fortè videre libeat,requirat in Opuſculis noſtris.

Hactenus autē arbitror ſatis dictum ad euertendam hanc opinionem ſatis quidem duram & dirā. Sed nunc reſpondendū his Apoſtolicis ſententiis. Sunt enim qui rectè quidem ſentiunt de re ipſa,& facile cōfitentur prędeſtinationē non eſſe ex meritis bonis,ſed à gratia.Reprobationem autem non poſſe eſſe niſi ex meritis malis.Sed ipſi interim ad hunc locum non reſpondent,vbi ſicut de Iacob dicitur,illum non quia fecerit aliquid boni,electum fuiſſe:Ita de Eſau,non quia fecerit ipſe aliquid mali,eſſe odio habitum,ac per hoc reprobatum.

Nos ergo pro explanatione loci huius, cum iis agentes, qui ita hunc textum exponunt, vt reprobationem probent venire non ex propriis demeritis (& ſi primo auditu ita eſt abſurdū,vt etiam quolibet proferente , & quanuis magnæ autoritatis, nō reddatur credibile.) Quærimus tamē ab eis primùm , vtrum ſcripturā iſtam proferāt ad hoc propoſitum iuxta ſenſum literæ, an iuxta allegoriam. Si enim hunc ſenſum ex litera accipiūt,vt plurimi non aduertentes ad ſcripturam faciunt , & volunt quòd Eſau ex illis verbis iuxta literam fuerit reprobatus à Deo reprobatione æterna,antequam quicquam mali feciſſe intelligeretur,vt notitia peccati ſequatur huiuſmodi reprobationē,propterea quia ſcriptum eſt:Eſau odio habui,& Apoſtolus adiungit:Antequam quicquā boni aut mali egiſſent.Fallūtur ij proculdubio & aberrāt quàm longiſsimè, & contra id quod habēt expoſitū apertūque in locis propriis.Etenim in hoc fuit odium Dei aduerſus Eſau,quòd licet ipſe eſſet primogenitus, debereturq; illi ſecundum carnem ius primogenituræ, etiam videri poterat,quòd & hoc ei magis deberetur,videlicet,vt ex eo Chriſtus naſceretur,& conſequenter ex eo prodire deberet populus dignior, qui potius imperaret,quàm ſeruiret. Mero tamen Dei beneplacito , & iuxta propoſitum electionis ſuæ,electus eſt Iacob,& alter ab hoc dono reprobatus.Et ſic veriſſimū fuit quòd iſta electio Iacob nō ex meritis ſuis,nec reprobatio Eſau ex demeritis eius proceſsit,ſed ex mero Dei beneplacito,qui nō aſtringebatur carnali iuri in huiuſmodi:imò nefideremus in carne,plerumque id egit Dñs,vt minor eligeretur.Sic placuit Abel præ Cain , vt loco

Nota quod nā odium ac reprobatio fuerit Eſau.

Abel ſufficeret Seth,ex quo Chriſtus . Sic Iſmael eiectus eſt,& electus Iſaac . Sic Iacob electus repulſo Eſau.Nam & Iudas filius Iacob nō fuit maior inter fratres.Et nihilominus de illo propheta

Gen.48. tum eſt : Iuda te laudabunt fratres tui . Sic & E-

Ibid.48. phraim benedicitur à Iacob benedictione dexteræ.Vide igitur dictum illud : Maior ſeruiet minori,non eſſe dictum propriè de perſona ipſius Eſau qui certè nūquam ſeruiuit Iacob in mundo iuxta literam. Sed ſicut reſpondit Dominus conſulenti Rebeccæ matri,quòd duæ Gentes erant in vtero eius,& duo populi ex eius ventre diuidendi,& populus alter alterum ſuperaturus erat,ita quòd maior ſeruiturus erat minori . Quod certè fuit , quia populus Idumæus,qui de Eſau venit,ſeruiuit Iſraelitis,ſicut ſcriptum fuit: In Idumeā extendam cal-

Malach.1. ciamentum meum.Et hoc eſt quod propheta Malachias dixit:Iacob dilexi,Eſau autem odio habui. Quod manifeſtiſſimè his verbis exprimit : Onus verbi Domini ad Iſrael in manu Malachiæ prophetę:Dilexi vos, dixit Dominus:& dixiſtis:In quo dilexiſti nos?Nonne frater Eſau erat Iacob,& dilexi Iacob,Eſau autem odio habui?Vide igitur quòd non loquitur de dilectione , aut odio perſonarum æterno,ſed de illa electione Iacob,qua ſignificati ſunt Iſraelitæ ſecundum carnem,& facti ſunt Domini alterius Gentis.Vnde ſequitur : Et poſui Seir montes eius in ſolitudinem , & hęreditatem eius in dracones deſerti.Itaque in huiuſmodi,quia ſunt gratioſa,& nullum præſupponunt debitum, non expenduntur merita vel demerita . Potuit enim Deus abſque iniuria Eſau,nolle prodire ex eius ſemine , tametſi maior eſſet . Hoc enim ius carnale non erat in conſideratione apud Deum quoad gratias ſpirituales,ſed apud homines. Erat enim ſpirituale donum hoc, videlicet quòd Chriſtus ex illo deſcenderet,nequaquam debitum carni,ſed ſuper omne debitum.Etſi enim primogenitus eſſet Eſau reſpectu Iſaac,qui carnalis erat pater , non tamen reſpectu Dei,qui quos prædiligit,etiam eligit in filios : & ij ſunt illius primogeniti . Vnde legimus: Primogenitus meus Iſrael dicit Dominus. Senſus igitur literalis minime fauet iis , qui hanc tam ſæuam reprobationem inde commenti ſunt.

Hîc dicent fortè,quòd myſticè,& ſecundum typum hoc accipitur,videlicet , quòd ſicut in Iacob intelliguntur vocati ſecundum propoſitum ipſius gratiæ ad vitam,ita quidem vt non ex meritis eius hoc factum intelligatur:ſic & ſimiliter in Eſau intelligantur deſtituti à vocatione ipſius gratiæ ad vitam,ac per hoc odio habiti in finem vſque,non conſideratis eorum demeritis.Sed non ad hoc extenditur hic typus iuxta ſenſum Apoſtoli & ſcripturæ , ſed duntaxat circa ea , quæ ſunt amplioris gratiæ:quia non omnes ſimiliter vocati ſunt & electi, ſicut ij , qui intelliguntur ſub Iacob.v.g.(vt planè hæc accipiātur)Dominus per Chriſtum ſub uenit omnibus,ſed iis quidem magis , iis autē minus:vt quoſdam reliquerit in talento vno,aliis dederit duo,aliis quinque , vt vnuſquiſque potuerit operari per hæc ad vitam æternam.Abſit enim vt quenquam ſine demeritis in hoc reprobet,vt omnino illi præcludatur aditus ad vitam.

Quomodo Deus talentorum ſimilitudine omnibus ſtuiderit ad ſalutem.

Sed accidit,vt qui vnum duntaxat talentum habuit,id eſt,qui non eſt ſeminatus verbi ſemine,ſed relictus eſt tantùm in lumine naturali,cōqueri valeat,& dicat ſe eſſe habitum odio à Domino, tanquam ſeuero & auſtero, qui velit etiam metere vbi non ſeminauit:atque addat, Cur ſeminaſti illic, videlicet,in his qui acceperunt duo talēta,& quinque:in me autem non iecifti ſemen, quod eſt ſeruum me facere quodam modo aliorum,qui plura acceperunt,à quibus ego mendicare cogor.Nam qui minus ſapiunt , naturaliter ſapientiorum ſerui ſunt,vt rectè ait Philoſophus.

Sed Dominus ei reſpondebit dicens:Non quia tu quicquam mali merueris: & ſimiliter non quia ille quicquam boni egerit , ideo tu dignus es habitus hoc odio præ illo (ſi tamen eſt odium verè) ſed quia mihi ita placuit,videlicet,illi dare amplius ſupra merita ſua , & tibi nō dare. Neque te tamen omnino deſerui, cui talentum dedi, vt poneres illud ad menſam ſub vſuris, vt ego veniēs exigerem illud & vſuras,& tu ſaluus quoque fieres.

Vide vt rectè reſpondet typus:neque tamen cogimur intelligere æternam reprobationem.Conſideramus ſolùm varietatem eorū qui ſaluari poſſunt.Nam cum omnes aliquo modo vocentur ad vitam : Alij quidem ſunt quibus natura prædicat quædam, vnde valeant ad ea quæ ſunt gratiæ(Deo illuſtrante ac fauente) peruenire: Alij verò prædicante illis lege Moſeos:Alii verò euangelio Chriſti.Sicut à lege Moſeos multi prohibiti ſunt,ita à lege Chriſti, vt maneant in pura lege naturæ,& abſque iacto ſemine. Et tamen ab eis exigitur vt producant fructum,hoc eſt,vt & ſemen ipſum ſibi quęrant,quod poſſent(vt diximus)iuuāte Deo. Adiuuaret autem & illos Deus , qui nulli deeſt ad ſalutem,cum velit omnes homines ſaluos fieri:licet non æquè prouiderit,omnibus, vt dictum eſt. Non enim omnes ſtigmata Ieſu in corpore ſuo portant,mortui & crucifixi penitus mundo, vt claui charitatis habeant confixos omnes humanos affectus .

Et hæc dicta ſunt ab Apoſtolo , vt doceret, non eſſe propterea increpādum Spiritum Dei bonum, nonnullos elegerit hac ſumma dilectione , vt nihil poſſet eos ſeparare à charitate Dei,quæ eſt in Chriſto:vt præ iis cæteri videantur (quadā loquendi conſuetudine)derelicti,& tanquam odio habiti.Solemus enim ſi quem ab amico nobis præferti conſpicimus, tacitè ſubindignari , & quaſi inde nos odio haberi coligere : præſertim vbi illius amoris peculiaris nulla nobis cauſa apparet. Sic & eiuſdem patris filii dicere ſolent , Pater me odit, cum erga minimum natu oſtendit maiora amoris indicia . Sic conqueſtus eſt ſeruus ille nequam in euangelio, quòd Dominus fuiſſet auſterus in illum. Nec eſt nouum etiam in euangelio ſic accipi odio haberi.Dominus enim dixit:Si quis venit ad me,& non odit Patrem ſuum,& matrem ſuā,non poteſt meus eſſe diſcipulus.Hîc certè odium non accipitur pro odio vero, niſi vt poſtponatur pater & mater Deo. Sic & alibi, vbi ait: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire:aut enim vnum odio habebit. Non eſt enim neceſſe ſi alterum diligat, vt alterum cōtemnet,& odio habeat:niſi hoc pacto, quòd promptitudine & amore in ſeruiendo præfert eum,quem plus diligit.

Odium variè accipi in ſcripturis.

Non me latet alia de cauſa Eſau tenuiſſe repro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo Esau sit reprobatorũ typus.

Patrorum typum:non quidem ex natiuitate,sed ex improbitate sua , & prauitate eo quòd ius primogenituræ commutauit,quam pro lenticula, & rufa offa repudiauit,vt merito dictus sit Edon, conuertus in terrenum Adam. Nam qualis terrenus, tales & terreni.Itaque reprobatio simpliciter cuicunque contingit ex proprio peccato: sicut & primogenituræ amissio contigit Esau ob impatientiã suam , & contemptum . Dixit enim:En morior, quid mihi proderunt primogenita ? Sic procedunt qui peccant contra Deum, spem cœlestis hæreditatis recusantes pro terrenorum possessione. Et tamen secundum carnem semper Iacob detulit illi,& adorauit eum, & vocauit Dominum suum. Et ideo oportet spiritualiter ea verba , & prophetiam interpretari. Verùm prosequamur rem nostram.

Quid ergo dicemus?Nunquid iniquitas apud Deum? Absit.Moysi enim dicit: Miserebor cuius misereor : & misericordiã præstabo cuius miserebor . Igitur nõ volentis,neque currentis,sed miserentis est Dei . Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam:& vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cui vult miseretur:& quẽ vult indurat.Dicis itaq; mihi:Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo,tu quis es qui respõdeas Deo? Nũ quid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti,ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem , aliud verò in contumeliam? Quòd si Deus volens ostendere iram,& notam facere potentiam suam,sustinuit in multa patientia,vasa iræ aptata in interitum,vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam:quos & vocauit,non solùm ex Iudæis,sed etiã ex Gentibus,sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam,plebem meam:& nõ dilectam,dilectam: & nõ misericordiam consecutam , misericordiam cõsecutam. Et erit, in loco vbi dictum est eis : Non plebs mea vos : ibi vocabuntur fili Dei viui . Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiẹ saluẹ fient. Verbum enim consummans , & abbreuians in æquitate : quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram . Et sicut prædixit Isaias, nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen : sicut Sodoma facti essemus , & sicut Gomorrha similes fuissemus .

Quia videbat Apostolus humanam sapientiam non quiescere, sed inquisitiè iudicare Deũ quasi iniquum,proponit hoc,& exhorret more suo. Et scripturam profert vindicantem illum ab iniquitate, ostendentemque primò quòd Deus hoc facit: quia quorundam miseretur , & quorundam non. Secũdo,quod hoc habet in sua potestate,scilicet, gratiam absque vlla iniquitate facere cui voluerit. Ait ergo primo,dixisse Dominum Mosi:

Miserebor,cuius misereor; Græcè sic legitur,Miserebor,cui misereor:& commiserabor cui commisereor,vt sit sensus:Cuius animo proposuero misereri ac benefacere,illius de facto miserebor, & illi benefaciam.Hoc est enim misereri, animo afficiẹ erga indigentem ad conferendum beneficia & dona.Et cui proposuero commiserari,videlicet dimittendo peccata,illi commiserabor.

Vide hic ergo,quã suam vult esse Deus electionem misericordiæ & miserationis , tam in conferendo dona,quàm in dimittendo peccata.Nam & hoc,id est,peccata dimittere,est conferre donum. Quamobrem in veteri scriptura dicitur : Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem placuerit: Quanquam & alij aliter trãsferant ex hebræo, vt tamen sit idem sensus.Et loquebatur de magna Dei misericordia, quæ est Electorum perfecta vsque in finem,quando noscit eos Dominus ex nomine,sicut ibi dicitur Mosi eam precanti. Et hanc poscebat Dauid,vcz,remissionem peccati,ac perfectam perseuerantiæ gratiam . Non quòd Deus vllum sine culpa sua derelinquat: sed quòd nõ omnes æquali, & illa potenti manu sua ducat in finẽ, vt nequeant excidere.Et hic rectè sequitur:

Non est volentis neque currentis , sed miserentis Dei. De gratia igitur hac excellentis electionis, loquitur quam nullus mereri potest,neque volendo,neque currendo,id est,neque voluntati,neque operibus nostris debetur : quia Deus nemini obligatur.Obligatio enim supponit iustum, aut distributiuum,aut commutatiuum.Verùm quæ iustitia cogit Deum dare nobis seruis & miseris, & nihili in conspectu suo?Nunquid in seruum & hostem,cadit obligatio distributiuæ iustitiæ?Et quid cõmercij inter nos & illum? Ergo eligere ad hanc sublimem gratiam,neque volentis neque currentis,sed miserẽtis est Dei.Brauiũ tamen quod promittitur currenti & superanti:& donũ quod similiter agonizanti proponitur,dici potest etiam volentis & currentis , aut superantis : quia in potestate sua est , si vicerit , postquam sic est in pactis transactum. At inter Deum & hominem pactum nullum est , antequam ingrediatur homo per fidem, & fiat candidatus miles. Hoc autem ex mera gratia est, & Dei proposito : & hoc nulli prorsus negatur,modo exerceat quod dabitur illi talentum, aut talenta. Non enim per hoc negatur , non esse hominis sese disponere & præparare ad gratiam, vt prouocet eam sibi,& misericordiam,non tamẽ vt debitam cuiuis præparationi ac dispositioni : quãquam & in hac dispositione adiuuatur à Deo, sine quo nec id posset.

Est hominis præparare se ad gratiã,sed non absque auxilio & motione Dei.

Amplius non est absurdum (nam & hoc esse verum non dubito) quòd nonnulli bene vtentes Dei donis,etsi non sint de illis certa & firma electione ac vocatione electis & vocatis, possunt ta-

Nota. men sibi suam electionem facere certam ac firmã bonis operibus , sicut testatur Princeps Apostolorũ, vbi dicit:Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.Hæc enim facientes nonpeccabitis aliquando . Sic enim abundanter administrabitur vobis introitus in æternum regnũ Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi.

2.Pet.1.

Sunt qui exponunt,Non est volẽtis, scilicet velle, neque currentis,scilicet, currere:quæ expositio mihi quidem nimis torta videtur,nec satis attinere ad quæstionem hic propositam, vbi non agitur quatenus homo valeat suis viribus,sed quòd quicquid valet (si etiam faciat) non promeretur cum Deo,priusquam sit pactũ initum & statutum. Certum est autem quod alibi dicitur : Deus operatur in nobis velle ac perficere pro bona voluntate. & iterum:Non sumus sufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis , quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.Et Christus: Sine me nihil potestis facere.Et alibi:Nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Quæ omnia intelligenda sunt secundum efficaciam, & circa particularia,quæ nos mouent ac promouent in ipsum Deum:& sunt opera quæ à nobis fieri vult Deus.

Philip.2.
2.Cor.3.
Ioan.15.
Iere.10.

Hæc certè nos sine illo non possumus operari. Et certissimum in huiusmodi esse debet,quòd nisi intellectus illustretur desuper , lippus erit in hoc per se, nesciens finem quò sit eundum, nec viam quà.Et similiter,nisi voluntas, quæ trahitur atque premitur ab obiectis præsentibus, quæ sunt temporalia , fortior fiat per gratiam & charitatem,& alia adminicula : nihil poterimus à nobisipsis vel mouere, vel promouere ad salutem. Et nihilominus cum iis omnibus est in nobis principium volendi bonum,sed in vniuersali & cõfuse: ad quod semper spiritus deprecatur,& tenderet, si particulariter nosceret, atque probaret , & fortior factus esset per fidem & virtutem gratiæ Dei,quæ purificat corda.Sed ad rem propositam redeundo.

Nota.

Cùm ostenderit Apostolus Deum impẽdere misericordiam illam electionis insignem cui voluerit,aut aliud similiter ostendat , videlicet , Quòd Deus etiam non vult interdum quibusdam peccatoribus parcere , inducit scripturam dicentem Pharaoni.

In hoc ipsum excitaui te , vt ostendam in te virtutem meam, &c. Quo in loco nota, nõ absque causa hoc exemplum positũ in eum , qui ob duritiam suam promeruerit quoque eam à Domino obdurationem,quæ fuit in negando illi lumen, & fortitudinem gratiæ , qua poterat sine dubio cor illius immutari & frangi,& de lapideo carneum reddi: & amplius in excitando per occasiones oblatas ad sæua & impia.Sunt verò quidam scioli, qui hunc modum loquendi non capientes , non sine tacito reprehensionis aculeo,vt incongruum annotant, quòd scriptura dicat Pharaoni,cum illud non scriptura,sed Deus dixerit antequã scriberetur, ignorantes elegantiam , vt per scripturam intelligamus Dei vocem scripturis cõmendatam, per quas etiam assiduè loquitur Deus. Non enim vnus est tantùm Pharao:sed omnes qui illum imitantur,adeo vt Dominus contemnat eos atque induret, Pharaones sunt ; quibus loquitur Deus talia per scripturam.Sed qui virtutem scripturarum ac mysteria ignorant , quæ non intelligunt , sæpe damnant.Verùm audiamus terribilia Dei verba in Pharaonem:ait,

In hoc ipsum excitaui te, vt intelligamus quòd non solùm dimisit illum sibi,verùm etiam ea proponebat,quæ illum ad peiora prouocabant:idque præuidebat Deus & volebat:imò & hoc intendebat, videlicet,vt magis obduraretur.Qua de re sequebatur ostensio potentiæ & virtutis Dei in illum vt sic glorificaretur ipse Deus in vniuersa terra.Neque hoc iniquum,cum tot peccatis, tantaque contumacia præcedente , hoc ipsum abundè promeruisset.Ingrauauerat enim semetipsum prius Pharao multa inobedientia & contumacia,antequam Dominus id proponeret firmiter aduersus illum. Lege scripturam,& cognosces quòd vsque ad plagam vlcerum non est dictum:Indurauit Dominus cor Pharaonis.Verum id tunc demum fecit, postquam iam multoties erat spretus ab illo . Poterat enim non facere,sed conuertere illum si voluisset, Noluit autem:quia iam plus nimium meritus erat ille,cui non esset parcendum:& ideo elegit potius in illum ostendere magnificẽtiam maiestatis suæ, & regio iure vti. Quare bene sequitur:

De indurãtione Pharaonis.

Ergo cuius vult miseretur, videlicet, summa miseratione: *& quem vult indurat* , scilicet extrema reprobatione . Hoc autem non nisi præcedentibus demeritis.Sic & pro Iudeis reprobatis Isaias:Quare,ait:errare nos fecisti Domine de viis tuis?Indurasti cor nostrum ne timeremus te . Vnde orauit ad Deum tanquam ab ipsis auersum : Conuertere propter seruos tuos,& iterum:Conuertere Domine,& conuertemur.Iis autem à quibus non est ad huc auersus Deus , ipse potius dulce verbum profert, dicens : Conuertimini ad me , & salui eritis. Rursum etiam hos inuitat : Quærite Dominum, & salui eritis.Quærite faciem eius semper. Quærite eum dum propè est. In alios verò : Quærietis me,& non inuenietis.Et alibi ad priores: Dum lucem habetis,credite in lucem,vt filij lucis sitis.Vnde & conquerebatur:Si veritatem dico vobis,quare non creditis mihi?In alios verò;Excœca cor populi huius,& aures eius aggraua,&c.Et de quibusdam legimus,quòd non poterãt credere,quia scriptum est per Isaiam,hoc est,ita à Domino destinatum, ob eorum peccata & duritiam . De quibusdam vero aliis scriptum est: Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.Hęc verò diximus,vt diuersos diuersorum hominum status agnosceremus eorum qui adhuc videntur esse in via,sed ex parte non sunt : quia iam sunt in Dei discretione iudicati , siue misericorditer & benignè vt viuant , siue iustè ac seuerè præcedentibus delictis,vt in æternum moriantur & pereãt : Licet possit Deus non obstantibus illis demeritis , eos conuertere.Nam & misericordiam facit aliquando etiam persequentibus se , & in ipso persequutionis articulo,vt contigit B.Paulo . Sed quia carnales homines indigue de Deo cogitantes atque censentes,putant absurda : ideo introducit hominem tanquam aduersus hæc garrientem,& ait:

Isaiæ 63.
Ioan.8.
Isaiæ 6.
Act.13.

Dicis itaque mihi , Quid adhuc queritur ? Voluntati enim eius quis resistit? Et sensus est,Si Deus obdurat, quid adhuc conqueritur in eos qui prauè agunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos ipse volens obdurauit,& nemo est qui possit eius voluntati resistere? Videtur scriptura frequenter admirari huiusmodi obduratos, nec id sine querela, vt est illud: Tota die expãdi manus meas ad populum incredulum, & contradicentem mihi. Verùm ad hoc respondet Apostolus, & primo quidem non resoluendo, sed interimendo quæstionem ob altitudinem ac maiestatem Dei, aiẽs:

Pro vera intelligẽtia apostolicæ disputationis.

O homo. Tu quis es vt respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum, &c. Pulchra similitudine primùm obstruit os audentis in Deum, eundem figulo assimilans: nos autem luto, iuxta Isaiæ conceptum, qui ait.c.64.Et nũc Domine pater noster es: nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Iterum alibi idem dicit, quod hîc Apostolus: Væ qui contradicit factori suo, testa de tamiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? & opus tuum sine manibus est? Et appositè subiunxit:

Isaiæ 45.

Ex eadem massa, ostendens non omnes, qui ex Adam descẽdimus, vnam esse peccati & iræ massam, atque ideo lutum: vt figulus ex eo possit facere quodcunque velit. Propter quod & apud Ieremiã Dominus. Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. Neque tamen hæc assimilatio attingit veritatem. Si quidem Deus magis est dominus figmenti, quàm figulus luti incomparabiliter. Non enim figulus facit lutum, sed ex luto tantùm figurat, vtens materia creata. At quicquid est in nobis, à Deo est, & Dei verè. Sensus ergo Apostoli est, non quòd Deus ita faciat, sicut figulus facit nemine reprehendente, qui aliud quidem vas facit in honorem, & aliud in contumeliã ex mera eius voluntate, ac beneplacito. Absit vt ita de Deo existimemus, sicut plerique hunc locũ acceperunt: quoniam nullum contumeliæ vas ipse facit, sed nosmetipsi nos facimus.

Hic igitur verior est sensus, vt B. Chrysostomus latè declarat, & nonnulli doctorum græcorum, voluisse Apostolum hoc exemplo hominis temeritatem compescere, supponẽdo quòd si etiam Deus ita faceret, qui est dominus omnium, non habens supra se dominum, aut legem vllam, nullus posset iure contradicere, cum nullum ius sit inter figulũ & lutum. Quia verò non ita facit Deus, sed voluit nobiscum agere, tanquam ille cum quo possit contendi iudicio: postquam Apostolus ostendit quòd Dominus non teneretur respondere nobis interrogantibus, sed nos teneremur silere, dignatur respondere pro Deo, vt ipsum vindicet ab omni vel apparenti iniquitate, & subdit:

Quòd si Deus volens ostendere iram, &c. Ne quis ergo putaret ipsum Dominum facere, sicut facit figulus, vasa contumeliæ, seu iræ, vt sic velit ostendere iram aduersus illa, hoc in loco vult indicare, quẽ libet peccando facere se vas iræ: & cum adhuc nõ est plenum, id est, perfectum, & ita perfectè aptatum in interitum, Dominus sustinet ipsum in multa patientia, id est, longanimitate. Græcè legitur, μακροθυμίᾳ, vt tandem in eum qui spernit illius benignitatem, iram ostendat: & sic tanquam iustus glorificetur, cum tandem punit hominem, qui tã diu expectatus noluit se auertere ab iniustitia & impietate. Illud etiam alia ratione facit, nimirum vt ostendat diuitias gloriæ suæ ac magnificentiæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Nam ex opposito melius oppositum agnoscitur. Gaudebunt.n. valdè vasa misericordiæ, quum videbunt quod poterat illis contingere, imò quòd debebat ex peccato suo: & simul considerantes iram Dei in eos, quibus noluit parcere, sed obdurauit potius, ex meritis tamen eorum propriis. Collige igitur ex verbis sensum, quo Deus ab omni iniquitate merito vindicatur. Ait enim:

Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, supple tu, quæ mira benignitate expectabat ad pœnitentiam, iuxta illud, An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et addit, *aptata in interitum*. B. Augustinus legit perfecta in interitum: non quia ipse Deus aptauerit, seu perfecerit: neque quòd in Adam fuerint sic aptata & perfecta, quoniã nec de eo peccato loquitur, nec illud peccatum aptauit nos, nec perfecit ad interitum secundæ mortis; de qua est hic sermo. Nec enim de talibus dicitur, quòd sustentati sint in multa patientia: sed ipsamet vasa ad hunc interitum se se aptauerunt, & perfecerũt. Si ergo (inquit) Deus illa sustinuit in multa patientia, volens (supple tu, si non conuerterentur) ostendere in illa iræ suam: & in vasa misericordiæ diuitias gloriæ suæ, quę præparauit ad gloriam. Et est supplendum quippiam, ab ipso Apostolo quadam indignatione sancta obzelum Dei prætermissum. v.g. Quid potes respondere, ô homo, vt arguas Deum?

Quomodo iustificatur Deus in omni opere suo.

Et nota quàm congruè de vasis misericordiæ, & quàm sapienter dixit; Quæ præparauit in gloriã. De vasis autem iræ, non dixit; Quæ præparauit in interitum, sed dicit; aptata in interitum & quod Dominus ea sustinuit in multa patientia: non ergo ipse aptauit. Græcè legitur, κατηρτισμένα, id est, quæ adduxit seu attulit, vt legit B. Augustinus, vt sit sensus pro iustificatione Dei super his, Quòd Dominus sustinendo patienter, protulit illi tanquam ad ostensionem atque exemplum: quoniam sua malitia obduruerunt. At ipse tandem obduratos ostentauit in gloriam suam, & in aliorum doctrinam, vt perditio sua ipsorum sit ex illis ipsis: auxilium vero à Deo, quemadmodum scriptum est. Superat autem misericordia semper iram Dei; vt ob hoc legamus puniri peccata parentum in tertiam & quartam generationem, misericordiam autem extendi in multa milia. Vasa autem misericordiæ electa dicit, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, ne putarent Iudæi se solos habere Deum.

Et pro Gentibus affert prophetiam Oseæ. Desunt tamen in græcis verba illa: *Et non misericordiã consequutam, misericordiam consequutam.* Ego verò puto sic omnia rectè habere, quemadmodum habẽt latini codices: quia ex propheta cap.2. & 3. hæc omnia eliciuntur. Nam.c.2, post multa pulchra ad Gentium vocationem attinentia, ita legitur: Et miserebor eius, quæ fuit absque misericordia. Et dicã non populo meo: Populus meus es tu. Et.c.3. Et dixit Dominus ad me, Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel. Ecce vt eleganter & misericordia Dei, & dilectio in Gentes ab eodem propheta exprimitur. Apostolus autem rectè præmit

tit dilectionem ante misericordiam: quia natura præcedit dilectio misericordiam. Eorum enim miseremur, quos dilectione prosequimur. Quod autem addit:

Et erit in loco vbi dictũ est eis: Non plebs mea vos, &c. accipitur ex eodem Propheta, c.1. Et post testimonium redditum de vocatione Gẽtium, redditur etiam de Iudæis per Isaiam, qui ait:

Si fuerit numerus filiorum, &c. Sed hic dubiũ. Nam Isaias videtur afferre numerum grandem filiorũ Israel, tanquam per hoc faciens difficultatem salutis, in paucis, qui reliquiæ dicti sunt: fortè quia fuerunt iuxta oculos humanæ sapientię ignobiliores, & infirmiores aliis. Maiores.n. id est, principes sacerdotum, & scribæ, & pharisæi, penè omnes in perfidia permanserunt. Sed hoc, videlicet, numerum esse magnum, magis videbatur inducere misericordiam Dei, saltem erga quosdam, ne tota gẽs pereat. Sed hic mihi videtur sensus: tametsi numerus esset grãdis, tamen solas reliquias esse saluandas, id est, paucos de innumerabilibus. Quod vix credibile videri poterat, vt tam multi relinqueren tur: sed reddit causam paucitatis, dicens:

Contra Iudæos, q̃ noluerunt intrare p angustam portam.

Verbum enim consummans & abbreuians in iustitia, &c. id est, Deus consummans verbum, id est, perficiens illud per Spiritum suum per fidem, ac spem & charitatem perfectam, ac veritatem, etiam abbreuiauit ipsum, vt pauciores contineret, cum requireret iustitiam hanc perfectam: quia pauci sunt qui perfectionem iustitiæ velint assequi. Ideo breuiauit Deus verbum, quod est Christus: quia in eo pauci remanserunt ex illis Iudæis tantùm per reliquiæ, vt prædictum erat, ita vt puer paruulus posset numerare.

Quoniam faciet Dominus verbum abbreuiatũ super terram, illam videlicet terram Iudæam. Nec me latet euangelium dici verbum abbreuiatum etiam respectu legis: quia in eo amputata sunt multa superflua, quæ data erant illi populo velut puero, & elementis indigenti, quibus ad Christum venire posset. Nam & consummata iustitia consistit in paucis. Et hoc etiam fuit in causa, quòd pauci remanserunt in verbo. In omnibus enim passi sunt scandalum. Et primo, in cærimoniis & decretis, quæ erant sine numero, à quibus non poterant desuescere, vt à sabbato, à circuncisione, à baptismatibus abstinantiis & aliis multis. Secundo à fide, & auditu Christi. Abhorruerunt enim à Crucifixo. Tertio à spe æternorum: Ipsi enim magis ad carnalia, & temporalia aspirabant. Quartò à charitate: Non enim potuerunt suscipere dilectionem inimicorum in Christo, & Christianam mansuetudinem, & veram cordis humilitatem, ac patientiam. Quia ergo verbum istud tãtæ erat perfectionis vt paucos admitteret, ideo adiectum est:

Quæ causæ perditionis Iudæorũ.

Nisi Dominus Sabaoth, id est, exercituũ, vel virtutum, *reliquisset nobis semen*, videlicet, ex abundanti misericordia sua, *sicut Sodoma fuissemus, &c.* quæ penitus absumptæ sunt igni. Semen autem de quo ait Isaias, quod relictum est à Deo, fuit Senatus Apostolicus, de quo apud eundem dicitur: Semen sanctum erit, quod steterit in ea. Eam verò vocem *Sabaoth*, noluit transferre Apostolus. Fortasse quia quiddã habebat in propria lingua natiuum quod non facile in aliam transferri poterat. Verba autem Isaiæ aliquantò habent aliter, cum apud nostram vulgatam æditionem, tum verò apud alios, qui (vt aiunt) iuxta veritatem hebraicam interpretati sunt. Veruntamen sensum accepit Apostolus, quem egregiè in verbis illis planè ij cernunt, qui beatos habent oculos.

Quid ergo dicemus? Quòd Gẽtes quę non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est: Israel verò sectãdo legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion Lapidem offensionis, & Petram scãdali: & omnis qui credit in eum, non confundetur.

Concludit ex supradictis Iudæorum errorem, quos ipse lugebat, & pro quibus optabat fieri anathemata: simul prudentiam Gentium, quæ vbi ostensam sibi veritatis viam viderunt, in viam salutis intrarunt. Ait enim de illis quòd non sectabantur iustitiam, videlicet, illam quæ erat ex fide, eo quod non esset eis data lex quasi pedagogus ad sectandum illam: & item lege naturali, in qua erant, abusi erant. Ideo in eos apparuit Dei misericordia vocantis illos, vt & Iudæos: Sed illi apprehenderunt iustitiam: Israel verò non apprehendit eam, tametsi illam sectaretur. Et ratio fuit: quia iam sectabantur iustitiam, quam lex non dabat, sed tamen iudicabat. Nam lex, cui studebant, erat vt pedagogus ducens ad Christum, & ita ad legem iustitiæ. Ipsi autem volentes semper manere sub pedagogo, non peruenerunt ad ipsam veram libertatem: *quia non ex fide*, id est, non contenderunt apprehendere hanc iustitiam ex fide, sed contempserunt Redemptorem ac Mediatorem, per quem eruebantur à peccato, & conciliabantur Deo, vt ita liberati possent ei inseruire. Innitebantur autem in meris operibus, & propria iustitia, id est, quam ex viribus propriis assequebãtur. Non hic enim damnantur opera & fiducia in operibus, nisi in iis operibus quæ absque fide sunt. Ideo rectè subsequitur:

Offenderunt enim in lapidem offensionis, nõ recipiendo illum, sed negando: cum tamen vnicum esset fundamentum, in quo omnia aptari debuerunt vt peruenirent ad iustificationem. Aptamur enim per fidem, & consummamur per eam, quæ per dilectionem operatur. De hoc lapide Isaias clamat: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit non festinet. Apostolus dicit: *& omnis qui credit in eo*, siue super eo (vt græcè legitur) fundatus & manens, non confundetur. Sic.n. Septuaginta interpretati sunt. Sed hebraica veritas habet: Non festinet, & est idem sensus: ac si dixerit, Non prætereat hunc lapidem sine honore, nequando incidat in illum, & offendatur, & confundantur: sed expectet per spem quę (vt diximus) habet patientiam operum.

Isaiæ 28.

At Iudæi festinabant volentes subitam redemptionem suam: & de Cruce non poterant suspica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribonum, ſed dicebant, Quis oſtendit nobis bona? Hoc euenit duobus illis in Emaus euntibus diſcipulis, feſtinantibus in hac redemptione. Putabamus, aientes, quòd eſſet redempturus Iſrael. Nonne hic agnoſcis Iudaicam feſtinationem? Ergo cõſilium prophetæ eſt ibi, illos qui credunt, non debere feſtinare, ſed in ſpe patienter expectare: quoniam ſpes non cõfundit. Ideo hunc egregium ſenſum acceperunt. Septuaginta ex eo dicto: Non feſtinet, id eſt, credens permaneat perſeuerando in ſpe, quę intrat in interiora velaminis, & ita nõ confundetur: ſpes enim expectantium non confundit Quidam verò aliunde ſumptam hanc Apoſtoli ſententiam arbitrantur, ex eodem tamen propheta, *Iſa.8.* qui alibi ait, Dominum exercituum ipſum ſanctificate: & ipſe pauor veſter, & erit vobis in ſanctificationem: ac ſi dixerit: Qui crediderit, nõ confundetur. In lapidem autem offenſionis, & petrã ſcandali duabus domibus Iſrael: in laqueum & in ruinam habitãtibus Ieruſalem, vt offendent ex eis plurimi, & conterentur, & irretientur, & capientur. Hæc ex illo Propheta, quæ ſunt verba terribilia, & æternæ confuſionis plena, quam à nobis auertat Dominus Deus per Ieſum Chriſtũ in fide, & ſpe, & dilectione, Amen.

CAP. X.

FRATRES, voluntas quidẽ cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem. Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem quidem Dei habẽt, ſed non ſecũdum ſcientiam. Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærẽtes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis, Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit: Quoniam iuſtitiam quæ ex legẽ eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit ſcriptura? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei quod prędicamus. Quia ſi cõfitearis in ore tuo dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſsio fit ad ſalutẽ. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum, non cõfundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci: nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini, ſaluus erit.

FRatres, &c. Apoſtolus volens hoc in loco monere Hebręos qua in parte peccarent, videlicet in Ieſum Saluatorem, præmiſſa bona ſua erga illos voluntate (quoniam orabat pro eorum ſalute) incipit lenius radicem peccati manifeſtare, quæ erat error, verùm pernicioſus, niſi homo ab eo deflecteret. Ait ergo:

Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem, (ſiue zelum) *Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam,* ſicut & ipſe Apoſtolus olim habuerat. Vnde & id poterat de illis teſtari, quòd hac in re ſibi ſimiles eſſent. Quòd verò oſtendit ſe exiſtimare, & benignius de fratribus cogitare (vt ſolent amici Dei miſericordes in fratres) ad eorum conuerſionem procurandam valebat plurimum. Tribuit ergo Apoſtolus hoc peccatum huic illorum radici, videlicet, zelo Dei, ſed non recto: quia vera ſcientia defuit. Non enim ibi timere debuerunt, vbi non erat timor: nec illud damnare, quod erat ad ſalutẽ. Hanc illorum ignorantiam expreſsit Dominus dicens: Putabunt ſe obſequium præſtare Deo. *Ioan.16.* Apoſtolus igitur hoc illis teſtatur, vt verus teſtis, qui fuit in eodem errore. Vnde ab illo ereptus poterat efficaciſsimè teſtari, ſicut eſt in prouerbio vulgi: Erutus è ſepulchro nouit quid ſit eſſe mortuũ.

Pandit ergo errorem illorum hunc fuiſſe, nimirum ignorare iuſtitiam Dei, id eſt, veram illã iuſtitiam, qua corã Deo iuſtificamur. Hæc eſt Chriſtus iuſtus noſter, receptus per fidem, & dilectionem. Ipſa dilectio & charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, eſt donum illud iuſtitiæ, per quod formaliter iuſtificamur liberati à peccato. Ignorantes igitur hanc iuſtitiam conati ſunt ſtatuere propriam, id eſt, à propriis viribus prodeuntem. Nam ſuis factis, & operibus à lege mandatis putauerunt ſe poſſe placere Deo, & ita quaſi ex debito mercedem repoſcere abſque fide Mediatoris. Hic fuit error, & in hunc impegerunt confidentes in propria iuſtitia, quam & Pelagius voluit reuocare iam mortuam, & in inferis cõditam, & deſtruere gratiam Chriſti: quæ tamen iuſtitia ſi fiat, nihil habet præmij apud Deum. Quoniam tales in hac ſua iuſtitia confidentes, id eſt, in vi operum ex nudo libero arbitrio factorum, non ſunt ſubiecti iuſtitiæ Dei, id eſt, illi iuſtitiæ quæ venit à Deo per Chriſtum, per quem tantùm iuſtificamur coram illo: & non ex operibus legis Moſaicæ, ſed ex fide & ex operibus fidei. Sed dicunt, Si parebo Moyſi ſatis erit mihi, putantes continuò ſe Moyſi paruiſſe, ſi fortè facerent opera quæ ille iuſsit: non aduertentes legem & Moſen fuiſſe pedagogum ad Chriſtum, & ad iuſtitiam perfectam, vt Chriſtus finis ſit legis, qui à lege indicatus eſt, & à prophetis teſtificatus. Vnde eſt iuſtitia vera, credenti tamen in illum, per quem vera eſt illa iuſtificatio.

Probat autem hanc duplicem iuſtitiam à mercede valdè diuerſam: Nam quid mercedis acciperent à lege, ſi fortè facerent opera legis, Moſes ipſe dixit. Erat enim duplex merces facienti legem, Vna quæ per Moſen & ex vi legis, & ex ipſa vi operum proueniebat. Et hæc erat vita temporalis, & proſperitas in illa, & gloria ex hominibus, quæ competit in eos qui apparent iuſti, & ſine quærela in tribunalibus. Et hanc expreſsit Moſes dicens:

Iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Ac ſi dixerit, eam vitam habebit, quam lex continet in ipſa litera. Hæc autem temporalis eſt. Aut iuxta græcam veritatem & hebraicam: *Faciens ea*

viuet

viuet in illis, vt ſit ſenſus, quòd viuet ea vita, quã debent ipſa mandata dare, ſi fuerint obſeruata. Hæc autem vita nõ aliud eſt quàm vita temporalis cum proſperitate, & gloria, quæ in quauis repub. debetur bono ciui, & de illa benemerito. *Præmium iuſtitiæ fidei eſt lucrari Chriſtum.* Sed altera erat vita, quæ non ex potentia legis ſcriptæ, ſed ex gratia per ipſum Chriſtum venit: & ideo hæc non ſine fide Chriſti cõtingebat. Erat enim à Deo qui iuſtificabat, & gloriam, & vitã reddebat æternam operanti in ſpe futurorum bonorũ, propter Chriſtum. Hoc erat præmium ſeruantium legem in fide. Et huiuſmodi mercedem lex ipſa quodammodo continebat intus per ſpiritum latentem ſub litera, non autem dabat vi ſua. Verba autem Moſeos de mercede iuſtitiæ, quam dabat lex, ſumuntur ex *Leuit.18.* Leuit. vbi legitur: Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Similis ſententia eſt apud Ezech.20.cap.

At iuſtitia quæ eſt ex fide, aliter loquitur, id eſt, aliter admonet. Sic enim dicit: *Ne dixeris ĩ corde tuo, quis aſcendet in cœlum?* id eſt, ad deducendum Chriſtum inde nobis, qui ſaluet nos? *Aut quis deſcendet in abyſſum,* id eſt, ad deducendum illum ab inferis? Quod vt planius intelligamus, duo ſunt articuli præcipui. Primus ſcilicet & vltimus, in quibus cæteri continentur. Primus eſt incarnationis Chriſti, quòd Verbum deſcẽderit ad nos, & factum fuerit homo. Et circa hunc increduli homines, qui ignorant immenſam Dei bonitatem, & benignitatem, metiẽtes eam ex ſemetipſis, qui habent viſcera ferrea & ſine amore, imò plena amore ſuiipſorum, in deriſionem hanc incidentes, & blaſphemantes dicunt: Quis aſcendit in cœlum, vt rogaret & excitaret Deum, & inde nobis deduceret Chriſtum? Ac ſi opus fuiſſet aliquem noſtrum illùc acceſsiſſe, qui Deum de noſtra miſeria certiorẽ faceret, vt ſic adduceretur ad mittendum Filium ſuum. Sic enim irridebant ſapiẽtes, qui & corde impio ſiniſtra quædam de Deo, meditabãtur, quaſi circa cardines cœli tantum ambularet, nihil noſtra conſiderans.

Eſt & vltimus articulus reſurrectionis Chriſti, in quo omnes etiã ſubintelligũtur reſurrecturi. Nam ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Hunc autem articulũ ſic irrident irriſores, qui & irridebãtur, & cum quadam ironia & incredulitate rogabant: *Quis deſcendit in infernum,* id eſt, vt ad hoc illũ inde reuocauerit? Tales enim non credunt reſurrectionem, qui dicunt. *Sap.2.* Nõ eſt agnitus, qui ſit reuerſus ab inferis. Propterea admonet iuſtitia Dei, quæ eſt ex fide, hominem fidelem, & de Deo rectè ſentientem, aiens:

Ne dixeris in corde tuo, &c. hoc eſt, Eſto fidelis, & viues vera vita Verbi æterni: *quoniam prope te eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc eſt verbum fidei.* i. ipſe Chriſtus prope te eſt: quia appropinquauit tibi vt agnoſcas, & credas in corde tuo, & lucreris illũ. Appropinquauit autem oſtendens quanta fecerit eius & Patris amor, cum oblatus fuerit ab eo, & ipſe vltrò ac lubens ſeſe obtulerit ad crucem pro tua ſalute. Appropinquauit, inquam, ipſe docẽs veritatem euangelicam, & cõfirmans non ſolùm ſermonis efficacia, verùm etiã ſignis maximis, & prodigiis atq; portentis. Appropinquauit autẽ cordi tuo per lumen fidei, per gratiam & charitatem, vt inde poſſet exprimi ipſius oris confeſsio, videlicet, per opera: quia ipſe ſua gratia, animæ vires non ſolùm ad intelligendum, verùm etiam ad faciendum & operandum ſecundum iuſtitiam fidei, reddidit fortiores, vt omnes eſſent dociles Deo, & mererentur æternum præmium. Dixit autem primo, *in ore tuo,* quanquam ſecundum ordinem naturæ, primò debuerit dicere, *in corde,* quia ex corde procedunt quę ex ore emittuntur. Hoc autẽ fecit, vt intelligamus quid ipſe præcipuè velit ex nobis, nimirum vt inuocemus eum bene operãtes: cui rei ipſe adeſt adiuuans nos Spiritu ſuo. In his duobus eſt tota lex, credere, videlicet, & confiteri. Vnde & ſequitur:

Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus (videlicet nos Apoſtoli) *quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum,* ſcilicet inuocans illum, & faciens opera. Nam hoc eſt plenè confiteri in ore quòd Ieſus eſt Dominus, vt mox oſtendemus. *Quid eſt in ſcriptura confiteri in ore.* Alioqui ſi intelligas in ore, videlicet lingua tantum, habes contrariam Dilecti diſcipuli pręceptionem dicẽtis, Filioli, non diligamus verbo, neque lingua: ſed opere, & veritate.

Et ſi corde credideris, quòd Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, &c. Hic locus maximè pertinet ad expugnationem hęreticorum, vbi clarè probatur, iuſtitiam fidei, qua coram Deo iuſtificamur, eſſe illam quæ implet legẽ charitatis, quæ eſt inſcripta in cordibus noſtris. Et hoc eſt dicere, *Prope eſt verbum in ore tuo, &c.* Moſes apertè hoc explicat, cuius verba hæc ſunt. *Deut.30.* Mandatũ hoc quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, neq; procul poſitũ, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere. Quis noſtrûm valet in cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere compleamus? Neque trans mare poſitum, vt cauſeris & dicas. Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vſq; deferre, vt poſsimus audire, & facere quod præceptũ eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Hæc Moſes aduerſus iſtam hæreſim, quę dicit mandatũ ſupra nos eſſe, vt nequeamus illud cõplere. *Contra hæreticos.* At Moſes ait, Non ſupra te eſt, neque procul poſitum: ita vt non poſsint cauſari, & dicere, Non audiuimus, nõ valemus complere: Sed verbum & ſermo Dei, id eſt, ſermo & pręceptum dilectionis, eſt prope in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Nota verbũ hæretice, Eſt prope in ore tuo, & in corde tuo (inquit Apoſtolus) vt facias illud, id eſt, vt operibus exequaris, quæ cõplent iuſtitiam coram Deo. Vnde bene ſequitur:

Corde enim creditur ad iuſtitiam, &c. Duo ergo manifeſtè exigit Apoſtolus, vt quis ſaluus fiat. Primũ, cordis fidem: Alterum, oris cõfeſsionem. Cuiuſuis autem horum effectum declarat: quia cordis fides ad iuſtitiam, id eſt, vt quis primum iuſtificetur coram Deo, requiritur. Non enim eſſet iuſtus ex operibus, ſi nõ eſſent facta ex fide. Oris verò confeſsio ad ſalutem conducit: quia iuſtificatus & operãs, & in iuſtitia exiſtens, ſalutem ſibi tandem parat. Alioqui ſi ſola cordis fides ſatis ſit homini etiam operari valenti, ad plenam iuſtificationem cui debeatur ſalus, vt iſti blatterant. Quid igitur oris cõfeſsio inſuper exigitur ad conſequendã ſalutem? Et ſi intelligas oris tantum confeſsionẽ quæ exigitur ad ſalutem, vt verba ſonant, quod quis debeat ore exprimere, quod corde credit: hoc verè parum eſt, imò nihil. Nam ſcriptum eſt: Nõ omnis qui dicit mihi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matt.7. Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Neque adhuc talis confessio semper exigitur, sed (vt ait B.Thomas) pro loco, & tempore. Operari autem quę iusta sunt, omni tēpore exigitur. Et hoc est quod ait:

Ore autem confessio fit ad salutem. Quia ore confitetur homo quod credit, quando exterius per opera fidem implet. Ideo B.Iacobus in eum qui gloriabatur de sola fide sine operibus, volens ostendere necessitatem huius confessionis, quæ est per opera quæ apparent, aiebat: Tu fidē habes: ego opera habeo. Iac.2. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Ex fructu enim arbor cognoscitur. Fidei autem fructus sunt opera, quæ dicuntur confessiones oris. Sic enim scriptum est, Credidi, propter quod loquutus sum. Psal.115. Si enim in lege fidei constituta atque indicta sunt charitatis opera, quomodo poterit homo ostendere se credidisse, qui contempsit secūdum fidem operari? At contra, Qui fecerit opera fidei, id est, ea quæ fides iuber, hoc ipso, id est, ex his operibus ostendet fidem suam.

Nota. Et quam pulchrè (obsecro) per oris cōfessionem significata sunt charitatis opera, quæ manāt extrinsecus. Quoniam enim os vultus naturaliter datum est ad exprimendos cōceptus, qui intus latent, quo ore maximè vtimur ad manifestādū homini quod sentimus in corde circa veritatem & fallsitatem: etiam debuit dari suum os voluntati, & amori interius latenti, vt sese per opera ipsa ipsi amori attestantia, manifestare posset: & hæc sunt opera charitatis. Ideo & hæc voluntas & amor habet os suū, vnde exprimatur, videlicet, ipsa opera, quæ fiunt apertè per arma corporis: quia lingua non satis exprimit, neque satis ostendit affectus, qui sunt intus (cum simus sæpe mendaces) nisi comitentur opera in necessitatibus, vt optimè B.Iacobus declarauit, dicens: Si frater, aut soror, nudi sint, & indigeāt victu cotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturemini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Ac si dixerit, Non est hæc illa oris confessio, quæ requiritur ad salutem. Vnde & dixit: Ostende mihi fidem tuam sine operibus, vt necessitatem operum requirat: quoniam ex illis venit salus. Et in hunc sensum dixit Dominus, Quæ ex ore procedunt, de corde exeunt. i. cordis affectu, vt sunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Vide ergo vt ea planè, quæ aliis mēbris exercentur, quàm ore & lingua, vt sunt furta, & fornicationes, & adulteria, dixit tamen ex ore prodire. In hunc sensum (vt opinor) intelligenda est illa sentētia, Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis. Matt.12. Et item illud: Hic populus labiis me honorat, cor autē eorum longè est à me. Ibid.c.15. Etenim per labia intelliguntur opera quælibet exteriora: quæ quia non habebant charitatis influxum (non enim fiebant amore Dei, sed ex propriæ gloriæ & commoditatis affectu) ideo non placebant Deo: quoniam cor eorum longè erat per absentiam charitatis.

Pro confirmatione superiorum.

Nec quenquàm conturbare debet, quòd verba Moseos videntur discrepare ab Apostoli verbis secundum literam: idem prorsus est vtriusq; sensus. Commendans enim Iudæis Moses, vt declarat Apostolus noster, hanc fidei iustitiam, dicit: Mandatum quòd ego tibi præcipio hodie, nō supra te est: aut (vt quidam volūt) non occultum est à te, neque procul positū, &c. Hic annotare debes quod mandatum illud de quo ait, & sermo fidei de quo dicit, B.Paulo explicante, non est aliud nisi Dominus Iesus, qui est nostra iustitia. Et ipse dicitur sermo, & mandatum, & lex, & pactum in cordibus nostris scriptum digito Dei, quod seruare & implere debemus faciēdo, quod in illo clauditur, charitatis præceptum. Hoc est quod dicit conformiter ad ea quę iam exposita sunt, quòd ille sermo est valdè in ore, & in corde nostro, vt faciamus illum, id est, vt opere compleamus, & ex fide. Nam sic in nobis nascitur & formatur Christus. Item annotandum quòd more hebraico, dicitur illud esse trans mare, quod est apud inferos. Cætera exposita sunt. Quòd autē fides iuncta confessioni oris, salutem pariat, affert scripturam dicentem:

Omnis qui credit in eum, non confundetur. Propheta dixit, Non festinet, quod (vt diximus) idem est, ac si dixisset: Perseueret in opere iustitiæ, sperans quòd Dominus implebit illud, & ita non confundetur: quia fidei iuncta confessio inuenietur ad salutem. Et cum dicat scriptura: Omnis qui credit in eum, &c. patet neminem à salute excludi. Vnde ait:

Non enim est distinctio: quod & ratione potentissima probat, *Nam idem Dominus omnium.* Hic est Christus, qui pro omnibus venit, & pro omnibus passus, factus est omniū Dominus. Et ne diceres, non posse, aut nolle eum tandem omnibus dare salutem, etiam qui inuocant illum, præoccupat, dicēs: *Diues in omnes qui inuocāt illum,* vt intelligas per merita sua ita illum abundasse, vt posset omnibus salutem præbere: & per voluntatem suam id potius velle. Vnde ait, *Diues in omnes,* (superius dixerat. Nūquid Iudæorum Deus tantum? Imò & Gentium, vt summi Patris prouidentiā quoad salutem non defuisse etiam Gentibus intelligeres. Nunc Iesum dicit similiter omnium Dominum: quia sanguinis sui pretio redemit omnes, exequutus scilicet Dei Patris prouidentiam, quæ respiciebat omnes. Hoc enim erat opus Patris, quod Filius venit perficere, videlicet, salus omnium: si modo voluerimus per inuocationem ipsius eam obtinere. Vnde & scripturam adiecit:

Pro benigna Dei prouidētia erga vniuersos.

Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, salus erit. Nomen enim Domini, Iesus est: Iesus autē salus est. Si ergo Iesum inuocas salutem tuam, salus eris. Non enim datum est aliud nomen sub cœlo hominibus, ī quo nos oporteat saluos fieri. Sed non inuocatur (vt sæpe propter hæreticos dicendū est) dicendo tantum Domine, Domine, vt stulti putant, sed operando, sustinendo in patientia multa, & vsque in finem perseuerando, sicut scriptum est: Expecta Dominum viriliter age, & cōfortetur cor tuum, & sustine Dominum. Psal.26.

Quomodo reuera inuocetur Dominus.

Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quē non audierunt? Quomodo autem audiēt sine prædicante? Quomodo verò prędicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantiū

bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Nunquid non audierūt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: Nūquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non Gentē, in Gentem insipientem: in iram vos mittā. Isaias autem audet & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me: palā apparui iis qui me non interrogabāt. Ad Israel autem dicit? Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

Quomodo ergo, &c. Apostolus hoc in loco persuadere vult, Dominū non defuisse ex parte sua, quominus inuocari posset hoc nomen Domini Iesu explicitè, vt per hoc constituat cōtumaces Iudæos, qui non inuocarunt, ait ergo. *Quomodo inuocabunt, inquem non crediderunt?* Impossibile est enim inuocare vt Iesum, id est, vt Saluatorem, quem non credas afferre salutem. Fides ergo præcedit inuocationem, vt inuocatio pòst possit inuenire salutem. Quia verò fides ex auditu est, subdit:

Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? In græcis non legitur, ei, sed subintelligitur: quia fides innititur verbo Christi, sicut mox dicet. Fides ex auditu: auditus per verbum Dei. Nam satis dicitur audiri Christus, cum auditur prædicator Christi nomine euāgelium explicans. Etenim Christus in eo loqui censetur, vt qui prędicatorem illius audierit, 2.Cor.13. & Christum audisse dicatur. Qui vos audit (ait) me Luc.10. audit. Et B.Paulus ait, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Quia ergo auditus est à Christo, vel ab eo qui Christi nomine annunciat, ideo adiicitur:

De necessitate prædicationis.

Quomodo autem audient sine prædicante? Sed videtur quòd sine prędicante posset quis credere. Nā quomodo crediderunt patriarchæ & prophetæ? Item de Petro dictum est, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi. Adhæc multi Gentilium salui facti sunt per reuelationes Angelorū, vt ait B. Dionysius. Et præter hoc, potest quis audire quæ sunt fidei sermone priuato absque prædicante, & ita credere.

Respondeo (attende lector) Dominus Deus omnipotens licet idem multis modis operari valeat per omnipotentiam suam, pro sapientia tamen sua operatur in creaturis suauiter, id est, iuxta ipsarum naturam: neque hunc ordinem vult prętermittere, nisi ex magna necessitate. Vidit igitur naturale homini esse per auditum doceri. Auditum autem dico, qui est à voce hominis: quia hic est sensus disciplinæ, vt rectè ait Philosophus. Ideo ea quæ sunt fidei voluit hoc modo accipi Dominus, videlicet, per auditum, & ab homine. Id verò quod deest ad formandā interius lucem, qua quis assentiat auditis, quia hoc ab homine fieri non potest, ipse Deus tacitis Angelorum inspirationibus, & illuminationibus supplet: aut si sit opus per Spiritum suum, & ita formatur fides in homine. Sicut enim vult hominem plantare, & rigare terram, si inde fructum capere velit, ipse autem per solis radium & syderū calores cum cæteris influxibus facit coalescere: sic & in fructu fidei, vult quòd homo vel plantet docendo, vel riget exhortando, & vtrumque pertinet ad docentis officium. Lux autem veri solis, qui est Spiritus sanctus, cum astrorum, id est, Angelorum ministeriis internis influētibus, faciunt incrementum, vt & inde proueniat dignus fructus. Fuit autem necesse patriarchis olim, & prophetis per Angelos hæc, quæ sunt fidei, manifestari, vt ipsi cæteris pro ratione temporis reuelarent: sicut & postea reuelatum fuit Apostolis per ipsum Deum in carne, vt & ipsi cæteris prædicarent. Sic enim necessarium fuit: quia quæ sunt fidei homo ex se ipso nosse non poterat.

Hæc sunt diligenter notanda.

Ergo hic ordo debuit esse egregius & mirabilis, vt ante Christi aduētum Deus loqueretur per Angelos in aures patriarcharum & prophetarum, vt ipsi sibiipsis tenerent, & literis commendarent posteris. Non enim adhuc erat capax mūdus integræ fidei, de qua hīc Apostolus: ideo nondum instituta fuit vera & clara fidei prædicatio. Aduenientе verò Christo, decuit ipsum per semetipsum explicare legem, & euangelium Apostolis & discipulis, vt & post modo discipuli prædicarent iactis iam ecclesiæ fundamentis. Vnde B.Petrus licet à Patre reuelationem accepisset, hoc tamen fuit media Christi prædicatione: quoniam Pater luminum ea, quæ à Christo audiuit Petrus, lumine superinfuso in eius corde stabiliuit: & hoc fuit reuelare. Quod & fecit cæteris omnibus, qui Christum suscepēre per fidem: quanquam non æquè lucidè & perspicuè.

Quòd verò olim multi salutem consequerentur etiam ex Gentibus absque prædicante, & ideo non sine fide, non mirū est: quia fides illa erat duorum articulorum tātum, quos explicat Apostolus, & natura ipsa quasi intus clamans prædicat omnibus, videlicet, quòd Deus est, habens prouidentiam creaturarum: Et quòd inquirētibus se remunerator sit. Illa ergo fides horum articulorū, quæ etiam intus confirmatur per Angelos, pro eo tēpore satis erat: quia non vltra reuelatum erat. Quare neq; necessaria fuit prædicatio. At vbi veniente temporis maturitate placuit Deo multa de Christo iustitia nostra, & pace manifestare, redditis nobis docilibus diuinorum, reuelata illa sunt ad omnium salutē, vt propterea fides horum plenior meritò requiratur. Et quia naturaliter homo ad horum notitiam peruenire non poterat, oportuit esse huiusce modi prædicationem, vt iuxta suæ modum naturæ disceret, & ad Deum accederet, id est, per fidem, quę ex auditu est à voce hominum: vt & ob hoc ipse homo primùm illam prædicauerit.

Quòd si quidam quasi priuatim absq; prædicatione publica audierunt, & crediderunt, non hic tamen communis modus esse debuit: sed decuit rem tantę veritatis & dignitatis publicè, & publico modo, id est, solēniter per prædicationem manifestari. Quoniam Christus hæc loqui debet in cathedra sua, & ibi annuntiare, & docere, & exhortari. Loco enim Christi (vt iam diximus) est prædicator. Quapropter statuta est eousq; horrēda pœna non

Universidad de Deusto
Biblioteca

audientis præconem Christi, vt tolerabilius futurum testetur Dominus Sodomæ peccatum in die iudicij: quia Christus ipse spernitur in prædicante, qui Christi verbis annũtiat veritatem, & vice eius legatione fungitur, vt ait Apostolus. Ideo quod an nuntiat, debet esse in publico, & certo atque eximio modo (vt est dictum) videlicet per prædicationem. Sed quis adeò temerarius, qui nomine Christi annuntiare ausit, nisi Christus miserit illum? Ideo rectè sequitur:

Luc. 10.

2. Cor. 5.

Quomodo autem prædicabũt, nisi mittantur? videlicet à Domino, aut qui eius loco fungitur in terris. Vide igitur vt hæc sese ordine subsequuntur. Primò enim exigitur fides. Et quia hæc ex auditu est, prædicatore op' est sedẽte in Christi cathedra. Et quia nemo potest se cõstituere prædicatorem, & nomine ac vice Christi prædicãtem, nisi ab eo mittatur, ideo necessaria ostenditur esse missio. Quod certè nouos istius seculi blatteratores percutit, & prosternit. Ostendant (quæso) quisnã miserit eos? Nemo enim à se ipso mittitur. Quòd si Deus inuisibiliter illos mittit, ostẽdant nobis signum: quãquam etsi darent signũ, nulla fides est habenda signo. Et enim certi iam sumus illos à spiritu contentionis prodiisse, qui se ab ecclesia segregarunt, & vias Domini rectas non cessant peruertere, atque euangeliũ Dei: quanuis impudenter se iactent euãgelicos. Sic enim oportuit, vt qui sese ipsos mittunt, etiam sese efferant in cœlum, vt in profundum lapsu grauiore ruant. Sed quia pudebat eos, & videbant se committere in scripturas, quæ perspicuè prohibẽt sine missione neminem legitimè prædicare posse, docuerunt, ad plebes & magistratus seculares pertinere ius mittendi. Quam potestatem illi libenter vsurparunt: quo factum est, vt sic falsi prędicatores securè seminarint scelus, & sacra prophanis commiscuerint. Ostẽdit autem Apostolus necessariam missionem à sequenti dicto prophetæ:

Contra hoc ausi sunt, & audent omnes hæretici.

Nemo à se mittitur.

Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Isaiæ sunt hæc verba. Quàm pulchri super montes pedes euangelizantis pacem, euangelizantis bona. Et Naum primo cap. Ecce super montes euangelizantis & annunciantis pacẽ. Hæc loca ad Christum primò & præcipuè spectare nõ est dubium, cui speciosissimi fuêre pedes in montibus, videlicet Thabor, & Sion, & Oliueti. Quare speciosi eius pedes? quia scilicet non propriam gloriam prædicabat: neque quod suum erat, sed quod erat Patris quærebat. Non enim sponte sua, sed à Patre missus venit, vt operaretur salutem nostram per purissimam nouam legem, quam tradidit in monte Thabor ipse purissimus, & summa puritas. Item per veritatẽ doctrinæ, quam videbat in monte Sion, vt speculator summus. Denique per misericordiam, quam meditabatur in monte Oliueti. Tales ergo sunt pedes eius, qui excellenter missus, & solùm quæ à Patre audit, hæc profert. Apostolus ergo ea quæ primò & maximè de Christo dicuntur, etiam secundum spiritum ad eos pertinere perspexit, qui missi à Christo, & purgati affectibus, solùm quæ audiunt Iesu Christi, ea proferunt: & tales sunt in quibus ipse Christus loquitur. Nam de Apostolis dixit, Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos. Hi sunt qui in monte Thabor ascẽderunt cum illo, vt purgarentur: & in montem Sion, vt specularentur super Ierusalem sanctam: & in montem Oliueti, quia fuerunt viri misericordiæ. Nam ipse Iesus summa dignatione lauit eorum pedes, & absterſit linteo suo, vt pulchri essent, & speciosi in præparatione euangelij pacis, non quærentes quæ sua sunt, hoc est, mundanum honorem, gloriam, & stipendia pinguiora, & honoratiores cathedras, sed solùm Dei & Christi gloriam, & animarum salutem. At horum nouorum magistrorum qui non sunt missi à Deo: imò qui sunt missi ab ipso Diabolo, & quæ ab eo audiunt illa proferunt, quàm lutei pedes, quàm feculenti, quàm putidi sunt, qui sola inanis gloriosæ cupiditate allecti, vt videantur esse aliquid, currũt non missi: & quò tandem currunt non vident, videlicet, in barathrum confusionis æternæ, quò & vnà secum multos pertrahunt.

Notẽt prædicatores qui volunt esse verè euangelici.

Sed non omnes obediunt euangelio. Isaias enim dicit, &c. Sensus est, quòd iustificatus est Deus ex parte sua: quia prouidit prædicatores Iudæis, signis, prodigiis, & virtutibus magnis. Quòd si eorum plurimi non crediderunt, nec obedierunt euangelio, ipsis imputandum est, non Deo: sicut conqueritur Isaias dicens in persona Apostolorum contra Gentem illam plenam perfidiæ:

Quis credidit auditui nostro? tanquam diceret, ferè nemo, & (vt quidã dixit) Vel duo vel nemo, id est, paucissimi comparatione tantæ multitudinis. Et dicit, *auditui nostro*, id est, iis scilicet quę audiuimus, nimirum à Deo.

Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Ex dictis hoc sequitur, quòd fides exigit auditũ, & auditus verbum Dei expressum. Hic est Christus Iesus, qui per se & suos Apostolos prædicauit euangelium. Quare vt omnem illis excusationem auferret, subdidit:

Sed dico. Nunquid non audierunt? Et quidẽ in omnem terram, &c. Declarat Apostolus contumaciam Iudæorum qui audierunt, & noluerunt obedire: quia iam apparebat impleri prophetia illa. In omnẽ terram exiuit sonus eorum. Cuius intellectus proculdubio (ni fallor) hic est. Quia enim Dominus ita ordinauerat, vt prius prædicaretur verbum in Iudæa, & deinde in Gentibus, & ita factũ fuit: ostendit iam prædicatum fuisse in Iudæa, cum iam in fines terræ protenderetur, vt quod prius dicitur: *In omnem terram exiuit sonus eorum*, pertineat ad Iudæã terram tantum. Ideo græcè, vt hæc certa terra significaretur, legitur, τὴν γῆν, quòd si de tota terra loquutus fuisset, quòd sonus eorum exiuit in omnem terram, quid oportebat etiam addere: *Et in fines orbis terræ verba eorum?* Sed hoc satis fuit Apostolo, obstruere Iudæorum os: & ostendere verificatum vtriusque prophetę verbũ, & Dauid in primis dicentis: In omnẽ terram exiuit sonus eorum, videlicet, in Iudæam sonum eorum exiuisse, prædicante B. Petro, & aliis (vt testatur Lucas in Act.) per totam Iudæam & Gallileam, & Samariam. Et deinde Isaiæ, qui declarauit non fore fidẽ auditui, vt sic tandem excæcari mererentur.

Pro intelligentia, In omnem terram exiuit sonus eorũ.

Superflua igitur est ea quæstio ex illis verbis: Vtrum per vniuersum terrarum orbem extensa tunc fuerit euangelica prædicatio. Hic enim nõ de tota terra (vt diximus) sermo est, sed de Iudæa, in prioribus verbis. Post hæc verò non aliud dicitur, nisi φ

Apostolorum verba protensa erãt vsq; ad fines orbis terræ: quod & verum erat vel tunc. Neq; enim dixit, ad omnes fines, vel in quẽuis terrarum locũ: quod tamen aliquãdo completum iri tandem speramus. Sed sunt quidã qui penè ausi sunt Apostolum hic reprehendere, quod scripturam de cœlis loquentem, & de eorum cursu & linea, ad apostolicã prædicationem detorserit. Dixi, penè: quoniã subtacitè ipso facto id possumus interpretari. Sed ij non habuerunt Spiritum Dei, qui non valuerunt intelligere, non esse prophetarum, aut spiritus prophetici proprium, docere nos cœlorum itinera, ac non potius ipsius salutis vias, quas mõstrat apostolica doctrina. Nam verè ipsi Apostoli fuêre cœli, qui enarrarũt gloriam Dei. Nam quantò ipsi maiorem gloriam Dei annũciando enarrarunt, tantò & conuenientius dicti sunt cœli: ac de illis magis loqui voluit Spiritus per ea verba prophetæ, quàm de istis cœlis, quos oculis corporis cernimus assiduè suos motus & circulos perficere. Sequitur:

Contra pro teruiam Iudæorum.

Sed dico, Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses, &c. Hic proponit quæstionem Apostolus pro Israelitis, quòd fortasse non cognouerunt veritatem euangelij, & propterea non crediderunt, vt sic reddantur excusabiles. Et loquitur de principibus ac maioribus, quos nomine Israel vult intelligi. Sed ad hoc contra obiicit testimonium propherarum, primò Moseos, deinde Isaiæ, & ait:

Primus Moyses, videlicet respectu Isaiæ qui fuit posterior, *dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non Gentem.* Hic locus ex Deut. c. 32. accipitur, vbi legitur: Ipsi me prouocauerũt in eo qui nõ erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Quod ergo Apostolus dicit: Ego vos ad æmulationem adducam, Moses dixit eo verbo, Ego prouocabo illos. Nam hic est mos amantium proprius, prouocare in zelũ, & sic irritare: vt quando is qui se deseri animaduertit, ipse quoque ab amato ad alium transferat amorẽ suum, & seipsum ab illo primo amore explicet. Et tum demum magna fit & acris irritatio, quando ij qui antea amabantur, in rerum inopia constituti non vulgaribus ab amore beneficiis allicicbantur, quæ cum amittunt, ad vehementem ęmulationem prouocantur. Et in hoc magnus exoritur cruciatus, quùm vident ad alios transferri bonum, quod ipsorum erat: prę sertim si non sit recuperandi locus. Hinc ille eiulatus Esau, cum amisit primogenita: neq; post valuit consolari, quia erant absque reuocatione amissa. Et ideo scriptura ait: Dura sicut infernus æmulatio. Hic est verus malorum spirituum infernus, qui vident summum ipsorum cœlum vbi erant creati, translatum in possessionem nostram. Item quod Moses dixit, In eo qui non est populus. B. Paulus dicit, In non Gentem, Vide vt non dignatur populi & Gentis nomine eos, qui videbantur à Domino derelicti sicut feræ bestiæ.

Cant. 8.

Benigna etiam irati Dei consilia.

Et licet ita fuerint irritatores Dei, vt Deus ad aliam Gentem, quę non erat Gens, sese transtulerit, tamen clementissimus Pater hoc fecit ad prouocandum eos ad æmulationem, si quo modo saltem ita irritati ad pristinũ amorem reuerterẽtur, & supplices ab eo aliquam saltem benedictionẽ, vel secundo post alios loco, acciperent: sicut Esau qui tandẽ impetrauit illã a Patre. Adiecerunt: *In Gentẽ insipiẽtem*, quales erant Gẽtiles, qui nec suum finem, nec viam ad illum cognoscebãt. Hæc autem æmulationis & zeli pœna verè congrua est, & digna peccato dimittentis amantem. Vnde quidam secundum carnis prudentiam consulens misero, aiebat: Si illa Phedriam, & tu Pamphilam cõtinuo. Ex hac ergo prima autoritate probatur, quòd Israel cognouit Dominum, & stultissimè irritauit spernẽdo illum, & prouocando in Diis falsis, vt ob istam caulam etiam & sperni mereretur, quemadmodũ scriptum est, Væ qui spernis: nonne & tu spernẽris? *Isa. 33.*

Verùm quæstio esse potest, quoniam Moses hæc videtur dixisse de peccato idololatriæ quod admiserunt, non autẽ de peccato quo reprobarunt Christum. Sed & ibi fuit idololatriæ peccatum: quia reprobato Christo dixerunt: Non habemus regem nisi Cæsarem. Hũc sibi optarunt pro Deo, & consequenter omnes Romanorum Deos. Tales hodie multi non desunt, etiam in mundo præstantes, qui hæc Idola sibi præstituerũt, vt habeat pro verò Domino reges terræ, & pręponant eos Christo: quod vehemẽter Deo displicet. Quid est enim aliud hoc quàm idololatria vera? Vnde additur: Et irritauerũt eum in vanitatibus suis, prę ferentes scilicet temporalia æternis. Quanquã nihil prohibet etiam illud (tametsi præteritum) idololatrię peccatum venisse in recordationem tunc: quoniam Deus admonuerat aduersus relabentem, dicens: Omnium peccatorum eius recordabor. Vt sic & peccatũ idololatriæ illius populi, & omnia alia peccata rememorata sint coram Deo. Attulit & secundò Isaiam, qui Gentium vocationem prædixerat ob zelum illum, & efficaciam vocationis: quoniam inuentus est ab iis qui non quęrebant illum, & palam apparuit his qui non interrogabant. Hoc autem non potuit esse, nisi quia reprobatus fuit à suis: quod & ostendit per eundem Isaiam, qui ait:

Tota die expandi manus meas ad populum, &c. Expansio hæc manuum licet intelligatur ad literam de ea quæ facta est in Cruce, vbi summa perfidia cõtradictum est ei, & amaritudine fellis potauerũt eum blasphemantes crudeliter, & horribiliter in eum dicentes: Si filius Dei es, descende de cruce, significat tamen principaliter beneficentiam Dei, quam per signa & miracula, & virtutes, quas operabatur, ostendit sanando omnes non solùm corpore, sed anima, si apprehendissent eum fide. Et hoc prædicauit B. Petrus dicens: Deus Pater vnxit Iesum Spiritu sancto, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. *Act. 10.*

Patet autem ex historia euangelica, quòd cognouerũt principes resurrectionem Christi à militum testimonio, quos subornarunt, & multa pecunia corruperunt, ne veritatem manifestarent. Et à signo quod fecit B. Petrus, quando sanauit claudum in porta templi in nomine Iesu Christi, vt ipse in eos constanter obiecit, aiens: Et in fide nominis Iesu, hunc quem videtis & nostis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est. Vnde dicebãt inuicem: Quid faciemus hominibus istis? quoniam notum factum est signum omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare. Verùm audi, quæso, consilium quod capiunt. Sed (aiũt) ne amplius diuulgetur in populũ, *Act. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cōminemur eis ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum: Ecce consilium. O cœcam perfidiã, quæ in tantam demẽtiam inducit homines, vt prudenter constituant se θεομάχους. Sed ad rem. Per has igitur manus suas ita extensas, quibus & potẽtiam diuinam ostendit, & benignitatem immensam, demonstrauit illos hæc nouisse, & spreuisse.

CAP. XI.

DICO ergo: Nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Nõ repulit Deus plebẽ suam quam præsciuit. An nescitis in Elia quid dicit scriptura? quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderũt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secũdum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. Alioquin gratia iã non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israel hoc non est consecutus, electio autem consecuta est: cæteri verò excœcati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scãdalum & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videãt, & dorsum eorum semper incurua.

Dico ergo, &c. Hoc in loco Apostolus, ne quis putaret ob illud insigne nefas, prorsus abiectum à Deo totum illum populum Israeliticum, quod videbatur contra scripturas, quæ certam illi populo salutem promittere videntur, manifestat benignam Dei prouidentiam: & docet primum non fuisse repulsos à Deo illos, qui præsciti erant, id est, præcogniti dilectione ac prædestinatione. Hoc enim est quod ait:

Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, hoc est, prædilexit, ac propterea prædestinauit. Et hoc etiã in seipso ostendit, dicens. *Nam & ego Israelita sum ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin.* Ac si dixerit: Etiam ego inter alios multos nõ sum repulsus, qui tamen sum Israelita, & filius Abrahæ, & ex tribu Beniamin, quæ post Iudam erat nobilis. Et verè quòd & seipsum dederit in exemplũ, valdè quadrat: Quoniam illius vocatio manifestum fuit argumentum, ipsum de electis fuisse, qui in ipso per sequutionis feruore prostratus est, & vocatus.

An nescitis in Elia quid dicit scriptura? quemadmodũ interpellat, &c. Hic primò nota dicendi modum: In Elia quid dicit scriptura. Nã scriptura non est istud loquuta in Elia, seu per Eliã, sed potiꝰ de Elia. Quare quidam exponũt, In Elia. i. de Elia. Alij: In Elia, id est, in libro de Elia scripto, qui est liber regum, præcipuè de rebus Eliæ gestis & prophetarum tractãs. Potest dici, & fortè melius (vt mihi quidẽ videtur) quòd scriptura illa, quæ narrat illam Elię cogitationem, in ipso Elia tanquam in exẽplo loquebatur nobis, ostenditq; quã sæpè fallãtur quicunq; tales sunt, qualis tunc erat ille, putãtes Dominum reliquisse totum Israel. Sed Elias à scelerũ magnitudine persuadebatur. Nam magnum fuit Domini prophetas occidisse, de quibus tamen ipse dixerat: Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Et iterum: Qui vos tangit, tangit pupillã oculi mei. Maius etiam scelus commemorat, videlicet, *Altaria tua suffoderunt*, quorũ loco suffecerunt aras idolorũ. Sic & Iudæi qui reprobarunt Christum verum altare, & sacrificium, & Sacerdotẽ, & Prophetam summum. Vnde credi satis facile poterat, Dominum Deum totum illum populum reprobasse. Audentius autem paulò verbum illud loquutus est Elias:

Psal. 104. Zach. 2.

Et ego relictus sum solus. Excusatur tamẽ inde, quia cæteri non apparebant. Non enim omnium idem erat spiritus, vt sese in zelo manifestarent, veritatemq; palam defenderent. Quare hinc inde in huiusmodi iudiciis erratur: Primũ ab iis qui sese præ cæteris suo zelo ostentant. Iudicãt enim alios, qui taciturnitate & patientia quasi probare sceleratorum flagitiosa facta videntur: quia non simili zelo rapiuntur, vt opponant sese tyrannis, & viris magnis, contra iustitiam, & Dei honorem agentibus, vt vel in faciem resistant eis. Et non considerant, non esse omnium ardorem illum, vt valeant dicere: Zelus domus tuæ comedit me. Tum verò econuerso erratur ab iis, qui in hunc zelum non rapiuntur à Spiritu. Nam & hi eos qui rapiuntur, iudicant fortè temeritatis nomine. Sed priores excusabilius errant. Illud hic nota, quòd Apostolus ipse ait, Eliam interpellasse Dominum aduersum Israel. At hæc verba in loco citato non legũtur. Sed id satis dici videtur, quod ex verbis facile elici potest. Sancti enim viri cum in zelum & ardorem rapiuntur propter iustitiam, scelera & flagitia mundi cõmemorantes, vindictam tacitè satis flagitant. Cum igitur in hoc suo iudicio deciperetur Elias: audiuit à Deo responsum hoc ad mitigandum talem querimoniam.

Magni prophetæ in suis cogitationibus decipiuntur aliquando.

Reliqui mihi septem millia virorum, &c. Reliqui, ait: Vnde & reliquiæ dictæ sunt. Nam relinquere sibi, idem est quod non permittere quosdam perire, & à sua protectione & gratia exire in peccatũ & scelus, sicut alios: & sic excipere de multis paucos propria suiipsius cõtemplatione. Quod verò quidam dicunt, per septem millia virorum intelligi numerum indeterminatum: quia septẽnarius hic numerus perfectionis est, non improbo. Non tamen puto maiorem populi partem seruatam exceptamq; à Deo, sed paucos de innumerabilibus.

Ante Baal. Erat autem Baal idolũ, quod sibi proponebant colẽdum, seducti prædicatione pseudoprophetarum, à quibus cõmendabatur. Hic notandum tibi scriptura dicit; relinquã; futurum tempus significans: Apostolus in præteritum vertit: aiens,

Reliqui mihi, vt imobilitas propositi Dei gratiosi declaretur: quod eo tempore apparebat iam factum verum. Concludit ergo, Quemadmodum scriptura tempore Eliæ declarauit seruatos fuisse multos præter ipsius existimationem: sic & B. Pauli tempore similiter factum fuisse præter multorum opinionem. Vnde reliquias esse factas à Deo secundum electionem gratiosam, & iccircò non ex operibus, declarat aiens:

Si autem gratia iam non ex operibus, alioqui gratia, iam non est gratia. Vide igitur illam electionem gratiosam fuisse, non propter opera præcedentia.

Quid ergo? Quod quærebat Israel, &c. Hic. n. videtur satis manifestè (quod & B. Ambrosius vidit) ab Apostolo distributum in tres partes illum populum imo à Deo: ita esse diuisum. Vna igitur illius pars dicatur, quæ non est assequuta quod quærebat, videlicet, iustificationem, eo quod suo eam ingenio quæreret & industria quasi per opera, non sese humilians Christo, nec volẽs agnoscere gratiam per illum necessariam. Hanc autem partem non eiectam omnino fuisse satis innuit Apostolus. Poterat. n. si veller, respicere ad Deum, & ad Christum eius conuerti, & salutem consequi. Nam propter hoc erat etiam prædicatio, vt venirẽt saltem ad æmulationem Gentilium, quos videbant continuè in Christum intrare, ac tanta velocitate. Altera pars pertinuit ad reliquias, id est, ad eos quos prænouit Dominus gratiosè in hoc, vt non permiserit eos excidere. Tertia verò pars eorum fuit qui manserunt in numero excœcatorũ, quibus dedit Deus spiritum compunctionis. Apud Isaiam legitur: Miscui vobis spiritum soporis. Alius autem videtur spiritus soporis, qui sepelit in quietem: & alius spiritus compunctionis, qui extimulat in dolorem quieti contrarium. Sed à compunctione vehementi fit torpor tandem: sicut quùm obstupescunt sensus à superexcellenti sensibili. Tales sunt excœcati & stupidi, qui iam non sentiunt. Ideo declarans hunc spiritum compunctionis, subdit:

Populũ Iudæũ in tres partes diuisum.

Oculos vt non videant, & aures vt non audiant, oculos & aures cordis intelligit, *vsque in hodiernum diẽ.* Hoc amplius addit de suo, innuens esse aliquando ab hoc sopore liberandum illum populum: nõ tamen nunc aperit quando, sed mox dicet, videlicet postquam intrauerit plenitudo Gentium. Producit & Dauid testimonium dicentis:

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Mensa eorum fuit Christus, Phase eorum, Agnus igne Spiritus sancti torridus in ligno crucis. Fuit autem coram illis: quia ipsi viderunt in quem compunxerunt. Hæc illis parata mensa in salutem, conuersa est in laqueum: quia illa infirmitas decepit eos, & illaqueauit tanquam nodum faciens pedibus eorum, id est, malis affectibus, quibus astringerentur increduli.

Et in captionem, seu venationem. Hoc de suo addidit Apostolus. Nam apud Psal. nõ est vox ista, sed sensus erat, & rei veritas manifesta. Sic. n. Diabolus venatus est, & cœpit eos proponens indigna Crucis, vt non possent ea via agnoscere Saluatorem.

Et in scandalum, Christus etiam dixit discipulis, Vos omnes scandalum patiemini in me in ista nocte. Sed non fuit eorum scandalum ad casum perfectum, sicut Iudæis, quibus verè Petra hæc percussa & perforata, scandalo fuit perfectè.

Et in retributionem illis. Et hoc erit summum eorum supplicium, cum viderint omnium delitiarũ sibi primo paratam mensam ad alios translatam esse: atque seipsos, quos magis oportebat recipere & vesci, ab ea turpiter & suo merito reiectos, vt sic eis sit ignem perpetuum & vermem. Hæc est illa quæ vocata est cœna magna, & prandium magnum, quod primores eorum spreuere.

Obscurentur oculi eorum, &c. Non est hæc mula imprecatio & dira deuotio, sed enunciatio eius quod erat futurum. Propheta. n. Dauid, quod viderat in decretis Dei iam sancitum propter iustitiam: cui quasi præbens assensum in modum optãtis illud exprimit. Dorsum eorum semper incurũdum propherat: quia hoc futurum erat, vt ab oneribus legis ac terrenorum nõ essent in libertatem christianam subleuandi atque erigendi.

Dico ergo, Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus, vt illos æmulentur. Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitię Gentium: quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus, quãdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, siquomodo ad æmulãdum prouocẽ carnem meã, & saluos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis nõ pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam & si tu ex naturali excisus es oleastro, & cõtra naturam insertus es in bonam oliuã: quanto magis ij qui secundum naturam, inserentur suæ oliuæ?

Dico ergo: Nunquid sic offenderũt, &c. Agnosce homo benignitatem Dei admirabilem. Multi ex Iudæorum populo offenderunt in hunc lapidem Ie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſum Chriſtum. Sed quidam imprudenter, vel per ignorantiam, ſectantes quidem legem iuſtitiæ. At cum in operibus propriis eam arbitrarentur conſiſtere, tamen in eis poſuerunt confidentiæ, vt nullam aliam legem expectarent ad ſalutem parãdam eſſe neceſſariam. Et ob eam cauſam non agnouerunt viam veræ iuſtitiæ, & ſic non intrauerunt in nouam ſub Chriſto legem euangelicam. Et hi quidem ſic offendentes, non meruerunt caſum perfectum, id eſt, vt perfectè exciderent ab hac gratia, videlicet, vt non poſſent intrare. Meruerunt autem vt eorum delicto, expeditior via fieret Gentibus ad intrandum: & ipſi interim ad æmulationem poſito ante oculos tali exemplo prouocaretur. Deus enim Opt. Max. per hanc eorum offenſionem, ſe ad Gẽtes vertendi occaſionem accepit, & vt conuerteretur ratio prouidẽtiæ ſuæ: ita quod qui maior erat, efficeretur minor, & haberet acriores ſtimulos ad æmulandum. Sequitur:

De prouidẽtia Dei. *Quòd ſi delictum eorũ delitiæ ſunt mundi, &c.* Hæc quæ dicebat in Iudæos, pertinebant ad gloriam Gentium non modicã. Ideo ipſis Gentibus proteſtatur ſe hoc dicere, & quidem conuenienter, cum eſſet conſtitutus Gentium Apoſtolus. Quare pertinebat & ad illum miniſterium ſuum honorare. Honorabat verò exaltationem Gentium prædicãdo, & ita proficiendo, vt interim hac opportunitate ad æmulationem poſſet prouocare carnem ſuã, videlicet, Iudæos, ac per hoc aliquos ex illis (& eos ſaltem, qui non omnino ceciderant) in ſalutem reducere. Et ad hoc inducit ſuaſionem, qua duo ſupponit. Primùm, quod delictum illorum factũ eſt diuitiæ mundi. Delictum autem illud eſt, quo crucifixerunt Chriſtum: vnde datus eſt ſanguis pro mundo in redemptionem. Hoc nanque pretio locupletatus eſt mundus pauper & debitor, qui non habebat vnde ſolueret. Secundo, Supponit ex diminutione eorum factas eſſe diuitias Gentium, ex eo quod Dominus irritatus ab eis minorauit eos, id eſt, minores fecit, vt eſſent ſub ipſis Gẽtibus, quibus propenſior magiſque beneuolus factus eſt. Hoc autem non fuiſſet, ſi Iudæi ſtetiſſent, qui primi ſemper fuiſſent in donis. His igitur ſuppoſitis, quod eorum minoratio facta eſt amplitudo ac diuitiæ Gentium. Quanto (inquit) magis eorum plenitudo, videlicet, ſi occaſione accepta æmulationis in Gentes, venirent & ipſi ad fidem? Nonne & hoc pertineret magis ad gloriam Gentium? Vnde ait:

Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi, Quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis? Si amiſſio eorum, vt dictum eſt, per occaſionem fuit reconciliatio mundi: quia Dominus irritatus conuertit ſe ad Gentes, quid erit aſſumptio, videlicet, eorum niſi vita ex mortuis? Multò minus eſt reconciliari, quàm reuiuiſcere. Mundus autem dicitur recõciliatus ab ira antiqua per Chriſtum, qui nõ offenderat ſicut Iudæi in Chriſtum, ſed viuebat adhuc aliquo modo: licet in Adam inueniretur ſub ira, id eſt, ſub inimicitia Dei. Iudæi autem qui inſigni ſcelere offenderunt, non iam ij reconciliari, ſed reuiuiſcere dicentur, ſi rurſum aſſumantur: quia peccatum illud tam grande meruit perfectam mortem.

Vide ergo vt egregiè loquitur. Si (inquit) perditio Iſrael facta eſt reconciliatio mundi, quid futurum putamus ex aſſumptione ipſius Iſrael? Certè non tam reconciliatio dicenda erit, quam vita ex mortuis. Hoc verum eſt gaudium illud magnum, & ſymphonia in domo patris fam. quando dicet: Oportet dictũ feſtum agere, & gaudere: quia qui perierat, inuentus eſt: & qui mortuus erat, reſurrexit.

Quòd ſi delibatio ſancta eſt, &c. Nunc nacta occaſione admonere vult Gentes, ne iniquè glorientur aduerſus Iudæos. Et oſtendit magnum hac in parte inſtare periculum. Primo quidem non ita reprobatos eſſe Iudæos, vt nõ poſſent reaſſumi: quoniã ipſa maſſa, videlicet, totus ille populus Iudæorum, ſanctus adhuc erat. Et ſanctum vocat, nõ prophanum coram Deo, hoc eſt, non omnino reprobatum, niſi ex parte, vt dicet. Hoc autem ſic probat: Nam ſi quod à Domino delibatum fuit ex eo, id eſt, electum inde ſumma dilectione, & tãquam delibatum, id eſt, ſuo guſtu probatum, fuit ſanctũ, videlicet, ipſi Apoſtoli, & cæteri qui crediderunt Spirituſancto pleni, qui tamẽ ex ea maſſa excepti fuerunt ad certiſsimam gratiam: Ergo & ipſa maſſa erat ſancta, vnde delibatio hæc deprompta eſt. Alioqui non delibaſſet ipſe Deus de maſſa immunda. Secundò ad idem probandum, arguit quod radix ſancta, id eſt, Patriarchę, vnde iſte populus tanquam ex radice propagatus eſt. Sic igitur radix ſancta, Ergo & rami ſancti: quia continentur in radice, & adhuc a radice non ſunt exſecti, vt igni deſtinentur.

Tum oſtendit, quod ob fractionem aliquorum ramorum, qui defecti ſunt ex Iudæis ab ipſa radice (& loquitur de omnino perditis, ac reprobatis) *Doctrina ad Gentes ab exẽplo Iudæorũ.* non debent vanam Gentes de hoc gloriationem captare, ſed doctrinam timoris potius: quia meminiſſe debent, ſe eſſe tanquam oleaſtrum inſertum ramis bonæ oliuæ, & ita ſocios factos radicis & pinguedinis ipſius oleæ, in qua ſunt inſerti. Itaque animaduertant diligenter non eſſe ſibi propterea gloriandum aduerſus ramos, qui adhuc ſuſtinentur in oliua naturales: quia ſi pergat quis gloriari, metuendum eſt illi ne radix amplius non influat in eum de pinguedine ſua. Non enim ramus radicem, ſed radix ramum portat.

Dicis ergo: Fracti ſunt rami, vt ego inſerar, &c. Occurrit tacitæ obiectioni quorundam inſolentium hominum, qui modum tenere neſciunt, cum illis aliquid melioris conditionis arriſerit: quod Agar ancillæ Abrahæ contigit, quæ ex nouo fructu cœpit aduerſus Dominam ſuam inflari. Potuiſſet enim facile in mentem venire huiuſmodi cogitatio, fractos ad eum finem Iudæos, vt in eorum locum Gẽtiles inſererẽtur, & propterea gloriari poſſe aduerſus Iudęos repudiatos. Hanc verò noxiam perſuaſionem excludit Apoſtolus: qui etſi nõ neget Gentes propter incredulitatem Hebræorum ad fidem fuiſſe vocatas, æquale tamen minatur imminere periculum, niſi cum magno metu conſideret Gentilis ſe ſimili à Deo ſententia fractum iri, ſi inſoleſcat in ſocios, vt vice verſa qui inſitus eſt, abrumpatur: & qui abſciſus, iterum inſeratur. Ac ſi dixerit: Quare fracti ſunt illi, niſi ob incredulitatem? Et tu quare inſertus es & manes, niſi fide, quæ fuit à Deo, & Dei donum eſt? Ergo noli altum ſapere, hoc eſt: Noli gloriari aduerſus illos,

tanquam ipſe tua virtute ſtes. (Hoc eſt enim altum ſapere) Sed time, ne & tu ſimiliter excidaris: quia ſi naturalibus ramis non pepercit, multò minus tibi qui ſylueſtris eras, parcet æquiſſimus Deus.

Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, &c. Apoſtolus ab eo quod Dominus cõſueuit facere, videlicet, & benignitatem, & ſeueritatem inferre in quos voluerit ex peccatoribus, ſolicitè curat continere Gentes in timore: quoniam Deus non ſolùm exercet benignitatem erga immerentes, verum etiam ſeueritatem in eos qui demerentur, ſi fortè in bonitate non permanſerint. Conſideranda eſt nanque ſimul Dei bonitas, & ſeueritas non altera ſine altera: quia periculoſa eſt talis ſeiũctio, Vtramque autem hoc in loco oſtendit. Primùm quidem in Iudæis, qui meritiſsimè experti ſunt, ſeueritatem: Et in Gentibus, qui nullis meritis, benignitatem. Et ſubinde ipſius Dei potentiã inſinuat qui non ſolùm poterit facere exciſionem Gentiũ: verùm etiam potens eſt efficere vt denuò inſerantur rami fracti, ſi tamen non permanſerint in incredulitate. Idque ſic probat. Hoc iam fecit in Gẽtibus Deus, vt quæ non erat naturaliter de oliua, ſed de oleaſtro, inſererentur in bonam oliuam: Quantò igitur magis hoc facere poterit in ramis naturalibus, qui ſunt Iudæi? quoniam vt & philoſophi, & iuriſconſulti inquiunt, Res de facili redit ad naturam ſuam. Comparat Gẽtes oleaſtro: quoniam non verus charitatis liquor ex eis procedebat, cum eſſent natura filij iræ. Qui autem natura Iudæi erant, mundificati erant ab eo contagio. Quamobrem quaſi natura videbantur eſſe oliua bona, propterea quod Chriſtus ex eis prodiit vera oliua ſecundum naturam. Vnde alibi Apoſtolus, Nos natura Iudæi, & non ex Gẽtibus peccatores.

Bonitatem Dei nunquam à ſeueritate ſeiungendam.

Gal. 2.

Verùm hic ocurrere dubium poteſt: Quomodo rectè dicitur de his ramis, qui iam exciſi ſunt, illos iterum inſerendos, cum impoſſibile hoc factu videatur? Facillimè hæc quæſtio ſolui poteſt: imò iam eſt in euangelio ſoluta ab ipſo Domino, cum miraretur diſcipuli, putarentque ex verbis illius, diuitem in regnum cœlorum intrare non poſſe. Quibus hæſitantibus ipſemet ſatisfecit, aiẽs: Quæ ſunt hominibus impoſsibilia, Deo ſunt poſsibilia: quemadmodum orans in horto vt tranſiret à ſe calix paſsionis, teſtificatus eſt, Pater, inquit, omnia apud te ſunt poſsibilia. Et has ſolutiones facile de ſcripturis licet colligere.

Nolo enim vos ignorare fratres myſteriũ hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes: quia cœcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gẽtium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos: ſecundum electionem autem chariſsimi propter patres. Sine pœnitẽtia enim ſunt dona Dei & vocatio. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam cõſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. O altitudo diuitiarũ ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi honor & gloria in ſæcula ſæculorũ, Amen.

Nolo enim vos, &c. Reuelat hic Apoſtolus myſterium, id eſt, diuini cõſilij arcana, ne ſibiipſis ſint ſapientes, id eſt, ne ſibiipſis temerè Magiſtri ſint, putantes ſe penetrare Dei conſilia & iudicia, quæ nemo poteſt intelligere, niſi ab eo inſtructus fuerit. Myſterium autem hoc fuit, quòd illa cœcitas, ſiue ſtupiditas, & quædam inſenſibilitas (græcè enim legitur πώρωσις) ex parte contigit in Iſrael, hoc eſt, non omnibus, neque perpetuò: ſed donec intraret Gentium plenitudo, videlicet, in Chriſtũ. Vnde patet nondum intraſſe omnes Gentes. Nam ſi iam intraſſent, etiam Iudæi ad fidem venirent. Sic & ad Corinth. pronuntiat, tandem aliquando conuertendos eſſe Iudæos, & auferendum velamen. Affert autem ad hoc probandum ſcripturam Iſaiæ: *Iudæi ad fidem Chriſti aliquando conuertendi.*

Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. At nos in noſtra æditione ita legimus. Et timebunt qui ab occidente nomen Domini: & qui ab ortu ſolis, gloriam eius, cum venerit quaſi fluuius, quẽ Spiritus Domini cogit. Et venerit Sion Redemptor, & his qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis. Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo vſque in ſempiternum. Ex his autem ex verbis colligit eũ ſenſum Apoſtolus. Porrò dubitatio eſt, quomodo dixerit: Et veniet ex Sion, cum ſcriptura dicat, illum potius ad Sion eſſe venturum. Et quomodo dixerit teſtamentum, cum ibi dicatur fœdus. Sed hoc vltimum nihil eſt: quoniam hebraica vox; Berith; communis eſt ad fœdus, & ad teſtamentum. Illud verò quod ait: Ex Sion, declaratio eſt (vt exiſtimo) animi venientis: quoniam ex Sion, pro ipſa Sion venturus eſt, qui veniet. Et Eliam fortè innuit aut potius Dominum Ieſum in Elia, & aliis: quia hoc teſtamentum eſt cum Iudæis. Spiritus meus qui eſt in te, videlicet, in ipſo Domino Ieſu, non recedet de ore tuo, & de ore ſeminis tui, &c. Hoc autem non verificaretur quoad Iudæos, ſi omnino fuiſſent à ſalute exciſi. Receſſiſſet enim penitus ab eis Spiritus Dei, & Ieſu Chriſti: ſed cõtra hoc prænunciat propheta. Et licet iuxta euangelium, cui non crediderunt, fieri debuerint omnes inimici Dei propter ipſas Gentes, vt locum primum Gentes acciperent: quia ipſæ Gentes fuerunt in credẽdo promptiores, quæ minus promptæ eſſe debe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bant. Iuxta electionem tamen, id est, iuxta prænotitiam Dei & gratiã, illa gens debet reuocari: quia sunt charissimi propter patres. Vt hic aliquam electionis rationem consideremus: quoniam patrũ merita filiis in hoc prosunt. Et ne quis dicat, quòd peccata eorum potuerunt hanc Dei benignitatem extinguere, postquam credere euangelio recusarunt, cuius talis lex est. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur: Respondet Apostolus dicens:

Sine pœnitentia enim sunt dona Dei, & vocatio, hoc est, Non pœnitet Deum circa ea quæ benignè disponit donare: nec in iis irritatur à peccatis nostris, sed irreuocabiliter obseruat. Semper autem pœnitet rigoris sui & seueritatis, si emendemur. Ideo dicit, *dona* (id est, quę merè dona sunt) *& vocatio*; sunt sine pœnitentia. Vocatio enim non potest esse nisi ex dono, non autem ex merito. Ergo sensus est, ac si dixerit: Non ita econuerso cogitationes vindictæ, vel cogitationes remunerationum sunt sine pœnitentia, donec viatores sumus: quoniam pœnitet Deum de malo quod cogitauit facere in peccatorem, si conuertatur peccator. Et similiter pœnitet de bono, quod cogitauit facere iusto remunerationis gratia, si iustus à iustitia (vt Ieremias & Ezechiel testantur) recesserit.

Ezech. 33. Quod autem Deus sic faciat in donis, quæ Iudæis ex proposito deliberauit conferre, & non ex merito (nam illa sunt magis propriè dona) ostendit ex ipso facto, quod erga Gentes fecit. Nam misericordiam illæ sunt consequutæ, non ex aliquo illarum proprio merito, sed ex mero Dei beneplacito: quanquam ad hoc beneplacitum etiam per occasionem inductus sit ab incredulitate Iudæorum, ob quam sunt repudiati. Vnde ait:

Ex malo bonum elicit clementia Dei.

Sicut enim & vos aliquando non credidistis Deo, &c. Et hîc agnosce (quæso) benignam Dei clemẽtiam, qui ex omni malo semper bonum aliquod solet elicere. Ex incredulitate enim Iudæorum electæ sunt Gentes olim incredulæ, vt fide statuerentur in Christo. A Iudæis autem tantisper recessit Dominus, dum æmulatione in Gẽtes prouocati, recognoscant quem deseruerunt, & supplices veniam postulent, misericordiamque sicut & illæ, tãdem aliquando consequantur. Et tunc fiet vnum ouile & vnus pastor. Quod clarissima sententia probat Apostolus, subiungens,

Quomodo Deus omnes sub incredulitate concluserit.

Cõclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omniũ misereatur. Omnes, inquit, conclusit, non singulos: sed omnes, id est, vtramque Gentem. Conclusit autem, non quia ipse ad incredulitatem induxerit, sed quia potens obuiare, nõ obuiauit, sed permisit. Vnde aliquo modo dicitur fecisse Dominus, sed ex merito nostro, & ad bonum, videlicet, vt ostenderet diuitias misericordiæ suæ in eos quos seruare voluit. Et quia super huiusmodi possent morosi facere numerosas quæstiones, sicut illi dicebãt de Lazaro, Non poterat qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? Respondet Apostolus, atque obstruit os hominis impudentis atque arrogantis, exclamans:

o altitudo diuitiarum, &c. Non hic agit Apostolus, vt ostendat nullas esse beneplacitorum Dei rationes, cum iam attulerit nonnullas (sed in hominem superfluè disquirẽtem, & de omnibus etiam particularibus sibi causam reddi exigentem, quasi destomachans prouocat ad abyssum diuinorum consiliorum. Si enim humana lex de humanis ita præscribit: Non omnium quę à maioribus nostris constituta sunt, ratio reddi potest: non quidẽ negans (vt quidam falsò putant) esse rationem, sed rationem non posse reddi: Quantò magis eorũ quæ Dominus ipse excelsus cogitat & statuit? Cum exaltatæ adeo sint viæ eius à viis nostris, & cogitationes eius à cogitationibus nostris: vt non tam distet cœlum à terra, quàm vię & cogitationes illius à nostris. Quapropter nihil mirum si non comprehendat mortalium quisquam vias eius & iudicia, quæ tamen sunt summæ æquitatis plenissima, quę & iucũda appellat Psalmista. Probat quæ dicit, ex eo quod videmus, aiens:

Quis enim cognouit sensum Domini? &c. Duo dicit. Primum, Dei consilia neminem nouisse. Alterum, Deum nulli esse obligatum, vt debeat quicquã retribuere: quia nullus prior dedit ei, vt possit quispiam prætendere, Deum cogi ad retribuendum, & nõ habere in manu liberrimè cui voluerit plus donare. Et concludit ex ratione:

Quoniam ex ipso, tanquam ex principio efficiente, veniunt omnia. *Et per ipsum*, vt substentante permanent. *Et in ipsum*, vt in finem vertuntur, id est, in eius gloriam. Ideo pro sua gloria potest ea tandem dispensare vt lubet. Neque vlli tamen facit iniuriam creaturæ, aut naturæ: quia non ex hoc gloriam suam quærit, qui est clementissimus & mitissimus erga nos: cum econtrario nos ingratissimi & sæuissimi simus in illum. Vt obstruatur omne os impium & blasphemum, & sit ei gloria, cuius iudicia sunt pij cordis exultatio & lætitia in sæcula, Amen.

CAP. XII.

OBSECRO itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

Dico enim per gratiã quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique sicut Deus diuisit mẽsuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autẽ alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiã quæ data est nobis differentes: siue prophetiam, secũdum rationem fidei: siue ministerium, in ministrando: siue qui docet, in doctrina. Qui exhortatur, in exhortando. Qui tribuit, in simplicitate. Qui præest, in solicitudine. Qui miseretur, in hilaritate.

OBsecro, &c. Postquam abundè satis de doctrina fidei, & mysteriis omnes instruxit Apostolus, nunc exhortationis negocium appositissimo loco sibi sumit: & non vt plerique faciunt, qui ante persuasionem, concitate animos student in affectus. Quod si fortassis faciant, parum id tamen durat. Tale quid à comediis solet accidere, quarum personas dum audiunt spectatores, in varios mouentur affectus. At vbi dictum est, Valete, Plaudite: qualis quisque domo æcessit, talis domum reuertitur. Itaque cum Dei iudicia ad misericordiam & gratiam tandem reduci prædicauerit, vt concluderet ideo permitti incredulitatem omnium ab ipso Deo, vt omnium misereatur. Nunc per hãc Dei misericordiã, imò per eius miserationes, quę sunt misericordiæ effectus, incipit exhortari tã Iudæos quàm Græcos, qui has miserationes iam acceperant, rogando.

Quid per, corpus, soleat Apostolus intelligere.

Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, &c. Corporis voce, solet Apostolus nonnunquam intelligere totum quod est hominis, quod est tanquam corpus quoddã habens multa organa quasi membra, quæ sunt animæ potentiæ exeuntes in actus varios: & inter ea est caput, videlicet, ipsa ratio, quæ debet mouere cætera. Cum igitur homo sit suipsius Deo debitor, debet totum corpus suũ exhibere huiusmodi hostiã, sibi quidem mortuã, Deo autem viuentem, id est, sacrificare seipsum, suamque voluntatem, in qua ipse maxime est, & qua regitur: & holocaustum Domino reddere. Hoc autem tum demum præstat, quando se totum Deo, & propter Deum, sincera, prompta, atque hilari voluntate deuouet. Et tunc est hostia viuens quando fides, & ipsa Dei charitas vitam dat illi voluntati. Nam tunc est sancta, id est, munda, & ideo bene placens Deo. Sanctus enim ipse est eminentissimè, & sancta diligit, qui ait: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.

Leuit. 20.

Et vt declaret quid sit hostia hæc, exponatque quod dixit, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, addit appositiuè, *rationabile obsequium vestrum* seu rationale seruitium, siue latriam, vestrã. Est autem latria cultus, quo soli Deo seruimus, recipientes eum vt summum Dominum: cui soli excelsus honor, & filialis timor, & prompta debetur obediẽtia. Nam cæteris inferioribus personis postillum, & propter illum, hæc debentur.

Sæculũ, pro vita carnali.

Et nolite conformari huic sæculo, &c. Quia sapientia sæculi contraria est Deo. Et accipit sæculum, pro hominibus huius sæculi, qui manent in operibus veteris hominis, diligentes hoc sæculum, sicut alibi dixit: Demas me reliquit, diligẽs hoc sæculũ, id est, vitam carnalem.

2. Tim. 2.

Sed reformamini in nouitate sensus vestri, &c. seu mẽtis vestræ. Homo enim omnis renatus in Christum, exuit veterem hominem, & induitus est nouum: ad cuius exemplum se debet reformare omni studio ac diligentia, & nõ abuti gratia Dei, quæ nunquam deest volenti illam, atque petenti. Oportet enim serio considerare, nouum hominem creatum esse in iustitia, & sanctitate, hoc est, ab hoc vt sit sanctus & iustus: sicut ille (ad cuius typum formatus est) sanctus est & iustus, qui & iustitias diligit, & cum puris & mundis est requies eius. Bene autem sequitur:

Vt probetis quæ sit voluntas Dei, bona, beneplacẽs, & perfecta. Nõ potest probare homo bonam Dei voluntatem, id est, benignam & beneplacentem ac perfectam, quæ est iustificatio & sanctificatio nostra per fidem de Christo, & subsequentia fidem opera (quam voluntatem fieri petimus in oratione Dominica) nisi se totum deuouens Deo, spernat quę terrena sunt. Probat enim tunc homo hãc Dei voluntatem, quando consensu & iudicio approbat, gustum accipiendo & solatium suauissimum: quod norunt soli qui gustant, & illud ex spiritu possunt proferre. Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde. Adest enim talibus mirifica intus consolatio solidæ spei, & potissimum in tribulationibus & persequutionibus. *Psal. 72.*

Non desunt aliqui, apud quos aliter legatur hic locus, nempe in hunc modum: *Vt probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum, quod beneplacens, quod perfectum.* Et reperiuntur qui interpretati sunt de bono & perfecto, quod bene placet Deo, referentes ad mandatum legis nouæ comparatum ad veteris legis iudicia, & cærimonias, præcepta non bona, vt pote in quibus non erat vita. Qui sensus minime est reprehendẽdus: & ipsa græca litera (vt norant eruditi) porrigit hanc lectionem. Porro quacunque lectione vtaris, ipsa litera potest eundem sensum recipere.

Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere: aut præter quàm oportet. Sapit autem homo præter necessitatem, cum officium non suum, sed alterius audet exercere. Vt si quis est subditus, prælati autoritatem sibi vsurpet ac præripiat. Aut si doctoris, aut prophetæ munus, cum non sit iussus docere aut missus, velit obire: & ita de aliis. Sapiat ergo vnusquisque ad sobrietatem, id est, temperanter: vt quisque se contineat intra suos fines & terminos, quos sibi præstituit mensura fidei, suo modo. Nam fides est fundamentum & basis totius ædificij spiritualis, super quam fidem & alia dona Spiritus fundatur. Non autem effunditur Spiritus in singulos absque mensura. Solus Christus est, cui non ad mensurã datus est spiritus. Mensura igitur fidei nihil aliud esse videtur, quàm quod cuique datum est charismatum diuinitus ad fidei complementum in vniuerso, vt consummetur totum corpus ecclesiæ. Hanc verò mensuram nemo debet sua autoritate supergredi. Et hoc est optimum preceptum ad seruandam vnitatem, & pacem in ecclesia Dei. *Fidei mensura in quo consistit.*

Neque verò intelligas, dona vnicuique data esse secundum proportionem fidei suæ, id est, vt qui magis credat, etiam magis loquatur linguis, aut exhortetur, vel prophetet, vel tandem præcellat in quouis alio ministerio: sed sicut iam diximus.

Sunt enim qui multa fide pollent, quibus tamẽ non est data autoritas aliqua, aut potestas. Vt sic frustra videas inflari nouos hæreticos, qui sibi sumunt officia docendi & exhortandi: quia dicunt se præstare fide & spiritu, dantes testimonium sibimetipsis. Id autem vt verbis claris ac magnificis ita factis turpissimis atque nequissimis testantur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quasi verò hoc de semetipso testificari non sit in potestate cuiuslibet. Et item quasi non ipsi soli & elati atque inflati hoc sibi autint vsurpare.

Et ne quis diceret ipsum Apostolum in primis hoc præceptũ non seruare, qui audeat alios vt superior monere, non existens superior, præoccupauit hoc ab initio & sui facti rationem reddit:

Dico autem per gratiam quæ data est mihi, ac si dixerit: Ego fidei mensuram mihi tributam non excedo. Hoc enim talentum accepi verus Apostolus per gratiam Dei, vt docere possem omnes, & exhortari.

Sicut enim in vno corpore multa membra, &c. Pulchro & accommodatissimo exemplo tandẽ ostendit quod præmonuerat, proponẽs ecclesiam quasi quoddam humanum & organicũ corpus, in quo turpe esset, si pes vellet manus officium exercere, aut oculus aurium, aut naris os, & econuerso. Sic ergo existimare debet homo, ecclesiam Christi quasi vnum corpus: singulos autem quasi membrum membro iunctum, ita vt vnum iuuetur ab alio. Quandoquidem cum sint varij actus corporis, non omnes actus sunt vnius membri: sed quod libet habet suum proprium ab aliis distinctum. Sic etiã est in membris ecclesiæ: donationes sunt differentes, vt est prophetia, quæ datur iuxta mensuram fidei, id est, secundum proportionem fidei, scilicet, vt id non excedat, quod attinet ad communem vtilitatem: quia debent omnes contineri in fide propter meritum. v. g.

Sunt quædam quæ Deus continet in pectore suo, ne pandat ea, quia non est vtile: vt futura restitutio Israel, dies iudicij, olim etiam incarnationis mysterium. Horum enim ignorantia conducit ad robur fidei, & fructum: quia in oratione robustior efficitur, vt Abrahæ fides, qui ignorauit consilium Dei, cum iussus esset immolare filium suum. Sicut ergo prophetiæ est non excedere proportionem fidei, id est, vt per eam innotescant quæ seruauit sibi Deus, nolens reuelare: ita nec in alienis à fide & ædificatione ecclesiæ vagari. Addit:

Siue ministerium in ministrando. Ministerium vocat, quod ex officio incumbit: vt cibum quis & victum siue corporalem, siue spiritualem egẽti subministret, in quod opus B. Stephanus, & alij sex diaconi electi sunt. Hoc autem opus exercere debet actu, vt qui ministerium habet, ministret: alioqui reprehensione dignus erit. Contra illos qui irrationabiliter putant sacerdotem non obligari ad sacrificandum: vt sic frustra ad hoc sacro sanctum ministerium se voluerint consecrari, quod euidẽs ipsa ratio minime patitur. Addit.

In sacerdotes non celebrantes.

Siue qui docet in doctrina, id est, qui præfecti sunt ad docendum, in docendo. Et propterea Apostoli noluerunt ministrare mensis, vt ait scriptura. Non enim erat æquum propter cibum corporis deseri cibum mentis.

Act. 6.

Qui exhortatur in exhortando, Similiter intelligit præpositos ad exhortandum. Docemur enim quę nescimus, vt ea sciamus. Exhortamur verò sciẽtes, vt quod iam scimus, opere compleamus.

Qui tribuit in simplicitate, Tribuit verò in simplicitate, qui quodcunque officium, dum commembro suo exhibet, gratis exhibet, & hilariter: ita vt oculus gratiam retributionis temporalem non respiciat, sed æternam.

Qui præest in solicitudine. Hoc proprium pastoris, vt summa cura de suis ouibus sit sollicitus ne quid illis desit: ne que vagentur, aut caulas exeant: ne lupus veniat & carpat ouem: aut aliqua intersit morbida, cuius contagione perdantur cæteræ, vt mox remedium adhibeat præsentaneum.

In hoc anxiè debet vigilare pastor: & non solùm de lana, lacte, corio, & carnibus, & sanguine vt faciunt hodie plurimi. At harum rerum prohiberet solicitudo, quæ tamen apud plerosque est potissima. Ait enim Apostolus, Nihil soliciti sitis. Et de seipso cum plurimis intenderet, & pressus esset, ait: Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor: &c.

Admonitio ad prælatos.

Et hoc in loco debemus considerare nos pastores tales ne simus, an vero ab his conditionibus distemus quàm longissimè, neque expectare vt incidamus in manus Dei viuentis, qui sanguinem animarum de manu nostra, quibus commissę sunt seuerè requiret.

Qui miseretur in hilaritate. Homo per eleemosinã misereturquod nõ debet facere in tristitia, & animo ægro: sed cum dulci aliqua commiserationis significatione ipso vultu & verbis: sicut alias monet idem Apostolus. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et cui multum fuerit, multum tribuat. Cui minus, hoc ipsum libenter impartiatur. Et ita instruebat Tobias filium suum.

Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes: honore inuicem præuenientes. Solicitudine nõ pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes. Spe gaudentes, in tribulatione patiẽtes, orationi instãtes. Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectãtes. Benedicite persequẽtibus vos: Benedicite, & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes: sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malũ pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptũ est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potũ da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

Dilectio sine simulatione, &c. Postquam instituere cœpit hominem Dei Apostolus secundum priuata officia, & peculiares actiones, ne quis proprios fines transiens labefactare posset ordinem donorum particularium, quæ minime passim omnibus conferũtur: Nunc illum pariter vult instruere circa communia officia, quæ propter charitatis communicationem & nexum, quo in Christo colligati sumus, ad omnes pertinent. Dilectio enim seu charitas omnium virtutum regina est, & in omni nostra actione prima & potissima tãquam dux esse debet. Nam dilectione compaginamur, & efficimur vnius corporis membra, mẽbrum de membro sub vno capite nostro Christo: & cõseruamur impensis mutuò officiis. Et ob eam gratiam à dilectione primùm incipit B. Paulus, quam nullo pacto vult esse simulatam aut fictam: sed synceram, integram, apertam de corde puro, & fide non ficta. Hæc enim dilectio in nobis efficit, vt malum odio prosequamur, id est, peccatum. Efficit autem vt hæreamus bono, id est, virtuti, quæ vnà nos bonos potest reddere, vt secũdum eam verè dicamur boni. Hæc efficit vt diligamus nos inuicẽ dilectione fraternitatis, id est, tanquam fratres non carne, sed in Christo. Omnes enim fratres sumus in illo, & sub illo capite nostro.

De præcepto dilectionis, & eius laudibus.

Neque desinit quis esse frater, si ad aliquem præcæteris gradum sublimiorem conscenderit. Hoc nos docuit magnus ille patriarcha Ioseph, qui in amplissimo honorum fastigio collocatur, non est veritus fratres suos (alioqui de se pessimè meritos) hoc dulcissimo nomine ad amorem prouocare. Ego sum, inquit, Ioseph frater vester. An non & Dominus Iesus Deus verus dignatus est seruos suos, quos pretio sanguinis redemit, vocare fratres? Et non eo quidem tempore, quando variorum laborum & tentationum habebat socios, ipse in rerum omnium egestate constitutus. (Tunc enim leui pudore possum' omnes appellare fratres & amicos) sed eo tempore, cum iam per crucis passionẽ gloria & honore erat à Patre coronatus, & omni in cœlo & in terra potestate donatus, tunc fratris nomen dedit. Vade (ait Magdalenæ) ad fratres meos, & dic eis, & cæt. Hoc in eos dictum sit, quibus si quid nouæ dignitatis siue ecclesiasticæ seu sæcularis accesserit, mox inflati cæteros spernunt, vel eos quibus cum tamen fuit illis aliquando non vulgaris necessitudo. Hoc facere nõ nouit charitas, quæ suum possessorem ita instituit, vt sit sollicitus præuenire fratrem honorando, in quo recognoscit & reueretur Dominum nostrum & Redemptorem Iesum Christum, & Patrem omnium. Hæc solicitudinem parit, & pigritiam omnem expellit, vt omnibus prodesse valeat. Res est (ait quidam) solliciti plena timoris amor, vt sic pro dilecto impigrè operetur. Hæc facit hominem feruere spiritu, id est charitate Dei. Hæc denique efficit vt amara sint dulcia, labor sit requies, tribulatio solatium, luctus gaudium: grauia omnia facit dilectio leuia & suauia. Quare Micheas propheta: Indicabo tibi (inquit) ô homo, quid sit bonum, & quid Deus quærat à te: Solicitè ambulare cum Deo tuo. Dilectio mundi habet quidem & suum feruorem, sed inuidiæ, iræ, ambitionis, auaritiæ, libidinis. At nostra ignem veri zeli secum portat propter honorẽ Dei accensum, & ad salutem proximi, vt possit fidenti animo dicere: Quis scãdalizatur, & ego non vror? Hæc præterea facit nos verè seruire Domino, id est, non ad oculum & coactè, sed seruitio latriæ, vt intelligit B. Thomas, quod debemus ipsi Deo. Et tamen græcè legitur hic, δουλεύοντες, vt putius, δουλεύειν, quàm λατρεύειν significet.

Gen. 25.

Ioan. 20.

Hic notandum, etsi communiter latini codices habeant. *Domino seruientes*, quam lectionem sequitur B. Hieronymus: in græcis tamen legitur, Tempori seruientes. Et hanc lectionem amplectitur B. Ambrosius. Neque verò paruæ est virtutis, posse tempori se accommodare, & inde occasiones capere ad ea facienda, vel intermittenda quæ expediunt. Sic enim didicimus facto & verbo fuisse à Domino obseruatum, & Discipulis in exemplum relictum: nam secessit aliquãdo, seque abdidit. Interdum verò cõtrà, apparuit coram & vltrò se obtulit. Quod cum mirarẽtur discipuli, rogarentque: Modo, inquiunt, quærebant te Iudæi lapidare, & tu iterum vadis illuc? Quibus ipse respondit: Nonne duodecim sunt horæ diei? Sic & aliàs dixit eis, Nunc qui habet sacculum tollat, & peram, &c. Varia enim tũc erant tempora, & ab anterioribus differentia, & aliud exigentia: iuxta illud: Hæc ætas aliam vitam, alios mores postulat. Vnde tempus nubendi, & tempus abstinendi ab amplexibus. Nec solùm differebant ab anterioribus, verùm etiam à futuris. Vnde in primitiua ecclesia quædam tolerabantur, vel obseruabantur, quæ minime nunc conuenirent. Quia verò tempus Dominici aduentus maiorem exigebat luctum, & tolerantiam tribulationum, ideo subdit:

B. Hier. ad Marcellã.

Ioan. 11.

Spe gaudentes. Non est enim bonũ interim regaudere: quia hæc præsentia bona non sunt verè bona, sed ad futura oportet se præparare: quod fit luctu & imitatione capitis nostri per viã crucis. Hoc nolunt intelligere hæretici, & homines mundi huius, qui volunt ducere in bono dies suos. Et ignorant miseri, quòd in puncto ad inferna descẽdent, vt restatur B. Iob. Impossibile est (ait B. Hieronym.) hic gaudere cum mundo, & postea in cœlis regnare cũ Christo. Beati dicuntur qui lugent. Væ autẽ denunciatur iis qui habent suas in hac vita cõsolationes, & qui rident. At veri Christiani habent gaudium suum non in re, sed in spe propter certitudinem futurorum bonorum. Quò fit vt æquo animo tolerẽt præsentia incõmoda: nec perturbantur admodum ob persequutiones huius sæculi, quibus sciunt faciliorem sterni viam ad beatam requiem: propterea ad hoc eos exhortans, addit:

Iob. 21.

Matth. 5.

Luc. 6.

In tribulatione patientes. Quod facit & spes. Hæc autem sese (vt dictum est) consequuntur. Spes, probatio, patientia, tribulatio. Si enim non sit tribulatio, vbi patientia? Et si non sit patientia, vbi probatio? Etsi non probatio, vbi spes? Et in his omnibus oratio semper instare debet: quoniam debet esse sine intermissione, quantum patitur humana fragilitas, & ideo adiecit:

Micheas 6.

Orationi instãtes. Verùm quia tũc erant inter Christianos, qui omnibus renuntiauerant quę possidebant, & ideo indigebant humanis adminiculis ad hanc vitam mortalem sustinẽdam, & hoc erat non exiguum pietatis opus, ideo & ad hoc hortatur.

Necessitatibus sanctorum communicantes. Non superfluitatibus, & ad voluptatem. Nescio verò vnde B. Ambrosius legat: Memoriis sanctorũ, pro eo quod nos legimus, necessitatibus sanctorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hospitalitatem sectantes. Hospitalitatis officium & in veteri & in nouo testamento fuit maximo in vsu, & commendatissimum. Nam Christus in se recipit collatum, quod hospitibus impenditur. Abraham meruit Angelos hospitio excipere.

Non tamen careret periculo si nullus adhiberetur delectus. Itaque erga fratres exerceri debet, & domesticos fidei potissimũ. Nam B. Hieronymus fidei defensor acerrimus, cauebat ne vllos excipiret hospitio, qui hæreticorum partes fouerent. Talibus n. nec Aue, nec Vale dicendum est.

Benedicite persequentibus vos, benedicite, &c. Opportunè hortatur Apostolus quoniam iam atrocissimi erant, & futuros nouerat, aduersus ecclesiã persequutores, ne quis maledicat, id est, mala imprecetur, sed bona etiam optet persequentibus, ac maledicentibus. Et vehementer hoc admoneret iterando: quia videbat rem homini valdè difficilem, & propriè Christiana magnanimitate dignam, vt etiam quis benedicat persequutoribus, & maledicentibus. Et quod ad societatem retinendam valdè pertinet, commendat studium conformandi se se alteri perquam necessarium. Vnde ait:

Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Sũt enim qui in Christo gaudẽt: quia ipse adhuc sponsus cum eis est. Et sunt qui flẽt, vtpote à quibus est ablatus sponsus. Nos ergo docet vt iis conformemur in conuersatione, vt omnibus fiamus omnia, sicut Christus descendit ad infirmitates nostras. Hoc ergo quod dictum est. *Gaudere cum gaudentibus*, intelligitur per obsequiũ, & cessionem in mores aliorum, quantum fas est, vt non simus aliis austeri & tetrici, sicut nobis ipsis. Nam & Christus in hoc nostris se infirmitatibus accõmodans, manducauit & bibit cum peccatoribus, & publicanis. Hoc tamen fecit vt eos lucrifaceret, non ex voluptate, sed potius grauiter & molestè, quod ad se pertinebat. Sic & nos debemus facere, nostrũ scilicet rigorem aliquando in gratiam aliorum relaxantes. Quod autem sequitur:

Flere cum flentibus, non sociabiliter solùm, sed etiam promptè, & ex corde faciendum est. Sed qui nõ potest ex corde, faciat saltem societatis iure ob charitatem Subleuatur enim afflictus, si compatientem sibi amicum inuenerit. Hoc enim indicio, amicum quasi molestiæ partem in se suscipientem iudicat, & consolationem inde accipit. Quilibet enim gaudet amari, præsertim ab amico: quod tunc ostenditur maximè, cum afflictio vnius fit alteri communis. Iecirco B. Iob ait: Flebam quondam super eo, qui afflictus erat. Et quia super huiusmodi quæ ad vitam bene beatéque ducendã conducunt, idem sentire ad concordiæ stabilitatem valet plurimum, addit:

Iob. 30.

Hoc ipsum inuicem sentientes. Nimirum cum gustu & approbatione, quæ opere fit, cum inuicem impendimus, & inuicem adiuuamus, & subleuamur. Sed sunt plerique qui nolunt cum aliis conuenire in sententiis, vt aliquid esse videantur, & spernunt alios humiliores. Id vetat Apostolus dicens,

Non alta sapientes. Ille enim altum sapit, qui vult aliis supereminere & superexcellere, vel propter opes, aut potentiam, vel nobilitatem, aut sapiẽtiæ, vel scientiæ præsumptionem, ideo adiecit,

Sed humilibus consentientes, id est, infirmioris atque infimioris sortis hominibus sese accommodantes. Græcè enim, συναπαγόμενοι. Et hoc intellige, quãtum fas est, & circa ea quæ non concernunt pietatem. Non intelligo autem (vt nonnulli exponunt) de rebus vilibus, vt scilicet tunc intelligatur quis cõsentire humilibus, quando ad humilia opera se inclinat. Nam Græca vox, ταπεινὸς, hominem abiectum & humilem significat, vel ob paupertatem, vel genus, vel conditionem quoquo modo. Sunt & qui altum sapiunt: quia sibiipsis videntur prudentes: & hoc prohibet, aiens:

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, & addit: *Nulli malum pro malo reddentes.* Quod est iniustum in lege Christi. *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* In græcis desiderantur ea verba, Non tãtum coram Deo, attamen non malè supplentur. Sunt enim interdum simultates inter homines, qui vix ostendunt serenam faciem, sed quodam tumore animi seipsos decipientes, dicent in fratrem suum: Valeat. Ego quidem coram Deo illi parco: non autem libet eum alioqui, aut signa amicitiæ vlla ostẽdere. Verùm oportuit apud homines etiam prouideri bona, vt in exterioribus quoq; mutua nostra charitas appareat, ne qua detur occasio iudicij mali, & simultatibus. Vnde sequitur:

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Ait ergo, si fieri potest: quoniam plerumq; homines ex malignitate id fieri non permittunt, eò quòd aduersus Dei gloriam, & ecclesiæ ædificationẽ pugnant: & peruertè conantur obscurare fidei veritatem, & probos mores corrũpere. Cum iis ergo non est habenda pax, quandiu tales esse perseuerant: sed illis resistendum est cõstantissimè, & vehementissimè. Cum cæteris verò quantuis iniuriosis & malis, quantum est ex nobis, quærenda est omni modo pax, non tamen amicitia & familiaritas: sed pax. i. concordia. Et quia vnus est modus magnus ineundi, aut seruandi hanc pacem, scilicet, quando ab iniuriis & probris minime nos ipsos defendimus, ideo subiungit:

Non vos defendẽtes charissimi, sed date locum iræ. Dat autem locum iræ homo, quando non resistit. Suo enim impetu ipsa ira nihil resistentiæ inueniens, euanescit. Sicut videmus fulgura & tormenta bellica, quùm nihil fortè offendunt, in quod valeant exercere vires, nullam faciunt impressionem. Et hîc nota prohiberi etiam defensionem (cuius est propellere quod ex aduerso intenditur malum) ab Apostolo: quãquam vltionem (cuius est malum pro illato malo inferre, & quod aiunt retaliare) magis vox græca, quàm defensionem videtur sonare, cui consonat id quod sequitur.

Mihi vindictam & ego retribuam. Sed quia in defensione animus est plerunq; ad vindictam, eadẽ vox & ad defensionem extenditur, & ideo dixit: Sed date locum iræ, vt etiam ipsa defensio non considereturt. Est verò duplex defensionis genus.

Alterum mera cautio, & custodia sui absq; vllo proximi damno. Et hæc nunquã existimata est simpliciter illicita. Alterum verò cum ita te defendis, vt noceas: quod interdum ipso facto euitari non potest. Et tamẽ Christianus reuera omnem etiam propriam sui defensionem abiicere debet, si velit Christianè agere. Neque verò propterea improbatur defensio, quę vallatur debitis circumstantiis.

1. Cor. 10. Sed, vt ait Apostolus, Cum liceant omnia, non tamen omnia expediũt. Quare illud coniectandum, quid magis conducat ad finẽ, qui est charitas, quæ ecclesiæ ædificationem deposcit, & illud eligatur & fiat. Qua de re vberius apud B. Matthæum proprio loco disserui.

Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Perpẽde hîc quantam in homine verè Christiano vult Apostolus abũdare charitatem, vt non solùm vltionem & defensionem, quæ vltionis habeat speciem, prohibeat: sed insuper erga inimicos beneficentiam impendendam præcipiat, qua mirabilem effectum ad ædificationẽ productum iri asseuerat, subiungens:

Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Caput enim hominis iniuria afficientis, est superba mẽs, & iniuriosa: quæ si contrà beneficiis afficiatur, quasi carbonibus vastatoriis consumitur. Hæc sentẽtia est ad literam Salomonis Prouer. 25. Est enim ignis quidam charitas, omnẽ malum tumorem cõburens & vastans: & ita vincit, vt qui hostis erat & inimicus, in amicũ euadat & fratrẽ, per charitatem cõparatum. Quẽ si resistendo voluisset alter prouocare, fratris animã amisisset. Inter superbos enim semper sunt iurgia. Vnde rectè sequitur,

Noli vinci à malo. Vincitur homo à malo, qui propter illud irritatus amittit patientiam charitatis, & benignitatem. Charitas enim patiens est, quæ nec agit perperam. Ergo concludit,

Sed vince in bono malum, id est, per bonum vince malum. Bonum enim est suiipsius diffusiuum. Sic vincitur malum frequenter. Nam & humilitas superbiam deprimit: & patientia iram frangit: & benignitas odium extinguit: & misericordia crudelitatẽ emollit. Et ita de reliquis, quæ sese ad alterum habent, virtutibus sentiendum.

CAP. XIII.

OMNIS anima potestatibus sublimioribꝰ subdita sit. Nõ est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladiũ portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideóque necessitati subditi estote: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruiẽtes. Reddite ergo omnibus debita: Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Nõ occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Et hoc, scientes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis: non in contentione & æmulatione. Sed induimini Dominũ Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

In hæreticorũ libertatem.

Omnis anima, &c. Insani quidam hæreticorum putant, & docent repugnare euangelio, si vlla sit potestas quæ delinquentes puniat: propterea quòd Dominus Iesus vetuit eradicare zizania. Verùm callidè hoc quidem: cum tali dogmate sibi primùm consulere studeãt. Quid enim malam eorum causam efficacius iuuare potest, quàm scelerum prędicare impunitatem? Et quid aliud possunt flagitiosi, ac suppliciis omnibus digni, cõminisci, quàm ab se depellere quicquid aduersus insanum dogma, cui mordicus hærent, facere videatur? Dicunt se esse in lege libertatis: & libertatem vocant peccandi licentiam, & liberam lasciuiendi potestatem, & quodcunque libet agendi, & viuendi impunè vt lubet. Dicũt, Non est iusto lex posita, non intelligẽtes quid dicant. An non Adæ posita fuit lex, quo tempore maximè erat in iustitia? Nunquid & Angeli Dei fuerunt sine lege, cum omnes ab initio essent iusti? Et nũquid B. Paulus erat sine lege, qui se profitetur esse in lege Christi, & nihilominus erat iustissimus? Ignorant miseri, vel verius ignorare volunt, quid est illud, quod ab Apostolo dicitur, Lex non est posita iusto. Non enim Apostolus ibi simpliciter legis naturam declarabat, tanquam ei repugnet poni iusto: cum reuera lex euangelica detur iustificato, ac per hoc iusto. Ad eum tamen finẽ datur, vt caueat ne fiat iniustus, sed potiꝰ vt fiat amplius iustus. Apostolus ergo illo in loco non absolutè de lege, sed de certa lege loquebatur, nimirũ de lege illa Moseos: & narrabat factum, videlicet, quòd illa lex non fuit posita iusto, sicut lex fidei & gratiæ, quæ posita est iusto. Et ideo potest hæc impleri, non autem illa. Sed quid ad rem, quòd lex nõ sit iusto posita? Nunquid propterea qui legis fuerint transgressores, puniri non debent?

1. Cor. 9.

Quid est, legem non esse positã iusto.

Aiunt: Præcepit Dominus ne auellerentur zizania, sed vt sinerẽt ea crescere vsque ad messem. Sed nec locũ illum intelligunt. Dominus enim ibi non alloquitur mundi principes, præcipiens eis vt non puniãt, & ita seruẽt zizania: imò supponit illos qui punire poterãt & debebant, dormiuisse, eisque dormientibus, hoc est, mala & scelera permittẽtibus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

priuatos quosdam in zelo non secũdum scientiam excitatos, qui optabant fieri sibi potestatem huiusmodi zizania euellendi: quibus Dominus respondet, zelum illum non esse secundum sapientiã Dei: quoniam si illa zizania tollerentur, simul triticum auferri posset. Quo in loco non aliud notandum, quàm aliud esse forum iudicij hominũ, qui statim patrato scelere vindicant suis pœnis: Aliud verò forum Dei qui expectat sua die ad iudicandum. Itaq; non vetantur huius sæculi principes per euangeliũ non vti gladio suo in tempore suo, sed admonẽtur Dei zelatores, ne immodico & non secundũ scientiam zelo, nimis præ properè diuinã expetant vindictam ante suum tempus: quoniam aliud est Dei iudicium, aliud hominũ. Qua de re & alibi fusius. Interim satis est, quòd hîc Apostoli gladio iugulantur hæretici, cum ait:

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Cum enim dicit, *omnis anima*, nullam excipit: ita vt velit etiam Christianos subdi externis dominationibus, quando Dominus Deus tales potestates dederit. Nam per omnem animam, intelligimus omnem hominem. Scimus autem quòd quæcunque euangelium loquitur, iis qui sub euangelio sunt, loquitur. Dicit, *omnem animam*: potius quàm, omnem hominẽ, fortè quia in anima spiritus est superbiæ, qui eleuatur aduersus potestates. Et dicit, *animam*: quia homo subditus est potestati in eo quòd animalis. Spiritualis enim non est sub hac lege, quæ est timoris, sed sub amore. Homo ergo spiritualis liber est, vt eiusmodi est, & Spiritu Dei agitur. Et tamen quia potest effici carnalis & animalis, ideo nullus homo potest seipsum eximere à potestate, sed ab executione potestatis.

Igitur ipsa anima comprimi debet ac subdi, vt bene agẽs eximatur à vi & timore legis. Et hoc in loco agnosce ordinem ab Apostolo seruatũ. Primò enim eos docet qui maiora aut sunt, aut esse videntur membra in ecclesia, videlicet, aliorũ ministros, dispensatores verbi Dei, & sacramentorũ, vt ordinatè quisque se habeat, non egrediẽs fines suos, & nihil sibiipsi arrogans non vocatus. Secundo ordinauit omnes iuxta communia charitatis præcepta. Hic ergo tertio ordinat subiectos erga superiores in potestate, & de sæculari potestate est sermo.

Duo pernitiosi hæreticorum errores & ausus.

Quare Principes nostri temporis hæretici in duobus pernitiosissimè peccant: Tum quòd causas spirituales sibi arrogant, quod est detestandum: Tum verò quòd sibi viros in sortem Domini ascitos, id est, clericos, suæ subdunt iurisdictioni: quia hîc legitur, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: & non vident ex his verbis nequaquam concludi, quod volunt. Oportebat enim prius eos probare, quòd respectu clericorum illi sint potestates, & tunc eorum subiectionem concludere. Alioquin, Si omnis anima debeat subdi cuilibet potestatem habenti, cur ergo rex Angliæ non imperat Francis & Germanis? nisi quia non est potestas vniuersalis, neque locorũ, neque personarum. Ergo quod dicitur, Omnis anima subdatur potestatibus, hoc intelligendum est cum prudentia: vt quæuis anima illi obediat, quem sibi agnoscit, vel agnoscere debeat, habere super se legitimam potestatem. Quòd autem in clericos potestatẽ habeat sæcularis princeps, hoc proculdubio negatur: neque ex hoc loco educitur quouis modo.

Illud item propter importunos considerandum est. An possint ecclesiastici viri, id est, qui altari seruiũt, huiusmodi iurisdictiones salua & integra Christiana lege, habere, & exercere sanguinis effusionem. Qua in parte, etsi apostolicæ sedis hostes pertinacissimè contendant, non posse concurrere in eundem hominem vtranque potestatem. Nos tamen si consulimus, quod iam dudum factum videmus, & rectè factum cẽsemus, certè plurimos sanctos summos Pontifices dominatum hunc, & terrenam habuisse & exercuisse potestatem perspicimus. Hoc autem contra euangelicam legem ab eis factũ asseuerare, durum sanè est vel cogitare, cum inter hos summos Pontifices numerentur qui honestè, & inculpabiliter sanctam vitam duxerunt. Nõ desunt tamen pleriq; quibus non sufficit quod satis est, ne dicam nimium. Sunt enim qui (vt dixi) magno in ecclesiam odio, vel Pontificum moribus irritati, hunc gladium omninò negant, & auferunt ab ecclesiasticis. Et sunt contrà, qui siue id per adulationem faciant, siue per nimiam simplicitatem, aiunt ad summum Põtificem de iure pertinere omnem totius orbis terræ dominationem, etiam tẽporalem: cum sit summus Christi in terris Vicarius. Domini autẽ est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Addunt Christum dixisse: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

An possint ecclesiastici gladio vti.

Verùm ridicula hæc profectò, quæ neque ipsimet Pontifices auderent asserere. Si enim ita esset, nulli ergo verè terrarum Domini essent in temporalibus, sed solus Pontifex dominus esset, & cæteri (etiam quoad temporalia) sub illo. Et vbi verbum illud Christi: Regnum meum non est de hoc mundo? Et iterum: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Quòd si regnum hoc terrenum ad ipsum attinebat vt homo erat, cur igitur fugit ne regem illum cõstituerent? Et cur vni è duobus fratribus litigantibus petenti vt iuberet fratri, secum vellet diuidere hæreditatem, respõdit: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos? Hic enim locus maximè videtur cogere, vt fateamur non fuisse illi datam rerum humanarum & sæcularium quæstionum iuridicam cognitionem, & iurisdictionem.

Ioan. 18. *Luc. 9.* *Ibid. 12.*

Quòd autem Papa sit Vicarius Christi, quid habet momenti, vt credamus data est illi ad regẽdum omnia regna mundi in temporalibus? Imò id potius efficit, vt persuadeamur ei non data: quoniam Christus abiecit ea, & vt homo erat, in mũdo non habuit. Post resurrectionem enim dicitur, datam illi fuisse omnem potestatẽ. Ipse autem in hoc mundo subiectus fuit sæcularibus potestatibus. Sui ergo illius regni Vicarium reliquit Papam, quod sibi à Patre datum fuit, cum in terris nobiscum ageret, nempe, regnum spirituale super oues, quæ illum sequerentur, atque illi semetipsas propria voluntate subiicerent. Cuius regni finis est vita æterna. Alioqui si absolutè sit Vicarius Christi secundum omnem potestatem, quam Christus habet, erit etiam potestatem habens in cœlis super Angelos & Beatos: quod est ridiculum.

Ergo in pastura ouium consistit hic vicariatus Papæ, qui ecclesiasticam iurisdictionẽ super oues habet, quæ tamen se illi subdiderunt baptismi pro-

1. Cor. 5. fessione. Non est autem eius iudicare de iis quæ foris sunt, sicut ait Apostolus: quoniam de his quę foris sunt iudicare, Domini est. Hoc perpètui vsus ratio satis probat. Nunquam enim Papa possedit orbem terrarum. Nec propterea negatur quin summus Pontifex posit esse rerum temporalium Dominus: sed hoc tãtum asseritur, hoc illi dominium minime datum quasi Pontifici immediate à Christo, sed illud habet quasi vnus quilibet hominum, ad quem humano aliquo iure obueniat talis potestas: nec alio iure ipse Pontifex prætendit. Nam cũ rogatur quo iure possideat illam vel illam ciuitatem, aut prouinciam, ostendit iura, id est, titulos locorum legitimos quæ possidet, & quibus dominatur. Non ergo negamus has ambas potestates in vnum hominem posse concurrere.

At qui hoc in loco nobis obsistunt, obiiciunt. Christus noluit eam, sed sponte abiecit: imò etiam oblatam sibi ab hominibus, fugiendo recusauit. Igitur si quis debeat imitari Christum, quis magis quàm eius Vicarius? Respondemus, Christum hac parte (sicut nec in pleriſque aliis) non fuisse omnibus exemplo. Alioqui non esset vllum iustum regnum, si ad sui exemplum cogere omnes voluisset abiicere dominationem.

Aiunt. Sed exemplum dedit saltem clericis, qui dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Mihi autem potius videtur dedisse exemplum illius status, quem ipse vita & moribus professus est, vt in paupertate & abiectione sui ipsius in hoc mundo, multi expeditius seruiant Deo.

Quamobrem quod obiicitur de B. Petro, penes illum neque aurum neq; argentum fuisse, perinde ac si ille præscripsisset successoribus, illis similiter non licere aurum & argentum possidere, nedum habere dominationẽ ac potestatem in populos: simili modo eliditur B. Petrus non ex eo quòd Christi Vicarius, fuit pauper in hoc mundo, sed ex eo q̃ omnibus quę erant mundi huius, renũciaret prius, tãquam Christi peculiaris discipulus, quò propius Dominum sequeretur, idque propter regnum cœlorum, & meliorem resurrectionem.

Ecclesia ob magnas causas habet temporalia dominia.

Si quis autem dixerit (sicut sunt non pauci qui affiduè dicunt) tales debere esse summos Pontifices, Non inficior, saltem in voto. Et nihilominus interest ecclesiæ habere hæc dominia tẽporalia propter maximas causas. Vna est, vt melius regantur populi; & iustius & tranquillius sub eis quàm sub hominibus huius seculi. Verisimile est enim Vicarium Christi, vt ecclesiasticum virum, maiore sapientia & clementia rectturum, quàm homines seculares. Et reuera magis credita est illi dispensatio, & requisita cura & gubernatio, quàm sit oblata dominatio: vt esseut potius administratores, quàm Domini. Non quòd non habeant gladij potestatem, si opus fuerit, vt cæteri Domini: sed quoniam non animum dominãdi gerere debent, sed seruiendi, sicut dictum est illis. Scitis quòd reges Gentium dominantur eorum, & qui exercent potestatem in eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est vestrum, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. Quo in loco non regimen aut potestas, vel superioritas negatur, sed potestatis abusus: quoniam reuera qui ad regendum vocantur, vt patresfam. & vt pastores & ministri Dei esse deberent, non sicut Domini & Tiranni.

Luc. 22.

Alia causa (nec priore fortasis minor) cur Pontifices acceperunt huiusmodi regnum temporale, fuit particularis prouidentia Dei, cui placuit vt hic dominatus suffragaretur spirituali potestati, quæ illo maximè indiguit nostris sæculis, quando creuit insolentia Dominorum, ac Principum huius seculi: atque refriguit obedientia & reuerentia in Christum, quem principes seculi raro recognoscunt in illo qui vices eius gerit in terris. Nisi enim fuisset hæc temporalis potestas, profecto & hoc spirituale regnum extinctum esset. Nisi verò Dominus cotidianis illud & nouis miraculis fulciri voluisset, sed non vult cogi Deus ad assidua miracula. Quanquam non me latet grãdi illum miraculo & sustentasse: & nunc etiam in tanta hominum cœcitate, & prælatorum incuria, sustentare hoc spirituale regnum. Et speramus ab eo adhuc sustentatum iri vsque ad seculi consummationem.

De vsu & potestate gladij.

Non me item latet, iis piè & catholicè positis, videlicet, in vnam & eandem personã posse vtramque potestatem concurrere, spiritualem & temporalem, hanc tamen superesse quæstionem: An scilicet hæ rectè valeant ab vno exerceri. Quo in loco (fateor) audire alios malim. Video enim pericula hic esse magna & grauia: nec valdè decere Petrum educere alterum gladium è vagina. Ex altera parte incidunt sæpe tempora, quando & hoc fortè sit opportunum. Aberratum esse tamen in hanc partem plurimum à pleriſque, inficiari non valeo. Sed non hic locus tractandi quæ huiusmodi sunt. Illud tantum dicam, esse absque dubio prorsus pestiferum, intolerabile, atque omnino improbandum dogma, putare in homine sæculari esse ecclesiasticam spiritualem potestatem, idque posse legitimè defendi. Sunt enim hæ potestates inuicem separatæ: & nemo sibi quamlibet potest ad nutum vsurpare. Et aliud sentire ac docere, seditiosissimum est & horribilissimum. Quod tamen præsumptũ fuit se scelerosissimè nostro sæculo à crudelissimo rege his nostris oculis perspeximus. Deus & Dominus videbit: imò iam animaduertit in illum mortuum. Sequitur:

Notatur Henricus 8 Rex Angliæ.

Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Sic legitur in latinis. At melius in græcis sic habetur, Quæ autem sunt potestates à Deo, ordinatæ sunt. Duæ igitur sunt potestates, sicut & duo regna, quæ duos habent fines: & vnus inferior ad alterum superiorem est ordinatus. Est enim terrena potestas & animalis. Et est cœlestis ac spiritualis: quia & regnum terrenum est, ac cœleste. Finis cœlestis, est vita cœlestis ac æterna. Finis autem terreni, est vita terrena ac pacifica. Istę ergo potestates sunt à Deo hoc pacto ordinatæ, vt altera alteri deseruiat, & suam quę que originem habeat. Si enim terrena, sit de terra: si cœlestis, à cœlo. Ideo Papæ potestas de cœlo est à Spiritu Christi. At regum terrę potestas est ab hominibus, Domino tamen approbante quod homines rectè ac legitimè faciunt. Et sicut dignius est cœlum terra: ita cœlestis potestas dignior terrena. Cum igitur ita sit, omnem potestatem à Deo esse, non ex permissione tantum, sed ex eius ordinatione, rectè concluditur.

Pro germano sensu apostolicæ sententiæ circa quam vtranque potestatem.

Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, &c.

Universidad de Deusto Biblioteca

nimirum æternam. Et vt intelligamus non esse eis resistendum, adiecit optimam rationem, cum scilicet hæc potestas sit rectè à Deo ordinata, nempe ad compescendum deterrendunque homines ab operibus malis, non autem à bonis. Et propterea nemo bonus (vt ipse egregiè declarat) & iustus potest conqueri: quia nullus iustus subditur potestati: quin laudem potius habet ex illa. Etenim leges flagitiosis hominibus pœnas solummodo constituunt, & operibus malis. Principes autem legum exequutores sunt, vt ipsarum ministri, vindices in male agentes. Ergo non sub lege erit, nec sub principe quidem homo iustus, sed laudem referet potius rectè operans, & præmium. Quòd si nullum aliud, certè illud non paruam homini probo comparat gloriã, quòd nulla in eum animaduersio, nulla ex lege sæuit ira, vt sic probetur iustus. Et hoc est quod Apostolus viuis verbis explicat. Vnde iustificatur Deus in prouidentia sua, & corripiuntur impij, qui vt malè ac turpiter agãt, quæsitis coloribus subtrahere se student à potestate. Quamobrem rectè sequitur:

Ideóque necessitati subditi estote, non solum propter irã, id est, vindictam ipsam, *sed etiam propter conscientiam,* hoc est, quia ita iustũ esse conscientia dictat, agnoscens in hoc Dei prouidentiam & ordinationem, contra quam agere scelus est, & quàm maximum. Adiecit etiam rationem, cur hoc faciendum sit, necessariò cogentem, aiens:

Ministri enim Dei sunt. Quoniã ipsis tributa præstantur, quasi honoraria ministrorum: aliâs iniustè illa exigerent, quod non est dicendum. Hoc enim Apostolus vt rem certam sumit. Et ne quis prauè hoc quod ait, ministros Dei, acciperet: quia verius Dei sunt ministri illi, qui dispensant verbum & sacramenta, adiecit:

In hoc ipsum seruientes, videlicet, vt sint timori malis, & laudi bonis. Vnde non sunt huius officij incapaces, etiam qui verò Deo non seruiunt. Si secus dicamus, Nulla esset igitur, aut fuisset vnquam potestas inter paganos legitima: quod quidem est absurdum fateri, imò & contra euãgelium, & Domini vocem probantis reddendum esse Cæsari censum. Nec illud aduersus regnũ Christi est & euangelium, videlicet, si regnent etiã pagani super nos, postquam ita Deo placuerit propter iram contra peccata nostra: aut secundum alia sua iudicia, quæ sunt abyssus multa.

Cõtra principes vsurpantes sibi ecclesiasticam potestatem. Ex hoc autem loco agnoscant schismatici, siue ij principes existant, siue reges, qui ipsi sint, & quatenus eorum potestas extendatur, vt non supra modum super filios Dei, & potestates cœlestes semet ipsos inflantes extollant, cognoscentes de vsuris & matrimoniis, & aliis causis: & insuper audentes dispensare verbum & sacramentum, & instituere sacerdotes & episcopos, & suis impiis, & execrandis decretis diuinas omnipotentis Dei leges peruertere: quoniam ipsi in hoc ipsum tantùm sunt Dei ministri (testimonium dante Apostolo, quem tamen ipsi proferunt pro se contra se) vt exerant gladium in subditos sibi male agentes, & laude præmióque bonos afficiant. Ergo si seipsos inter oues Christi eius sanguine redemptas computant, audiant sui pastoris vocem, cui commendati sunt verbo Dei. Nam ei soli indistinctè dicitur, Pasce oues meas: non has, aut illas, sed oues meas ait. Hoc nulli regum terræ dictum est vnquã, sed soli Petro, quem sui loco relicturus erat Dominus ad regendum populum, quem sanguinis sui pretio creaturus erat, & in illo regnaturus per vitæ & sanctitatis puritatẽ sub noua lege spiritus. Ergo & eis similiter qui in Petri locum & cathedram succederent, ne Dei necessaria erga ecclesiã prouidentia vnà cum moriente Petro interiret. Hoc tamen non verentur asserere hæretici, verè viri Belial, qui omne Christi iugum conantur à se excutere. At quid magis consulum dici aut fingi posset statu Christiano, si nullum visibilem haberet in terris supremũ iudicem, qui assiduè emergentes causas dirimeret, quique ea quæ credẽda sunt indubitata fide, & quæ ad probos mores spectant, determinaret? Vide qua excusatione obtegere errorem suum studuit Saul, causatus populum, absente Samuele, dilapsum, vt sic immolare coactus fuerit. Vt inde capiamus quàm necessario Vicarium sui loco Christus prouiderit, ne populus sine capite rueret in omnem errorum confusionem.

Verùm subdubitabit aliquis, Quo pacto sint omnes terrenæ potestates à Deo, & earum exercitium, cum de quibusdam dictum sit, Ipsi regnauerunt, sed non ex me: principes extiterũt, & non cognoui. *Osee 8.* Et Dominus in euangelio, Principes Gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent, benefici vocantur. *Luc 22.* Nos autem diligenter debemus animaduertere, quòd terrena politia est de iure naturali: quia homo naturaliter est animal sociale. In omni autem societate requiritur vt sit lex, quæ ad conseruandam societatem disponat: & doceat quæ seruanda sint, & econuersò quæ vitanda. Et ad legis custodiam & exequutionem oportet etiam esse legem viuam, quæ est ipse princeps gladium portans, ac per ipsum gladium redigens cuncta (quãdo res ita postulat) per coactionem, & vindictam. Cum igitur à iure naturali sit regia potestas, consequens est vt & à Deo sit, à quo ius ipsum naturale egreditur, quod ratio naturalis docet, ac statuit.

Igitur potestatem esse à Deo ordinatam, planè cernitur. Quòd autem ille vel ille sit in potestate, hoc ab hominibus est. Et iccircò potest in hoc esse error, & malum, videlicet, vt indignus, aut minus idoneus erigatur in regem. At ipsa quidẽ potestas bona est: quia ad bonũ est, & propterea est à Deo. Quòd si illa homo abutatur in malum, hoc non est à Deo, sed ab hominis malitia, quam improbat ipse Dominus. *Potestas à Deo, electio personæ ab hominibus.*

Bene igitur Apostolus noster qui ait, Omnis potestas est ab ordinatione Dei. Et de his malis, qui indignè & non legitimè dominationem & potestatem sibi vsurparũt, verè ac meritò Dominus ait: Ipsi regnarunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui, id est, non probaui. *Quas potestates neget Deus suas se.*

De his autem qui potestatem habentes abutuntur potestate, & exercẽt illam veluti Domini, non vt reges, & non vt pastores, qui tãquam patres populi esse deberent, dixit Dominus, Principes Gentium dominãtur eorum: non quidem potestatem reprobans, sed abusum & exercitium malum, non cognoscentium ab ipso Domino ordinatas potestates, non ad dominium, sed ad ministerium.

Nam sicut parentes (vt diximus) deberent esse, & vt pastores. Vnde & olim reges pastores vocabãtur: & qui præcellebant, patres patriæ vocari gaudebant, probantes hoc nomine saltem id quod esse deberent, tametsi non essent.

At quoniam frequenter accidit, vt tyrannicè dominentur: ideo dixit Dominus, Principes Gẽtium dominantur eorum. Et Samuel Israelitico populo regiam legem, sæuitiæ ac tyrannidis fore plenam exposuit his verbis, Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis. *1.Reg.8.* Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruũ suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros & ancillas & iuuenes optimos & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Et clamabitis in die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis regem.

Verum hic subintrat quæstio: Nunquid Tyrannis huiusmodi, qui sibi iniustè vi, aut metu, vsurparunt imperium, parendum sit. Et itẽ possit ne quis detrectare edicta talium, aut interdicta?

Affirmationi videtur cõtradicere, quod in concilio Constañ. determinatum fuit, licet glossa defendatur, sed inepta. Et enim verba Concilij hæc sunt. Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quencunque vasallum suum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, &c. Hæc est positio quæ ibi damnatur. Nec in damnatione distinctio fit inter tyrannum & tyrannum, vt Caietanus commentus est: imo iuxta vim vocis, & communem eius atque vsitatam acceptionẽ, magis de tyranno vsurpatore regni deberet intelligi (quia hic verius est tyrannus) quàm de eo qui iustè obtinuit, licet iniustè se gerat. *An possit tyrannus impune occidi.* Certè si hæc distinctio fuisset digna quæ in considerationem venire deberet, non eam tacuissent Patres in eo Concilio.

Quare puto hanc opinionem esse noxiam, & seditionis parentem, & iam aliquando eiusmodi fructus quibusdam in locis peperisse.

In quæstione igitur proposita, cum non sit priuati iudicare de principibus, vtrum iure, an iniuria regnent: Et cum Dominus propter peccata populi faciat regnare hypocritam, vt ait scriptura, ita vt etsi ille non iustè imperet ex parte sua, iustè tamen sub eius tyrannide plectitur populus propter peccata propria: *Iob.34.* Et cum mandatum sit nobis indistinctè obedire principibus etiam dyscolis, id est, grauibus, & difficilibus, & hoc sancti viri fecerint & Dominus Iesus etiam in exemplum nostrum iis potestatibus humiliter sese subiecerit. *1.Pet.2.* Non dubito dicendum, etiam his parendum esse. Parendum, inquam, in iis tantum quæ non sunt contra Deum, id est, contra fidem, & fidei legem. Tunc enim illud B. Petri succurrat, Oportet obedire magis Deo, quam hominibus. *Act.5.*

Neque verò puto cuiquam priuato licere occidere tyrannum quemlibet, si in pacifica sit possessione sui dominatus, & sit armatus, & custodias habens regnet, ac metu gladij sit in pace, & populus ei honorem exhibeat. Nam cum Dominus tentaretur à Iudæis, liceret ne censum dare Cæsari, hoc argumento eorum malignitatem retudit Dixit enim: Ostendite numisma cẽsus. Et cum ostendissent: Cuius, inquit, hæc superscriptio? *Matth.22.* Et confitentibus illis esse Cæsaris, tanquam ex hoc illos conuicerit, dixit: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, Ac si dixerit. Vos cõfitemini ĩ publica moneta, quę erat exhibẽda procensu, Cęsarem esse vestrum in temporalibus principem, illi ergo date honorem & tributum, & cætera quæ illius sunt vestra confessione, Quòd si dixissent. Nos vi ac metu ista cogimur confiteri: respondisset Dominus. Agatis hoc cum illo, vt cũ iudice superiore. Non sum enim ego constitutus iudex super vos: quia regnum meũ non est de hoc mundo. Ad meas oues nunc est cura mea: de his quæ ad iura vestra spectant, aliud & alibi erit iudicium, & animaduersio. Et hæc satis nunc ad quæstionem propositam. Sequitur:

Reddite ergo omnibus debitum, &c. Constituta ergo rationibus potestate terrena, & ostensã iusta ratione exigendi tributa vt iustè debita, & cætera quæ debentur maioribus, & iis qui sunt in potestate, incipit hortari ad hæc dicens, Reddite ergo omnibus debitum. Hoc enim datur ob ministerium: quia princeps est Dei minister, vt & pœnis malos, & præmiis ac laude bonos afficiat. Et ob hoc meminisse debent principes officij sui, & vt id agant ad quod instituti sunt, videlicet, vt bonos laudent, & malos corripiant: & vt ob hoc ipsum tributa capiant, & non ad gloriam, & luxuriam superexcedentem, vt etiam plusquam oporteat exigant, & onerent subditos importabiliter. Vectigal enim iustè exigitur: quia non absque impensis secura itinera, & transitus à latronibus possunt immunes haberi, & alia prouideri, quæ ad quietem reipub. attinent, & ad decorem faciunt.

Vnde & hic videndum ab optimo principe, ne sint immodica vectigalia, & tributa: & vt hoc fiat, propter quod sunt inducta. Qua in re peccare, valdè graue est, tum quia in multitudinem peccatur: tum verò quia in pauperes. Neque enim vno tantùm modo committitur latrociniũ: imo insignes latrones maximè & plerunque (de malis loquor, & bonos semper cum omni honore excipio) sunt principes, qui cum iudicent & mulctent alios minores qui talia agunt, serio cogitare debent, se iudicem habere in cœlis qui videt omnia, & idem erit testis & iudex, & potentes potenter puniet, ac torquebit, ait scriptura. Timor etiam debetur superioribus, vt anima timeat nec insolescat. *Sap.16.* Animam dixit, non spiritum. Debetur & superioribus honor: & hic non tam principibus, quàm parentibus & maioribus. Siquidem principes loco parentum esse deberent. Et ob eam causam olim in repub. Romana, qui rectè, & ex pietate administrabant, Patres patriæ dicebantur. Porrò vt rem omnem tãdem absolueret Apostolus pulchrè dixit:

Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, Quodcunque enim debitum soluendo extingui- *Pro dilectione proximi.*

Universidad de Deusto Biblioteca

tur,excepto charitatis debito, quod quantò plus ſoluitur, tanto etiam contrahitur arctius & augetur magis:vt cui,multum amãdo beneféceris , etiã plurimum benefacere velit.Talis eſt amicitiæ cõditio & natura,vt cui magis debeas , etiam magis debere velis. Nam & dare & accipere beneficia, eſt amicitiæ conſeruatio & augmentum. Cõmendans autem dilectionem hanc,dicit:

Qui enim diligit proximum,legem impleuit.At quomodo, cùm etiam dilectio Dei , imò hæc potiſsimum exigatur, quandoquidem hoc eſt ſummum mandatum?Reſpondetur , Apoſtolum hic loqui de dilectione proximi ordinata, quæ eſt ad Deũ,
Cant.2. & propter Deum,ſicut ſcriptum eſt.Ordinauit in me charitatem. Vnde bene dicit,*Impleuit*, quia nõ ſatis eſt diligere Deum , niſi & diligas proximum propter ipſum . Conuincitur enim dilectio non plena,quæ ita terminatur in Deum , vt tantum in illo ſolo quieſcat . Sed illa eſt plena & impleta, quæ in ipſum proximum quoque extenditur propter Deum,quem verè ſe diligere multo magis oſtendit,vt debet.Nam ſi hoc propter illud, magis illud. Verùm quia erga Deum vix exercere poſſumus charitatis officia , cum longè abſit à viſu noſtro,& ipſe nullius indigeat:iccirco vt comprobaret dilectionem erga ſe noſtram,mandauit vnicuiquẽ de proximo ſuo,id eſt,vt proximo impendamus noſtri erga illum amoris debita officia. Vn-
1.Ioan.4. de & B . Ioãnes optimè dixit.Si proximum quem videmus,non diligimus, quomodo Deum quem non videmus,diligemus?Ac ſi dixerit. Dilectio oſtenditur,imò & nutritur officiis . Officia autem illi nequeunt exhiberi,qui longè à nobis abeſt.Igitur ſi Deum quem videmus in proximo non diligimus,quomodo illum diligimus in ſeipſo,qui remotiſſimus eſt à conſpectu noſtro?

Quòd autem ſit implementum legis , dilectio proximi,probat:quia quæcunque lex mandat, vt; *Non adulterabis,Non occides,&c.In hoc verbo inſtaurãtur*,id eſt,tanquam ad ſummam reducuntur, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*.Sed quæritur,Quãobrem ait Apoſtolus:Et ſi quod eſt aliud mandatum:quaſi neſciuerit,nunquid eſſet aliud.

Et cur omittit de parentum honoratione,quod erat primum ſecundæ tabulæ mandatum ? Et cur non ordinatè enumerat , quæ enumerat , ponens primo?Non adulterabis,& deinde: Non occides?

Et cur de prima tabula verbum nullũ?An(quæſo)primæ tabulæ reſoluuntur in dilectionem proximi,ac non magis in dilectionem Dei?

Porro, cur tanquam vno præcepto concludit, quę videntur duo eſſe,videlicet,Non concupiſces rem,&:Non concupiſces mulierem.Apoſtolus verò ait:Non concupiſces?

Reſpondeo ad ſingula:& ad primum. Cum B. Paulus non hîc vellet adamuſſim docere legis pręcepta,ſed obiter tanquam aliud agenti occurreret de his loqui , non curauit vel numerum ponere, vel ordinem.Et oſtendit ſe quaſi neſcire,quod nõ erat opus docere:nos hic ſuo exemplo docẽs,non eſſe omnia omni loco & tempore adamuſſim exponenda,quæ obiter differenti occurrunt : ſed ex his tantùm accipiendum , quantum ad rem propoſitam ſatis ſit.Et hoc contra illos qui in infinitum quæſtiones quæſtionibus annectere non ceſſant:& volunt ſingula minutatim expendere , vt lectorem confundant,quem per multas digreſſiones verè confundunt,& à re principaliter propoſita auertunt.

De parentum honoratione iam dixerat:Cui honorem,honorem.Quod verò cætera mandata recapitulari dixit in illud de dilectione proximi,ita accipiendum eſt, vt ſentiat de mandatis non primæ,ſed ſecundæ tabulæ. Vel etiam primæ tabulæ mandata quodam modo rediguntur ad dilectionem proximi,vt declarat B.Catharina Seneñ.De- *B.Catharina Senen. in dialogo ſuo.* nique concupiſcentiæ peccatum rectè diſtinguitur in duo præcepta,propter diuerſa obiecta quę concupiſcuntur,& faciunt diuerſas ſpecies concupiſcentiæ.Nam altera carnis eſt concupiſcẽtia,altera oculorum.

Denique concludit Apoſtolus,dilectionem proximi,ſeu proximo,iuxta græcam literam , malum non operari.Et quòd plenitudo legis eſt dilectio, *Quomodo plenitudo legis ſit dilectio.* ſicut declaratum eſt.Cui autẽ dubiũ,quod qui diligit proximum,non operatur malum? quia quodcunque malum excogitari poteſt,aut contra proximum eſt,aut in ſeipſum. Qui autem diligit proximum ſicut ſeipſum vt oportet,diligit Deum ſuper ſeipſum,& ſuper proximum,& omnia illi ordinata ſunt,vt non valeat operari malum , intelligendo ſub opere malo etiam contineri non operari quod bonum eſt.Non enim poteſt diligere proximum,qui ſeipſum non diligit. Nec ſeipſum poteſt diligere,qui Deum non diligit.Hoc enim ipſo quòd Deum nõ diligit,veriſsimè ſeipſum odit, quem tenetur poſt Deum diligere,& in Deo. Vide ergo quomodo plenitudo legis eſt dilectio.

Hic annotandum,perſpicuè intentionem Apoſtoli eſſe,hoc mandatum:Non concupiſces,impleri poſſe, *Præceptum illud:Non concupiſces,impleri poſſe.* quanquam ſecus aliquando doceat B.Auguſtinus,locum iſtum aliter quam oporteat , intelligens.De quo tamen alibi latius. Si enim hoc præceptum non poſsit impleri,quomodo verificatur quod ſuperius dixit, Chriſtum veniſſe,vt iuſtificatio legis impleretur in nobis?

Et hoc ſcientes tempus.Oportet hîc ſupplere,vt ſic intelligas .Et hoc , videlicet quod dixi : Nemini quicquam debeatis,niſi vt inuicem diligatis,debetis exequi & implere , non ſolùm propter ea quæ dicta ſunt,quæ vera ſunt: ſed etiam ſcientes tempus(καιρὸν græcè legitur)id eſt,temporis opportunitatem & occaſionem . Non enim omnia omni tempore æquè conueniunt . Tempus dormiendi noctè:tempus vigilandi,cum dies apparet . Vnde bene ſubditur:

Quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere . Hoc ergo ſcientes,id eſt, ſcire debentes ab ipſa nimirum lucis apparitione. Pro huius autem loci intelligentia ſciendum eſt , ſomnum metaphoricè ſæpe in ſcripturis intelligi, nec vno tantùm modo . Nam *Dormire quid ſit in ſcripturis.* qui mortui ſunt,dormire dicuntur,vt mors ſomni nomine intelligatur, ſicut dixit Dominus : Lazarus amicus noſter dormit:ſed vado vt à ſomno excitẽ eum . Mors enim hominum cum eiuſmodi non ſit, quæ totius hominis deſtruat compoſitũ, propter animam quæ immortalis eſt , & propter ſpem reſurrectionis corporis:& quia ſic dormientes operari vltrà non valent ad meritũ, rectè ſomno comparatur ſecundum fidem , quia veniet qui

ab hoc ſomno excitabit . Hic eſt qui & Lazarum excitauit,quinimo & ſemetipſum,qui & de ſe dixerat:Ego dormiui,& ſoporatus ſum , & exſurrexi,quoniam Dominus ſuſcepit me.Et in hunc modum ſomnus accipitur in veteri ſcriptura , vt cum
Pſal.126. dicitur:Cum dederit dilectis ſuis ſomnum.

Alio modo capitur ſomnus , & intelligitur reſpectu operarum,quæ à nobis in hac vita exiguntur ab ipſo Domino,vt idem ſit dormire,quòd nõ operari.Et contra,vigilare,idem eſt quòd operari.
Matth.25. In quo ſenſu nobis dicitur,Vigilate: quia neſcitis diem neque horã.Hoc enim verbo iubet vt operemur,ſicut & alibi exprimit : Operamini dũ dies
Ioan.9. eſt.Veniet nox quando nemo poterit operari. Ergo dormire dicuntur, qui non operantur præcepta Dei.Et ſiquidem hoc noctu agunt,minus malum eſt , propterea quòd excuſari poſſunt à defectu lucis.Sic enim fuiſſe in nocte dicũtur,qui præceſſerunt aduentum Chriſti veri Solis,qui & de ſe
Ibid.c.8. ait:Ego ſum lux mundi.Et in Sapientia cap.6 .loquuntur tales,Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.Ergo cum iam Chriſtus aduenit,non eſt hora noctis,ſed diei & lucis,ſi cum elapſo iam tempore conferatur . Olim erant figurarum & vmbrarũ plena omnia:quibus obtecta veritas,in his non elucebat.At poſtquam Chriſtus nobis ortus eſt,iã in reſurrectione ſua diluculum tempus venit , vt ſurgamus à ſomno pigritiæ & nequitiæ, & induamus veſtes verarum virtutum honeſtas & nuptiales.Lucis enim ſplendor,qui per euangelium corda noſtra illuſtrauit, vetat ne dormiamus vltra in operibus tenebrarum , ſed epulemur manducantes ſanctè cibum , qui roborat ad perfectam operationem . Manducãtes inquàm dignè,ne infirmi efficiamur & imbecilles,ac dormiamus , ſicut faciunt multi,teſte Apoſtolo.Bene ergo ſequitur:

De tempore gratiæ, liam vit. & alios mores poſtulant. *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus,&c.Nox præceſſit,&c.* Licet quidam legant; nox proceſſit,ſed rectè ſe habet;*præceſſit*. Et pro intelligentia ſciendum eſt, tria tempora eſſe diſtinguenda . Primum quod ante Chriſtum præceſſit. Secundum poſt Chriſti aduentum præſentis ſæculi.Tertium eſt futuri ſæculi.Primùm ergo tempus dicitur noctis:quia non clarebat tunc Sol veritatis & iuſtitiæ.Secundum verò duos habet reſpectus, alterum ad tempus quod præceſsit, alterum ad id quod ſequetur in futuro ſæculo.Si igitur conferatur cum priore tẽpore,reſpectu illius dicitur dies: & ita hîc accipit Apoſtolus . Si verò conferamus cũ futuro ſæculo, poteſt adhuc dici nox: quia lux iſta gratiæ , quæ nobis interim effulget,eſt inſtar tenebrarum reſpectu futuræ lucis in gloria , & illius luminis gratioſi & glorioſi . Vnde Dominus
Luc.2. hoc tempus per vigilias noctis diſtinguit.Et paſto-
1.Pet.1. res dicuntur cuſtodire vigilias noctis . Et B. Petrus ſermonem propheticum quaſi lucernę aſsimilat lucenti in caliginoſo loco , hoc tempus huius noctis adhuc indicans . Quare & hoc tempus rectè diluculo comparatur , quaſi de nocte aliquid, & de die ſimiliter participans.Videmus enim nũc
1.Cor.13. per fidem,& non per ſpem , ſed per ſpeculum in
Iob.7. enygmate aliquo.Vnde Iob ait:Viſitas eum dilu-
Oſea.6. culo,& ſubitò probas illum.Et Oſeas: Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius:Ideo rectè ait, Apoſtolus:

Nunc, id eſt, quando apparuit gratia Dei in Filio ſuo , *propior eſt noſtra ſalus,quàm cum credidimus*. Cœpit enim aliquo modo Iudæis appropinquari ſalus,cum cœperunt credere Meſsiæ venturo , & gloriabantur dicentes: Nulla eſt tam grandis natio,quæ habeat Deos appropinquantes ſibi , ſicut Deus noſter adeſt nobis . At nondum erat tẽpus veræ & perfectæ appropinquationis per fidem, & vberiorem gratiam,ſed quando clamare cœpit magnus Pręcurſor:Appropinquauit regnum Dei. *Matth.3.* Et ipſe etiam Chriſtus,& Apoſtoli ipſi idem prædicarunt:& ſic expanſum eſt illuſtriſsimum in toto orbe euangelium.Tunc nox præceſsit , id eſt, euanuit:tunc dies appropinquauit , quia (vt diximus)in diluculo erat.Nõ igitur vera nox, ſed nec adhuc perfectus dies: ſed expectatur poſt hoc ſæculum.Eſt nihiloſecius tempus ſurgendi à ſomno & operandi appoſitum & commodum. Vnde cõgruè ſequitur,

Abijciamus ergo opera tenebrarum. Opera tenebrarum ſunt opera ignorantiæ,& peccati.Nam tenebræ dicuntur ignorantia,& peccatum.Opera tenebrarum ſunt etiam opera malorum dæmoniorũ, & peruerſorum hominum,qui & ipſi vocantur tenebræ.Sicut dixit Dominus,Hæc eſt hora veſtra, *Luc.22.* & poteſtas tenebrarum.

Et induamini arma lucis . Arma lucis ſunt fides, ſpes,charitas,vigilantia,perſeuerantia,& huiuſmodi.In his enim honeſtè ambulamus ,*ſicut in die*, id eſt,decenter,quemadmodum exigit ipſum diei & lucis tempus.Multa enim fiunt nocte licitè , quæ facilè condonantur propter temporis conditionem.Induetur homo nocte veſtibus vilibus, fortaſsis & laceris,quibus illum puderet vti illucente die.Et ob eam cauſam cum dies ſuccedit,ſumit elegantiores,nitidiores, & pretioſiores.Sic enim ſeruatur honeſtas,& perſonæ decorum.Talis erit homo nouus in Chriſto,ſcilicet,indutus veſtibus nuptiarum,id eſt,clarioribus virtutibus fide,ſpe , & iuſtitia perfecta:quia dies eſt.Et his veſtibus honeſtè ambulabit: quoniam honorabilis eſt ſponſus, & amat ſponſam , in qua iam non ſit macula neque ruga.Habet enim ille diuinus Sponſus elegantes ſecum formarum ſpectatores, nimirum Angelos,qui neſciunt noctem,& nocturnas abominantur inhoneſtates.Alibi etiam Apoſtolus dicit eleganter in hunc ſenſum:Qui dormiunt, nocte dor- *1.Theſſ.5.* miunt:& qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Perinde ac ſi dixiſſet , eos qui decenter & honeſtè dormiunt,nocte ſolitos eſſe dormire . Nox enim ad quietem & laboris remiſsionem ordinata eſt , Et ſimiliter qui ſunt,ebrij honeſta ebrietate,ſunt nocte ebrij,non die.Nos autem qui diei ſumus , ſobrij ſimus,induti loricam fidei , & galeam ſalutis. Hæc enim ſunt arma lucis.Vnde proſequitur declarans opera tenebrarum:

Non in comeſſationibus.Græcè κώμοις, id eſt, ſuperfluis conuiuiis. Comos enim deus erat temulentiæ.*Et ebrietatibus*.Hęc ſunt opera noctis,quæ & in noctem peccatorum inducunt,videlicet, exceſſus in comeſtione & potu , cui rei multum ſeruiunt aſsiduè epulantes & ebrij , quos hic notat Apoſtolus.Et quia hinc ſequuntur cæteræ libidines,bene ſequitur:*Nõ in cubilibus & impudicitijs*.Et quia opera tenebrarum & carnis ſunt etiam ad contentio-

Universidad de Deusto Biblioteca

nes, & æmulationes, & ipsi in huiusmodi tũc passim peccabant, rectè & opportunè addit. *Non in cõtentione, & æmulatione*, vt hinc accipiat occasionem sequentis exhortationis.

Sed induimini dominum Iesum Christum.

Hic opponit omnibus tenebrarum operibus indumentum domini Iesu. Qui enim induit illum, omnia quę sunt veteris hominis exuit, & quæ sunt noui induit. Hęc indumenta sunt heroicæ summę virtutes, lucidæ & conspicuæ, tum quia Dominũ ipsum respiciunt oculo alto ac sublimi: tum etiam quia & ipsum proximum. Qui enim Christum induunt, lucem induunt, & lux fiunt aliis ad rectum iter mandatorum Dei.

Et quia posset quis dicere: Ita ne debemus prorsus spernere corpus nostrum, nec illud tueri? Aut negligere pariter propagationem debemus: quia dicit non in cubilibus? Absit. Sed audi quid adiungit. *Et carnis curam ne feceritis in desideriis*, siue cõcupiscentiis, id est, nolite tueri ac curare carnem, ita vt erumpat illa contumax in concupiscentias improbas. Ac si dixerit, hactenus curandam esse, quatenus sobrietas patitur, & cuiusque status conditio, vt scilicet seruiat caro spiritui, spiritus autem Deo.

CAP. XIIII.

INfirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationũ. Alius enim credit manducare se omnia. Qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducãtem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem: Potens est enim Deus statuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit: & qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. Et qui non manducat: Domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim, Viuo ego dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Ita vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

INfirmum autem in fide, &c. B. Paulus hoc in loco ad eorum contentiones descendit, quę ab improbis & pestiferis procedebant æmulationibus, dum non rectè conuenirent Iudæi & Gentiles, sed alteri in alteros inflarentur aut spernendo immisericorditer, aut iudicando insipienter, superbè autem ex vtraque parte. Erant enim Gentiles qui credebant, id est, ex fide reputabant (Ideo est vox græca πιστεύει, id est, credit) manducare omnia, id est, credit non esse in fide Christi vllam ciborum discretionem, vt alius esset immundus, alius verò mundus. Et verè nulla est discretio: quia omnis creatura Dei munda. Nam munditia & immũditia à duobus esse potest, Aut natura, Aut prohibitione. Non quidem natura, cum omnis creatura Dei bona sit. Non vlterius prohibitione: quia iam lex in huiusmodi quæ erant elementa & vmbræ futurorum, cessauerat, & locum dederat Christo, qui potest mundare omnia, quod lex non poterat. Sed non omnes habebant hanc scientiam. Ideo & tunc erant infirmi in fide qui metuebant, vbi omnis timoris cessauerat ratio: & volebãt semper manere in legis lacte & elementis. Quare à multis ciborum generibus abstinebant, eos discernentes iuxta legis præscripta. Et ij manducabant olera, Vnde spernabantur à Gentibus tãquam insipientes, & qui nescirent fidei veritatem. Illi verò contra iudicabãt Gentes quasi legis temeratores, idque imperitè, cum lex suum vigorem iam amisisset. Quamobrem Apostolus occurrens huiusmodi disceptationibus, Primò satagit, vt succurrat infirmo in fide ne contemnatur: quia Dominus nõ contemnebat illum. Ideo ait:

Pro pace ecclesiæ tolerandos esse infirmos.

Infirmum autem in fide assumite, aut suscipite, vt legit B. Augustinus, siue sustentate misericorditer. Tales debemus esse in illos, qui infirmi sunt in fide. Non enim extra fidem sunt, qui licet veritates fidei non omnes habeant, tamen quæ sunt manifeste determinata recipiunt. Firmitas autem fidei intelligitur secundum intensionem in corde, qua suscipiuntur credenda. Talis fuit fides Abrahę, qui contra spem in spem credidit plenissimè persuasus de omnipotentia Dei. Vnde qui est infirmus in fide secundum intensionem, etiam plerunque est secundum extensionem, eorum videlicet quæ credenda sunt secundum veritatem. Nam fides parum intensa intus (quia caret luce monstrante limpidè veritatem) non facilè ac benignè admittit omnia quæ proponuntur, sed oportet captiuare intellectum: cuius rei non indigent qui fide pollent, & iam firmi sunt. Nam ij penè vident quæ credunt & facillimi sunt ad credendum omnia: quia in eis est dilectio Dei, quæ abiicit affectus inordinatos, vnde & clarius lumen habent interius. Propterea & de charitate dicitur, quòd credit omnia.

1. Cor. 13.

At Iudæi illi suiipsorum & suæ Gentis amantes, aspergebantur tenebris huius affectus, & infirmi erant adhuc in fide, non tamen omnino reprobi, sed tolerati ad tempus in sua infirmitate, assumendi à Deo. Itaque suscipiendi erant ad tempus, & non spernendi, quoadusque securis ad radicem poneretur, id est, donec perfecta fieret determinatio ab Apostolis, & per illam abscisio illorum foliorum legis, quæ sine fructu erant & succo verita-

tis. Et ideo prohibet ne illi veniant in diiudicationes disceptationum. Quilibet enim diiudicabat veritatem esse in parte sua: vnde contẽtiones oriebantur, quæ Christianos minime, & potissimum initio nascentis ecclesiæ, decebant. Quamobrem admonet Apostolus, vt Gentilis manducans non spernat Iudæum non manducantem. Et non manducans Iudæus Gentilem manducantem non iudicet: quia Deus assumpsit illum vt filium per euangelium in Christo. Assumpsit autem inserendo in oliuam bonam, & in radicem nõ legis, sed patriarcharum & Abrahæ fidelis, in quo velut in typo fides incœpit. Fide enim ab initio iustificatus est, & non ex operibus legis. Vnde & in gratiam christianæ tranquillitatis & concordiæ, quæ inde perturbabatur, excandescens, rectè corripit temeritatem iudicantis, & ait:

Reprehenditur iudiciũ Iudæorum in Gẽtes.

Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Vt ostendat non solùm peccatum falsi, sed etiam illegitimi iudicij, vt pote ab eo, ad quem iudicare nõ attineat. Ideo dicit: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum cum non sis pastor, aut dominus eius: ac propterea non tibi stet aut cadat, sed domino suo? Græcè legitur proprio Domino. Hic est Christus Creator noster ac Redemptor, cui stamus, & cadimus. Potest autem, imo & præcepto euangelico obligatur, frater fratrem admonere & corripere, sed fraternè & modis debitis, & nõ vt superior etiam iudicare. Sed ne videatur Apostolus concedere in ea libertate manducandi esse peccatum, addit:

Stabit autem: Potens est enim Deus statuere illum, siue stabilire. Nota vt à potentia concludit effectum. Et benè consequitur penes Deus tamen, vt quod potest facere, etiam faciat, quoad beneficentiam & misericordiam pertinet, quãdo ex parte nostra non ponitur obex, aut res non sit per se indecens. Sic & superius argumentatus est de Iudæis, quòd si non permãserint in incredulitate, & ipsi inserentur. Id autem quamobrem? quia, inquit, potens est Deus inserere illos.

A legis veteris obligatione absoluuntur Christiani, non à luctu euangelico.

Annotandum est autem hoc in loco, ea quę dicit Apostolus hic & alibi de cibis, malè seruire hęreticorum ventri & ingluuiei, qui abstinentiam & omnem ciborum delectum prætextu carnalis suæ libertatis improbant. Non enim Apostolus quenquam à Christiano luctu soluit, sub quo ieiunia continentur: sed solummodo ab obseruantia veteris legis, & ne dicatur vllus cibus immundus. Nam per Christum cuncta sunt munda, si modo qui manducat fuerit mundus. Verùm alia quæstio est de abstinentia & luctu, quem qui non probãt, statum veri Christiani improbant, & crucis Christi nolunt esse participes. Et qua tandem frõte sperabant se posse æternæ consolationis esse participes? Ipsemet enim Dominus dixit: Beati qui lugẽt, quoniam ipsi consolabuntur.

Nam alius iudicat diem inter diem, &c. Apostolus prosequitur eandem exhortationem, adiungens alium casum, quòd quidem iudicabant diem ad diem. Et quidam iudicabant omnem diem. Est enim propositio casus qui accidebat, & non redditio rationis superioris dicti. Vnde græcè non legitur. *Nam alius*, vt videatur cõnecti superiori dicto, tanquam redditio rationis, sed legitur. *Alius quidem iudicat, &c.* Iudicare diem ad diem erat censere aliquem diem alij diei præferendam suapte natur. v.g. Iudicabant sabbatum, & alias legum solennitates, & neomenias, & quæ legis erant onera etiam libertate Christi iam exorta, perpetuo seruãda esse & portanda, ac si serui perpetuò futuri essent, & nunquam liberandi per Christum. Hæc tamen eorum fides similiter & error, ad tempus fuerunt illis permissa, vt non præcipitarentur qui erãt infirmi in fide. De qua tamen re conqueritur Apostolus ad Galatas. Dies (inquit) obseruatis, & menses, & temporá, & annos, videlicet, in lege præscriptos. Sed hoc dicebat Gentibus: quoniam etsi ad tempus tolerati sunt Iudæi, qui hæc seruari debere putabant, excusante illos consuetudine ac lege: Ipsæ tamen Gentes non erant tolerandæ in eo, à quo paulò post erant ablactandi Iudæi, sed nondum tempus maturum aduenerat statuendi, & decidendi hanc veritatem, ne multi eorum adhuc infirmi in fide inciderent in scandalum, & perderentur.

Quid est diem inter diem iudicare.

Galat. 4.

Vnusquisque in suo sensu abundet. Hanc B. Pauli admonitionem ad sedanda vtriusque partis dissidia, quidam ineptè intelligentes, crediderunt factam vnicuique ab illo circa hoc liberam potestatẽ statuendi quod magis placeret, & sic in sua deliberatione permanendi: imo vt abundaret quilibet in suo sensu, id est, abundantius hæreret. Et hoc intelligendum esse in iis quæ ad fidem non spectãt, docuerunt. Sed hoc longè abest ab apostolico spiritu, vt talia scilicet moneat quæ duritiam pariunt, & sunt ad confirmationem falsitatis, & contentionum præbent fomenta: cum econtrariò præcipiatur. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Et præterea, Ista quæstio in re proposita, erat de pertinentibus ad veritatem euangelij, & sic ad fidem per se: licet nõdum exigeretur à Iudæis vt res fidei propter infirmitatem eorum.

Prou. 3.

Igitur alia est expositio, nimirum debere vnunquenque in suo sensu abundare in gloriam Dei, videlicet, vt quod credit, ad Dei gloriam illud ordinet. Mihi aliquando, antequam græca consuluissem, non displicuit hic sensus, vt videatur Apostolus ita admonuisse, non quidem vt quisque retineret sensum suum, sed vt manens in suo sensu abundaret, videlicet, charitate in proximum ad ædificationem, non ad destructionem, ne per contentionem vinculum charitatis solueretur. Et hoc est abundare apud B. Paulum, vt vbi ait: Quoniã æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite vt abundetis.

Quid sit in proprio sensu abundare.

1. Cor. 14.

Hic quidem sensus in se est vtilis in morum disciplina. Sed aliud profectò hoc in loco sensit B. Paulus: quia nullum hic verbũ legitur, quo significetur abundare, sed positũ est πληροφορείσθω, hoc est, satisfaciat, aut cõfidat, seu plenissimè persuasus sit. Nam & interpres supra, cum de Abrahæ firma fide loqueretur Apostolus, verbum πληροφορηθεὶς vertit plenissimè sciens.

Hic ergo verissimus est huius loci sensus, quòd quilibet qui in sensu suo manet, ita debet manere, vt reuera sit persuasus, & satisfaciat saltem sibiipsi hoc est, vt videat ne zelo nimio, & contentionis studio velit custodire positionem ad victoriam: & ne coram aliis ferat confusionem ignorantiæ, ea pertinaciter defendat, in quibus tamen sibiipsi nõ

Universidad de Deusto Biblioteca

ſatisfacit.Nam vt quidam rectè ait:Leuis eſt ei cõſolatio,qui in ſemetipſo conſcientia teſtè confuſus eſt,licet ab aliis ignoretur. Nam & ſcietur aliquando cum maiore confuſione,& fortaſsis iam ſcitur à pleriſque.Oportet ergò vt qui vult cuſtodire ſententiam ſuam in ſuo ſenſu, verè ſic ſe habeat intus in conſcientia, vt ſit certus ſe ſimpliciter ambulare.Cui ſi aliquando patuerit veritas,ſit paratus decedere de ſententia, & oblatam amplecti veritatem.Et in hoc interim ſatisfaciat ſibiipſi id eſt,conſcientiæ ſuæ,certò ſciens id quod tenet, apparet ſibi verum, etſi fortè ſit falſum. Id enim interdum ſiue per humanam ignorantiam ac tenebras, ſiue propter rei difficultatem & obſcuritatem non licet diſcernere. Qui igitur ſic errat non affectatè nec pertinaciter, ſolummodo falſus colore veritatis (quia hoc humanæ conditionis eſt) dignus eſt venia.Quis enim tanta vnquam fœlicitate præditus nominari potuit, ſeu etiam poteſt, qui in nullũ ſit lapſus errorem?Autores ſacræ ſcripturæ ſemper excipio. Id ergo vigilanter quiſque attendat,ne adſit malitia,aut ſtudium contentionis,& cupido glorioſæ:& ſe huius animi eſſe certitudinem habeat.

Quid obſeruandum ſit in diſceptationibus circa theologicas quæſtiones.

Et hic eſt elegãs & pulcherrimus Apoſtoli hoc in loco ſenſus,quem vtinam amplectaremur omnes. Non equidem eſſent tot opinionum turbæ, non tot contentiones, quæ chriſtianam charitatem,ſi fortè non ſcindunt,certè non parum diminuunt. An non quod Patrum noſtrorum multis lachrimis ac ſudoribus ædificatum eſt, huius inobſeruantia præcepti labaſcit,& in interitum tendit?Vtinam hoc verùm non eſſet plus ſatis. Nam quanta ſunt diſsidia nata in eccleſia ob iſtum zelum?Et quot ſectæ propter varios à ſingulis ordinibus ſelectos doctores? Inde Thomiſtæ,& Scotiſtæ præcipui vigent, qui aluerunt acres inter ſe controuerſias,dum plus valet Doctoris apud vnũquenque,quàm veritatis autoritas,& eccleſiæ ſanctæ perſeuerans diuturnus vſus. Nam de immaculata cõceptione immaculatæ Virginis Matris Dei & aliis huiuſmodi, quot exorta ſunt ſcandala in eccleſia Dei?Et vtinã finis aliquando. Ergo vt per omnia confirmetur hęc exhortatio,ne ſenſuum diuerſitas diſsidiũ pariat charitatis,addit ſuaſionem ex dictis,& ait:

Qui ſapit diem,Domino ſapit.Et qui manducat.Domino manducat.In græcis legitur etiam illud. Qui nõ ſapit,Domino non ſapit. Et commodè quidem. Similiter:Qui manducat,Domino manducat. Et ſic econtrario:Qui non manducat, Domino non manducat. Nam quiſque gratias agit Deo. Diximus diem ad diem iudicare,non eſſe aliud, quàm diem ſuper aliam diem eſſe obſeruabilem ſua nobilitate ac dignitate. Idem eſt etiam ſapere diem, id eſt,probare & præferre.Et manducare, nihil aliud eſt,quàm putare liberè poſſe ſumi quemcunque cibum,etiam à lege antiqua vetitum. Senſus ergo eſt:

Qui ſapit diem,id eſt, probat obſeruantiam dierum,*Domino ſapit*,hoc eſt,propter Dominum obſeruat,tanquam ſeruiens Domino, putans in hoc ſe obſequium præſtare Deo.Et ſimiliter accidit in manducantibus:quia Domino,id eſt,propter Dominum quilibet id agebat,cum gratias ageret. Et hoc Apoſtolus ponit eſſe vniuerſaliter apud illos, quid ex debito debere eſſe prædixerat,& quod inuicem quiſque debebat eſſe perſuaſus de altero. Quo ſtante, meritò ceſſare deberent contentiones:quia vnuſquiſque in vnum tendebat,id eſt,in laudem Dei, & parũ intereſſet (donec fert Deus) an quis obſequatur illi vno modo,an verò alio, ſi tamen putat certo modo ſeruiens gratiorem ſe illi fore. Omnia tamen abſque proximi offendiculo agat.

Nemo enim noſtrum ſibi viuit,& nemo ſibi moritur,&c.Quia nullus eſt iam ſuæ poteſtatis ſuique iuris poſtquam redemptus eſt à Chriſto, vt teſtatur etiam alibi Apoſtolus: Empti enim eſtis pretio magno,& non eſtis veſtri,&c. Vnde non ſibi debet viuere,nec ſibi mori,id eſt, ſuo arbitrio in cõmodum ſuum,& in gloriam ſuam.Loquitur enim de corporis vita & morte:quia Dominus,vitę noſtræ & mortis noſtræ eſt Dominus.Illius enim ſumus ſiue viuentes, ſiue morientes. Nam in hoc Chriſtꝰ reſurrexit,vt dominetur viuis & mortuis. Non eſt factus ille Dominus ſolummodo viuentium,ſed mortuorum:quia regnum eius æternum eſt,& ſuper omnes.

Sed quomodo dicetur Dominus mortuorum & viuorum,cum Chriſtus ipſemet in euangelio dixerit:Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium? *Luc.20.* Reſpondetur,quòd Dominus Deus benedictus non poteſt eſſe Deus mortuorum,id eſt, eorum qui perfecta morte eſſent mortui, id eſt, ſecundum animam & ſecundum corpus,vt putabãt hæretici. Nam mortui vox in ſcripturis eſt valdè æquiuoca, iuxta variam hominum acceptionem. *Mortui vox æquiuoca in ſcripturis.* Vnde dicit Dominus,Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.Non obſto etiam, ſi quis mortuos eos intelligat,qui cum Chriſto per baptiſmum mortui ſunt: quia iam illi non viuunt, ſed viuit in eis Chriſtus. Alij autem dicuntur viuere, qui adhuc ſunt in ſuæ carnis poteſtate,qui ſimiliter & Chriſto viuunt,qui & viuis & mortuis dominatur. Et enim viuentes & moriẽtes acquiſiuit,ita vt & qui viuunt, Domino viuant ad eius gloriam, ſed alio modo quàm illi mortui, qui crucifixerunt carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis ſuis, vt ait ad Gal.

Cum verò notum eſſet,quoſdam eorum nõ ambulare ſecundum hanc doctrinæ formam, ſed ex Iudæis erant,qui iudicabant arroganter & imperitè Gentiles: & ex Gentibus qui ſpernebant immiſericorditer Iudæos infirmos, ideo aduerſus omnes addit? *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus,&c*. Et pro hoc affert ſcripturam dicentem, *Viuo ego dicit Dominus,&c*. Verba autem ſcripturæ pulchra ſunt admodum, & Apoſtolicam de Chriſto doctrinam confirmantia,apud Iſaiam. *Iſa.45.* In metipſo iuraui,Egredietur de ore meo iuſtitię verbum,& non reuertetur: quoniam mihi incuruabitur omne genu,& iurabit omnis lingua. Apoſtolus dixit:Viuo ego dicit Dominus,in Iſaia:In metipſo iuraui.Expreſſit enim Apoſtolus iuriſiurandi modum,quo Deus vtitur in ſcripturis. Item quod Iſaias dixit: Et iurabit omnis lingua per nomen meum.Apoſtolus dixit: Confitebitur Deo, nimirum ipſi Chriſto. Quia iuramentum eſt ſpecies

cies confeſsionis diuinæ,& ſub religione comprehenditur. Cur igitur omnino prohibent iſti hæretici iuramentum,cum in prophetia ſit,quòd per illud confitemur ipſi Deo? Licet enim ipſe Pater loquatur dicens. Egredietur de ore meo Verbum iuſtitiæ,id eſt, Chriſtus iuſtitia noſtra, & non reuertetur, id eſt, non ceſſim ac retrorſum redibit abſque fructu: quoniam mihi incuruabitur omne genu. Id enim erit ante tribunal Chriſti: quia qui curuabũt ſe ante Chriſtũ,etiam ante Patrẽ ſe curuabũt,Quandoquidẽ tunc clarificabitur à Patre in cœlis,ſicut ipſe clarificauit Patrẽ in terris.Et vnuſquiſque,videlicet eorũ qui priuati ſunt, nec gerũt perſonam intendẽtis vel ſpeculatoris,vt ſunt prælati & magiſtri,reddet ante tantum tribunal de ſe rationem.Prælati autem & de ſe & de aliis qui illorum regimini ſubiiciuntur. Quod ſi diligenter perpenderent hodie multi,non tanta facilitate (ne dicam ſimonia & ambitione, per fas & nefas) ad eccleſiaſtica ſacerdotia irruerent nulla ratione habita ætatis,eruditionis,probitatis vitæ atque integritatis,quæ tamen ſumma in iis qui præſunt pro dignitate gradus neceſſariò exigitur. Itaque cõpeſcit vnũquẽque Apoſtolus,ne propter conſeruum & confratrẽ nimiam curã ſuſcipiat,& ſupra quàm deceat.At quãtum,obſecro,hac in parte peccatur, cum reperiãtur non pauci qui ſolicitè curant aliena,& quæ ad ſe minime pertinent: propria verò miſerè negligunt. Porrigit ergo huic malo remedium Apoſtolus,& ſubiungit:

Non ergo amplius inuicẽ iudicemus. Sed hoc iudicate magis,ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.Scio,& cõfido in Domino Ieſu,quia nihil cõmune per ipſum:niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi cõmune eſt. Si enim propter cibũ frater tuus cõtriſtatur: iam nõ ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt enim regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto placet Deo,& probatus eſt hominibus.Itaque quę pacis ſunt, ſectemur:& quæ ædificationis ſunt,inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcã deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini qui per offendiculum mãducat.Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes penes temetipſum, habe coram Deo. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducauerit damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Non ergo amplius,&c.Concludit ex dictis B.Paulus,non debere illos vlterius mutuis iudiciis rixari,quoniã hoc eſſet iudicare de ſecretis cordis: Sed vt illud potius iudicent,hoc eſt, rectum cenſentes probent,ſeu conſtituant, non eſſe ponendum fratri offendiculum,aut ſcãdalum.Offendiculum eſt, quo aliquis in via detinetur, ne vltrà progredi valeat.Et ſcandalum, quo offendentes ſæpe cadunt. Qui enim ſpernit,ponit offendiculũ:quoniam qui ſpernitur, triſtitia afficitur: vnde ſæpe retrahitur à ſeruitio Dei,ac per hoc ſæpe corruit,ita vt offendiculum vertatur ei in ſcandalum.

Contra Gẽtes quæ ſpernebant infirmos Iudæos.

Verùm ne taceret quod erat ſecundũ veritatem: quò aliqui ex illius teſtimonio errorem recognoſcerent,& ita non paterentur offendiculũ,aut ſcandalum,dixit:

Scio & confido in Domino Ieſu,id eſt,perſuaſum,ita vt fidenter valeam dicere in Domino Ieſu: quia in eo certior factus ſum. Aut, quia hæc fuit virtus Ieſu videlicet,mundificãdi omnia. Certus inquam ſum, *quòd nihil commune eſt per ipſum*,melius *per ſe*.i. ſuapte natura nihil eſt immũdum. Id enim eſt hic commune quod immundũ,prophanum,non ſanctum. Quoniã omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.In latinis legitur,Nihil cõmune per ipſum, videlicet,Ieſum, qui mundauit omnia. Sed priori ſenſui magis congruit quod ſequitur.

Niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.Ac ſi dixerit,Per ſe quidem & ſuapte natura nihil eſt commune,ſed exiſtimatione fit commune: quia error conſcientiæ facit legem erranti. Quod enim putat quis eſſe contra Deum, & facit, peccat:quia quod ex ſe eſt, paratum ſe oſtendit facere cõtra Deum,quo animo iniquus conſtituitur. Addit etiam,vt ſuadeat non eſſe in huiuſmodi infirmitate ſpernendum fratrem: quoniam non is ambulat ſecundum charitatem, qui fratrem triſtitia afficit:quia firmum membrum infirmo membro triſtitiam inferre non ſolet, ſed blandè palpat & fouet. Adiecit potentiſsimam atque efficaciſſimam perſuaſionem,inquiens:

Error conſcientiæ peccatis parit.

Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Chriſtus mortuus eſt.Ac ſi dixerit:Non facis aliquid magnum, ſi per modicam abſtinentiam cuiuſpiam cibi curas obſequi fratri tuo,cum tanti fuerit ille apud Chriſtum, vt non dubitauerit ipſe pro eo mortem oppetere. Perdebatur autem Iudæus infirmus,ſi Gentilis coram Iudæo vſus eſſet ſua libertate comedendi ſine diſcretione.

Primò quia ob hanc iniuriã ſeparabat ſe Iudæus à communione fidelium, & blaſphemabat Chriſtum cum ſua eccleſia,& ita peribat. Tũ verò quia ex ipſa contentione naſcebatur apud eos,qui foris erant,occaſio deridẽdi eccleſiam,in qua eſſent huiuſmodi diſſidia,& ita blaſphemandi Chriſtianam doctrinam,ac legem:ideo adiecit,

Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum,præcipiẽs ne detur occaſio iis qui foris ſunt, blaſphemandi bonum noſtrum.i.bonum eccleſiæ commune, quod eſt Chriſtus,& per illum ineffabilia Spiritus ſancti dona. Vel bonum noſtrum.i.euangelicam doctrinam,quæ per contentiones Chriſtianorum, dum alius quidẽ vnum,alius itẽ aliud ſentit & prędicat, vituperatur nõ abſq; blaſphemia,cum ſit doctrina

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei. Et ideo magnum est prælatorum peccatum, qui suo pessimo exemplo dant occasionem hæreticis & schismaticis contemnendi, & blasphemandi ecclesiam Dei. Et ne quis diceret quòd in abstinendo, vel non abstinendo consisteret salus & regnum Dei, respondet:

Non est enim regnum Dei esca & potus. Et hoc est quod aliàs aliis verbis declarauit, dicens: Esca autē non cōmendat nos Deo. Neque enim si non manducauerimus, videlicet, amittemus gratiā Dei. Neque si manducauerimus, abundabimus. Voluit ostendere quòd non in iis de se consistit regnū Dei, quæ sunt adminicula vel ad bonum, vel ad malum ob circunstantias, & finem ipsum: & ideo nisi sint præcepta ab ecclesia, manent inter indifferentia. Sunt enim hæc iudicanda secundum charitatem, quæ ædificat: & item secūdum ea quæ inde sequuntur, vt sic censeantur vel bona, vel mala. Nam hoc est regnum Dei, videlicet, 1.Cor.8.

Iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Per iustitiam intellige legē charitatis. Hæc est enim perfecta iustitia, vt recte ait B. Augustinus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Alibi Apostolus dixit, quòd fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax, &c. Hic ergo dicit iustitiam pro charitate. Neque potest esse sine gaudio charitas: quia spem secum habet possidēdi dilectum, quem hic videt oculo fidei, vnde pax in corde gignitur. Sic enim gauisi sunt discipuli viso Domino. Audierunt enim: Pax vobis. Diffusa est (vt diximus) diligenti Deum ipsa charitas per Spiritum sanctum in habitantem in nobis. Porrò magna est differentia inter gaudium & gaudium, & inter pacem & pacem. Est gaudium & pax ex mundo, & est ex Deo, & Spiritu sancto. Ac tātò hæc pax & gaudium perfectius, quanto præstat carni Spiritus, & terrenis supereminēt cœlestia. Apostolus ergo vt idem sua deat, in esca & potu non consistere regnum Dei: quia iis vtimur ad charitatem Deo ostendendā tanquam instrumentis, adiecit commodissimè. Gal.5. *Gaudij & pacis differentiæ.*

Qui enim in hoc seruit Christo. In iis, inquit, quæ pertinent ad proximi ædificationem, vel confirmationem, obsequendo illi. Et dicitur seruire Christo: quia ecclesia tota Christus est. Et ob eam causam græcè preponitur articulus, Christo. Cum ergo seruiens & ministrans Christo, placeat Deo, iam optimè sequitur & ex ordine, quòd faciens in gratiam proximi (quod est infirmari cū illo obsequij gratia) *placet Deo*, Ipse enim Deus misericordiam vult, & non sacrificium. Et Christus dixit: Volo Pater, vt vbi ego sum illic sit & minister meus. Et alibi: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vnde concludit egregiè: Matth.9. Ioan.17.

Itaque quæ pacis sunt sectemur, &c. Vt non destruatur opus Dei, quod est ipsius ecclesiæ constructio, propter escam, id est, propter obseruationes illas, quæ circa escam sunt, vel edendo, vel abstinendo. Non enim propter escam ecclesia est, sed esca propter ecclesiam. Et ne quis obiiceret, An non mihi licet manducare? An non Christus mundauit omnia? Cur igitur libertas mea perire debeat propter stomachum fratris? Respondet. Verè omnia sunt munda. Et hac consideratione tibi manducare licet. Verùm quia manducando hæc munda, contingit fratrem tuum infirmum offendi, pro quo Christus mortuus est, malum tibi redditur manducare ista, tametsi mūda: quia tu non misereris fratri tuo infirmo. Quamobrem bonum redditur non manducare carnem, & non bibere vinum: neque quid aliud in quo frater offenditur, vt sic desistat ambulare in via Dei. Aut scandalizatur, vt sic cadat & ruat. Aut infirmatur, vt propterea tepidè prosequatur iter, quod cepit in Christo. Et ne quis veritatē rei opponeret, quæ videtur esse manifestanda, & errores minime esse fouendos, quod fieri hac simulatione videbatur, mirè respondet Apostolus iis præclarissimis verbis, consulēs mirabiliter vtrique patri, & ait:

Tu fidem habes, id est, Tu doctus es in re fidei, planè perspiciens tibi licitum esse comedere. Sed hāc fidem *penes temetipsum habe coram Deo*, ne noceas infirmo fratri. Et hoc semper est faciendum circa ea quę tolerat ecclesia: quoniam dissimulāda sunt, & cædendum est infirmitati vsque ad tempus, quo res patefiat. At tunc non est vltra dissimulandum, sed prædicandum liberè, & sequendum audacter quod sanxit ecclesia. Non enim omnia quæ sunt fidei semper, & ab omnibus exiguntur, sed tolerat ecclesia vsque ad tempus propter infirmos. Neque in eiusmodi obsequiis est vllum mendacium, aut vera simulatio, sed rectio magis & occultatio veritatis. Quod quidem est licitum: imò & tempore & loco exigitur. Agnosce verò sanctam sancti huius viri astuiam, qui dum pro infirmo videtur suadere compassionem, eadem opera veritatem aperiendo, hoc agit ne sit infirmus. Et simul eum qui spernit infirmum, corripit de immisericordia, & tenui charitatis affectu, ait:

Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Aliqui exponunt, à beato Paulo beatificari illum, qui non iudicat, id est. non damnat semetipsum in re quam probat, videlicet. esse bonam. Sed quā ridicula, obsecro, hæc beatificatio. Quis enim eò vsque stultus, vt semetipsum damnet, in eo quod probet non esse dānabile? Occurrerent multa contra hunc tam frigidum sensum, quæ non libet explicare. Sunt & alij sensus, quos (quia manifestè non quadrant) non censui operepretium esse prosequi vel recitare.

Hic enim (ni fallor) verus, & apostolico spiritu dignus est sensus, beatum esse non iudicare semetipsum etiam in bonis. Licet enim, & bonum est iudicare quæ bona sunt, bona esse, non tamen seipsum bonum est propterea iudicare: quod fit per elationem, aliis sese præferendo propter scientiam quæ inflat, quia iudicium Dei est: ac si dixerit, Beatum est se summissè gerere, & humiliter se habere, & non proprio iudicio se aduersus proximum extollere etiam in causa bona, sed misereri fratri, & relinquere iudicium Deo: quod pauci faciunt. Dicat ergo homo cum B. Paulo, si tamen potest: Nihil mihi conscius sum. Sed & hoc mox adiiciat ex illo: Sed non in hoc iustificatus sum: qui autem me iudicat, Dominus est. Vide igitur hoc in loco, iudicare seipsum significare cum autoritate, & tanquam secernere se ab aliis proprio iudicio, quod est superbum, tametsi probet quæ verè probanda sunt, nec erret. Nam id est probare, tanquam experimento rem certò ac planè nosse. Sed non in hoc quisq; probatus est, quòd seipsum cōmendet, sed si *Quid sit verè seipsum non iudicare in iis quæ probamus.* 1.Cor.4.

commendetur à Deo. Multa enim sunt, in quibus offendimus omnes. Vnde bonum est semper sibi timere etiam in tutis, & cōsentire sine peccato fratri suo. Et qui id agit, beatus. Et hæc dixit Apostolus homini veritatem scienti, nec discernenti, videlicet cibū à cibo. In eum verò qui discernebat, adiungit:

Omne qd non est ex fide peccatū est, quomodo intelligatur.

Qui autem discernit, si manducauerit dānatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Hic locus difficilis est multis, propterea quòd non sanè capiant, quomodo manducans cum opinione peccati, dicatur id facere non ex fide, cum fidei veritas id permittat. Quare sunt qui hic, fidē, exponant, conscietiam: quod verò nouum est ac in auditum. Damnat hunc intellectum B. Augustinus in Pelagianos disputans. Et simpliciter verum esse putat, peccatum esse quodcunque non est ex fide. Certissimum verò est non esse ex fide, quod facio contra conscientiam putans esse malum, tametsi non sit malum.

Quod vt apertius videas, bone lector, considera re debes, quòd fides edicit quædam principia, & ex his edicit multa particularia. Principia quæ edicit fides sunt, verbi gratia. Diliges Dominum Deū tuum, &: Serua mandata eius. Qui autem putat se cum peccato manducare, si manducat, iam non facit ex hac fide: quia offendit se non diligere, & non curare vt mandata seruet. Licet ergo respectu huius particularis, quod fuit manducare, non sit contra fidem, id est, cōtra legem fidei: quia lex fidei dicit esse licitum manducare: Tamen in eo quòd ipse putat prohibitū, facit contra fidem in eo, quod fides dictat esse parendum Deo, & conscientia intus dicit illi se non parere. Ergo facit contra fidem, seu præceptū illud, Deo esse parendum, Licet non contra illud de non manducādo, quod iam non est vlterius, & cessauit.

Sed illud multis durum videtur, Omne quod nō est ex fide, esse peccatum. Non enim dubitauit B. Augustinus læpenumerò hanc Apostoli sentētiam vsurpare ad probādum, omnem infidelium actum esse peccatum. Quod plerique non probant, & exponunt B. Augustini, & huius loci verba non ad mentem autorum, sed ad propriam voluntatem. Hactenus hoc in loco cum B. Augustino cōcludo, imò cum Apostolo indistinctè: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Modo hoc intelligamus in homine qui tenetur habere fidem, & de actibus humanis, qui à ratione proficiscuntur. Nam fricās barbam, aut quid aliud animale faciens, non oportet vt ex fide faciat: quoniam nec à cōsilio & ratione tale factum proficiscitur.

Illud verò non omittendum propter hereticos, qui ex hoc loco, & aliis paucis ex Apostolo & ex euangelio, contra abstinētiam & Christianum luctum, & delectum ciborū ac ieiuniorum mouētur: & prædicant ecclesiam contra Apostoli sentētias, & ipsius Christi, habere delectū ciborum, & indicere ieiunia. Christus enim dixit. Non quod intrat in os coinquinat animam, sed quod exit ex ore. &: Mādūcate quæ apponūtur vobis. Apostolus etiam hic dicit, Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, &c. &: Nihil est immundum per se. Item: Omnia munda mūdis. & alibi: Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis diebus discedēt qui dam à fide, attendētes spiritibus erroris, prohibentes nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit, &cæt. Hæc enim & alia, sed iis similia, adducuntur vt decipiant parum in sacris literis instructos.

De cibis & delectu ciborum cōtra hæreticos.

Quamobrem sciendum est primùm, Dominum in euangelio illo nihil prorsus contra abstinētiam esse loquutum, ac ciborum delectum: sed contra quādam Pharisæorum stoliditatem, vanissimamque superstitionem de lotione manuum, quā præcipiebant fieri ante & post cibi sumptionem, perinde ac si ex manuum immunditia cibus ille manibus tractatus illotis contaminarētur, & ita manducatus ipse cibus coinquinaret animā: quod est insanum vel cogitare. Vnde ipse dixit discipulis: Adhuc & vos sine intellectu estis? Nō intelligitis q̄ omne quod intrat in os, in ventrē vadit, & in secessum emittitur, &c. Et concludit: Non lotis autē manibus manducare non coinquinat hominem. Alioqui si illo in loco prohibuisset ciborum delectum, soluisset legē ante tempus, quam tamen venerat adimplere. Et B. Petrus inobediens fuisset, si nō comedisset quecunque indifferenter iuxta Domini mandatū: vel Deo mentitus esset, cum ab eo post resurrectionē inuitatus manducare quæ prohibita erant à lege, respondit. Absit Domine, quia nunquam manducaui omne cōmune & immundum. Quare Dominus in primo loco docuit non inquinari cibum, ita vt coinquinet animam à manuum immunditia. Et alio in loco non prohibet ciborum delectum, sed admonet discipulos vt sumant de omnibus eis appositis, quæ tamē non essent contra legis mandatum: hoc enim præsupponebat. Nam tūc nondum Gentibus prædicabant, sed Iudeis, qui non apponebāt in mensis, nisi quæ licita erant & munda secundum legem. Matt.7. Act.10.

Voluit autem Dominus, qui omnia disponit planè ac suauiter, illos ciborum nō habere delectum per abstinentiam apud hospites, sicut habebāt domi ipso Domino docēte. Et hoc ne morosi essent apud alios, & rem nouam, quæ facile posset offendere imperitos, ingererent. Satis erat hoc seruare, id est, habere luctum christianum apud semetipsos: Nam erant etiam prohibiti tunc ne prædicarent Dominum esse Christum. Quòd si hoc pacto non intelligatur ille locus, non succurrit alius, in quo possit homo quiescere, intellectus. Apud Apostolum autem hic & alibi, nō prohibetur ciborum delectus, qui propter Christū ad edomandum corpus, vel cum illo lugendum assumitur, & inducitur ab ipsa ecclesia: Sed prohibetur tantum ille delectus qui erat ex lege, vt quidam cibi censerentur immundi. Nam cum aduentus Christi mundificasset omnia, non poterat vlterius (nisi superstitiosè) distingui cibus à cibo, quasi ille mundus, ille immundus: quoniā per se omnes cibi mundi sunt, nisi prohibitione Dei fiant immundi. Cum illa ergo Dei prohibitio cessasset per Christum, & omnia munda essent, factum est vt sit superstitio, aliquos cibos dicere communes, seu immundos.

Et verissimum est, in esca & potu non esse situm regnum Dei. Et quod esca non commendat nos Deo: quoniam in ipso vel mādūcare, vel non manducare, non consistit principaliter vita nostra spiritualis, sed in obseruantia mandatorum Dei: hęc est iustitia. Itaque an manducare, vel non manducare

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſit bonũ,debet cenſeri non per ſe,ſed ab eo, nimirum ſi attineat ad iuſtitiam, & charitatẽ & pacem, & gaudium in Spirituſancto. Si enim cum proximi ſcãdalo manducas,non rectè facis:quia hoc nõ eſt ex iuſtitia & charitate,neque ad pacem attinet. Quantò ergo magis ſi manducas contra præceptũ eccleſiæ ad caſtigationem corporis ordinatum, & vt nos membra lugeamus cum capite noſtro Chriſto?Nam dicere ieiunia eſſe prohibita in lege Chriſti, & conſequenter delectum ciborum,qui comprehenditur in ieiuniis, quid eſt aliud quàm damnare ipſum in primis Chriſtum,B.Ioannem Baptiſtam, Apoſtolos,omnes ſanctos , omnes patriarcharum regulas,& verbum ipſius Domini, qui de Apoſtolis prædixit, quòd ablato ab eis ſponſo lugerent,& ieiunarent?Item dicere à Chriſto nõ fuiſſe indicta ieiunia indicto luctu, & ab ipſo beatificato,quid eſt aliud quàm ſeparare velle membra à capite,& non intelligere eccleſiam eſſe viduã? De qua re & proprium Tractatum feci.

Denique quod blaſphemantes adiiciũt, à B.Paulo in ea prophetia ſugillatam eccleſiã,cum ait: Spiritus manifeſtè dicit, &c.mendaciũ eſt impudens, & blaſphemia.Non prohibet eccleſia nuptias, ſed probat & honorat.Prohibet autem ſacrilegas nuptias apoſtatarum monachorum , & miniſtrantium altari circa corpus Chriſti:& iubet Domino reddi vota,quæ vouiſtis,miſeri,& perfidè poſtmodo perfregiſtis mentiti Spiritui ſancto.Nec eccleſia iuſſit nos abſtinere à cibis quos creauit Deus, quaſi eſſent immundi, & non creatura Dei . Hoc enim,hoc inquam, deteſtatur Apoſtolus eo in loco,quod erat Manichæorum , & Tacianorum inſanum dogma,qui abſtinere iubebãt à certis cibis, quos negabant eſſe à verò Deo,ſed ab autore Diabolo. Contra quos Apoſtolus ad literam diſputat, vt nihil reiiciatur per ſe immundum,ſed cum gratiarum actione percipiatur. Verùm non propterea luctum Chriſtianum prohibet & ieiunia,qui & in his valdè gloriatur,dicens. In ieiuniis multis, &c. & caſtigat corpus ſuum , & in ſeruitutem redigit, ne fortè ipſe aliis prædicãs,reprobus efficiatur carne laſciuiente, ac ſpiritum ſuperante . Et hæc ſatis ad exploſionem nouæ doctrinæ eorum,qui audẽt contra matrem ſuam eccleſiam.

2.Cor.11.

CAP. XV.

DEBEMVS autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere,& non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.Etenim Chriſtus non ſibi placuit:ſed ſicut ſcriptum eſt, Improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me . Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt:vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Deus autem patiẽtiæ & ſolatij,det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deũ & Patrẽ domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicẽ, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei . Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis propter veritatem Dei ad confirmãdas promiſsiones patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum,ſicut ſcriptum eſt:Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.Et iterum dicit:Lætamini Gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominũ, & magnificate eum omnes populi.Et rurſus Iſaias ait: Erit radix Ieſſe , & qui exurget regere Gentes,in eum Gentes ſperabũt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in ſpe,& virtute Spirituſſancti.

PRoſequens Apoſtolus exhortationẽ ſuam,omnibus quæ obiici poterant,ſatisfacere curat.Poterat enim aliquis in fide iam firmior, & eius zelo (ne ſuam integritatem propter infirmos minus retineret) ſuccenſus obiicere : Ergo ne relinquenda erit perpetuò fidei veritas in gratiam imbecilliorum ? Huic ergo cogitationi tanquam mitiſſimus & ſapientiſſimus magiſter occurrit Apoſtolus , & qua ratione faciendum ſit , manifeſtius explicat, dicens:

Debemus autem nos firmiores,&c. Debemus,inquit, quia charitas id exigit tanquam debitũ.Et hîc nota, quòd inter firmos in fide ſe ponit beatus Paulus:quia ſic verè erat , & ſic debebat ſe oſtendere, cum eſſet magiſter Gentium. Et verè hic eſt charitatis ordo , quæ compago quædam eſt mẽbrorum in vnum corpus,vt membrum nobilius ignobiliori conſentiat,& quoad licet, compatiatur: & non ſibiipſi quiſque placeat,id eſt, non ſibi placens homo ſatisfaciat,vt ſuis donis contentus contemnat cæteros tanquam ſibi ſufficiens , & quaſi aliorum ad ſe non pertineat ſalus.

*Sed vnuſquiſque veſtrum,*inquit,*proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.* Dicit in bonum: quia in malum nõ licet neq; aſſentari,neque aſſentiri. Aut melius , In bonum (vt græca vox τὸ ἀγαθὸν innuere videtur)id eſt,ad perfectionem ſummam, quæ ex omni parte reſultat.Non enim ſatis eſt cuique ſibi iuſtum eſſe,niſi & miſerendo proximi ſui,impleat ſic omnem iuſtitiam. Nam qui ſibi eſt iuſtus, minus eſt iuſtus.Quare dictum fuit B.Ioan.Baptiſtæ: Sic nos decet implere omnem iuſtitiam.Et quia id maximè perſuadetur exemplo ipſius Chriſti , qui eſt caput noſtrum,ideo adiecit:

Etenim Chriſtus non ſibi placuit,&c. cum tamẽ ſufficeret ſibiipſi,noluit eſſe contentus proprio bono ſuo,ſed vt perfectio operaretur,non ſolùm ſubſtinuit noſtras infirmitates,verùm etiã aſſumpſit improperia aduerſus Deum facta,vt illa in ſeipſo puniret,ſicut ſcriptum eſt.*Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me*. Hæc eſt vox Chriſti ad Patrẽ in pſalmis:vt ex hoc exemplo,qui ſunt Chriſti meliora membra,diſcant quomodo & ad ipſos pertineat implere omnem iuſtitiam.Vnde ſequitur:

Imitatio Chriſti erga infirmiores maioribus præcipitur.

Quæcunque enim præſcripta ſunt , ad noſtram doctrinam præſcripta ſunt. Noſtram, ait, eorum præſertim qui ſunt maiores in Chriſto,atque illi propinquiores.Et vocat quæcunque præſcripta, ſcripturas ſolùm veteres ſanctas. Nam alia ſcripta non accipit pro ſcriptis,cum non ſint ſancta,id eſt, inuiolabilia,neque ſancta contineant.i.vitam æternam: ſed mortalia,& ferè errorum plena omnia. Hæ igitur ſcripturæ maximè ad veram noſtram doctrinã præceſſerunt,videlicet,vt fiat homo per has perfectus in iuſtitia,ad omne opus bonum inſtructus.

De vtilitate ſcripturarum.

Et nota in ſcripturis duo maximè ſimul iungi,à nobis capienda.Nam ſeſe mutuò ſuſtinent,& neutrum ſine altero ſtare poteſt.Vnum eſt,patiẽtia in ſuſtinẽdo promptè ac perfectè vſque in finem:Alterum conſolatio propter ſpem æternorũ.Hæc eſt enim quæ maximè operatur in nobis patiẽtiam.Sine vllo quippe ſolatio quis vnquam pateretur ? Et quis in paſsionibus perdurare poſſet? Solatium autem eſt à ſpe futurorum bonorum.Et ſine patiẽtia qui poteſt eſſe ſpes ? Optat autẽ Apoſtolus vt hoc inuicem ſapiant,id eſt,hoc ſe ſentire facto ipſo inuicem oſtendant.Hoc ſanè eſt verè ſapere in agendis,videlicet,applicare ſcientiam facto, vt id agas, quod agendũ eſſe ſcientia ſeu prudentia monſtrat. Et quia id ſine Spiritu Dei eſſe non poteſt , bene precatur illis Apoſtolus,dicens:

Deus autem patientiæ,& ſolatij. Ipſe nimirum clementiſsimus Pater,qui in afflictionibus patiẽtiam & ſolatiũ donat, infundendo ſuam in cordibus noſtris charitatem,cum ſit Pater miſericordiarum,& Deus totius conſolationis ,*det vobis id ipſum ſapere inuicem ſecundum Ieſum Chriſtũ.* i.ſicut ipſe Ieſus exemplo monſtrauit.Quod vt magis declaret,addit:

Propter quod & ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Suſcepit nos Chriſtus eò quod ſuper ſe poſuit iniquitates omniũ noſtrum, & lauit,& terſit nos,& exhibuit nos Deo lotos in gloriam ipſius Dei.Et cum dicit,*inuicem,*hoc certè vult,vt Iudæus Gentilem,Gentilis autem Iudæum aſſumat,ſubſtineat,erigat:quia Chriſtus vtrunque ſuſcepit in honorem Dei.Quod probat dicens:

Chriſtus ad Iudæos venit propter promiſsionẽ,ad Gentes miſericorditer.

Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis, id eſt, populi circuncifi ſuſcipiendo eius culpas,& detergẽdo,& hoc *propter veritatem Dei,* videlicet,vt oſtenderetur Deus verax:quia id promiſerat olim patribus,Abrahæ, & ſequentibus ex illo. Gẽtibus verò apparuit ex mera miſericordia : quia nihil illis fuit promiſſum.Non.n.per legẽ aut prophetas locutus eſt cum eis Deus. Neq; tamen putãdum eſt,non veniſſe ad Iudæos Chriſtum ex miſericordia , licet venerit ex veritate propter promiſſionẽ: quia & ipſa promiſsio ex miſericordia fuit. Similiter non eſt putandum, ad Gentes illum non veniſſe ex veritate,propter promiſsionem:quia & ipſa promiſsio ex miſericordia fuit . Nam etſi illis ſpecialiter non promiſerit,decreuit tamen in ſeipſo,& quaſi ſibi promiſit:quia non erat tantũ Deus Iudæorum,ſed & Gentium.Et tamen eluxit copioſius miſericordia eius in Gentes,quibus nihil promiſerat,quàm veritas in Iudæos, quibus promiſerat: Alioqui vniuerſæ Domini viæ miſericordia & veritas.Hoc autem quod ait de Gentibus , probat ex Pſalmiſta,& primò ex eo loco vbi legitur:

Propterea confitebor tibi in Gẽtibus,&c. Hæc eſt vox Chriſti,qui pollicetur confeſsionem ſuam Patri in Gentibus. Confiteri autem Chriſtum Patri in aliquo,eſt ſua merita illi applicare.Eſt enim mos ſcripturarum ita loqui,vt manifeſtent myſteriũ:quoniam per Chriſtũ omnia conſequimur, & eius merita nobis applicata , faciunt nos mereri etiam de condigno. Niſi enim ipſe confiteretur Patri in nobis, nihil nobis prodeſſet omnis noſtra confeſsio: Sic dicitur & in nobis accepiſſe dona:quia ſe fecit vnumquenq; noſtrum & cuiuſlibet perſonam induit . Propterea & confeſſio noſtra tantummodo eſt in eo valida,& ſua in nobis:quia ipſe pro ſalute propria cõfiteri non indigebat. Quod enim ei ſuo iure debitum erat, propter nos abiectum, iterum acquiſiuit . Vnde & ſic legitur in euangelio iuxta græcam veritatem, Qui in me confeſſus fuerit coram hominibus,cõfitebor & ego in eo coram Patre meo.Producit & alium ſcripturę locum manifeſtiorem ex cantico Deuter.vbi legitur:

Quid eſt Chriſtum Patri confiteri.

Lætamini Gentes cum plebe eius, ſiue cum populo eius,qui erat Iudæorum populus.Quanquam Beat. Thomas hunc locum citet ex Iſaia cap.35.niſi fortè corruptè legatur . Quidam putant deſumptum teſtimonium ex Pſalmo 67. vbi legitur. Exultent & lætentur Gentes:quoniam iudicabit populos in æquitate.Sed certè hic locus non cõuenit cum verbis quæ citat Apoſtolus:quoniam ſingulari numero ait populum,non populos. Manifeſtè autem vides ex loco illo Deuteron.applicatas fuiſſe Gentes populo Iudæo,id eſt,electis illis, qui non ſunt repulſi , ſed ſteterunt in Chriſto propter electionem:aut qui quauis alia gratia applicuerũt ſe Chriſto.Nos tamen legimus in eo loco, Laudate Gentes populum eius.Et noui interpretes aliter.Et tamen in eundem ſenſum recidit quæuis lectio.Nec enim populum Dei Gentes laudare poterant, niſi cum illo ſuſceptæ eſſent à Chriſto.Adiecit & ex alio pſalmo:

Laudate omnes Gẽtes Dominum,& magnificate eum omnes populi, ſeu potius collaudate , ſeu adlaudate, vt græca lectio habet,omnes populi, ſiue Gentes, ſiue Iudæi. Soli.n.Iudæi, non ſunt omnes populi, ſed vnus populus. Addit & Iſaiæ teſtimonium:

Erit radix Ieſſe,& qui exurget regere Gentes,in eo Gentes ſperabunt. Sic ferè habet Septuaginta tranſlatio. Et adiicitur,Et erit requies eius honor.Beatus Hieronymus ad veritatem hebraicam ſic tranſtulit. In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum. Et quod Septuaginta dixerunt,Et requies eius honor,beatus Hieronymus dicit: Et erit ſepulchrum eius glorioſum.Idem autem prorſus eſt ſenſus.Nã Septuaginta & Apoſtolus expoſuerunt quod dicitur, Qui ſtat in ſignum populorum . Radix enim Ieſſe Chriſtus ex puriſſima Virgine : quia erectus in crucem velut quondam æneus ille ſerpẽs,quem iuſſus eſt Moſes erigere , qui ſtetit in ſignum omnium populorum, & Gentium , vt omnes Gentes ad eum aſpicientes à morſibus ſerpentium ſaluarentur.Hoc ipſemet Dominus expreſſit,Sicut Moſes,ait,exaltauit ſerpentem in deſerto , ita exaltari oportet Filium hominis,vt omnis qui credit in ipſo non pereat,ſed habeat vitam ęternam.Quod verò Apoſtolus ait,

Ioan.3.

Et in eo Gentes ſperabunt. Ibi habetur,Ipſum Gentes deprecabuntur,& meritò. Qui enim deprecatur eum,ſpem ſuam in eo conſtituit.Et quod dixe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt Septuaginta, Et erit requies eius honor, sepulchrum eius respicit, quod fuit honorificum, & est adhuc. Ideo dicit B. Hieronymus, Et erit sepulchrũ eius gloriosum: quia vacuum cadauere, propter excellẽs resurrectionis decus: & propter mysterium, quia corpus peccati ita extinctum est, vt iam nusquam appareat. Quod autem sequitur:

Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe, & in virtute spiritussancti. Quidam putant hoc abundare, eo quòd in græcis nõ inueniatur hoc in loco, sed in fine epistolæ, nec hîc aptè cohærere aiunt eiusmodi deprecationem. Sed qui hoc existimãt, magno in errore versantur. Conuenit enim hęc deprecatio appositissimè, quę & in plerisq; græcis reperitur. Nam ad seruãda monita superiora, inuocat Deum spei, quem superius, patientiæ & solatij Deum vocauit. Spes enim hos habet assiduos secum comites, vt sit vera spes, videlicet patiẽtiam expectationis ob solatium futurorum & cœlestium bonorum. Vnde homo repletur gaudio & pace credens Deo, vt sic abũdet erga proximum per officia charitatis in spe retributionis æternæ, quam reddet Deus superabundantem, coagitatam, superefluentem in sinum eorum, qui eius amore inflammati, omnia sua studia, omnes labores, & cogitationes, exequendis diuinæ legis mandatis applicarunt per assistentiam virtutis Spiritussancti, quæ facit eos fortiter & libenter tolerare omnia, sicut alibi de seipso testatur aiens, Omnia possum in eo qui me confortat. *Philip.4.*

Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis: quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrũ monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti. Ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim euangeliũ Christi. Sic autem prędicaui euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est, Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent.

Certus sum, &c. Excusat prudenter exhortationis suæ fiduciam, & modestiam simul insinuat. Primùm quidẽ se non admonuisse eos, quasi non bonos, aut quasi boni ignaros, cum de ipsis certum se esse asserat, id est, persuasum, quòd essent repleti omni bonitate & sciẽtia, ita vt possent vel alios monere: sed se fuisse audacem non tam ad docendum quæ nescirent, quàm ad memorãdum quæ scirent: quia data erat illi gratia à Deo, vt esset minister Christi in Gentibus, sanctificans. i. sacrum faciens euangelium: vnde & se ministrum vocauit euangelij. Græcè enim legimus, ἱερουργοῦντα, sacræ rei ministratorem: & προσφορὰ id est, sacrificium: quia ad hoc euangelium prædicauit, vt fieret oblatio Gentium accepta & sanctificata in illo. Est ergo res sacra euangelij prædicatio. Nam qui prædicatione apostolica instructi crediderant euangelio, erant tanquam oblatio, quę sanctificata est ab omni immũditia per ministros, ac per hoc Deo accepta: quoniam secundum Dei voluntatem & ordinem. Et hoc contra eos qui nullum ordinem cõsiderant in ecclesia: nec sciunt quòd quidam immediatè statuuntur per Christum, vt fuerunt maiores sancti, Patriarchæ & Apostoli. Et alij statuuntur per istos maiores: & non æqualiter omnes sunt in Christo. Et propterea etiã imploramus intercessiones sanctorum & suffragia: quod & ad maiorem Christi gratiam facit.

Hoc in loco considerent attentiùs præcones verbi Dei, quales esse illos deceat, qui rem tam sacram administrant, & pro Christo legatione fungũtur. Hoc res ipsa monet, nimirũ vt & ipsi primùm puri sint, & sermo eorum purus & purè euangelicus. Dico ipsos puros ab omni peccato, & ab omni sorde, vt purè exhibeant quod est Dei, non turpis lucri gratia, aut inanis gloriæ cupiditate: sed solùm Dei voluntatem, & animarum salutem cogitantes & appetentes. *Admonetur prædicatores verbi Dei.*

Et præterea immunes sint à peccato, ne sermo eorum condemnet eos: & vt fructuosus sit, ne quod oratio ædificauerit, turpe exemplum destruat, memores diuini verbi: Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamẽtum meũ per os tuum? Tu verò odisti disciplinam: proiecisti me os retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abũdauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris: & aduersus filium matris tuę ponebas scandalum. Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: Arguã te, & statuam contra faciẽ tuam. Verba ĩtegra placuit hîc proferre terribilia, vt qui dicendi gratia valent, videant ne ea abutantur ad propriam sibi gloriam cõparandam: magis solicitè inquirẽtes an benè audiant apud vulgus, quàm studeant primi ipsi illud facere, ad quod faciẽdum alios exhortantur. Sunt enim pleriq; eiusmodi: & item non pauci cauponantes verbũ Dei. Indignum est enim valde ac præposterũ, nec (vt arbitror) absque crimine, si Ecclesiastes hoc officiũ cum crimine exerceat. Nõ enim ab re hoc ministerium sacra res & sacrificium vocatur ab Apostolo: Ergo non nisi à mundis tractari debet. Sermo etiam concionatoris ecclesiastici debet esse purus ab omni fuco affectatæ eloquentiæ, & ab omni prorsus mendacio: denique ab omni doctrina quæ non sit verè vtilis, & ad rem non faciat. Sequitur: *Psal.49.*

Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Quia dixit gratiam quam habuit à Deo in prædicatione euangelij, nunc dicit gloriam quam habebat in iis,

qui sua opera ac ministerio conducebantur ad Deum. Et ne quis putaret eum frustra atque arroganter iactare seipsum, addidit:

De seipso prædicat Apostolus propter ædificationem.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus, &c. Vt hic notes Christum in illo effecisse ac per illum, vt obedirent fidei Gentes: & quæcunque ipse operatus est, *verbo*, inquit, *& factis* prædicando, & sermonem cõfirmando signis & prodigiis, quæ facta sunt per illum, non in virtute dæmonum (vt calumniatores & impij obiectabant) sed Dei virtute ad confirmationem euangelicæ veritatis. Prodigia verò sunt quædam excellentia signa, & sua magnitudine & raritate admiranda.

Ita vt ab Ierusalem vsque ad Illiricum, id est, ab ipsa Ierusalem, & iis quæ ipsam circumadiacent, repleuerim euangelium Dei, vsque ad Illiricum mare, quod Adriaticum vocant. Euangelium autem Dei, quod sagenæ comparatur, & nihil aliud est quàm regnum Dei, tum repleri dicitur, quùm pisces huius mundi in illud per fidem ingrediuntur. Et vt in spiritu suo adhuc illud extolleret, & semet ipsum in illo, addit: *Matth.13.*

Sic autem prædicaui euangelium, &c. φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, vt sit sensus, quòd cum quadam animi celsitudine, & quadam sancta ambitione voluit ibi prædicare, vbi nullus semen iecisset, ne super alienum fundamentũ ædificaret. sed sicut erat præscriptum per Isaiam prophetam: *Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, &c.* Hæc expectant cæci Iudæi verificanda. Nos autem ante oculos cognoscimus magna ex parte verificata per B. Paulum maximè, cui gratias agere debent omnes Gentes, & post Christum salutem illi suam rẽferre acceptam Gratias tibi sanctissimè doctor noster Paule, Amen.

Propter quod & impediebar plurimũ venire ad vos: & prohibitus sum vsque adhuc. Nunc verò vlterius locum nõ habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iã præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd prętereiens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscor in Ierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Ierusalem. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummauero, & assignauero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniẽs ad vos, in abundantia benedictionis euangelij Christi veniam. Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Sancti spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deũ, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis, vt veniã ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.

Propter quod, &c. Textus hic facilis est intellectu. Solam habes historiam, quæ ex parte comprobatur ex Actis Apostolorum cap. 19. Nam B. Paulus postquam Corinthi ecclesiam statuit & Thessalonicæ, & Ephesi, & in iis quæ circuniacebant ciuitatibus, proposuit ire Ierosolymam, vt ministraret necessitatibus sanctorum de collectis, quæ congregauerat in Achaia, & Macedonia pro illis: & cogitabat ex Ierusalem se posse proficisci in Hispaniam, & obiter Romam petere, vt inde in Hispaniam iret: quod & illi contigit. Nam in Ierusalem captus, traditus est Gentibus. Ipsemet enim ad Cæsarem prouocauit? & Romæ mansit prima hac vice biennium, vt testatur B. Lucas in Actis. Sed & rursus reuersus est in Ierusalem, ac nonnisi mè iterum Romam, & capite truncatus ob egregiam fidei confessionem, meruit coronam iustitię à iusto iudice. *Itinerarij Pauli.*

Non est autem silentio prætereundum, non sine causa ab B. Paulo commemoratum, fuisse in ciuitate Ierusalem sanctos Christi pauperes, qui ex mendicata stipe viuebant, pro quibus etiam ipse laborabat, sicut promiserat Apostolis. Vnde & collectas fecit Corinthi, & Thessalonicæ (& fortè alibi) pro illis. Et ait, quòd ipsimet probauerunt hoc, id est, bene complacuit illis hoc facere. Ius enim erat vt qui largiretur spiritualia, retribueretur eis obsonium. Et hoc ad tollendum quorundam errorem, qui non arbitrantur debitum, propterea scilicet quòd apud homines ius, & exactionem non habet. Verum exiget aliquando Deus multa, quæ non putamus: & cum non erimus soluendo, recludemur in carcerem nunquam inde exituri. Spondet autem Apostolus, quòd postquam assignauerit fructum istum: aut si magis placet, obsignauerit, id est, fideliter reddiderit, & quasi sigillo cautelam accipiens rectè dati. Quo etiam in loco nos suo exemplo admonet, cautè procedendum esse in huiusmodi, vt possit reddi ratio semper bonæ dispensationis. Nam & multi Iudæ inueniuntur, qui non fideliter custodiunt & dispensant. Inueniuntur item calumniatores non pauci, qui etiã bene dispensantium arrodunt famam. Qui quidẽ si deessent, bonum est tamen fideli, & infideli dispensatori, vt rationes eius videantur. Fideli quidem vt probetur fides: infideli autem vt cogitans se redditurum rationem, metuat, & curet inueniri ac probari fidelis, si non ex virtute, saltem ex metu & pudore.

Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis euangelij Christi veniam, obsecro ergo vos, &c. Hic etiam clarus est Pauli Apostoli sensus. Vocat autem abundantiam benedictionis euangelij, amplitudinem prædicationis ad persuasionem, ob eminentem scientiam. Petit autem & orationes eorum, vt liberari possit à quibusdam incredulis Iu-

Universidad de Deusto Biblioteca

dæis,excæcatis,& imperſuaſibilibus.Et hoc ob ingens periculum, quod ipſe ſpiritu præuidebat ibi fore ab illis in ſeipſum,propter conceptam rabiẽ diabolicam. Vt hinc colligamus efficaciſſimum in hæreticos argumentum,imploranda eſſe à nobis ſanctorum iam beatorum ſuffragia.Nam ſi Apoſtolus orationes viatorum requirit:quantò nos magis eorum qui iam extra omne peccandi periculum,aſsiſtunt Dei throno, & cum lõgè maiori erga nos charitate, quàm cum hic agerent in terris afficiantur?Etſi enim ſint extra omnem paſsionem(ait B. Bernardus) non exuerunt tamen erga nos compaſsionem.

[*Pro veneratione ſanctorum.*]

[*Duplex liberatio, à malo iam incurſo: & item alioquin incurrendo.*]

Notandum inſuper eſſe quandam à malo liberationem,in quod non incurrimus, ſed non ab re metuimus incurrere.Et hoc in eos dictum,qui falſò putant Beatiſsimam Redemptoris noſtri Matrem non potuiſſe à peccati originalis macula antè liberari,quàm eo peccato fuiſſet contaminata. Quaſi verò liberatio eſſe non poſſit, imò ſingularis liberatio in hoc,vt quæ debebat iure aliquo incurrere,ex gratia & priuilegio datum ſit ei ne incurreret.Sed hæc nimis nota ſunt,non proteruis.

Claudit tãdem Apoſtolus epiſtolam per imprecationem pacis,ſicut incœpit per ſalutationem pacis:quia à Deo omnia, & in Deum omnia. Ipſe α, &,ω,cui gloria in ſæcula,Amen.Cætera non videtur ad tractatum epiſtolæ attinere.Sunt enim ſalutationes & commendationes, quæ de more attexuntur in calce epiſtolarum. Verùm quia ego puto & has non vacare doctrina ac myſteriis propter eos qui huiuſmodi delectantur, quæ mihi occurrerunt meditanti,non grauabor annectere,rogans benignũ lectorem, vt æqui bonique conſultat,& omnia in meliorem partẽ ſemper accipiat.

CAP. XVI.

Commendo autẽ vobis Phœben ſororem noſtram, quę eſt in miniſterio eccleſiæ, quæ eſt in Cenchreis:vt eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis: & aſsiſtatis ei in quocunque negotio veſtri indiguerit. Etenim ipſa quoque aſtitit multis,& mihi ipſi. Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu,qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt,quibus non ſolus ego gratias ago,ſed & cunctæ eccleſiæ Gẽtium, & domeſticam eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi:qui eſt primitiuus eccleſiæ Aſiæ in Chriſto Ieſu. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Salutate Andronicum & Iuniam,cognatos & cõcaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis,qui & ante me fuerunt in Chriſto.Salutate Ampliatum dilectiſsimum mihi in Domino. Salutate Vrbanũ adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu,& Stachin dilectum meum. Salutate Appellen probum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutatę Herodionem cognatum meũ. Salutate eos qui ſunt ex Narciſsi domo,qui ſunt in Domino. Salutate Tryphænem & Triphoſam,quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſsimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino,& matrem eius & meam.Salutate Aſyncritum,Phlegontem, Hermã, Patrobam,Hermen:& qui cum eis ſunt, fratres. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & ſororem eius, & Olympiadem:& omnes qui cum eis ſunt, ſanctos. Salutate inuicem in oſculo ſancto.Salutant vos omnes eccleſię Chriſti.

Commendo autem vobis Phœben, &c. Hæc mulier, quam ſororem ſuam vocat Apoſtolus, fuit(vt aiunt)huius epiſtolæ tabellaria:vt videas quibus tabellariis & curſoribus vterentur ad fidei fundamenta deferenda.Et hanc Phœben putant quidam fuiſſe vxorem Pauli:Licet ex aduerſo alij pertinaciter nimium(vt mihi videtur) negent Paulo vxorem fuiſſe, contra nonnullorum grauiſsimorum autorum teſtimonia, non temerè renuenda.Hoc enim in epiſtola teſtatur B.Ignatius, & magnus doctor Clemens Alexandrinus. Quid autem præiudicij ſit chriſtianæ fidei:aut quid fauere poteſt hæreticis,ſi ita fuerit?An non vxorem habuit B.Petrus antequàm Chriſtum ſequeretur?

Illud ſolum nequaquam concedendum, quod iſti carnales patroni extorquere volunt, eos poſt conuerſionem vſos re coniugij, ſed vixiſſe cœlibes. Quapropter ſororem vocat, & de illa dicit. [*1.Cor.9.*] An non habemus poteſtatem mulierem ſororem circũducẽdi,ſicut & cęteri Apoſtoli,& fratres Domini,& Cephas?Quòd autem ab vſu carnali coniugij abſtinuerit B.Paulus, ipſemet probat ad Corinthios cap.7.Porrò ſi quis aliter exiſtimet de B. Paulo, & omnino agamon eum aſſeueret, obſecro vt quiſque in ſuo ſenſu (ſalua ſemper charitate) abundet.

Myſticè Phœbes hæc ſignificare poteſt fidem, quæ eſt lux vitæ purificans corda. Nam Phœbes idem eſt quòd lux vitæ,lucida,pura, purgans. Et propterea Sol Phœbus dictus eſt, & Phœbe Luna, quæ noctis tenebras, in quibus nos verſamur, expellit.Hanc enim fidei virtutem Apoſtolus præcipuè in hac epiſtola commendat, & ſic poſtulabat neceſsitas in gratiam Iudæorum.Hæc eſt, ſine qua non poteſt eſſe cuiquam ſalus,cum ſit fundamentum cæterarum virtutum. Hęc aſtitit multis, & maxime B.Paulo,in quo humilitas ſignificatur. Eſt enim ſocia humilitatis,& ſoror indiuidua ipſa de Chriſto Saluatore noſtro fides.

Salutate Priſcam. Hæc Priſcilla dicta eſt. *Et Aquilam.* Hic vir eius fuit, & Iudæus genere. Quidam dubitant, quomodo potuerunt eſſe Romæ eo tẽpore iſti,quo Claudius regnabat,qui iuſſerat omnes Iudæos Roma ſecedere. Sed facilis eſt reſponſio. Siquidem tunc potuit eſſe reuocatum

mandatum. Vel potuit homo ille nummis redemiſſe domicilium illius Vrbis:aut fauore, ſeu aliqua iuſta de cauſa ibi eſſe ſecurè. *Adiutores meos in Chriſto Ieſu.* In his autem rectè poteſt intelligi lex ipſa priſca, & ſacerdotium antiquum. Nam duo hæc verè aſtiterunt adiuuantes humilitatem fidei, & ipſi B.Paulo cooperantes,ei teſtificando. Vnde & cunctæ eccleſiæ Gentium viris huiuſmodi multum debent.Et bene per Aquilam illud inutile teſtamentum intelligi poteſt, non dans panem verum.Nam, ἄκυλος, glandem ilicis ſignificat. Habebant & tunc domeſticam ſuam eccleſiam à Gentibus ſegregatam,ob cęrimoniales glandium obſeruantias.Nondum enim reciſa,ſed recidenda paulopoſt erant illa infructiferæ ficus & inanis folia.

Salutate Epænetum. In hoc laude dignos aſſerere voluit, qui citò primi ad lumen fidei veniunt, qualis fuit iſte,factus B.Pauli primitiuus in Achaia fructus.Nam & Dominus Centurionem mirificè laudat,quoniam citò & magna fide credit.Epęnetus autem laudabilem ſignificat.

Salutate Mariam,quæ multum laborauit in nobis. In hac, compunctionis & amaritudinis lachrymas laudat,quæ à peccato veniunt, tanquam à ſalute non vacuas.Maria enim amarum mare, vel amaritudinem ſignificat.

Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos & concaptiuos meos, &c. Hi erant Gentis Iudaicæ, & fortaſſe de ſeptuaginta diſcipulis, quos etiam honorifico nomine Apoſtolorum dignatus eſt appellare B.Paulus.Ideo ante ſe fuiſſe illos in Chriſto cũ eorum non parua laude teſtificatur. Magnũ enim donum eſt,& plurimi faciendum,à principio ſeruire Deo,iuxta illud: [*Thren.3.*] Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Fuerunt autem concaptiui in ſanctis ac fœlicibus vinculis aliquãdo cum Apoſtolo.Et in his ſignificantur qui propter fidem viriliter ſuſtinent,& omnem in paſsionibus peccatorum deponunt eruginem. Nam Andronicus virilem:Iunias autem eruginantem animum(vt quidem volunt)ſignificant.

Salutate Ampliatum dilectum meum. Græcè Amplian.In hoc fidei profectum agnoſco in charitate,quæ ſe extendit vel ad inimicos.Et ad hoc hortabatur Corinthios Apoſtolus aiens: [*2.Cor.6.*] Os noſtrum patet ad vos(ait)ô Corinthij.Cor noſtrum dilatatum eſt.Eandem autem habentes remunerationẽ dilatemini & vos,&c.

Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu: & Stachin dilectum meum. In Vrbano lenitas quędam deſignatur, quæ mirum in modum adiuuat prædicantem & exhortantem. Et ob eam cauſam ſæpenumero eam commendat Apoſtolus,cui prę cæteris peculiariter aſtitit. Stachis autem ſpicam & fruticem quendam ſignificat Marrubio ſimilem.Græcè autem ſtachen legimus.Eſt gutta quędam odorifera:&in hoc nomine poſsumus ſanctarum exempla virtutum intelligere, quæ odorem ſuauem emittunt, & mirabili aſſenſu probantur ab omnibus bonis.

Salutate Appellen probum in Chriſto. Appelles idẽ quòd abigens & expellens. In quo hominem abigentem immunda & peſtifera poſſumus intelligere,qui non ſolùm ab hæreſibus, verùm etiam ab hæreticis abhorret, non ducens dignos eſſe illos, Aue,ne ſit particeps eorum operum prauorũ:quoniam qui ſalutat,minus(quàm par eſſet)ab hoſtibus catholicæ fidei abhorret, & ſic quaſi conſentiens videri poteſt.Hunc ergo talem probum eſſe oportet,ſicut decet eum qui corripit alios improbos,atque abigit.

Salutate eos qui ſunt ex Ariſtoboli domo. In his optimè conſulentes & prudẽtes intelligimus:ad quod rectè præſtandum multa exiguntur, prudentia inprimis,ſolertia,meditatio,rerum multarum experientia, & huiuſmodi. Ideo dicit. In Ariſtoboli domo.

Salutate Herodionem cognatum meum. In hoc fortè iuxta etymon vocis,eminentia virtutum ſignificatur:aut canticum fortium, & viriliter ſe habẽtium. Nam & illi heroes dicuntur, qui ea gerere ſoliti ſunt, quæ fines communis naturæ & fortitudinis tranſeunt.

Salutate eos qui ſunt ex Narciſsi domo. Narciſſus florem ſignificat. In iis agnoſco illos qui perfectionem iuſtitiæ amplectuntur in paupertate, & obedientia, tanquam floridi Nazaræi, imitantes perfectè Chriſtum non in via tantum communium mandatorum, ſed ſtrictiorum conſiliorum, quæ ſunt veluti totius euãgelici ſtatus amœniſſimi coram Deo flores. Ideo adiecit, *Qui ſunt in Domino.* Quia qui deſerunt eum, contemptibiles ſunt & ignobiles,vt teſtatur ſcriptura. [*1.Reg.3.*]

Salutate Tryphænen & Triphoſſam, quæ laborant in Domino. In iis (vt indicant ipſa nomina) innuit illos qui delicatè & delitioſè ſe habent in miniſterio pauperum Chriſti, & effundunt largiter vnguentum miſericordiæ verbis & factis.

Salutate Perſidem chariſsimam. In hac intelligo diſcretionem ſanctam, quæ diuidit & diſtribuit vnicuique iuxta debitum:quæ debet aſſociari Triphęnæ & Triphoſſæ. Nam Perſes ſi ad hebraiſmum reſpicimus, ſignificat frangentem ac diuidentem.

Salutate Rufum. Rufus ſorbentem græcè ſignificat.Et in eo ſacrificos intelligo, qui eliguntur ex plebe ad ſorbendum Chriſti ſanguinem apud matrem ſuam eccleſiam,gaudentes ſe eſſe participes calicis & paſſionis Domini.

Salutate Aſyncritum,Phlegontem,Herman,Patrobã, Hermẽ, & qui cum eis ſunt fratres. In Aſyncrito quoſdam incomparabiles,& qui iudicari nequeunt,intellige.Per Plegontem ardẽtes zelo, & inflammatos charitate.In Herma,quod eſt ſubſtentaculum & ſupponitur naui ne mareſcat in terra,patiẽtiam aut ſubſtinentiam perfectorum,qui eos qui terrenis hærent,ſubſtentant.In Patroba paternalẽ patris affectum iis iunctum. In Herme interpretem ad pacificandum, ſi qua malè habeant. Et ij alios fratres ſecum habent,omnes boni operis in charitate coadiutores.

Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & ſororem eius, & Olimpiadem, & omnes qui cum eis ſunt ſanctos. In Philologo, ſermonis diuini & rationis amantem conſidero.In Iulia,eos qui lanuginoſi adhuc & primæ barbæ ſunt,ad quos attinet audire,nondum loqui,vt bene copulentur Philologo.Nereus magnum ſignificat:& hic eſt qui facit,& non docet ſolùm,cui ſoror applicatur notitia ſui, & humilitas,quæ dicit ei,Quid habes,quod non accepiſti?Adiicitur ei & Olimpias,quod viri eſt nomen,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& significat excelsa meditantem, vt possit dicere. Conuersatio nostra, seu politia, in cœlis est.

Salutate inuicem in osculo sancto. Osculũ, pacis est signum & charitatis. Sanctum dicit, id est, purum, non simulatum, quale fuit osculum Iudæ proditoris. Erat ergo mos inter fratres, id est, inter Christianos osculari se inuicem, & hoc osculi symbolo declarare pacem, quem reliquit nobis Dominus in testamento suo, cum dixit. Pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis. Quanquam & qui hospitio excipiebant, prisco more osculabantur hospitem. Vnde Dominus conqueritur in Pharisæum, sibi ab illo osculum minimè datum. Erat & consuetudo in sacrificio osculum pacis cũctis porrigere, qui astabat sacrosanctò Missæ sacrificio, cũ sacerdos precabatur pacem per Agnum Dei: qui mos etiam nunc ex parte apud quosdam, præsertim apud religiosos seruatur.

Ioan. 14.

Luc. 7.

Salutant vos omnes ecclesiæ Christi. In hac postrema illis oblata salutatione agnoscitur omniũ desiderium, qui sunt in ecclesia, qui per charitatem congaudent omnibus bene ambulantibus in via Dei. Quantam enim existimare debemus fuisse Christianis lętitiam, vbi primum significatum est, Romanos ipsos ad fidẽ repudiatis idolis, quibus Vrbs referta erat, concurrere? Magnum sanè gaudium exteris nationibus hæc fama detulit, præsertim cum & sperarent mitius futurum imperium, cui christiani principes progressu temporis tandem præficiendi erant.

Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentiũ. Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam in Domino.

Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta euãgelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum, secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, soli sapiẽti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Rogo autem vos fratres, &c. Optimus hic necessariæ exhortationis sermo, ad cauendum ab iis, qui zizania serunt per falsam doctrinam: quia qui eiusmodi sunt, non Deo seruiunt, sed proprio ventri. Hi enim dulcedine sermonis, & blandis quibusdam benedictionibus seducunt corda innocentium, id est, simplicium, qui facile credunt, & obediunt omnibus. Vnde laudat eos, quia obediebãt facile, vt erat notum. Attamen admonet ne ita sint in credendo faciles & benigni, vt non sint simul sapientes, id est, videant quibus obediant. Nam sapientia, & ea prudentia quæ habet cautelam, seruit in bono: neque oportet hominem in hoc esse simplicem, videlicet, ad recipiendum malum, sed tantùm in non inferendo, aut non referendo malum per iniuriam, aut (quod aiunt (retaliationem. Et hoc est quod dixit:

Sed volo vos sapiẽtes esse in bonum, & simplices in malum. Quod dominus Iesus aliis verbis explicuit, Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Quod si ita fiet, Deus (inquit) Satanam zizaniorum seminatorem conteret absque vlla mora sub pedibus vestris. Matth. 10.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Iterum salutat in fine vt plenus feruenti charitate erga eorum progressum in via Dei, ad quem augendum imploranda est semper Dei gratia, postquam vndique hostibus, mũdo, carne, diabolo, & falsis prophetis, ita sumus circundanti, vt magno sit opus timore, & auxilio Dei assiduo.

Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei, &c. In Timotheo honorem Dei intellige, qui fuit adiutor B. Pauli. Hũc enim semper præ oculis habuit. Lucius lucem: Iason, medicinam: Sosipater saluans patrem significat. Hi sunt cognati Apostoli, & cũ illo nati, quando induit Christum baptizatus, qui patri Adæ salutem obtulit. His applicatur Tertius, qui scripsit hanc epistolam, vt nullius officium sine munere esse apud Deum intelligas. Adiungitur Caius hospes B. Pauli. Caius Dominum prisca lingua significat. Hic est Christus hospes noster. Adiungitur & Erastus arcarius, siue iconomus ciuitatis. Hic est Spiritussanctus verè optimus, & verè dispensator in ecclesia. Quod iterum in salutatione manifestat, dicens:

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est, &c. Apostolus hic claudit epistolam, sicut incœpit, per salutationem. Sed quæstio est de constructione huius loci, quomodo grammaticè dicatur. *Ei autem soli sapiẽti Deo, cui gloria, &c.* Non enim vllum videtur esse verbũ cui connectatur quod dicitur, *Ei autẽ, &c.* Nisi fortè intelligas hoc iũgi salutationi, vt sit sensus. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis Ei autem, &c. id est, in eum, aut in gloriã eius: quoniam in illum omnia recidere necesse est.

Et hic nota, quòd Apostolus videtur loqui ad eos, tanquam non satis confirmatos in fide & gratia, iuxta suum euangelium, & prędicationem quã habebat de Iesu Christo, iuxta reuelationem mysterij id est, verbi Dei incarnati & passi pro nobis qui & resurrexit. Hoc autem mysterium fuit tacitum temporibus æternis. At quæ vocat (quæso) æterna tempora? Melius interpretaretur, temporibus sæcularibus; id est, temporibus, quæ à sæculo cucurrerunt, sicut aliâs dicit, Ante tempora sæcularia non fuit tacitum, sed reuelatum in cœlis & promissum, videlicet ipsis Angelis, qui & iussi sunt adorare illum. Quod mysterium si cui placet videre vberius explicatum, & rationibus atque scripturis comprobatum, legat quæ peculiari tractatu in nostris opusculis continentur, & sui eum laboris minime pœnitebit.

Illud etiam hîc notandum, Deum prącepisse manifestari hoc mysterium iis diebus, quod & per prophetarum scripturas voluit agnosci, ita vt scripturæ propheticæ lucem habuerint magnam ad implementũ sui, quæ prius non intelligebantur: & nũc sunt ita claræ, vt nisi quis excœcauerit seipsum, aut dignum se constituerit excœcatione, de omnibus quæ ad Christum manifestãdum in carne venisse pertinent, non possit vllus dubitare.

Qua in re miseranda apparet Iudæorum hodie viuentium pertinacia, qui expectãt, quod nulla ratione expectati, nec vllis scripturis rectè intellectis, potest. Sed non est omnium fides, nec omnes obediunt euangelio, quod tamen omnibus exhibetur. Gratias Deo per Iesum Christum, Amen.

COMMENTARIA IN PRIOREM EPISTOLAM B. PAVLI AD CORINTHIOS.

PAVLVS vocatus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis: cũ omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostro, Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

HACTENVS est salutatio, quam mos per epistolam scribendi solet exigere: & est christiana hæc & salutatis salutatio, B. Paulo admodũ familiaris. Porrò paulò vberior fuit illa, qua ad Rom. vsus est. quę ordine rectissimè collocato primum locum meruit & obtinuit. Cum enim minus esset Romanis notus, & gratia illa insignis ei data à Deo & doctrina non satis pro dignitate pateret, licuit in ipso titulo latius spaciari. Hic tamen sui Apostolatus mentionem facere nõ prætermittit, vt ea quæ scripturus erat, acciperent Corinthij tanquam veram Christi Apostoli doctrinam. Addidit:

Per voluntatem Dei, Per hanc se vocatum, siue institutum Apostolum prædicat, vt non solùm Dei singularem erga se benignitatem declararet, verùm etiam vt innuat necessitatem docendi ac prædicandi: quia Deus illum ad tantum eligerat officium, & non ipse semetipsum temere, vt plerique faciunt, ingessit. Vnde dicturus est inferius: Vę mihi si non euangelizauero. Neque verò in donis alia est quærenda ratiò, quàm mera ipsius donantis voluntas.

Et Sosthenes frater. Sosthenen adiungit quasi cõscribentem epistolam hanc & consalutãtem, cum tamen minime sit dubium, eam B. Pauli spiritu dictatam fuisse: sed humilis Apostolus, & totus charitate plenus, quæ nihil reputat suum ab aliis seiunctum, sed facile communicat omnia, etiam Sosthenì tribuit, quod à se erat. Quia tamen probabatur atque confirmabatur à Sosthene, etiam adiunxit illum, quo firmiora essent & acceptiora quæ docebat. Hic nempe Sosthenes Iudęus erat, & princeps synagogæ Corinthiorum, cooperator Apostolorum ad fidem, & euangelij complementum: qui quidem apprehensus est, & malè acceptus coram Gallione proconsule. Interpretatur autem Sosthenes, potenter saluans, aut robustè. Hoc enim habebat secum Apostolus, in quo erat ille potẽs, & propugnator ad saluandum.

Salutat autem ecclesiam Dei illam, quæ erat Corinthi. Licet enim vna sit omnium ecclesia catholica, plures sunt tamen sub illa, & omnes Dei ecclesiæ appellantur: quæ & vocatæ sunt collectæ in Christo. Nam ecclesia, à καλέω dicitur, quod est voco: Synagoga verò congregatio est. Vnde congruè cognomen hoc in Iudæis remansit, quod solam collectionem notat, quasi spontaneam & naturalem: sicut populi sua sponte congregantur. At Ecclesia collectionem significat, quæ per vocationem supernam est: & ea ad Christianos pertinet, qui vocatione venientes significantur. Ideo adiecit: *Ecclesia & synagoga quid.*

Sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis. Nã hoc solius ecclesiæ Dei sponsæ est, non veteris synagogæ, vt sit illa sanctificata lauacro aquæ in verbo vitæ, vt testatur ad Ephesios.

Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, Vt non intelligas hanc epistolam mitti omnibus, qui inuocant nomen Domini: sed refertur ad illud, *vocatis sanctis*, vt indicet quod non soli erant in hac sorte vocationis, cum essent alij in orbe terrarum, qui inuocabant nomen Domini. Nam ij soli salui fiunt, cum non sit aliud nomẽ datũ sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri, quẽ admodum testatur in Act. B. Petrus. Act. 4.

In omni loco ipsorum, & nostro. Non hic arbitror de diocœsi & iurisdictione loqui Apostolum, sed vt indicet charitatem nihil proprium habere, sed communia omnia. Et quòd non Iudæorum loca tantum erant, vbi inuocaretur nomen Domini, sicut illi putabant: sed omnis locus est sanctificatus per Iesum Christum, vt ibi possimus eleuare pu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas manus. Vnde ad hæc officia totus mundus sanctificatus est. Verba deinde salutationis adiecit, *Gratia vobis & pax, &c.* Quæ declaranda sunt, vt in superiori quæ ad Romanos.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia (sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis) ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in die aduentus domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatē filij eius Iesu Christi domini nostri.

Gratias ago, &c. Hic incipit epistola, quæ & ipsa (vt decuit) non caret proœmio, vt reddatur dociles & beneuoli ad suscipiendam doctrinam. Argumentum autem epistolæ perstringam commodius post proœmium. Volens ergo primùm ostendere suam erga illos charitatem, vt sic animos eorum sibi amicos conciliaret, insinuat quomodo Deo gratias agat pro illis. Gratiam autē vocat donum illud excellum, quo gratis simus Deo, quod χάριν appellant scripturæ, cò quòd gratis absque vllo prorsus merito donatur.

Vide autem vt suo more à gratiarum actione incipit Apostolus, vt patet in omnibus epistolis, excepti illis quæ ad Galath. & ad Titum & ad Hebræos: quoniam illæ proœmio carebant, cæteræ initium habent à gratiarum actione & benedictione, quæ nihil aliud est quam gratiarum actio. Ne autem in seipso quis glorietur, dicit gratiam illis datam, non autem eorum meritis acquisitam. Data autem fuit in Christo Iesu: quia ipse pro nobis meruit. Et secundum mensuram donationis Christi, quatenus quis inuenitur in illo, accipit ex illius donis. Et vt vehementius iterum sibi illos conciliet, commendatione vtitur, dicens eos esse diuites in omnibus. Græcè ἐν παντὶ. Hoc quidam exponunt, in vniuerso, vt sit sensus, quòd non singuli, sed omnes simul abundarent: quanquam quod vnus habet, etiam alius habet propter charitatem, quæ facit omnia communia. Non tamen de tēporalibus bonis erat sermo, sed de spiritualibus his, quæ faciunt ad salutem. Nam cui ad hunc finē nihil deest, ille diues verè dici potest.

De effectu charitatis, omnia cōmunia facientis.

Ita vt vobis nihil desit in vlla gratia, siue dono. Nā græcè χαρίσματι legitur. Et dicit diuites illos factos in illo, nimirum in Christo B. Thomas exponit, id est propter illum. Vera quidem expositio in se: At vis verborum significat, eos qui sunt Christi, esse in eo per Spiritum tanquam insiti, & de Spiritu eius assiduè attrahentes. Sic rami habent à radice, à qua fluit omnis in ramos humor: & à vite, à qua accipiunt palmites, & quod habent, ab illa habēt, alius quidem palmes plus, alius minus. Quidam verò huic verbo; *in illo*; adiungunt, si perseuerauerint. Verùm hoc est addere, non exponere. Declarat autem diuitias ipsorum esse in omni verbo & scientia. Diuitis est etiam posse aliorum succurrere indigentiæ, quod est illius tantummodo qui abundauerit.

In omni verbo, & in omni scientia. Parum est habere verba, id est, verborum facundiam nisi simul adsit scientia ad docēdum alios. Nec admodum proderit scientia, nisi adsit & facultas verbi scientiam exprimentis atque tradentis. Perficitur ergo doctor iis duobus: & qui ita perfectus erit, sibi simile poterit ex parte sua sine impedimento generare. Et propterea rectè subditur.

Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Hoc variè exponitur. Mihi autem hic sensus videtur & verus & planus, scilicet vt dixerit: Ita vos estis diuites, videlicet ad propinandum verbum euangelij, & testimonium hoc confirmandum in aliis de Christo, sicut est in vobis confirmatum: quod certè fuit in omni verbo, & in omni scientia. His enim duobus, videlicet verbo & scientia quæ perficiunt doctorem, valdè potens Apostolus genuit illos in Christo. Sed pro infirmioribus addita sunt signa & prodigia, vt qui ipso puro sermone euangelij veritatem capere non poterant: miraculis ante oculos editis fidem amplecti cogerentur. Sequitur:

Ita vt nihil vobis desit in vlla dono, quod scilicet ad ædificationem aliorum pertineat. Nec enim hoc dixit simpliciter illis nihil deesse, quippe cum deesset vita æterna, sed quod nihil deerat *expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi*, hoc est, existentibus in statu fidei & spei, siue in statu gratiæ, qui est status viatorum, qui adhuc laborant & gemunt expectantes beatam spem. Etenim similes sunt expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: qui interim peruigilant, vt cum venerit & pulsauerit ianuam, confestim aperiant ei. Tunc enim erit reuelatio Iesu Christi Dei & Domini nostri, qui manifestè veniet, & non silebit. Quod vero sequitur,

Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, miram videtur continere promissionem. B. Thomas admittit, ab Apostolo indicari illos esse seruandos absque mortali peccato: tale nanque peccatum est crimen. Et hoc obiter contra hæreticos, qui negant posse hominem viuere absque crimine. Quidam alius, imò & B. Augustinus, intelligit confirmandos in fine, non qui interim nō peccarent, sed quòd in fine, id est, id aduentu Christi inuueniendi essent absque peccato. At certè durum videri potest, admittere omnes Corinthios fuisse prædestinatos. Et hoc etiam durius, Apostolo id per reuelationem fuisse nulla necessitate postulante indicatum, quod potius impediuisset susceptam circa illos solicitudinē. Denique si & hoc daremus, adhuc illud planè maneret absurdum, quòd hoc eis Apostolus manifestaret. Ex hoc enim nihil aliud quàm securitatem socordiæ matrem, præsertim in imperfectis, creasset. Quare nihil contingit absurdi subintelligere hic tacitā conditionē, videlicet. Confirmabit vos Deus: si & vos perseueraueritis, & nisi vos obicem ex aduerso posueritis gratiæ, sed ambulaueritis perseuerantes in præceptis eius. Sic exponit hunc locum B. Chrysostomus, & rectè. Huc quoque sensum expressit B. Petrus, qui post tradita charitatis præcepta, hæc adiunxit: Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Sobrij estote & vigilate, &c. post subiunxit: Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos perficiet, fulciet, confirmabit, solidabitque. Vocat autem diem Domini, illum iudicij supremum diem, quando iam operari nō licet. Nam vsque in diem illum (quia nobis operari licet) dies nostri dicuntur, & tempus nostrum: quia illo vti possumus, vt rectè & solicitè operantes mereamur in illo. At in illa dei Deus dicitur accipere tempus, & iudicare iustitias. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo, ait Psalmista. Vnde & ipsemet dixit: Operamini dum dies est: veniet nox quando nemo poterit operari. Et Apostolus noster: Dum tempus habemus, operemur bonum. Heu quantum est iactura in tēporis amissione, quo vt nihil velocius, & eius naturæ, vt nunquam quod abiit, redire valeat: ita nihil perniciosius, si frustra fluere permittitur. At quis adeo sapiens, vt hoc consideret? Vt verò comprobaret Apostolus dictum, videlicet Deum eos confirmaturū, si sibiipsis non defuerint, addidit:

1. Pet. 5. *Pro benignitate Dei, qui cō firmat perseuerantes.*

Ioan. 9.

Gal. 6.

Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem, &c. ac si manifestè dixerit: Vocauit Deus vos ad societatem Filij sui, id est, ad gloriam futuram, quam promisit vocatis. Sed primò vocati estis in societatem, vt patiamini cum illo: quoniam si compatiemur, & conregnabimus. Ipse enim Deus fidelis est, qui non deficit in promissis. Faciet ergo ex parte sua: & ideo confirmabit vos, si modo mansueritis in Filio videlicet socij passionum, vt positis etiam esse socij resurrectionis & gloriæ. Illud hic annotandum, quòd dixit eos vocatos per Deum, nimirum Patrem, vt hinc expugnentur hæretici illi, qui inde sumebant Filium esse Patre inferiorem, quia dicitur Pater per illum fecisse omnia. Et hic dicit Apostolus per Patrem vocatos esse Corinthios. Quid ergo? An Pater Filio minor an verò seipso? O miseram cœcitatem. Væ iis qui non acquiescunt veritati. Notandum & illud aduersus nouos hæreticos, qui cum neminem velint esse absque crimine, habent hic tamen Apostolum è diametro sibiipsis aduersantē: qui clarè ait Deū confirmaturum illos sine crimine vsque in finem. Quid ergo vociferātur, à nullo posse legē impleri? Et quid necesse est imputata illa iustitia, quā calidè excogitarūt, si noua peccata & crimina iustitiā nobis inhærentem, quæ est arra vitæ, non auferunt?

Nota superiora aduersus hæreticos.

Obsecro autem vos fratres, per nomē domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadēm sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quòd vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: Ego autem Apollo: Ego verò Cephæ: Ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nūquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo, q. neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Caium: ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterùm, nescio si quem alium vestrum baptizauerim. Non enim misit me Christus baptizare, sed euāgelizare: non in sapiētia verbi, vt non euacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autē qui saluifiūt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapiētium: & prudentiam prudentium reprobabo.

Obsecro autem vos, &c. Hic incipit tractatus huius epistolæ mira doctrina refertæ: quam possumus summatim pro cōmodiore expositione, in decem particulas diuidere.

Diuisio totius epistolæ.

Prima cōtinet miserrimę ambitionis exprobrationem ac detestationem: Vnde schismata inter illos & sectæ oriebantur. Et propterea hortatur ad sanctam illam & amabilem vnionem, quam mysterium baptismatis continebat. Habet ergo & cōtrariam omnino ambitioni doctrinam Crucis, in qua est vera & diuina virtus ad veram & sempiternam gloriam.

Secunda habet inuectiuam in flagitium infāndi concubitus, & detestationem omnis fornicationis: quo vitio nō obscurè plurimum laborasse Corinthij videntur.

Tertia controuersias, & lites forēses vituperat, & reprehendit, tanquàm Christi seruis indignas, ac præsertim quæ apud infideles agerentur: quod redundabat in opprobrium teneræ adhuc fidei. Nam inter illos charitatis iura, & non rerum fluxarum lucra vigere volebat.

Quarta tractat matrimonij iura, & conditiones tales, vt optaret omnes sibi (si fieri posset) in vita cœlibatus pares ob varias angustias, quas ille matrimonij status secum affert. Ex opposito charissimum Deo, & pretiosissimum castitis donum & virginitatis summis laudibus extollit, vt Christianus homo & corpore & animo sit Dei seruitio totus mancipatus.

Quinta libertatem quæ est in noua lege Christi declarat: verùm ob scandalum proximi non esse illa vtendum, sed abstinendum vel à licitis, ne infirmi, in fide, qui tā facile à priscis ritibus abduci non poterant, periclitarentur obiecto illo liberioris vitæ exemplo.

Sexta superstitionem in orando ac prophetando, quam in velando caput viri obseruabant: & contra, mulieres quæ non velando caput orabant, vituperat: atque ne in posterum fiat, prohibet. Et hic incipit nonnulla adiicere ad præparationē Eucharistię, quo dignè ad salutem sumatur.

Septima de donis Spiritus tractat, ordinatè à Deo dispositis ad ecclesiæ ædificationē: & ad omnium vtilitatē ita ordinatè exercendis, vt mēbrum vnū alterius mēbri officium & peculiarē functionem non vsurpet, ne corpus optimè à Deo cōpactum, violato ordine, monstri simile reddatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Octaua æmulationem ſanctam ſuadet, & meliorum chariſmatum deſiderium. Et hîc ita extollit præſtantiam charitatis, vt cæteras omnes virtutes & dona nihil iuuare ad æternam vitam aſſeueret, ſi non in primis ipſius charitatis ſocietate fulciantur, quam vel in futura vita præcipuè regnaturam teſtatur: quia nonquam excidet.

Nona præfert donum prophetiæ dono linguarum à fructibus ipſius prophetiæ ſiue interpretationis, quæ plurimùm valet ad Eccleſiæ ædificationem, ad doctrinam, & afflictorum cõſolationem, quæ omnia præſtare illi non poterant, qui lingua tantummodo loquebantur.

Decima ſuadet reſurrectionem vniuerſæ carnis futuram. Poſtremo adhortatur ad eleemoſinas & collectas, ſicut in pactis cum Apoſtolis continebatur, ad reuelandam Chriſti pauperum ſanctorum inopiam.

Quantum ergo attinet ad primam particulam in prædictis verbis, Apoſtolus primò hortatur obſecrando dulciter per nomen dulciſsimũ IeſuChriſti, ad vnionem & conſenſum in dogmatibus: quoniam ex diſſenſione ſchiſmata naſcuntur & hæreſes, pulcherrimam eccleſiæ vnitatem turpiter & perniciosiſsimè diſcerpentes: Vnde ait: *Vt idem dicatis omnes*. Græcè τὸ αὐτὸ, quòd certum quiddam, & iã determinatũ ſignificat, in quod vt concurrãt omnes admonet. Nam iſtud ne ſint ſchiſmata, eſt neceſſe, videlicet idẽ dicere ac proferre. Sed quia nemo verè dicere aliquid cenſetur, niſi & ita eſſe in ipſo animo ſentiat: iccirco vt idem dicant, oportet vt pariter idem ſentiant: quare adiecit.

Pro vnitate fidei.

Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Græcè ſic legitur, ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ, id eſt, in eadem mente & eadem ſententia. Et per mentem intelligo cogitationem, dum res inquiritur meditando, & iam noſcitur ex principiis concluſio. Per ſentẽtiam verò iudicium & confirmationem notitiæ: vt ſic tria hæc perſtringatur, videlicet diem noſſe: & idem ſapere, hoc eſt, ſententia comprobare: ac demum idem dicere & proferre. Hoc ſi fiat, iam ceſſant omnes ſchiſmatum occaſiones. Nõ me latet alios aliter hoc pro ſuo quẽque ſenſu exponere, nec inter ſe tamen conſtare. Ego verò quod verius mihi viſum eſt, breuiter expoſui. Ne autem fortè dicerent: Quorſum hæc ad nos B. Paule? ſubiecit, non ab re hæc ſe illis propoſuiſſe, velut medelam malo quo laborabant: Ait ergo;

Quid mẽs, quid ſententia hic ſignificet.

Significatum eſt enim mihi de vobis fratres, &c. Fratres vocat, vt dulciter, & in ſpiritus lenitate admoniti, facilius correctionis medelam ſumant. *Ab iis qui ſunt Chloes.* Chloes autem aut locum, aut certè mulierem ſignificat. Verùm duo videtur hîc agere Apoſtolus, quæ non ſatis probari ſolent. Alterum quòd delatores manifeſtat: Alterum quòd fidem ſe habere oſtendit talia aſſerentibus abſque alia certiore notitia. Sed vtrũque excuſatur, quùm crimen publicum eſt: Et quùm qui deferunt, non cauẽt nomina propria (ſi opus fuerit) exprimi: quę duo hoc in loco deprehendebantur. Et tamen neminem proprio nomine deſignat.

Exponit autem ſchiſma natum eſſe, quòd dicerent. *Ego quidẽ ſum Pauli, &c.* At hoc nullo videtur vituperio dignum, ſi quiſque afficiatur erga ſuum doctorem: cum & quilibet in religione & in doctrina, eligat ſibi ducem quẽ ſequatur, idque nemine vituperante. Imo & eccleſia ipſa probauit hos ordines & doctrinas. Sic enim alius B. Dominici ordinem, alius B. Franciſci amplectitur. Et in doctrina, alius quidẽ B. Thomam ſequitur: alius Scotum, vel alium quemlibet.

Præterea (& id eſt accuratius conſiderandum) eos etiam videtur reprehendere, qui dicebant ſe eſſe Chriſti. Nam & hos cum aliis, quos reprehẽdit, enumerat. Qui tamen minime vituperandi erant, ſed potius commendatione digni, vt qui primario capiti hærerent, & in eo gloriarẽtur: quod ab omnibus videtur eſſe faciendum.

Vt igitur primo ſcrupulo ſatisfaciam, primùm quoque lector nouerit, quoſdam eſſe, qui negãt à Corinthiis ea dici de B. Paulo, & Cepha & Apollo: ſed illud B. Paulum in ſe figuraſſe & Apollo, & Cepha, quod de quibuſdam aliis audierat, qui ſeſe conſtituerant ſectarum variarũ capita. Et hoc ex illius propriis verbis colligi poſſe videtur paulò inferius, ſcilicet cap. 4. Porrò hanc nominũ cõmunicationẽ addunt, prudẽter in ſe, & Apollo, & Cepham eſſe factam, ne ſi nominaſſet qui ſe faciebant capita illorum, magis eos irritaret: quin potius exemplo hoc, in quo B. Paulus etiã ſeipſum videtur contẽnere (qui tamen erat omnium illorum Magiſter) deponerent ambitionem.

At mihi hæc expoſitio minime probatur: tum quia hîc ſimpliciter rem vt ſe habebat, deſcribit, quòd aliqui ſcilicet ita dicerent: *Ego ſum Pauli, &c.* Et conſtãter in hoc videtur perſiſtere, ſemper perſonam propriam exinaniens, vt mox videbimus: Tum verò cum non ſit putandum, ſi Corinthij vlla faciebant ſibi ſectarum capita, ab eis Apoſtolos omnino excluſos, & potiſsimum ipſum B. Paulũ, vt nullus eorum diceret, Ego ſum Pauli, quem tamen primum patrem habuerunt in Chriſto, vt ipſemet teſtatur: Per euangelium, ait, ego vos genui. Et ſi qua regnaret inter eos ambitio, quem poterant ſibi caput ſeligere B. Paulo præſtantius in ſignis, prodigiis & virtutibus, & in omni genere ſanctitatis & doctrinæ: in quibus tamen maximè gloriari ſolent, qui ſectas amant.

Quod autem inferius videatur aliter dicere, ſi rectè inſpectum fuerit, iam non ita videbitur, vt eo in loco clarè oſtendam. Vera ergo & iuſta fuit illa reprehẽſio. Neque ob id negamus licere cuilibet ſequi ducẽ ſuum, ſiue ad imitãdam vitam, ſiue ad doctrinam, modo ſit ille probatus. Eatenus tamẽ hoc facere licet, quatenus fert & ipſa veritatis dignitas, cui ſemper primus deferendus eſt honor & ipſa vnio charitatis, id eſt, ne prætextu Ducis aut Magiſtri relĩquatur fidei veritas: aut ſcindatur vnitas, quæ eſt ex charitate in capite ipſo noſtro ſummo & vero Chriſto. Quod vtinã illi obſeruarent & facerent, qui dicũt. Ego ſum Franciſci: Ego verò Dominici. Et iterum: Ego ſum Thomæ: Ego verò Scoti, &c. Magna profectò diſsidia ob eiuſmodi æmulationes ſeuit Diabol⁹ in Eccleſia: quia vnuſquiſque nõ tam veritatẽ, quàm gloriam propriam diligit. Quare copioſum hæc materia nobis ſubminiſtraret ſermonẽ, aduerſus illos qui eiuſmodi ſunt, ſed qui habent purgatas aures, ſub paucis iis multa cõtineri intelligunt: ſatis ſit admonuiſſe.

Notent fratres.

Quod verò ſecundo loco obiiciebatur, Apoſtolum reprehendere eos qui aiebant: Ego ſum Chriſti, plerique reprehenſos negant. Non enim quaſi illi ſimiliter non rectè dicerent, cõmemorati cum aliis ſunt, qui non rectè dicebant: verum contra potius, quia rectè ij dicebant, tanquam ex oppoſito collocati ſunt, vt præ iſtis alij iudicentur.

Cur reprehendantur Corinthij illi qui ſe eſſe Chriſti dicebant.

Tu verò acute lector diligentius conſidera. Nunverius, & ad literam & ſenſum Apoſtoli aptius dicatur, etiã iſtos fuiſſe ſuo modo notatos, tanquam nimis ſapientes, & in aliam partem peccãtes: quoniam Chriſti prętextu contemnebant miniſtros eius, vt miniſtros, quos nihili faciebãt. Quod peccatum noſtris redit temporibus, apud Lutheranos potiſsimum regnãs, qui Chriſtum ſolum ſpretis illius membris ſuſcipiunt, ſi modo ſic ſuſcipiũt. Nam ita ſuſcipiunt, vt qui ſub Chriſto duces fuerint, ſanctos Dei veros omnino floccifaciant: quorum exempla & traditiones (quas humanas conſtitutiones vocant) prorſus contemnunt. At hoc non erat ſuſcipere Chriſtum, qui dixerat: Qui vos accipit, me accipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Tales erant fortaſsis ex Corinthiis quidam, qui & hoc factioſè dicebant: Ego ſum Chriſti, nomen Chriſti quaſi velamen malitię, & clypeum patrocinij ſuſcipientes, vt ab aliis ſe ſegregarent, nolentes ſeruare traditiones Apoſtolorum. Sed neſcit Rex pacificus patrocinium prębere contentioſis.

Luc. 10.

Nec quenquam mouere debet, ſi B. Paulus videatur ſe pręferre cęteris, dum prius ſe nominat, quàm Apollo & Cepham. Hic enim à ſe incipit tanquam ab indigniore, ita vt velit gradatim ad ſublimiores aſcendere: quod plus ſatis vel ex eo patet, quia vltimo poſt Cepham loco nominat Chriſtũ principem tamen & caput omnium.

Diuiſus eſt Chriſtus? &c. Hic B. Paulus vult oſtendere horum ſchiſmatum inconuenientiam, idque à duobus. Et primùm quidem, quia ſic diuiditur Chriſtus: ideo cũ deteſtatione ait, *Diuiſus eſt Chriſtus?* Scimus enim Chriſtũ in ſe ſcindi nõ poſſe: ſed tunc ſcindi dicitur, cum corpus eius, quod eſt Eccleſia, ſcinditur, ſiue ab eo corpore ſeparetur caput, ſiue inter ſe membra diſgregẽtur & diſcerpantur. Sicut autem illud corpus Chriſti non eſt paſſum ſciſſuram, ſed ſeruatum eſt integrum (iuxta vaticinium illud: Os non comminuetis ex eo) Sic & indignum cenſetur diuidi corpus eius myſticum, id eſt, eccleſiam. Nam corpus myſticum debet figurari vero corpori, quod eſt typus.

Exod. 12.

Secundò reprobat ſectas huiuſmodi, in quibus quilibet ſibi caput conſtituit ſuo modo: quia per hoc negligitur verũ caput, quod eſt Chriſt⁹. Verè enim tunc ſcinditur Chriſtus corpus myſticum, quando non cõſideratur caput cum membris, vti faciebant illi qui aiebant: Ego verò Chriſti, quaſi opponentes ſe illis qui dicebant: Ego ſum Pauli. Ab vtriſque ſi quidem diuidebatur Chriſtus. Primò ab iis, qui Chriſtum ſolum conſiderabãt: quia à capite Chriſto ſegregabant membra. Alij vero, qui B. Paulum & alios efferebant, cõtrario modo diuidebant Chriſtum: quia à membris ſegregabãt caput, & monſtroſè plura capita conſtruebant.

Eſſe autem verum & primarium caput ipſum Chriſtum, probat: quia ipſe ſolus pro cunctis eſt crucifixus, & reſurrexit: quemadmodum abſolutè & perfectè totum hoc in baptiſmo repręſentatur. Eius enim paſsione fluit omnis effectus in nos aduerſus peccatum, vt peccato moriamur, & reſurgamus viuentes in illo induti nouum hominẽ, qui per crucem illius & mortem creatus eſt, vt creſcat in operibus iuſtitiæ & ſanctitatis: atque ideo caput noſtrum ipſe eſt, propter quod adhuc vehementius vrgens, ait:

Nunquid Paulus, pro vobis eſt crucifixus, vt ſcilicet illum vobis caput conſtituere debeatis? Et quod ita ſit, etiam probat dicens: *Aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Græcè tamen legitur, in nomine Pauli. Vis autem rationis hæc eſt. Cum in baptiſmo profeſsio ſit fidei noſtræ, ideo cum noſtræ ſalutis autorem debemus credere, cuius nomen explicatur in baptiſmo, in quod nomen baptizamur. In baptiſmo autem nullius hominis nomen exprimitur, niſi ſanctæ Trinitatis, ſicut erat forma tradita à Chriſto vera: quanquam eo tempore baptizarent etiam in nomine Chriſti, quò hoc ſanctum nomen glorificaretur, vt patet in Act. Apoſt. Ideo caput ſalutis omnium Chriſtum eſſe, fatendum eſt. Contra quod videbantur illi moliri, qui ſibi diuerſa capita ſtatuebant.

Sed hinc aliquot exoriuntur non infructuoſæ quæſtiones. Prima, Videtur alibi B. Paulus dicere, ſe adimplere ea quæ deerant paſsionum Chriſti in carne ſua, pro corpore eius quod eſt eccleſia. Et item ſtigmata Ieſu ſe portare aſſerit: & mori cõtinuè, & tradi beſtiis, & perſecutionibus pro ſalute aliorum, & omnia ſuſtinere propter electos, vt ipſi ſalutem conſequãtur. Quomodo ergo ita eſt pro nobis crucifixus Chriſtus, vt excludantur B. Paulus & cæteri, qui poſuerunt animam ſuã pro aliis? Secunda quæſtio eſt: Quomodo baptizarent tunc in nomine Chriſti, cum data eſſet alia baptiſmi forma, videlicet. In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti? Tertia eſt, quomodo B. Paulus verè dixerit ſe nomine ſuo non baptizare, ſed Chriſti: cum baptiſmus conferatur à ſacerdote dicẽte, Ego te baptizo, &c.

Coloſſen. 1.

Ad primam reſpondeo, Chriſtum eſſe principalem Mediatorem & Redemptorem noſtrum: vt quicunque poſt illum nobis operatur ſalutem, à meritis Chriſti habeat: atque ideo ille principaliter habendus eſt ſemper pro paſtore, & magiſtro, & capite. At qui ſub eo ſunt mediatores, etiam ſub eo conſiderandi ſunt quaſi vicarij magiſtri, & vicaria capita, cum & ipſi ſint redempti ab illo. Et hoc modo nulla oriuntur ſchiſmata, vt ipſemet Apoſtolus paulò inferius docebit.

Non ſum neſcius quoſdam ſcholaſticos aliter hoc reſoluere, ſi modo reſoluũt. B. enim Thomas aliquando videtur, dicere, paſsiones ſanctorum & B. Pauli profuiſſe aliis per modum exempli, & nõ per modum meriti. At nos putamus etiã per modum meriti: quia & hoc Chriſtus meruit, vt quidã inſignes viri, & nobiliora ipſius poſt ſe membra, mereri ſimiliter poſſent pro aliis, vt ſic adimpleãtur paſsiones Chriſti myſtici, in quo illi ſunt præcipuè, qui proximiores illi fuerunt, & dicere potegant: Imitatores noſtri eſtote, ſicut & nos Chriſti. Verùm iſtud differamus in loco proprio tractandum vberius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De forma baptismi.

Ad secundam dicimus, Licuisse olim ad Christi gloriam manifestandam & diuinitatem, baptizari in nomine Christi, ita dispensante Deo. At nũc necessario est obseruanda forma à Christo data: quanquam nonnulli secus putant, qui vel nunc baptismũ conferri posse in nomine Christi sentiũt, aientes virtualiter in hoc nomine totam Trinitatem contineri. Sed periculosa est huiusmodi opinio: quia in his quæ pro forma requirũtur, in propria forma data complendus est actus, vt aiunt Iurisconsulti. Quare non arbitrarer excusari posse à magno præsumptionis peccato, qui sic auderent baptizare.

De ministro baptismi.

Ad tertiam dicimus: Qui dicit, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. non suo nomine baptizat, aut in suum nomen: sed planè exprimit quo nomine baptizet, nimirum, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et declarat se ministrum esse tantum eius actus, qui sensibiliter agitur, & eius mersionis sub aqua. Nam gratia, & cæteri spirituales effectus procedũt ab ipso Deo immediatè, qui ita promisit atque statuit, non autem à ministro, aut per ministrũ. Et iccirco in baptismo quilibet idoneus minister est: quia nudum factum ab eo exigitur absque iurisdictione, quod nõ est in absoluendo, aut retinendo peccata.

Græcorum error.

Superstitiosè ergo mutarũt formæ verba Græci, nolentes dicere. Ego te baptizo, sed: Baptizetur seruus Christi, ne minister authoritatem profiteri videatur, quæ Christi est. Quasi verò B. Paulus hîc non testificetur se nonnullis baptismum contulisse. Si hoc verũ est quòd baptizauerit: cur non poterit dicere, Ego te baptizo? Nam & Euangelista

Ioan. 4.

ait: Quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Itaque superflui fuerunt in hoc Græci: licet verè etiam illo modo cõferrent baptismum. Attamen, in hac re (quẽadmodum in aliis multis) plus sapere voluerunt quàm oportebat: quos cũ noui

Notent hæretici.

hæretici imitentur, deberent simul ad infœlicem præsumptionis eorum exitum attendere.

Gratias ago Deo meo quòd neminem vestrum baptizaui, &c. Gaudet Apostolus & gratias agit Deo, nullam à se occasionem huic errori oblatam, quam illi accipiebant à baptismo, vt quicunque ab aliquo baptizaretur, illi hæreret vt patri & magistro, quasi ille in proprio baptizantis nomine esset baptizatus. Quapropter profitetur à se neminem illorũ baptizatum, *nisi Crispum.* Crispus hic erat Iudæus & archisynagogus, de quo in Actis Apostolorum, *Et Caium*, qui fuit eius hospes vt ipse testatur in epistola ad Romanos. *Baptizaui autem & Stephanæ domum.* Viri nomen est Stephanas, & probabile est etiam in illa domo fuisse pueros: & hoc contra Anabaptistas.

Ceterum nescio si quẽ alium baptizauerim. Cauta est hęc & prudens locutio, hominisque ad multa intẽti, qui facilè etiam posit aliquorum obliuisci, quę ad rem non pertineant. Homines enim erant ad huc Apostoli, nec in omnibus prorsus dirigebantur à Spiritu sancto: sed in his quæ ad fidem erant necessaria, & ad Deum attinebat.

Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Quidam hæc verba intelligunt, comparatione: quia etsi missus fuerit ad vtrunque sub illis verbis:

Matt. vlt.

Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. principaliter tamen ad prædicandum. Mihi tamen expeditius ac verius illud videtur vt dicamus, non fuisse reuera proprium Apostolorum officium baptizare per semetipsos, sicut nec ministrare mensis. Et id præsertim non conueniebat B. Paulo, qui totus in euangelij prædicatione occupari debebat. Illud autem mandatum: Baptizantes eos, &c. intelligendum est commodè, videlicet per alios, sicut & Christus dictus est baptizare, qui per discipulos suos baptizabat, cum ipse non baptizaret, teste Dilecto.

Quid inter sit inter officium baptizandi, & euangelizandi.

Quòd si quis dixerit: Quare non pari ratione in intelligatur & aliud præceptum de euangelizãdo, videlicet vt per alios possent euangelizare? Nam apostolus inferius dicturus est. Væ mihi si non euangelizauero. Respondeo, quia rei natura non fert, vt per alium id fiat, quæ declarat hoc officiũ indelegabile fuisse in ipsis Apostolis, quorum electa erat persona propter autoritatem & notitiam. Istud autem locum non habet in baptismo, cuius quilibet (vt diximus) Idoneus est minister. Quare Valentinianus Cæsar minus prudenter baptismum ea ratione distulit, vt à B. Ambrosio baptizaretur, qui interim sine baptismo defunctus est. Nec prudenter Constantinus magnus, qui in Iordano flumine baptizari volebat (si modo quod tradiderunt quidam verùm est) qui similiter morte præuentus non valuit. Vnde fertur in Bithinia baptizatus. Nec enim aqua illa Iordanis, potius quàm quæuis alia: aut minister ille potius quàm ille confert ad baptismum. Spiritus enim Christi est, qui verè baptizat.

Quòd si quis non fuerit ita perspicax, vt valeat hæc officia discernere, videlicet quænã sint in quibus electa sit industria personæ, acquiescat exemplis. De Christo enim legitur quòd destitus fuit à Deo ad baptizandum, vt B. Ioannes testatur, di- *Matth. 3.*

cens, Ille baptizabit Spiritu sancto: & tamen non baptizabat per se, sed per discipulos suos, vt testatur B. Ioannes. Missus item fuit ad prædicandum, sicut ipse dixit ex Isaia. Spiritus Domini super me, *Isa. 61.*

eo quòd vnxerit me, ad prædicandum Gentibus misit me, &c. Et hoc per se ipsum voluit exequi in tota Iudæa, sicut ipsemet dixit. Oportet me & a- *Luc. 4.*

liis ciuitatibus prædicare, quia & ad hoc missus sum. Sed ad alias gentes Apostolos misit. Similiter & B. Petrus qui missus erat baptizare, non per se, sed per alios baptizabat. Ideò iubet baptizari Corneliũ, vt legitur in Act. Et iussit eos (ait scri- *Act. 10.*

ptura) baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Missus verò prædicare, hoc per seipsum fecit, & alios etiã misit ad prædicandũ: Quãobrem dicit se electũ à Deo, per cuius os audiant Gẽtes verbum euãgelij, & credant. Missi erant & Apostoli ad ministranda alia sacramenta, & hoc tamen per alios faciebant. Ideò crearunt septem illos primos diaconos, & postmodo etiã presbyteros, vt ipsi liberius possent instare verbo doctrinæ, & orationi.

Pro virtute veritatis Crucis.

Non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi, Quia contentiones & rixæ, & sectarũ conuenticula fiebant etiam propter sapientiã verbi, quoniam qui docebant vtebantur tali sapientia ad alliciendum homines dulcedine verbi, qualis erat apud Græcos, qui plurimum arte illa pollebant: ideò B. Paulus exemplo sui tacitè arguit illos: & nacta

hinc occasione exponit prouidentiam Dei, qui virtutem suã posuit in abiectis, & iis qui crucem saperent, hoc est, crucis virtutem intelligerent, ac præ se vita ac exemplo ferrent.

Ambitio vnioni inimica.

Hic ergo incipit alia primæ diuisionis particula, vbi intendit Apostolus extollere humilia & infirma crucis, ad extinguendam ambitionem, quæ vnioni maximè est inimica. Inducens ergo semet ipsum (vt diximus) in exemplum, ait se ad prædicãdum euangelium fuisse missum, non quidem in sapientia verbi, id est, non pompoſè ac rhetoricè cũ magno verborum apparatu atque elegãtia, & quę sitis coloribus, seu figuris, & iuxta præcepta sapiẽtum mundi, vt prædicaret semetipsum, & sermonis magis quàm veritatis potentia homines attraheret. Non enim placuit Deo ea via, noui status veritatem aperire. Et huius diuinæ prouidentię rationem subdit:

Vt non euacuetur crux Christi, id est, vt suus honor daretur cruci, qua debet nostra fides, ob latentem eius virtutem, inniti. Quòd si in sapientia verbi prædicassent Apostoli, iam fidelium propagatio non ascriberetur Dei virtuti sub humilitate Crucis latenti, sed ipsi potius potentiæ verbi, humana sapientia atque facũdia compositi. Et ob eam causam prædicantis potius esset honor, quam Crucis prædicatæ: & gloria daretur linguæ, non ipsi Cruci. Et hoc illi pseudoapostoli vehementer affectabant, vnde conflabantur illæ sectæ. Quo artificio iam dudum multi hypocritæ vsi sunt, & fermè

Hæretici elegantiæ sermonis, & floribus rhetoricis student.

hæretici omnes, qui linguæ fidunt & astutiæ propriæ. Nam (vt verum fateamur) noui hæretici plurimum in dicendo pollent: & præterquã quòd dogmata prædicant per se satis grata carni, operã diligentissimã insuper nauant, vt ea plausibilibus verbis, ornatis & comptis porrigant, cum eleganter ferè omnes loquantur. Non sic tamen instructi pectore, sicut eruditi lingua. Contra verò de seipso

2. Cor. 2.

testatur Apostolus, Si imperitus, inquit, sermone, sed non scientia.

Quamobrem consydera mecum prudẽs lector, prouidentiam Dei. Placuit.n. per Crucẽ, rem stultam, rem infirmã atque ignominiosam, saluos facere credentes. Et ob hoc etiam placuit inuenire stultos, infirmos atque abiectos corã oculis mundi hominęs, qui non solùm crucem subirent, sed etiam prædicarent stulta, & infirma crucis. Adiecit & prædicationis modum, vt esset similiter humilis & abiectus, & crucem redolens: vt sic tria hæc, quæ prædicationem explebant, conuenirent. Primum res prædicata, id est, Christus crucifixus. Tum & ipsi prædicantes, qui similiter erant crucifixi mundo. Et tertiò, prædicandi modus conformis, scilicet absque sapiẽtia mundi. Vt per hæc tria vilia & abiecta pateret virtus Christi & Dei, latens in omnibus abiectis & humilibus, per quæ excelsa ac fortia triumphauit.

Verbum enim crucis, &c. Rei prædicatæ virtutem ostendit, ne quis obiiceret hanc crucem verè stultitiam esse. Ait ergo crucem iis solùm qui pereũt, stultitiam esse, id est, iis qui diligunt pereuntia, & ita seipsos aptarunt ad interitum, vt in statu perditionis existant. Nonne qui amat mundum, & quæ in illo sunt, amat peritura? Ille ergo perit assiduè, cui assiduè perit tempus frustrà consumptũ, & absque resipiscentia. Nam quãtò magis appropinquat extremus dies, tantò celerior imminet ei interitus. His igitur verbum crucis est stultitia. At verò *iis qui salui fiunt, id est, nobis Dei virtus est*, id est, iis qui sperant futura & expectant (vt decet) crux est via ad salutem. Spe enim salui facti sumus. Verbum crucis virtus Dei est, id est, potentia Dei ad saluãdum. Et ij sunt qui salui fiũt: quos ipsos quasi digito demonstrat adiiciens, *nobis*, ipsum ecclesiæ corpus intelligens, vocatum atque mundatũ. Producit autem & ad hoc scripturam dicentem:

Sapientia mundi pro stulta est à sapientia Crucis.

Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et apud Abdiam. c. 1. Perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de mõte Esau. Isaias ait: Peribit enim sapiẽtia à sapientibus eius: & intellectus prudentium eius abscondetur. Secũdum ergo ex prophetis Apostolus elicuit more suo, non verba. Dixerat enim per Isaiam dominus: Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis glorificat me, cor autem eorũ longe est à me, & timuerunt me mandato hominũ & doctrinis. *Isa. 29.*

Ideo ecce ego addã vt admirationem faciam populo huic miraculo grãdi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentiũ eius abscõdetur. Horum verborũ hic est sensus, vt Dominus in euãgelio docet, & hoc in loco Apostolus. Quoniã ille Iudęorum populus abusus erat donis Dei magnis, quibus illum exerat in virtute signorum, & in doctrina, & in miserationibus multis, & iã penitus cor auerterat ab illo, & solùm in exterioribus eũ cærimoniis colebat, addens prę ter ea superstitiones plurimas: ideo conueniẽs fuit mutare pactũ cum toto mundo. Nã cum minime profecisset primo modo in his quæ magna apud homines videri poterant & fortia, & iuxta humanam sæculi prudentiam admiranda, quæ ea solet quæ huiusmodi sunt magnificare: ideo magno & stupendo miraculo fecit mundum proficere sub stultitia Crucis, & per hanc stultitiam sapientiam mundi perdidit. Et quæ videri poterant lucra perspicacioribus oculis cognita sunt esse detrimenta. Et econuerso, Crucem Christi esse verum & sempiternum lucrum. Etenim hæc est lex crucis certissima. Per multas tribulationes oportet intrare *Act. 14.*

in regnũ Dei. Hoc sæculi sapientia probare nõ potest. Ideo perit sapientia hæc, quæ vincitur à stultitia crucis. Dixit autem Isaias: Intellectus prudentiũ abscondetur: quia confunderur quùm viderit stultitiam Crucis adeò potenter loqui, vt nulla valeat sapientia mundi prævalere. Et hoc est reprobari à Deo, sicut ait Apostol' sensum ipsum eruẽs, & verba omittens.

Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi inquisitor huius sæculi? Nõne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes: Quoniam & Iudæi signa petunt: & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiã: ipsis autem vocatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapiẽtiam. Quia quod stultũ est Dei, sapientius est hominibus: & q̃ infirmum est Dei fortius est hominibus.

Vbi sapiens? vbi scriba, &c. Isaias pro sapiente, literatum dixit: sicut qui philosophiæ literis imbuti erant, literati dicebantur. Et pro scriba, ponderantem verba legis dixit: quod ad Iudæum pertinet legis peritum, qui verborum magis quàm spiritus ponderator erat & scrutator, qui quidem spiritus sub verborum cortice latebat. Sed ij omnes ad reuelationem stultitiæ crucis euanuere: quia sapientia Crucis ostẽdit eos partim vanos, qui per illam suam sapientiam non parabant sibi aditum ad æterna bona, quæ prorsus ignorabant: partim verò fallos, cum in multis articulis primis, & in ipsis foribus turpiter aberrarent.

Quod verò Apostolus dixit, *Vbi inquisitor huius sæculi?* Isaias dixit: Vbi doctor paruulorũ? Et vide sẽsum quàm doctissime ab Apostolo erutũ. Qui enim paruulos docet, ab elemẽtis incipit. Sic philosophi docebãt diuinorũ rudes & ignaros per elementa mũdi huius. Docebãt nimirum per ea quæ facta sunt, inuisibilia Dei speculãtes. Et ij propriè vocantur inquisitores huius sæculi, id est, inuestigatores naturæ, vnde accipiunt elementa ad intelligentiã diuinorum. Sed hi omnes stulti facti sunt adueniẽte luce huius sapiẽtissimæ & saluberrimæ stultitiẽ Dei crucifixi. Quamobrẽ rectè Apostol',

Quid inquisitor sæculi.

Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Et verè stultã reddidit, cum per sapientiã illã non solùm finem nostrũ non quærimus, sed ab eo longè recedimus. Sapientia enim huius mundi nõ indicat nobis verum finẽ nostrum, qui est adhærere Deo, nec viam ad illum monstrat. Atqui sapientis est proprium, suas omnes actiones ad finem ordinare. Iustificat autẽ consilium Dei, qui sic statuit.

Nam quia in Dei sapientia non cognouit mũdus, &c. Attende ergo, ô homo, ad consilium Dei & vias eius. Est enim sapientia Dei, & est stultitia Dei apud B. Paulũ: & hę ambę vtiles vię ad inquirẽdum ipsum Deum. Sapiẽtia Dei est, qua is cognoscitur in rerum creatione & creaturis, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt. Contemplamur enim cœlos, & cœlorũ lumina, & cursus syderum: & sapienter cuncta ibi esse disposita probamus. Speculamur & quæ sub cœlo sunt elementa, maria & terram, terrenasque arcanas diuitias perscrutamur, & diuersa animalium corpora, & varias rerũ naturas. Et in his omnibus Dei vestigia, & vmbrã quandã aspicimus. Et ipsum cõiectamus Deũ, & eius admiramur, & veneramur sapiẽtiam. Sed in hac sapientia nihil profecerũt philosophi apud Deum: quandoquidem noscentes illum, non glorificauerunt, sicut decebat. Nec primus homo parens noster, qui valdè eadem Dei sapientia excelluit. Nam rectus est à principio constitutus, & magnis ac mirabilibus ornatus donis, qui & ipse euanuit cogitans, & appetens à seipso maiora.

Sap. 11.

Eccl. 7. & 17.

Videns igitur Deus nihil vtilitatis hominẽ per hanc sapientiam percepisse, mutauit rationem docendi, & stultus propter nos factus, nouum nobis discendi modũ dedit, videlicet, vt per stultitiã suã, qua coniecit Filium suum in crucem, cognoscere mus immẽsam eius virtutem, & sapientiam, & bonitatẽ: & ita proficeremus in via Dei noua. Quis enim non stultum putet, sinere Deum se tradi, & mori velle, iustum pro iniustis, & sic infirmari virtutem ipsãm, & stultam effici sapientiam, & æternum Patris verbum, vnde omne eloquium venit, fieri infans & obmutescere (sicut scriptum est) tanquam esset agnus, & sicut ouis quæ ad victimam ducitur, aut tondetur? Et hæc omnia in medelam ægritudinum nostrarum conuertere, hoc est, insigne hominum peccatum in sanitatem & vitam.

Quis vnquam homo iuxta sapiẽtiam suam hæc faceret, aut facta probare posset, tanquam facta sapienter? Hæc tamen omnia tam stulta in oculis nostris, atque adeò infirma passus est Deus nostri gratia. Vnde pro huius stultiæ rei, id est, crucis prædicationem bene complacuit Deo (græcè enim εὐδόκησεν legitur) saluos facere credentes, vt vel sic inueniretur ab iis, qui crederent tantam eius esse bonitatem, vt ad hanc tam insignẽ stultitiam adigeret semetipsum. Porrò stultitiam dico iuxta cor & iudicium sapientis mundi, & ignorantis elemẽta constitutionis eius, & pacta. Nam iustum erat vt qui crederent, & fidem haberent huic stultitiẽ (sicut sunt paruuli, & minimè sapientes excelsa) salutem inde soli illi caperent, id est, qui crederent bonitatem Dei. Nam propter eius bonitatẽ hęc facta sunt, quam nulla mundi sapientia poterat conjectare. Non enim tanta bonitas reperitur in nobis. Verùm sic Patrẽ misericordiarũ agere decuit, vt prius amando nos tam miserè, & (vt ita dicam) tam perditè, amorem nostrũ, qui durissimi sumus, conciliaret atque attraheret ad seipsum. Et tamen nec sic profuit multis vtriusque Gentis, quia incredduli fuerunt bonitati Dei.

Matth. 12.

Quid proprium Iudæorũ, & Græcorum quo minus dispositi erant ad euangeliũ.

Act. 17.

Quoniam & Iudæi signa petunt. Vide vt verè stulti ipsi qui tot signa habuerunt, & inde non profecerunt. *Et Græci sapientiam quærunt.* Et hic similiter vide quam stultè, qui de sapientia sua euanuerunt: & iccirco ex eorum meritis id euenit, vt prædicatio Christi crucifixi, in quo apparuit infirmitas & stultitia Dei, Iudæo quidẽ fuerit scandalo, qui petebat signa, & delectabitur in magnis mirabilibus, sicut assuetus erat videre fortia Dei. Vnde & aiebant: Magister volumus à te signum videre de cœlo: & in Suffixum cruci clamabãt, Si filius Dei es, descẽde de cruce. Et iterum, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. In desiderio ergo rerum fortium miser Iudæus infirmus ipse factus est, qui offendit in petram. Græco autem fuit stultitia: quia Dei sapientiã quærebat in creaturarum specie, in qua tamen infeliciter profecerat, vt qui in maximos incurrerat errores. Igitur stultus meritò factus est sapiens Græcus in auditu stultitiæ Crucifixi, quam nolebat accipere: quia hanc eius virtutem non capiebant miseri Epicurei & Stoici, qui prædicantę Apostolo dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Nouorũ dæmoniorum videtur annuntiator esse. Vide ergo vt digna meritis receperunt, vt quærentes fortia Dei, infirmarentur: & quærentes sapientiam Dei, stulti fierent. Quasi verò non maior Dei sapientia ac potẽtia apparuerit in hac sua stultitia atque infirmitate, per quæ tã admirabiliter ac potẽter restituit mundũ collapsum, quàm in omni reliqua sa

pientia sua ac virtute, qua ab initio creauit omnia.

Ideo ait: Etsi Christus crucifixus Iudæis reprobis scandalum fuerit, & Græcis perditis stultitia: quia vocationem hanc noluerunt audire, iccircò manserunt Iudæi & Græci, id est, vnusquisque eorum in sua propria dementia, illi scandalum capientes, quia signa quærunt: isti dementationẽ, quia sapientiam volebant, quam non respiciebant in cruce. Attamen *Ipsis vocatis Iudæis atque Græcis, &c.* id est, ipsis qui vocationem Dei agnouerunt per fidem, & ideo exuerũt Iudaismum & Græcismum, id est, non quærentes vlterius signa, vel sapientiam sæculi à Deo, sed in hac Dei stultitia acquiescentes, & sibi bene complacentes, & iam non Iudæi neque Græci, sed vnum in Christo, videlicet, Christiani: Iis, inquam, Apostolus testatur factum esse Christum *Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Quia cum infirmamur cum illo credentes, id est, dum compatimur, & secundum hanc fidem humiliamur, eligentes crucem similiter facti stulti in illo, & cum illo, nihil aliud nos scire iudicantes quàm Iesum, & hũc quidem crucifixum: tũc demum inuenimur & potentes, & sapientes in eo. Vnde Apostolus dixit, Cum infirmor, tunc potens sum. Et iterum, Si quis inter vos sibi videtur sapiens, stultus fiat vt sit sapiens. Sed quis dabit mihi vt ista quæ dico & scribo, etiam perfectè probem: Illi enim perfectè probant, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Sentiunt nanque qui eiusmodi sunt, in seipsis fortitudinem Spiritus. Congruè autem sequitur:

2. Cor. 12.

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &c. Dei enim stultum, & Dei infirmum Christus est crucifixus. Et hoc sapientius est & fortius, quã omnes homines, id est, quàm sit fortitudo & sapiẽtia omnium hominum, quæ ab ipso, & aliis per ipsum expugnata est. Ipse enim omnibus eum recipientibus factus est potentia & sapientia, vt potenter perducant seipsos in illo ad veram vitam, quæ ipse est, qui euacuauit omnem sapientiam: & de omni terrena & dæmoniaca potentia triumphauit in Cruce, in qua sub pedibus subiecit sibi omnia. Hoc autem fecit illi propterea Deus, quia seipsum subiecit omnibus infirmando se, ac stultum faciendo propter ipsum, id est, propter gloriam Patris, vt qui clarificauerat Deum Patrem, dignus fieret clarificari ab eo.

Pro stultitia crucis.

Hic autem Apostoli locus fuit scandalo quibusdam, qui perperam intelligentes, aut de industria sic intelligere volentes, vituperarunt artes & scientias naturales, volentes ostendere illas vanas & noxias, imò & falsas: quoniam Apostolus id videtur hoc in loco dixisse. Sed vani profectò illi & falsi, & noxiæ doctrinæ inuẽtores, mentem Apostoli non attigerunt, quę talis erat. Quòd cum Deus vno modo nosci posset in hoc mundo, non quidem per seipsum, sed solùm per effectus & opera ipsius, quæ duplicis sunt generis. Quædam secundum sapientiam facta, vt quæ pertinent ad creationem rerum, in quarum dispositione & ordine mirifica Dei apparear sapientia. Quædam verò quæ pertinent ad redemptionem, in quarum dispositione ac modo apparet potius huic mundo stultitia quædam Dei, cum per Filij infirmitatem & crucem operatus sit redemptionem nostram. Dicit ergo Apostolus homines ad suam salutem plus profecisse per hanc postremam notitiam, quæ est ex fide, de hoc quod stultè videtur Deus fecisse, quàm per notitiam eorum quæ sapienter ab ipso facta sunt, quæ ex naturali ratione conquiritur.

In vituperatores artium, & scientiarũ naturaliũ.

Hic ergo nõ absolutè vituperatur notitia sapientiæ Dei quasi non sit bona, si quis ea bene vtatur, hoc est, notitia eorum quę sapienter fecit Deus, vnde nonnulla de Deo acquiritur notitia, esse illum scilicet, & esse principium omnium & finem, & reliqua quæ ex hoc creaturarum libro licet coniicere: sed vituperatur notitia hæc comparata cum notitia fidei, qua cognoscitur potentia crucis. Nam hæc crucis notitia multò efficacior fuit ad scientiã diuini erga nos amoris pariendam, vt & nos econuersò afficeremur Deo, & nosceremus immensam eius bonitatem, quàm omnis philosophorum sapientia, quæ ad viscera misericordiæ Dei nostri, & ad illam eius admirabilem φιλανθρωπίαν non attigit. Quia ergo in illa Dei sapiẽtia non profecerunt homines, nec glorificauerunt Deum, neque gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus, putantes se sapere, stulti facti sunt. Contrà verò accidit à notitia crucis. Ideo factum est vt per hanc stultitiã crucis, id est, per imitationem Christi in cruce, vituperata ac reprobata sit illa philosophorũ sapientia, quæ ad perfectum neminem adducebat, etiam si caruisset erroribus, & elationis vitio. Quantò igitur magis cum aberratũ sit grauiter & à plurimis, & in multis, & redditi sint potius elati per illã homines & inflati ac superbi, quàm verè sapiẽtes? At innumeri per hanc crucis stultitiam regnum cœlorum expugnarunt. Magnũ hoc profectò argumentum pro potentia fidei.

Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quę stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Et infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redẽptio: vt (quemadmodum scriptum est) Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Ecce alia probatio de Domini prouidentia qui cruci aptauit omnia, etiam ipsos crucis prædicatores. Nam qui primò vocati sunt, erant penè omnes illiterati, imbecilles, obscuri, idiotæ, ac piscatores, contra tria quæ sapit mundus, sapientiam, potentiam, nobilitatem. Vnde & mirabantur sacerdotes & scribæ (sicut ait scriptura) Petri & Ioannis constantiam, cum scirent eos esse homines idiotas & absque literis, ait ergo:

Dei consilium ad exaltandum crucis gloriam.

Act. 4.

Videte enim vocationem vestram, id est, videte vos ipsos qui vocati estis, & hinc Dei prouidentiã coniicite: *Quoniam non multi sapientes, &c.* Aliqui tamen etiã ex illis electi sunt, vt Dionysius, Sergius, Pau-

Universidad de Deusto Biblioteca

lus,& alij qui literarum peritia erant apud ſuos celebres.Sed ſtulta mundi elegit Dominus, & infirma,& contemptibilia,& ea quæ non ſunt,vt confundat ſapientia & fortia, & nobilia, & illa quæ ſunt.

Eccleſ.4.

Sed hîc fortè dicet aliquis: Quare Deus voluit iſta confundere?Nonne venit ad ſaluandum, non autem ad perdendum?Reſpondeo, ob hoc Deum voluiſſe hæc confundere, vt quia ex iis non poterat ſperari ſalus, ad ea potius oculos conuerterent homines,vnde eſt vera ſalus.Eſt enim cõfuſio quę ducit ad gloriam. Confundere ergo ſapientes, & potentes,& nobiles,non erat aliud,quàm ipſam ſapientiam,& potentiam,& nobilitatem ſtulta eſſe tandem,& infirma,& ignobilia oſtentare, vt hoc agnoſcẽs homo ſapiens,& potens, & nobilis,ſtultus fieret, vt tandem illuceſceret ei vera gloria. In hoc ergo clariſſimus fuit & omni admiratione dignus Crucis triumphus,cum per hanc ſtultitiam ſapientes in primis comprehẽſi ſunt, & captiui facti ſuam ipſimet ſponte ſua contẽpſerunt ſapientiam. Tum & reges multi potentiſſimi,& principes proſtrarunt pariter ſemetipſos ante crucem.

Ephe.2.

Dicit *& ea quæ non ſunt*, per quæ intellexit Gentes, quæ ideo inter ea computauit quæ non ſunt, quia corã Deo non erant,vtpote ſine fide,& conſequenter(vt alibi inquit)ſine Deo in hoc mũdo hoſpites teſtamentorum. Iudæi autem inter ea quæ erant computabantur, cum eſſent populus Dei electus.Sed quia in hoc nimium glorioſus non dedit(vt par erat) gloriam Deo, ob eam cauſam per eos qui non erant deſtructus eſt,id eſt,per Gentiles, qui applicati ſunt Deo Chriſto: & ita factum eſt vt qui non erant,eſſent,& qui erant, caderent, ſuámque amitterent gloriam,& meritò Deus hæc & iuſtiſſimè ita euenire permiſit. Quare obſtruitur os omni homini, ne poſſit vllus in ſeipſo gloriari,ſed in Domino & Redemptore ſuo. Et hoc ſubdidit Apoſtolus,aiens:

Gloriari in carne quomodo quis dicatur.

Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, id eſt, nulla caro ſiue Iudęus,ſiue Gręcus,ſiue Romanus. Gloriatur autem caro, quando ea quæ ſunt carnis homo effert. Ipſe enim tunc carnis perſonam induit,& dicitur eſſe in carne & carnalis.Eſſe autem Iudæum carnalem quid erat?Similiter,eſſe nobilẽ, potẽtem in hoc mundo,& eiuſmodi,quid erat,niſi gloria carnis & ſuperbia huius vitæ? Sed omnis caro fœnum,& omnis gloria eius tãquam flos fœni.Et ideo qui hæret carni,& vnum cum illa efficitur,peribit vt caro:quia in carne cõputabitur, tanquam factus & exiſtẽs ex carne.Caro enim & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei.Qui verò hæret Domino quid eſt, niſi vnus ſpiritus cum eo in Chriſto,qui eſt Verbum Dei?Verbum autem Domini manet in æternum: & ideo ipſe quoque manebit.Vnde egregie ſequitur:

1.Cor.15.

Ex ipſo autem vos eſtis,videlicet,ex Deo,& conſequẽter non ex carne.Et medium illud per quod ſumus ex Deo,& non vlterius ex carne,addit:

In Chriſto Ieſu,tãquam palmites in vite: *qui factus eſt nobis ſapientia*. Nam per illum noſcimus finem noſtrum eſſe vitam æternam: & diligimus ipſum, & viam ſcimus. Ipſe enim via eſt, veritas, & vita. Factus eſt etiam iuſtitia noſtra:quia per ipſum iuſtificamur coram Deo,& ex fide,& per opera quę facta ſunt in ipſo, videlicet in fide & dilectione eius.Factus item eſt ſanctificatio noſtra:quia per ipſum, & eius internum infuſum donum iuſtitiæ in cordibus noſtris,ſanctificati ac mundi facti ſumus coram Deo ab omni macula,& ita digni videre illum.Item factus eſt redemptio noſtra, videlicet, à captiuitate Satanæ,& peccati. Et cum hæc omnia non ſint à carne,ſed à Deo per Chriſtum,& in illo, pulchrè ſequitur.

Quæ ſana & rationabilis gloriatio.

Vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur,&c. In Domino,inquit,glorietur,non in carne nec de iis quæ ſunt carnis: nec in ſemetipſo quaſi non acceperit, ſed in Domino qui eſt Chriſtus, in quo ſumus & ſtamus, per quem habemus dignè omnia, ſi tamen manſerimus in illo. Locus tamen citatus apud Ieremiã aliter habere videtur, legitur enim: Qui gloriatur, in hoc glorietur,ſcire & noſſe me. Sed eſt idem ſenſus,ſi bene percipitur.Præmiſſum enim erat: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua: & non glorietur fortis in fortitudine ſua: & non glorietur diues in diuitiis ſuis:ſed in hoc glorietur qui gloriatur,ſcire & noſſe me. Quia ego ſum Dominus faciens miſericordiam & iudicium in terra,&c.Quid ergo aliud hæc verba ſignificãt,quàm qui gloriatur,in Domino glorietur, non in carne? Qui enim de ſapientia ſua,& fortitudine ſua,& diuitiis ſuis gloriatur,nonne in carne gloriatur? Sapientia enim hominis & fortitudo,& diuitiæ carnis ſunt bona.Ideo dixit propheta,ſua,&,ſuis.Qui rurſum gloriatur ſe ſcire & noſſe Deũ in hoc quod caro non cognouit,videlicet,quòd ipſe eſt faciens miſericordiam & iudicium, & iuſtitiam in terra, quę ſunt dona Dei & ex Deo,& ſunt ipſe Chriſtus noſtra miſericordia, & iudiciũ, & iuſtitia noſtra, nonne in Domino gloriatur?Qui ergo dicit:Non gloriaris de his quæ ex teipſo, ſed de his quæ à me accepiſti per Dominum tuum Ieſum Chriſtũ,nonne ſatis dicit:Gloriare in Domino tu qui gloriaris? Nam in illo habes omnia,non in te ipſo: quia qui in illo ſunt, ij ſoli à Deo reſpiciuntur, vt digni donis.Ergo hoc in primis tibi fatendum eſt. Vide igitur vt ea doctiſsimè Apoſtolus exprimit de ſcripturis ſcrutatus illas,quæ prima facie nemo perſpiceret:& illud eſt propriè ſcrutari ſcripturas.

CAP. II.

ET ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annũtians vobis teſtimoniũ Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos. Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis,ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum,ſed in virtute Dei.

E*T ego,&c.*Hîc Apoſtolus in exemplo ſui perſiſtens,quo declararet virtutem Chriſtianæ prædicationis & ſuæ,non ſitam eſſe in verbis pompoſis ſapientiæ humanæ, dicit ſe ad illos non veniſſe

his armis inſtructum, videlicet, verbis ſublimibus à præceptis rhetorum manantibus, aut à ſapientia mundi profectis,quæ quidem ex elementis huius mundi deriuat in his, qui contemplantur creaturas. Siquidem,vt dictum eſt,in iis parum profecit mundus: ſed ea ſimplicitate annunciauit teſtimonium,vt oſtenderet ſe inter eos nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtum,& hunc quidem crucifixum,& bene ait:

Marc.13. *Ioan.15.*

*Non enim iudicaui me,&c.*Homo enim magiſter & doctor iudicat ſe ea ſcire, quæ eſt paratus alios docendo,proferre. Nam ſcientis eſt poſſe docere. Et ea neſcire dicitur magiſter, quæ non vult alios docere, etſi ipſe quidẽ ſibi ſciat. Sic enim & Chriſtus dixit ſe neſcire de illa die, quoniam non erat paratus illam aliis manifeſtare. Neſciuit ergo vt doctor,& vt magiſter.Sic & illud ĩtelligitur:Quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis, id eſt, quæcunque audiui ad manifeſtandum. Vnde illud apud Comicum:Neſcias quod ſcis,ſi ſapis,hoc eſt, ad modum neſcientis te geras non prodendo aliis. Sic ergo cætera B.Paulus iudicauit, id eſt, conſtituit ſe neſcire, quandoquidem ad modum neſcientis decreuit ſe habere circa illa,quoad illos tamen, & propterea adiecit:

Act.17. *Quid ſit ſcire Ieſum crucifixũ.* *Matth.16.*

*Inter vos.*Nam quoad alios etiam oſtendebat ſe multò plura ſcire.Contendit enim diſputans cum Epicureis & Stoicis, idque non poterat niſi ex elementis mundi huius,oſtendendo ea non ſatis eſſe ad notitiam veri boni, & finis noſtri. Quod autem iudicauit inter illos ſe nihil aliud ſcire, quàm Ieſum & hunc crucifixum, intellige non ſolùm de doctrina verbi,verùm etiam facti & exempli,conformando ſe illi in opprobriis crucis,humilians ſe coram illis,& geſtãs ſtigmata Ieſu in corpore ſuo. Hoc fuit iudicare tantum ſcire Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Sciuit aliquando & B. Petrus Ieſum,dum confitetur eum Dei viuentis filiũ, & dum prohibet ſibi ab eo lauari pedes, & dum vindicare gladio illum ſatagit à miniſtris tenebrarum, amputans auriculam Malcho. Sed nondum nouerat Ieſum crucifixum,qui latẽtem crucis virtutem ignorabat.Vnde & exhorret eam, & fugit, & negat:Homo,inquit,non noui hominem.Et bene dicit ex parte, quia nõdum nouerat hominem, nondum cõtemplatus erat in ea crucis ſtultitia ſapientiã.At B.Paulus iam edoctus quanta oporteret pati pro nomine eius, iam nouerat crucifixũ, & cõſtituerat ſe id ſolum noſſe apud Corinthios.

*Et ego in infirmitate.*Ecce,figuratum ſe Chriſto in cruce oſtendit,tanquã nihil poſſet aduerſus illos, cum tamen poſſet plurimum,vtpote Chriſti viuẽtis miniſter: ſed maluit in infirmitate eſſe inter illos. Orat enim, obſecrat, triſtatur, flet, vritur, & quæ timoris atque tremoris ſunt patitur. Et hoc fuit veniſſe non in ſublimitate, ſed in infirmitate. Vnde ait,

Act.18. *2.Cor.7.*

Et timore, ac tremore,&c. Tremor eſt corporis, timor eſt animæ, propter maximas turbas Corinthi excitatas à Satana,& miniſtris eius,vt patet in Act. Vnde alibi:Foris pugnæ,intus timores,videlicet, propter falſos fratres, qui etiam magis officiebant ouibus Chriſti, quàm hoſtes qui aperta fronte veniunt.

Luc.21. *Marc.vlt.*

Et ſermo meus, inquit, familiaris & priuatus: *& prædicatio mea*,ſcilicet publica, non fuit *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis,ſed in oſtenſione ſpiritus*, qui ſcilicet per me loquebatur, ſicut promiſerat Dominus. Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterũt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. Non enim vos eſtis qui loquimini,ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis: *& virtutis*, quoniam ſigna faciebant Apoſtoli & prodigia, quæ ſermonem confirmabant iuxta promiſſa Domini. Et ita diſpoſuit Dominus ſapienter, vt apparerent principia fidei non eſſe ex mundo, ſed ex Deo, quod probat.

Vt fides veſtra non ſit in ſapiẽtia hominum,ſed in virtute Dei,id eſt,vt non habeat fides humanum fundamentum,ſapientiam hominum,ſed diuinã.Spiritus enim erat qui per os loquebatur, & qui faciebat prodigia ad confirmationem eorum, quæ ab Apoſtolis de Chriſti myſteriis prædicabantur.

Sapiẽtiam autem loquimur inter perfectos:ſapientiam verò non huius ſæculi,neque principum huius ſæculi,qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio,quæ abſcondita eſt:quã prędeſtinauit Deus ante ſęcula in gloriã noſtram:quam nemo principum huius ſęculi cognouit. Si enim cognouiſſent,nunquam Dominũ gloriæ crucifixiſſent. Sicut ſcriptum eſt: Quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum:nobis autem reuelauit Deus per Spiritũ ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur,etiã profunda Dei.Quis enim hominũ ſcit quæ ſunt hominis,niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?Ita & quę Dei ſunt nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.

Occurrens hîc Apoſtolus,ne quis fortè de prædictis malè colligeret,illum nihil aliud penitus ſcire,& de nulla re alia loqui poſſe, quàm de hac ſtultitia,quæ ſcilicet erat prædicare Chriſtum crucifixum:& conſequẽter ne apoſtolica doctrina ſolùm videretur in hoc conſiſtere, nec de ſummis cauſis poſſe diſſerere, ac rationes in medium proferre, quod eſt tamen ſapientiæ proprium. Ne quis, inquam,hoc ſibi falſò atque imprudenter perſuaderet,adiunxit:

Sapientiam autem loquimur inter perfectos, id eſt,inter eos qui in Chriſto non ſunt paruuli, ſed confirmati iam ſunt in illo atque conſummati: quibus mundus erat crucifixus,& ipſi viciſsim mũdo.Vos autem paruuli adhuc eſtis,qui nondum poteſtis recipere altiora ſapientiæ Dei ſacramenta.Sapientiã autem hanc,quam loqui ſe ait inter perfectos,declarat non eſſe ſapientiam huius ſæculi, neq; principum eius,quæ colligitur ex his(vt diximus) quæ videntur: & per ſe nihil boni hominibus oſtendit talis ſapientiæ ſtudium,niſi ſæculare bonum.Quo fit vt huius ſæculi principes & ſapientes deſtruantur cum ſua potentia & ſapientia, ſicut deſtruitur illis ſuus ipſorum finis,qui eſt mũdi gloria,aut potentia,aut voluptas, & alia huiuſmodi falſa & ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

duca bona, cum suis sectatoribus peritura.

Quæ sit sapiētia Dei in mysterio. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* Mysterium vocat incarnationis Dei. Quod rectè mysterium dicitur, siue sacramentum: quoniam eiusmodi sacrum arcanum cōtinet, quod lumine naturali non valet apprehendi. At in eo est integra perfectaque Dei sapiētia. Vnde alibi ait: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Quia ergo abscōditi, ideo mysterium. Occultata est enim Dei sapiētia sub illa carne fragili & infirma dispensatiuè, & ad tempus: & facta est carō illa signum salutis nostræ. Sic enim ostensum est pastoribus. Et

Luc.2. hoc vobis signum (dixit Angelus) Inuenieris Infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Quare enim Verbum æternum & sapiencia Dei facta est infans? Et cur his pannis inuoluitur, & hac vili carne nostra? Et cur in præsepio sternitur, nec est ei locus in diuersorio, quem tamen cœlum cœlorum capere non potest? Hæc certè salutis nostræ sunt signa, quam venit operari in medio terræ. Iccircò sapientia Dei est in mysterio abscondita.

Sed nunquid solùm stulta sunt Dei in ea, & non magnalia quæ multò magis valeant prædicari? Nascitur Infans, sed ea die melliflui facti sunt cœli, & omne cor exhilaratum est. Solus infelix damnatorum in tanto Natali tremuit infernus. Vestitur Infans vilibus pannis in terris: & interim sua gloria vestiebat angelos in cœlis. Ponitur in præsepi sordido: sed illi canunt Angeli adorantes, Gloria in excelsis Deo. Nam quid (rogo) tam humile, tamq; abiectum in ipso Christo fuit, quod non haberet mirificum suæ sapientiæ ac virtutis, & celsitudinis testimonium? B. Ioannes Baptista typum gerens hominis captiui sub manu Herodis diaboli, & Herodiadis adulteræ carnis nostræ, quæ de peccato est orta, ad illum mittit duos ex discipulis, vt noscant eum veram esse Dei virtutem, & veram sapiētiam.

Matt.11. Mandat enim vt quærant ab eo: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et ille respondit, Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Quinam (rogo) ij duo discipuli, quos mittit Ioānes vt discāt quæ sunt Christi, nisi duo sensus, per quos ratio maxime colligit scientiam, nimirum visus & auditus? Ideo dixit Dominus: Ite & renūciate Ioanni, id est, rationi & intellectui, in quo est lumen ad iudicandum, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, &c. Hoc enim oculus poterat contestari de illis signis. Auris autem, quæ est sensus disciplinæ, etiam testari poterat: quia pauperes euangelizabantur, id est, capaces reddebantur euāgelij, qui erant pauperes, hoc est, non fidentes proprio spiritui, propriæque sapientiæ, sed emendicantes à Domino sapientiam. De iis ergo nonne ratio captiui hominis & in carcere detenti, colligere poterat, in eo qui talia faciebat esse virtutem Dei, qui tot signa operabatur? Et item in illo esse sapientiam Dei, quæ pauperes euangelizabat, hoc est, idiotas capaces consiliorum Dei faciebat, & æternæ vitæ?

Possemus discutere Christi gesta, & acta circa illum, ad comprobandum non fuisse talem in eo infirmitatem absque summa potentia. Si enim moritur, corruptionem tamen nullam nouit. Si sepelitur mortuus, resurgit in æternū victurus. Si acerbè patitur, compatiuntur secum & terra, & cœlum, & omnium maximū luminare, recognoscentes Creatorem suum, & suo modo condolentes. Quare eleganter dixit quidam ex nostris, Si credis vilia, crede & mirifica. Vocat tamen absconditam hanc sapiētiam Apostolus: quia non in se apparebat, cum esset cōtecta sub vase fictili. Vnde & Deus absconditus appellatus est, & quasi thesaurus abscōditus in agro, licet in effectibus magnis ac mirificis sese ostenderet. *B. Aug.*

Dicit præterea & hanc sapientiam, de qua tractabat inter perfectos, fuisse prædestinatam ante sæcula in gloriam nostram. Non enim prædestinata fuit vt esset quæ ab æterno fuit (æternorum enim nulla est prædestinatio) sed vt esset in carne, & ad gloriam nostrā. Et hoc ante sæcula: quia hoc est initiū viarum Domini Dei excelsi, & primum atq; præcipuum quod voluit Deus: & probauit inter omnia opera sua vt dignum se, & in quo sibi iure complacuit: quia in illo reliqua omnia prorsus sunt condita, & propter illum: in quo nos inuenimus fuisse perfectos, ingredientes & egredientes, id est contemplantes secreta diuinitatis: & ad humanitatem etiam respicientes: in quibus duobus est vitæ nostræ perfectio, & gloria nostra: quia hæc est nobis vita nostra Iesus Christus. Non ergo prædestinata fuit hæc sapiētia primùm in redemptionem nostram, sed in gloriationem. Quia verò intercessit peccatum, ideo dispensatiuè operata est modo admirabil etiam redemptionem. *Sapientia Dei quomodo prædestinata.* *Primò Christi prædestinatio ad gloriam nostram, non ad redemptionem.*

Quam nemo principum huius sæculi cognouit. Sed hîc primò, Quomodo verum istud est, neminem principum huius sæculi cognouisse Christū, cum non obscurè contrarium in parabola vineæ videatur vbi dicitur. Agricolæ autem videntes filiū dixerunt, Hic est hæres: venite, occidamus eum. Ad hoc autem quidam respondet, per principes huius sæculi, dæmones hoc in loco esse intelligendos. Quasi verò non multò certius dæmones Christū nouerint, & eundem Dei esse sapientiam, & illam etiam prædestinatam in gloriam nostrā. Ob hoc enim quia scierunt, conceperūt dolorem, & pepererūt iniquitatem suam. Quare melius diceretur, à mundi principibus, vt tales erant, id est, vt sapientes ac mundi principes, hanc sapientiam minime cognitam, vt sit formalis sermo: quoniam sapientia humana & sæculi potentia, non prouehit hominem ad hanc notitiam, sed fides quę est paruulorum: non autem eorum qui in oculis suis sunt sapientes. Vnde Dominus dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscōdisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Potest etiā dici, quòd non de sapientia dicitur, sed de gloria, & nulli principum huius mūdi illam gloriam patefactam fuisse, ad quam nos eramus ab initio ordinati in Christo, vt bene subdatur: *Matt.11.* *Qui principes mundi non cognouerunt sapientiam Dei.* *Matth.11.*

Si enim cognouissent, scilicet eam gloriam, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, id est, illum per quem omnes adepturi erant gloriam. Vnde & ipse Rex gloriæ dicitur. Et dicuntur multi principes apud Apostolum, homines sapientes ex mūdo, quorum est regere mundum. Quod autem non cognouerint illam gloriam principes mundi, probat per illam Isaiæ scripturam dicentem:

Quod oculus non vidit, nec auris audiuit. Vbi vide *Isa.64.*

quam sapienter loquatur Apostolus, & quàm doctè. Ex duobus enim præcipuè (vt iam superius diximus) sensibus, notitiam acquirimus & disciplinam, videlicet, ex visu & auditu. Sed nec oculus vidit, nec auris audiuit, videlicet ab homine doctore & magistro, gloriam hanc, vt intellectus eam capere possit. Et similiter doctè dicit,

Modus intelligendi naturaliter. *Nec in cor hominis ascenderunt.* Nam quæ naturali modo intelliguntur, per ascensum veniunt, nimirum à sensibus inferioribus ad sensum cōmunem, inde ad phantasiam & cogitatiuam vsque ad mentem, per organa huiusmodi media ascendēdo semper, donec pura fiat intelligētia ab intellectu agente deputatis phantasmatibus. Iuxta hoc Dominus

Luc.VII. dixit: Cogitationes ascendunt in corda vestra. Et de gloria ista, quæ est Dei Patris notitia, dixit similiter, Neque speciem eius vidistis, neq; vocem audistis. Non est enim nobis visibilis, nec sensu auris perceptibilis: quia nullum edit sonum. *Ioan.5.*

Sic ergo ait Apostolus, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis, &c. etsi locus aliquantulum aliter videatur habere apud Isaiam, vbi sic legimus. A sæculo non audierūt, neque auribus perceperūt. Oculus non vidit Deus præter te, quæ faciet expectanti eum. Et alius item aliter. Nam & Rabbini secum dissident: & tamen in hunc vnum sensum vt omnes conueniant, est necesse, scilicet A sæculo, id est, ab hominibus sæculi per lumen naturale, non esse datum nobis vt cognoscere possemus autorem glorię Iesum Christum, qui sit salus, & spes, & expectatio nostra, summaque & æterna fœlicitas. A Deo, id est, ab ipso Christo, talem notitiam accipimus.

Quamobrem iuxta communem literam inquit: Non vidit oculus absque te, id est, absque tui magisterio & reuelatione. Aut si dixeris, præter te, intellige illum solum sciuisse & vidisse, quæ præparauit expectantibus se. Et si legis, expectantibus eum, siue, expectanti eum (vt veritas Hebraica declarare videtur) manifesta est Patris & Filij personarū distinctio. Et sensus est, quòd nemo nouit præter ipsum Patrem, quæ præparauit Christus Iesus expectantibus se. Quidā verò interpretatus est in hunc sensum quòd nemo vidit alium Deum, præter illū qui est verus Deus, qui sic faciat expectanti se. Sed à sensu Apostoli valdè remotus est hic sensus, qui nec faceret quicquam ad rem propositam, cui hāc sententiam Apostolus accommodauit. At ne quis diceret: Si ergo nulla est huius gloriæ notitia, quid ergo fruſtrà laboramus, quò inquiramus eam? Respondet Apostolus & satisfacit, subiiciens: *Pro diuinitate Christi.*

Pro diuinitate Spiritus sancti. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum*, id est, nobis Apostolis præcipuè, & summis viris, p quos hoc ipsum alij docēdi erant. Reuelauit autē Deus, *per Spiritum suum*, qui scrutatur omnia etiā profunda Dei: ad tollendam dubitationem, quomodo hic spiritus noster scire posset. Et hinc manifestè probatur Spiritus sanctus esse Deus. Primò quia Spiritus Dei dicitur, vt sit quiddam Dei intimum. Spiritus enim ex intimis eius qui spirat, venit. Tū quia est persona, vt & alibi probatur, cum dicitur: Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritusſanctī & alibi: Alium Paracletum dabit vobis, & iterum: Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnia. Si igitur aliquid Dei intimum est, Deus profectò est: & iam recipitur quòd sit alius à Patre & Filio. Alius ergo erit secundum personam, non tamen alius Deus, cū plures esse Deos sit impossibile. Adhæc, de hoc Spiritu dicitur, scrutari illum omnia etiam profunda Dei. Quid est profunda Dei, nisi quæcunq; sunt Dei, quanuis altissima & nobis inaccessibilia? Non enim essent profunda Dei, si possent à nobis cerni, & perscrutatione comprehendi. Itaque si profunda Dei scrutatur Spiritus, ergo eius visiua potentia adæquat obiectum ipsum quod videt. At hic est Deus. Quis autem perfectè Deum videre potest, cuncta scrutans quæ sunt illius etiam profunda nisi sit pariter Deus? O Spiritus optime, sanctissime, clemētissime miserere mei, méque adiuua: & tunc cuiusuis manus pugnet contra me, Amen.

Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, &c. Probat autem iterum Apostolus exemplo, quod dixerat, Spiritum Dei solum scire quæ Dei sunt, vt nequaquam egeat ipse reuelatione, cui nihil est velatum, sed ipse potius aliis reuelet. Sicut enim eorū quæ sunt hominis, videlicet interioris (vt Græca litera ipso articulo satis innuit) id est, secretos hominis cōceptus nemo nouit, nisi spiritus hominis qui est in ipsomet homine: ita nemo nouit quæ sunt Dei, videlicet in ipso latentia, nisi ipsemet Spiritus Dei, qui similiter (supple tu) est in ipso. Et hinc rursus optima consequentia eruitur, ipsum Spiritum esse Deum, si in ipso Deo est intimè secundū suam substātiam. Sicut enim de spiritu hominis qui eius intima scrutatur, dicimus illum esse in ipsomet homine, & esse aliquid hominis, & non quicquā extrinsecū homini: Ita dicere oportet de Spiritu Dei, vt similitudo constare possit. Intellige autem hominem videre quæ occulta sunt in seipso, non quidem omnia, sed quæ sunt actu. Nam potentias & habitus non videt in seipsis, sed ab effectibus coniectat, & ab ipsis actibus. Deus autē ipse actus purus est, & non potest partim se comprehendere, partim non.

Sed circa dicta oritur difficilis ad soluendū quæstio. An solus homo videat proprios, quos ipse format, mentis suæ conceptus: An verò etiam Angeli, & Dæmones, quemadmodū quibusdam videtur. Qui Angelos videre negant, ex hoc Apostoli loco mouentur, qui dixit alium (homine ipso excepto) nouisse neminem. Sed nihil ad rem facit. Neque enim absolutè dicit: Nullus nouit, sed nullus hominum: hæc eius verba: *Quis enim hominum, &c.* Quare miranda est quorundam incircunspectio, qui ex hoc loco id capiunt, vnde tacitè potius cōtrarium innuatur. Cum enim dicat: Quis enim hominum? perinde fermè accipitur, ac si ab Angelis se præseruare voluisset, illisque hanc notitiam concedere. Quanquam si id concedatur, soli homini nota esse atque perspecta quæ sunt hominis, vt quicunque alij, præter ipsum hominem, nesciant: Deus etiam ipse (quod est dictu exhorrendum) nesciret. Non ergo sola est ratio, cur homines non videant quæ sunt alterius hominis intima, quia scilicet spiritus hominis non sit in altero, sed cum hoc adiuncto, nempe quòd homines sunt. Sin autem essent superioris gradus spiritus, non propterea iis negatur. Verum hæc quæstio scholastica est, & multas habet tricas. Contendunt enim inuicē illi longis am-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bagibus. B. Augustinus in li. Retract. ponit quæstionem hanc ita difficilem, vt eius resolutio ab hominibus aut omninò inueniri non possit, aut vix possit. Nunc autem nos eatenus loquimur, quatenus de scripturis elicitur.

Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritũ qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: quę & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis: sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur: sicut scriptum est: Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Nos autem non spiritum, &c. His verbis declarat Apostolus, eum qui Dei sit Spiritu instructus, ea docere, & tradere aliis quæ Dei sunt. Vnde hoc in loco Doctores animaduerterunt hunc Spiritum esse Deum, eo quòd dicitur ex Deo esse. Non enim potest intelligi hic, esse ex Deo, quasi creatura. Alioquin etiam spiritus mundi ex Deo est: quoniã quæcunque sunt, ex Deo sunt. At hic simpliciter spiritus mũdi opponitur Spiritus Dei in hoc ipso, quòd hic sit ex Deo: quod non esset verum, nisi hic, esse ex Deo, intelligas, id est, ex Dei substãtia. Potest nihilosecius dici de spiritu mundi, illum non esse ex Deo: quia non ad cœlestia, sed terrena aspirat. In
1.Ioan.2. quo sensu dicitur, concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ non esse ex Deo: quia ex peccato venerũt. At hic nouus spiritus ex Deo est. Ergo hunc spiritum ad hoc acceperunt meduis donis primum Apostoli, vt haberent scientiam cœlestium, & consequẽter vt instruere alios possent de hac spe & expectatione, quæ à Deo præparata est hominibus. Vnde appositè addidit:

Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur. Quia ad hoc illa acceperunt, vt ea loquerẽtur & docerent. Et hæc erant quæ dicebat se loqui inter perfectos. Hæc enim pertinent ad sapientiam Dei, non autem ad crucis stultitiam. Et de his poterat B. Paulus disserere, in quibus resurrectionis mysteriũ, & supremi iudicij, & futuræ includitur gloriæ: quando erunt omnia instaurata, omnia solidata, quando peribit illud lamentabile verbum: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Non in doctis humanæ sapientiæ verbis. Vide vt redit ad rem, cum addat. Licet hæc summa essent (videlicet de sapientia Dei) mysteria: non tamen ea loquebatur verbis sublimibus, exquisitis, & doctis iuxta humanam sapiẽtiam, *sed doctis spiritus*, id est, iuxta Spiritus sapientiam. Quod vt rectè intelligatur, sciendum est primùm eorum omnium de quibus haberi potest sermo seu tractatus, quædam esse humana, quędam verò diuina. Et illa quidem humana, carnalia sunt & temporalia. Hæc verò diuina, spiritualia sunt & æterna. Sicut ergo re ipsa hęc inter se magnoperè distant: ita oportet vt & sermo qui de illis habetur, & eloquentia, multò sit diuersa à verbis ad humanam persuasionem artifico rhetorico excogitatis. Attamen necesse est vtramque materiam explicari doctis verbis, sed tractandæ ipsi materiæ propriis, vt quæ sunt humana & carnalia habeant sua docta verba, illa videlicet quæ à carne & sanguine, & à spiritu hominis doceantur & probentur, vt placeant hominibus. Quæ verò diuina & spiritualia sunt, similiter habeãt sua docta verba, sed ipso Spiritu doctore, qui est castus, sanctus, simplex, venerandus sine fuco vllo & quæsito colore, aut humana & affectata industria. *Notent studentes secularis eloquentiæ.*

Non ergo negat Apostolus se habere doctrinam in verbis, cum esset prædicator eximius & dux verbi, vt ait scriptura: tantũ negat se habere talem doctrinam qualis conficitur ab humana sapientia & Act.14. arte: quoniam non loquebatur humana & carnalia, sed diuina & spiritualia. Ob eam causam opus erat illũ eiusmodi habere verba quæ docebat Spiritus, vt essent conuenientia materię. Nam proportionabiliter se habere debebant res & verbum. Ideo de re ait, *spiritualibus*, videlicet rebus, *spiritualia*, videlicet verba *comparantes*. Et hinc habes resolutã quæstionem illam, An B. Paulus valuerit dicendi scientia. Valuit enim scientia illa quæ est secũdum *An B. Paulus valuerit eloquentia.* Spiritum, qui docet eloquia casta, quæ sunt argentum igne examinatum, ne quis error, ne qua vanitas ne quod mẽdacium insit, probatum terræ, purgatum septuplum. Terrę autem probatur hæc eloquentia munda: quia in corde humano seritur, recipitur, & probatur, quando tenaciter custoditur, & nulla tentatione excutitur. Et meritò probatur terræ: quia etiam septempliciter probatum est, id est, à Spiritu sancto, qui hoc numero ob septẽ dona designatur.

Redit verò ad rem Apostolus, ostẽdens non ob id minus vera esse quæ loquitur, si ea multi nõ percipiant, cum sint spiritualia. *Animalis autem homo* (inquit) *non percipit ea quæ sunt Dei.* Animalem autem vocat eum, qui secũdum carnem sapit ea quæ sunt carnis, cui quæ sunt in se vera & bona, stulta sunt. *Et non potest intelligere:* quia non habet Spiritũ, qui est regula probandi quæcunque & iudicandi. Nam Spiritu examinantur omnia secundum veritatem, vt sic rectè probentur quæ probari debent. Animalis autem homo cum hoc Spiritu careat, & ita hac regula, qua examinantur omnia secundum veritatem, id est, iuxta id quod placet Spiritui, & probatur ab ipso qui est Spiritus veritatis, non potest rectè intelligere, nec verè iudicare. Quæ vt exemplis vtcunq; illustremus. Dicet animalis homo: Quis descendit de cœlo & annuntiauit nobis quę ibi aguntur? Aut quis rediit ab inferis, inde in cœlum iturus? Et sic concludit, Comedamus & bibamus: cras enim moriemur. Sed longè aliter spiritualis viri sententia, qui diiudicat omnia, videlicet quæ cadunt sub iudicium Spiritus. Hic enim nouit finem, & discernere potest quæ ad finem conducunt, & quæ abducunt ab illo: & quæ item sunt spiritualis, & quæ sunt animalis hominis. Ipse enim stat in arce collocatus, vt possit & de inferioribus perspicuè iudicare. Non autem contra iudicari potest ille ab animali: quoniam animalis inferior est, & non nouit sensum Dei, vt verisimè addi- *Quid sit Animalis homo.*

diderit, *Et ipse à nemine iudicatur.*

Non putes autem hoc contrarium illi præcepto
Matt.7. Domini: Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. Non enim hic est sermo de iudicio particulariũ, vel hominum, vel gestorum quæ ignorantur, nec attinẽt ad cognitionem nostram, sed solius Dei. Sed est sermo de diuinis placitis, quę tradita sunt nobis ne ignorarẽtur, sed vt omnino à nobis scirentur: quia eorum notitia necessaria est ad æternã nobis comparandam salutem.

Quis enim nouit sensum Domini, &c. ac si dixerit nullus, nisi ipse reuelauerit: *aut quis instruxit*, vel quis instruet *eum?* quasi consiliarius à latere, aut à secretis? Qui enim instruit, vt intelligat & magis sapiat quàm qui instruitur, est necesse. Tandem testatur B. Paulus de se & suisimilibus, illos habere sensum Christi, videlicet Spiritu sancto reuelante ad firmitatem euangelicæ doctrinæ.

Hic autem pro veriore huius loci intelligentia, resoluenda est quæstio, cum ait Apostolus: *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* & item. *Nos autem non spiritum huius mũdi accepimus, sed spiritum Dei, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, &c.* Vtrum sic intelligẽda sint ista verba, vt pertineãt peculiariter ad Apostolos, vt ipsi soli possent dicere, Nobis reuelauit Deus. &: Nos Spiritũ qui ex Deo est, accepimus. Crediderim sanè ad eos peculiariter atq; eminenter sermonem illum pertinere: licet ad omnes Christianos extẽdi aliquo modo valeat. Nam & illis quoq; est reuelatum, & Spiritum Dei accipiunt. Sed vtrũ & quod sequitur: Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, sic intelligere singulariter oporteat, vt quisque Christianus sic accipiat spiritũ, vt intelligat quæ sibi donata sunt. Quod si verum est: Quicunque ergo habet charitatem, sciret se illam habere. i. donum illud cœleste. At hoc multis non dicendum esse, videtur. Et ideo nonnulli hunc locũ accipiunt de donis gloriæ, quę speramus in futura vita beata. Nã hæc cuncti Christiani sciũt per fidem. Alij verò hunc locum ad Apostolos tantum spectare putant, quos aiunt peculiariter fuisse per reuelationem instructos de sua gratia. Ego verò secundum ipsum literæ filium magis probo, B. Paulum tam loqui de donis gratiæ, q̃ de donis gloriæ. Et de se ac maioribus sibi similibus hoc dicit, quibus erat manifestissima Spiritus reuelatio: quanquã & ipsa notitia se contineret intra latitudinẽ fidei. Non enim erat conuenientes, primos gratię prædicatores ignorare hoc donũ quod prædicabãt, & in semetipsis non certò illud experiri, & eius admirabiles effectus. Vnde non tam prophetica reuelatione, quæ non est immanẽs, quàm assistenti lumine assiduo hoc sciebãt. Et aliud putare (vt ego quidẽ existimo) eorum est, qui & scripturas non sunt scrutati, & qui se Dei munificentiã extenuare non sentiunt. Non enim exiguum est donum, cum donaueris, etiam manifestum id facere cui dones: vt quem interim gaudere de dono, & agere debitas gratias ac referre commonefacias.

CAP. III.

ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquã paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secũdum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli: alius autem, ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò Paul? Ministri eius cui credidistis: & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secũdum suum laborem. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis: Dei ædificatio estis.

ET Ego fratres, &c. Occurrit conquerentibus & conquirentibus: Si sapientiam Dei noras, cur nobis eam non prædicasti? Respondet, se non potuisse id facere propter eorum tenuissimum captũ, vt qui adhuc essent paruuli in Christo, & carnales: quibus lacte primùm opus fuit, id est, qui indigebant erudiri primis fidei elementis, vt inde ad summa perducerentur, quæ appellat escam & solidum cibum, fortioribus fidei dentibus mandendum. Sic prius se gessit ipse Dominus erga Apostolos, quibus dixit: Multa habeo vobis dicere, sed nõ po- Ioan.16. testis portare modo. Et hoc diligenter considerare debent plerique magistri & prædicatores, qui vt videantur coram imperita plebe, sublimia sublimiter tractant, nullum habentes rerum & personarum, quibuscum loquuntur, delectum. Adiecit autẽ Apostolus: *Sed nec nunc quidem potestis.* Et causam exponit, *Cum enim sint inter vos Zelus & contentio*, siue lis. Græcè additur, & dissensiones, siue disidia. *Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Huiusmodi affectus, id est, zelus & contentio, ex carne sunt, non ex Spiritu, & impediũt hominem ab intelligentia spiritualium: quod & alibi declarat, dicens: Manifesta autem sunt opera carnis, in- Gal.5. ter quæ annumerantur æmulationes & contentiones, iræ, rixæ, dissensiones & schismata, & alia quæ ex carne oriũtur. Vnde qui hęc agunt, carnales esse dicuntur: quia homo qualis sit, ex operibus dignoscitur, veluti arbor ex ipsis fructibus.

Duplex igitur viget appetitus in homine, carnis *De statu & conditione hominis.* & spiritus. Si carnis desideria sequitur, & opera carnis procedunt, carnalis est. Et dicitur ambulare secundum hominem: quod perinde est atque secundum notitiam. id est, secundum appetitum carnis. Nam homo secũdum id quod est homo, cum primùm nascitur, sine gratia Dei est, & ideo suapte natura carnalis est: aut potius secundum scripturas, caro est, cuius affectibus ducitur, & nihil diuinũ sapit, nec est bellum inter carnem & spiritũ. Vbi primùm verò notitiã Dei assequitur, mox incipit velle ea quæ sunt spiritualia. Repugnat autem ei ipsa caro, à qua si superetur, tunc carnalis dicitur: quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambulat ſecundum carnem. Si verò ſuperet ſpiritus, tunc ſecundum Deum qui ſpiritus eſt, facit opera ſpiritus, & non carnis, Spiritu Dei actus tanquam filius Dei in ſecundo Adam genitus, qui eſt factus in ſpiritum viuificantem, non in primo, qui eſt factus in animam viuentem, ita vt homo duplicem vitam viuat. Nam ſecundum corpus quod animatur ab anima, homo eſt, & animâ viuēs: quia per animâ viuit corpus, vita tamen mortali & corruptibili. At ſecundum ipſam animam, quæ informatur à Deo per grātiam, & ſic vnitur Deo qui eſt ſpiritus viuificās, non iam homo, ſed Dei filius eſt, & vita viuit ſpirituali, & non morietur in æternum: quia verbū Domini, in quo hic homo eſt inſitus, manet in æternum.

Contra æmulationē ſectarum.

Oſtendit autem propterea ortas æmulationes, & ſectas inter eos, quia alius dicebat: Ego ſum Pauli, alius: Ego ſum Apollo, &c. Et ſic diuidebāt Chriſtum in corpore ſuo, quod eſt eccleſia, quos reprehendit, & arguit aiens: *Nonne homines eſtis?* Græcè legitur. Nonne carnales eſtis? Sed latina lectio (meo iudicio) eſt verior, & iuxta ſenſum Apoſtoli doctior, qui per hominem intelligit eum, qui ſecundum carnem ambulet. Et contrà, qui ſecūdum ſpiritum ambulat, iam non ſit homo, ſed ſupra hominem, tanquam in ſtatu diuino & altiori conſtitutus: proſequitur.

Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Quia illi euehebant homines propter gloriationem carnis, ſupra quàm ferret eorum gradus, oſtendit quatenus ipſi eſſent amplectendi, nimirum quantum eorum indicabat officiū. Erant autem miniſtri Chriſti, cui crediderant: ideo tanquam miniſtri ſuſcipiendi erant, & non altius opinione propria & fauore promouendis, quaſi ſalutis autores. Si igitur conſiderandi erant vt miniſtri Dei, non erant diſcernendi ab illis, quis eorum eſſet maior vel inferior, ſi à donis erat faciēda diſcernendi diſtinctio: quia hoc Dei erat, qui ſolus verè ſciebat quantum vnicuique eorum contulerat. Et ſimiliter cui retributurus erat vnicuique ſecundum opera ſua & laborem, ſi ab opere adhuc erant iudicandi. Non erat autem propterea putandus vllus eorum caput, cum miniſtrantes non opus ipſi quidem perficerent, ſed Deus per Chriſtum.

Verum rogabit aliquis, Nonne Paulus plantauit, id eſt, iecit ſua prædicatione fidei fundamēta? Apollo autem rigauit, id eſt, ſuper eo quod plātatum erat, ſcripturarum confirmationes & exhortationes ad vitam adiecit, ac per hoc quaſi aquā viuam fundens, adiuuit plantata & promouit? Hæc vera eſſe non inficiamur. Sed quid proderſent, niſi lux ſolis intus & calor vim plantatis daret, rigataque coaleſcere & germinare, ac fructū reddere facerei? Qui ergo plātat & qui rigat, nihil eſt per ſe ad fructum, ſed ſolus Deus, qui intus agēs per arcanum lumen facit ſemen iactum & rigatum affigi cordi, & vitam præbere. Quare qui plantat & qui rigat, vnum ſunt: quia in vnū tendunt, videlicet operantes non ſibi, ſed Chriſto & Deo, & ob id nequaquā ſe ſcindi patiuntur. Itaque qui Paulum ſequi optaret, ſi ſe ab Apollo ſecerneret, iam talis Paulum, qui cum Apollo vnum eſt, non ſequitur, ſed proprium ſibi idolum cōſtituit, quod ſibi in Paulo fabricat. Hoc vtinam non facerēt hac tempeſtate multi, qui cum magno populorum ſcandalo idola ſibi varia conſtituunt: Qui audit & legit, intelligat.

Contra hæreticos pro mercede operum.

Illud verò interim hoc in loco audiant hæretici. Quomodo Apoſtolus dixerit claris verbis, & nullam tergiuerſationem admittentibus, *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Quid igitur audent in tanta hypocriſi ſolam iactare fidem, & gratiam: & omninò tollere opera, & operum merita? Si enim merces eſt operi ſtabilita atque conſtituta: Ergo non pura gratia. Alioqui ſi pura eſt gratia, neque eſt merces operi, vt arguitur ex B. Paulo. Sed eſt merces operi, vt hic patet ex Apoſtolo perſpicuè. Ergo quæ ipſi in nos immeritò obiectant meritò retorquentur in illos.

Quo pacto retribuitur vnicuique ſecundum ſuum laborem.

Neque tamen exiſtimet quiſquam, Deum plus laboranti & diuturnius operanti, iuxta noſtram ex iſtimationem premium reddere. Ipſe enim æſtimator eſt operum ac laborum æquiſſimus. Et certum eſt ſtudioſos viros ac perfectos minus in opere aliquo bono laborare, quàm qui nondū ſolidos progreſſus fecerūt. Ideo labor perfectiorum non quidem maior, ſed pretioſior apud Deū. Similiter gratioris atq; acceptioris perſonæ idē labor acceptior eſt, quàm minus gratæ. Et ſic labores vniuſcuiuſq; æſtimat non ſolùm ſecūdum ipſius laboris magnitudinem, ſed ſecundum valorē operis. Nemini autem dubium eſſe debet quin (cęteris omnibus paribus) plus laborans, & vberiores Domino fructus reddēs, plus etiam ſit remunerationis accepturus. Quod verò in parabola habetur, omnes operarios pares factos, intelligēdum eſt quoad præmium ipſum ſubſtantiale æternæ vitæ, quod dabitur omnibus: quanquā alij plus, alij minus eodem fruentur. Etenim apud Deum in cœlis diuerſæ manſiones ſunt vt, apud B. Ioan. teſtatur ipſemet Dominus. *Ioan. 14.*

Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, &c. Declarat veluti quodam typo rem præſentē, nempe ipſos quidem Corinthios, nō ſecus ac reliquum eccleſiæ corpus, eſſe quaſi agriculturam quandam ſiue agricolationem Domini, videlicet in quibus quaſi in cāpum iaciebat ſemen ſuum Dominus ad culturam: Vel erāt quaſi ædificatio quædam. Nam & ædificio comparatur ipſa eccleſia. Ipſi autem Apoſtoli miniſtri erāt, adiutores & operatores cum Deo. Neque eouſque deſpere nos putent Lutherani, vt credamus Deum cooperatoribus vllis egere, quem verè confiteamur omnia ſine vllo penitus alicuius adminiculo facere poſſe. Sed cum ſit immenſę & propēdiſsimę in creaturas ſuas bonitatis, ita fieri voluit, quò ſuam illam bonitatem communicaret, & aliquot ſibi (quantum tamen fas erat) ſimiles efficeret in opere diuiniore, quod eſt alios creare & ſeruare. Et hoc vehementiſsime ad gloriā illius, & ad nobilitandum genus noſtrum pertinebat, propter caput ipſum Chriſtum, cui mēbra connecti conueniebat tali capite digna.

Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Fundamētum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Siquis

autem ſuperædificat ſuper fundamētum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperędificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

Explicatur locus Apoſtoli difficilis.

Secundum gratiam quæ data eſt mihi, &c. Locus hic difficilis viſus eſt multis, ita vt B. Auguſtinus magnopere in illo interpretādo titubauerit. Attamen vt mihi videtur, hūc locum magis interpretes ſuis commentis obſcurarunt, quàm ipſa litera ferebat. Dicam igitur liberē quod ſentio. Quoniā iam fundata Corinthi eccleſia, ad eam conſeruandam conſtituerat Apoſtolus prædicatores & dōctores, qui continuè docendo ad eius corroborationem multa ſuperædificarent, oſtendit quomodo in hoc debeant ſe gerere, ne ipſi detrimentū patiantur. Proponit autem à ſe, vt à ſapienti architecto, primum fundamētum poſitum, id eſt, fidei principia, ſuper quibus alij valeant ſuperædificare: Videre autem illos oportere, quomodo ſuperædificēt. Et primùm intelligant, ſi velint ſuperædificare, id eſt, ſuper datum poſitumque iam fundamētum, quod eſt Chriſtus, ædificare: illis non eſſe licitum aliud ponere fundamentum, cum nullum ſit aliud. Quod ſi tentarent efficere, non tam id eſſet ſuperædificare, quàm prorſus deſtruere, atque denuò illud ipſum conſtruere, quod ſtare nulla ratione poſſet, dicente Domino: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. *Matt. 15.*

Deinde debent animaduertere, ſuper hoc fundamentum ædificari poſſe aliquid auri, aut argenti, ſeu lapidum pretioſorū. Per *aurum* aliquid ſapienter dictū de diuinis poſſumus intelligere. Nam in auro ſapiētia intelligitur. Per *argentum* aliquid eloquenter & ad hanc vitam traducendam ſpectans, quo ſit modo vinēdum, quàm honeſtè ac candidè. Et per *lapides pretioſos* poſſunt ſingulę virtutes intelligi: præcipuè autē illæ quæ oculis Dei fuerint ſpectabiles, vt fides, ſpes, charitas, humilitas, obedientia, patientia, paupertas, miſericordia, cordis mūditia, & huiuſmodi quæ ptioſæ ſunt virtutes, & Deo gratiſsimæ, quibus cœlum nobis comparamus.

Quid per aurum intelligat ſcriptura. *Quid per argentum.* *Quid per lapides pretioſos.*

Poteſt etiam contrà, ſuper hoc fundamentū poni lignum, fœnum, ſtipula. Per *lignum* intelligi poteſt mundanum aliquod, ſpectabile illud quidem oculis mundi huius, quaſi arbor venuſta. Nam ſcriptura frequenter arborem appellatione ligni intelligit. Et ij ſunt qui tanquam lucum plantant in domo Domini, vel philoſophiæ mundanæ, vel humanæ eloquentiæ, quibus vti parcè debemus, quatenus ſat eſt, & ad rem faciunt. Per *fœnum* intellige carnale aliquid. Omnis enim caro fœnum, vt erāt Iudæi, qui ſecundum carnem volebant placere, affectu carnis ducti ſectam ſuam mordicus retinentes. Tales ſunt hodierno die hæretici noui, te ipſa docentes carnalia, Comedamus & bibamus, quia in libertatem ſumus vocati. Per *ſtipulam* intellige omnem carnis huius gloriam, quę ſicut ſtipula eſt, & flos fœni. Denique quæuis opinio falſa, poteſt fœni, vel ſtipulæ appellatione venire.

Quid per lignum. *Quid per fœnum.* *Quid per ſtipulam.*

Ergo huiuſmodi ſuperædificationes *dies Domini declarabit*, illa proculdubio dies extremi iudicij, & dies Domini: quando deſierimus eſſe viatores. Declarabuntur autem per ignem: *quia in igne reuelabitur.* Et vocat ignem, duram illam atq; exactam examinationem ſecundum veritatem, quam nullus effugiet: & quam nullus poterit vllo eludere dolo, aut vlla pollicitatione, vel pecunia corrūpere. Hic ergo ignis probabit opus vniuſcuiuſque. Et ſiquidem manſerit opus illud ædificatum: quia erit aurum, argentum, aut lapis pretioſus, accipiet mercedem ſuam, quæ erit probatio & commendatio Dei, vnde ingens & ſumma lętitia ac gloria erit ſuperædificanti. Sin autem arſerit illud opus: quia lignum, fœnum, ſtipula apparebit, ipſum quidem opus detrimentum accipiet, quia explodetur & reprobabitur. Ipſe autē qui fecerit illud, non ob hoc peribit (ſi fundamentum tenuerit) ſed ſaluus erit. At non omnino abſque vlla conditione ſaluus. Nā & ipſe ſaluabitur, *quaſi per ignem*, id eſt, ignis probatione: quoniam examinabitur qua id mēte egerit, an per ignorantiam, an verò malitioſè, aut per affectionē, vtporè nimis addictus magiſtris, ac ſectis: vel etiam ſibiipſi ſtudens, & gloriæ ſuæ. Si enim ab iis immunis inuenietur, ſaluus erit: quia igne probatus euadet.

Cui autem dubium, magnos & præclaros doctores ſcripſiſſe & ſenſiſſe pleraque, quæ non ſtabunt in illo examine, ſed detrimentum aliquod patientur, ipſi tamen ſalui abſque dubio? quia propter humanam conditionem lapſi ſunt errore humano. Exempli cauſa: Beatus ille & inſigniter vir doctus Thomas noſter, ſenſit de conceptione beatiſsimæ Virginis ſecus quàm nunc celebrent Rom. eccleſia, & reliquæ prorſus omnes eccleſiæ Dei. Quia tamen illud ei viſum eſt verum, & humanè, imò piè errorem incurrit, haud dubium quin non ſolùm non peccauerit, ſed etiam in zelo ſuo meruerit. Quare non abſque imperitia & iniuria à quibuſdam fictum fuit, illum ſanctiſsimum virum, ſimul & B. Bernardum, neſcio qua propter id macula in iudicio fore notādos. Abſit. Non enim contra fundamentum ſunt illi quicquam auſi: neque aliud quàm quod eis verum apparebat, mente bona docuerunt. Et non ſicut nunc plerique facient ſectatorum, qui erroribus huiuſmodi ad ſectas fouendas delectari videntur. Quot verò etiam malitioſè, quales ſunt hæreſiarchæ, qui in pleriſque (vt ego quidem exiſtimo) nec ea credunt, quæ conātur defendere? Sed poſtquam ſemel errare cœperunt, vel ad comparādam ſibi gloriam nouas poſitiones induxerunt, mordicus volunt eas cuſtodire, ne ipſi cum dedecore à ſua gloria excidant: & non conſiderant ſe ob hoc ipſum verius & turpius cadere. Nec enim igni probationis, ſed tandem igni damnationis & ſupplicij æterni ſubdētur miſeri, in perpetuum cruciandi.

Aec

Notēs hæc cōtentioſi.

Hic mihi viſus eſt planus ſenſus, nec libuit aliorum commenta refellere. Prudēti lectori relinquitur liberum ea amplexandi iudicium, quę ad mentem Apoſtoli vicinius accedere videntur. Manifeſtè enim hoc in loco de igne examinante atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

probante loquitur. Si nostra hæc expositio minus lectori placet, non cõtendo. Teneamus & nos fundamentum, & nihil contentiosè agentes, sed synceritati studentes, subdamus semper intellectum (per gratiam Dei) in obsequium Spiritus, qui declarat dubia in ecclesia. Quod si obseruauerimus, etiam si aberrauerimus in quibusdã (vt fert humana conditio) saluos nos tandem iri vel per ignẽ sperare poterimus.

Nescitis quia tẽplum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Deus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.

Vult hoc in loco Apostolus & ipsos qui se faciebant sectarum principes, & ea ratione multos à veritate seducebant: Et similiter qui sectabãtur illos, & in illis gloriabantur, deterrere. Primum igitur ostendit quantum illud contineat mali, auertere scilicet hominem à fidei fundamẽtis: quod est violare cor, & mentem hominis à Deo, auertere. Vnde præmittit dicens, *Nescitis quia templum Dei estis?* Templũ idem est quòd sacra Dei domus propter inhabitantem Deum, vt ipsemet explicat, *& Spiritus Dei habitat in vobis?* Ipse Spiritus sanctus inhabitator huius templi hoc in loco manifestè declaratur esse Deus.

Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Græcè legitur φθείρει & φθερεῖ, id est, corrumpit, & corrumpet. Hæc enim tãto sacrilegio digna est pœna. Nam ipsum Dei sanctum templum est: violare autem sancta, hanc pœnam meritò (etiam penes paganorum leges) luere debet, vt violator ipse perdatur. Nam & si quis ciuitatis muros, quos sanctos faciũt, violauerit, ipse perditur, hoc est, capite plectitur. Quæ lex si seruatur in muris, & in tẽplis lapideis & manufactis, quantò id magis de viuis Dei templis, quæ manu & digitis suis fabricata sunt, quæ sumus nos, qui fide & dilectione suscipimus ipsum Christum? ideo ait,

Nemo se seducat. Alloquebatur maiores, qui alios seducere, atq; ad se, & suas partes trahere nitebantur, vt ex ipsis, quasi ex peculiaribus & sibi deditis sectatoribus, gloriam acquirerent. At hoc erat seipsum seducere: quia per illud Dei inimici constituebantur, tanquam violatores tẽpli sui. Vnde eos admonet, & salubre dat consilium, dicens:

Si quis videtur inter vos sapiens esse. Ille autem videtur sibi sapiens in hoc sæculo, qui ambitione & fastu quærit regere alios. In hoc enim apparet, talem existimare se sapientem, cum sit sapientis regere. Sed ex falsa hac de seipso persuasione venit seductio. Quamobrem huic malo hæc sola est medicina, videlicet, vt *stultus fiat*, id est, vt subdatur & permittat se regi, & sic sapiens fiat. Nemo verè sapiẽs esse potest, nisi qui prius stultus fuerit: quoniã sic in lege Christi decreto Dei statutum est. Sic pauperes diuites fiunt: sic esurientes implentur: sic infirmi potentiam quærunt. Quo in loco considerent seipsos ambitiosi, qui quærunt prælationes, & præsertim regulares, qui magis profitentur contemptum mundi: & sapientissimę stultitiæ statum non deserant, si ab ipso sapientissimo iudice cupiũt haberi verè sapientes. *Qui verè est sapiens.*

Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Adiuuat autem exhortationem, vt non prẽsumant sapere iuxta sæculi sapientiam, secundũ quam quilibet vellet aliis esse maior, eisque dominari. Sed hæc sapientia stultitia est apud Deum, quia scriptũ est: *Comprehendam sapientes in astutia ipsorum.* Græcè legitur: Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Et sic legitur apud B. Iob. Et hic nota, quòd dictum Eliphaz amici Iob, qui tamen non probatur à Domino, in autoritatem affertur, non quia ab eo dictum, sed quia in se verum. Nam ex ore insipientis nihil prohibet, quin aliquod dictum sapiens proferri possit. Vnde & ex apocryphis quædam afferuntur, non quia probentur autores, sed quia probantur dicta. Neque enim omnia quæ in apocryphis leguntur, apocrypha protinus censeri debent. Qua de causa nullus conturbari debet, si in epistola B. Iudæ quædam legantur, quæ in apocryphorum Autorũ libris reperiuntur. Sed ad rem nostram redeundo. *Iob 5.* *Pro epistola B. Iudæ.*

Comprehendit ergo Deus sapientes, videlicet, mundi, in sua astutia. Quomodo in sua astutia? hoc modo, Cum illud ipsum ad quod ipsi tendunt per astutiam (nam astutia malum finem coniectat) est causa suæ ipsorum perditionis, & est ipsorum malum. Hoc aliquo illustremus tali exemplo. Qui gloriam amat, & ad eam cõparandam omne suum studium intendit, ab ea gloria tandem perditur: quia dum falsam quærit gloriam, & vera gloria fraudatur, & quam quæsiuit, non habet. Quòd si quid gloriæ adipiscatur in mundo, illa sicut flos fœni est, qui hodierno die olet, & cras in clibanum mittitur. Sed hæc Aulici ignorant & deridẽt, qui & deridebuntur, & serò sapient, quùm apertis oculis, quos nunc fumo vanitatis oppletos habent, cogentur vsurpare illam scripturæ sententiam, ad maximã eorum gloriam qui per Crucis stultitiam sapientes redditi sunt, expressam: Ecce, inquient, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinẽ improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: & inter sanctos sors illorum est. Hæc sunt Sapientiæ verba, quæ qui habet aures audiendi audire debet, ne tandem veniat in illam spiritus comminatam angustiam ad perpetuos ignis cruciatus perferendos. *Vtinã hæc intelligerẽt mundi sapientes, vt incœperint verè sapere.* *Sap. 5.*

Dominus nouit cogitationes sapientium, &c. In psal. legitur, cogitationes hominũ. Nam de hominum

sapiẽtia loquitur, qui (vt homines sunt) non sapiũt quæ Dei sunt: quia nec finem verum respiciũt, nec media, quæ probentur à Deo, aptant ad finem. Itaque vanę sunt: quia inanes & inutiles cogitationes eorum. Addit ob hãc rem, vt & eos admoneat qui tales sectabantur, aliud consilium.

Nemo itaque glorietur in hominibus, scilicet, vt homines sunt, in eis suum bonum reponẽs. Nam vos ex Deo pendere debetis, postquam & ipse omnia subdidit vobis. Licebit autem gloriari in eis, vt in ministris Christi. Quãdoquidem sic gloriari, non est in hominibus, sed est gloriari in Deo, qui tales tantæque dignitatis vobis ministros prouidit: & gloriari in Christo, qui tales elegit. Nam ea ratione qua ministri sunt, minores sunt vobis in hoc tẽpore: quia maior est qui recumbit quàm qui ministrat, vt ipsemet summus Magister testatur. Vnde & egregiè subdit, *Luc. 22.*

Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, &c. id est, eorum quæ ad vestrã salutem sunt à Deo disposita, omnia vestra sunt. Et primò quidẽ ipsi Dei ministri, Paulus, Apollo, Cephas, ad spiritualia ministranda. Deinde mundus, ad suppeditandũ carnalia, & quæcũque ad vitam corporis tuendam sunt necessaria. Deinde vita, ad laborãdum, & regnum æternũ bonis operibus promerẽdum. Tum mors, ad finem laborũ ac requiem, & vitam nouam eam que sempiterna felicitate stabilitam. Sic præsentia, videlicet, dona, quibus ad illam beatitudinem asse quẽdam vtimur. Sic futura, scilicet ipsa beatitudo, qua tandem iustè cursu vitæ transacto fruemur. Et cum hæc omnia eorum essent, ipsos tamen Christi esse dicit, non hominum, Christus enim redemit eos, qui & illis ministrans, tandem meruit recumbere, vt omnibus dominaretur, sicut scriptum est. Omnia subiecisti sub pedibus eius. *Christus autem Dei.* Quia & illi qui subiecit ei omnia, subiicietur, cui gloria in sæcula. *Quomodo omnia sint eiorum.*

CAP. IIII.

SIC nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quęritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi cõscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscõdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc erit laus vnicuique à Deo.

BEatus Paulus ne omnino spernerẽtur ministri Dei, quia dixit Dominus: Qui vos spernit, me spernit: & cõtrà, ne supra quàm essent, ipsimet ministri extollerentur, ait. *Sic nos existimet homo, vt ministros*, id est, tanquam iconomos seu dispensatores sacramentorum Dei. Qui enim verba dispensat, etiam sacramẽta multa dispensat, quæ in verbo Dei continentur. Hæc sunt sacra arcana, quibus homo primò initiatur, & tum demũ deificatur. Id autem ab iconomo requiritur quod reliquum, nempe vt der rationem residui. i. ne quid sibi quæsierit, aut retinuerit vel honoris, vel gloriæ, aut quid horum: sed vt omnia cedant in lucrum & gloriam Domini. Ipse autem stipendio suo sit contẽtus. Sic enim inuenietur fidelis dispensator in dispensatione dati sibi muneris, & administratæ prouinciæ.

Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer. Quoniam nonnulli eorum adhærẽtes nouis magistris, videbantur spernere Apostolum, & postponere ipsum aliis, & (quod erat nequius) obtrectare de illo calumniosè, dixit hoc pro minimo se habere, & nihili facere, si ab illis, *vel ab humano die* iudicaretur. Et vocat humanum diem, cognitionem humanam, aut tempus in quo est hominis iudicium, & silet diuinum, quod tandem aliquãdo habebit suam diem, id est, diuinam lucem, quando reuelabuntur abscondita tenebrarum.

Sed neque, inquit, *meipsum iudico:* quia non est meũ iudicare meipsum. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quia à sententia veri iudicis procedit vera iustificatio coram aliis, vt quis ab omnibus comprobetur iustus. Nõ enim innocentia satis est ad hoc iustificationis genus. Et de hoc iustificationis genere quæ fit à iudice, clarè hic (nisi velimus proterire) loquitur Apostolus, propter illud quod consequenter adiungit: *Pro germana huius loci expositione.*

Qui autem iudicat me, Dominus est. De illa autem di iudicatione quæ fit per discussionem & quæstionem (vt vocabulum indicat) hoc intelligẽdum est. Cum verò ait, *Dominus est*, Excludit eorum iudiciũ, sub quo ipse non erat constitutus, vt à quibus posset iudicari. Neq; tamen sibiipsi arrogare audet iudicium, quod est Domini. Animaduertat igitur lector non contentiosus, hunc locum nihil attinere ad comprobandum, Neminem scire posse sit ne in gratia Dei, ad quod tamen sępenumero adducitur. Sed ad hoc tantum valet, nemini licitum esse seipsum iudicare, vt coram aliis appareat iustus, etiam si fuerit re vera iustus, & hoc ipse certò nouerit: quia non potest aliis ostendere arcana sui cordis. Concludit ergo, admonens eos ne velint ante tempus iudicare quicquam. Et quodnam sit istud, *ante tempus*, declarat. *Quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum*, id est, ea quæ tenebris occultantur in cordibus hominũ tenebrosis. Nam & plerunque quædam vel odiosè, vel ambitiosè aguntur, quæ tamen cum extrinsecus habeant faciẽ & colorem vel pietatis vel iustitiæ, ab hominibus (externa tantum, & quæ parent intuentibus) verè iudicari nõ possunt. Sed omnia illa manifestabuntur illa die, ficta ne an vera fuerint. *Et tunc laus erit vnicuique à Deo.* Nisi laudem capias pro retributione digna, ita vt etiam in malam partem trahatur, oportebit illud quod ait, *vnicuique*, ad eos tantum aptare, qui promeruerint veram laudem. *Notãdum.*

Hæc autẽ fratres, transfiguraui in me, & Apollo, propter vos: vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum inflatur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid gloriaris quasi non acceperis? Iam saturati estis: iam diuites facti estis: sine nobis regnatis. Et vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus.

Hæc autem fratres transfiguraui, &c. Ex hoc loco (vt.1.cap.iam attigimus) quidam accipiunt, Corinthios non de Paulo & Apollo verè ea dixisse: Ego sum Pauli: Ego verò Apollo: sed ita in se Apostolus transfiguraut (aiunt) & Apollo, quę dicebant de aliis sectatum capitibus, idque docendi gratia, ne si illos expressis nominibus corripuisset, potius exacerbasset. Sed hoc meo quidem iudicio vanum est. Poterat enim suppressis illorũ nominibus, absque hac falsa personarũ suppositione, idem admonere, sermonem in hũc modum tẽperans. Significatum est mihi vnumquenq; vestrum inflari pro alio aduersus alterum: quo dicendi genere mox vtetur: Et similiter cætera eorum taxare crimina, citra cuiusquam peculiaris personæ priuatã appellationem.

Neque præterea oportebat se excusare, in suo illos nomine minime fuisse baptizatos, qui & nemi nem eorum baptizauerat, si de illo non dicebãtur talia. Mirum denique (vt iam arguimus) videri potest, cum tales inter eos & eo modo vigerẽt factiones, ita leuiorũ doctorum fuisse studiosos & amantes omnes Corinthios, vt eorum nemo ad Paulum conuerteretur & Apollo, qui tamen re vera erant primi illorum magistri & patres.

Ergo quod dicit Apostolus se transfigurasse in se & Apollo, non de eo dicit, quod ipsi dicebant de aliis, quasi illa transfigurasset de seipsis dicta, quæ de aliis dicta erant, sed hoc ad ea refertur quæ de seipso & Apollo superius dixerat: Quid est Paulus? Quid est Apollo, nisi ministri per quos credidistis, siue eius cui credidistis? Et in se & Apollo transfigurasse, nihil est aliud quàm se & Apollo (de quibus talia verè dixit) constituisse figuram & typum, vnde illi deberent discere, caperéque veritatis doctrinam. Vt sicut ipsi non plutis se faciebant quàm æquum esset, ita & illi perinde facerent, ac per hoc ne inflaretur quisquam exaltãdo suum doctorem aduersus alium: sed omni studio darent operam, ne ob eiusmodi dissensiones scinderẽt ecclesiam. Ideo ait:

Vt in nobis, videlicet, tanquam in exemplo & forma, *discatis ne supra id quod scriptum est*, nimirum in euangelio, vbi Christus tales vocat dispẽsatores & seruos, sentiatis, videlicet de vobis ipsis. Aut ne supra quàm scripsi ego de me & Apollo, sentiatis de vobis, sed quod nos de nobis sentimus, idẽ vos de vobis sentiatis, qui non estis aliud quàm ministri Christi, sicut & nos, & nihil essetis ex vobis. Et quatenus ministri estis, vnum estis: & illis quibus ministratis, hac parte minores estis, & pro aliorũ gloria, non pro vestra. Reddituri quippe estis rationẽ de residuo corã Deo, si quid forte pro vobis sumpseritis. Recepturi enim estis mercedem secũdum fidelitatem vestram, & laborem. Hæc sunt quæ in nos transfiguraiimus, vt typus vestrum simus. Si ergo tales vos esse reputaueretis, non illud efficietur, *vt vnus aduersus alterum inflatur pro alio*, id est, nõ eunt sectæ inter vos & scissure, vt quis intumescat de suo doctore, & pro eo zelet aduersus alterum, quod merum est schisma. Vnde sequitur:

Quis enim te discernit? Scio hunc locum variè exponi. Sed hic mihi proprius & germanus sensus videtur: *Quis te discernit?* id est, Quis ab alio te seiungit quo minus vnum sitis, sicut sunt dispensatores Dei? Nõ enim opinione hominum id fieri potest, vt quis alium à se disiungat, sed autoritate maiorũ, & ante omnes ipsius Dei: sicut discernuntur hæretici & schismatici à Deo per Pontificem in autoritate decernentem ac discernentem, segregando ab ecclesia inobedientes & contumaces. Quòd si aliquod donum habes, quo præcellis alterum, nunquid ob hoc discernere teipsum potes? Absit: propter quod dicit, *Locus varie exponitur.*

Quid enim habes quod non accepisti? Quid enim aliud est teipsum discernere ab aliis, quàm inflari & gloriari in donis, quasi ea non acceperis? Tu enim vis ea conuertere in tuam gloriam, quę tamen data tibi sunt ad aliorum ædificationẽ, & salutem. Quare B. Paulus indignabundus meritò adiicit in eos fastidiosos, qui sic seipsos discernebant.

Iam saturati estis, &c. Saturatos vocat: quia putabant se vlterius nulla indigere disciplina. *Iam diuites facti estis*, simul diuites appellat: quia præsumebant se tanquam abundantes, posse etiam aliis subuenire docendo. Et quoniam id faciebant cum æmulatione, ideo ait: *Sine nobis regnatis*, quia subiiciebant sibi sectatores. At cum illud non esset regnare, sed schisma & tyrannidem fouere, meliorem illis mentem precatur, quoddam permixtum metu desiderium ostendendo, & ait:

Et vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. Nã in vero Christiani status regno regnant omnes: quia amoris vinculo charitas ligat omnes, & nemi nem excludit, nisi qui non obtemperant ecclesiæ.

Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mũdo, & angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum: vos autem prudẽtes in Christo. Nos infirmi: vos autem fortes. Vos nobiles: nos autẽ ignobiles. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus. Persecutionem patimur, & sustinemus. Blasphemamur, & obsecramus. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.

Puto enim, &c. Tametsi alij aliter hunc locum exponant, mihi tamen veriot hic videtur Apostoli sensus, vt voluerit indicare Dei circa hoc in ecclesia prouidentiã, qui dedit illis Paulum, & (vt innuit pluralis numerus) etiam Barnabã simul, Vocat verò se & Barnabam nouissimos Apostolos: quia post alios fuerunt segregati à Spiritu sancto, vt scriptum est: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, videlicet, vt essent ministri verbi, & mysteriorum Dei in Gentibus, quos præcipuè Iesus voluit esse sibi similes in passionibus, & in abiectione: vt per illos & eorum merita Act.13.

alij subleuarentur. Et hoc declarauit Corinthiis, ne aburerentur illa eorum abiectione & humilitate, quasi non essent summi, & pares cum aliis dispensatores.

De vita Apostolica.

Puto enim, &c. Non est opinantis aut dubitantis dictum, sed modestè loquentis, & ait: *Nos Apostolos nouissimos*, seipsum in primis commemorans cũ Barnaba, qui (vt diximus) fuerunt nouissimi in Apostolatu, *Deus ostendit tanquam morti destinatos*, vt publicè mactandos, velut sceleratos quosdã homines in ostensionem aliis: ideo ait,

Quia spectaculum facti sumus mũdo, &c. His enim duabus creaturis, id est, Angelis & hominibus finitur mundus: quia cætera propter homines sunt. Et hi hoc theatrum spectare valent, & eius summam considerare angustiam, ex qua tamen fœlicissimum tandem exitum consequuturi erant, qui patiebantur. Et vt hanc sui ipsorũ ostẽderet abiectionem, & destinationem ad aram velut ouium occisionis, addit particulariter:

Discãt hinc Prælati.

Nos stulti propter Christum, quia scilicet ea facimus, quæ sapientia mundi arbitratur stulta esse, vt est spernere diuitias, abiicere voluptatem, mundi conculcare gloriam, & saturari opprobriis & contumeliis. A quibus virtutibus quantum sit aliena Prælatorum vita, ipsi viderint. Et tamen laudi nobis & autoritati vertimus, quòd in Apostolorum locum regẽdis ecclesiis successerimus. Ad lautas epulas, & palatiorum apparatum & ornamenta, virtutes prælatorum relegatæ nostris tẽporibus videntur. Et vtinam hic saltem sisteretur, nec interuenirent opera tenebrarum. *Vos autem prudentes in Christo*, non ironicè (ni fallor) sed quia Christus factus est exemplum omnibus etiam infirmis qui subire altissima paupertatis, & extrema patientiæ nequeunt. Et iis interdum se conformauit portas loculos, & puluinari vtens in naui: quæ videtur humanæ prudentiæ, quam Christus in infirmis non improbauit. Ideo qui tales sunt, dici possunt prudentes in Christo: addit,

Pro passionibus Apostolorum & Pauli.

Nos infirmi, vos autem fortes. Vocat seipsos infirmos, quasi absque autoritate & potestate vel subiiciendi sibi illos, vel ab eis accipiendi aliquid: quia non abutebantur ea potestate, sicut hodie faciunt multi episcoporum: & quidam ex Corinthiis olim faciebant, quemadmodum in altera epistola conqueritur aduersus eos, dicens illis minoribus ex Corinthiis: Sustinetis si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciẽ vos cedit, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte, &c. *Vos nobiles, nos autem ignobiles*, hoc est, sine honore. Et hoc in eundem sensum. *Vsque in hanc horam & esurimus, &c.* Ac si dixerit, Non semel quidem, aut bis hoc contigit, sed assiduè vsque in hãc ipsam horam. Et primò corporis passiones significat, quo ad necessaria victus, quod magnũ est: tum quoad vestitum. Adiungit & iniurias in corpus: vnde ait, *Et colaphis cedimur*. Addit & peregrinationis incommoda, qui non haberent sedes aliquas certas. *Et instabiles sumus*, hoc est palantes & vagabundi incertis sedibus. Et quod maius est, in tot laboribus & incommodis, victum insuper manibus propriis quæritamus. Nam quidã in parte beatitudinis cõstituit rẽ labore non partam, sed absque sudore relictam. 2.Cor.11.

Maledicimur, & benedicimus, &c. Hæc addit quæ perfectæ erant & christianæ mansuetudinis, videlicet reddere pro maledictis benedicta, & patientiam persequutionibus opponere, & obsecrationes blasphemiis. Blasphemia enim erat, quam admittebant in Dei Apostolos increduli, vituperantes quod erat Dei in illis.

Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus. Cõcludit postremo omnem ambitionem conculcandam, dum factos se ait tanquam purgamenta, siue excrementa totius mundi, quæ ad hoc tãtùm sunt, vt emittantur, & sint, *peripsema*, id est, quicquid est superfluum, abiectum, & nauseabundum, vt proiici debeat. Tales enim se esse in oculis mũdi huius præ se ferebant Apostoli, præsertim B. Paulus. Sequitur:

Non vt confundam vos hæc scribo: sed vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu, per Euangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheũ, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni ecclesia doceo. Tãquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit: & cognoscam nõ sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

Non vt confundam vos, &c. Nulla est maior humanæ sapientiæ confusio, quàm cum aduersus eã stultitia Crucis opponitur, in eos præcipuè qui etsi Christum profiteantur, non perfectè tamẽ ambulant secundum illam, quo fit vt huiusmodi exprobrationem ferre non possint. Vnde Apostolus sapienter ait, se non ob istam causam id agere, scilicet quò illos confunderet, hoc est, gratia excutiendi pudorem & verecundiam ab agnitione suæ ipsorum arrogantiæ, sed admonendi vt filios charissimos, videlicet, ne in sui detrimentum aburerentur ista abiectione & humilitate Apostoli præceptoris sui ac patris, quam oportebat eum præ se ferre. Probat autem eos esse filios aiens: *Nam si decem millia pædagogorum*, id est, multos pędagogos, *habeatis in Christo, tamen non multos patres*: quia ipse primus genuerat eos in Christo per euangelium. Vocat pædagogos præ se, illos quibus ipse curam plebis commiserat, quæ recens nata erat in Domino.

Rogo ergo fratres, &c. Cum igitur essent eius per euangelium filij, magna cum pietate rogans admonet, seu exhortans, vt tanquam veri & obedientes filij patrem velint seipsum imitari, quia & ipse erat Christi, vt veri omnium genitoris, imitator. Quod vt lubentius faceret, testatur se ad eos misis

Universidad de Deusto
Biblioteca

se Timotheum, suum similiter charissimũ filium & fidelem in Domino, vt ipse qui iam imbiberat vias eius, commonefaceret illos de eis, quoniam erant in Christo. Sicut enim Christus ambulauit, & ipse ambulabat. Et sicut docebat in ecclesia, ita faciebat: vt non solùm sermone, sed & opere potens esset. Concordabat enim lingua cum corde, & opera cordi respondebant, & cor ipsum Deo.

Tanquam non venturus sim ad vos sic inflati sunt quidam.

Quia omnibus fiebat omnia Apostolus, in ædificationem tamen: Ideo ipse mutans nunc quodãmodo seipsum ab infirmitate, & in potentia se erigens aduersus quosdam qui se efferebant inflati, tanquam ipse Apostolus nũquam esset ad eos venturus, incipit comminati seuerioribus verbis, & ait: *Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit, &c.* Se ad eos venturum denunciar, si Deus permiserit. Hanc verò conditionem, etiam si tacite subintelligi facillimè potuisset, non tamen frustra exprimitur, vt ostendat quæ cogitabat se cogitare secundũ Deum. Et comminatur se probaturum virtutem eorum qui inflantur, non sermonem: quandoquidem verba quæ rerum & virtutum põdere carent, inania sunt: quia regnum Dei, id est, ecclesia Christi, non est in sermone, id est, non consistit in meris verbis & diserto sermone, sicut nec vi sermonis conflata est: *sed in virtute*, videlicet Spiritussancti. Sic enim fundata est, & sic consistit. *Quid vultis? In virga, &c.* Hoc in loco significare vult Apostolus animum suum, qui vt est promptus vti virga in contumaces, si opus fuerit, ita etiam se futurum promptiorem ad mansuetudinem & indulgentiam erga obtemperantes. Optionem autem illis præbet, vt eligant vtrum velint, An spiritum potestatis, qui grauis est, & ita grauis vt nihil sit in terris grauius: an verò spiritum mansuetudinis & lenitatis, quo nihil bonæ mentis amabilius.

CAP. V.

OMnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes: ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctũ habuistis, vt tollatur de medio vestrũ qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autẽ spiritu, iã iudicaui vt præsens, eũ qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute domini nostri Iesu, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrũpit? Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus. Itaq; epulemur, non in fermẽto veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.

HIC secũda incipit epistolæ particula, vbi primo inuehitur in vitium fornicationis incestuosæ, & obiter omnis fornicationis: vnde veluti exhorrescens ait: *Omninò auditur*, tãquam ex omnibus locis diuulgaretur fama illius flagitij, vt nõ temerè fides haberetur tantæ famæ. Et detestans illud atque exaggerans, ait: *Et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes* nominabatur. Nam nephastæ olim atque incestæ hæ nuptiæ dicebantur propter honorem aurium, ne particularis turpitudo cogitaretur. Vxore enim patris quidã abutebatur, nec exprimitur id sceleris patre viuente perpetratum fuisse: licet quidam id ex eo arguant, quia vocat vxorem patris. Non vlterius enim esset (aiunt) eius vxor, qui non viueret. Quasi verò non eo modo loquendi vtãtur omnes, etiam scripturæ ipsæ, quæ illum vocant patrem, qui olim erat, & ita filium, & matrem & vxores. Nec enim verisimile est hoc à Corinthio, patre viuente, factum fuisse. Alioqui & hoc Apostolus expressisset ad maiorem criminis detestationem, & ad incutiendum horrorem. Quicquid tamen sit, res semper scelerosa fuit & abominabilis, etiam apud Gentes, cum patris vxorem habere, vel ipso patre defuncto: quãuis Caietanus aliter, nimium certè licentiosè, doceat. *Contra incestuosum concubitu.*

Et vos inflati estis, & non magis luctum, &c. Conqueritur Apostolus, quòd in tãto delicto inflarentur illi, qui sectas congregabant: & propterea huiusmodi homines non solùm non puniebant, verum etiam ad se alliciebant, quo ab illis fouerẽtur & prædicarẽtur, cum magis eos pellere atque abs se mari & terra abigere debuissent, & ita luctum assumere. Nam & si iustitia Propositum cogat aliquos à grege vt pestiferos abiicere, charitas tamẽ cogit lugere illos dum eiiciuntur, vt sic deplorati tollantur de medio: sicut & Dauid luxit filiũ, quo vsque de medio sublatus est.

Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, &c. Hic significat in quo illi defecerunt, se supplere: quia debebant hominem damnare, & non damnarunt. Ideo significat se nunc hoc ipsum facere cum illis. Per hanc igitur scripturam, quia in scripturis ferenda est damnationis sentẽtia, quùm iuridicè & ex more proceditur, dãnauit hominem hac pœna miraculosè, videlicet, vt sub tortore Satana affligeretur secundum carnem tantum. Cum autẽ præsens iudicantis persona requiratur dum sententiã profert, ideo excusat corpore quidem se absentem esse, spiritu tamen præsentem protestãs, & sic tanquam præsentem in spiritu se proferre sentiam. Porrò cum Christianorum iudicium debeat habere assistentes, & comprobantes sententiam pronunciantis, subdidit: *Congregatis vobis, & meo spiritu.* Quoniam verò talem sententiam non poterant alij exequutioni mandare, nisi assisteret virtus Domini, subiunxit, *Cum virtute Domini.* Postremo cum pœnæ inflictę debeant esse medicinæ, potius quàm vindicta, ideò in quem finem hanc tulerit sententiam explicat, aiens à se traditum hominem Satanæ in interitum carnis, *vt spiritus saluus fiat, in die Domini Iesu Christi.* Et vocat interitum carnis illud Diaboli flagellum, in quo affligebat eum deliter illius carnem. Et pœna ipsa quidem fuit & peccato, & tẽpori congrua. Peccato primùm, quia *Autoritas Apostolica & potestas.*

æquum est vt per quæ quis peccat, per ea etiam plectatur. Peccauit caro per diabolum, & per diabolũ caro plectitur: quia illa pœna veniebat à potentia diuina latente, ad astruendam apostolicam autoritatem. Sic enim B. Petrus puniuit Ananiã & Sapphiram. Et ipse B. Paulus Elimam magum. Sic fieri oportebat in initio fidei (raro tamen) ad terrorem & exemplum malorum, donec statuerẽtur fides & stabiliretur. Quod vero quidam comminiscuntur de excõmunicatione, longè ab est ab intellectu literæ: hoc est, à propria verborũ significatione, quam semper tueri debemus, nisi sensus resultet fortassis absurdus. *Act. 5. & 13.*

Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Apostolus contra eos qui ob id gloriabantur, quòd plurimos haberent sectatores, parcentes ob eam gratiam virgæ iustitiæ, ne se redderent illis odiosos (sicut & nunc multi faciunt) ne minueretur discipulorum numerus, hoc ipso primò ostendit non esse bonã huiusmodi gloriationem, tacens rationem quæ erat in promptu: quia non est vera gloria quæ venit à malis hominibus. Et adiicit, cũ toleratur homo morbidus, eius contagione omnes contaminari: non secus ac fermentum tõtam massam fermentat, ad se trahens, & de suo impartiẽs toti massæ. Et sicut est istud in fermento malitiæ & nequitiæ, ita est in fermento fidei & charitatis, quando multa vis spiritus est in eo. Vnde eos admonet:

Expurgate vetus fermentum, hoc est, veteris hominis peccatum dominans in membris nostris, donec per Christi gratiam expurgetur. Nam aduenientẽ te nouo homine, veterem oportet expelli. Nouus autem homo venit, si illi præparentur viæ ipsius Domini, quæ sunt misericordia & veritas. Misericordia enim exigit confessionem propriæ miserię ac implorationem diuinæ pietatis ac clementiæ. Et veritas laudem requirit, vt laudetur qui verax est & fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et sic fiet, *vt sitis noua conspersio*, videlicet, facta hac expurgatione, quã quisque tenetur facere, ex qua resultabit nouus homo. Vnde ait:

De statu Christiano.

Sicut estis azimi, Omnes facti sumus azymi in Christo, id est, venerunt dies azymorum, qui dies habent statum gratiæ & tempus, ad quod perueniimus, quando omne fermentum expurgandum est a nobis: *quoniam Pascha nostrum*, iam non est ille agnus carnalis, sed Christus *immolatus*. Iudæis quidem periit suum pascha nec habẽt nouum, quod iugiter immolatur. Hæretici similiter non habent pascha, qui non sunt azymi, sed in omni immunditia accedunt ad agnum, noctu cum sacrilega concumbentes, & mane sacrificantes, si modo sacrificare dici valeant. Sunt & qui nihil penitus sacrificant, nec vllum omnino habent pascha: nec possunt audire quod sequitur, & quod ad fideles tantum pertinet.

Itaque epulemur, id est, festiuum agamus diẽ epulando, *non in fermento veteri*, id est, non secundum statum, in quo eramus in veteri homine existẽtes, quando peccatum regnabat in nobis: *neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* Ego commurando dicerem, *nequitiæ & malitiæ*, sicut verius habet græca lectio. Sermo enim in significatione debet crescere. Homine autẽ nequam, græcè πονηρὸν, diceremus, hominem remissum, & cessantem à bono. Malitiosum verò, hoc est, πονηρὸν, etiam industrium & laboriosum ad malum. Et hoc est Diaboli proprium. *Sed in azimis synceritatis, & veritatis.* Reprobatur ergo vetus fermentum, id est, vigor fomitis, & ignorantia, quæ à veteri peccato sunt, vnde oritur & nequitia & malitia. Et contra probantur azymi synceritatis & veritatis, contra ignorantiam & tenebras priores, & contra velamina figurarũ. Christus enim veritas est, id est, verum bonum nobis promissum à Deo, cui aduenienti vmbræ & figuræ cessarunt.

Scripsi vobis in epistola, Ne commisceamini fornicariis. Non vtique fornicaris huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicaeri? Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobisipsis.

Scripsi vobis in epistola, &c. Scripserat B. Paulus aliam ad Corinthios epistolam, quam non habemus. Et in illa significauerat, ne cum fornicariis cõmisceretur: quod ipsi non satis intelligebant. Putabant enim Apostolum vetuisse de iis solùm, qui adhuc erant infideles non initiati baptismo. Vnde ipse hunc eorũ intellectum corrigens, quẽ suæ mẽtis fuisse negat, declarat hac epistola se nõ dixisse omnino de fornicariis huius mundi, aut auaris, aut huiusmodi. Nam & tales, id est, auari ac rapaces, fornicarij spiritualiter dici possunt. Auaritia enim est quædam idolorum seruitus: quia per eam præfertur creatura Creatori, & quodam modo colitur atque honoratur supra Deum. Non ergo de iis se loquutum dixit Apostolus, de quibus nullum esse oportuit cuiquam dubium. In professione enim euangelij clarũ erat, cum talibus nullũ posse haberi commercium, nec licere commisceri. Et hoc est quod ait:

Alioqui debueratis de hoc mundo exisse. Et accipit exire de mundo in eum sensum, quo non esse in mundo dicuntur à Domino, quorum conuersatio non est cum hoc mundo, id est, cum mũdanis, sed omnis spes in Deo viuente, & in cœlis. Nõ ergo prohibuit illis Apostolus per literas, conuersationem & commixtionem cum his qui non essent Christiani. Nam hoc iam ipsa professio christianitatis effecerat. Declarans itaque se sensisse de Christianis, qui illis delictis erant implicati, ait: *Ioan. 17.*

Nunc autem scripsi vobis, id est, postquam iam estis in lege Christi, scripsi vobis ne commisceamini, *si is qui frater nominatur inter vos.* Fratres propriè secundum spiritũ dicimur omnes, quotquot sumus baptizati, & Christum induimus. Si quis autem horum fornicator fuerit, & his vitiis infe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus quæ hic narrantur, est vitandus (supple tu) si hæc constent in facie ecclesiæ vt iam nota, & quasi inueterata. Nam de occultis non est iudicium, nisi solius Dei: neque statim ex vno lapsu talis est homo censendus, nisi perseueret in delicto. Nam de illis alibi iuber, vt in spiritu lenitatis arguantur.

Gal.6.

Ergo famosos peccatores hic notat, quos vult vitari. Quidam tamen hunc textum destruêtes, quia non intellexerũt, ausi sunt etiam facere discrepantem Apostolũ à sententia Christi, circa rationem & causam excommunicationis.

Cajetanus.

Quid enim mihi iis qui foris sunt iudicare? Adiungit autem Apostolus rationem, quare non dicat de aliis, *qui foris sunt*, id est, extra ecclesiam: & manifesta est videlicet, quoniam excommunicari legitimè ij non possunt, cum non attineant ad forum & iurisdictionẽ ecclesiæ: neque in communione vnquam fuerunt, vt excommunicari, id est, a communione priuari valeant. Sunt enim ipso iure iudicati antiqua sententia. Qui non credit, iam iudicatus est, ait ipsemet Dominus: & item iudicandi de nouo peccato à Deo, qui spreuerunt bonitatem eius communionem offerentis in salutem.

Ioan.3.

Auferte malum ex vobis ipsis. Concludit igitur, iubens vt auferant malum à semetipsis, eos excludẽdo qui suo contagio possent alios perdere, & suauem christianę puritatis odorem apud infideles in fœtorem conuertere: cùm debeat lux nostra corã illis apparere, vt videtes opera nostra bona glorificent Deum Patrẽ qui in cœlis est, per Iesum Christum Redemptorem nostrum.

CAP. VI.

AVdet aliquis vestrum habẽs negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sãctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabũt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiẽs quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suũ? Sed frater cũ fratre iudicio contẽdit, & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictũ est in vobis, q̃ iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare nõ magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruiẽtes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neq; ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebũt. Et hæc aliquãdo quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

Audet aliquis vestrũ, &c. Hic incipit quarta præsentis epistolæ particula, vbi tangit in quibus peccabant, litigia nimirum & sorenses controuersias inter se habentes. Vnde primo in ipsos actores indignatur, qui cõueniebãt fratres apud ethnicos iudices, & consequẽtur iniquos, ac propterea indignos qui iudicarent: quia æquitas in iudicante requiritur, quæ apud infideles, & christiani nominis inimicos inueniri non poterat. Non ergo Christiani est causam suam prosequi apud magistratus infidelium, cum proprios habeant iudices. Ideo ait, *Et non apud sanctos?* Et sanctos vocat Christianos, id est, mundos per aquam baptismatis. Quod verò legimus: Apud iniquos, græcè habetur ἐπὶ ἀδίκων, id est, sub iniustis. Et vt eos ab hac indignitate deterreret, & Christianorum dignitatem extolleret, addit:

An nescitis quòd sancti de hoc mundo iudicabant. Iudicabunt enim sancti nationes, siue mundum, assidentes cum Christo iudice. Neque verò intelligas iudicium comparationis tantum, sed etiam potestatis: Alioqui nihil valeret hoc Apostoli argumentum. Non inquam valet, vt si comparatione meæ iustitiæ prospicitur ratio condemnationis in alium iniustè agentem (Hoc est enim comparationis iudicium) iccirco etiam habeam in sæcularibus iudicium autoritatis & iurisditionis, quod tamen vult probare B. Paulus. Ergo de iudicio potestatis loquitur, de quo etiam dixit Dominus: Sedebitis & vos iudicates duodecim tribus Israel. Et hoc est quod hic ait:

Pro iurisdictione.

Luc.18.

Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Si in vobis, id est, si per vos. Tropus est hebraicus: sicut dicitur, In manu potenti, id est, per manum potentem. Licet enim summus iudex sit solus Christus, per suos tamen qui eum sequuti fuerint, etiã iudicabit. Sed qua ratione valet argumentum, ex eò quod tunc iudicabunt sancti mundum de peccato, ideo & nunc iudicare valeant sæcularia? Nam Christus iudicum omnium summus dixit litigantibus, & eius iudicium poscẽtibus: Quis me constituit iudicem, seu diuisorem inter vos? Quare sciendum quòd Apostolus non arguit iudicium actuale sæcularium ex iudicio spiritualium, sed habilitatem huius iudicij.

Luc.12.

Pro cuius rei intellectu sciendum est, Sicut duo sunt regna, & duæ respublicæ: ita duo esse iudicia. Alterum iudicium spirituale, & aduersos eos qui contra maiestatem diuinam, & regnũ eius, & pacem spiritualem admittunt violãda charitatis præcepta. Alterum est contra eos qui admittunt cõtra hominum scita & placita, quæ regni terreni stabilitatem ac pacem spectant: quanquam qui in hoc delinquunt, etiam in regnum Dei delinquunt. Per ipsum enim reges regnant, & legum conditores iusta decernũt, ait scriptura. Et ipse Dominus probat hæc regna, & vult eorum leges & iura obseruari. Et tamen hæc ipsa regna distinguuntur fine. Quodlibet enim suum finem habet. Et primum quidem regnum habet finẽ suum spiritualem, scilicet vitam æternam, fœlicitatem in cœlis. Alterum verò carnalem & temporalem finem, videlicet vitam tranquillam & pacificam mundi huius. Ideo sunt etiam iudicia æternorum, & iudicia sæcularium. Et sic quodlibet debet habere suos proprios iudices. Atqui nunc constat sanctos iudicio illo grauiori, videlicet in regno Dei, iudicaturos nationes, vt quibus ipse Christus iudicium quasi assessoribus suis daturus est. Si ergo iudicabunt in iudicio summo de æternis præfecti iudices, quomodo possunt indigni æstimari qui de sæcularibus, & multò vilioribus causis iudicare debeant? Si similiter (supple tu) præficiantur iudicio, ab his qui possunt præficere. Omnis nanque iusta collectio & resp. potest sibi præficere proprios iudices. Vnde non dixit Christus se incapacem & inhabilem ad iudicandum, sed tantum dixit, se non esse constitutum & electum ad illud iudicij genus sæculare, sicut oportebat ad hoc vt posset iudicare. Nec enim tum decebat de rebus hominum illum sibi sumere iudicium, ad quod exercendum secundum dispositionem paternam non venerat. Venerat quippe saluum facere mundum, non autem iudicare. Nec item venerat ciuiles innouare leges, & sæculares constitutiones, & iura, quæ prohibent priuatis iudicium, quantumuis sanctis & peritissimis. Regnum autem illius nõ erat ex hoc mundo, videlicet, sæculare: & quãtum ad illud pertinebat, perinde segerebat ac quilibet alius priuatus. Ideo dixit: Quis me constituit iudicem, &c.

Duplex iudicium spirituale, & temporale.

Et hoc aduersus illos miseros hæreticos, qui nõ solùm hæc inuicem separant, videlicet, regna & iudicia spiritualia ex vna parte, & iudicia sæcularia ex altera parte (quod rectè quidem facerent) sed etiam faciunt ita opposita & incompatibilia, vt negent spiritualibus licere sæcularia discernere, & iudicare: quod est peruersum. Contra potius dicendum erat, sæculares spiritualium causarum nõ esse legitimos cognitores & Iudices: quãuis hoc sibi cõtra fas & sacrilegè vsurpent. Præposterum enim est & indignum facinus, summo ipsi Iudici vehementer odiosum. Spiritualis autem iudicat omnia, & à nemine iudicatur. Debet autem sæcularis potestas subseruire spirituali potestati. Et hic Apostolus dixit expresse, eum qui sit adiudicũ æternum idoneus, multò magis ad sæculare esse idoneum. Quod tum rectè facturus est cum ad hoc legitimè præponetur. Et quæ *sæcularia* dixit interpres, græcè βιωτικὰ optimè dicuntur, id est, bona huius sæculi, quæ ad sustentandum ærumnosam hãc vitam sunt necessaria, pro quibus tamen miseri tãto studio contendimus.

Prouis.

Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Nedum homines improbi à sanctis iudicabuntur, verũ etiam ipsi Angeli mali, qui & ipsi in illa die referent iudicium suum perfectum & absolutum, cum eiicientur in tenebras extremas, sempiternum illorũ, & prauorum hominum carcerem. Si ergo Angeli subiicientur sanctorum iudicio de rebus spiritualibus, quanto magis de sæcularibus congruit, vt in ecclesia possint esse iudicia, quibus dirimantur Christianorum controuersię & lites? Est autem argumentum à maiori ad minus. Itaque quid in posterum facto sit opus docet, & ait:

Locus vario.

Sæcularia igitur iudicia si habueritis, &c. Etsi locus hic variè exponatur, mihi tamen hic sensus videtur proprius; vt Apostolus quasi cum stomacho, & ad pudorem eorum qui hæc ignorabant, loquutus, esse scilicet potestatem hanc in ecclesia iudicãdi, quasi obiicientibus & interrogantibus: Quos igitur nobis præficiemus ad iudicandum? sic stomachosè respõdeat: Si habeatis talia negocia (quę minime tamen habere deberetis) *constituite contemptibiles*, hoc est, eos qui sunt infimi, *in ecclesia* (supple tu) potius quàm eatis ad iudicia infidelium. Vnde ait: *Ad verecundiam vestram dico*, non quod ita velim fieri.

Varie expositus.

Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare, &c. Vide vt indicat stomachum: neque à contemptibilibus esse iudicandum se statuisse, sed illud ad confusionem eorum dixisse. Adiungit enim, sic quasi diceret. Sic manet pauper & exhausta vestra ecclesia, vt non sit prorsus sapiens vllus inter vos, qui possit iudicare inter fratrem, sed sit opus contemptibiles præficere? Græcè legitur ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, i. in medio fratris sui, vt singulare sit pro plurali positum, ac si dixerit, in medio fratrũ. Obiurgatione igitur vtitur hic Apostolus, & hic videtur mihi eius planus sensus: Malo vt contemptibiles qui sunt in ecclesia iudicent (si fit opus) inter vos, quàm eatis ad infideles eorum requisituri iudicia. Quòd si hoc vobis indignum videtur, non desunt tamen in ecclesia sapientes, qui possunt hoc munus obire, ne sit necesse apud infideles iudicari.

Qua in re duo reperiebantur non leuia mala. Et primum, adesse fratri cum fratre litigiũ: quod non est proprium Christianorum, & verorum in Christo fratrum. Et alterum, hoc apud infideles agitari, qui scandalizabantur facilè videntes iudicia illa, & consequenter errata & delicta Christianorum, vt sic occasione oblata & capta, blasphemarent nomen Domini, in religionem obiectantes (vt faciũt crassi homines & incõsiderati) quod veniebat ex prauitate hominum, nõ ex lege Christianorum. Imo verò tum potissimũ legem cõmẽdare deberemus: quoniam si obseruaretur, nulla penitus extarent eiusmodi iurgia. Oriuntur autem, quoniam legis bonæ præceptis non parent homines. Quanquam non solùm propter scandalum dixit hoc Apostolus, verùm etiam propter ipsum decorum, quasi in ecclesia Dei sancta deesset talis potestas, quæ tamen erat apud infideles & paganos, de vera religione & charitatis præstantia non ita instructos. Insuper annotandum, non reprobari hic iudicia infidelium, cum & ipsi habeãt potestatem à Deo: nec vetat quominus obediant suis præsidibus, quando illi vocarent in ius, & essent sub eorũ iurisditione. Sed hoc tantũ prohibet ne ipsi sua sponte prouocent atque accedant ad eos, apud quos litigent, cum habeant ipsi meliorem à Deo in hoc ipsum potestatem. Non me præterit superiorem locum aliter à B. Bernardo exponi in libro ad Eug. de cons. At quod mihi magis placuit, enarraui.

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. In Græcis legitur, ἥττημα, quod non videtur sonare delictũ, vt Erasmus notat: sed reuera etiam delictum significat, & ita plerique eruditi asserunt: significat & diminutionem. Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

νικάω significat vinco, & ἡττάω καὶ vincor. Quoniã enim in eo qui vincitur diminutio est, ideo & diminutionem significat, seu damnum & detrimentum, propterea quia maior est qui superat. Significauit ergo Apostolus aliũ ab alio superari aliquo delicto inferendo damnum vel iniuriam, vt hinc inter eos lites excitarentur: quia qui vincebatur, pati non poterat. Quare corripit eos primùm, in quos damnum vel iniuria inferebatur, & salutare dans eis consilium, ait:

Quare non magis iniuriam accipitis? Scilicet sapienter & patienter sustinentes ad vitanda maiora pericula.

Notent litigatores Christiani.

Quare non potius fraudem patimini? id est, damnum ex fraude illatum, supple tu, potius quàm vindicare velitis per litem. Et in alios qui damnum & iniuriam inferebant, obiicit. *Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Vt hinc sumere liceat, etsi omnem iuriam & omne damnum improbet Apostolus, quod in quemlibet inferatur, illud tamen maximè detestatur, quod in fratrẽ, hoc est in Christianum infertur.

Quid hac nostra corrupta ætate diceret Apostolus, cum vniuersa ecclesia fermè sit litibus, & multiplicibus obruta controuersiis, & causis ita implicatis, vt vix explicandæ vni aut alteri causæ aliquot anni satis esse videantur? Sunt aliqui qui non verentur defendere, hoc ad ecclesiæ gloriam facere. Qui parum certè cogitant quanta ex iudiciis & litibus mala, incommoda, & peccata denique nascantur. Quis etenim enumerare posset in quãtis peccatur ab ipsis Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, & ab iis quorum mutuæ lites vix vnquam exitum inuenire possunt: nisi fortè vel cum altera pars, vel vtraque non rarò ad inopiam redacta, cogitur experiri & probare, quàm vtile erat Apostoli præsens consilium. Quare, inquit, nõ magis iniuriam ab initio aliquam & fraudem patimini, quàm ingredi dubium & periculosissimum litigandi campum? Et tamen (quod est omni detestatione prosequendum) apud Christianos præ cæteris nationibus, litigiis in vtrobique foro plena sunt omnia. O bone Deus, quis tandem aliquãdo hæc perpendet, vt corrigat? Quæ subsequitur sententia, satis esse deberet ad deterrendos homines ab hac improbitate contentionum & litium, ait:

An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebũt? Et de iis loquitur qui perseuerant in iniquitate. Si enim se ab iniquitate auertant, perinde est coram Deo, ac si non fuissent iniqui. Omnium ait Dominus, iniquitatum eius non recordabor. Vel dicas potius ab Apostolo delicti meritũ declarari, quod est, iniquos (eo quòd iniqui sint) priuari regno Dei. Et ideo si perstiterint in iniquitate, etiam de facto priuabuntur: quod ne illis contingat, seriò admonentur his verbis.

Nolite errare, ac si dixerit: Nolite putare, quoniã sitis Christiani, & sub gratiæ statu constituti, ideo vobis licitum esse male agere, & in sola fide præsumere. Hic enim est error ad perniciem ducens & interitum: *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, &c.* Et hic rursus omnis fornicatio reprobatur tãquam mortale peccatum: contra eos qui simplicẽ fornicationem nõ esse peccatum docere ausi sunt. Adiungit & ebriosos, non eos quidem qui aliquã do fortè inebriantur, sed qui student ebrietati & vinolentiæ. Tales sunt epulones, & qui ventri veluti Sardanapalistæ quidam seruiunt.

Et hæc quidam fuistis, scilicet aliqui vestrum, non omnes. Nam & inter Gentes inueniebantur homines iusti, & bene morati. Neque enim penitus ita erant à Deo derelictæ, vt nullus inter eos existeret, qui temperatè & honestè in suo statu viueret, & sic charus Deo, Deo tamen interius iuuante, & per Angelorum ministerium: quemadmodum in epistola ad Rom. iam declarauimus. *Sed abluti estis* à peccato per baptismum. *Sed sanctificati estis*, adiũcta munditia per donum Spiritus sancti, quod est donum iustitiæ, siue charitatis quo iustificamur. Vnde ait: *Sed iustificati estis*, propter sanctitatem adiunctam. Et hoc non ex vobis, sed *in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri*, siue per Spiritum Dei nostri. Ipse Christus est Deus noster, per cuius Spiritum sumus iustificati, & sanctificati in nomine suo, id est, in laudem gratiæ suæ. Nam ex meritis suis data est ei redemptio nostra, & sanctificatio, & iustificatio, qui nos redemit sanguine suo pretioso. Gratias illi redamus, & gloriam in secula.

Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent: sed ego sub nullius redigar potestatem. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hũc & has destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus verò & Dominũ suscitauit: & nos suscitabit per virtutẽ suam. Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollẽs ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcũque fecerit homo, extra corpus est: qui autẽ fornicatur, in corpus suũ peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est: quẽ habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

Hoc in loco præoccupat Apostolus, si quis eum vellet arguere, minus rectè ab se reprehensos eos, qui in iudicio vindicant sibi illatas iniurias, & fraudes, cum hoc minime sit in euãgelio prohibitũ, ac propterea sit licitum, & ait. Quanuis omnia, videlicet, quę nõ sunt peccatum, liceant: Attamen non omnia expediũt, id est, non omnia sunt vtilia, nec conducunt ad ædificationem, & iterum ait:

Non quæcunque licent, facienda, cũ non expediant.

Omni mihi licent: sed ego sub nullius redigar potestatẽ. O pulcherrimum & Christi seruis necessariũ documentum. Verè is seruus est, qui non potest ferre iniuriam, quin eam non vindicet. Fit enim continuò seruus hominum, id est, aduocatorum & iudicum,

dicum, & multarum rerum, quarum ferre dominatum valdè est indignum. Qui autem fert iniurias & fraudes, sit dominus omniũ, etiam illorum qui iniuriam inferunt. Hoc non intelligit animalis homo. At qui verè spiritualis est, certò videt.

Sunt qui Græcam literam sic potius interpretentur. Omnia mihi licent, sed ego non ab vllo fiam licentiosus. Et tamen Græca ipsa litera fert sensum priorem, qui longè est illustrior.

Esca ventri, & venter escis, &c. Vt rem corã Deo vilem exponeret, hoc addidit: & ideo non esse valdè in hæc incũbendum, nec in gratiam horum admodum laborandum, vt adigatur homo etiam ad litigia διωγμῶν, id est, eorum quibus indigemus ad vitam. Ostendit verò finem horum non esse magnifaciendum ob sui vtilitatem: quandoquidem esca datur ventri ad saturitatem, & venter datur escis vt eas excipiat: & vtrunque tandem destruetur: quia in cœlis non indigebimus cibis istis. Quã obrem parum de illis (si verè saperemus) essemus solliciti: quoniam Dei prouidentia non deest iis qui obediunt & fidunt, ac primò quęrunt regnum Dei, & iustitiam eius. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, &c.* hoc est. Ne quis existimaret corpus esse destruẽdum, sicut venter, quoniam in alia vita non recipiet escas: ex ipso fine ad quem ordinatũ est corpus, indicat non sic futurũ, sed Deum habere rationem & curam corporis nostri, vt non oporteat hoc pacto illi prouidere, videlicet per litigia, quæ etsi licita sint cum verè fiunt, non expediunt tamen. Probat autem curam Dei erga nostrum corpus ex hoc, quòd corpus non est ordinatum fornicationi, *sed Domino*, id est, Iesu Christo. Cum autem illud non ordinetur fornicationi, constituitur innaturalis, & consequenter illicita fornicatio. Ex hoc verò quòd ordinatur Domino. i. vt Domino seruiat, nimirum Christo, cuius seruitio est mancipatum, tanquam ab eo redemptum, & eius effectum membrum: vice versa intelligitur ordinatus corpori Dominus, vt illud seruet & custodiat sibi in æternum.

Deus verò & Dominum suscitauit, &c. caput nostrum: *Et nos*. s. eius membra, *suscitabit per virtutem*, seu per potentiam suam, cui nihil resistit, nullaque repugnat difficultas, & prompta adest voluntas.

Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Et quia Christi membra, ideo ipse ea suscitabit. Sunt autem corpora nostra membra Christi: quoniam ipsi tãquam capiti adiuncti, & quæsita prius ab illo, & ad se attracta, vt ipse dixit, Cùm exaltatus fuero à terra, omnia trahami ad meipsum. Sunt ergo illius membra per acquisitionem, per renouationem, & annexionem vi Spiritus sancti cum illo. Sumus enim spirituali modo ex carne eius & ex ossibus eius: ita vt agnoscat ipse hoc corpus nostrum tanquam suum. Et sicut corpus illius fuit obnoxium persoluendo delicto nostro dum fuit in vita, ita & nostrum sit, aliter tamen atque aliter. Illius quidem propter passionem absque peccato, id est, absque vlla ex fomite rebellione: nostrum verum non ita. Sed sicut fuit liberatum illud facta solutione peccato per mortem: Ita & nostrum liberabitur aliquando, quando soluerimus & nos similiter debitum ipsi peccato, cum omnino corpus nostrum mortificabitur. Solutio enim

Ioan. 12.

debiti huius est propter acquisitionem gloriæ: vt sicut Christus innocens se debitorẽ constituit propter nos, vt sic hoc debito exsoluto intraret in gloriam: sic & nos soluti à peccato per ipsum, constituamur tamen debitores mortis ipsi peccato, vt hoc debito persoluto, intret prius quidem ipse spiritus in gloriam, & sua postea die cum redimetur, intret etiam corpus.

Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Manifesta Apostoli sententia: Quòd homo fornicator ex ipso facto corpus facit obnoxiũ. Quoniam ex coniunctione illa naturaliter contrahitur hoc debitum, vt non sit corpus vltrius proprium: Ita vt in hanc perplexitatem se coniecerit fornicator, vt corpus quidem ex natura facti, ipsi meretrici obligatum inueniatur, & tamen peccet quoties reddit hoc debitum: quoniam non assistente, nec legitimè approbante, imo reprobante Deo illam copulam, factum est.

Huius loci expositionem attendat lector.

An nescitis: quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carnem vnam. Sed nunquid in hoc citato loco est fermo de meretrice? Non profecto. Sed quia illa copula ex sui natura illud habebat, ideo & in meretrice constituit illud debitum, quod potest constituere, videlicet, vt qui illi coniungitur, iam obligetur vt non possit esse alterius. Et rursum non possit etiam illius esse, quantum pertinet ad vsum, sine peccato: quia non probat illam copulam Deus. Hæc sunt notanda: quoniam æquissima sunt & verissima, licet non planè capiantur à multis.

Nota lector.

Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Homo hæret Deo per charitatem, & sic efficitur vnus spiritus, vt obligatus ei sit in perpetuum. Si vnus spiritus, etiam vna caro cum illo: quæ si aufertur ab illo (quod fit per fornicationem, vnde illud contrahitur debitum) etiam ipsius spiritus colligatio dissoluitur. Indignatur quippe Spiritus habere societatem in aliqua re turpi & illicita cum mortali homine. Non enim decet idem membrum esse Christi & meretricis. Vnde iubet,

Fugite fornicationem. Indistinctè omnem fornicationem, id est, omnem copulam quæ non sit probata à Deo (quemadmodũ matrimonium est probatum) vetat. Nam quicunq; non solùm tetigerit, sed viderit mulierem ad concupiscẽdum, iam mœchatus est in corde suo, vt ait Dominus. Et hic locus iterum facit contra hæreticos, qui dixerũt simplicem fornicationem carere peccato. Et quod B. Paulus hic sine distinctione protulit, & ipsemet Christus, illi suis distinctionibus & vanis cõmentis inficiunt & corrumpunt, sed magis seipsos in suam ipsorum perniciem.

Omnem copulam carnis legitimè nõ copulatorũ esse illicitam.

Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Hæc sententia valdè difficilis videri potest ignorantibus legem Dei, & naturæ in homine. Quomodo enim non peccat in suum corpus heluo & ebriosus, & qui alio quouis peccato destruunt membra sui corporis, sed is solũmodo qui fornicatur? Hic variè à variis dicitur. Sunt enim qui dicãt omne peccatum, præter fornicationem, esse extra corpus: quoniam completur absque corporis delectatione, vt est superbia, auaritia, ira inuidia, & cæt. Sed est instantia de peccato gulæ & ebrietatis, & odoratus, & auditus, & visus, nisi

Quo solus fornicator peccet ĩ suũ corpus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

velint & hæc ad fornicationem pertinere. Quare alij, inter quos & B. Augustinus (teste. B. Thoma) dicunt actum fornicationis esse in corpus: quia anima in actu illo omnino subiicitur carni. Sed par est ratio in gulæ peccato, licet non tãta adsit vehementia. Alij dicunt in corpus: quia est contra vxorem fornicãtis, quæ est vnum corpus cum illo qui fornicatur. Quod non placet. Quid enim si quis vxorem non habeat, & fornicetur? Alij, vt B. Aug. rursum, intelligunt de fornicatione spirituali. Sed hoc longè abesse videtur ab Apostolico sensu, qui ex verbis accipiendus est iuxta communem ipsorum acceptionẽ. Alij dixerunt fornicatorem peccare in corpus, corrumpendo & coinquinando illud contra vsum rationis. Vnde dictum est: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Sed qui id asserunt, non occurrũt instantiis, quæ possunt de aliis peccatis obiici. Nam & voraces corrumpunt corpus contra rationem.

Locus difficilis explanatur.

Mihi igitur hoc singulare de fornicatione præ cæteris delictis videtur, quod & ipsemet Apostolus iam declarauit, videlicet: Cum sint corpora nostra tẽplum Spiritus sancti, confestim vt tradimus illa meretrici, efficiuntur vnum cum ipsa ex ipsius copulæ natura (vt diximus) & per hoc auferimus ius Spiritus sancti quod habet in corpus, & illud (quantum in nobis est) trãsferimus in meretricem ad eius vsum ex debito: & sic inhonoramus corpus nostrum, & afficimus iniuria per hãc indignissimam commutationem, vt quod est Spiritus, tradamus in potestatem inimici. Propterea vrget iterum Apostolus, & ait:

An nescitis quòd membra vestra templum sunt Spiritus sancti? Quem dixit Deum, modo dicit Spiritum sanctum, vt intelligamus Spiritum sanctum esse Deũ. Spiritus sanctus dicitur esse in nobis medio illo gratiæ dono. Nam & si Deus impleat omnia, & omnia Deo plena sint, vt quidam dixit, speciali tamen quodam modó per gratiam dicitur in nobis esse. Nam hoc dono multò magis ei assimilamur, per quod filij eius nominamur, & sumus. *Quẽ habetis à Deo, & non estis vestri.* Verè nullus est sui iuris: quia Redemptoris omnes sumus, cui nullus potest pretium restituere, vt se valeat in libertatem vindicare, adeo magnum illud est pretium, quo redempti omnes sumus. Concludit igitur:

Hæc pauci considerãt, pauciores intelligũt.

Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Græcè deest illud, portate, solum dicitur, Glorificate Deum in corpore vestro. Verùm additur, Et in spiritu vestro quæ sunt Dei. Admonet nos ergo Apostolus, vt glorificemus Deum in corpore nostro, illud scilicet seruando templum dignum maiestate sua, vt non habeat sociũ in dominio, nisi quẽ probet. Sic & glorificanda sunt in spiritu nostro quæ sunt eius, nimirũ pretiosa illa dona quæ nobis donauit, vt seruemus ea illibata in aduentum Domini, vt tum agnoscat Spiritus sanctus quæ sua sunt, & non eiiciat nos foras, tanquã non habentes vestem nuptialem.

Sed ad superiora redeundo. Non quiescent aliqui, sed dicẽt: Quomodo corpus efficitur meretricis, cum ista copula sit à Deo prohibita? Primùm (vt meipsum ab illis expediam) dicam si volũt contradicere, & perpetuò contendere, Cum ipso Apostolo litigetis, qui hoc manifestè dicit, & hoc probat ex verbo Dei. Erunt duo in carne vna. Sin volunt discere, audiant & cognoscant rei ipsius æquitatem. Illa carnalis copula quæ inter virum est & mulierem, secũdum rationem naturalem debet esse duorum, & non plurium: Et in perpetuũ, non ad tempus. Dico in perpetuum non secundum actum, sed secundum debitum: quoniam vt nata est copula illa naturaliter, debet esse coniugium & indissolubile, nisi per mortem: ita vt quicunque alia mente copulẽtur, peccent: quia hanc præstare mentem debent. Quicunque ergo non hac mente copulantur, vt sit verum coniugium (sicut deberet esse illa viri & fœminæ copula) in eam cõditionem se ponunt vt habeatur cõtra illos, ac si verum coniugium esset, in hoc vt nascatur obligatio corporũ, non quoad hoc vt licitè possint cõiungi simul, sed quoad hoc, vt non possint esse alterius. Hoc enim omnes merentur ex ipso facto. Verùm quoniam periculum esset graue nimis, si isti arcerẽtur à matrimoniis, & cogerentur contrahere cum meretrice, ideo indulgentia factum est, vt possit quilibet fornicantium cõtrahere, non tamen cum consanguineis alterius: quoniã affinitas in eorum odium durat, quemadmodum iura canonica docent. Sicut enim qui importunè post solutam legem circũcidit, quod facere non deberet, constituit se nihilominus debitorem vniuersæ legis faciẽdæ, tanquam si legitimè circuncideretur, quia hoc secum ferebat illius sacramenti natura: Sic & qui copulam init cum muliere (licet illegitimè) quam debuit inire legitimè, in sui odiũ, & quatenus ad sui odium pertinet, obligauit se mulieri, & infecit corpus suum: & vice versa mulier viro. Sed non omnes capiunt hoc verbum: Et tamen æquissimum est, & ex apostolico sensu.

Ius Dei & naturæ circa carnalẽ copulam.

CAP. VII.

DE quibus autẽ scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem nõ tangere. Propter fornicationẽ autem vnusquisq; suam vxorem habeat: & vnaquęq; suum virum habeat. Vxori vir debitũ reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir, sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, & non secundum imperium. Volo autem omnes vos homines esse sicut me ipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.

CONsuluerant Corinthij Apostolum circa iura matrimonij, quomodo illis implicari deberent, aut ab eo abstinere. Ad quod respõdet, primò proponens fundamentum & radicẽ, vnde elicitur penè resolutio omnium quæstionum. Dicit ergo

indefinitè seu vniuersaliter. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Pro cuius faciliori declaratione scire conuenit, *Bonum*, duobus modis considerari. Primo, vt finis: alio modo, vt aliquid conducens ad finem. Si igitur quæras, Vtrum mulierem non tãgere, sit illud bonũ quod est finis. Respondemus, Minimè: quia bonum quod finis est, illud est de quo Propheta testatur, Bonum mihi est adherere Deo. Quodcunque igitur facit ad hanc adhæsionem, vt fiat, aut quò facilius fiat, non est bonum quod est finis, sed est bonum ad finem, quod vtile dicitur.

Psal. 72.

Quia igitur inter cætera quæ plurimum conducunt homini ad hanc cum Domino adhæsionem, est non obligari coniugio, vt probatur: hoc ergo facere bonum est homini, hoc est vtile. Quod autem cœlebs hominum vita ad illud verè bonũ mirificè conferat, hac ratione probatur. Homo enim in hoc statu adhæret Deo per gratiam, seruiendo illi ex charitate, & interne & externè, id est, animo & corpore, & actione. Animo autẽ primùm: deinde corpore: tum actione. Animus autem tantò liberius seruit Deo, quantò magis est alacer, vegetus, & explicatus ab iis carnalibus curis & desideriis, à quibus aliãs detineri posset. Sed nihil est quod magis deiiciat animum ab arce virtutis suæ, imò magis rationem ac mentis opus absorbeat, quàm illa res, id est, congressus ille carnalis coniugij. Vnde & naturaliter vnumquenque in eo opere pudet: Ergo, &c.

Pro cœlibatu, & vita casta.

Secundo, quo ad corpus seruus est quilibet addictus coniugi. Vnde corpore seruire non potest perfectè Deo. Ideo & Cicero pulchrè roganti, cur repudiata Terentia alteram non duceret, respondit se non posse simul vxori, & philosophiæ operam dare.

Tertio, quoad actiones & curas domesticas, ipsius vxoris, & domus, & filiorũ, tot sunt curæ quæ ipsum animum obtuunt, vt impossibile sit his oneratum curis & pressum angustiis, sui ipsius meminisse, & diuinis toto corde incumbere.

Quarto, quia abstinentia hæc propter Deum assumpta, cum sit aduersus carnem, valdè est meritoria, tanquam sacrificium quoddam & liturgia: Ergo cõducit ad hæsionem maiorem & strictiorem. Propter quod scriptum est, Omnis põderatio non est digna animæ continentis. Probatum est ergo idoneè hoc esse bonum.

Eccl. 26.

Sed subinferet quis: Si hoc est bonum, videlicet mulierem non tangere: Ergo mulierẽ tangere, tanquam bono oppositum, est malum. Sic enim videtur argumentari B. Hieronymus, quem arguit Erasmus, immeritò tamen atque iniuria, licet fingat se velle eum tueri: quasi necessarium fuerit tanto Doctori talis viri patrociniũ, cum ipsemet B. Hieronymus & explicatissimè, & optimè, & verissimè sit loquutus. Sed dicet quis, Vera est ergo argumentatio hæc in re proposita. Si se abstinere ab vxore est bonum: ergo nõ abstinere, & ita vxorem accipere, est malum. Quòd si malum est: ergo est peccatum. Quòd si est peccatũ: ergo non licet coniungi cum vxore. Non enim licet facere quod est peccatũ. Igitur reprobauit nuptias Hieronymus, contra ipsum Apostolum statim, & per totum caput. Ad quod ipse respondens, ait Sycophantas esse, qui aiunt eum damnare nuptias, nec intellexisse quid scripserit: quoniam non continuè quod malum est, etiam peccatum est. Nam illud malum quod opponitur bono vtili, non est peccatum sed est malum, id est, non est vtile nec commodum, vt pote non ita conducens ad illud verum bonum, id est, ad finem, sicut conducit abstinere à nuptiis. Et tamen non est damnabile: quia licet non conducat ad illud, non ob id omnino contrarium est illi adhæsioni Dei, quę est per charitatem & gratiam. Potest enim & homo alligatus vxori etiam adhærere Deo. Sicut ergo bonũ accipitur pro commodo, & pro honesto: ita & malum huic bono contrarium, accipitur pro incommodo, & minus honesto. Sed non omne quod incõmodum est, peccatum mox dici potest: licet malum quoddam sit. Multa enim toleramus in hac vita incõmoda, gratia necessitatis, quæ non parum abducunt nos à bono illo perfecto, quò minus perfectè hæreamꝰ Deo, quæ tamen non sunt peccata: imò si patienter ferimus, conducunt etiam ad meritum.

Sed sunt nunc hæretici, qui ediuerso nobis obstant, obiicientes matrimonium esse præceptum à Deo. Nihil autem præciperetur non solũm quod esset malum, sed quod non esset bonũ & sanctum.

Disputatio in hæreticos pro cœlibatu & virginitate.

Respondetur, quærẽdo primùm. Vnde vos hoc præceptum educitis? Aiunt: Quia dixit Dominus ab initio, Crescite & multiplicamini, & replete terram. At idem dixit Deus etiam cæteris animantibus. Quemadmodũ igitur non fuit præceptum cæteris animantibus, cuius capacia non erant: ita dici forsan posset, non fuisse præceptum hominibus. Ita liceret eludere futile eorum argumentũ, si vellemus (vt ipsi non rarò faciunt) proteruire. Verùm quia veritatem amamus, & cognoscimus: fatemur ibi præceptum fuisse, nec tamẽ militare aduersum nos scripturam illam. Præcepit ergo vtrisque, & hominibus, & cæteris animalibus: sed ea ratione, qua eorum quodlibet erat capax præcepti. Sic dicitur & aquis præcepisse Dominus ne transgrederentur fines suos, hoc est, illam indidit aquis naturã. Hominibus autem qui natura alio modo erant præcepti capaces, illud præceptũ fuisse iuxta illorum naturam, non est negãdum. Et quidem ab initio illis primis parentibus præceptum erat ob necessitatem, quia oportuit esse hominum propagationem ad cultum Deo rerum omnium conditori persoluendum. Iraque non negatur fuisse bonum, imò melius tunc coniugium, propter publicam necessitatem, vt essent numerosiores Dei cultores, sicut hominum natura poscebat, qui ex propagatione multiplicãtur. Ergo hęc necessitas præbebat excusationem incõmoditatibus: illa cessante, res redit ad suam naturalem honestatem, & ad statum Deo vacandi liberiorem.

Declaro quod dixi: Propter illam necessitatem replẽdi terram, tolerabatur etiam inter fratres germanos ab initio cõiugium, qua necessitate cessante, & hoc simul cessare debuit: quoniã natura pudendum est, & rationis lege prohibetur. Nam & Philosophus ex ipso naturę instinctu, inter fratres turpe esse matrimonium cognouit. Attamen propter necessitatem multa tolerata sunt, quę alioqui turpia ex se erãt, & mala. Et ideo multi grauiter erraruntꝰ non obseruantes tempora, & ipsum rerum decorũ, & quod Salomon sapientissimè scriptum

Universidad de Deusto
Biblioteca

reliquit: Omnia tempus habent. Tempus amplexandi, & tempus abstinendi ab amplexibus.

Dicet autem quis: Nonne etiam nunc eadem est coniugij necessitas, si non ad propagãdum, tamen ad conseruandam propagationem? Fateor esse necesse. Subinferet protinus. Ergo oportet etiam aliquos nubere. Hoc pariter admitto. Bonum est igitur. Haud inficior: sed addo non esse bonum absolutè ei, qui sese in illam seruitutem coniicit. Cum enim satis sit quosdam & multos hoc facere, homini qui non fecerit, bonum erit, id est, melius illi erit & commodius, vt per alios satisfiat huic necessitati. Subdamus exemplum. Est bonum in ciuitate ædificare domos, afferre ligna, & alia ad comedendum & bibẽdum, ac cætera parare necessaria: quæ si deessent, nemo viuere posset. Sed bonũ est mihi & illi, ne id per nos ipsi faciamus, quin potius incumbamus studiis longè melioribus, quùm non desunt alij qui hoc faciant. Et ideo non dixit Apostolus in vniuersum: Bonum est neminem habere vxorem (hoc enim fallum: quia periret mundus) sed bonum est homini particulari. Sicut enim bonum est in corpore esse multa & varia mẽbra, oculos, aures, collum, brachia, manus, pedes, & alia vel ignobiliora. Sic bonum est in ecclesia inueniri membra diuersa, sicut & diuersi sunt status, & diuersæ actiones, & aliæ aliis nobiliores atque præstantiores.

Nec est metuendũ ne periclitetur mundus. Hoc Iouinianus olim metuere videbatur, quem gloriosus ille Doctor Hieronymus ita egregiè confutauit, vt nihil amplij desiderari deberet. Sed ij libros sanctarum institutionum non legunt, & legi à suis reformidant, ne appareant eorum sordes in mentibus priscorum hæreticorum olim hęsisse, in quibus isti corpore & animo volutantur. Plures enim semper inuenientur, qui deteriorẽ partem (in tanta naturæ corruptione) eligẽt. Propterea dixit Dominus: Non omnes capiunt verbum istud. Vera igitur & declarata resultat hæc propositio & sententia: Bonum est homini mulierem non tangere. Quod B. Hieronymus ad tactum, quemlibet trahit, propter periculum. Quia qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Quod pariter reprehendit Erasmus & immeritò, cum & vox ipsa illud significet, & nihil absurdi sit in sensu. Nam si simplex tactus negatur bonum esse, etiam quòd vlterius est, multò magis negabitur, vt minus bonum.

Matt.19.

Eccles.13.

Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suã habeat, & vnaquæque virum suum habeat. Hic te conuenio pie lector: quia hæretici in his B. Pauli verbis præcipuè inniruntur. Tu verò considera, matrimonium ante peccatum solummodo propter sobolem fuisse ordinatum, & cõstitutum sacramentum. Post peccatum autem adiectum est, vt sit in remedium peccati, propter vim fomitis in homine & impetum, qui non potest se cõtinere. Ex quo sumunt peruersi & spurci hæretici, etiã monachos & clericos in sacris constitutos, & altari addictos, habere hanc facultatem matrimonij contrahẽdi: quia vbi viget ratio & finis legislatoris, ipsa quoq; legis debet vigere dispositio. Si quis enim continere se non valeat (inquiunt) cur illi hæc licentia negabitur? Adde Apostolum vniuersaliter loquutum esse, cum dicat: Vnusquisq; propriam vxorem habeat: & vnaquæque proprium virum. Ecce, aiunt, nemo penitus excipitur. Et hic est eorum Achilles, quo freti, cum suis sacrilegis concubinis conquiescunt: & ad contrahendas nuptias se mutuò inuitant, quæ non matrimonij à Deo probati dignitate, sed sceleris grati dæmonibus sunt societate conciliatæ atque coniunctæ.

Nota Achillem hæreticorum & prætextum ad sacrilegas nuptias.

Vt ergo appareat hanc doctrinam esse sacrilegam & (bona omnium pace) porcorum, qui conculcare margaritas consueuerunt. Primò quæro ab eis: Si vnusquisque debet habere vxorem suam, & vnaquæque virum suum: Cur igitur multi excellentissimorum Sanctorum & Sanctarum non seruarunt hoc præceptum, cum sint tamen ipsi ad seruãda præcepta semper reliquis omnibus promptiores? Ecce maximus ille Dei præcursor & amicus B. Ioann. Baptista non habuit vxorem, & innumerabiles post illum Sancti, & Patriarchæ, & Episcopi, & Monachi. Nunquid inuenti sunt omnes hi tam celebres viri, apostolici istius præcepti violatores? Perpende, quæso, istorum lasciuorum astutiam: quoniam hoc expressè non audent præ pudore dicere, nouam commenti sunt distinctionem, & dixerunt tanquam ex Apostoli doctrina loquentes, in ecclesia inueniri qui habent hoc donum, vt valeant continere, ad quos hoc præceptum non pertinet: quoniam datum est ob periculum fornicationis, quo cessante periculo (quod cessat ex dono) ipsum etiam præceptum cessat. Esto. Nunc item vlterius ab eis peto: Quomodo poterit scire quis se habere hoc donum, aut non habere? Aiunt: Experientia ipsa. Qui enim continent, habent: qui autem non continent, non habent. Hic quæro denuò. Nunquid ergo qui habent hoc donum, non possunt non continere? Si annuunt. Quicunque igitur continuit, non valuit non continere. Quòd si id concedunt, soli isti sunt qui paradoxum loquuntur, & omni explosione sunt dignissimi. Multi enim fuẽre qui continere potuerunt, & non continuerũt. Vnde & reprehenduntur à Sanctis viris, & ab ipso Apostolo, qui viduas illas damnationi subdit, quæ nupserunt, & primam fidem voto astrictam, irritam fecerunt.

1.Tim.5.

Non ergo hinc educitur notitia doni huius, vtpote qui non continet, propriè dicatur non habere donum: sed satis est si possit continere volens, & ea faciens quæ ad continentiam seruandam desiderantur. Neque enim vult tentari Deus. Nec ad explorandum vtrum quis hoc donum habeat, oportet se exponere tentationi, vt habitare cum mulieribus: aut etiam (vt audio quosdam nostro sæculo fecisse) simul dormire, vt certò cognoscerent haberent ne membra mortificata. Hoc apertè est tentare Deum: Ille igitur donum habet, qui si vult, & operam dederit, vigilando & ieiunando, corpus castigando, humiliter orando, & in primis diligentissimè occasiones fugiendo, potest cum Dei auxilio cõtinere. Esse autem multos qui hæc seruando, continent: proteruus, perfidiosus, & gratiæ Dei inimicus sit qui negauerit: quoniam experientia teste conuincitur. Datur enim hoc donum volentibus: & si non sit omniũ (vt ait Dominus) hoc tamen ob eam causam est, quia non omnes capere volunt. Cum enim natura carnales sint

Nota.

homines, & magis appetãt quæ sunt carnis, quàm quæ sunt Spiritus, inde efficitur, vt non omnes illud capiant, ad quod Spiritus ipse inuitat.

Hanc doctrinam veram & sanam, omnes Sancti & gloriosi Doctores tam Græci, quàm Latini, semper tradiderũt, quorum sententiæ (si colligere fuisset operæpretium) iustum equidem volumen confecissent. Tãtùm vnam B. Chrysostomi, proferam exponentis verbum illud Christi, Non omnes capiunt verbum istud, &c. Ideo, inquit, non omnes capere possunt, quia non omnes volũt. Palma proposita est: qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quòd quidam à proposito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores. Sicut & qui in pugna cadunt, non exanimant cæteros. Quod ergo dicit: Quibus datum est, illud ostendit: quia nisi auxilium gratię acciperemus, nihil nobis valeret. Hoc autem gratiæ auxilium volẽtibus non denegatur. Dicit enim Dominus: Petite, & inuenietis, &c.

Sed vt de regularibus ipsis primũ dicamus: Certum est ipsos libera voluntate se voto astringere. Et hunc fuisse morem in ecclesia ab initio ad hũc vsque diem seruatum, nemo nisi impudentissimus potest inficiari. Quod cum ita sit, oportet duorum alterum fateri. Primum, A quocunque sic emittitur votum, ab eo posse illud seruari: quod est contra istos. Aut certè hunc vouendi morem esse à ratione alienum, admittere cogeremur, vtpote votum eius rei, quæ non sit in potestate nostra. Et hoc est ad quod tandem deuenerunt ij perfidi, & hostes ecclesiæ Dei, & omnis puritatis inimici. Et quidem ab initio, vt inuidiam à se depellerent, ne viderentur aduersus. S. Patres dogmatizare, spargebant in vulgus hæc nota esse recentia, abhinc quadringẽtis fermè annis excogitata, & nullo modo de scripturis sanctis elicita. Quod tam lulentum est mendacium, vt nemo homo qui oculos habeat, quique lubens ac prudens falli nolit, facile non cernat.

Hæreticorum callidamuetio.

Ecce in primis Christus Dominus testimonium perhibet Eunuchis, qui se castrauerunt propter regnum Dei. Quid est autem se castrare propter regnum Dei, nisi amputasse sibi facultatem nuptiarum? Hoc autem quo pacto fit, nisi voto? Quod eo actus est ibi fateti ipse Caietanus vi veritatis, tametsi cœpisset contra sanctam doctrinam, & ipsum B. Thomam, viuificare vota, & negare indictum esse à Christo eiusmodi continentiæ & virginitatis votum.

Matt.19.

Præterea, cum Dominus testetur iam eo tempore extitisse tales Eunuchos, quos putabimus fuisse de præcipuis, nisi ipsos Apostolos? B. enim Augustinus manifestè dixit de Apostolis, quòd illud votum potentissimè vouerunt. Sed iam nec B. Augustino credunt, qui eò cœcitatis atque arrogantiæ sunt redacti miseri, vt nulli credant, nisi sibiipsis solis. Non enim B. August. ea dicebat quasi de propria doctrina, sed quia erat cõmunis omnium persuasio, atq; traditio. In ea sentẽtia B. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius, Cirillus erãt. Sic omnes doctores senserunt, & sancti Põtifices Apostolicæ sedis probarunt: sic ipse denique vetustissimus ab ipsius ecclesiæ incunabulis mos perpetuò custoditus firmissimè declarauit.

B. Aug. in psal.75.

Et vt radicem attingamus, Dominus ipse proculdubio fuit, qui non solùm exemplo, sed etiam verbo hũc statum, qui dicitur perfectionis status, instituit, cum vocant peculiares discipulos, se vt sequerentur. At illa perfecta sequela, vt declarat Dominus, non poterat esse absque derelictione bonorum, & patris, & matris, & vxoris, & suæ propriæ voluntatis: idque non animi præparatione tantùm (vt volunt hæretici: quanquam hoc satis sit remanentibus in statu communi) verùm etiam re ipsa, & ipso facto amputando sibi potestatem per votum. Si ergo hunc statum Dominus introduxit, consequenter tribuit etiam facultatem, vt qui illum titè professus fuerit, valeat in eo permanere. Est autem generale consilium illud Domini, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me. Non enim illi vni iuuenti tantum hoc dixit: sed (vt omnes interpretes vnanimiter, & magno consensu exposuerunt) generaliter, & simpliciter omnibus, quibus non repugnet hic status, dicitur, Si vis perfectus esse, &c. Vnde & de B. Antonio legitur, cum hoc verbum audisset, accepisse perinde ac si sibiipsi dictum fuisset.

Matt.19.

Non est igitur bona nec legitima excusatio dicentium, Recedo: quia continere non possum. Respondebitur enim illi: Potuisses profectò si voluisses, non tamen ex tuis viribus, sed ex auxilio & fauore Dei, qui tibi nõ defuisset si imploraßes, postquã te ad hoc vitæ genus adhortatus est. Et hoc B. August. creberrimè repetendo docuit aduersus falaces istos homines voluptatũ amatores, puritatis animi apertos hostes. Ipse enim tractans verba illa B. Pauli ad Timoth. Habẽtes damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt. Hoc refert, inquit, de quibusdam qui vouerunt, & non reddiderunt. Et addit, Nemo frater in monasterio positus dicat: Recedo, cum non soli qui sunt in monasterio sint peruenturi ad regnum cœlorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respõdetur ei: Sed illi non vouerunt. Tu vouisti, tu retrò aspexisti. Meminisseque debent vxoris Loth, quę liberata à Sodomis, in via posita rettorsum aspexit, ibi remansit. Sed non est hic locus recitandi innumerabiles doctorum veterum sentẽtias. Alibi hac de re proprio libello disserui.

B. Aug. pro votis.

Hic & illud addendum de sacerdotibus, & seruientibus altari, cum iuge sit tam sacrum sacrificiũ ac venerandum, omniq; mentis & corporis reuerentia ac puritate suscipiendum, decentissimum esse & conuenientissimum, eos qui huic tanto ministerio in ipso altari deseruiunt, etiam perpetuam castimoniam profiteri. Quã de re elegãter, nec minus subtiliter consideranit Origenes, sic aiens: Vereor dicere aliquid quod ex sermonibus Apostolicis intelligi datur, ne fortè videar aliquos contristare. Nam si oratio iusti est sicut incensum in conspectu Dei, & eleuatio manuum eius sacrificium vespertinũ. Dicit autem Apostolus his qui in coniugio sunt: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, certum est impediri sacrificium indefinens in his, qui necessitatibus coniugalibus deseruiunt, Vnde mihi videtur, quòd illius solius sit offerre sacrificium,

Origenes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui indefinenti & perpetuæ se deuouerit castitatis hæc ille. Insuper annotandum contra Caietani doctrinã quod ait Apostolus. Vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaqueque suum virum: vt intelligas nõ esse Christiani hominis simul pluribus vxoribus admisceri. Nam quælibet debet habere virum proprium. Sic enim Græcè legitur, ἴδιον, id est, propriũ. Et hic nota etiam esse præceptum, cũ dicatur ἔχέτω, imperatiuo modo. Imperat enim Apostolus non valentibus continere, vt ducant vxorem, ne fornicentur. Quod præceptum vtinam seruaretur: non autem illud admitteretur, vt qui semel professi sunt, voto propter Christum castrati, rursum hæreticorum autoritate atque potestate detestanda aptarentur ad nuptias. Prosequitur Apostolus.

Caietanus notatur.

Vxori vir debitum reddat, &c. Debitum coniugij notum est, quòd citra peccatũ recusari nequit, nisi fortè adulterio ius illud exigendi vel reddendi fuerit amissum: aut spontanea & legitima relaxatione, religionis gratia, & aliis casibus, qui à Summistis latius notantur, suspensum.

Vxor sui corporis potestatem non habet, &c. Prius de vxore dixit, quia re vera natura ipsa docet corpus vxoris magis affici vt sit viri; quàm econuerso: quanquam re vera & corpus viri sit etiam vxoris. Et hoc quantum pertinet ad rem matrimonij: ita vt sæpe multum peccetur à viris, qui tam diuturno tempore à suis vxoribus absunt. Quare Apostolus non ab re causam interponit vnam iustam, qua (ex consensu tamen) licitum est cessare ab illa opera cõiugali, nimirum ieiunium & orationem. Vnde ait:

Pluralitas vxorum.

Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu, &c. Verùm aduerte etiam quid adiiciat propter periculum. *Et iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Dignus est omni circunspectione & ponderatione hic locus. Quia plerũque sub specie boni, coniuges aliquando sibi inuicem debitum remittunt, illorum imitari volentes exemplum, qui acti Spiritu Dei hoc fecerunt. Attamen in ea re sæpenumero est deceptio. Non enim hominis est seipsum ab eo statu abstrahere, quem semel elegit, nisi Spiritus Domini impulerit: quoniam Satan plerunque se admiscet. At postquam virtutis colore separauit, iterũ tentat, & inuenit incontinentes. Verùm quoniam & hoc bono spiritu fieri potest, ideo Apostolus cautissimè addidit:

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secũdum imperium. ac si expressius dixisset: Non impero ne abstineatis, cum hoc esset melius: sed metuens vobis, indulgeo & vobis: quia si estis incontinentes, tentabit vos Satanas, nec resistetis. Vnde ait:

Volo autem, id est, volo omnes homines esse continentes, sicut ego sum. *Volo,* inquit, pro, *vellem, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: vnus quidem sic, &c.* id est, alius in coniugio, alius verò in viduitate, alius in cœlibatu dona propria habet, in quibus ambulet, & ita se gerat, vt salutem tandem consequatur æternam. Vbi satis ostendit Apostolus non continentiam tantùm, sed etiam coniugatorum castitatem esse Dei donum.

Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permanserint sicut & ego. Quòd si se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio, nõ ego, sed Dominus: Vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo recõciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus: Siquis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, nõ dimittat illam. Et siqua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filij vestri immũdi essent: nunc autem sancti sunt. Quòd si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in eiusmodi. In pace autem vocauit nos Deus. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? Aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? Nisi vnicuique sicut diuisit Dominus. Vnumquenque sicut vocauit Deus, ita ambulet: & sicut in omnibus ecclesiis doceo. Circũcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circuncidatur. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ. Sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum. Vnusquisque ergo in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.

Dico autem, &c. Superius scriptum est nuptis, nunc verò ad non nuptos, seu viduos, siue mares, siue fœminas: & ait innuptis & viduis: *Bonum est si sic permanserint, &c.* Hinc accipiunt B. Paulum fuisse inconiugatum. Quidam etiam virginem volũt: quod ex hoc, & superiore loco colligunt. Sed nullibi rectè colligitur illum virginem fuisse, nec inconiugatũ quidem, ita vt nunquam habuerit coniugem: quin potius contrà, cum hic scribat viduis, quos vult manere sicut seipsum. Volebat enim eos manere castos in coniugio & viduitate. Nam superius vult omnes homines sicut seipsum: & alloquebatur matrimonio iunctos, innuens se abstinere etiam viuente vxore, ita vt viduus censeretur re ipsa: quia quantum ad opus coniugij pertinet, talis erat: quod mihi magis placet. Nam quòd

vtrũ Paulus fuerit cõiugatus.

vxorem habuerit, cõpluribus testimoniis persuadetur, & argumentis, vt superius ad Romanos iam attigimus.

Quòd si se non continent, qui vidui sunt, aut viduæ, *nubant. Melius est enim nubere quàm vri.* Nubere pro miscua vox, etiam ad viros hoc in loco attinens. Vri est ardore concupiscentiæ cum damno virtutis superari, id est, cum peccato. Et melius, quod minus malum est, sermone consueto dici solet, innuendo malum esse digamiam: & licet in peccatũ non imputetur, malum est tamen, quæ nunquam probata est à sapientibus, nec à Gentibus quidem. Videtur enim nescio quid habere petulantiæ & procacitatis. B. Chrysostomus (& redactum est in Decret.) ita ait: Secundam accipere secundum apostolicum præceptum, licitum est: secundum autem veritatis rationem fornicatio est. Sed cũ permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio. Nam naturalis quædam ratio dictat, vt vna vnius sit & non plures: & ita ecõuerso vnus sit vna contentus.

His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, &c. Hic nihil excipit nec fornicationis causam, nec vllam aliam. *Quòd si discesserit,* quacunque de causa, etiam fornicationis (vt volunt) cum Apostolus nihil distinguat, *manere innuptã.* Quomodo dicit manere innuptam, quæ adhuc habet virum? Sed innuptam vocat, quæ non fruitur nuptiis, sicut se suprà posuit inter innuptos & viduos, quia non vtebatur matrimonio: *aut viro suo reconciliari,* si nolit manere innupta. *Et vir vxorem non dimittat,* Neque hic excipit causam fornicationis, quam tamẽ Dominus manifestè excipit. Quare factus est quæstionibus locus, ait enim: His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Hoc enim est quod dixit Dominus apud B. Marcum. Et si vxor dimiserit virum & alij nupserit, mœchatur. Vnde non solùm videtur prohiberi ne alij nubat, verùm etiam ipse discessus.

Marc. 10.

Disputatio circa diuortium.

Sed nunquid hoc omnino vt non liceat ei ex causa fornicationis discedere, aut alia de causa, vt si maritus sit venefi cus, & ab eo metuat vitæ suæ, aut aduersus fidem moliatur quicquam aut quouis alio modo sit intolerabilis? Qua in re non videtur aliquid expressum in scripturis in proprio casu. Et quidem quoad fornicationis scelus, de viro hoc habemus expressum in scripturis in proprio casu, licitum ei esse dimittere vxorem. De vxore verò econtrario non habemus. Sed si æqualis est & par viri & vxoris conditio, vt voluit B. Augustinus, & Pontifices suis decretis confirmarunt, profectò expedita res est, ita licere vxori, sicut & viro. Non defuere tamen viri grauissimi qui contrariũ sunt arbitrati, inter quos B. Ambrosius. Illud equidem certum est, olim in dimittendo se inuicẽ parem causam non fuisse. Nam à muliere posse dari libellum repudij viro, sicut vir vxori dare poterat, nusquam constat in scriptura sacra. Item quòd mulier pluribus viris copulari posset, nulla lex, vel cõsuetudo permisit, sicut de viris. Dominus etiam viro concessit apertè dimissionem fornicatiæ: de vxore autem verbum nullum. Nec dicat quis: Voluit hoc intelligi in eo, quod de viro dictum est. Id enim est quod negatur. Neque conuenienter deducitur consequentia à viro ad vxorẽ in huiusmodi. Magis enim id exprimi debuit, de quo magis poterat dubitari, vt inde id concluderetur, de quo minus. Quinimo cum legem nouam traderet, qua declarabantur ea, in quibus antiqua illa lex deficiebat: In antiqua autem nunquam permissum esset repudium vxori, & ipse Dominus legislator circa hoc tacuerit, planè videtur nihil immutare in fœmina voluisse.

Quòd si hoc verum est, non licere vel propter fornicationem vxori à viro discedere, vel propter quamlibet aliam causam, durissimum valdè videri potest. Quid enim si tales sint simultates, quibus vitæ periculum immineat? Non dubitandum quin isto casu liceat secedere, & implorare præsidia, aut remedia ex publico. Et propter fornicationem viri, non dubium quin illa possit ei negare sui corporis copiam, qui se indignum coniugij iure constituit, cui contumeliam fecit. Quæritur ergo de sensu Apostoli hoc in loco: An liceat mulieri discedere à viro ex causa fornicationis.

Non de redditione solùm debiti ago, sed de discessione. Apostolus enim adhibito præcepto prohibet discessionem. Sed nunquid in omni casu? Non arbitror sanè. Nam si necis esset periculum, aut si eam vellet in adulterium cogere, & perfidiã, aut ad insigne aliquod turpe facinus adigere: non tenetur manere cum illo. Sed quid ob fornicationem viri? Licebit ne ei saltem discedere ab eo, tanquam qui per adulterium amiserit corporis eius facultatem? Hoc certè mihi videtur: Quod & fortasis dicere Apostolus iis verbis voluit. *Quòd si discesserit, &c.* Præcepit enim primò nõ discedere: & id vi præcepti intelligi debet, & subaudiri, absque causa legitima, Subdit: *Quòd si discesserit.* Cum simpliciter quauis ex causa, siue legitima & rationabili, siue non, *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Non tamen per hæc verba intelligas, penes mulieris arbitrium & potestatem repositum, vtrum malit, sed quòd alterum horum faciendum est, iuxta exigentiam causæ. Si enim habet iustam discessionis causam, manere innuptam, si nolit reconciliari: aut reconcilietur, si nolit manere innupta. At si absque causa iusta recesserit, reconciliari omnino debet, præsertim ipso viro petente. Et hic videtur Apostoli sensus, si & eius verba, & simul id quod est æquum, consideremus.

Sed nunc sese offert quæstio de viro, de quo ait simpliciter Apostolus. *Et vir vxorem non dimittat,* nec adiecit: *Quod si dimiserit, &c.* Prima igitur occurrit quæstio, an hoc quod ait: Non dimittat, intelligendam omnino sit etiam in causa fornicationis. Certè Dominus contra dixit: & ipse B. Paulus contestatur se ex Domini sententia loqui, non ex sua ipsius propria. Sub intelligenda igitur est manifestè illa exceptio, quam fecit Dominus de fornicatione. Sed illud omnino magis torquet, quare de viro non adiecit: Quòd si dimiserit, maneat viduus, aut abstineat ab aliis nuptiis, aut reconcilietur, sicut hoc de muliere dixit. Mirabile istud est. Neque ad satisfactionem satis est dicere, data ista lege de vxore, contineri tacitè eandem de viro legem, eo quòd non ad imparia iudicentur. Nam hoc (vt diximus) inconuenienter dicitur: quoniam inconueniens est docere legem viri ex lege mulie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris etiam si non ad imparia iudicarētur, sed cōtrà potius: præsertim cum manifestè in lege antiqua ad imparia iudicarentur. Et enim mulier strictiori lege tenebatur ipsi viro, quam mulieri vir. Ideo tantò magis erat hoc de ipso viro aperiendum.

Quamobrem B. Ambrosius aliter hunc locum intellexit, viro concedens secundas nuptias vxore adultera viuente, sed non mulieri. Hanc opinionem B. Augustinus scripto reprehendit, cuius sententiam Canones pontificij post sunt sequuti. Pro ea verò B. Ambrosij sententia facit, quoniam Dominus de viro tantùm loquutus est, quando causam fornicationis excepit. Denique (vt tandem finiam) totus hic locus est admodum difficilis. Itaque libenter ego sententiā ecclesiæ absolutam intelligerem. Scripsi tamen de hac re alibi accuratius. Neque hîc tacebo, Erasmum parum sobriè, imò valdè petulanter de his in annotationibus suis scripsisse, quæ certè igni tradenda essent propter multorum scandalum.

Nam cæteris ego dico, non Dominus, &c. Qui sunt isti cæteri, quibus se dicere ait, & non Dominus? Oportet igitur vt à superioribus pendeat hæc declaratio. Dixerat enim: *Iis autem qui matrimonio, &c.* Nunc consequenter ait: *Cæteris autem*: proculdubio eos significari oportet, qui non sunt matrimonio iuncti. Porrò cum inchoatum prosequatur sermonem de matrimonio iunctis, ideo referri hoc ad superiora est necesse, vbi dixit. Dico autem non nuptis & viduis, vt nunc declaret se illis talia dixisse: non quasi expressè à Domino accepisset, sed illa suo spiritu admonuisse. Non ergo potest hoc inferioribus, quæ statim subnectit, aptari, licet id quidam velint: quoniam de iis qui matrimonio iuncti sunt agit, vt manifestè patet. Nisi fortè pro nō matrimonio accipit illud, quod erat apud infideles: sed non placet hæc euasio. Superioribus igitur dictis aptari debet.

Nota hæc prudens lector.

Quid est autem quod ait se dicere, non Dominum, cum alibi dicat: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Et inferius: Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. Sed animaduertendum est etsi B. Pauli iussa ac præcepta custodiri deberēt, iuxta verbum Domini: Qui vos audit, me audit (etenim credendum erat eos à Spiritu sancto inspirari ac regi) non nihil tamen interest inter ea quæ sic ab Apostolis, & illa quæ in euangelio à Domino sunt explicatè & expressè statuta: quoniam firmissimè seruanda sunt hęc, & non est hominis super eiusmodi definitis dispēsare. Non sic est autem de his, quæ postmodo per ipsos Apostolos tradita sunt. Non enim ea firmita te tenenda sunt, tametsi parendum sit illis omnino. Vnde apparet de digamis dispensare ecclesiā: quanquam Apostolus de his aliud sanxerit. Atqui non ita esset, si Dominus ipse sanxisset, vt egregiè notat B. Thomas, quod quidam non aduerterunt.

Si quis frater vxorem habet infidelē, &c. Hic B. Paulus incipit nouis casibus, qui tunc frequenter accidebant, occurrere. Et nonnulli putant consilium hoc esse, non præceptum, quod eo tempore magis valebat. *Et si qua mulier fidelis, &c.* similiter hoc est consilium. *Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem.* Sed quomodo sanctificatur infidelis manens? Non hic dicam aliorum commenta, cum (vt verum ingenuè fatear) nec vllum quidem legerim, in quo conquiescere possem. Illud ergo quod meditatione sum ex Dei gratia assequutus (si tamē verum est) proferam.

Sciendum est ergo, Omne matrimonium infidelium esse immundum: quoniam matrimonium est propter prolem Deo generādam. At matrimonium infidelium, quoad hoc, à Deo despicitur in pœnam parentum, qui non intendunt generationis fructum reddere Deo vero. Quare neque eorum prolem respicit Deus, vt à talibus procedit. Quapropter nec inuitis illis baptizanda est: quia dimittit illos in puris naturalibus, & ita in immunditia sua, & parentum. At si vnus ex coniugibus saltem fidelis fuerit, etiam alter coniux, quoad hoc, sanctificatur, vt qui nascuntur inde liberi, non sint coram Deo habendi vt immundi, id est, vt liberi infidelium, sed vt fidelium. Quo in casu partus sequitur parentem fidelem, & ita coram Deo habetur: & potest alter parens cum baptizare, & ratus est baptismus. Sic Timotheus fuit circuncissus propter matrem Iudæam, vt Iudæus. Titus autem minimè, quia Gentilis erat. Nemini enim dubium esse debet, respici à Deo filios fidelium oculo specialis prouidentiæ, propter patres fideles: ob quā causam etiam sancti dicuntur & mundi, id est, propter patres ipsos mundos. Sed non est hæc actualis mūditia, quæ aduenit adepta gratia, sed quædam potius ad gratiam præcedens (vt ita dicam) candidatio: sicut solent aptari sacrificia præuiis quibusdam expiationibus, antequam vera fiant, vt de pane & vino patet in sacrosancto Missæ sacrificio, quæ canes mordaces noui hæretici, & rabidi per illos dæmones, suis morsibus lacerant, non intelligentes hæc genera sanctificationis. Sic aquæ sanctificatæ dicuntur contactu corporis Christi vt possint sordes peccatorum nostrorum abluere. *Gal. 2.*

Quòd si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater, vel soror, in huiusmodi. Permittit ergo Apostolus diuortium inter hos disparis cultus, si infidelis velit recedere: ita quòd frater vel soror non sint alligati seruituti, scilicet coniugali, quę nimirum talis est, vt vir non habeat corporis sui potestatem, sed mulier, & contra. Et iterum, quanto tempore viuit vir, alligata est mulier legi viri, ita vt si alteri viro adhæreat, sit adultera: sed in huiusmodi non est talis seruitus. Quid est dicere, *in huiusmodi*, nisi in infidelitate manentibus, & nolentibus cohabitare? Quo in loco miror admirantem Caietanum hunc locum debere ad eiusmodi sensum intelligi, cum certè aliter commodè intelligi nō possit. Sed hic ipsummet audiamus. *Caietanus.*

Et non solùm miror (inquit) sed stupeo quòd Christo clarè excipiente causam fornicationis, torrens doctorum non admittit illam mariti libertatem: Paulo autem non clarè dicente interpretata sit solutio coniugij, ex causa alia explicata à Christo, & sola excepta. Quia tamen antiquo ecclesiæ vsu sensum communem textus huius firmatū credo, & textus capax est huius sensus communis, ideo dicendum est, quòd Dominus in euangelio non communem vtrique coniugi, sed mariro propriam tradidit libertatis legem, vt textus ipse manifestè dicit. Paulus autem communem vtrique coniugi legē libertatis promulgat, autoritate pro-

culdubiò diuina, qua separari potest quod Deus coniunxit, iuxta verbum Domini de coniugio nō Christianorū, sed ab initio mundi instituto. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et propterea diuersæ libertatis causę assignantur: à Domino quidem causa propria marito: à Paulo autem causa vtrique cōiugi communis. Imparem enim Dominus iudicat maritum & vxorem quoad fornicationem: quia impar est secundum naturalem horrorem, & repugnantiam ad certitudinē patris prolis. Infidelitas autem, quæ ad animam spectat, paris censetur iuris in vtroque coniuge à Paulo. Et hæc dicta sint ad satisfaciendum quæstioni de contrarietate doctrinæ Pauli ad doctrinam Christi. Christus enim solam fornicationis causam excipit. Paulus autem alteram docens causam, docet nō esse solam fornicationis causam. Paulus dico, vt cōmuniter exponitur: quia vt dictum est (vt textus sonat) Paulus non sonat solutionem coniugij. Hæc ille.

Vbi manifestè licet videre plura digna annotatione. Primum quod ait Christum clarè excepisse causam fornicationis, & tamen torrens Doctorum non admittit istam mariti libertatem. Hoc in loco miranda est potius eius admiratio: quia ex illa Domini exceptione fornicationis, quę clara est, non clarè consequitur ista mariti libertas. Deinde & hoc etiam admiramur, quòd dixerit Paulum nō clarè esse loquutum, cum tam expressè dicat: Nō enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi. Si non est seruituti subiectus, ergo liber. Tertio etiam illud frustra miratur, Apostolum alium casum adiungere, quando liceat solui matrimonium, cum Dominus vnā tantùm causam fornicationis excipiat. Non enim vidit à Domino regulam dari de matrimoniis ratis, id est, fideliū, non autem infidelium, de quibus non est verum verbū illud. Quos Deus coniunxit: quoniam Deus illorum matrimoniis non assistit. Fideles autē & gratiosi coram Deo fuerunt primi illi coniuges, vt B. Thomas docet. Ego verò etiam Christianos fuisse existimo: quoniam mysterium Christi reuelatum fuit Adæ, quod & fide recepit sicut nec idem S. Doctor negat. Quarto & illud notandum in huius doctrina, iuxta Domini sententiam imparem esse causam mulieris circa diuortium: quasi ei non liceat ob fornicationem, id quod viro. Hoc dico, quoniam torrēs Doctorum ei mirum in modum aduersatur. At quoniam de his omnibus particulari tractatu abundè disseruimus, ad nostras in illum annotationes lectorem remittimus.

Nunc ad rem redeundo. Satis est modo declarasse, si infidelis manere velit cum fideli, sanctificatum esse coniugium per ipsum fidelem. Sin autē velit discedere, liber fidelis efficitur: ita vt possit ad alia vota transire, & nouas legitimè contrahere nuptias. Sed ponatur quòd infidelis coniux cohabitaret, sed nolit ipse frater, id est, fidelis: nunquid potest? Aiunt quod potest, sed melius si non faciat, quando est spes reducendi illum. Quod enim docuit B. Paulus, seruandum fuit fortasis in eo feruore Spiritus, quando fermentum bonum erat longè, quam nunc sit, potentius.

In pace autem vocauit nos Deus. Confirmat superius dictum, non discedendum à coniuge tametsi infideli, si velit cohabitare: quoniam in pace vocauit nos Deus, hoc est, vt sit pax (quantum fieri possit) ad omnes, etiam infideles: nisi fortè prejudiciū per talem pacem immineat veritati: quod non erit, si infidelis velit cohabitare. Et addit etiam ad persuadendum rationem.

Vnde enim scis mulier si virum saluum facies, &c. Nam sanctificatus est vir propter coniugiū, quod habet cum fideli. Et ideo ad gratiam Dei magis (Deo fauente) dispositus est: & in hoc sanctificatus est. Hoc verò dixi, si econtrario quis fortè diceret. Vnde scis mulier, si te vir attrahet ad infidelitatem? Addo superiorem etiam rationem satis fuisse, videlicet: In pace vos Dominus. Notandum est enim vocationes eo tempore extitisse fortes, & efficaces, vt facilius traheretur infidelis ad fidē per fidelem, quàm fidelis ad infidelitatem per infidelem. Deus enim qui vocat in pace, ipse idem seruat in ea pace, & facit prouētum, ne obsit illa pax, sed magis fructificet Deo. Quare adiicit:

Nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, &c. Sēsus est. In hoc deprehenditur rei possibilitas, si iuxta ordinationem, & diuinam donorum diuisionem quis agat, & ita in eo statu ambulet, in quo Dominus eum vocauit. Si cui non est datum virginitatis donum, sed matrimonio iunctus fuerit, eo statu contentus viuat, & in eo quiescat ac fructificet: nec sua sponte quærat statum, ad quem non est vocatus à Domino, vt ascendat in eum. Vberius enim fructificabit in eo, quàm in alio qui esset supra vires suas, ad quem non vocatur à Domino. Atque ideo multi fructuosius vixerunt in vita sæculari, quàm vixissent in vita regulari. Nam & hoc experientia certa notum est de multis, qui cum bene in sæculo viuerent, ad religionem tamen suo ipsorum proprio stimulo, & amore quodam spirituali inconsideratè, minusque prudenter adducti, potius retrocesserunt: & tepidiores in religione effecti sunt, quàm essent prius in sæculo: & nonnulli etiam miserè tandem exciderunt.

Circuncisus aliquis vocatus est. Vocat circūcisum qui in castitate vocatus est: & huic consulit. *Nō adducat præputium*, id est, non ineat coniugium. Nisi ita hunc locum intellexeris, vix puto declarari posse, quonam pacto posset circuncisus adducere præputium. Mirum quòd Caietanus hîc velit Apostolum monere Iudæos, vt circuncidant filios suos: quod vel dictu est absurdissimum, nec iam disputatione, sed explosione dignum. *Loci huius notanda expositio.*

In præputio aliquis vocatus est, id est, in feruore aut exercitio carnis & libidinis, ita vt continere vel nolit, vel nō possit, *non circuncidatur*, id est, non castretur, quia ad continentiam non cogitur, sed ducat vxorem, ne vratur.

Circuncisio nihil est: & præputium nihil est, &c. ac si dicat. Neque hoc, neque illud saluum facit hominem, *sed obseruatio mādatorum Dei*, vel in hoc, vel in illo statu, id est, vel in circuncisione per continentiam, vel in præputio per indulgentiam coniugij.

Seruus vocatus es. Quicquid alij dicāt hic (vt breui absoluam mihi videtur proculdubio sensus, vt loquatur Apostolus de seruitute matrimonii, si quis in eo statu sit vocatus: *Non sit tibi curæ*, id est, noli perinde esse anxius ac solicitus, quasi nequeas

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineo ſtatu proficere, & ſalutem tuam operari & conſequi. *Sed & ſi potes fieri liber, magis vtere.* Si potes (inquit) fieri liber, hoc eſt, ſolui ab vxore, ſcilicet illa volente & cedente iuri ſuo quod habet ſuper corpus tuum. Et tum demum in pace ſolutus viuas, non tamen vt & denuo alij alligeris, ſed ſis prorſus liber, quò melius Domino & expeditius ſeruias, *magis vtere*, id eſt, hoc potius elige.

Et vide differentiam inter vocatum in præputio, & vocatum in ſeruitute, vt intelligas neque obſtare ſeruitutem illam, quo minus valeant ſalutem adipiſci. Etſi, quia melius eſt liberum eſſe à ſeruitute coniugij, conſultat vt (ſi fieri id poſsit) faciat, nè peliberet ſe ab ea tam dura lege coniugij.

Eſſe ſeruum Domini & libertũ quid ſigniſicet.

Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini, id eſt, qui vocatus eſt in Domino exiſtens ſeruus, id eſt, coniugio alligatus, eſt libertus Domini. Quomodo libertus, niſi quia à miſera illa ſeruitutis conditione, qua antea tenebatur, per eam vocationem ereptus eſt? Nam qui liberatus eſt ſeruus exiſtens, libertus eſt eius qui liberauit eum, & debet operas patrono ſuo. Sed magis placet alius ſenſus qui huiuſmodi eſt: Homo qui vocatur à Domino, ita vocatur vt pretio redemptus: & ita ipſo iure ſeruus eſt Chriſti & Domini redimentis tam ſecundum animam, quàm ſecundum corpus. Verùm quia non vult Chriſtus cuiuſquam ſeruum in iuria ab illo eripere: inuenit autem hominem quẽ vocat, iam alligatum coniugio, ita vt corpus ſit cõiugis, contentus eo pacto eſt, vt ſit ſibi ſicut libertus, quem alioqui verè ſeruum de iure habere poſſet, id eſt, ratas haber & gratas certas ſibi exhibitas operas, vt ſalu⁹ ſit. Et hic eſt verior intellectus.

Similiter qui liber vocatus eſt, à vinculo matrimonij, *ſeruus eſt Chriſti*. Non hic vocat libertum, quaſi certis operis tantummodo addictum, ſed omninò ſeruum: quia holocauſtum eſt, omnino illi ſe dedens toto animo, & toto corpore. Et ob eam cauſam conſulit ne velit alligari, & ſeruitium Chriſto debitum minuere ac partiri, ideo ait: *Pretio empti eſtis: nolite fieri ſerui hominum*, cuius ratio eſt: quia indignum eſt pro ſeruitio Chriſti Redemptoris, cui noſmetipſos debemus totos, eligere ſeruitium hominum, carnale videlicet, & ob id longè indignius. Vnde concludit:

Vnuſquiſque ergo in quo vocatus eſt fratres, id eſt, in eo ſtatu in quo vocatus eſt, vt ſit frater, id eſt, Chriſtianus, *in hoc permaneat*. Hæc eſt regula. Sed ad eorum pleniorem tractatum conſideranda eſt diuerſitas caſuum. Si enim ambo permaneant infideles in matrimonio, ex doctrina Apoſtoli immundi ſunt: quia etſi matrimonium validum ſit ſecũdum leges hominum, non tamen coram Deo ratum, ſiue ſanctum. Si verò contracto iam inter infideles matrimonio, alter eorum conuertatur ad fidem, tunc habet locum apoſtolica diſtinctio. Aut vult infidelis permanere: Aut non. Si prius, conſulitur fideli, vt conſentiat ob rationes iam datas: quia ſanctificatur coniugium per alterum fidelem, & ſpes eſt conuerſionis infidelis. Si autem nolit cũ infideli permanere, non cogitur fidelis, multò minus ſi nolit infidelis. Et his caſibus, fidelis ſolutus & liber efficitur.

Eſt alius caſus, Quando inter fideles ab initio eſt contractum matrimonium, ſed alter labitur in infidelitatem. Et eo caſu, iura dicunt manere matrimonium quoad vinculum: quoniam hoc ab initio ratum fuit: Licet aliter cuidam ſummo Pontifici aliquando viſum fuerit. Quare indoctè admodum Eraſmus exploratum ait ſe habere, iſto caſu quoad vinculum matrimonium ſolui, è diametro pugnans contra manifeſtam veritatem, & pontificios Canones, vt patet de Diuort. c. vlt. Quare apud doctores exploratum eſt, in hoc caſu coniugium ipſum minime ſolui.

Alius caſus, Quando fidelis ab initio contrahit cum infideli. Hoc enim matrimonium nequaquã valet, vt inferius paulò poſt videbimus. Non autẽ hoc in loco appellatione infidelis, venit hæreticus. Nam catholicus cum hæretico cõiuge poteſt legitimè contrahere, vt conſter quidem matrimonium, tametſi peccet catholicus qui id ſciens, contrahit, cum omnis hæreticus ſit excommunicatus. Volunt etiam Canones appellatione infidelis concludi catechumenum ante baptiſmum cum nullis adhuc fidei chriſtianæ ſacramẽtis ſit initiatus, nec in conſortium admiſſus.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo: cõſilium autem do, tanquam miſericordiam cõſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonum eſſe propter inſtantẽ neceſsitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionẽ. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, nõ peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres: Tẽpus breue eſt. Reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquam non habẽtes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſsidẽtes: & qui vtũtur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autẽ vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quę Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

De virginibus. Ex hoc loco ſatis colligitur, hactenus Apoſtolum de virginibus non eſſe loquutum, ſed vel de coniugatis, vel viduis: niſi velis illum ſuperfluò verba iactaſſe. Nunc ergo de virginibus loquens, ait nullum ſe habere à Deo ſpeciale præceptum, ſed tantum conſilium dare: *Conſilium autem* (inquit) *do, tanquam miſericordiam conſequutus, &c.* Hoc enim quod miſericordiam conſequutus ſit,

innuit, illum aliquando in miſeria fuiſſe. Conſiliũ autem dat, ne quis in eandem miſeriam incidat, à qua ipſe fuerat ex miſericordia liberatus. Nam à coniugio, quo (vt quidam putant) fuit aliquando illaqueatus, liberatus eſt: nunc conſulit virginibus ne ſe illaqueari permittant, ſi modo poſsint continendo permanere. Aliqui exponũt ſic, Tanquam miſericorditer hoc eſſet aſſequutus, ſcilicet vt eſſet fidelis. Miniſter enim erat & diſpenſator, à quo exigebatur vt bona fide conſuleret. Aliqui eliciũt ex hoc loco Apoſtolum fuiſſe virginem. Sed id ex eius verbis nullo pacto queunt (meo quidem iudicio) conuincere.

Vnde probent aliqui Apoſtolũ fuiſſe virginem.

Exiſtimo enim hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſsitatem. Hæretici, & anteſignanus eorum Eraſmus, qui facto & doctrina virginitatem oderunt, excuſant ſe ab hac Apoſtoli doctrina, quam ab illo traditam pro eo tempore aſſerunt, quo erat fundandum euangelium Chriſti, & tũc iſtud protulit conſilium, nequaquam daturus illud hoc tẽpore, ideo ibi ait: *Propter inſtantem neceſsitatem*, id eſt, propter præſentem euangelij promulgandi neceſsitatem. Ita etiam exponit conſilium Chriſti. Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei, id eſt, propter prædicationem. Sic aiunt iſti: & cum hoc tamen volunt iuuari à B. Petro, quem habuiſſe vxorem proferunt. Ab iis itaque querendum eſt: Cur ergo Petrus gratia prædicationis, eam in illa neceſsitate non dimiſit?

Cõtra hæreticos.

Dicent fortè, Verum eſſe Petrum reliquiſſe eã gratia prædicationis, quod ad thorum attinet. Quod ſi fatentur: qua ergo fronte illi non habentes vxorem, ducunt, non obſtante prædicationis ſuæ munere, ac inſtante neceſsitate fundandi euãgelium Chriſti, quod (vt volunt) erat iam abolitum? Siquidem prædicandi euangelij gratia Apoſtoli qui habebant vxores, eas reliquerunt: Iſti autem non habentes, ducũt. Corrumpunt nihilominus planum Chriſti verborum ſenſum. Non enim regnum cœlorũ ſignificat ibi prædicationem, ſed præmium regni cœlorum. Nondum ſiquidem ab eis prædicabatur euangelium. Et quod hic dicit, *propter inſtantem neceſsitatem*, perperam, & extraneè exponunt, ac peregrinè. B. Thomas exponit neceſsitatem inſtãtem, id eſt, præſentem: quia matrimonium ſequitur neceſsitas multarum rerum ad vitã traducendam neceſſariarum.

Mihi videtur hic eſſe ſenſus Apoſtoli, qui ab ipſemet explicatur inferius, vbi ait: Tẽpus breue eſt. Neceſsitas enim eſt id quod dixit Dominus Marthę: Vnum eſt neceſſarium, hoc eſt, ſeruitium Dei, intendere Deo: iſtud eſt neceſſe ad veram vitam. Hoc autem eſt neceſſarium, ſiue hæc inſtans neceſsitas, quæ tantò magis vrget, quantò eſt tempus ad operandum brẽuius. Quia ergo mundi ætas creuerat, & breue relinquebatur tempus ad operãdum, cenſet hoc eſſe bonum Apoſtolus, vt totus homo ſeruetur ſeruitio Dei (ſi fieri poteſt) non dimidius. Sic enim & noſtra ætas diminuta eſt in hac mundi ſenectute, & breue tempus habemus, vt oporteat tantò attentius ac ferventius operari, quantò minus temporis ſupereſt. Nam hoc rerum naturæ eſt proprtiũ, vt in fine ſemper magis ferueat opus. *Quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* Per quod minus ſit diſtractus ab hoc Dei ſeruitio.

Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Hic cõſilium iam dictum explicatur: & tamen ſi contingat, & ſine periculo fornicationis liceat, poſſe ſolui hominem & liberari, hoc eligibilius eſſe & magis ſalutare Apoſtolus iam teſtatus eſt.

Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Vide quàm explicatè conſulit nobis Apoſtolus. Notent hæc Apoſtati vxorati, & pudeat eos tandem ſi fieri poteſt.

Si autem vxorem acceperis, non peccaſti. Vndique cõtra hæreticos agit Apoſtolus, in illos qui prohibebant nuptias. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Quæ tribulationes ſunt innumerę à coniugio venientes. *Ego autem vobis parco*, id eſt, non ea præcipio, quę nec Dominus ipſe prręceperit: ſed vobis in fide infirmis indulgeo.

Hoc itaque dico fratres, tẽpus breue eſt. Declarat more ſuo ſeipſum, nimirum quod dixit, propter inſtãtem neceſsitatem, quoniam à temporis breuitate venit, vt inſtare rebus ad ſempiternam patriam ſacientibus oporteat. *Reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquam non habẽtes ſint.* Quod maximè erit, ſi valeant cõtinere: aut ſaltem ne propter eas auertantur à ſeruitio diuino, aut minus, quam fieri poſſit, auertantur. *Et qui flent*, propter temporales afflictiones & egeſtates, *tanquam non flentes*, propter tolerantiam & conſolationem in Chriſto: alioquin erumperet deſperatio. *Et qui gaudent*: quia habent abundè vnde viuant, *tanquam non gaudentes*: cũ non oporteat in his finem conſtituere non duraturis. Sepenumero enim ſecundæ res animum frangũt, & auertunt à cogitatione verorum bonorum, quę non hîc ſunt, ſed in ſæculo futuro. *Et qui emunt tanquam non poſſidentes*: ne cum magno fletu tandem priuentur præſentibus, & futuris melioribus. *Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Non vtitur autem, qui non figit in iis animum quibus vtitur ſicut dixit quidam, Diuitiæ ſi afluant, nolite cor apponere. *Præterit enim figura*, id eſt, ſpecies & pulchritudo apparens, *huius mundi*, quæ aſsiduè fluit, & quaſi flos agri decidit. Tempus enim conterit omnia, vt nimis apparet id conſiderare volentibus. Caietanus legit, tanquam non abutantur, vt abuſus intelligatur prohibitus. Et non animaduertit in vi verborum potius eſſe permiſſus. Si enim debeo eſſe tanquam non abutens, permittor ergo eſſe abutens: ſed edicitur mihi, vt me habeam ad modum non abutentis. Nec vidit quòd hoc in loco, abuti, ſignificat vſu conſumere, nec accipitur in malam partem.

Volo aut vos ſine ſolicitudine eſſe. Explicat ſui conſilij (videlicet de abſtinẽdo à coniugio) rationem, & ait: *Vollo*, pro vellem. *Qui ſine vxore eſt, &c.* Clara eſt litera, ſolum id quod adiicitur, *Et diuiſus eſt*, habet difficultatem, & græci codices variant. Nam ij noui omnes legunt, Diuiſa eſt mulier & virgo, ſiue vxor & virgo. Crederem hanc veram eſſe B. Pauli lectionem, & nihilominus interpretem nõ aberraſſe, ſed ſenſum vno iſto verbo reddidiſſe. Nã homo coniugatus verè diuiſus eſt: quia multis externis actionibus diſtrahitur, & ſeruit mundo ex parte, ita vt non poſsit eſſe Deo totus deditus. Et hoc eſt quod ait: Diuiſa eſt mulier, & virgo. Pro cuius dicti intelligentia ſciendum eſt, hominem qui ſic per coniugium diuiſus eſt, habere carnem

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte quasi vxorem ad malum allicientem, siue ad illecebras mundi. Ex parte verò habet eã quasi virginem: quia etiam à Deo redemptam, & Deo dicatam, & ad eius seruitium datam sociam: ideo diuisus est homo. Quo loquendi tropo existimo hîc vsum esse Apostolum.

Et hinc accipe pie lector, quàm conueniat sacerdotibus copula, quæ à Deo distrahit. Non me lãtet B. Hieronymum variè hũc locum & legisse, & interpretatum esse: Et similiter alios. Nec itẽ sum ità mei amans, vt non putem facile posse contingere alios hanc meam expositionem non probaturos, tametsi mihi placeat. Vnusquisque in huiusmodi fruatur suo sensu, modo abiit proteruia & asserendi temeritas.

Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Sensus est facilis. Quod enim dixit de viro, etiã de fœmina probat. Et sanctam vocat corpore & spiritu. Audiant Lutheranæ mulieres sacrilegæ, quæ vtranque (si tamen eam vnquam habuere) mentis & corporis, amiserunt, sanctitatem, expositę excucullatorum libidini (repudiato cœlibatu) & carnis fæci.

Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimẽto Dominum obsecrãdi. Siquis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult, faciat. Non peccat, si nubat. Nã qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iũgit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege. Cui autem vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum cõsilium. Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.

Porrò hoc, &c. Laqueus est quando conscientia accipit quippiam pro malo & peccato, quod est de se licitum. *Sed ad id quod honestum est, &c.* id est, faciliorem doceo viam ad cursum, siue ad palmam vitæ beatæ ac sempiternæ obtinendam: quoniam quò honestius quis incedit, magis Deo placet. Grecè significãtius res exprimitur paucis. Significatur enim quędam iugis assidentia, velut ea beatissimę Magdalenæ ad pedes Domini.

Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, si nubat. Hic locus valdè, meo iudicio, difficilis est intellectu. Et tamen eius verioré expositionem me docuit B. Hieronymus: nec aliũ sensum (ni vehementer fallor) videtur admittere. Alloquitur Doctor noster virum habentem carnẽ suam virginem, hoc est, non alligatam cõiugio, sed superadultam, id est, iam dudum potẽrem ad exercenda nuptiarum munera. Huic dat consilium, si existimat se turpem videri ob superadultam iam suam virginem, id est, si putat esse sibi opprobriũ, non coniunxisse carnem cum carne, id est, non dedisse operam generationi: *& ita oportet fieri*, quia continere non potest: *non peccat si nubat*, id est, si nuptias contrahat. Vtitur enim verbo, *nubere*, promiscuè etiam ad viros aptans. At Græcè legitur, ἀνδρευθῇ, id est, nubatt, seu iungantur matrimonio. Et mirum quòd loquitur plurali numero: sed hoc propterea est, quia loquebatur de homine & de carne sua, quam virginis nomine appellauit, ac si dixerit: Ipsæ cum sua carne nubant.

Locum obscurum explicatur.

Nam qui (græcè melius: Qui autem) *statuit in corde suo firmus, &c.* Hic ergo ne contra eũ qui tale habet nubendi desiderium, opponit eum qui vult seruare carnem suam in virginitate. Et hoc statuit in corde suo, & firmus: quia firmum habet & immobile propositum hac de re per votum Deo, *non habens necessitatem*: quia nulla est ad illum purioris vitæ statũ necessitate adductus, sed mera volũtate. Item qui habeat potestatem suæ volũtatis: vt scilicet non sit alligatus alteri, & sit compos mẽtis, & sui circa hoc iuris: *bene facit*. Audiat olor virginitatis sacrilegus hæreticus, & quod inferius dicitur. *Melius facit*, quæ sententia corrũpi non potest, etsi in eiusmodi locis contaminandis sint à dæmonibus instructissimi hæretici.

Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, &c. quia non solum non peccat, sed etiã peccandi occasionem à se, cum non possit continere, per matrimonij vsum amouet. *Et qui non iungit, melius facit*: quia seruat suam virginitatem, & vt Angelus Dei in omni munditia seruit Deo. Hic mihi videtur verus sensus, quem & B. Hieronymus in lib. contra Iouinianum probat: licet communiter intelligatur de patre, aut aliquo alio custode, qui habet domi virginem, & ad eum pertinet eam locare nuptui. Sed durè nimis in hunc sensum procedit litera. Nam ad virginitatem puellæ non patris, sed proprium ipsius puellæ votum atque propositum desideratur, præsertim si fuerit superadulta. Neque nocet puellæ virginitati, si ex necessitate pater eam non locat, modo ipsa in corde suo voluntariè consentiat virginitati. Et tamen iuxta hũc sensum requiritur, patrem id non ex necessitate agere, sed ex spontanea voluntate. Quin etiam patre seu custode inuito ac nolente, si ipsa velit manere virgo, satis erit. Et mirabile esset profectò, ab Apostolo de voluntate ipsius puellæ in hoc negotio nullam prorsus factam mentionem, quæ tamẽ maxime requirebatur, & sola sufficiebat. Quamobrem nullo modo mihi fit verisimile hunc esse Apostoli sensum.

Erasmi audacia reprehenditur.

Verùm contendit ex hoc loco multis verbis Erasmus, non debere matrimonium consistere cum iis, qui in potestate parentum sint, illis inuitis. Mouetur præter hunc locum etiam ratione: quoniam apud Iudæos (inquit) nõ valebat, quod tamen nullo citato loco asserit. Et ego nescio an hoc habeatur expressum in vllis scripturis. Exaggerat quòd per temulentiam & lenocinia plerunque hæc matrimonia conciliẽtur. Nos hoc fieri posse fatemur, & cum

& cum ita fiũt, etiam, detestamur: & insuper tales statutis pœnis debere puniri asseueramus. Nã clandestina coniugia, & iis modis cõciliata, certis pœnis in Canonibus puniuntur. Attamen si verè mas & fœmina cõsentiant, tunc legitimè contrahi coniugium sacri Doctores non dubitãt, quorum non erat temerè contemnenda autoritas.

Quæ autem præterea ipse Erasmus in B. Thomã arguit, nullius sunt ponderis. Posset tamen ecclesia proculdubio statuere, talia matrimonia inter tales non esse rata absq; consensu parentum, nisi plenæ pubertatis essent, id est, decem & octo, aut viginti annorum. Hoc mea sententia melius esset. Nam si per Põtificios canones irritatur matrimonium inter cõsanguineos in quarto gradu, quod alioqui honestè contraheretur, nisi esset canonica prohibitio: Cur (quæso) per nouos Canones irrita ri non valeant eiusmodi matrimonia, quæ ex inhonestissimis causis contrahũtur. & inhonestè, & aduersus Canones? Equidẽ nullam video rationem, præter sophisticam aliquam & ineptam.

Mulier alligata est legi, &c. Hoc idem dictum est in epistola ad Rom. & expositum Et vocat viri legem, qua illi subditur iure coniugij. Et, vt mihi quidem videtur, etiam illam Dei primæuã sententiam in Heuam, qua viro subiecit illam, eiusque dominatui ac potestati post peccatum, & iussit vt ad illum esset appetitus eius. Hæc ergo lex durat viuente viro. Vnde post mortem licet ei nubere, *sed in Domino*: hoc est, fratri, videlicet Christiano, & non infideli. Hic notat Caietanus esse primum textum in nouo testamento, vbi prohibentur nuptię inter dispares cultu. Nescio verò cuius rei gratia id notarit, nisi velit (Apostolo non vetante) iicita fuisse talia coniugia, quod est falsum: quia & iure naturali, & diuino prohibita fuerunt. Aduertatur enim hęc disparitas cultus quàm maximè tribus illis matrimonij bonis, videlicet, fidei, proli, & sacramento. Quamobrem & in veteri testamento scriptum

Exod. 34. erat: Non accipias vxores de filiabus alienigenarũ filiis tuis. quod præceptum quia transgressus est Salomon, in idololatriam est impulsus. Esdras item separauit coniugia cum huiusmodi inita. Denique quæ dilectio, quæ conuentio fidelis cum infideli esse potest?

Beatior autem erit, si sic permanserit, &c. Hic ostendit longè melius esse viduę continere, quàm ad nuptias iterum redire, quanuis ei liceat nubere: sed beatior erit, si manserit innupta. Et vide quam fuerit vehemens & perpetuus ad persuadendum virginitatis & continentiæ statum Apostolus. Et ne quis arbitraretur hæc ab eo dici humano quodam consilio, & non ipsomet Spiritu sancto instructore, sicque facilius ea spernerentur quę consulebat, præsertim cum & naturæ corruptioni, & ad libidinem promptitudini repugnarent, ait:

Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. Vt intelligamus etiam ipsa quæ non à Domino iubentur, sed à sanctis eius famulis vtiliter suadentur, eodem Domino inspirante suaderi. Neque est verbũ, *puto*, dubitationis (teste B. Augustino) qui hunc

B. Aug. in Ioan. locum sic exponit. Homines de iis rebus, quas certas habent, aliquando increpatiuè dubitant (id est, verbum dubitationis ponunt) cum corde non dubitẽt. Velut si indigneris seruo tuo, & dicas: Contemnis me? Cõsidera, forsitan dominus tuus sum. Hinc & Apostolus ad quosdam cõtemptores suos loquens, ait: Puto autem quòd & ego Spiritũ Dei habeo. Qui dicit, puto, dubitare videtur: sed ille increpabat, non dubitabat.

CAP. VIII.

DE iis autem quę idolis immolantur, scimus quòd omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat. Siquis autem se existimat scire aliquid, nõdum cognouit quemadmodum oportet eum scire. Siquis autẽ diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autẽ quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo: & q̃ nullus est Deus, nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolotythum manducant: & conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur. Esca autẽ nos nõ commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non mãducauerimus, deficiemus.

De iis autem, &c. Hic est sexta pars, quæ tractat de licentia edendi, & de idolothyto, & ait. *De iis autem quæ idolis immolantur*. Hic figi debet punctus, vt subaudias quasi dictũ ab Apostolo, sic sentio: hæc est doctrina mea & (qua vobis tandem satisfaciam) sententia.

Scimus quòd omnes scientiam habemus. Scientia inflat. &c. Pro solutione quæstionum, & ad inquirẽdam prudentiã. Primùm præmittit, omnes fuisse scientia præditos circa ea quæ sacrificantur idolis, & testatur se scire vna cum aliis, ne ipsi solos se esse arbitrarentur qui illud scirẽt. Loquitur autem de Iudæis, qui erant instructi per legem, & de eorũ maioribus, sibique (quoad hoc) similibus: ideo illos sibi coniungit. Nam aliis ipsemet fatetur non adfuisse hanc scientiam, sicut paulò inferius videbimus. Secundo ait. *Scientia inflat: charitas autem ædificat.* Dicit sciẽtiam inflare, quod verum est quidem ex seipsa. Inflare autem propriè non significat superbire (hoc enim scientia ex se non facit) sed significat implere aliquem re tamen vana ex se, quoad Deum, sicut scriptum est: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quantò ergo plura scimus, tãtò pleniores sumus & inflatiores: cumq; nosc imus nos scire, subitò inflamur. Ecce proprius scientiæ effectus, quo si abutamur, etiam superbimus, & insultamus in proximum nostrum. Charitas verò humilitatis custos, ædificat: quia est ad alterum iuuandum semper parata, non ad offendendum. Non enim quærit quæ sua sunt.

Quid est quod dicitur, scientia inflat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si quis autem existimat se aliquid scire, &c. Infert ex præmissis primò circa scientiam, quòd si quis existimat se scire quicquam (quod est eorum proprium qui se habent ad modum scientum, qui videntes sese inflatos, magnifaciunt semetipsos, & alios despiciunt) de hoc tali nondum potest dici eum cognoscere quicquam, sicut oportet cognoscere: quia oportet eum scire, eam notitiam non esse sibi datam ad despiciendum alios, qui nesciunt. Omnia enim quæ sunt nobis data, sicut scientia, & huiusmodi, ad ædificationem data sunt, non ad destructionem. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo, &c.* Deus illa dicitur cognoscere, quę ipse probat. Et sensus est, non qui scit, illum probari à Deo, sed qui diligit, ille probatur à Deo: vt sciētiæ vsum metiri à dilectione Dei debeamus, & sic erit bonus vsus, & scientia bona. Dilectio enim Dei, illam etiam includit quæ est, & quæ se extendere debet erga proximum.

His ergo præmissis venit ad quęstionem. *De esciis autem quæ idolis, &c.* Ecce igitur scientia, quæ erat communis maiorum, & quæ inflat, videlicet de idolo, quod nihil erat. Dicitur autem nihil esse idolum: quia res quæ per illud repræsentatur, vana est, nusquam est, nihil est. Vnde Hebraicè idola significantur ea voce, quæ vanitatem significat. Nos enim pro re repræsentata, repræsentantem accipimus. Quod capere nolunt ij, qui negant esse adoranda Sanctorum simulachra, quasi & ipsa nihil sint. Quod falsum est, cum sint honorabilia Christi membra, & Spiritus sancti templa. Nam ideo prohibebantur adorari idola: quia quod ex illis repræsentabatur nihil erat, id est, nihil adorabile, sed potius abominabile, nec restabat nisi opus hominum. Ideo detestabilis erat talis adoratio.

Idolum quid sit.

De adoratione imaginum.

Tacet autem Apostolus quod hinc cōsequitur, videlicet, quòd si idolum nihil est, consequitur vt quod immolatum est, non sit aliquid affectum, id est, non contraxit aliquid, quo vel mundum fiat & sanctum, vel immundum ex se: ita vt non liceat omnibus edere ex iis vel illis, sicut nō licebat de his quæ vero Deo offerebantur, vt erant panes propositionis, qui sanctificabantur oblati altari Deo vero: quia Deus verus est, id quod est: Idolum autem nihil est. Quòd si idolum nihil erat: ergo immolata idolo non afficiebantur, nec vt sancta fierent & a prophanis seclusa, nec vt cōstituerentur immunda. Non enim erat in potestate dæmonis, Dei insensibilem creaturam facere vel mundam vel immūdam, ex eo quòd sibi offerretur. *Nullus est enim alius Deus, nisi vnus.* Et ideo idolum, quod hunc Deum non repræsentat, nō est aliquid, vt possit alterare creaturam à Deo nobis datam: Christus enim mundificauit omnia. *Nam si qui sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra (sicut sunt Dij multi & Domini multi.) Nobis tamen vnus est Deus ille Pater, ex quo omnia, & nos in illum. & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.*

Quia dixerat vnum solum esse Deum: & opponi etiam poterat, in scripturis multos Deos nominari, vt in psalmo, Ego dixi, Dij estis. Et ita multi dicuntur domini: Nam angeli vocati sunt Dij & Domini, etiā in scripturis sanctis: & alij magni viri. Licet ergo ita sit *nobis tamen*, inquit Apostolus, *vnus est Deus.* Quid est dicere, *nobis?* nisi verè scientibus, & veritatē ipsam considerantibus: quia verè ille est Deus, qui quod est, ex se est. Ipse autē verè est, qui ex se est. Igitur soli Deo sacrificandum est, qui est ex se. Etenim sacrificiū, latriæ cultus est. Igitur quantū ad hanc religionis partem spectat (quia sacrificiū soli Deo offertur) vnus est nobis Deus, & vnus Dominus. Offertur enim sacrificium Deo vt Creatori, & Redemptori, & Domino omnium maximo. Est enim in sacrificio confessio laudis, & gratiarum actio pro creatione & redemptione nostra: ideo soli Deo & Christo Iesu debetur.

Sed humiliores & ignari qui hæc non capiūt, habent Deos plures, & Dominos plures: quia pluris (quàm oporteat) faciūt creaturas pręipso Deo. Vnus tamen est verus Deus iis, qui sanè apprehendūt. Hic autem Deus, est summus ille Pater, *ex quo omnia, & nos in illum,* quia ipse est principium omnium, vnde effluūt cuncta: & in quod nos tāquam in finem nostrum tendimus. *Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum* (supple) ex Patre sumus, & in ipsum Patrē tendimus. Hic quidam curiosi notant, Christum non dici Deum, sed Dominū. Et solus Pater dicitur Deus vnus. Qui si, quia Pater tantū dicitur vnus Deus, volunt Filium excludere ne sit Deus, & idem Deus: eadem ratione & Patrem excludent, ne sit Dominus: quia dictum est, Vnus Dominus Iesus. Stulta igitur & inefficacia sunt hęc omnino. Significatur tamē Christus singularis Mediator iuxta expositionem dictam: quia per illum in Deum Patrem tendimus, cum ipse sit ostium, per quod intrandum est in vitam beatam & sempiternam.

Sed non in omnibus est scientia, vt sciant ista considerare, & deducere. Vnde aberratur ab iis qui etiam sciunt: quia non exercent in ipsa scientia charitatem. Nam etsi sciant, sciendi tamen modum nesciunt, qui scilicet est, vt scias (ait B. Thomas) quo ordine, quo studio, quo fine scire quæque oporteat. Quo ordine, vt id primum, quod maturius est ad salutem. Quo studio, vt id ardentius, quod efficacius est ad amorem. Quo fine, vt non ad inanem gloriam, vel curiositatem: sed ad ędificationem tui & proximi, & ante omnia ad laudem & gloriam Dei. Sunt nanque qui eo fine scire volunt, tantum vt sciāt: & curiositas est. Quidam vt sciantur: & vanitas est. Quidam vt scientiam vendant: & turpis quæstus est. Quidam vt ædificentur: & prudentia est. Quidam vt ædificent: & charitas est. Et hi verè dicuntur scire: & in rarissimis est huiusmodi, licet Deo gratissima, scientia.

Quis sit vtilis scientiæ vsus.

Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, &c. sensus est: Quòd putabant quidam idolothytum affectum esse à malo idolo, & consequenter immūdum redditum: & nihilosecius comedebant tanquam idololatræ, qui putāt idolo sacrificatum esse affectum, & assequtum munditiam. Erat ergo ipsorum error, arbitrari sibi non licere quod licebat, quamuis noscerent idolum non esse Deum, cui cōueniret sacrificium: ex quo poterant potius colligere cibum non esse affectum: quia sacrificium nullum erat. Et ideo hæc eorum infirma conscientia propter errorem (nam error est animæ infirmitas) polluebatur. *Esca autem nos non commendat Deo.* Nunc concludit ex omnibus præmissis, in eos qui in scādalum aliorum

comedebant, vtentes sua scientia, siue ostentantes se scire, ignorantes tamen quomodo oportebat scire. Ait ergo, nos esca ipsa Deo non commendari, idque fusius explicat aiens: *Neque enim si manducauerimus,* videlicet idolothyta, confidentes in scientia nostra: quoniam nihil sunt idola, & ideo possumus manducare, *abundabimus.* Abundare est gratiam maiorem acquirere. *Neque si non manducauerimus, deficiemus,* minorari gratia. Quid ergo faciendum? manducandum, an non? Respondet, & suo more saluberrimum dat firmioribus documētum ad lucrifaciendas infirmiorum animas, ne libertate vnius, alter peccati reddatur seruus.

Videte autem ne fortè hæc licētia vestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbētem, nonne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad māducādum idolothita? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scādalizem.

Videte autem ne fortè, &c. Ecce quomodo charitas vsum scientiæ moderatur. Infirmos vocat, in quibus non subest sciētia, & qui putant idolothytum esse aliquid: & modum quo offendi possunt, declarat. *Si quis enim viderit, &c.* id est, si quis infirmus viderit te hominem scientificum recumbere in idolio, id est, vbi idolothyta manducantur, recūbere, scilicet, manducantem, *Nonne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum?* ait, ædificabitur, scilicet, exemplo ante oculos posito. Exemplum est enim maximè quod ædificat, dum trahit alios ad idem faciendum. Et vocat idolothyta: quia illis infirmis idolothyta sunt, id est, affecta, propter errorem in conscientia propria contractum. *Et peribit infirmus.* Vocat infirmum, vt misericordia dignum, quem tamen tu sciētia tua abutens perdis. Frater ram etiam vocat, vt illud factum grauius exaggeret. Et vt etiam vehementius adhuc exaggeret, addit: *propter quem Christus mortuus est.* Si enim propter illum mortuus est ipse Christus, factus infirmus & frater noster, & seruus, cum esset Dominus fortis & sapiens, quantò magis tu frater cum fratre tuo debes etiam fieri infirmus, & ita sapere? Alioqui *sic peccantes in fratres, in Christum peccatis.* Hoc inde accipitur, quòd pro eis Christus est crucifixus, quorum vos saluti obstatis.

Contra scādalizantes infirmos.

Quapropter si esca scādalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Eas, scilicet, carnes nō manducabo, quarum occasione ipse frater meus infirmus potest accipere scādalum, putans esse malum manducare, & nihilominus ædificari per me ad manducandum cum conscientia mala, licet errante, quæ damnat. Ex hoc loco sumunt quidam ex hæreticis elegantiores hypocritæ, occasionem ostentandi suam charitatem, quia & angeli satanæ transfigurāt se in angelos lucis. Ipsi enim primùm se habere scientiam profitentur. Nos autem qui præcepta de delectu ciborum sequimur, esse infirmos, & qui facile valeamus scandalizari. Quapropter pleni mansuetudine & charitate admonent suos, qui nobiscum conuersantur, caueant ne nos scandalizent propter suam libertatem. Etsi enim inquiunt, ista secundum euangelium liceant, nullusque hominum possit hanc eis libertatem adimere: Attamen solum propter scādalum abstinendum esse præcipiunt. Qui cum sibiipsis videantur esse sapientes, nesciunt (aut potius nescire volūt) multò esse diuersam rationem circa delectum ciborum, illam in qua infirmi in fide innitebantur, quæ erat superstitiosa, ab ea ratione quæ mouit ecclesiam ad præcipiendam à certis cibis abstinentiam. Non enim sicut superstitiosi faciebant, facimus nos, qui omnem creaturam Dei esse mundam, & propter Christum sanctificatam nouimus, modo cum gratiarū actione percipiatur. Sed quæ potest esse gratiarum actio contra instituta ecclesiæ? Adest enim ratio huius macerationis carnis, à nobis susceptæ præcipiēte ita Ecclesia propter Caput, cum quo possimus sua die lætari. Hoc omnes sancti Dei seruarunt, quorum vita quid aliud est, quàm viua scripturarum interpretatio?

Abusus hæreticorum.

CAP. IX.

NON sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum dominum nostrū vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis nō sum Apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est: Nunquid non habemus potestatem manducādi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatē hoc operandi? Quis militat suis stipēdiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis nō manducat? Nunquid secūdum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptū est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos vtiq; scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiēdi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed nō vsi sumus hac potestate. Sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euāgelio Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non sum liber, &c. Hîc B.Paulus exemplo suiipsius confirmat superiorem doctrinam ; & ait(vt habet Græca lectio)primò, *Non sum Apostolus?* Ex hoc enim sequebatur, quod vt Apostolus poterat de eorum obsoniis viuere,quibus verbum Dei ministrabat, iuxta datam Domini licentiam. *Non sum liber?* quia vocatus in libertatem,vt non teneretur sub pædagogo & legis illius vinculis. *Nonne Christum Iesum dominum nostrum vidi?* quod magnum fuit in carne immortali,à quo accepit apostolatum,Spiritusancto id postmodo aperiẽte manifestè,cum dixit.Segregate mihi Paulum & Barnabam,&c. *Nõne opus meum vos estis in Domino?* Hoc est quod superius ait,se per euangeliũ eos genuisse,vt se Apostolũ probet. *Et si aliis non sum Apostolus.* Erat quidem & aliis Apostolus,verum quia insigniter illis,ita dixit: Licet aliis non essem, *sed tamen vobis sum,*quod ab effectu probans ait. *Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino, &c.* Vide vt semper quum necessariũ est illi semetipsum efferre,ac sua dona prædicare,cõsueuit dicere,in Domino. Ait ergo, Signum siue signaculum sui apostolatus fuisse ipsosmet Corinthios,vnde certò cognosci posset Apostolus.

Mea defensio apud eos,qui me interrogant,hæc est. Erãt qui dubitabãt an ipse B.Paulus Apostolus inde eũ non esse existimãtes : quia de duodecim non erat, nec illius missio erat omnibus manifesta. Ipse verò hoc ab effectu ostendebat,& eo præsertim quẽ fecit in Corinthiis. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?* Videlicet apud eos,quibus ministramus verbũ,& cætera spiritualia? Hic incipit ad rem propositam sui specimen & exemplum inducere,qui cum multorum haberet potestatem atque licentiam,tamen propter euãgelij maiorem atque vberiorem prouentum abstinebat.

Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem, &c. Loquitur (vt nonnulli volunt) de sua vxore, quam vt expeditius discurrẽret prædicãdo,non ducebat secũ, sicut cæteri Apostoli,& fratres Domini.Et quod magis mirũ videbatur, & iam Cephas ille princeps Apostolorum,qui illud sibi permittebat. Vocat autem sororem (vt existimo) quæ erat vxor:quia iam vt sorore,non vt coniuge vtebatur. Vel quia Hebræa,aut etiã forte soror,in eo tamen gradu,quo licebat per legem habere illam coniugem. Vtebãtur autem alij Apostoli ministerio mulierũ ad multas cõmoditates,quas generoso quodã animo B.Paulus prætermittebat. *Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatẽ non operandi,*id est, soli nos cogimur operari manibus nostris, vt nobis quæramus victum? Quasi dicat esse absurdum in eodem gradu & officio existentibus, illud aliis licere & non nobis, vt autem ratione à simili ducta probet illa omnibus esse licita,ait:

In superstitiosos, qui nolunt aliquid accipi pro seruitio spirituali.

Quis militat suis stipendiis vnquam? Stipendia sunt obsonia. Et Dei seruum,id est, prædicatorem militi cõparat. Est enim miles Christi, qui pugnat pro Domino,vt auferat prędam hosti demoni. Quam obrem non debet carere stipendio suo. *Quis plantat vineam, &c.* Agricola est prædicator,præsertim qui primus fidem plãtat,& verbum Dei,vitem veram,in cordibus hominum , qualis fuit B.Paulus, qui fundamẽtum posuit & plantauit:licet primus & principalis sit Deus,qui dat incrementum. *Aut quis pascit gregem , &c.* Etiam se pastori assimilat: quia nos Domini grex sumus , illi autem etiam oues sub pastore magno Christo,nihilominus etiã pastores vicarij eius erant.

Nunquid secundum hominem hæc dico? id est,iis solum exemplis,& humanis persuasionibus?an non insuper ex propriis probare possum vt Theologꝰ? *An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti.* Volebat lex bouem comedere paleas,in quibus laborabat triturando: & ideo prohibet alligari os boui trituranti . Sed non propter boues facta est lex illa,qua prospiceretur bobus:sed propter ipsos homines,vt inde discerẽt quid in seipsis esset rationabile,si qui ad modum bouis in ecclesia triturarent,vt erant Apostoli,qui frumentum ex paleis,id est, ex carnali litera pro aliis educebãt,vnde iustum erat eos etiam ex ipsis paleis,hoc est,bonis carnalibus pasci. Quod autem hic sit elegans,& proprius sensus Spiritussancti in eo legis antiquæ mandato, probat ex eo quòd sequitur.

Nunquid de bobus cura est Deo? id est,talis cura, vt propter boues condat Deus leges? Ridiculum. Curat enim Deus huiusmodi animalia per eos, quibꝰ seruiũt.Indignum quippe Deo esset statuere pro illis quicquã. Nam seruitium quod nos ex eis capimus,illud ipsum nos abundè docet, eis esse prouidendũ,ne seruitio ipso priuemur. *An propter nos vtiq; hoc dicit:* Hic est sensus, Quòd verè propter Apostolos eorumq; successores facta est lex illa de bobus.Et assignat etiam rationẽ : quoniam est æquũ & cõueniens,Dominum prouidisse seruis ac ministris suis ex labore ipsorum temporalia, quibus & promisit æterna . Alioqui qua in spe ambularent, qui viderent in minoribus & vitæ necessariis se destitutos? Tunc ergo laborant in spe cœlestiũ,quando sibi à Domino prouideri de necessariis in hac vita cõsiderant:quod est iam participare quodammodo spem suam , hinc nacti occasionem sperandi fructum verum.Quoniã si Deus Dominus prouidet corpori, quod vilius est, quantò magis animæ,quæ longè est præstantior? Et si in via,quantò magis in patria? Adiicit & huius diuinæ prouidentiæ conuenientiam,dicens:

Si nos vobis spiritualia seminauimus,magnum est si carnalia vestra metamus. Hic incipit noua ratione ostẽdere , eos iure ac meritò accipere carnalia, qui in spiritualibus deseruiunt,ac si dixerit: Cum multò plus sit semen nostrum spiritualium, quàm sit vestra carnalium messis(Vocat carnalia , quæ vitam sustinent carnis) Quid magnum est si pro spiritualibus seminatis metamus carnalia?

*Si alij potestatis vestræ,*id est,facultatũ vestrarum, *participant,cur non potius nos?* Supple,cum nos simus primi fundatores,& non illi? Quidam exponunt, Si alij participant potestate,quã habent in vos accipiẽdi sumptus. Alij verò exponunt sic:Si alij qui sunt in potestate participant vestri,hoc est, bonorum vestrorum, quantò magis nos? Idem in re sensus , sed verba his expositionibus male aptantur. Melior ergo est prima. *Sed non vsi sumus hac potestate.* Ipse enim & Barnabas laborabant propriis manibus pro victu, & necessitatibus corporis. *Sed omnia sustinemus, &c.* vt & alios hoc nostro exemplò doceamus.

Nescitis,quoniam qui in sacrario operantur,quæ de sacrario sunt,edũt? Et qui altario deseruiunt , cum altario participant? Ita & Dominus ordinauit iis qui euangelium annuntiant,de euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hęc, vt ita fiant in me. Bonum est enim mihi magis mori,quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam & si euãgelizauero,non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit . Væ enim mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago,mercedem habeo:si autem inuitus,dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? vt euãgelium prædicans, sine sumptu ponam euangelium, vt non abutar potestate mea in euangelio. Nam cum liber essem ex omnibus,omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus,vt Iudæos lucrarer. Iis qui sub lege sunt,quasi sub lege essem,cum ipse non essem sub lege,vt eos qui sub lege erant , lucrifacerem . Iis qui sine lege erant,tanquam sine lege essem(cum sine lege Dei nõ essem,sed in lege essem Christi)vt lucrifacerẽ eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus,vt infirmos lucrifacerẽ. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Omnia autem facio propter euangelium , vt particeps eius efficiar . Nescitis quòd ij qui in stadio currunt,omnes quidem currunt,sed vnus accipit brauiũ? Sic currite,vt cõprehendatis. Omnis autẽ qui in agone contendit,ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilẽ coronam accipiant, nos autem incorruptam . Ego igitur sic curro,non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aerem verberans. Sed castigo corpus meum , & in seruitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, &c. Probat idem quod superius autoritate legis,quæ sacerdotibus sacra operantibus de sacrario prouidebat. Nec potest hic locus intelligi(vt quidam exposuere)de artificibus qui reparant templa,& manu laborant in templis construentes . Repugnat enim manifestè Græca lectio,quæ ait, οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι. Nescitis quòd qui sacra operãtur,& non dicit in sacrario operantur. Operari ergo sacra est proprium sacerdotũ, qui ob eam rem de sacrario viuebant. *Et qui altario deseruiunt.* De diaconis verificatur qui assistentes ad obsequium sacerdotis,etiam,cum sacerdote de sacris manducant . *Ita & Dominus ordinauit iis qui euangelium annunciant,de euangelio viuere,*id est,ex ipsa euãgelij opera victum accipere ex iustitia:quia æquum est seminãtes spiritualia , stipendiis non destitui temporalibus,vt in spe coronæ alacrius etiam laborent.

Sed hoc in loco exoritur quæstio, Quomodo liceat pro spiritualibus accipere carnalia,cum dixerit Dominus:Gratis accepistis,gratis date; Et B.Pe- *Matt.10.*
trus Simonẽ durissimè obiurgauerit , quia voluit *Act.8.*
pecuniam dare. Et habemus etiam exemplum Elisæi & Giezi. *4.Reg.5.* Sed aliud est vendere & emere spiritualia:aliud pro sustentatione vitæ aliquid accipere,idque à Deo ac Dei ordinatione:quam difficultatẽ explicaui plenius propria quæstione propter molestos. *Ego tamen nulla horum vsus sum.* Vt id persuaderet quod intendebat,videlicet propter offendiculum etiam à licitis abstinẽdum esse,& aliquid de suo iure remittendum.

Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me. Hic amplius declarat à nobis iam dictum , nempe Apostolum ista scripsisse ad confirmandam eam doctrinam quam tradiderat, propter fratres esse abstinẽdum ab omni licentia seu potestate ostensionẽ infirmis porrigente. Remouet enim hoc quod fortè poterant credere,ne hæc ipse sui gratia dixisset ad anticipandum eorum animum , & obsequium in his: ideo dixit se nõ propterea ista scripsisse in gratiam sui peculiarem:& adiungit, *Bonum est enim mihi magis mori,quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam si euangelizauero, &c.* Mira loqui videtur Apostolus, quasi nulla debeatur gloria implentibus præcepta Domini . Ergo nihil acceperunt gloriæ Apostoli propter prædicationem? quia & illi pariter acceperunt de ea spargenda mandatum. Et quomodo ergo aliàs ipsemet dixit: Vnusquisque mercedem accipiet à Domino secundum suum laborem?

Respondetur. Homo electus à Deo , qui habet aliquid in præcepto,si id agat vt seruus,non sponte,facit quod debet . Dominus enim est qui iussit, & vt seruus inutilis censeri debet,vitans tãtùm pœnam præuaricationis . At is non habet gloriationem in opere quod fecit:quoniam mandato à Domino accepto tenebatur illud facere. Homo enim qui facit id quod tenetur,quid gloriationis habet? Væ illi si non fecisset: nam multis vapulasset. Propter quod dixit Apostolus : *Væ enim mihi est si non euangelizauero,* & subdit:

Si enim volens hoc ago, mercedem habeo . Quia verò paulò seuerius videbatur inficiari, nullam esse facienti mandata Dei gloriationem,respondet repositam illi esse mercedem,qui fecerit mandatum *volens,*id est, non tantùm seruiliter ad subterfugiendam pœnam (aliàs non facturus) sed puta obligatione extimulatus ad faciendum. *Nota locũ difficilem.* Tales enim sunt mercenarij mali, & in timore seruili adhuc constituti. Sed non talis Apostolus noster qui volens omnia faciebat. Signum autẽ certissimum quòd volens faceret,ex eo capitur:quoniam prædicabat etiam sine sumptu,qui illi tamen debebatur,& quẽ potuisset honestè petere aut rogare. At cum illud minime fecerit: ideo mercedẽ huius rei se vberiorem habere sperat,vt qui syncerè ac libenter pręcipienti Domino sit obsequutus. *Si autem inuitus,* id est,ob eam tantùm causam agens , quia mãdatum est:& solummodo ne Dominũ offendam id facio, aliàs non facturus,tunc *dispensatio mihi credita est.* i.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perinde tractabor à Deo, atque seruus dispensator tractari solet: qui cum ratio solam hãc vim habet, & locum, vt si fideliter egerit non condemnetur: non tamen vt accipiat præmium, qui ea fecit, ad quæ facienda ipsa obligatione astringebatur.

Quæ est ergo merces mea? Respõdet istam nimirum esse, *vt euangelium prædicans, sine sumptu ponam euangelium.* Videri per hoc Apostolus ipse posset, huiusmodi mercedem aliis Apostolis detrahere, quos ea potestate vsos superius declarauit: ipse autẽ nullo pacto, de qua re insuper gloriatur. Sed absit vt alios iudicare voluerit. Neque hęc doctrina in eorum detractionem traditur, quasi illi non spõte euãgelizauerint, sed propterea inuiti, quòd vterẽtur ea potestate. Nam à B. Paulo id quodammodo exigebatur, vt fidem inueniret tãquam Apostolus, in euangelio: cum apud maleuolos non videretur esse ex magnis ecclesiæ columnis, & propter suscitam à pseudoprophetis multam æmulationem, vt ipse declarat. Nõ autem minus idem fecissent alij Apostoli, si ad maiorem euangelij fructum atque vtilitatem id fore vidissent. Abstinuissent etenim & ipsi libenter ob incrementum euangelij, scientes & ipsi optimè non quodcunque licet, etiam expedire. Alioqui abusi fuissent potestate illa, quæ non dabatur in euangelij demissionem, sed sustentationem, vt cui possent expeditius incumbere, ideo ait. *Vt non abutar potestate mea.* Fuisset enim illud abuti, si sumptum exigendo, suam euangelio auctoritatem ademissent. Et in hoc erat gloriatio eius egregia, qui hoc signum dabat perspicuè de sua libertima in euangelizãdo voluntate citra vllam penitus coactionem. Scio Caietanum aliter exponere, quod tamen mihi magis placuit, protuli.

Nam cum liber essem ab omnibus. Probat se nulla in re abusum esse potestate, sed prouentum euangelij procurasse, vel omnem libertatem iustam sibi adimens. Libertatem vocat Christianæ legis à Iudaica seruitute: quoniam ipse inter omnes electus erat in libertatem propter scientiam de cessatione legis certissimam: quod quidem ab initio non ita erat omnibus cognitum. *Omnium me seruum feci,* videlicet, Gẽtilium & Iudæorum, indulgens eorum moribus quantum fas erat, & morem illis gerens: quoniam inde lucrum non paruum accedebat euangelio.

De charitate B. Pauli eximia.

Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, &c. Non negat se Iudęum esse secundum carnem, sed non iam secundum legem: quod vt magis explicet, addit. *Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem.* Qui enim se Iudæos dicebant, sub lege esse se profitebãtur. Et his B. Paulus obsequebatur, quatenus licebat, ad eorũ lucrum. *His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem.* Gentes intelligit, quę legem Dei scriptã non habebant, sicut Iudæi. Et his se conformabat B. Paulus gentiliter viuens, vt illos ad Christum adduceret, cũ ipse nõ esset omnino sine lege, sed in lege Christi: quæ licet liberaret à vinculis legis Mosaicæ: attamen exigebat dilectionem proximi ampliorem. Ipse tamẽ imperfectis multa propter infirmitatem remittebat, quò illos Deo lucrifaceret.

Factus sum infirmis infirmus, &c. id est, ignaris mysteriorum tanquam ignarus. Hi enim sunt infirmi in fide, qui ignari sunt legis, & trepidant: quia non sunt quasi possessores virtutis legis, cuius finem & rationem ignorant. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Græcè melius, vt omnino aliquos saluos facerem. Magnum sacrificium zelus animarum. Nam sui ad omne hominum genus accommodatio (quantum licet) mirè facit ad attractionem, & ad aliorum conciliandam beneuolentiam, vnde potissimum est veritatis persuasio ad finem subsequentem. *Omnia autem (inquit) facio propter euangelium,* quatenus sine impedimento impleri posset, vt particeps eius efficiar. Nam maxime eius particeps efficitur, qui pro illo solicitè curat, & totum se ei deuouet.

Nescitis, quòd qui in stadio currunt, &c. Admonet hic eos vt expeditè se extendant ad palmã. Quemadmodum enim iis qui in stadio sunt, non satis est esse scriptos & paratos ad cursum, vt brauium capiant, sed datur in cursu superãti: ita & in cursu spirituali vnus accipit, in quo vno continẽtur omnes qui, vt primi sint, contẽdunt. Nam qui in Christo sunt, omnes quasi vnus censentur. *Sic currite vt comprehendatis.* Etiam alia similitudine hortans, ait, *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet,* etiam licitis: imo verò & iis quæ prodessent corpori, vt voluptuosis: & hoc quidem ad coronam corruptibilem obtinẽdam. At nos pro incorrupta certamus. Et ista eiusmodi sunt, quæ magis considerationem requirunt, quàm expositionem.

Hæc in hæreticorum dogma, de apprehensione Christi per fidẽ solam.

Ego quidem sic curro, non quasi in incertum: Ne quis diceret, Insanis Paule, qui nullo proposito tantorũ laborum præmio incertus curris & vagaris, sed ait: Imo certus sum de brauio legitimè currentibus à Domino reddendo. *Sic pugno non quasi aerem verberans,* sed magis aereas potestates, quibuscum erat illi colluctatio & acerrimum bellum, vt alibi testatur. *Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* A corpore enim, & per medium corporis, omnis est in nos conflictus. Corpore nostro ad nostram ruinam dæmones vtuntur tentantes, & ipse mundus. *Ne fortè cum alis prædicauerim, &c.* Homo enim qui prædicat, si ea quæ prædicat nõ facit, reprobus est vel suo testimonio, ipsa videlicet prędicatione sua, quæ illum condemnat, dum aliter viuit ac docet: quod tamen multi non cogitant. Quin sæpius qui elegantius loqui ad plausum populorum videtur, rarius domi cum corporis castigatione vitam degere solent, quibus satis est si concursum videant & turbam audientium. Sed ij maiorem damnationem sibi acquirunt, qui cum alios rectè doceant, eorum tamẽ cum vita propria pugnat sermo, quo sententiam referent ad supplicium æternum. Prima enim prædicatio in prædicantis vita relucere debet, vt maiores sint in regno cœlorum, quemadmodum ait ipse Dominus.

CAP. X.

NOLO enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerũt: & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt: & omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: Petra autẽ erat Christus) Sed nõ in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierũt. Neque idolatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptũ est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorũ tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmurauerit is, sicut quidam eorũ murmurauerunt: & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.

Nolo enim, &c. Prosequitur idem argumentum Apostolus, ne edantur idolorhyta: nõ solum propter scandalum, sed etiã ad idololatriam vitandam. Iccirco cum idololatris omnem communicationem prohibet. Hinc autem commodè exorditur.

Nolo autem vos ignorare fratres. Docet eos ne confidant in solo baptismo, tanquam propter baptismum sint à Deo in peccatis tolerandi, ita vt eis impunè peccare liceat. Hoc autem monet maiorum exemplo, ne putarent Corinthij (sicut & hodierno die plerique falsò sibi persuadent) apprehendisse Christum per fidẽ, satis esse ad salutem. Id enim & B. Augustini tempore quidam arbitrabantur, falsi propter quasdam B. Pauli sententias male intellectas, quapropter scripsit ille librum de fide & operibus. Et hic Apostolus ait:

Quoniam Patres nostri omnes. Vocat patres, maiores qui ex Aegypto ascenderant ad terram repromissionis. *Sub nube fuerunt.* Deus enim in egressu eorum parauit eis nubem, vt luceret per diem & viã ostenderet, & columnam ignis per noctem. *Et omnes mare transierunt.* Hęc patent in libro Exo. ca. 13. & 14. *Et omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari.* Hoc intendit Apostolus, quòd isti mundificati & sanctificati sunt in Mosen: non dicit in Christum, quia rem exponit vt figuram. Nam literaliter sanctificati sunt in hoc, vt per Mosen ducem essent digni terra illa promissionis. In hoc enim quodammodo geniti fuerunt, & facti populus Dei: quia crediderunt Deo, & Mosi seruo eius. Sic & nos etiam qui spiritualiter in baptismo nostro generamur, & credimus Deo, & Christo filio eius.

Sed ne quis putaret eis defuisse cibum spiritualem, quo & nos vegetamur, subdit. *Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, &c.* Loquitur de mãna, quod significauit corpus Domini, & in eius significatione etiam illi sustinebantur nondum habentes veritatem: quia eam nondũ ferre poterant. Erant enim sub lacte adhuc: quo tempore nõ erat congruum coqui hœdum, sicut scriptum erat. Nõ coquas hœdum in lacte matris. Coquitur hœdus, quùm Christus in cruce assatus immolatur. Loquitur etiam de aqua Petræ, vbi fuit contradictio. *Bibebant autem de spirituali,* in velamine tamen & implicita fide in Mosen, *de Petra consequente eos,* id est, de Christo futuro, cuius præuisa merita etiam illis profuerunt. *Petra autem erat Christus.* Non dicit de Petra illa, quòd esset Christus, sed de eo quod intelligebatur in illa. Illa igitur petra erat Christus, non quæ significabat, sed quæ significabatur in illa materiali. Et verè dicit eandem escam spiritualem, qua nos pascimur: & eundem potum spiritualem, scilicet quo nos potamur. Licet illi in figura acciperent, & implicita fide: nos in veritate & fide explicita, velatum tamen adhuc, sicut erat manna illud. Itaque nõ placet quouis modo vt dicas. Ideo spiritualem escam & potum dici, quia autore Spiritu miraculosè descendebat. Sed ob hoc dicuntur esca & potus spiritualis: quia spiritualem alimoniam præbebant, non in seipsis, sed Dei virtute in illis existente: si tamen ex fide, & in spe æternorũ ipsi accepissent: propterea subiunxit: *Ecc.13.*

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Quãdoquidem & si ipsi ad illud iter baptizati fuerint, digni habiti qui viam ingrederentur: & adhuc prouisum illis fuerit de viatico in esu & potu, tamen Deus non sibi complacuit in maxima illorum parte: quoniam non elegit eos electione illa certa: Ita vt ex infinita propemodũ illa multitudine, quæ ex Aegypto liberata desertum intrauit, duo tantùm promissionis terram ingrederentur ac possiderent, Iosue scilicet & Caleph. Qua historia, velut ex figura, accipienda est doctrina de vera terra cœlestis promissionis, vt non quotquot baptizati fuerint aqua, & cibati fuerint & potati corpore & sanguine Iesu Christi, hi omnes sint illam ingressuri: sed similiter eueniet istis atque illis euenit.

Nam prostrati sunt in deserto, &c. Et hæ fiterunt figuræ ad doctrinam nostram, *ne simus concupiscentes malorum.* Hinc enim principium malorum, nimirum à concupiscentia, quæ est radix omnium peccatorum. *Neque idololatræ efficiamini, &c.* Notę sunt hæ historiæ. Illud tantum quæstionẽ mouet, quod hic dicuntur cecidisse viginti tria millia, cum vetus scriptura habeat viginti quatuor millia. Vnde quidam putant hunc locum esse corruptum. At cũ omnes codices tam græci, quàm latini concordẽt, melius est integram seruare literam, si fieri potest. Itaque alij dicunt, in maiore numero contineri & minorem. Sed hoc minime hic recipiendum est: quia quoties ad exprobrationem aliquid dicitur (quemadmodũ hoc in loco Apostolus faciebat) plenus atque integer numerus exprimendus est. Mihi igitur magis placet, vt teneamus ab Apostolo verè scriptum, vna die. 23. millia occisa fuisse. At vetus quidem scriptura (vt est etiam verisimile) non vna die dicit hoc factum, sed primò iussos suspẽdi principes, deinde iussos occidi, & tum numeratis omnibus extitisse viginti quatuor milia, sed vna die, quando magnus fuit furor. 2. 3. millia tantum fuisse, facile substineri potest, id quod ait Apostolus: non enim ab re addidit, vna die.

Neque tentemus Christum, sicut quidam ex eis tentauerunt, nimirum Christum. Ipse enim erat ille qui loquebatur ad eos. Vnde apud Isaiam. Ego, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui loquebar, ecce adsum. Et quia Deus erat, qui loquebatur: Christus igitur Deus erat. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Hic erat ignis, qui Domini iussu post interfectionem Core & Dathan & Abiron, sæuit in ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Hæc autem omnia figurarũ plena, contingebant illis: nõ tamen vt ad figuram tantum seruirent ea contingebant, sed ex certis causis & meritis, quibus ipse Deus est vsus pro nobis, & protulit in exemplum, vt in his quasi in figuris discamus, & teneamus veram viuendi normam: vnde ait,

In Arianos.

De fructu veterũ scripturarum.

Scriptæ sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. Hoc primũ aduersus eos militat, qui scripturas veteres reiiciunt, quasi minime necessarias: cum tamẽ maxime propter nos sint, *in quos fines sæculorum deuenerunt*, id est, in quos nouissima lex & ætas peruenit. Inuitat igitur vt in de capiant instructionem: & ne fidant eis, in quibus non impletur salus, vt sunt pura sacramenta: quia sine charitate, & bonis operibus, nihil prodest baptismus, nec fides. Vnde & concludit.

Itaque qui se existimat stare, nimis fidens ac sine timore, & despiciens alios: *Videat ne cadat*, id est, caueat à casu, qui ei proximus impendet. Nihil enim est quod magis mereatur casum, quàm in seipso fidere, & alios spernere, nulloque timore teneri. Et hoc in loco non obscurè ad maiores illos inter Corinthios sermonem hunc dirigit, qui putabant se ob scientiam & libertatem nouam præ cæteris stare, quasi eis essent licita omnia, nulla ferè habita ratione offensionis infirmiorum in fide: qui tamen ab eis tanquam à perfectioribus, sustẽtari ex charitatis lege debebant.

Tentatio vos non apprehẽdat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tẽtari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor: Vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Videte Israel secũdum carnem: Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quòd idolis immolatũ, sit aliquid: aut quòd idolum sit aliquid? Sed quòd quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicẽ dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorũ. An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licẽt sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius.

Prouidens Apostolus eorum saluti, quæ valdè in timore consistit, ne quis derelinquatur à Deo, qui tum maxime deserit, quùm ita postulantibus hominum peccatis, inducit in tentationem ad puniendam temeritatem, dixit. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana.* Humana tentatio est, quæ ex humana fragilitate descendit. Et hac tentatione homines probari oportet, ad probationem quidem, non autem in pœnam. Hæc tentatio non solùm non est noxia, sed salutaris admodum, & vtilis. Et illa est de qua dicitur: Qui non est tentatus, quid sit? Est verò alia tentatio, quæ est in pœnam peccati: & hæc est quam fugere debemus. Nam de hac dicitur: Orate ne intretis in tentationem. Quapropter ab ipso veritatis Magistro relicta est nobis in oratione instructio illa cotidie repetãda. Et ne nos inducas in tentationem. Huic enim tentationi nullus resistit: quia Deus æquissima sententia eũ, qui ob duritiam & contemptum in illam incidit, deserinquit. Tẽtatus est & B. Petrus, qui de seipso præsumens sibi videbatur fortis, & nunquam negaturus. Non autem tentationi restitit, sed succubuit: quia præsumpsit in seipso, & propterea meruit à Deo destitui.

Differentia inter tentationes.

Eccle. 34.

Luc. 22.

Monet igitur Apostolus vt timeant ne in tentationem mittantur: vbi satis ostendere videtur, ad illam vsque diem eos non fuisse aliam tentationem expertos, quàm humanam, quæ dari solita est ad probationem, non autem ad casum, & ruinã: qualis est illa, quando homines traduntur ob scelera sua in reprobum sensum, & diabolicas cõtra Deũ cogitationes & blasphemias.

Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tẽtari supra, &c. Fidelem vocat Deum, quia quod incipit, etiã perficit: & ex parte sua nunquam deficit à promissis. Promisit autem, cum nomen dedimus, iuuare nos vsque in finem. *Sed faciet etiam cum tentatione prouentum, &c.* Sensus est: Quoniam tentatio exercet hominem ad patientiam, inde erit exitus bonus. Si quidem poteritis Deo adiutore sustinere: qui dat vim ac fortitudinem neuincat inimicus. Qui dat gratiam, vt in certamine mereamur. Qui dat perseuerandi constantiam, vt victoriam tandem ex omnibus tẽtationibus & tribulationibus cum lætitia reportemus.

Propter quod charissimi mei fugite ab idolorum cultura. Hoc potissimum in illis metuebat B. Paulus, vt satis innuit. Neque enim iam erat hęc humana tentatio. Vbi enim est tumor & arrogãtia, nec acquiescit homo sanis sermonibus, & maiorũ præceptis: hic certè non humanam patitur tentationem. Est enim superbia Satanæ hæc, qua Deus prouocatus sinit hominem in barathrum flagitiorum corruere. Nimis enim amando sententiam suam, aut inuidendo melioribus vsque ad præscindendæ communionis, & condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica est præsumptio, ait B. Augustinus.

Vt prudentibus loquor: Vos ipsi iudicate quod dico. Rẽ manifestat ipsos propter veritatẽ perspicuam constituẽs arbitros, vt prudentes. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Vocat calicem benedictionis: quia in eo, & per eũ benedicimur omnes, quicunque de eo participamus. Dicit, *cui benedicimus*, videlicet consecrando. Dicit insuper esse communicationem sanguinis Christi, non in signo, sed in efficacia: quia quicunque sumit, communicat in Christi sanguine, quo alitur participans salutem in membrum Christi viuum.

Et panis quem frangimus, nimirum panis spiritualis, cuius species franguntur post benedictionem, id est, consecrationem, sumentes siue dantes. Fractio ipsa est specierum, non corporis Christi. Et tamen dicitur panis: quia sub illis continetur Dominus & latet, & semper est post benedictionem. Hic ergo panis factus nobis cibus: *Nonne communicatio corporis Christi est?* videlicet accipiẽtibus illum. Operatur enim hoc in nobis dignè & cũ frequentatione sumentibus, inuisibiliter: vnde subdit,

Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus. Nota quàm verè dixerit, *vnus panis*, & non plures. Ideo multi qui de illo edunt, in vnum iunguntur, & vnum corpus fiunt: quemadmodum ex multis granis vnus panis, & ex multis membris vnũ efficitur corpus. Magnum certè pietatis sacramentum: magnum signum vnitatis: & arctissimum charitatis inter nos vinculum. Qui vult viuere (ait B. Augustinus) habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, viuificetur. Non abscedat à compage mẽbrorum: non sit putre membrum, quod secari metreatur. Nõ sit distortum, de quo erubescat. Sit pulchrum, sit apertum, sit sanum, hæreat corpori. Viuat Deo de Deo. Nunc laboret in terra, vt postea viuat in cœlo. Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis & fidelibus eius. Quorum primum iã factum est, id est, prædestinatio. Secundum & tertium, & factũ est, & fit, & fiet, id est, vocatio & iustificatio. Quartum verò nunc in spe est, in re autem futurum est, id est, glorificatio. Vnde bene subditur:

Pro veritate corporis & sanguinis Christi in sacramento.

Omnes enim de vno pane, & de vno calice participamus. Patet igitur per panem non intelligi species, quæ multæ sunt & variæ, sed panẽ verũ & viuum, contentum tamen sub illis speciebus. Et similiter calicem vocat sanguinem, qui verè est in calice, nõ qui solùm significatur, vt noui hęretici blasphemantes asseuerant.

Quo in loco considerandum prudenti lectori (in re præsertim grauissima, & exploratissima atque compertissima in ecclesia) quàm sit periculosum velle disquirere paulò curiosius de cauillis hęrericorum. Qui enim non accedunt ad scripturas cum plena fide eorum quæ docet, & semper docuit ecclesia Dei sancta, facile hi mittuntur in tentationem, ac permittuntur decipi à Satana, & per sophisticas eius argutias deludi. Ecce venerũt noua viperarum genimina, qui negare ausi sunt in sacramento Altaris non esse verum corpus, & verum sanguinem Domini. Alij verò esse quidem, sed esse simul cum pane. Volunt enim manere panem, & ibi esse cum corpore: contra quos ecclesia sancta Dei determinauit. Nunc rem vide mirabilem, vt intelligas quales sunt scripturæ, & qualem requirunt lectorem, cum verba Christi & B. Pauli ita sint posita, vt quisque existimet ea stare pro sua sententia. Ecce qui dicunt non esse ibi corpus Christi, abutuntur hoc Apostoli loco: ait Apostolus. Panis quẽ frangimus. At corpus Christi non frangitur. Non ergo panis est corpus Christi. Est igitur ibi panis, & non corpus Christi. Similiter & Lutherani, qui volunt ibi cum corpore Christi ad esse & panem cõmunem: Ecce (inquiunt) quia de pane dicitur quòd frangitur. At species panis non sunt panis, & ipsum Christi corpus non frangitur.

Nota.

Tu autem lector Catholicæ, vide iniquitatem. Quæro enim ab illis. Quomodo de pane communi verificatur quòd est communicatio corporis Christi? Et quomodo multi sumus vnus panis? Et quomodo participamus omnes de vno pane? cũ si de communi pane intelligant, plurimi sint panes, non vnus. Cum igitur rigorem verborum ipsimet violent, & ad nouas glossas oporteat eos recurrere, cur non potius consentiunt cum ecclesia, & cũ traditionibus Patrum, & Sanctorum doctrinis? præsertim cum à modo loquendi hominibus consueto non abhorreat illorum expositio. Dicitur enim frangi, & manducari: quia & species frãguntur, & ipsummet corpus spiritualiter frangitur & manducatur, cum sumitur fide, & de Spiritu eius ac plenitudine quisque suam partem trahit. Nam & ipse Dominus dixit: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis frangitur. Illud omnino summæ impudentiæ fuit, quod enixus est Œcolampadius, veterum sententias ad suam execrandam impietatem detorquere. Sed ab Episcopo Roffensi gloriosissimo nostræ ætatis Martyre verè & elegantissimè confutatus est.

Episcopus Roffensis Martyr.

Videte Israel secundum carnem. Addit & aliud exẽplum, vt ex multis fortius & efficacius concludat. Vocat Israelem secundum carnem illum populũ, quatenus considerabatur iuxta carnale sacrificiũ, non iuxta spirituale, & ait: *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Quid est dicere, participes sũt altaris, nisi quòd quodammodo simul consecrantur, & à prophanis distinguuntur, vt immunitates ab altar accipiant, tanquam signati Deo cum altari, vt quod offertur altari, eorum cedat substentationi? Hoc enim patebat in Israele adhuc carnali, qui hostias offerebat iam vanas & odiosas Deo, vt per Isaiam testatur.

Quid ergo? Hic à semetipso inquirit, quid ex his velit concludere: quoniam malus quidam sensus poterat accipi facta cõclusione ex præmissis: ideo illum excludit, & bonum deinde aperit. *Dico quòd idolis immolatum sit aliquid?* quasi dicat. Minime. Non est enim vlla potestas idolis data afficiendi sacrificia, ac per hoc nec sacrificantes, sicut est penes Deum. Deus enim per Christum sanctificauit omnia. *Sed quòd quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo:* ac si dicat Hæc est mea tandẽ sententia, ipsas Gentes semetipsas prophanare, dum immolant dæmoniis, & non Deo: quoniam se ipsas huiusmodi immolatione à Deo separant, qui meritò irritatur videns suum honorem idolo tribui, quod nihil est. Quare illæ elõgatę à vero Deo, tradũtur dæmoniis (quibus sacrificãt) Dei iusto iudicio, vt in ipso suo peccato puniãtur, & pereant.

Maximũ & periculosissimum peccatũ est idololatria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nolo autem vos participes eſſe dæmoniorũ. Quod certè eſſet immolãdo illis: aut etiam de immolatis comedendo cum Gentibus. Nam in eo facto etiam profeſsio erat participationis. *Non poteſtis calicem Domini bibere, &c.* Aduerſãtur enim dęmones Deo. Et cũ ita ſit, neceſſario euenit, vt qui vnius eſt particeps, ab altero ſit alienus.

An æmulamur Dominum? id eſt irritamus ad æmulationem, illum perinde prouocãtes, atque in amore fieri ſolet? Amans enim tunc valdè prouocatur, quando ab amato, qui alteri ſe adiungit, deſeritur. Cogit enim amantem vt & alium ipſe quoque inueniat, cui ſe adiungat: vt ſimiliter econtrario irritet eum qui prouocauit. Et in huiuſmodi altercatione atque æmulationis pugna, ſemper vincit qui eſt fortior. Ille autem fortior, qui minus indiget amato: & poteſt abſque illo non minus fœliciter viuere, ideo ait B. Paulus. *Nunquid fortiores illo ſumus?* vt poſsimus audacter eum prouocare, quaſi non indigeamus illo, & ipſe potius noſtri indigeat? Aut quaſi nequeat ſibi alios adoptare in odiũ noſtri? Hoc tamen & ipſe facere cõſueuit, ſicut ſcriptum eſt. Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in Gente ſtulta irritabo illos. Hæc Dominus in Cant. Deut.

Omnia mihi licent. Quid eſt: Omnia mihi licent, niſi (vt iam dictum eſt) quæ non ſunt mala ex ſe, vt comedere idolothyta? *Sed non omnia expediunt*: quia non conferunt ad ædificationem proximi, & maximè fratris infirmi: ideo apertius declarãs, ait: *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant*, quod tamẽ præcipuè intendere debemus: *Nemo quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius*, id eſt, non quærat libertatẽ, quæ ſua eſt: quia in ea conſtituit nos Dominus. Nec quærat quod alioquin ſibi deberetur, reuerẽtiam, honorem, vt ſibi deferantur tanquã ſciẽti & ſapiẽti. Hæc non debet quærere qui rectè ſapit in Chriſto: ſed quiſque quod alterius eſt, quęrat. Hęc autem à maioribus debentur inferioribus, doctrina, conſilium, exemplum, compati & infirmari, cũ ſimus membra vnius corporis, & ſub illo capite Chriſto, qui non ſibi placuit, ſed propter nos factus eſt infirmus, egenus, & opprobriis expoſitus, & tandem acerbiſsimæ mortis cruciatibus interfectus.

Omne quod in macello vænit, mãducate: nihil interrogãtes propter cõſcientiã. Domini eſt terra, & plenitudo eius. Siquis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate: nihil interrogantes propter conſcientiam. Siquis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare propter illũ qui indicauit: & propter conſcientiam, conſcientiam autem dico nõ tuam, ſed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena cõſcientia? Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago? Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.

Omne quod in macello, &c. propter conſcientiam, ſcilicet alicuius infirmi aſsiſtentis ne lædatur, ſi appareat quid immolatum, vt inferius declaratur. Et ratio eſt, quia *Domini eſt terra, &c.* ac ſi dixerit. Nihil poteſt eſſe ob id affectum idolo, quia idolo ſacrificatum ſit: quoniam Dominus terræ iam non eſt Satan, ſed Chriſtus. *Si quis vocat vos infidelium, &c.* Nota, Non illis prohiberi ne valeant cum infidelibus commiſceri in cœnis. At hoc fuit in primitiuo illo feruore, vt perſpecta illi Chriſtianorum honeſtiſsima vita in parſimonia, & ſermone ſancto, ad fidem traherentur: quanquam nec prohibeatur nunc, niſi cum Iudæis perfidis, propter eorum in cibis ſuperſtitionem. Vnde & propter hoc prohibebatur olim Iudæis inire amicitias & conuiuia cum idololatris. *Omne quod vobis apponitur manducate, &c.* expone vt ſupra. *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis, &c.* Oportet duo iungi ne edat, videlicet eſſe hominem indicantem, propter quẽ debeat abſtinere: & conſcientiam alicuius, quę ex eo facto lædatur, dum ædificatur ſimiliter ad comedendum quod eſſe malum putat. Alioqui non ſatis eſſet id ſcire, ſi alius non malè edificaretur. Propter quod ſubdit, *conſcientiam autem dico, non tuam, ſed alterius*. Tuam, id eſt, qui ſcis immolatum & idola nihil eſſe. *Alterius*, id eſt, infirmi in quo non eſt hæc ſcientia. 28.q.1.c. Omnes.

Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conſcientia? Senſus eſt: Quòd non debet libertas mea ab aliena conſcientia in ſe pati detrimentum, vt minus ſim liber in veritate. Et hoc eſt quod ait *iudicatur*, quoniam aliena conſcientia non poteſt mutare de ipſa re iudicium. Et tamen cum hoc rectiſsimè ſtat vt charitate vrgente nõ debeam vti libertate mea, propter conſcientiam alterius. *Si enim ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Oſtendit manducare huiuſmodi de ſe non eſſe peccatum, ſed potius peccatum erat ignorare, & ex ignorantia blaſphemare eum quaſi male agentem, qui nõ male agit, cum gratias agat vero Deo, & ita decere bonum, malum: quod eſt blaſphemia in Deum, ſaltem materialiter. Hæc autem adiecit vt infirmos doceret, & ab ea ignorantia ac ſuperſtitione amoueret. Nota etiam hoc in loco, gratiarum actionem in ſumptione cibi fuiſſe de more, & ex debito. Quod à me ea ratione dicitur, vt vereantur Chriſtiani omnes, ſed in primis Prælati, cibum antè ſumere, quàm benedictione aliqua ſanctificauerint, & demum ſumpto cibo, gratias Deo omnium largitori agant, ne cibus immundus remaneat. Scio enim à multis etiam qui maiores videntur, hac in parte peccari. Et tamen qui in mẽſa ſunt digniores, ad conſecrationem & gratiarũ actiones referendas iure ac merito debent eſſe primi, & non ſinere per inferiores id fieri, ſi honoris diuini, & grati erga Deum animi eſſe velint. Dignior enim & maior debet in Deo laudando eſſe feruentior. Ad quod hortatur paſſim omnes Apoſtolus, & ait:

Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Hoc eſt præceptum quod ſeruari debet ab omnibus & in omnibus, vt ſaltem virtualiter habeat quis in animo ſe velle in gloriam Dei facere quæcũque faciat: quia omnis noſtra actio in illud diſponi & tendere debet, vt glorificetur Deus, & non aduerſariæ poteſtates. Nam ob hoc damnatur idolothytum eſus, qui in gloriam dæmoniorum fieret. *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus*. Hîc monet non vtendum libertate, quando poſſet ex ea porrigi ſcandalum, *Iudæis* quidem propter ſuas religiones ex lege, tametſi iã ceſſaſſent: *& Gentibus*, ne cogerentur ad iudaicos ritus: *Et eccleſiæ Dei*, ne cum idololatris videantur participare. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*.

Omnis noſtra actio in gloriam Dei dirigi debet.

Quid eſt autem quod alibi ait: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem? Sed ibi homines (vt homines ſunt) accipiuntur. Hîc illis ſe placere ait, qui recti ſunt ſenſus. Quanquam hic proculdubiò verior ſenſus eſt, Ea ratione Apoſtolus omnibus placebat: quia omnium ſe moribus accommodabat, & quantum in ſe erat, nihil præbebat occaſionis, quominus placere deberet: quin econtrariò ſe potius inclinans (vt fas erat) in obſequium omnium. Vnde declarat quo animo ita erga omnes ſtudioſè ſe gerebat, non quaſi aſſentator aliquis, aut auaritiæ deditus, vel ad inanem gloriam aſpirans, & ait:

Non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant, æterna & fœliciſsima ſalute. Ecce quomodo placebat, nimirum ex charitate, & propter ſalutem aliorum. Talis eſt charitas, quæ nõ quærit quæ ſua ſunt: ſed quę ſunt Ieſu Chriſti. Ne autẽ videretur leuioris alicuius magiſtri ſectator, & nõ potius illius, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Patris abſconditi (quoniam ſubditi prælatos non tenentur in omnibus ſequi, ſed in quibus illi Chriſtum imitantur) ideo rectè concludit Apoſtolus, & vtrunque complectitur aiens. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, Et eſt exhortatio vt infirmentur cum infirmis, ſicut ipſe B. Paulus in hoc ipſo imitans Chriſtum, infirmabatur. Nam Chriſtus hoc primum & maximè fecit. Pertinent ergo verba hæc ad ſuperius caput, vt quod ſequitur: Laudo autem vos, ſit ſequentis capitis initium.

CAP. XI.

LAVDO autem vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir. Caput verò Chriſti, Deus. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum. Vnum enim eſt, ac ſi decaluetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi aut decaluari, velle caput ſuum. Vir quidem non debet velare caput ſuũ: quoniam imago & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierẽ: ſed mulier propter virũ. Ideo debet mulier velamẽ habere ſupra caput ſuum, & propter Angelos. Veruntamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino. Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem. Omnia autem ex Deo. Vos ipſi iudicate. Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comã nutriat, ignominia eſt illi: Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt. Si quis autem videtur cõtentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

HIC incipit ſeptima pars, vbi de cæremonia quadam ſuperſtitioſa tractat, qua vtebantur Corinthij in orando ac prophetando. Quo in loco neſcio vtrum lector in aliorum expoſitionibus conquieſcat. Ego quod mihi verius viſum eſt, liberè proferam.

Admoniturus Corinthios hac de re Apoſtolus, cœpit eos laudare generaliter. Et ſecũdum codices Græcos ita legitur. *Laudo autem vos fratres, quòd omnia mea meminiſtis. Et ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Senſus eſt apertus. Laudat eos ob tenacem præceptorum eis ab Apoſtolo traditorum memoriam. *Volo autem vos ſcire*. In primis docet: quoniam admonitionem, veritatis doctrina debet ſemper præcedere in re non ſatis nota. *Quòd omnis viri caput, Chriſtus: caput autem mulieris, vir: caput autem Chriſti, Deus*. Caput ratione dignitatis & gubernationis. Non enim dubium quin viri caput ſit Chriſtus, ex quo, & per quem omne donum & gratia effluit, quaſi ex capite in membra. Ita & mulier ſubdita eſt viro, maximè poſt antiquũ illud ſuum peccatum, vt caput eius vir indicetur. Hinc verò ſequitur.

Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum. Egregiè expreſsit latinus interpres ſententiam dicens, *velato capite*. Græcè habetur κατὰ κεφαλῆς ἔχων, id eſt, ſuper caput habens, videlicet ponens aliquid vt oret, ſeu prophetet ſolemniter. Quo in loco reprobatur quidam Iudæorũ & Gentilium ritus, quo vtebantur prophetantes ſeu orantes, id eſt, diuina proferentes: quoniam velabant capita ſua: quo etiam nũc meritò iuxta ſuam fidem vtuntur, cum illis nondum venerit caput eorum Chriſtus. Contrà autem obſeruabatur in mulieribus, quæ ſparſis crinibus orabant: ſicut etiam Plutarchus ſcribit hunc morem in funeribus obſeruari ſolitum. Nam luctum ſuum viri agebant velato capite. Mulieres verò ſparſis crinibus plorabant defunctos: qui mos adhuc etiam quibuſdam in locis hodie ſeruatur.

Priſca cæremoniarũ in eccleſiis obſeruantia.

Sed B. Paulus hanc ſuperſtitionem in orando & prophetãdo auferre fatagit: quoniam in publi-

Universidad de Deusto Biblioteca

cis orationibus,& prophetiarum expositionibus, vtendum est cæremoniis conuenientibus propter significationem. Itaque primum de viro orante & prophetante admonet,non debere illum velare caput suum quia deturpat illud . Quomodo verò illud deturpat? quia scilicet in capite suo debet Dei gloriam significare . Significat autem gloriã Dei, dum illum suum esse cõditorem indicat, seque ad illius imaginem conditum.Et hoc maximè ostenditur in capite: quoniam ibi potissimum sensus vigent,& inde apparent quæ sunt ipsius mentis latẽtia.Si igitur velit vir velare caput suum, hoc facto quasi Dei imaginem deturpat:& suum mysticum caput,quod est Christus,non vult efferre & apertè confiteri . Vnde & Iudæi congruè ex antiquo more adhuc orant velato capite & prophetant,ostendentes hoc signo nondum esse reuelatam sibi gloriã Dei.Nã illis nondũ est reuelatus Christus.

At contra est omnino in muliere: Ipsa enim debet velare caput suũ orans & prophetãs.Quid ita? Et cur tanta inter virum & mulierem differentia? Respondetur:quia mulier non velans , turpat caput suum . Et enim non velando ostendit se sine potestate esse,& sine viro:& ita minimè sub ordine,quem illi præstituit Deus cum illam subiecit viro , & ideo deturpat caput suum . Sicut enim vir, quod est propriæ gloriæ sibi ab ipsa natura datum velando deturpat:quia in suæ glorię obnubilatione(quæ significatur in capite suo)etiã gloria Dei obnubilatur:Ita vice commutata mulier, quod est suæ gloriæ,non velãdo deturpat caput suum.Gloria autem mulieris est , eam subiectam esse viro: quod ostendit velando caput suum. Quare & natura ipsa videtur hoc docere . Masculo autem ipsi turpe est naturaliter nutrire comã . Nam si faciat, probro illi & vituperio vertitur:quoniã non oportet viris ad decorum sui capitis addere vllum velũ, si fortè cesaries deficiet. Faciunt enim vt dicantur effœminati,quia sic se faciunt fœminas,& ideo deturpant caput suum.

At mulieri non est turpe nutrire comam , quã dedit ei natura pro velamine & gloria.Cõsequẽs igitur est vt debeant fœminæ etiam isto signo cæremoniali consentiendo naturæ , velare caput suũ orando,& prophetando,in hoc profitentes se habere virum & potestatem eius super seipsas. Vnde & olim cum dabantur nuptui,velabant caput: & ipsæ quoque nuptiæ ab obnubendo dictæ sunt,vnde & nubere.Est & in scriptura veteri de Rebecca *Gen.24.* quæ vbi primum agnouit virum suum Isaac, citò obuoluit pallio caput,profitens se esse sub viro,& non ostentans gloriam propriam in capite,assistẽte & præsente viro.Quæ innuptæ sunt,comam interim ostentant.Quæ verò virginitatem profitentur,etiam tondentur,abiicientes à se gloriam, quã natura eis indidit à viro.Et dum sacrum assumunt velamen,profitentur sacrum cum Christo coniugium, in quo est signum quòd spreto mortali coniuge & viro,nouum sibi sponsum Christum Dominum asciscunt.

*Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite,*in quo est professio potestatis viri , *deturpat caput suum.* Quia nõ eum profitetur virum quẽ debet.*Vnum enim est* (hoc est) *Idem est ac si decaluetur*,aut ac si radatur.Mulier igitur non velata orãs ita deturpat caput suum,quod est vir,sicut propriũ caput deturpat & rasa : quo facto quid turpius quidue magis ridiculum videri posset,cum gloria mulieris sit coma?Ostentans autem gloriam propriam in capillis,deturparet caput suum,in quo iudicaret se non esse sub viri potestate. Et huic indignitati præbet remedium subiungens:

*Nam & si non velatur mulier,tondeatur,*hoc est, si mulier nolit velari,cum non debeat ostentare propriam gloriam in capillis,hoc saltem seruet vt tondeatur:quo casu non ostentabit propriam gloriã, sed alienam. Verùm quoniam turpe esset mulieri tonderi seu radi,illi quæ virum habeat, iccircò rectè sequitur: *Vir quidem non debet velare caput suum.* *Subtilia hæc piè lectori & prudenter quæruntur.* Et ratio est,quia velamen viro, pro gloria viri est: sicut contrà, capilli velantes sunt gloria mulieris natura. Vir ego in velando caput suum , ostentat gloriam suam,& eam quę Dei est occultat:& qua ratione fieri non debeat,apetit. *Quoniam imago & gloria Dei est* , quam non debet abscondere velando caput suum.Cum enim creatus est vir , dictum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,id est , vt sit aliquo modo imago nostra.*Mulier autem gloria viri est* : quia immediatè ex viro est producta,dictumque fuit.Non est bonum esse virum solum:Faciamus adiutorium simile sibi.Neque per hoc negatur mulier esse ad imaginem Dei,cum sit simile viro:sed ostenditur subordinatio isti ac dignitas , vt & ipsa ad imaginem Dei sit:quoniam vir eius,cũ quo ipsa est quodammodo vnum,imago est Dei,& ipsius Christi.

Nõ enim vir ex muliere,sed mulier ex viro. Quod est clarissimum in ipsa scriptura sancta . Quo in loco ea refelluntur, quæ de sopore Adam aliter docuit Caietanus , ipse proculdubio hac in parte magis in soporem coniectus.Et similiter refelluntur quę alius quidam Platonicas sequens fabulas scripsit, videlicet ab initio creatum virum simul cum muliere in vna massa,sed à Deo postmodo sectos fuisse:ita vt non fuerit successiua creatio Heuæ ex viro. Quæ omnia sunt contra hunc locum manifestè. *Etenim non est creatus vir propter mulierem,sed mulier propter virum.* Vt quoniam ex viro ipso sumpta est in principio,sit viri dignitas: & ipse sit etiã causa finalis mulieris . *Ideo debet mulier velamen habere.* Græcè ἐξουσίαν,id est,potestatem quæ per illud velamen indicabat *supra caput suum.*

Sed hîc restat scrupulus certè non prætereundus. Si enim(vt positum est)gloria viri mulier est, vir autem est gloria Dei: Cur mulier velare caput suum debet , vt sic viri in se potestatem ostentet, in se potestatem Christi? Si enim caput est mulieris vir,& ideo illa debet velare suũ caput : Cur vir non velabit caput suum,quò se sub potestate recognoscant cum Christus sit caput eius?

Respondetur ex ipso Apostolo, ipsam rei naturam hanc diuersitatem constituere.Quisque enim iuxta modum suum obseruat superiorem & honorat.Si ergo naturale essẽt viro nutrire comã , sicut est mulieri , pari modo glorificare deberet Christum suum caput,sicut mulier virum suum,videlicet velando proprium caput. At verò cum natura turpe sit viro velare caput: iccirco absque velamine coram Deo apparere debet vel orans,vel prophetans . Quòd autem viro turpe sit velare caput, proba-

probatur,quia turpe est illi naturaliter nutrire comam.Mulieri autem hoc nedum turpe,sed gloriæ illi est,& magno decori.

Subrepit & alia quæstio.Nam videtur vir adeptus potestatem in mulierem propter peccatum,& non natura.Sic enim habetur in sententia Domini:Sub viri potestate eris,& ipse dominabitur tui. Respõdetur:Alius dominatus nunc est qui in pœnam ei datus est,quàm qui fuisset prior.Honorabilis enim ille tunc fuisset:nũc verò mulier quodam modo ancilla est.Sic etiam post peccatum, dominus est homo bestiarum,qui tamen antea alio dominatu fuisset eorum dominus. *Et propter Angelos:* Quidam intelligũt sacerdotes.Ego verò ipsos Dei Angelos,qui assistunt oranti,& instruunt, & perferunt orationes ante Deum , qui intelligunt has (vt ita dixerim)indecentias. Sed animalis homo hæc non percipit,neque credit.

*Veruntamen neq; vir sine muliere,neque mulier sine viro in Domino.*Remonet illud Apostolus, quod aliqui fortè potuissent ex hac eius doctrina cogitare, videlicet,Cũ gloria viri sit mulier,& viri Christus, non pertinere ipsam mulierem ad Christum . Sed Absit.Etenim vt in Domino inuenitur vir nõ sine muliere(quia non erat bonum virum esse solũ) ita & mulier non sine viro.*Nam sicut mulier de viro,ita & vir per mulierem.*Mulier ab initio de viro fuit,& semper postmodo de viro:quia ex viri semine omnis mulier producta est.Et tamen vir ipse per mulierem,videlicet in posteritate:quia præter primũ, nullus postea extitit vir,qui ex muliere non venerit.Mihi tamen lõgè magis placet,ita intelligi.Sic ut in primo Adam accidit,vt carnalis mulieris natiuitas fuerit per virũ:ita in secundo Adam,carnalis eius natiuitas esset per mulierem.Quod ad mulierum gloriam plurimum facit,vt mereretur & iste sexus inueniri in Domino. *Omnia autem ex Deo,* Vir scilicet & mulier:ideo debent in illum tẽdere, & decenti ordine adduci in Christo ad illum.

*Vos ipsi iudicate.*More suo admonet,vt consulant vel ipsam naturam in vnoquoque docentem.Gręcè melius,In vobis ipsis iudicate,& sicut ipsa natura vos docet,*Decet mulierem non velatam orare Deum?*Nam hoc esset in superbia orare,& non profiteri ordinem Dei in se:cum se sub viro esse in ea actione minime profiteretur,sed quasi nulli subiectam.*Nec ipsa natura docet vos, Quòd vir quidem si comam nutriat,* vel si comatus fuerit : quod tunc est, quando comam nutrit,ignominia est illi & dedecus.*Mulier autem si comam nutriat:*aut,si sit comata, *gloria est illi : quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Quo certè signo superior habetur doctrina , ne quisquam orãs mutet quod à Deo institutum est, & insitum illi natura:sed suam eo modo profiteatur subiectionẽ,quo ipsa natura postulat.Vir quidem ostẽdat se Christo subiectum,non deturpando caput suum:& iccirco non velando illud. Mulier autem similiter non deturpando caput suum, ac per hoc sicut natura postulat velando.

In contemptores cæremoniarũ. Et hæc notanda sunt in hæreticos,qui nihili faciunt cæremonias,sed fingunt se nobis neruũ prædicare pietatis,quem ipsimet ignorãt.Nam perinde ac si desierint esse homines , & iam angeli Dei effecti,non curant hæc cõsilia, vtpote hærẽtes per Spiritũ Deo,siue cum corpore , siue extra corpus, nesciunt. Illud tamen interim certum est , corpus eos deuouisse cõcubinæ,scilicet vt expeditius Deo absque cæremoniis seruire possint . Sed extra dignam in illos ironiam:Videant ergo si habẽt oculos,quanti hæc faciat Apostolus , quæ tamen non nisi ad cærémonias attinent.Continent tamen seria,& omni obseruatione dignissima quia & ab ipsis Angelis spectamur: & tanta vehementia hæc commendat Apostolus,vt etiam addat:

*Si quis autem videtur contẽtiosus esse,nos talem consuetudinem non habemus,neque ecclesia Dei,*siue, ecclesiæ *Nota pro autoritate ecclesiæ.* Dei,vt Græci codices habẽt. Nota lector,& alliga verba hæc Apostoli cordi tuo , quò te ab infinitis importunarũ quæstionum turbis tutò explices.Ecce in quo tandem argumento ipse residet contra contẽtiosos:certè non alio(quia nec aliud erat validius)q̃ in consuetudine ecclesiæ fundato.Quodq; est adhuc mirabilius animaduertẽdum,non ea solùm quæ obseruat ecclesia esse suscipienda,verùm etiam quę non obseruat,omnino esse fugienda.Et vocat hic contentiosum(φιλόνεικος Græcè legitur)id est,amatorem & cupidum victoriæ.Tales sunt hæretici,qui gloriam suam pro fine statuunt suæ contentionis.Quo fit vt nihil à veritate moueantur,etiam si illam perspicuè nouerint:imò contra agnitam veritatem perpetuò contendunt sola ea ratione,quã apud ignaros vicisse videri possint.Nonne hæc B.Pauli sententia pro consuetudine eorũ quæ obseruat & colit Ecclesia,satis esse deberet piis mẽtibus ad satisfactionem,& si scripturarum testimonia & sanctorum Patrum sententiæ non extarent. Quam multa sunt quæ perpetuo vsu vigent in ecclesia,potissimũ circa sacramenta,delectum ciborum,cæremoniarum decorum,tam in vestimẽtis, quam vasis ad cultum diuinum idoneè persoluendum instituta?Hæc ab Apostolis instituta,à.s.Pontificibus pro conditione temporum aucta,ab ipsis Catholicis religiosè seruata , quæ possunt ratione defendi efficacius,quàm à consuetudine & perpetuo vsu ecclesiæ, quã regit Spiritus veritatis? Vim Apostolici argumenti sentiunt hęretici,qui nec de ea re disputare tandem voluit, sed conclusit dicẽs: Nos talem consuetudinem non habemus , neque ecclesia Dei,vt scilicet non disserentis solertia, sed præcipientis attendatur autoritas. Et hoc in contentiosos:quos gloriæ cupiditas cogit,vt victoriæ postponant veritatem . Ideo ij proprio vocabulo appellari debent contentiosi.

Occurrit autem de superioribus nonnulla quæstio : Quoniam supponit B.Paulus mulierem nedum orãtem,verùm etiam prophetantem, & hoc in ecclesia.Qui tamen inferius ait:Mulieres in ecclesiis taceãt.Quæstionis autem huius solutio seruabitur suo proprio loco paulò inferius.

Est verò & nata quæstio de barbis nostro tempore noua consuetudine gestari solitis. Ecquid sit decentius in clericis ac prælatis,vtrum gestare barbam,an verò radere . Quo casu si naturam primò *Quæstio de rasura barbæ in clericis.* consulimus,credo decẽtius esse vniuersaliter, viro gestare barbã:hoc enim virile signũ est . Patet enĩ in viris barbã natura pullulare & crescere , non in fœminis.Si spectamus exẽpla maiorum:haud dubium in primis de ipso Domino qui barbã gestauit.Idẽ creditur & de Apostolis. Nam vt Epiphanius testatur cõtra hæreses,hoc ipsi Apostoli inter *Epiphani° li.3.to.2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

canones tradiderunt, ne raderemus barbam. Est in canone concilij Carthagin. Clerici neq; comã nutriant, neque barbam radãt, licet in libro Decretalium verbum illud, radant, rasum sit. Illud certum est, ecclesiam Orientalium & Græcorum & Afrorum, eam habuisse cõsuetudinem semper gestandi barbã. Sed plerique molestiæ gratia tonderi volunt.

Hoc autẽ præcipio non laudans, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandũ. Et alius quidẽ esurit: alius autẽ ebrius est. Nunquid domos non habetis ad mãducandum & bibendũ? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc nõ laudo. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: quoniã Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meũ quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamẽtum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescũque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicẽ bibetis, mortem Domini annũtiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autẽ seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit, non diiudicãs corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbeciles, & dormiũt multi. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Dũ iudicamur autẽ, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo dãnemur. Itaq; fratres mei, cùm cõuenitis ad mãducandum, inuicẽ expectate. Siquis esurit, domi mãducet, vt non in iudiciũ conuenia tis. Cætera autẽ, cùm venero, disponam.

Hoc autem præcipio, &c. Hic octaua pars de conuenientia ad sumẽdum Eucharistiam. At cum res esset grauissimi momẽti ac præiudicij, duo protestatur, quibus excitat legentiũ animos. Alterum se ea præcipere quæ deberẽt facere, & à quibus cauere. vnde ait, *Hoc autem præcipio*. Alterũ se nequaquam ea laudare, quę ea in re inordinatè obseruabant, cũ superius eos commẽdasset & laudasset. At non in hoc, vnde subdit: *Non laudans*. Quid autem sit hoc qd̃ non laudat, declarat. *Quod non in melius, sed in deterius conuenitis*, sensus est: Conuenire vos in vnum ad sumendã gratiam & panem cœli, non tendit in melius, nec prodest, sicut prodesse deberet. Conuẽtus enim ecclesiæ fit ad bonũ, vt per multos magis glorificetur Deus. Quod enim publicè fit & cõmuniter simul à multis, magis placet Deo, quàm si priuatim ac particularim fieret. At vester conuentus magis nocet, & in deterius cedit. Causam autẽ huius rei cum ipso facto mox explicat.

Alij autem ita exponũt. Hoc autem præcipiens, videlicet de velamine (vt dictum est) Non laudo quòd non in melius, &c. vt per hoc velint esse præceptum ab Apostolo, licet παραγγελμα, non solùm præcipere, sed etiam monere significet.

Primum quidẽ conuenientibus vobis in ecclesiam audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. Superius videtur omnino fuisse persuasus de scissuris, quæ erant inter eos concitatæ. Cur hic ergo ait: *Et ex parte credo?* Nisi fortè, & si nosset esse scisuras, de quibus supradixerat: Ego sum Pauli, Ego Apollo, &c. nõ tamen poterat omnino credere tanta inter eos extare dissidia, vt vel in ipsis ecclesiis, & præcipuè in synaxi manifestarẽtur. Ideo vniuersam hanc eorum insolentiam hoc in loco complectitur, dum ait: *Conuenientibus ergo vobis in vnum, &c.* Et hoc ex parte credebat, sapienter id quidem. Plerunq; enim ij qui aliorum errata & peccata deferunt, ea exaggerare, & de suo aliquid addere solent, maliuolentia quidem non pauci: immodico etiam fortè zelo ali qui. Cur autem fuerit ad credendum adductus, ad Dei prouidentiam aspiciens, declarat.

Nam oportet hæreses esse. Græcè dicitur, in vobis. Ista autem necessitas, nõ est simpliciter & nudè intelligenda, sed supponenda est ex diuina permissione. Posita enim eorũ inclinatione, & deliberata voluntate, Deique obsistere nolẽtis permissione, iam huius effectus absoluta necessitas cõsequitur. Neque propterea qui iniquè agunt, quique tranquillum ecclesiæ statum labefactare non metuũt, excusantur: quia & sponte faciunt, & antea in eorum erat potestate positum, ne facerẽt. Nec est incusandus Deus qui permittit, cum illius non sit rerum ordinem & naturas violare. Et quodcunque ipse malum euenire sinit, ob aliquod bonum permittit quàm sapientissimè & clementissimè. Omnes enim (teste B. Augustino) inimici ecclesiæ, quocunq; excœcentur errore, vel malitia depraueẽtur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam. Si tantummodo male sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam. Vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius charitatem. siue cum eis suadibili doctrina, siue terribili agatur disciplina. Multa quippe ad fidẽ catholicam pertinẽtia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur: & ab aduersario mota quæstio, discẽdi existit occasio. Quapropter multi vt veritatem Dei videant & gaudeant, per

hæreticos de somno excitantur. Vtendum ergo sapienter istius diuinæ prouidentiæ beneficio, non vt hæreticorum probentur errores, sed vt catholicam disciplinam aduersus illorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, licet eos ad salutem reuocare nõ possimus. Multi enim qui optimè possunt scripturas dignoscere & pertrãctare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quæstionum, cum calumniator nullus obstarer. Ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cum nobis insultant, & vel quæ ignoramus interrogant, excutiamus pigritiam, & diuinas scripturas nosse cupiamus. Et hæc diuinæ prouidentiæ tribuenda est dispositio: non quia ipsa peccatores facit, sed quia ita ordinat cum peccauerint. Vnde rectè subdit rationem Apostolus, aiens:

Vt & qui probati sunt manifesti fiant in vobis. In hæresibus enim qui probi sunt & à Deo probati, manifestantur cum se opponunt hæreticis, & semper præualent. Caietanus non intelligit hunc locum de hæresibus, vt sumitur à Theologis: quoniã non oportebat apud eos (inquit) esse tales hæreses. At hoc est cõtra communem aliorum expositionem, & sensum: imo contra ipsum Apostolum manifestè, vt apparebit infetius, cum essent inter eos, qui & resurrectionem mortuorum negarent. Et ridiculum est, quòd moueatur ex verbo Græco, cum, hæresis, significet propriè sectam: quasi verò hæreticorum non sint sectæ, & hæretici non sint (vt ita dicam) sectatij. Quem igitur significauit, quando dixit: Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita. Certè ex vocis proprietate, hæresis significat electionem, qua quis alicui opinioni hæret: quæ vox frequenter, & vsitato apud Catholicos loquendi more, fermè semper in malam partem sumitur. Et hoc in loco ita sumi debet, cum addat, *Vt qui probati sunt manifesti fiant*, contra ipsos scilicet hæreticos insurgendo. Et hoc est magnum bonum, quod prouidentia Dei nobis ab hæresibus procurat. Suppositа enim hæreticorum malignitate, per quos sua venena propinat satan, & suã instruit aciem: Deus ex opposito viros ecclesiasticos & Catholicos præparat, qui eos prodant, & ostentent, & ipsorum pernitiosam doctrinam gloriosè producant, & ostentui ponant. Melius est enim manifestari hæreticos quàm latere: quoniam magis dum latent, officiunt. Sed hæc omnia in hac nostra ætate mirificè licet agnoscere.

Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, videlicet sectas habendo, ac ibi fouendo, contra Dominicæ cœnæ rationem, quæ præcipuè vnitatem exigit cordium in Christo. Declarat autem istas illorum diuisiones, quas credibile est venisse propter hæreses. *Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandũ*, id est, quilibet sine altero præoccupans vult manducare, non idem sentiẽtes. Et quoniam etiam ditiores afferebant lautiores atque abundãtiores pro seipsis epulas, ideo ait. *Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est.* Hinc accipitur, qui olim communicabãt, volentes cœnam Dominicam repræsentare ex illa deuotione, verè cœnabant & non sumebant Eucharistiam ieiuni. Hinc efferuntur hæretici, & vituperãt traditiones ecclesiasticas quasi nouas, post quam nostro tempore minimè ita fiat. Quasi verò Apostolus laudet illum morem, quem acerrimè reprehendit, vt ex quo multa inconuenientia sequerentur. Vtinam æqui arbitri iudicent quid sit melius. Vtrũ miscere cœnam cum cœna: & prius corpori quàm animæ satisfacere: An verò prius sumere cibum animæ & salutis, & auferre istas occasiones ad confusionem & præsumptionem aptas. Nec enim omnium quæ fecit Dominus etiam nobis in exemplum exhibuit. Alioquin etiam circũcidi deberemus, & quadraginta dies absq; vllo penitus cibo tãsigere, & mortuos suscitare, & infinita miracula edere. Cœnã ergo illam fecit Dominus, vt impleret quæ legis erãt, & nunc antiquata sunt. Error igitur esset & peccatum, si nos vellemus simili modo ante sacrificium, & esum veri Agni cœlestis, agnum veterem carnis manducare, aut quicquam illius loco. Quin ea consuetudo patrũ adhuc durauit, & vt ex verbis B. Augustini colligere perspicuè licet, ab ipsismet Apostolis fuit emendata, cuius tempore nulla penitus ecclesia communicabat nõ ieiuna, sed eius verba audiamus, qui postquam liquido in euangelio patẽre ait, Dilcipulos corpus & sanguinem Domini non accepisse ieiunos, subiũxit directo contra nouos istos sapientes. Nunquid tamen propterea (inquit) calũniandum est vniuersæ ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritusancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propter ea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum accedere debent: aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emẽdat, mensis suis ista miscere. Nanque Saluator quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum voluit hoc infigere cordibus & memorię Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et id eo nõ præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. hæc ille. Ecce ipsemet Apostolus incipit illum morem reprehendere, aiens:

Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? scilicet, vt ibi positis carnalibus epulis expleri? *Aut ecclesiam Dei contemnitis?* Ecclesia contemnitur, quando vnitas non diligitur: & cum alius alij sese præfert, & quasi se eo facto ab aliis segregat. *Et confunditis eos qui non habent?* Cõfunduntur enim ista comparatione obiecta. Nam pauper iuxta diuitem positus confunditur, id est, pudore magno ob penuriam afficitur.

Quid dicam vobis? Laudabo vos? &c. ac si dicat. Quãquam laudem vos in multis, in hoc tamen laudare non possum. *Ego enim accepi à Domino, &c.* ac si dixerit, Nõ fictum est hoc à me, sed Dominus mihi hoc reuelauit. *Quoniã Dominus Iesus in qua nocte*, vocat noctem, tẽpus illud quando Dominus egit mysterium: quoniam erat vespera, & dies inclinabat in noctem, *tradebatur*: quia tũc valdè meditatus est exequutioni mandãdam eius proditionem Iudas: & ab eo tunc re ipsa apostatauit. *Accepit panem*, scilicet cõmunem panem, & azymum, cum iam dies essent azymorum, contra Græcorum opinionem.

B. Aug. ad Lanu. lib. 1.

Antiquus mos conuenendi ad Eucharistiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et gratias agens,id eſt,cum egiſſet gratias. Ita enim Græci ſermonis vis exprimitur. Et ideo ſi nolimus proteruire, iam Dominus ſacrificarat: hoc enim fuit gratias agere. Iſtud dico propter hæreticos, qui negant Chriſtum ſacrificaſſe in cœna, vt ex hoc periclitetur quod ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Fregit, & dixit: Accipite & manducate.* Erat ergo iam conſecratus panis,& de eo dixit: Accipite & comedite,& non de pane communi,qui iam vlterius non erat:& ſpiritualem acceptionē & comeſtionē potius (quæ fide fiebat) illis verbis ſignificabat, quàm ſenſibilem. Neque eſt credibile quouis modo voluiſſe mutuò eos manibus ſuis cibum illum ſanctū accipere,& ſibi tradere illas ſpecies, ſed propriis manibus ipſemet Ieſus cōmunicauit eos: licet quidam aliter putent quàm ineptiſſimè.

Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur. Ita enim habetur in Græcis:& hac forma etiam nūc, id

Nota hæc.

eſt, his verbis: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, Græci vtuntur, & congruè quidem. Eleganter enim ſignificatur, quòd aſſiduè ſui corporis fractio eſt in eccleſia, ſicut expoſitum eſt, ſcilicet in ſacramēto. Imò tunc re ipſa, nempe in illa die cœnæ incœpit, cùm deſuper permiſſa eſt aduerſariis omnis poteſtas in dominum ſæuiendi.

B. Lucas ait: Quod pro vobis datur, ſimiliter in præſenti. Et de ſanguine dixerunt B. Matthæus & Marcus ſimiliter in præſenti. Qui pro vobis effunditur, vt hoc ſemp fieri in eccleſia intelligeremus commemorando, vnde & effectus eius continuus eſt. Erat ergo iam corpus Chriſti, quando dixit illa verba: Hoc eſt corpus meum. Et hoc poſito & recepto, ceſſant infinitæ quæſtionum ambages, & pleraque abſurda.

Hoc facite in meam commemorationem. Hìc dedit eis poteſtatem conficiendi ſacrificium, cum iuſſit hoc eos facere:& pręceptum eſt vt faciant, id eſt, vt ſacrificent, idque faciāt in ſui commemorationem, in commemorationem inquam ſuæ mortis, nimirum immenſi ſui erga nos amoris, quem oſtendit in illa morte, ad quam pro nobis ſe obtulit: quæ res hoc myſterio commemoratur, vt eius ſacrificij

Notent ſacerdotes qui nunquam, aut ferè nunquam, ſacrificant.

fructus in hoc nouo ſacrificio capiatur. Quare grauiter (vt ad Rom. iam monuimus) peccant,& contra Domini pręceptum, ſacerdotes & epiſcopi qui non celebrant, aut ferè nunquam celebrant, vt fruſtra tātum miniſterium & poteſtatem acceperint. Quòd verò omnes qui ſacris interſunt, teneantur ſacramentum accipere (vt aiunt hæretici) nimium eſt. Nam & eccleſiæ Dei hunc morem iam à ſæculis non habent: nec eſt præceptum Chriſti de hoc vllum expreſſum. Quod enim dixit: Manducate ex hoc omnes: &, bibite ex hoc omnes, etſi dici poteſt quòd ad Apoſtolos directus fuit hic ſermo: at tamen volumus etiam ad omnes pertinere, vt omnes teneantur aliquando manducare,& bibere ſacramentaliter,& non quoties aſſiſtunt ſacris. Vel ſi etiam fateamur, quoties aſsiſtunt ſacris omnes teneri ad manducandum ac bibendum, intelligendum eſt de manducatione & potu ſpirituali, non ſacramentali. Etenim quilibet tenetur quùm aſsiſtit,& celebrari videt hoc ſacrificiū, & edi à ſacerdote, fide ac deſiderio, & auiditate accipere, & ſe membrum Chriſti profiteri. Quod eſt manducare & bibere ſpiritualiter. Idque ſatis eſt, donec loco, & tempore ab eccleſia pręſtituto, etiam ſacramentaliter manducet.

Similiter & calicem, videlicet accepit, *poſtquam cœnauit,* cœnam, ſcilicet, agni veteris, *dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Calix eſt nouum teſtamētum: quia complectitur ſanguinem, in quo eſt nouum teſtamentum. Vt qui crediderit & potauerit ex eo, filius Dei intelligatur, & hæres inſtitutus in Chriſto. *Hoc facite quotieſcunque biberitis in meam commemorationem.* Et quæ ſit commemoratio declarat. *Quotieſcūque enim manducabitis panem hunc,* Panem hunc dixit, vt ſignificaret cœleſtē panem vnum eſſe, de quo omnes participamus. *Et calicem bibetis,* id eſt, ſanguinem qui continetur in calice. Non enim bibitur calix, ſed quod eſt in calice bibitur: *mortem Domini annunciabitis,* illud ſcilicet maximum beneficium, quùm dedit ſemetipſum in mortem pro nobis: *donec veniat,* id eſt, donec in aperto ſe nobis oſtendat in poteſtate ac maieſtate, vt fruamur perfecto gaudio.

Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicē Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Hoc videlicet modo reus: quia nō acceptat pro ſe mortem, quam Dominus paſſus eſt pro illo: quo fit vt ſit ei mortuus gratis. Et hoc eſt occidiſſe illum: vt rei conſtituantur eius mortis, quibus gratis mortuus inuenitur. Oēs enim occidimus eum, ſed nō omnes rei ſumus mortis: ſed ij ſoli qui eius mortem non accipiunt in ſalutem, ſed contēnunt. Hi, inquā, ſunt rei corporis & ſanguinis Ieſu: quia mortuum fruſtra,& illum fruſtra fudiſſe ſanguinē ſuum volunt: quem ipſi ſatis effuderunt, cum pro illis effuſus fuerit. Iure igitur qui ſic contēnit Chriſti mortem, eius mortis ſit reus. Cōtemnit autem ille qui indignè ſumit. Ideo ait:

Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Hinc accepit Caietanus, quòd non tenetur quis confiteri peccata ſua ante Euchariſtiæ ſuſceptionē, etiam conſcius ſibi de peccato mortali. Satis eſt enim, inquit, probare ſeipſum, quod exigit Apoſtolus. Probat autem ſeipſum ſatis, quem peccati pœnitet,& cōteritur. Hoc dogma tāquam nouum, atq; admodum pernitioſum multi meritò reiecerunt. Ego verò hac de re in Annotationibus ad hominem latius ſcripſi. Nunc ad rem, illud ſolū commemoro, id commēti vel ex hoc iſto loco reprobari: Quoniam tunc verè probat ſeipſum homo, quando ea facit, ex quibus probatus redditur. Nemo autem in mortali peccato exiſtēs poteſt iudicare ſeipſum,& eſſe mediator inter ſe & Deum: quæ res pertinet ad probationē. Et verè male contritus oſtenditur, qui cum poteſt habere Dei iudicium per ſacerdotem, ſuo ſeipſum iudicio probat, ſi hoc tamen ſit probare. Nam quemadmodum ſi cui diceretur, vt omnia ea faceret quæ ad probandum aurum requirerentur, non ſatis ei eſſet ſi ſolo probaret aſpectu, aut tactu, aut pondere, ſed opus inſuper eſſet incude & igne,& ſi quis alius probādi modus vel per ſe, vel per alium exigeretur: Ita in re propoſita, vt ſit quis probatus, requiritur & confeſsio,& ſacramentalis abſolutio.

Et vana eſt illa diſtinctio, qua aiunt poſſe quidem hominem ſumere dignè,& ſimiliter indignè: & tertiò, nec dignè nec indignè. Et huiuſmodi eſſe

illum qui ſe per ſeipſum ſic probat ſuo iudicio. Nouitium eſt enim commētum hoc, inuenire ſcilicet medium in propoſito inter dignum & indignum. Equidē dari medium nō arbitror, ſed eum dignum eſſe puto, quicunq; non ſit indignus. Nec ab Apoſtolo expectare fas eſt, vt velit ad rem vanam inuitare hominem: ita vt legitimè probatus, & iuxta ipſius præceptum accedens, poſſit non re-

Ioan. 6.

cipere gratiam. Dominus enim dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet,& ego in illo. Modo B. Paulus exigit, vt probet ſe homo. Poteſt ergo probare ne indignè accipiat, ac propterea dignè.

Sed extiterunt aliqui, quibus dum videretur poſſe hominē (ſi hic locus ad eum ſenſum intelligeretur) de ſua præſenti gratia certiorem fieri, hunc ſenſum admittere recuſarūt. Si enim poteſt quis probare ſeipſum, ita vt inueniat ſe dignum: poterit ergo ſcire in ſe Chriſtum inhabitare per gratiā: quod tamen vt abſurdum reiiciunt. Quaſi verò id Apoſtolus non alibi prędicet, & ipſe Dominus. Sed de hac re aliàs ſcripſi. Volo tamen vt lector nouerit,

In Caietanum.

Caietanū in eadem pagina hic ſibiipſi aduerſantē, qui ad illa verba. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, &c. in hunc modū ſcripſit. Declarat aliam particulam verborum Domini, ſcilicet, manducate,& bibite. Declarat autem diſtinguendo duplicem manducandi & bibendi modum, videlicet dignè, vel indignè. Et hinc ſumūt Theologi diſtinctionem illam de manducatione, ſeu bibitione ſacramētali, vel ſpirituali. Et verè hinc habetur quòd aliqui manducant, & bibunt ſacramentaliter tantùm, quos Paulus appellat manducare vel bibere indignè. Aliqui verò ſumunt ſacramētaliter & ſpiritualiter, qui hic appellantur manducantes, ſeu bibentes dignè. Hæc ille, aduerſus quem hoc inde dilemma colligitur. Quilibet qui ſumit Euchariſtiā, Aut ſacramentaliter tantùm manducat: Aut etiam ſpiritualiter. Quæro igitur de iſto qui nō indignè. Si dicis, Sacramentaliter tantùm manducat: ergo indignè (vt ipſemet cōfiteris) quòd eſt tamen contra poſitum. Aut etiam ſpiritualiter: ergo dignè, quod infringit tuammet doctrinam, quam paulò poſt tradis Caietane. Et reuera ſic accidit iis qui per anfractus diſcurrentes, à recta decadunt.

Qui enim manducat & bibit indignè, iudiciū ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quidnā eſt iudicium ſibi manducare ac bibere, niſi damnationem æternam? Et hoc quamobrē, niſi quia qui ita manducat & bibit, nōn diiudicat corpus Domini? Et quid eſt non diiudicare corpus Domini, niſi neſcire quid ſit illud corpus, quod ſumitur in ſacramento,& quid ſignificet? Significat autem vnionem per fidem & charitatem in illum, quam in illo myſterio proteſtamur. Quæ res cū deprehendatur non eſſe in ſumēte, quid aliud eſt quàm mentiri Deo,& rem Dei, omni tamen veneratione dignam, contemnere?

Ideo inter vos multi infirmi, non acquirentes ſcientiam. *Et imbecilles,* non potentes reſiſtere tentationibus. *Et dormiunt multi,* ſomno negligentiæ. Aut (quod peius eſt) ſomno mortali culpæ ſoporiferę. Quod eſt valdè notandum: quoniam accedentes, & tractantes hoc ſacramētum indignè, tales fiunt. Sed econuerſò accidit his qui dignè.

Vtinam hodie non hæc nimis vera eſſent. Non me latet hunc locum exponi ab aliis de infirmitatibus corporis, & de ſomno mortis: quibus non obſto. Nunc ſaltem ſpiritualiter veriſſimum eſt quod dico,& vehementer dolendum.

Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Sed quis ad ſeipſum iudicandum idoneus? Eſt quoddam iudicium autoritatis, de quo mētionem ſuperius fecit Apoſtol[us]. Qui me iudicat Dominus eſt, quod eſt ſolius Dei. Hic verò locus pertinet ad iudicium, quod diſcuſſionis vocant: quaſi diceret, Si quis bene & diligenter conſcientiam ſuā diſcuteret,& ſemetipſum verè accuſando, iudicādoque dignum morte confiteretur, & tamen imploraret miſericordiam: hic certè nō iudicaretur. Mihi non diſplicet ita exponere Apoſtolum, vt loquatur de iudicio quod eſt per mutuam confeſſionem inuicem: nō vt quiſquam ſemetipſum iudicet, ſed alter ab altero. Et hoc eſt noſmetipſos iudicare. Alioqui quo pacto (quæſo) Deus dignatur ignoſcere, quod in ſeipſo homo dedignatur agnoſcere? Peccata ſiue parua, ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt: quia aut homine pœnitēte, aut Deo iudicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana. Amat enim Deus pœnitētibus parcere,& eos qui ſemetipſos iudicant, non iudicare. Quod ſi faceremus, non vtiq; iudicaremur. Effugeremus enim diuinum iudiciū, iudicati iam prius per noſmetipſos: quod declarat etiam amplius. *Dum diiudicamur enim,* ſcilicet inuicem, *à Domino corripimur,* cuius vicem tenet in eccleſia ſacerdos, qui iudicat abſoluēs, atq; imponēs ſatiſfactionis pœnam: *Ne cum hoc mundo damnemur.* Mundum vocat mundanos homines, id eſt, mundi amantes, quos manet extremum iudicium, cui reſeruantur. Sancti autem & probi viri hic in mundo ferunt iudicium Domini. Et ſic incipit (vt teſtatur Apoſtolorum Princeps) à domo Dei iudicium.

Itaque fratres mei cum cōuenitis ad manducandū, &c. vt non in iudiciū conueniatis, videlicet, manducantes indignè fracto inter vos charitatis vinculo.

Cætera autem cum venero diſponam. Quænam ſint hæc cætera, non aperit. Et hoc contra recentiores noſtræ ætatis ſapientes, qui volunt omnia quæ fecerunt Apoſtoli eſſe mādata literis, & non potius multa abſq; ſcripto,& quaſi per manus nobis tradita, quæ etiam neceſſe eſt cuſtodiri, & obſeruari ab eccleſia, quùm longiſſima conſuetudine firmata ſunt.

CAP. XII.

DE ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. Scitis autem quoniam cum Gētes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini, euntes. Ideo notū vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt: idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt: idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatũ in vno Spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.

De spiritualibus, &c. Hic nona pars, vbi loquitur quatenus vrendum sit spiritualibus donis, quæ tunc maxime apparebãt, vt linguis loqui, prophetare, & huiusmodi: quoniam circa hæc etiam plurimum errabant, sicut peruium est errare imperitis, & qui non sunt rectè ab iis instructi, qui Spiritus canones tenent, & qui non ad prudentiam carnalium hominum ducuntur. Ait ergo:

Nolo vos ignorare fratres, id est, non permittã hanc in vobis ignorantiam, vnde error pernitiosus contra vnitatem ecclesiæ manat, quæ cum maxima diligentia sarta tecta seruari debet. *Scitis autem, quoniam cum Gentes essetis, &c.* Latini codices non habent perfectam constructionem, sicut habet Græca lectio in hunc modũ. Scitis, quòd Gentes eratis ad simulachra muta, vt ducebamini, abducti. Non ab re verò primo loco eorum statum & viam commemorat, cum essent Gentes, quæ ibant ad simulachra muta non suo proprio spiritu impulsi, sed vt ducebãtur, videlicet, à sacerdotibus & maioribus, & ab impulsu diaboli interiore. Voluit autẽ significare, Quemadmodum olim erat eis spiritus malus in malum impellens: ita nunc datũ esse eis nouum & bonum Spiritum Dei impellentem in bonum. Quod vt cognoscerent, & valerent iudicare, primò statuit fundamentum solidum, & ait:

Ideo notũ vobis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquẽs, dicit anathema Iesum. Anathema autem significat quid sepositum & segregatum, tanquã execrabile. Frequentius enim in malam partẽ: & in hanc significationem hoc in loco sumitur. *Et nemo potest dicere dominum Iesum*: sic habet Græca lectio, melius q̃ Latina, quæ dicit. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus.* Potest enim vel diabolus ipse dicere materialiter hæc verba: & possunt à quolibet proferri, & nunc etiam à multis inimicis crucis Christi proferũtur, idque crebrò repetita. Sed reuera non est aliquid enunciare, sic dicendo. Dicere enim Dominus Iesus, cuiuslibet est linguam habentis: quia neque affirmatio est, neque negatio. Sed dicere Dominum Iesum, id est, dicere quòd Iesus est Dominus (quoniam hoc verum est, nec sciri valet, nisi reuelatione) ideo non potest contingere, *nisi in Spiritu sancto.*

Dicere, quid propriè significet.

Et aduerte quod hic, dicere, intelligitur, nõ cum quis solo verbo externo profert, sed interno, dum mente approbat quod dicit, tãquam verum. Nam hoc est propriè dicere, vt quidam Iurisconsultus eleganter docet. Non enim verè quis censetur illud dicere, quod mente prius non cogitauerit, & vt verum approbauerit. Naturaliter nanque interpres cordis est lingua. Ecce Spiritussanctus non potest male testari de Domino, quod sit Anathema, quippe qui est Spiritus veritatis: Et (quod maius est) nullus spiritus potest impellere ad hanc confessionẽ, quòd Dominus est Iesus, nisi Spiritussanctus, vt intelligas humanam intelligentiam, aut sapientiam ad hoc non se extendere.

Verùm occurrit hic dubium, cum Diaboli confiteantur illum Dominum, vt nemo debet dubitare: Nunquid ergo in Spiritusancto etiam illi? Potest hoc quidem concedi: quoniam omnis veritas à quocunque dicatur, à Spiritusancto est. Et nihilosecius dici potest, quòd dicere Dominum Iesum etiam probando sic esse, dupliciter potest contingere. Vno modo sola probatione intellectus: quod faciunt dæmones. Altero verò modo etiam voluntate probante, id est, cum reuerentia & sum missione: hoc autem ipsi facere non possunt. Et hoc tamen est planè & perfectè dicere Iesum Dominum. Et sic intelligi oportet (ni vehementer fallor) hoc in loco.

Diuisiones autem gratiarum sunt, sed idem Spiritus qui donat. Hanc doctrinam inducit Apostolus volens occasiones schismatum, & sectarum radices euellere, vt quilibet cõtentus sit dono & sorte sua. Ideo ait: *Diuisiones gratiarum*, siue donorum *sunt*, ac si dixerit, non omnia data sunt omnibus. Vnus enim solus fuit, cui non est datus Spiritus ad mensuram. Et vnus Spiritus inuenitur largitor gratiarum. Si enim diuersi essent donatores, posset iusta esse causa sectarum, vt quisque pro suo autore doni æmularetur. *Et diuisiones ministeriorum sunt.* Verè plura sunt ministeria in ecclesia, vt ministerium verbi, prædicationis, & variæ dispensationis sacramentorum. Et tamen idem est Dominus, cuius imperio hæc ministrantur. *Et diuisiones operationum sunt.* Vox Græca significat efficaciam quandam in operatione, quam Deus concedit nonnullis, qui incumbũt spiritualibus exercitiis, *Idem verò Deus.* Vide hic quomodo quem appellauit Spiritum, eundem & Dominum vocat & Deum, *qui operatur omnia in omnibus*, non in singulis omnia, sed in omnibus: quia totum corpus ecclesiæ habet omnia: Membra autem pro suo captu atque officio. *Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Sunt spiritualia dona, quę peculiariter serui & ancillæ Dei habent, vt sibi habeant, non vt manifestent, qui in corde dicunt: Secretum meum mihi. Et sunt alia quæ Deus vult etiam manifestari ad vtilitatem ecclesiæ: propter quod dixit:

Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Et hoc exemplis ostendens, subdit: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, &c.* Differt à sapiẽtia, scientia: quia sapiẽtia versatur in notitia causarum, & diuinorum. Sciẽtia verò est eorum quæ educuntur ex illis. *Alteri fides in eodem spiritu.* Non loquitur de fide, quæ est omnibus cõmunis, quæ habet obiectum quodcunque reuelatum est in ecclesia, sed loquitur de fide quadam practica, qualis fuit illa Petri, quãdo succinxit se, & ambulauit supra mare: quæ quidem fides est præcipuè sanctorum, & propter huiusmodi fiunt miracula.

Alij gratia sanitatum, siue dona sanationum: peruius est sensus. *Alij operatio virtutum*, aut potius efficaces operationes potentiarum. *Alij discretiones spirituum.* Hoc magnum est donum, quo inspirationes cœlestes ab infernis dignoscuntur. *Alij verò interpretatio sermonum.* Græcè linguarum, vt distinguatur donum loquendi à dono interpretandi. Loquebãtur enim etiam non intelligentes quæ loquerentur: & illud Angelorum ministerio fiebat. Nam & possessi à dæmonibus sæpè ita faciũt.

Ioan. 8.

Matt. 16.

Hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Ne putares Spiritum sanctum alligari meritis nostris ad hanc donorum & gratiarum distributionem, dixit, *Diuidens singulis.* Græcè priuatì aut particulariter, vnicuique prout vult: vt nulla alia exquirenda sit ratio, nisi benigna eius voluntas, cur illi doner illud, & non alij: quia ipse Dominus est. Satis esse nobis debet, quòd nemo (nisi qui nolit) excludit ab aliquo dono Deus ad salutem idoneo. Vnde in parabola: An non licet mihi quod volo facere? scilicet de meo. An oculus tuus est nequam, quia ego bonus sum? Quòd ergo non tibi, sed alij hoc donet: illius voluntas pro ratione est. Quòd verò non omnibus omnia? Ecce rationem efficacem affert à similitudine corporis humani, in quo inæqualitas pulchritudinem parit admirabilem.

Matt. 20.

Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnũ tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus. Nam & corpus nõ est vnum mẽbrum sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nũc autem posuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quòd si essent omnia vnum mẽbrum, vbi corpus? Nunc autẽ multa quidem membra, vnum autem corpus. Non potest autem dicere oculus manui: Opera tua non indigeo. Aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt. Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, iis honorem abundãtiorem circũdamus. Et quæ inhonesta sunt nostra, abũdantiorem honestatem habent. Honesta autẽ nostra nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat, abũdantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore: sed in idipsum pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mẽbra. Siue gloriatur vnum mẽbrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & mẽbra de membro.

Sicut enim corpus vnum, &c. Hoc magis consideratione, quàm explanatione dignum est. Si enim consideraretur, non erraretur in multis: nec esset in ecclesia confusio, neque tanta facilitate nascerẽtur schismata. *Omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus.* id est, ita est Christus mysticus, scilicet vnum corpus, & multa membra. Quo in loco notandum diligenter, Si vniuersa ecclesia consideretur seorsum à Christo, & eius respectu, corpus eius dicitur, sicut corpus dicitur respectu capitis. Si autem cum ipso Christo capite cõsideratur ecclesia, illud totum corpus cum Christo, etiam dicitur Christus: quia Christus nobiliorem partem totius corporis tenet. Totum enim à nobiliore parte denominatur. Nam & qui Paulum dicit, omnes eius partes, ex quibus conficitur, dicit: quarum tamen nulla est Paulus. Ita est Christus mysticus, qui cõstat ex capite, qui est ipsemet Christus Dei Filius & virginis, & ex ipsius membris, qui sumus nos. At ne videretur aliquid fictum & nouum, declarat quo pacto hæc vnio fiat membrorum cum capite, & ait:

Nota de corpore Christi mystico & mẽbris eius.

Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Sicut enim vnum corpus vno spiritu vnum est, & viuit (quia spiritus vitæ colligat inuicem cuncta membra) ita & Christus hoc mysticum corpus per vnum spiritum conflatur, quod vnitur & viuit. Et hoc quia fit in baptismo, ideo sequitur: Baptizati sumus in vnum corpus, cum vnus sit Spiritus. Sic enim intramus omnes in Christũ, & nascimur. *Siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi.* Ponit hæc duo diuersa genera, in quibus maxime discrepãtia videbatur, ne possent coire in vnum. Primùm propter legem Moseos, quæ diuidit Iudæos à Gentibus. Secundum propter legem mũdi, quæ separat à seruis liberos. Sed Christi lex quæ est charitas, coniungit omnia: & omnibus legibus superior existens, debet præhonorari. *Et omnes in vno Spiritu potati sumus*, id est, eandem doctrinam imbibimus, quæ est cibus & potus animæ.

Ex hoc loco grauis exoritur quæstio. Videtur enim Apostolus nõ admittere inter Christi membra, nisi eos solos qui nati sunt per baptismum, accipientes ibi Spiritum regenerationis, si modo eodem Spiritu potentur. Qui igitur mortali delicto tenentur, non sunt membra Christi, nec pertinent ad corpus eius. Si autem non sunt membra Christi, non pertinent ergo ad illos hæc dona Spiritus, vt videtur sentire, imo & docere Apostolus, vt etiam Caietanus notat. Quòd si ita est: Pastor ergo malus, non erit pastor. Et ita dona alia, quę gratis data vocantur, non autem gratum facientia, nõ poterunt conuenire cum peccato: quod est contra theologiam scholasticorum, imo & sanctorũ Patrum.

Nos igitur hoc in loco breuitati (more nostro) studentes, Dicimus quencumque natum ex Spiritu, siue re ipsa baptizatus sit, siue ex voto baptismi quouis modo renatus ex Spiritu, membrum esse

Universidad de Deusto Biblioteca

Christi: quia per Spiritũ vnitus eſt illi. Si verò ad baptiſmum fictè accedat non habens fidem, tunc non poteſt dici Chriſti membrum propriè: quia ſpiritus fidei quo viuitur, non eſt in illo: ſolùmodo obtinet characterem. Non tamen propterea credibile eſt pertinere ad corpus Chriſti tãquam membrum, ita vt illi donet Deus aliquod ſpirituale bonum ad vtilitatem eccleſiæ. Si autem iam incorporatus Chriſto per fidem & Spiritum Dei, delinquat, & mortali peccato contaminetur, nondum tamen deſinit eſſe Chriſti membrum, licet ſpiritus charitatis non ſit in eo. Nec eſt incongruum ſi habeat miniſterium aliquod in eccleſia, quamdiu fidem non negauerit: nec eſt incapax aliquorũ ſpiritualium donorum, etſi interim ipſe non ſit particeps potus ſpiritualis. Qui ſi omnino fidem amittat, non arbitror poſſe illum dici membrũ Chriſti, & conſequenter nec cenſeri prælatus verè poteſt, nec paſtor.

Sine fide nõ eſt vllum membrum Chriſti.

Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. De corpore organico loquitur, quod propter diuerſa, quorum indiget, officia, habet etiam membra plura & diuerſa, quibus vtitur vt proſpiciat ſibi, & vnum membrum indiget alio. *Si dixerit pes, Quoniam non ſum manus, &c.* Solatur minores & infirmos, ne velint ſe extra corpus Chriſti ob id exiſtimare, quòd eis non ſit datum aliquid nobilioris muneris. *Si dixerit auris, Quoniam non ſum oculus, &c.* Per aurem auditores, per oculum doctores intellige. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus?* Cum ſint hæc neceſſaria.

Nunc autem poſuit Deus membra, &c. Ait, *Nunc autem*, id eſt, in tempore nouæ gratiæ: aut eſt tropus loquendi. Nunc autem, pro eo ac ſi dixerit, Hoc iam conſtituto, neceſſaria eſſe varia membra propter varios actus neceſſarios, non ſit tibi quæſtio, quare fecit hoc membrum aurem potius quàm oculum: quia hîc ſola voluntas eſt pro ratione, alias nunquam quieſceres. Si enim & illud quod rogas, feciſſet: eadem ſemper reuolueretur quæſtio. Nec dicas, Melius eſſet omnia membra idem eſſe, & idem poſſe. Reſpondet enim: *Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus?* videlicet, organicũ, quod ad rerum decorem, qui membrorum varietate reſultat, deſideratur. *Nunc autem,* videlicet, cõſtituendum eſt iam hoc vt bonum. *Multa quidem membra, vnum autem corpus,* eſſe ſcilicet oportuit, vt ſibi inuicem ſeruirent.

Non poteſt autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo. Mirabiliter loquitur Apoſtolus, & ad magnam perſuaſionem. Per oculum quidem, cõtemplatiuos: & per manum, actiuos deſcribit, duo vitæ genera. Et per caput, Præſidentes: & per pedes, ſubditos & exequutores, duo alia genera. *Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora.* Vocat infirmiora minus actiua, quibus minus vtimur & magis patiuntur recipiendo, vt venter & huiuſmodi. Quidam Ethnicus apud Liuium comparauit ventri Patritios Romanos. *Et quæ putamus ignobiliora, &c.* quia ornatu illa putamus indigere, vt honorentur. *Et quæ inhoneſta ſunt noſtri abundantiorem honeſtatem habent.* Quoniam operiuntur vt pudenda, & magna etiam diligentia: ſed nunc turpiſſimè & inhoneſtiſsimè. Quæ enim occultauit natura vt turpia, homo infœlix arte oſtentat ad impudicitiam, ita vt Pagani longè honeſtius veſtiãt, quam noſtri. Et nedum milites hac in parte peccant, & omnes promiſcuè artifices, & ipſi pueri: ſed (quod deteſtandum eſt) & qui eccleſiaſticas dignitates vſurpant, & animarũ curam habent: quos non pudet vel caligis ita conſciſſis, ita minutis & tenuiſsimis vndique intextis partibus ad pudenda vti, vt vitiorum ſe illecebris, & cupiditatum lenociniis dedidiſſe iudicari poſsint. Sed me pudet horum meminiſſe: eos vtinam meretriciũ quaſi diſciplinam puderet profiteri. *Honeſta autem noſtra nullius egent.* Talia honoris ornamenta non requirunt: quin potius honorem natiuum, ſuamque dignitatem ingenuam amitterẽt. Satis enim ex ſe decora ſunt. Et hæc ait, vt ſimiliter fiat in corpore myſtico optimè ſuis partibus cõſtituto, ne vllum mẽbrum ab alio membro deſpiciatur.

Sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore. Vide quo pacto euitetur ſchiſma in corpore. Si membra inuicem ſe honorent: & quæ magis infirma ſunt, etiam magis quodammodo honorentur, vt quæ ſunt nobiliora, etiam pro illis ſolicitentur. Vnde ait, *Sed in idipſum*, id eſt, in vnum finem, in gloriam & honorem Dei in Chriſtum, vt conſeruetur vnio. *Pro ſe inuicem ſolicita ſint membra*, ad conſeruationem totius corporis, & ſingulorum membrorum. *Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, &c.* O ſancta Charitas, quę id agit in corpore Chriſti myſtico, quod videmus Deum in naturali corpore conſtituiſſe. In hoc enim cognoſcimus, an verè bona membra ſimus, ſi miſeremur compatientes de miſeria fratrũ, ſi gaudeamus congaudentes de eorum bono, quaſi noſtro. Qui enim amat, nihil eſt in corpore quod nõ habeat. Tolle inuidiam, & tuum eſt quod habeo. Tollam & ego inuidiam, & meũ eſt quod habes. Liuor ſeparat, charitas iungit. Nunquid ſibi ſoli videt oculus? Et manui videt & pedi, & cęteris membris omnibus. Habemus Spiritum ſanctum ſi amamus eccleſiam: quam amamus, ſi in eius compage & charitate conſiſtimus: Ait ergo:

Attende ſi hoc experiris in te lector.

Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de mẽbro. Voluit hac exhortatione dicere, debere illos inter ſe ſic ſtatuere, quaſi eſſent vnum corpus Chriſti, & multa membra: licet verè non eſſent totum corpus, & omnia membra, ſed ex parte. Voluit enim inſtruere particulares eccleſias, quæ ſe debent habere ad modum vnius perfecti corporis, iuxta reſpectus ad inuicem. Si legatur, *& membra de membro*, intellige ex vno illo eximio membro, quod eſt ipſe Chriſtus, omnes nos alios, qui illi nomen dedimus, intelligi debere.

Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia: Primũ Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Nũquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nũquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Aemulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorẽ viam vobis demonſtro.

Et quoſdam quidem poſuit Deus in eccleſia, primùm Apoſtolos. Ideo ait, primùm Apoſtolos: quia ipſi fuerunt electi ad promulgandum euangelium, & plantandam fidem. *Deinde Prophetas*, quos puto eſſe interpretes ſcripturarum, & concionatores eccleſiaſticos. *Tertiò Doctores*, qui in ſcholis docẽt. Vt agnoſcamus lõgè nobilius eſſe prophetare, id eſt, ædificare populos interpretando ſcripturas, quam docere in ſcholis. Hoc quidam Magiſtri in quibuſdam regionibus non obſeruant, ſed abundantiorem ſibi honorem & gloriam obuenire putant, ſi doceant logicam, aut philoſophiam, & totum ætatis curſum in huiuſmodi diſciplinarum inuolutis quæſtionibus cõterant. *Deinde virtutes*, hi ſunt qui faciunt ſigna & prodigia. *Exinde gratias curationũ*: quoniam curabant & ſanabant infirmos. *Opitulationes.* Sunt & hæc dona, quibus cum quadam peculiari oſtenſione aliqui ſunt præditi, vt adiuuent & opitulentur cum magna promptitudine infirmis ſubuenientes multis modis. Sub inde *Gubernationes*. Hoc ad Præpoſitos videtur pertinere, qui præſunt aliis, & gubernant: tametſi Caietanus ad miniſtros trahat temporalium bonorum, & ſeptẽ Diaconos primos ad hoc ordinatos fuiſſe exiſtimet, vt non fuerint verè Diaconi ad altaris miniſterium ordinati. Quod eſt cõtra ſenſum eccleſiæ, & traditiones maiorum. Licet neſcio quid quod eſt apocryphum, quaſi in ſexta ſynodo tractatum, quidam accipiant, vt hoc inopinabile tueantur. *Genera linguarum.* Quibus loquebantur etiam ipſi Apoſtoli Dei, quæ fuerunt in prima euangelij prędicatione neceſſaria, ne ob ſermonis imperitiã impediretur verbum Crucis. Hoc verò donum vltimo loco ponit, vt Corinthij illius auidi intelligerent non eſſe illud maximũ, quod tamen ipſi maximum putabant. Gloriabantur enim aliqui, delectari illa varietate linguarũ, quæ neſcio quid plauſibile, præſertim apud Græcos, habere videbatur. Sed abſque charitate nihil proderat. In Gręcis deſideratur quod adiectum eſt in latinis, *Interpretationes ſermonum*. Quid autem ſit interpretari, dicturus eſt paulò inferius.

Notãdum.

Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes prophetæ? &c. Hic manifeſtè concludit Apoſtolus ex dato exemplo congruentiſsimo, non omnia dona eſſe omnium. Neque (vt ait quidam) omnia poſſumus omnes. Et hoc totum diligenter conſiderate, ad ſedandas diſſenſiones in eccleſia, & ad tollenda inter Chriſtianos ſchiſmata plurimum cõfert. Nam ſi omnes haberent hæc omnia, iam non eſſent qui bus hæc officia ſeruirent. Ideo pulchrum & neceſſarium eſt vt habent alij, quod non habent alij: & alij rurſum alia. Quatenus vnuſquiſque quod ipſe habet, cæteris non habentibus miniſtret, vt ſi longè arctius in corpore myſtico charitatis vinculũ, dum vnumquodque membrum alterius membri neceſſariam ſibi conſiderat amicitiam.

Aemulamini autem chariſmata meliora. Hîc decima pars ſequitur, vbi expoſita doctrina de diſpoſitione Dei circa dona ſpiritualia, inſtruit quę dona quis, vt ea habeat, magis debeat æmulari, hoc eſt, æmulatione quadam conquirere vt poſsideat. Verùm hoc in loco ſeſe ingerit quæſtio. Si enim Deus ipſe Spiritus diſtribuit prout vult dona hæc, quomodo ęmulatione poſſunt obtineri? Pręterea. Nunquid non eſt improbum ambire Apoſtolatum, aut pręlaturam? Reſpondemus primum, non loqui Apoſtolum de miniſteriis huiuſmodi, ſed de donis quæ poſſunt abſque peccato ſancta quadã æmulatione ambiri, vt gratia interpretandi ſcripturas, vel linguarum donum. Et licet Deus ipſe partiatur dona quædam pro voluntate, nihil tamẽ obſtat quin poſsint quædam oratione & piis ſtudiis impetrari.

Sed audiamus ipſum Apoſtolum. Primò quidẽ in genere dicit æmulanda eſſe meliora. Secundo, quod optimum eſt oſtendit, & illud ſectandum eſſe. Non enim quia ſuo arbitratu Deus dona diſtribuit, icircò prohibet ea expeti, & quodã pio deſiderio ambiri ac poſtulari. Nã & illis vult magis ea tribuere (licet non cogatur) qui maiori ſe affectu præparant, & petunt inſtantius. Hoc autem animaduertentes diſcipuli rogarunt: Adauge nobis fidem. Luc. 17. Et Spiritus ſanctus adueniens inuenit Apoſtolos congregatos, expectantes atque petentes ſuperna & cœleſtia dona. Act. 2. Non autem oportet turbari hominem ſi petat huiuſmodi chariſmata, non tamen accipiat. Conſiderare potius debet nõ eſſe vtile vel ſibi, vel eccleſiæ: & Deum in iis non cogi orationibus, ſicut cogitur dare alia quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria: quia ſe daturum ſua ipſius bonitate promiſit, ſi petantur.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro, id eſt, ad cœlum promerendum hæc via eſt omnibus excellentior: quam non ſolùm poſſumus, verùm etiã debemus (quoad fieri poteſt) per omnem expetendi & efflagitandi conatum æmulari. Nam vel hæc vna ſatis: ſine hac autem nulla ſufficit ad ſalutem. Et quænam ſit hæc præſtantior via mox oſtendet, nempe charitas, quæ ſupereminentiſſimum locũ in omnibus ſcripturis obtinet. Non ad eam aſpirant niſi boni, hanc nobiſcum non communicant mali. Poſſunt communicare baptiſmum, cætera ſacramenta, orationem, templorum parietes, publicos cõuentus: charitatem (dum mali ſunt) communicare nobiſcum non poſſunt. Nam qui operatur iniquitatem, an poteſt is habere charitatem? Quanta ergo ſit charitas, ab ipſomet Apoſtolo audiamus, quæ ſi deſit, fruſtrà habentur cætera: ſi adſit, rectè habentur omnia.

CAP. XIII.

SI linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniẽs. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſciẽtiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes trãsferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum ita vt ar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

deam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas nõ æmulatur: non agit perperam: non inflatur: non eſt ambitioſa: non quærit quæ ſua ſunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet ſuper iniquitate: congaudet autem veritati: omnia ſuffert: omnia credit: omnia ſperat: omnia ſuſtinet. Charitas nũquam excidit: ſiue prophetię euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabũt: ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus: & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectũ eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus: ſapiebam vt paruulus: cogitabam vt paruulus. Quando autẽ factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nũc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manẽt fides, ſpes, charitas, tria hęc: maior autem horum eſt charitas.

Laus Charitatis tanquã præcipuæ virtutis.

Si linguis hominum loquar & Angelorum. Eſt modus quidam loquendi etiam Angelis, quo ſibi inuicem ſuos manifeſtant conceptus. Hoc enim eſt eorum colloquium. Et cum ille ſit modus loquendi dulciſsimus & facundiſsimus, proponitur vt optabile quiddam. *Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniẽs.* Quoniam reddit ſonũ alieno impulſu, & ſine mente & ſpiritu proprio, & non in ſui, ſed in aliorum ſolatium. Hoc dictum eſt propter eos qui æmulabantur loqui linguis, vt agnoſcerent non eſſe quid magnum & expetendum, tanquam valdè ſibi vtile, præ charitate.

Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam. Dicit, *ſcientiam*, non ſapiẽtiam: quia non eſt ſine charitate ſapientia. *Etſi habuero omnem fidem.* Dicit, *omnem fidem*, id eſt, perfectam fidem, totam, integram, & illam quæ eſt particulare donum, de quo ſuperius actum eſt: ideo declarans ait, *ita vt montes transferam*. Audiant ergo qui ſola nos fide iuſtificari docent, ita vt qui credant, apud Deum mox iuſti pronuntientur. At Apoſtolus non ita docet, ſed ait: *Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Theologicè loquitur, iuxtam ſubiectam materiam. Nullus enim hominũ eſt aliquid coram Deo ſecundum eſſe ſpirituale, niſi habeat charitatem. Deus enim charitas eſt.

Occurrit autem hic quæſtio ex euangelio: quoniam B. Paulus, vt quis valeat montem virtute fidei transferre, prægrandem ad hoc fidem videtur requirere, cum ſic loquatur. Etſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam. Dominus autem ad hanc rem præſtandam videtur requirere modicam fidem, vt pote ad grani ſinapis magnitudinem, quemadmodum apud B. Lucam legitur. Sed non eſt modica fides, quæ eſt velut ſinapis granum, quin magna potius & perfecta. Vnde Dominus regnum cœlorum grano ſinapis, ob inſitã virtutem, appoſitiſsimè comparauit.

Et ſi diſtribuero in cibos pauperum, &c. Ecce quòd omne opus validum & acceptabile coram Deo, oportet eſſe charitate formatum. Quo fit vt non valeamus nos valorem operum ponderare: quandoquidem an fiant ex vera charitate plerũque neſcimus. Quam tamen vt ab eius fructibus noſceremus, ſubdit. *Charitas patiens eſt*. Græcè longanimis eſt. Qui enim vehemẽter diligit, etiam in longum patitur fortiter, & æquo animo tolerat. Iacob propter dilectionem viſi ſunt anni, in ſeruitio tamen duriſsimo, pauci. *Benigna eſt.* Benignus eſt, qui bene agit, aliis bona prouidens. *Charitas non æmulatur*, mala æmulatione per inuidiam. *Charitas non agit perperam*, id eſt non inconſideratè, non incompoſitè, non inordinatè, ne diſpliceat dilecto. Sola charitas eſt, quam mala conſcientia non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria ſecura eſt, inter odia beneficia. Inter iras placida eſt, inter inſidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate reſpirans. *Non inflatur.* De ſcientia, cuius proprium eſt inflare hominem. *Non eſt ambitioſa.* Græca vox id ſignificat ac ſi dixiſſet, Non eſt impudenter procax: & ideo bene ſenſum vidit interpres. Nam ambitioſi procaces ſunt, & ſine modeſtia & verecundia inſolenter petulantes.

Non quærit quæ ſua ſunt, ſed quę Dei & proximi. Quærit autem quæ ſua ſunt, qui quæ ſibi debẽtur, tantum proſpicit & curat. Charitas primùm quæ Dei ſunt, curat: certò ſciens quòd quæ ſibi debentur, curabit Dominus. Vnde ipſemet: Ego nõ quæro gloriam meam, id eſt, mihi debitam, eſt qui quęrat & iudicet. Magnum profectò & certiſsimũ charitatis ſignum, cum ſe neglecto aut poſt habito, vacat homo propter Deum ſyncerè proximo ſuo. *Non irritatur*, iniuriis, & contumeliis, & conuiciis. Sicut Chriſtus cui in crucè pendenti inſultabant & obiectabant: Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce. Sed charitas illum cruci aptauit, & ideo nõ valuit verbis illis inſigniter irritatoriis irritari. *Nõ cogitat malum.* Quid eſt non cogitat malum? Niſi quòd ibi malum non exiſtimat, vbi illud non videt, ne homines, & incertam eorum mentem iudicet: ſed omnia interpretatur ac vertit in bonum. Nam malum de alio cogitare, niſi certò videatur, aut probabili ſaltem & conſtanti coniectura, vel eſt quia non diligitur (vnde facile de eo quem nõ diligimus, mala cogitamus, quia etiã ea vellemus) vel eſt quia nos mali ſumus, & quod nobis conſcij in nobis deprehẽdimus, illud idem de aliis exiſtimamus.

Non gaudet ſuper iniquitate. Si quis patiatur iniuſtitiam, dolet: nec tam vicem illius qui patitur dolet, quàm in gratiam eius qui infert iniuriam: quia id longè eſt deterius. *Congaudet autem veritati.* Puto hic per veritatem ſignificari iuſtitiam, cui congaudet charitas, vt ſuperiori dicto aduerſetur. De iniquitate enim nõ gaudet: quia de illi oppoſito gaudet, hoc eſt, de iuſtitia, ſi quis nimirum puniatur de malo, aut præmietur de bono. Lætabitur enim iuſtus cum viderit vindictam. Poteſt etiam vniuerſaliter intelligi de veritate, quæ charitate diligenda eſt. Dico autem de veritate eorũ quæ ſunt Dei.

Nam hæ veritates maximè à charitate probantur. *Omnia ſuffert*: quia expectatione felicitatis æternæ, nihil duri ferre recuſat. Quid enim charitate fortius? Non quidem ad vindicandas, ſed ad non curandas iniurias. Nam omnia tolerat in præſenti vita: quia omnia credit de futura. Et *ſuſtinet omnia* quæ hic immittuntur: quia ſperat omnia quæ ibi promittuntur. Quod nos legimus, *ſuffert*, exprimitur verbo græco, ὑπομένει, quod ſignificat dura ſufferre. Et differt à, *ſubſtinere*. Græcè, ὑπομένει, quo & quædã permanentia in ferendo ſubintelligitur. Dicit etiã *omnia credit*, videlicet poſsibilia, vt poſsibilia: & verisimilia vt talia. Credit autem, quia inducit intellectum ad credendum. Et ratione ſubiecta materiæ puto loqui Apoſtolũ de diuinis, & præſertim de diuina bonitate. Quæcunque enim in ſcripturis leguntur, ea omnia facile credit charitas.

Charitas nunquam excidit. Quomodo non excidit charitas, cum perdatur quolibet mortali peccato? Sed non eſt hic Apoſtoli ſenſus, qui naturam charitatis vult ſignificare. Nã cum alia dona deficiant in patria, vbi non erit fides, nec ſpes, ipſa tamen charitas tantum abeſt vt excidat, vt etiam ibi creſcat, augeatur, & omnino perficiatur.

Siue prophetiæ euacuabuntur. In cœlis nõ erit opus prophetia: quia reuelata facie contemplabimur maieſtatem. Prophetia autem non dicit viſionem
2.Reg.9. facie ad faciem (etſi olim propheta diceretur videns) ſed continetur intra terminos viatoris. *Siue linguæ ceſſabunt.* Non quòd non ſimus loquuturi in paradiſo, ſed abſque linguarum dono: quia vna erit omnium lingua, quam tenebunt omnes. *Siue ſcientia deſtruetur.* Loquitur de ſcientia quæ ex principiis fidei habetur. Tunc enim principiis meliorib us exiſtentibus deſtruetur illa, & eius loco melior naſcetur & clarior ſcientia.

Ex parte enim cognoſcimus, videlicet per fidẽ, quæ perfectam cognitionem non gignit: quia eſt argumentum nõ apparentium. *Et ex parte prophetamus.* Per ſpiritum propheriæ, qui addit ad notitiam fidei, non dans tamen viſionem perfectam. *Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Vocat eſſe ex parte, non quod ſecundum ſui ſubſtantiam imperfectum eſt, ſeu quod in ſui ſubſtantia quidem perfectum eſt, non tamen eſt perfectum reſpectu alterius cognitionis, quæ eſt alterius ſpeciei, aut ordinis. Et ideo ſcientia & fides, quam hic habemus de diuinis, non eſt futura in patria. Nam viſio ſuccedens non erit propriè ſcientia, nec fides, ſed aliud à fide & ſcientia. Fides enim vt maneat fides, ne ſit viſio eſt neceſſe, ſed modus noſcendi præ viſione imperfectus. Et ideo abiecta hac imperfectione, in qua ſaluatur ſubſtantia ipſius fidei, etiam ipſa fides tollitur. Idem eſt de ſciẽtia. Charitas autem nunquam excidit, cuius ſubſtantiã perficitur in patria, & nunc non eſt perfecta. Nec dicitur charitas non excidere, quòd ſemel accepta non poſsit amitti, ſed eo modo, quo iam dictum eſt.

Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, &c. Hoc exemplo docet ſuperiorem concluſionem: & clarum eſt exemplum, vt oſtendat quòd aliter loquitur paruulus, eo quòd aliter cogitat, & aliter ſapit, quam vir maturus. Ille enim habet conceptus confuſos & implicatos, minimèque diſtinctos. Non ſecus nobis hic accidit, qui nec cogitare, nec ſapere, & ideo nec loqui poſſumus digna Deo, dum in hoc corporeo habitaculo ſumus, velut in caligino ſo loco, per lucernam in tenebris aliquid videtes. At cũ erimus perfecti & in conſpectu veri Solis, alia erit notitia noſtra, & alia loquela.

Videmus autem nunc per ſpeculum in ænigmate, id eſt in obſcuritate. Quid eſt id quod videmus nunc, niſi Deum, & quam ſperamus in eo fœlicitatẽ? Sed ſub nube illam videmus, non facie ad faciem: & quaſi per ſpeculum, id eſt, per argumenta ex viſibilibus & ſenſibilibus collecta, in quibus aliquo modo elucet Deus ipſe velut in ſpeculo, & illa nobis oſtendunt illum eſſe, & habere prouidentiam hominum ſpecialem. Hæc argumenta colligimus nõ ſolùm ex his quæ in mundo ſunt naturaliter, ſed multò magis ex his quæ acciderunt ex Dei prouidentia de Filio ſuo, & lumine fidei ad illa attingimus. *Tunc autem facie ad faciem.* Sed nunquid non
videbat Moſes Dominum facie ad faciem, & Ia- Gen.32.
cob ſimiliter, qui hoc ait: Vidi (inquit) Dominum facie ad faciem: Ego puto neminem eorum vidiſſe Deum, & Dei ſubſtantiam facie ad faciem, ſed Angelos in quibus apparebat Dominus, ſicut B. Dionyſius teſtatur: De qua re alibi erit ſermo.

De vita æterna & cognitione Dei.

Nunc cognoſco ex parte, id eſt, imperfectè, & valdè imperfectè: *Tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Cogniti ſumus nos à Deo in ipſis Dei lumine qui in ſe ipſo videt cuncta. Nihil enim eſt extra illum, quod ex illo non prodierit, & quod non in illo manet excellentius: quoniam ſubſtentatur per eius voluntatem. Sic igitur & nos tunc cognoſcemus Deum: quia participabimus lumine illo ſuo per lumen gloriæ, quo & roborabitur acies oculorum mentis noſtræ, vt coniuncti Deo per illud lumen, videamus illud beatiſsimum lumen ſuum, non per alia media: & ideo facie ad faciem. *Sicut & cognitus ſum*, ab eo: quanquam infinita erit differentia notitiæ ſuæ & noſtræ etiam tunc. Ipſe.n. cuius viſio eſt ipſemet Deus, omnem ſuam immẽſitatem cõprehendit & videt. Hoc autem de vlla creatura nefas eſt dicere: quoniam nullius creaturæ viſio (quantumuis beata) eſt ipſe Deus. Sed hęc ſubtiliora, ſcholaſticorum ſunt.

Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas. Eant nunc hæretici prædicantes ſolam fidem. Et eius virtutem & efficaciã audeant præponere virtuti charitatis ad æternam ſalutem nobis cõparandam. Quod ait ergo, *Nũc*, ſignificat ſtatũ gratiæ in quo ſumus. In hoc enim ſunt tres iſtæ de cœlo virtutes, quarum duæ poſt hunc ſtatum excident. Sed quæ maior eſt, nimirũ ipſa charitas, manebit & perficietur. Illa enim nõ nouit niſi creſcere, magisque ac magis creſcere. Si enim amamus quem nõ videmus, quomodo amaturi ſumus cùm viderimus? Non ſatiat animã, cui vera & certa ſedes eſt æternitas. Æternum autem ardentius diligitur adeptum, quam deſideratum. Nullum aliud canticum docet nos Deus, niſi fidei, ſpei, & charitatis, vt fides noſtra firma ſit in ipſo quandiu non illum videmus, credentes in eum, quem nõ videmus, vt gaudeamus cùm viderimus, & fidei noſtræ ſuccedat ſpecies lucis eius. Vbi iam nobis non dicetur: Crede quod non vides, ſed gaude & exulta quia vides. Itaque dilectione ad illud

Universidad de Deusto Biblioteca

est nobis aspirandum, illique inhærendum, vt præsente perfruamur à quo sumus, quo absente nec esse possemus.

CAP. XIIII.

SECTAMINI charitatem: æmulamini spiritualia: magis autē vt prophetetis. Qui.n. loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritus autē loquitur mysteria. Nā qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationē. Qui loquitur lingua, semetipsum ędificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autē prophetare. Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in ꝓphetia, aut in doctrina? Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituū dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguā, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa, vtputa, genera linguarum sont in hoc mundo, & nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituū, ad ædificationem Ecclesiæ, quærite vt abundetis. Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Nā si orem lingua, spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mēte. Cæterùm si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotę, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionē? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo, quòd omnium vestrum lingua loquor. Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem millia verborum in lingua. Fratres, nolite pueri effici sensib⁹: sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote. In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrēt autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quòd insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, cōuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem, adorabit Deū, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit.

S*Ectamini charitatem, &c.* Concludit ex superioribus Apostolus, charitatem esse sectandam. Sectamur autem illam rectè & iustè operando. Et illam tantò magis meremur apprehendere, quantò operibus bonis magis studemus. Et hoc si de dono ipso intelligamus, possumus etiam intelligere de operibus charitatis, quæ tunc sectamur, cū & nos illa operamur, quæ Christus, & alij sancti & filij Dei prius operati sunt. *Æmulamini spiritualia*, videlicet dona, per desiderium, & parando vos vt illis vti possitis, sed ad ædificationem, non ad ostētationem. *Magis autem vt prophetetis.* Quod intelligitur de prophetia scripturæ, id est, de eius interpretatione & apertione. Ait, *magis*, respectu aliorum donorum, ac præsertim doni linguarū. Vt igitur præstantiam prophetiæ commonstret, subdit: *De præstantia prophetiæ collata ad donum linguarū.*

Qui enim loquitur lingua, id est, per donum, *non hominibus loquitur, sed Deo.* Et enim scripturas in ecclesiis enunciabāt vt ministri, quas tamen eo solo dono non poterant interpretari: quia diuersum erat linguæ donum ab interpretationis dono. Et ob id loquebatur Deo, cum vulgus non intelligeret, sed ipse Deus. *Nemo enim audit*, id est, nemo est qui assistat & audiat vt discipulus. *Spiritus enim loquitur mysteria.* Sensus est, quòd in scripturis sanctis est latēs Spiritus, qui loquitur mysteria & arcana, siue secreta quæ non intelliguntur, nisi sit Angelus Dei, vel propheta interpres. Vnde sapienter Eunuchus ille cum legisset Isaiam, & interrogaretur à Philippo, An quæ legebat intelligeret, respondit: Quomodo possum intelligere (inquit) si non aliquis ostenderit mihi. *Act. 8.*

Quo in loco eruditionem capere debet lector, sacras scripturas, vt penetrentur earum arcana, Spiritu sancto indigere instructore. Nec enim is credendus est intelligere, qui solam literæ superficiē intelligit, & quæ sub ea latent non introspicit. Quamobrem in omnem partem peccatum esse à nonnullis perspeximus. Fuerunt enim qui ita sensum de superficie literæ eruere voluerunt, vt quod ibi sub litera contineretur mysterij, contempserint. Et hi quidem cum Iudæis consentiunt: vtrique enim arcanorum scientia defraudant semetipsos. Alij verò contrà, qui penè contempta litera & historia, solùm allegorias meditati sunt, quæ non plenam intelligentiā præstant. Notitia enim historiæ plurimum confert ad illustrandum allegoricos & spirituales sensus. Verùm hæc exēplis magis possent & illustrius manifestari, nisi hoc alterius esset negotij. *Duplex error in contrariis interpretationibus scripturæ aberrantium.*

Qui autem prophetat, hominibus loquitur, &c. Qui autem loquitur lingua, semetipsum ædificat. Sed quomodo si non intelligit? Respondeo. Non sine fructu charitatis illum relinquit Spiritus: & interdū suggerit & reuelat mysteria etiā idiotis, si boni & humiles fuerint & simplices. *Qui autem prophetat, ecclesiam ædificat*, videlicet referando mysteria.

Volo autem omnes vos loqui linguis, &c. Volo, pro vellem. Quod & probat. *Nam maior est qui prophetat, &c.* Et hoc propter suam intelligentiam & doctrinam in alios: *Nisi fortè interpretetur.* Tunc enim concurreret & prophetiæ donū, *vt ecclesia ædificationem accipiat.* Quod maximè spectatur. *Nunc autē fratres, &c. aut in reuelatione*, Manifestans quæ accepi: *aut in scientia*, De acceptis etiā syllogizās, & nouas conclusiones educens: *aut in prophetia.* Hæc est donum interpretationis scripturarum: *aut in doctrina*, circa mores. Sic enim puto hāc vocem hîc intelligi. *Tamē quæ sine anima sunt.* Quod ait, *tamen*, pro eo est quod diceremus, quin etiam, *Siue tibia, siue cithara, &c. Ita & vos per linguam, &c.* id est, Ita vos estis linguæ dono tantum vtentes, nisi manifestum dederitis sermonē interpretādo, *eritis in aera loquentes*, hoc est, frustra: quia solus aer sentiet percussionē vocum, quāta vi aut quanto flatu emittantur. *Tam multa vtputa genera linguarum sunt in hoc mūdo, & nihil sine voce est*, id est, nihil eorum quibus datum est per vocem significare, vt sunt homines, est sine voce. Habet enim vnaquæque gens idioma suum.

Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei qui mihi loquitur barbarus: & qui loquitur, erit mihi barbarus. Ita habetur in Græcis, & melius (vt videtur) & sensus est planus. Barbarus enim hoc in loco is dicitur, qui linguæ differt varietate, vt non intelligatur. Quilibet enim qui nō intelligitur, barbarus est illi qui audit: vt & Poeta quidam dixit: Barbarus hîc ego sum: quia non intelligor vlli, cum tamen esset Romanus. *Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite vt abundetis.* Hortatur, ne ob vanitatem & curiositatem quærant hæc dona, sed ad ædificationem ecclesiæ, vt abundent. Nam is qui habet & bene vtitur, dabitur ei, & abūdabit, vt possit etiam in alios effundere. Hoc apud B. Paulum est abundare. Vult ergo vt quærant, & docet quomodo, oratione videlicet: vnde subdit, *Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur.* Scriptum est enim: Petite & accipietis. *Ouidius.*

Nam si orem lingua, non intelligens, *spiritus meus orat*, qui infirmus existēs adiuuatur à Spiritu sancto, & in hoc ædificor: *Mēs autem mea sine fructu est*, quæ non capit mysterium. *Quid ergo est? orabo spiritu, &cet.* Præfert ergo orationem & psalmum vtroque modo prolatum, videlicet & spiritu & mente.

Cæterum, si benedixeris spiritu, id est, solùm lingua loquens in publicis orationibus & laudibus. *Qui supplet locū idiotæ.* Hinc apparet in ecclesia, & olim institutos fuisse ministros altaris qui seruirent, & idiotarum locum supplerent non intelligentium, & responderent pro tota illiteratorum ecclesia.

Vnde & eleganter sumitur, non conuenire, vt mysteria, & sacræ literæ communi idiomate in ecclesia recitentur. Ministri enim iam eo tempore pro aliis respondebāt. Ministri ergo deberent esse eruditi, & quæ agantur in tanto ministerio scire. Qua in re quantū peccetur totus mundus clamat, & nemo audit. *Quomodo dicet, Amen, &c.* Considera vt olim cōueniebant in ecclesiis canēdo & psallendo, & inuicem respondendo, vt nunc quoque fit. *Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur.* Et hinc nota ędificationem esse in intelligendo, & in respondendo benedictionibus. *In ministris ecclesiæ requiritur scientia.*

Gratias ago Deo: hîc se in exemplū proponit, *quòd omnium vestrum linguis loquor.* Non enim vna tantum lingua erat in Corintho, cum ibi esset numerus Episcoporum, vt patet in salutatione. Græcè legitur, *magis quàm vos omnes*, vt aduertas Apostolum hoc in loco gloriari de sua linguarum cognitione super alios. Et hoc contra Erasmum, qui conuincere inscitiā B. Pauli, quo ad linguam Græcam contendit, B. Hieronymo fretus, cuius tamen varium hac de re & inconstans iudicium asserit, & ab eius obiectis sæpenumerò defendit B. Paulum. Ego verò etiam ab obiectis Erasmi defendi posse Apostolum non dubito, sed non est operæpretium in his insistere. *Sed in ecclesia volo quinque verba, &c.* Eo quòd mens fructū deberet recipere. Sunt qui illa quinque Apostoli verba dicunt esse Pētatheucum. Mihi magis placet, vt sit quidam loquendi tropus, quasi dicat pauca quæ ipse intelligam, & quæ ab aliis quoque cum opus fuerit, intelligi possint. *Fratres nolite pueri effici sensibus*, in delectu boni & mali. Nam pueri plerunque leuius bonum maiori anteponere solēt. Hoc dicit Apostolos ne prophetiæ, ne ipsius charitatis donum, dono linguarum (quod est inferius) velint postponere. *Sed malitia paruuli estote.* Non inuidendo, non perperam agendo, aut eligendo deteriora. *Sensibus autem perfecti estote*, vt sciatis verè discernere.

In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis, &c. Primùm quod ait esse scriptū in lege, habetur apud Isaiam. Frequentissimè legis appellatio ad vniuersam scripturam veterem extenditur. Deinde considera, & si ibi alia sint verba, sensum tamen apostolicum (quem hîc legimus) verum esse Apostolica conuincit autoritas. Ibi legitur: In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populū istum. Vbi Isaiæ verba, quæ in propria dicebat persona, ab Apostolo vertuntur, ac si Deus in persona sua dixisset, qui verè dixerat Isaiæ. Vocat ibi loquelā labij, quæ non intelligebatur, vt esset sola vox non cordis, sed labij, ita vt non intelligerent. Et quod ait, Altera lingua, significat variis linguis. Et quod hîc ait, Et nec sic exaudiēt me, ibi statim legitur. Et noluerunt audire. Hac autē autoritate voluit Apostolus eos instruere, Quemadmodum Iudæi vocem quidem audiētes non profecerunt, quia medullas mysteriorum non nouerunt: Ita lingua loqui sine intellectu, tandem infructuosum & vanum est.

Sed dicet quis: Cur igitur est hoc linguarum donum à Deo, si non prodest? Respondet ipsemet Apostolus, & ait: *Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, &c.* Declarat consilium Domini in dono illo linguarum: quoniam minabatur Iudæis breui eos à seipso deserendos, seq; ad Gentes conuersurū, cùm prædicaret eis Christū quem occiderant, nisi conuerterentur: ac si diceret, se non ignorare linguas, vt possit conuerti ad alloquendū

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gentes. Sed nec hoc signo intellexerunt miseri & infideles Iudæi. Quare linguę donum, quatenus signum erat, & res admiratione digna, non erat nisi pro infidelibus, & non quibuscũque, sed Hebræis tãtum, sicut patet in ea scriptura. Prophetia autem pro fidelibus data est ad ædificationem. Quocirca tãtò magis, & cum æmulatione quadam sancta vacare debebant huic ministerio prophetandi.

Si ergo conueniat ecclesia, &c. facilis est sensus. *Si autem omnes prophetent, &c.* quoniam mirabilis est scriptura. Omnes enim arguit, omnes iudicat: Est enim sermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarũ, & nulla creatura est inuisibilis in conspectu eius. Hic proculdubio est Christus: & talis est ipsa scriptura. Vnde congruè sequitur: *Occulta enim cordis eius manifesta fiunt, &c.* Ecce fructus prophetiæ cõparatione linguæ, nempe ædificatio mirifica, eo quòd verbum Dei cor recipere volentis penetrat, & immutat. Hebr. 4.

Quid ergo est fratres? Cùm conuenitis, vnusquisque vestrũ psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationẽ habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, secũdum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur & Deo. Prophetæ autem duo, aut tres dicant: & cæteri diiudicent. Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur. Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. Non enim est dissentionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: sicut & lex dicit. Siquid autem volũt discere, domi viros suos interrogẽt. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. An à vobis verbũ Dei processit? aut in vos solos peruenit? Siquis videtur propheta esse, aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Siquis autem ignorat, ignorabitur. Itaque fratres, æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honestè & secundum ordinem fiant in vobis.

Quid ergo est fratres, id est, quid concludendũ tandem ex hac de linguæ dono disputatione?

Cùm conueniatis vnusquisque vestrum psalmum habet, &c. Loquitur (vt opinor) de maioribus vt solet: & dicit eos psalmum habere ad psallendum, doctrinam ad docendum, & sic de reliquis. *Omnia ad ædificationem fiant.* Non frustra, & inordinatè, *Siue lingua quis loquitur, &c.* Sensus est, Qui pollebant dono linguarum, legebãt Hebraicè scripturam in diuinis: & Apostolus vult hoc fieri à duobus, aut ad summum à tribus, nec vno tempore, ne fit confusio: & vnum ex eis interpretari, quod perinde erat ac prophetare.

Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, ille videlicet qui habet donum linguarum: *sibi autem loquatur & Deo*: sibi inquit, id est priuatim, sicut dici solet. Mihi & musis: quia donum linguæ est inefficax in ecclesia ad ædificationem sine interprete.

Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod maxime vellem in ecclesiis seruari, vt essent docti iuxta Episcopum, qui possent diiudicare prophetantes, num rectè, & ad Spiritum veritatis interpretarentur. Profectò non tot scandala & hæreses pateretur ecclesia. Dicit, *duo aut tres*: Nõ enim bonum est esse multos Magistros, vt admonet B. Iacobus. Nolite plures Magistri fieri. Iac. 3. *Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Erant tunc repentinæ reuelationes, quibus illi prophetæ illustrabantur, & iis cedendum erat: quoniam Spiritus eo tempore occasionem nactus, suggerebat multa vtilia.

Et hìc nota, quòd prophetãtes stabant, vt & moris est. Audiẽtes autem sedebant: contra quem morem vidi ego adolescens quendã multæ famæ prædicatorem, dum concionaretur, sedentem.

Hoc autem ex loco fundant aliqui suam insignẽ arrogantiam, volentes prædicare etiam non missi à prælatis, eo pretextu quòd dicant habere se reuelationes à Deo. Sed nihil hoc eis fauet, tum quòd in illo primæuo ecclesiæ feruore (vt dixi) erant dona illa in ecclesia, & patebant: quę nunc cessarunt. Et ideo non extẽditur hoc olim permissum ad particulares casus, si qui modo accidãt. Nam quilibet pro arbitrio dicere posset sibi esse reuelatum: Et ita ordo ecclesiasticus facile contemneretur. Præterea, nullus eorũ pro libertate hæc præsumebat. Erant enim & illi sub censoribus, qui audiebant & diiudicabant: propter quod sequitur. Contra audentes prædicare absque missione.

Potestis enim omnes per singulos, id est, sigillatim, *prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur.* Vide vt est larga manus in hoc B. Pauli. Et cõsidera duos prophetantium & prædicantium effectus. Primus est docere veritatem, Deinde exhortari ad exercitium virtutum. Quæ duo sunt semper coniungenda. Parum enim prodest optima quæque scire, nisi opere ipso efficiantur, quæ nouerimus. Alioqui bonum scienti (ait B. Iacobus) & non facienti, peccatum est illi. Et Apostolorũ Princeps, Melius, inquit, erat illis viam veritatis nõ nouisse, quàm post agnitam retro conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. At contra, ignorantia mandatorum est mater totius negligentiæ, & torporis in via Dei. Quam vt excuteret à nobis Deus permisit hæreses nouas, aut populi varietate opinionum excitati, doceantur tandem, quæ prius non ita clarè patebant in scripturis. Nam qui pietatem amant & veritatem, non solùm hęreticorũ erroribus non inuoluuntur, sed constantiores in fide redduntur: neque se patiuntur à recta euangelij via, quæ per passiones & varios laborum sudores alacriter conficienda est, propositis voluptatum fallacium viis abduci, quæ in interitum sempiternum suos seduces trahunt perpetuò cruciandos. Iac. 4. 2. Pet. 2.

Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. Græcè, subiiciuntur. Sed credo melius haberi latinè, & falsatũ esse in Græcis, vel ab iis qui nolebant Spiritum sanctum esse Deum: vel ab iis qui metuebant à tropo, si diceretur Spiritus, qui est Deus, subiici prophetis. Sed nihil erat metuendum. Ne quis enim obiiceret: Spiritus cogit me loqui, cum fortè ab ecclesia prohiberetur: aut cum non esset illi locus dicendi sine turbatione ecclesiæ. Respondet Apostolus, quòd Spiritussanctus in hoc subiiciitur propheris. Audiat hoc quicunque inuito, & prohibente Prælato, præsertim summo Pontifice, audet loqui. Neq; asserat se à Deo missum, nec posse continere Spiritum, quo agitur. Respondetur enim illi ex B. Paulo, Spiritum Dei turbas excitare nõ posse, qui neminẽ prorsus à capite separat. Audi quid Apostolus addat:

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. Nec te hoc in loco moueat lector, si videatur Apostolus dicere Spiritum sanctum prophetis subiici: quia hoc nõ ita simpliciter de persona illa diuina intelligendum est, sed in illo dono quoad vsum. Nam Deus ipse, scilicet Spiritussanctus, non est dissensionis Deus, sed pacis. *Sicut in omnibus ecclesiis doceo.* Græcè deest, doceo. Et tamen bene habet. Si tamen desit, sensus hic erit: Sicut in omnibus ecclesiis seruandum esse doceo.

Mulieres in ecclesiis taceant. Græcè legitur, Mulieres vestræ, vt intelligas de cõiugatis eum mulieribus loqui, quas iubet tacere. Vnde nõ obstat quod superius dixerat, & nos in hac locũ explicare quæstionem distulimus: Mulier orans aut prophetãs. Nota. Non enim de nuptis ibi erat sermo, quę habent virum. Nam de ipsis lex loquitur, quòd debeant esse subditæ viris suis. Et inferi⁹ dicet: Domi viros suos interrogẽt. Aliud ergo est de mulieribus, quę Deo in statu virginitatis vacant, aut castitate. Nec enim sexus ille priuatus est dono prophetiæ, etiam in lege Christi. Vnde scriptum est: Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. Et in Act. Apostolorum legitur de filiabus Philippi diaconi quæ prophetabãt: quæ non ab re expresso nomine sunt à sacra scriptura virgines appellatæ. Et in euangelio Anna prophetissa vidua multo tempore sine viro (quia continentiam prophetia quàm maxime requirit) hæc loquebatur omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Ex quo facile coniicere licet, quales prophetias hæretici nostro tempore accipiant, scilicet in carne immersi. Ipsi enim cum suis venerandis connubiis & copulis prophetant admirabiliter, inuita etiam ecclesia. Ioel 2. Act. 21. Luc. 2.

Præterea, Dicimus mulieres non posse ex officio hoc facere, & ordinariè. At si cui esset reuelatum particulariter, & in loco: non esset prohibenda ne loqueretur saltem suis mulieribus, & inter pares sermonem habendo, vt fit in monasteriis sacratum virginũ. *Non enim permittitur eis loqui*, cum hoc sit Prælatorum, Doctorum, & Superiorũ munus proprium & officium, *sed subditas esse* viris suis propter disciplinam, & verecundiam quæ illas ante omnia decet, sicut & lex dicit. Sub viri potestate eris. Nec solùm excluduntur à publico docendi exercitio, sed insuper à potestate & actu quærendi per modum disputationis in conuentu virorum. Aliud est si cum patribus & viris spiritualibus in confessione, & de rebus ad spiritus fructum pertinentibus loquantur.

Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Et hoc etiam propter honestatem, cuius rationem subdit: *Turpe est enim mulieri loqui*, scilicet, docendo, aut interrogando, sicut consuetudo erat, *in ecclesia*, in conuentu publico. Turpe autem illud dicitur, quod dedecet: veluti si membrum aliquod in corpore vellet officium alterius membri vsurpare, vt ambulare manibus, vel scribere ore, vel pedibus, & huiusmodi.

An à vobis verbum Dei processit? Hìc videtur tacitè arguere alios, qui aliter introducta noua consuetudine obseruari volebãt. Primùm derogat eis auctoritatem per hoc, quòd sermo Dei & promulgatio euangelij non cœpit ab illis, vt valeant noua introducere, atque decernere: quod eleganter & verè in hæreticos obiici potest. *Aut in vos solos peruenit?* Hìc secundus aduersus illos arguẽdi locus, qui non solùm non valent dicere. Nos ita accepimus à Christo, & ipse constituit nos primos ministros verbi: Sed nec dicere possunt ad seipsos tantùm peruenisse apostolicã doctrinam, cum manifestè Apostoli aliis in ecclesiis iuberent aliter obseruari. Et ob eam causam neque vt primi autores, neq; vt soli acceptores verbi, valebant autoritatem vllam prætendere. Nota hæc diligenter pie lector: quoniam ex his confunduntur hæretici, eorumq; impudens audacia apertissimè retunditur, qui non secus noua seminant, ac si essent ipsi primi Euangelistæ, & Apostoli: aut quasi ad illos tantùm peruenerit apostolica doctrina. Hæ possint merito in hæreticos obiectari.

Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, &c. Facile enim erat cognoscere à Domino esse quæ prædicabat Apostolus: quãdoquidem & lex, & ratio ipsa ea probabat. Et tamen penes duo hominum genera hanc notitiã certam residere posse declarat. Primò si fuerit aliquis propheta: quia hic à Deo spiritualiter docetur. Vel si fuerit homo spiritualis, qui facile diiudicat omnia: quia regulam habet in semetipso intus. Charitatis enim lumen præbet docens ordinem: & quæ decora sunt ab indecoris rectissimè distinguit.

Si quis autem ignoret, ignorabitur, cum sit crassa ignorantia, quæ minimè excusat. Verum Græcè legitur. Si quis autẽ ignorat, ignoret. Et melius meo quidem iudicio. Nam elegans hinc & illustris sensus habetur: Si quis ignorat, ignoret, id est, gerat se ad modum ignorantis, non se intromittat vbi non est necesse, iudicans quę ipse nescit: sed sequatur alios, qui sunt principes & duces taliũ, & in sua simplicitate & debilitati captu saluet animam suam. Hoc autem consequetur, si cum humilitate adhæreat iis quæ ecclesiæ sanctæ consuetudo, & maiores in ea docent.

Itaque fratres, æmulamini prophetare, tanquam vtilius charisma & excellentius ad sui & proximi ædificationẽ. *Et loqui linguis nolite prohibere.* Non pariter dixit hoc æmulandum, quoniam non tanti faciendum erat: sed neque prohibendũ, cum nequaquam esset superstitiosum, vtpote Dei donum: & ideo non omnino inutile, vel habenti propter seipsum, vel in signum propter alios. *Omnia autẽ honestè & secundũ ordinẽ fiant in vobis.* Hic est finis totius

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsentis doctrinæ circa materiam spiritualiũ donorum, vt scirent quæ meliora, & quomodo illis vtẽdum, non ambitiosè scilicet, sed ordinatè, cum pace & tranquillitate ecclesiæ.

CAP. XV.

NOTVM autem vobis facio, fratres, Euangeliũ quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: Quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas: & quia sepultus est: & quia resurrexit tertia die, secũdum scripturas: & quia visus est Cephæ: & post hoc, vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc: quidam autem dormierũt. Deinde visus est Iacobo: deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium tanq̃ abortiuo, visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus: quoniã persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autẽ Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit: sed abũdantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Siue enim ego, siue illi, sic prædicamus: & sic credidistis.

MOdo peruenimus ad partem præsentis epistolæ vndecimam, vbi perstringit Apostolus totius ferè euangelij, quod illis prædicauerat, summam, eiusque efficaciam. Hoc autem necessario coactus est repetere ob quosdam exortos hæreticos, qui mortuorum resurrectionẽ negare iam cœperant: ait, *Notum autem vobis facio, fratres, euangelium, &c.* Verè illud euãgelium est maximè, quod ad resurrectionem attinet: quia quicquid est euangelij in hoc articulo continetur: & hoc sciri à cunctis maximè necessarium. Ideo sequitur, *Quod prædicaui vobis*. Si enim hunc articulum resurrectionis non prædicasset tam necessarium, in quo salus, & integra ferè fides nostra consistit, quæ est sperandarum substantia rerum, quid (obsecro) prædicasset? *Quod accepistis*, scilicet fide: *in quo & statis*. Stare signum est sanitatis, & virium. Stamus autem spiritualiter per fidem vitam, iuxta illud: Nũc fide statis. Et iterum: Qui stat, videat ne cadat. *Per quod & saluamini*, id est, per quod euangelium receptum salutem æternam consequimini. *Qua ratione*, seu, quo sermone, *prædicauerim vobis*. Potest hoc referri vel ad superius, Notum vobis facio, quo sermone, id est, qua sermonis efficacia, aut qua ratione, aut qua de causa prædicauerim vobis: Vel ad id, *Si tenetis*: vt ita ordines. Si tenetis qua ratione, &c. Sed videtur frustra dici. Notum facio vobis, si tenetis. Si enim tenebant, id est, rememorabantur, quid oportebat rursum significare? Sed poterant tenere quidem fide in confuso, non tamen meminisse particularia: vel ad maiorem impressionem. Superior autem interpretatio videtur verior. *Nisi frustra credidistis*: quia frustra ille credidisse dicitur, qui non perseuerat, & non tenet quod credidit. Aut qui & si reliqua crediderit, hinc tamen articulum solum non tenet, sicut erant inter eos nonnulli qui de eo titubabant.

Articulus resurrectionis maxima pars euangelij.

Tradidi enim vobis in primis quod & accepi. Ac si dixerit. Non mea somnia, sed quod accepi, nimirum ab ipso Domino. *Quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris*, id est, ad delenda peccata nostra, satisfaciens sua morte pro nobis ad destructionem peccati. Et quò id credibilius faceret, addidit. *secũdum scripturas*, id est, secundum prædictionem scripturarum, quas oportebat impleri. Plenę enim sunt scripturæ ad hunc articulum comprobandum, quòd Christus semel oblatus est ad destructionem peccati. Secundò sine peccato apparebit in maiestate ad iudicandum. Etenim & ipsemet dixit, Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? *Et quia sepultus est*. Et hoc ad mysterium attinet: quia etsi mortuum sit peccatum, adhuc manet tamen cadauer, nempe corpus peccati, & caro peccati, à qua se liberari Apostolus in persona Christiani hominis implorabat, aiens: Quis liberabit me dẽ corpore mortis huius? Ecce in quo est spes. *Et quia resurrexit tertia die secũdum scripturas*: quia secũdum eas impossibile erat eum teneri doloribus mortis, vt in Act. testatur B. Petrus.

Luc. 24.

Act. 2.

Vide hìc acute lector, quàm diligenter morti & resurrectioni adiectum est scripturarum testimonium: quia in his totum est mysterium Christi, & certissimum signum, mortis in illum nõ fuisse imperium propter illius aliquod peccatum, sed propter nostrum. Vnde & eum oportuit mori, & resurgere, vt nos peccato moreremur, & viueremus postea Deo in illo. Quòd si quæras, vbi de morte & resurrectione in scripturis probetur. Ecce passim ostendi potest in Psal. & apud Isaiam, & cæteros prophetas, tum in figuris, tũ in prophetia manifesta, sicut in Act. docet B. Lucas per Apostolorum prædicationem, quæ recitare longum nimis esset, & superfluum.

Et quia visus est Cephæ. Prętermittuntur mulieres, quibus apparuit Dominus: quia testimonium legitimum & efficacius est virorũ. Apud B. Lucam legitur, quomodo apparuit Dominus Simoni Petro. *Et post hoc, vndecim*. Grecè legitur duodecim. Quòd si ita legendum est, non esset accipiẽdum dictum, eos fuisse duodecim cum iam esset abscisus Iudas, sed fuisse de duodecim, id est, de collegio eo numero præfinito. Sicut diceremus collectos Decemuiros, etiam si nouem tãtùm collecti essent eius magistratus, qui diceretur Decemuiri.

Luc. 24.

Deinde visus est plusquàm quingentis fratribus simul. Græcè legitur, semel. Nã duodecim illis sæpius visus est, vt apud B. Ioannẽ & alios Euãgelistas videre licet. Ego igitur existimo cũ assumpt° fuit, istud fuisse. *Ex quibus multi manẽt vsq; adhuc*. Vt rẽ non esse fictã magis persuadeat, erat enim testes multi de visu. Et quia res manifesta tunc erat, non fuerũt soliciti nostri Euangelistæ specialiter narrare nomina. *Quidam autem dormierunt*, fœlici somno concepta spe resurrectionis & sempiternæ beatitudinis.

Deinde visus est & Iacobo. Neque hoc habetur in vllo euangelio: sed nec in Apocriphis, vbi legitur, Quòd iurauit se non comesturum panem, donec eum videret. Id enim non videtur consonum, nec ipsi euãgelio. Iam enim ipse viderat prima die manifestè, cum esset ex duodecim. Nominauit autem Iacobum propter sanctitatis famam & autoritatem, vt qui Ierosolimitanã ecclesiam rexerat, & post Petrum secundus habebatur, vnde & ex Act. licet eius maximam dignitatem colligere, & ex ipso B. Paulo ad Gal.

Deinde Apostolis omnibus. Fortè voluit & B. Matthiam complecti, cum dicat, *Apostolis omnibus*. Si ordinatè recenset Apostolus has apparitiones, difficile est eas rectè colligere ex scripturis. Et fortè per id quod dixit, *Deinde*, non notat ordinem temporis, sed narrationis. Quicquid tamen sit, parum hoc admodum ad rem spectat.

Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. Abortiuum se humillimus Apostolus vocat, quasi cum dolore expressum, & immaturum partum. Vnde sequitur: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui nõ sum dignus vocari Apostolus: quoniam persecutus sum ecclesiam Dei*. Ecce cur indignum se eo nomine vocet, propter maximum in persequendo Dei ecclesiam peccatum. Vbi notandum, cum his qui reuertuntur ad gremium ecclesiæ, & reuera conuertuntur, non esse inconueniens ita agere, vt etiam valeant recuperare priores gradus.

Sed gratia Dei sum, id quod sum. Mera profectò gratia, quam non solùm nullum præcessit meritum, sed econuersò multa demerita. Iccircò factus est ille tantopere prædicator gratiæ. Nec minus etiam fuisset, si ab initio fuisset innocens: quoniam & hoc ad gratiam pertinuisset. *Et gratia eius in me vacua non fuit*, id est, inanis, & sine fructu. *Sed abundantius illis omnibus laboraui*, exercendo dona gratiæ. Nec intelligas eum solũ plus laborasse, quam illi omnes simul, seu collectiuè. Hoc enim nimiũ esset. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Græcè ἡ σὺν ἐμοὶ id est, quæ mecum, supple est, aut quæ mecum laborauit. Et ita intellexit interpres, & verum est: Ne sit locus hæreticis, qui bene acta soli tribuunt gratiæ Dei, & non simul libero arbitrio, quasi gratia sit aliquod separatum à libero arbitrio, & non inhærens forma. Nam reuera liberum arbitrium (quod est voluntas) informatum charitate & gratia, facit opera. Alioqui quæ maneret laus operanti? & quodnam iudicium expectaretur? Legi tamẽ in quibusdam Græcis codicibus, ἡ τοῦ θεοῦ id est, quæ in me, vel erga me, aut quæ perfecta est in me. Sed parum differt à priore: quanquã prior minus scrupuli habet.

Contra hæreticos.

Siue enim ego, siue illi, sic prædicauimus: & sic credidistis, videlicet Christum resurrexisse, vt sic qui aliter dicũt, prædicationi apostolicæ contradicãt. Quòd autem aliqui contradicerent, enarrat.

Si autem Christus prędicatur quòd resurrexit à mortuis. quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum nõ est? Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus nõ resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauit Christum: quem nõ suscitauit si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgũt: neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit: vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tãtùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Si autem, &c. Negabant quidam resurrectionem mortuorum, contra quos in hunc modum Apostolus argumentatur. Si autem Christus prædicatur, videlicet ab Apostolis, & in ecclesia Dei, nempe vt articulus fidei, quòd resurrexit à mortuis. *Quomodo quidam dicunt in vobis, &c.* ac si expressius dixisset: Quæ tanta arrogantia & præsumptio, contra Apostolorum prædicationem audere dogmatizare? Supponit enim apostolicam prædicationem falsam esse non posse. Et verè idipsum credendum est, ea quæ vniuersaliter in ecclesia magno consensu prædicantur, falsa esse non posse. Post hanc verò rationem ab autoritate, quæ in rebus fidei est fortissima: propter eos tamen qui malunt ratione persuaderi, insuper argumentatur Apostolus, & ait:

Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Derideret aliquis logiculus istud argumentum, & carperet, non intelligens theologicum esse argumentum, & in eos qui aliquid concedebant. Rectè enim sequitur: Quia Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus: hoc posito, quòd ipse sit caput nostrum. Siquidem monstrosum omninò esset caput si suis membris careret. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, &c.* quia tota spes illa resurrectionis nostræ vana est. Fundatur enim in resurrectione Christi. *Inuenimur autem & falsi testes Dei, &c.* Nam aduersus Deum testimonium dicunt, qui ex parte Dei quicquam testificantur, quod ipse Deus non dicit. Faciunt enim tales (quãtum ad illos pertinet) mendacem Deum, qui summa tamen est veritas, nec mentiri potest.

Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quia prędicabatur Christus primitię resurgentium, ideo valet argumẽtum. Si mortui non resurgunt: ergo neq; Christus. Sicut econtrario: Si Christus resurrexit, ergo & cæteri resurgent: quoniam vnum corpus centemur omnes cum illo. *Si autem Christus non resurrexit, vana, &c.* Etenim resurrectio illa Christi etiam nostram resurrectionem à peccatis, & nouam vitam significauit, ad comparandã illam æternam in cœlis.

Ergo & qui dormierunt in Christo, scilicet, credentes in illum (hoc est enim dormire in Christo) *perierunt*: quia non inueniri possunt resurgere, si Christus non resurrexit. Quo in loco nota apostolicæ sententiæ esse secundum veram & theologicam doctrinam, quam nec philosophi, nec proterui

Nota hoc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

valent inficiari. Quicunq; ponit animam immortalem, necesse etiam illi est admittere resurrectionem. Et econuerso. Qui negat resurrectionem, etiam negare animæ immortalitatem, quales erant Sadducæi. Nam animas ponere à suo corpore, cui natura afficiuntur, separatas, ac propterea perpetuò viduas: talis non est ex philosophis bene institutis, qui naturalia desideria non possunt, nec debent, frustra esse concedere.

Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, &c. Aliud argumentũ pro resurrectione: Et sensus est. Si speramus in Christo solummodo quatenus vixit ille hanc vitam, & nos eius imitatores pariter viuimus, vt in illo simus illique cõformemur, certè *miserabiliores sumus omnibus hominibus*, cum ipse omnium nouissimus factus sit. Et sublata spe resurrectionis (quæ nobis aufertur, si ille nõ resurrexit) nihil nobis aliud restat, quàm fuisse miseros semper, & in peccatis etiam mansisse.

Et hic conclude (quicquid aliter hoc in loco dicat Caietanus) B. Paulum rectè & secundum veritatem cõclusisse in aduersarios resurrectionem negantes: quia negabant etiam animam immortalẽ, vt erant Epicurei & Sadducæi. Quemadmodũ apparet in Act. Apostolorum.

Act. 12.

Nunc autẽ Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ, Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri: cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: Omnia subiecta sunt ei: sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subiectus erit illi, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.

Nunc autem, &c. id est, At hoc certum est, & nostrę fidei fundamentum iam constitutum: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*. Nota hic neruũ rationis. Supponit enim Apostolus ipsum semper esse caput nostrum, & ideo factus est primitiæ dormientium: Vt si caput surrexit, membra sint surrectura die sua. Si enim illæ primitiæ: ergo & fructus qui secũdò post primitias veniunt, venturi sunt. Nec putandum est eos qui surrexerunt Domino moriente, resurrexisse perfecta resurrectione: ne tam magnum, tamq; singulare donum detur minoribus, quod non est datum Apostolis, nec illi magno præcursori, & amico Sponsi Ioanni Baptistæ.

Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Docet rei cõgruentiam: & est sensus. Cùm venerit mors per hominẽ, etiam per hominem decuit esse resurrectionem mortuorũ. Nam Christus quod per Adam corruerat, venit reparare. *Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.* scilicet per resurrectionem. Quare miror illos qui putãt non morituros quosdam, cum hic in Adam mori omnes palam dicat, & verbis eousque claris Apostolus, & resurrecturos omnes.

Non me latet hunc locum variè, & (vt liberè loquar) meo iudicio satis malè exponi ac tractari cum violatione proprietatis verborum, & apostolici sensus. Est enim sermo hic de resurrectione mortuorum quoad corpus, & non de vita animæ: ne quis impingat propterea quòd non omnes verè viuificantur in Christo, vita scilicet animæ. Quod si verum est, quomodo simul verum erit omnes mori in Adam, cum scriptura dicat de bene morientibus, eos mori in Christo? Si in Christo, quomodo ergo in Adam? Quãdoquidem more scripturę, mori in Christo, & mori in Adam opponuntur.

Quomodo in Adam omnes mortantur, & in Christo omnes viuificentur.

Respondeo, difficiles propterea esse interdum scripturas, quod idem dictum iuxta diuersos respectus diuersas patitur intelligentias. Quicunque enim moritur quoad corpus, in Adam moritur: quia quoad corpus, id est, quoad corporis afflictiones, inter quas maxima est & vltima mors, non sumus renouati. Vnde & qui de Christianis nascuntur, non continuò Christiani sunt, nisi baptizentur: quia secundum carnem nascuntur, quæ adhuc est caro peccati & mortis. Nec verò si iam Christiani sumus, morimur propterea in Adam, quasi adhuc inimico Deo, sed in Adam vt parente, à quo accepimus carnem. Nam & Christus, cuius membra sumus, dignatus est sub Adam esse hac parte quoad mortem: quia carnem in similitudine peccati ab illo accepit. Sed cum resurrexit, liberatus est ab ea conditione, vt nullo modo sit in Adã, sed primitiæ resurgentium.

Nos ergo interim donec adueniat plena resurrectio, quæ perfecta erit regeneratio, etiam si simus in Christo quoad corpus (quia de eius carne & ossibus constituti sumus) nihilominus sumus in illo secundum quod ipse erat mortalis, & consequenter etiam ipse in Adam, absque peccato tamen. Et ideo qui in Christo moriuntur, in Adam quoque moriuntur: & hoc ipso reddunt debitum, & liberantur, vt in Christo verè resurgãt ac perfectè. Qui autem in Christo non moriuntur, vt sunt infideles & peccatores, in illo tamen etiam ipsi viuificabuntur, scilicet vita corporis: quia peccatum Adæ recepit pœnas suas, & per Christum omnes debent recipere corpus proprium, & cum illo iudicari, vt quisque recipiat prout gessit in corpore, siue bonum, siuem alum.

Quòd ergo etiam damnati recipiunt corpus, beneficio Christi habent, & non in Adam: quia bonum est esse cum corpore, licet illis non sit futurũ bonum, qui acerbius tunc cruciabuntur. Sed hæc supplicia illi sibiipsis sua culpa procurarunt. Vera estergo & indubitata sentẽtia, & sine vllo scrupulo procedens. Sicut in Adam omnes moriuntur:

ita & in Christo omnes viuificabuntur, vita scilicet corporis. Christus enim sua morte omnia traxit ad seipsum, & lucratus est: ita vt in illo, quantũ attinet ad hanc recuperandi corporis partem, omnes esse penitus censeantur. Attamen multi extra illum (quod pertinet ad gratiam & salutem) inuenientur.

Vnusquisque in suo ordine. Erit nanque aliquis ordo in ipsa resurrectione: & hunc exponit, aiens, *Primitiæ Christus*. Quomodo, quæso, primitiæ Christus, qui iam dudum surrexit à mortuis, qui nec itẽ videtur ad eam pertinere resurrectionem, de qua hic loquitur Apostolus? Respondeo, Christi nomine eos ab Apostolo intelligi, qui vnà cum Christo futuri sunt ad iudicandum, quasi Spõsus & Sponsæ vnum cum illo, pro quibus orauit, primùm, vt ipsi vnum essent in Patre, & in seipso, de quibus ad Thessa. ait: Qui in Christo sunt, resurgẽt primi. Deinde nos qui viuimus, &c. sicut suo loco exponetur. Primitiæ igitur resurgentium erunt illi præcipui, qui apparebunt cum ipso Domino in gloria eximia & claritate. Nam de iis potissimum dixit, Et claritatem quã dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnũ sumus. Post has igitur primitias resurgent alij, de quibus subiunxit Apostolus, vt habet græca lectio longè verior.

Locus difficilis.

Ioan. 17.

Deinde qui sunt Christi in aduentu eius. Pie lector attende, & si placet recipere, audi: Omnes iustos & pios reuera Christos esse, quatenus in iustitia permanent. At cum ante iudicium, minime sit certum generaliter quinam sint permansuri (exceptis solummodo electis, quos nouit Deus, & qui sunt ante aduentum illũ cogniti, & probati quòd sunt Christi) ideo hic ait illos qui inuenientur esse Christi, non quidem simpliciter, sed in aduentu eius: quia tunc iudicis sententia manifestè cognoscentur iustificati, ij tales futuri sunt in secundo resurgentium ordine.

Deinde finis. Quidam de iniustis hoc exponunt qui postremo resurgent. Nisi fortè hic agatur de resurrectione iustorum ad gloriam, & secundum hoc expone: *Deinde finis*, videlicet erit huius status & huius militiæ, vnde & bene connectitur. *Cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Ad huius loci declarationem, qui est difficilis intellectu, sciendum est Christum posse considerari vt est Deus, & vt homo est. Et iuxta primam considerationem, semper habuit regnum cum Patre, nec vllo tempore illud ab eo accepit. Nam ab æterno quicquid habuit Pater, habuit & Filius. Igitur hac consideratione nõ potest dici Christus accepisse ex tempore, aut traditurus vnquam regnum Patri suo: sed huiusmodi omnia quæ sic dicuntur, aptantur illi quatenus homo fuit, subiectus Deo & Patri suo. De quo primum dicitur, quòd recessit à Patre: quia venit in mundum in ista carne humilis, exinanitus, vt seruus, non vt Filius vnigenitus. Deinde dicitur quòd recedens à Patre dimisit gloriam suam, ac regnũ quod sibi debebatur: quia cum de iure esset super omnes, seipsum dimisit vt esset sub omnibus. Et hoc fuit verè dimittere regnum. Et tertio de illo dicitur, quòd recessit de mundo, & iuit ad Patrem vt acciperet regnum, quod acquisiuit per victoriam Crucis. Et ideo nunc regnare dicitur: quia ipse gubernat ecclesiam, imperando omnibus qui

Nota locũ difficilem.

Ioan. 16.

sunt in cœlo, & qui in terra. Quartò de eodem dicitur, quòd reuersurus est in mundum, non vt maneat, sed vt iudicet mundum: quia Pater omne iudicium dedit Filio. Tunc erit omnium resurrectio & tunc finis. Et tunc quinto loco erit quod B. Paulus dixit, Quòd reddet regnum, id est, ecclesiam, Deo & Patri suo, quam nõ solùm acquisiuerit sanguine, verùm etiam congregauerit, instruxerit, pauerit, direxerit, & euexerit vsque in cœlum ad fruẽdum Deo in æternum.

Et tunc finis erit regni sui id est, huiusmodi regni sui, *Cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* Non enim erit vltra regimen vel malorum Angelorum, vel bonorum erga impios vel pios. Et nota per principatum & potestatem & virtutem (quam Græcè δύναμιν, id est, potẽtiam dixit) comprehendi omnia regẽtium, vel imperantium, vel exequentium munera.

Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Inimici ergo Christi, qui ponendi sunt sub pedibus eius, non deputabuntur omnes illi qui damnationem meruerint, sed illi specialiter & maxime qui impugnauerint eum & doctrinam eius, vt fuerunt perfidi & blasphemi. Cæteri ad sinistram statuentur, & iudicabũtur. Illi verò vt iam iudicati, solo situ & loco cognoscentur. Erunt enim sub pedibus Christi. Sicut & econuerso, qui erunt cum Christo iudicantes, non expectabunt iudicium: quia & ipsi iudicati inuenti sunt in hoc mundo. Non hic agam aduersus eos, qui Christum venturum existimant, & regnaturũ mille annis: quorũ dogma iam olim explosum est & damnatum, licet nunc quidam deliri homines audeãt iterum excitare. Non enim oportet ob quemlibet proferentem solicitari, cum & hic locus ex Apostolo, & aliæ multæ scripturę, huic hęresi nimis apertè aduersentur.

Nouissimè autem inimica destruetur mors. Inimicam mortem appellat, quia destruit hominem: quæ & in ipsum Christum (ipso tamen volente) vim suã exercuit, tametsi nullum ius haberet in illum: sed ob hanc iniuriam tandem & illa destruetur. Vocat & nouissimam inimicam, quia vsque in mundi finem insultat: aut quia est pœna peccati, vt primus inimicus sit peccatum. *Omnia enim subiecit sub pedibus eius*, scilicet Christi. Si omnia, ergo & mortem ipsam, & ius & imperium mortis.

Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, &c. Ne quis stultè argumentaretur ex verbis, Patrem esse subiectum Filio. Nam qui subiecit ei omnia Pater, Dominus erat omnium, non potens se illi subiicere. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, &c.* Tunc Christus filius subiectus erit Deo Patri: non quòd ea parte qua Deus, fuerit vnquam, aut futurus sit Patri subiectus, neque secundum quòd homo nõ fuerit semper subiectus postquam fuit: sed (sicut diximus) quia cessabit regnum militiæ, & illa administratio sibi data. *Vt sit Deus omnia in omnibus.* Quia ad ipsum maximè respiciet omnis creatura absque medio. Non enim tunc indigebimus mediatore, aut aduocato.

Alioquin quid facient qui baptizãtur pro mortuis, si omnino mortui non resurgũt? Vtquid & baptizãtur pro illis? Ve

Universidad de Deusto Biblioteca

quid & nos piclitamur omni hora? Quotidie morior propter vestram gloriã fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro. Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgũt? Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iusti: & nolite peccare. Ignorãtiam enim Dei quidam habẽt. Ad reuerentiam vobis loquor.

Alioquin quid facient, &c. Miræ sunt circa hũc præsentem locum expositiones: quàm autem quadrent, viderint alij. Quidam enim horum occasione verborum etiam hæretica crediderũt, quod pro iis qui absque baptismo defuncti essent, possent viuẽtes baptizari, ita vt prosit illis defunctis: quod est falsissimum & absurdissimum. Hæc est igitur expositio, quam & alibi scripsi, quæ mihi videtur verissima: Vt hinc intelligantur ij, qui faciunt opera satisfactoria, & ieiuniorum, disciplinarum, & aliarum afflictionũ circa corpus. Nam hic baptismus dicitur ignis & spiritus, quo Dominus dixit se baptizandum, Crucem pro nobis accipiẽs: quo & prædixit baptizandos Apostolos, cum ait: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto nõ post multos hos dies. Clarus igitur sic redditur sensus loci huius. Vnde rectissimè concludit, Si omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis? Et ipse de seipso addit: quia & ipse maximè pro eis patiebatur, & pro salute propria.

Locus à nemine idonee expositus.
Luc. 11.
Act. 1.

Vt quid & nos periclitamur omni hora? Hîc vide cõtra hæreticos etiam ipsis Manibus infestos, quomodo prosunt suffragia pro defunctis. *Quotidie morior propter vestram gloriam.* Græcè legitur, per nostram gloriationem, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Vt sermo sit iurantis, testãtisque gloriationem illam, quam habet in Iesu Christo, propter quam & moriebatur quotidie. Mihi tamẽ magis placet latina lectio, vt quæ ad rem propositam magis quadret. Nullo enim opus erat hic iuramento, cum illud palam appareret.

Pro suffragiis pro defunctis.

Si secundum hominem in bestias pugnaui Ephesi, &c. Clara sententia, ac si dixerit. Ego autem in spe resurrectionis feci, & non secundum hominem, id est, non pro gloria mundi huius, sed pro mea & aliorum salute, & gloria vera. De hac verò pugna mirum est quòd nihil meminerit B. Lucas in Act. cum tamen res videretur memoratu dignissima. Sed paucis ille verbis multa perstrinxit, cum dixit: Non quaslibet virtutes faciebat Dominus per manus Pauli. *Manducemus & bibamus: cras enim moriemur*, ac si dixerit: Optimum esset & saluberrimum istud manducandi ac bibendi consilium, si mortui non resurgerent. Nam ita illi cõsulunt qui non credunt resurrectionem, sed animam hominis vnà cum corpore ipso interire docent, vt sunt Epicuræi. Est autem locus ex Isaia. 22. cap.

Act. 19.

Nolite seduci: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Ex Menandro poeta sentẽtia, quę verissima est: vt & si quis ab initio non loquatur serio & ex corde, sed ludo & ioco contra ea quæ sunt fidei (vt fit à plerisque, qui volunt videri excellere sapientia) talibus tamen colloquiis ipse corrumpitur: quia non est ludendum de Sanctis. Et iccirco Erasmi Colloquia, quibus hæc sententia verissimè & appositissimè conuenit, vitanda sunt, & igne cremãda tanquam veneni plena, & instigatione Dæmonis ad perniciem iuuentutis edita. Tametsi ille vafer & callidus simulator, & sanctorum tam in terra adhuc viuentium, quàm in cœlis iam beatorum obtrectator, excusans sese dixerit. Ego iocabar: ludens feci. Sensit iam tandem (vt credo) & sentiet in perpetuum miser, quid momenti habuerit illa coram Deo excusatio. Neque ij excusabuntur, qui legunt huiusmodi pestifera colloquia vel eo prætextu, quòd sese oblectent in iocis & argutiolis illis, quæ proculdubio sensim pectus christianum labefactant, & vera pietate spoliant. Quapropter aduersus tales pestes sapientissimè, & admodum opportunè sequitur:

De Erasmi colloquiis.

Euigilate iusti. Græcè, iustè, & melius. Est adhortatio ne socordia torpeãt: sed vt euigilent, & hoc iustè, id est, quẽadmodum exigit iustitia Dei, quæ est in corde piorum. *Et nolite peccare*, id est, habete odio peccatum. Quod si fieret, non tam facile peccaremus, quia id caueremus quàm diligentissimè. *Ignorantiam enim Dei quidam habent.* De maioribus eum loqui existimo, qui pre aliis sibi aliquid temerè esse videbantur, & regere alios volebant, vnde addit: *Ad reuerentiam vobis loquor*, siue ad erubescentiam, id est, vt eos pudeat ignorantię suæ. Nam ignorare quæ scire debet homo, pudorem incutit, cum obiicitur. Attendant Præpositi & Episcopi, qui nihil minus norunt, quàm disciplinam christianam.

Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quid seminas? non corpus quod futurum est, seminas: sed nudum granum, vt puta, tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed alia hominũ, alia pecorum, alia volucrũ, alia piscium. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorũ. Seminatur in corruptione: surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: surget in gloria. Seminatur in infirmitate: surget in virtute. Seminatur corpus animale: surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in Spiritũ viuificantem. Sed nõ prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. Primus

homo de terra, terrenus: secundus Homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neq; corruptio incorruptelam possidebit.

Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore venient? Duæ sunt quæstiones, quarum prima rem quasi impossibilem videtur supponere, sicut illi dicebãt. Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum? Ita isti dicũt: Quomodo resurgunt mortui? Ad hoc autem respondet Apostolus.

Ioan. 16.

Insipiens tu: Quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Hac similitudine illud suadere vult quod videtur impossibile, vt res semel mortua iterum ad vitam redeat. Sed ita apparet in semine: quia vt ad vitam veniat, ipsum prius mori oportet. Vnde nos in hoc mundo sumus per verbum Dei, quod manet in æternum, & vitam habet in semetipso, vigorem habet ad viuificandum. *Et quod seminas*, hoc dicit respondens ad secundam quæstionem, quæ rogabat: Quali corpore venient? Indicat autẽ nouam futuram qualitatem resurgentium corporum: non autem aliam substantiam, contra antiquam hæresim. *Deus autem dat ei corpus sicut vult, &c.* Græcè, vt voluit, videlicet ab initio naturã rebus statuendo. Poterat enim ex semine grani facere oriri lactucam, & fuisset lactucæ semen: sed ipse naturæ Author cuilibet semini propriam naturam indidit.

Non omnis caro, eadem caro: sed alia hominum, alia pecorum: alia autem volucrum alia piscium. Hic cauillosi dicere possent: quoniam pisces sunt caro, non licebit in quadragesima de his comedere. Sed alia est caro piscium, & ideo licet edere: quia non est eadem cum pecoribus & volucribus. Et ridicula argumenta sunt, quæ in legis voluntatem insiliunt, dum verbis superstitiosè innituntur. *Et corpora cœlestia & corpora terrestria*, supple sunt. *Sed alia quidem cœlestium gloria*, quæ est ex specie seu forma, vt patet. *Alia terrestrium.* Quæ est obscurior fermè incomparabiliter. *Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia est gloria stellarum.* Vt etiã inter cœlestia agnoscas differentiam. Per solem Christum, per lunam Mariam, per stellas Sanctos intellige. *Stella à stella differt in claritate*, seu in gloria, vt & inter Sãctos etiam gloriam non parem esse agnoscas. Vnde ait, *Sic & resurrectio mortuorum.* Erunt igitur illa corpora omnia gloriosa: sed aliqua differentia erit nihilominus in claritate. Sic & multæ mansiones, diuersas in vna vita æterna significant dignitates. Aliter enim ibi lucebit coniugalis castitas, aliter viduitas, aliter ibi lucebit sancta virginitas. Diuersæ lucebunt, sed omnes tamen ibi erunt. Splendor dispar: cœlum commune. Vt autem declararet quod erit omnium commune, subdit:

Legis intentio potius quam verborum sententia consideranda.

Seminatur in corruptione, videlicet homo, aut corpus eius, dum seminatur corruptibilis est, & ita semen iacitur in re corruptibili. Surgit in incorruptionem. Et hæc est vna dos, videlicet corporis incorruptibilitas. *Seminatur in ignobilitate, resurgit in gloria.* Corpus enim nostrum nũc est tenebrosum & obscurum: tunc lucidum erit, & gloriosum. Et hæc alia dos claritatis. *Seminatur in infirmitate, resurgit in virtute.* Hæc est dos agilitatis, vt vocant Scholastici. *Seminatur corpus animale, resurgit spiritale.* Theologi hanc dotem vocarunt subtilitatẽ: vnde haber potentiam admirandam ad penetranda cuncta corpora ista crassa. Verùm quia hæc longè absunt ab humana experientia, & vix credibile est homini, esse posse eiusmodi spiritualia corpora, subiecit Apostolus:

Dotes corporum beatorum.
Incorruptibilitas.
Claritas.
Agilitas
Subtilitas.

Si est corpus animale, est & spiritale. Bene sensum expressit latinus interpres: licet quodam tropo hebraico dicatur. Est corpus animale, est & spirituale, vt significetur quod dictum est: Si est illud, & hoc est. Theologicum est argumẽtum propter perfectionem vniuersi, ne quid cogitabile desit vniuersitati. Non enim esset (si quid cogitabile de esset) vniuersitas. Probat autem ita esse testimonio scripturæ dicentis in principio libr. Gen.

Factus est primus homo Adam in animam viuẽtem. Significatur hac sententia, primum illum hominẽ ex natura suæ creationis factum fuisse in animam, id est, vt anima sit sicut forma, cuius gratia est materia, vt sic inde vitam accipiat, & fiat corpus animale. Anima enim ipsi corpori dat vitam. Et B. Paulus citat sensum scripturæ Geneseos, quasi diceret. Hoc de primo homine legimus, quod & ad vniuersum genus ex eo futurum pertinet, videlicet, quòd *Factus est in animam viuentem*, vt sit animalis & terrenus: vt per hoc intelligamus alium de esse hominem spiritualem. *Qui factus est in Spiritum viuificantem*, id est, propter spiritum, vt ab ipso veram ipse homo accipiat vitam spiritualem: & sit spiritualis, & non carnalis vita: & sit sempiterna, & non temporalis. Vnde ad illud probandum addit egregiè:

Nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Hic est Christus Saluator noster & Dominus. Non hoc dicit, quasi Adam caruerit gratia, & fuerit Spiritu sancto destitutus. Ipse enim gratiam & dona spiritualia accepit: non tamen habuit ea ex se, sed participauit ipse de secundo Adam Christo. Nam cũ cognouit mysterium, tum & Spiritum accepit, & grauisus est in Christo & ecclesia. Sed hoc capere non est omnium.

Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Mirè declarat Dei prouidẽtiam in effectu eius. *Primus homo de terra terrenus*, hoc est, de terra loquens, & de terra sapiens: *Secundus homo de cœlo cœlestis.* Græcè legitur, secundus homo ipse Dominus de cœlo. Tamen nostra lectio verior videtur: quanquam idem sensus ex vtraque resultat. Duplex autem oritur hîc difficultas. Prima, Si primus homo nõ intelligitur nisi secundum corpus & animam simul, & magis secundum animam, vt videtur conueniens: equidem nec de terra est, nec terrenus dici debet, sed cœlestis: quia animis (vt quidam dixit) est cœlestis origo. Secunda difficultas est: quia secundus homo Christus, quoad carnem, de terra fuit ex Virgine, sicut scriptum est, Veritas de terra orta est. Alioqui in errorem incideremus Valentini, qui dixit Christũ attulisse cor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus de cœlo, propter huiusmodi scripturas, quas noluit sanè intelligere.

Quamobrem sciẽdum est, hominem ex humo dictum. Nam & hebraicè, Adam, nihil aliud est, nisi terra rubra. Item sciendum quòd secundũ hanc maximè partem consideratur, & esse dicitur, quæ materia est, & quam nos maximè videmus & experimur, & scimus: quoniam ex terra & limo sumus. Propterea scriptura dicit: Formauitque Deus hominem de limo terræ. Audi hominem formatum de limo terræ, & statim subiecit: Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Et hinc hominem maximè consideratum ex principiis materiæ intellige. Et subditur: Factus est primus homo Adam in animam viuentem. Quia propter ipsam animã est corpus, & corpus propter eam viuit, vt quæ illud animat: vt sicut corpus terrenum est, ita anima terrena sit, veluti forma, quam conuenire decuit propriæ materiæ non origine, sed quia immersa corpori terreno, nec habens officium animæ nisi in corpore terreno, cui aptata debeat æquari. Et hoc verissimum quidem est secundum statum naturalem & animalem. Et ita factus est homo terrenus, & persona ex ista coniũctione carnis & animæ: & sic non nisi de terra, quia non venit de cœlo. Nunquam enim fuit in cœlo ille primus homo Adam terrenus.

Spiritus ad vitam animæ & corporis datus.

At secundus homo quid est Christus, de cœlo venit. Quomodo? quia Verbũ Dei erat. Hic enim semper erat, & quando venit, & quando iunctum est animæ & carni. Non hoc primò fuit intentũ, vt anima carnem viuificaret, sed vt anima & caro viuificaretur per spiritum, & spiritui ambo seruirent. Et ad hoc factus est homo: & ita factus est in spiritum viuificantem. Quanquam verissimũ est, quòd per animam eius viueret corpus eius: anima tamen magis propter spiritum, vt ad se corpus potius traheret, faciens illud spirituale, quam ecõuerso, vt solùm corpori daret esse viuens. Et tamẽ propter dispensationem redemptionis dimissa est caro Christi passionibus, minime illi naturalibus secundum modum naturæ spiritualis. Hoc sæpe voluit exprimere mirabiliter B. Hilarius, quem aliqui non intelligentes, hæreticum ex eius verbis & pessimum sensum acceperunt. Ostendit autem Dominus qualis esset iuxta propriam suam sibique debitam naturam, quando à mortuis resurrexit: cui de iure debebatur illa gloria. Et vide vt egregiè sequitur:

B. Hilarius à quibusdã perperam intellectus.

Qualis terrenus, tales & terreni. Et qualis Cælestis, tales & cælestes. Ex illis enim duobus, duplicẽ quoque contrahimus natiuitatem. Ex primo, terrenã: ex secundo, cœlestem. *Igitur sicut portauimus imaginem terreni:* quia propter peccatum propriis naturalibus redditi sumus, & terrenis operã dedimus, sicut ille. *Portemus & imaginem Cælestis,* scilicet nũc liberati à peccato. Græcè legimus, portabimus, vt sit sensus. Et sicut portauimus imaginem terreni, id est, sicut in hac vita propter necessitates & conditiones vitæ, & naturæ nostrę corruptibilis, & variis expositæ laboribus & doloribus, & tandem morti, portauimus imaginem terreni propter peccatum, cui satisfaciendum erat: sic post mortem portabimus imaginem Cælestis, id est, ad imaginem & similitudinem eius erimus in gloria perfecta per redemptionem & glorificationem corporis nostri.

Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Hinc alium errorem collegerunt quidam, volentes alia nos corpora accepturos, quàm hæc quæ nunc habemus. At hoc contra scripturas apertas, & euidentissimum Iob testimonium pugnat aientis: Et in carne mea videbo Deũ Saluatorem meum. Igitur dicendum, carnem & sanguinem ab Apostolo vocari hominem, quatenus est ex Adam terrenus: vt intelligamus oportere nos habere in hac vita imaginem Cœlestis. i. carnem seruientem Spiritui, vt filij Dei. Hęc enim caro merebitur immutari, & possidere regnum Dei. Et dicit, possidere, pro hæreditare, vt vox græca ostendit: quia hæreditate capiemus terram, vt fratres Christi, & filij Dei, iilius hæredes, cohæredes autem Christi. *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Corruptionem appellat carnem nostrã peccato corruptam. Et per incorruptionem intellige resurrectionem & præseruationem perfectã, mortalitatis & omnis passibilitatis expertem. Impij enim & peccatores non pertinent ad hanc resurrectionem, licet non sint in perpetuum morituri & extinguendi penitus: sed non substentabuntur spiritu suo. Caro enim non prodest quicquã, sed Spiritus Dei est qui viuificat. Omnis autem caro fœnum. Sed ita Deus efficiet potentia sua, vt corpora eorum nunquam corrumpantur: sicut faciet & multis insensibilibus, quod declarans tanquam mysterium & arcanum ait:

Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. In momẽto, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgẽt incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatẽ. Cùm autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autẽ mortis peccatum est: virtus verò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christũ. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles: abũdantes in omni opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.

Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Duplex hic lectio, imò triplex. Vna est præscripta, quã habent latini codices, & quam B. Ambrosius sequitur. Alia est: Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur, & parum hæc distat à priore, imò eundem porrigit sensum: quia si omnes dormient, etiã omnes resurgent. Tertia est. Omnes quidem non dormiemus: sed omnes immutabimur. Et hanc amplectuntur quidam noui, quæ tamen & falsa est & pe-

Nota verò & germanam lectionem.

riculosa, nec potest (nisi proteruè) sustineri. Sed videamus quibus ipsi argumẽtis adducantur, & quibus contra rationibus occurratur eis, & satisfiat. Deinde quibus etiam conuincãtur. Primò igitur pro hac lectione adducunt ita haberi in græcis codicibus. Et nos dicimus, aliter habere latinos omnes, qui ex Græcis fluxere. Quòd si Græci codices consulendi sunt dicimus quòd in Græcis vetustissimis codicibus etiam olim inueniebatur varia lectio. Nam tripliciter legitur Græcè, quemadmodum ex commentariis ad hanc epistolam pãtet, qui nomine B. Hieronymi inscribuntur: tametsi B. Hieronymus alibi duas tantũ lectiones in Græcis esse admoneat. Hoc autem ex B. Ambrosio reuincitur, qui proculdubio ex Græcis tertiam, quã habemus, sequitur lectionem: quanquam non admodum de ista contendimus. Quæro igitur cur hanc deteriorem eligant potius, corrigentes latinam, cum illa iam antiquata esset, & propemodũ eam nesciebamus? Si enim ex Græcis reparanda erat, hoc fortè excusare posset, si saltem Græci codices omnes in vnam illam consentirent. At hoc in primis falsum est. Dicent fortasis, penes maiorẽ partem Græcorum codicum ita haberi. Sed reclamat B. Hieronymus, qui in epistola ad Minerium & Alexandrum contra prorsus restatur, videlicet communem lectionem hanc in Græcis fuisse. Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. Reclamat & B. Augustinus, qui non nisi hãc vnam solam admonet haberi in Græcis. Quapropter & in libr. 2. retractat cap. 23. emendauit, quodam in loco à se dictum futuros aliquot qui minimè essent morituri. Origenes hanc nostram sequitur lectionẽ: Didimus similiter. Quòd si quidam Theodorus Heracliotes, & nescio quis Apollinarius aliam magis probãt (vt B. Hieronymus docet) quid ad nos? quando etiam se excusat tales à se adductos velut autores, qui non erant vlla autoritate digni, quos etiam contemnere videtur B. Hieronymus. Neque tamen si in aliqua existimatione fuissent, tanti esse debent, vt faciant præiudiciũ aliorum autoritati, & communi lectioni. Sed quidam iis inauditis nominibus, propter antiquitatis honorẽ, nimis subterrentur. Nec me latet B. Chrysostomum istis fauere, qui falsa lectione deceptus est, & rem (vt sæpe fieri solet) non exactè ita considerauit.

Non ergo rectè temeritatem suam circa immutatam lectionem excusat Erasmus propter Gręcos codices, aiens (& non semel) agere se interpretem, & profiteri se ex fide vertere quod habetur in Gręcis. Nam cum latini, versi nimirum ex Græcis, reclament: & Græci item inter se non consentiant, & à probatis & fidelibus autoribus communis lectio in Græcis alia esse perhibeatur, profectò iam non est hoc vertere fideliter ex Gręcis, & interpretem agere (vt ait) sed iudicem, & aliorum sententiæ doctissimorum sine ratione detrahere: quod est illi in frequenti consuetudine. Et enim teste B. Hieronymo, Acatius quidam Cęsarien. Episcopus in quæstione hac, quam sibi proposuit, sic ait: Dicamus (inquit) primùm de eo quod magis in pluribus codicibus inuenitur. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem dormiemus, sed nõ omnes immutabimur, &c.

Secundò, Dicturi forsitan sunt, nostram lectionem constare non posse, qua dicitur: Omnes quidem resurgemus, siue omnes dormiemus. Aiunt enim in aduentu Domini reperiendos viuos multos, quos continget non mori. At hoc illud ipsum est, quod nos falsum esse confidenter asserimus, & contra scripturas satis manifestas, & omnino sine ratione: quin & contra rationes ad persuasionem validissimas non proteruis mentibus. Sed non hic hac de re differendi locus: in ea quæ ad Thessa. (largiente Deo) dicemus.

Omnes homines aliquãdo inuenietur mortui.

Hic tantum ex eis volo, prius vt ipsi lectionem suam statuant. Et quidem in suis codicibus Græcis (vt proferunt) ita legitur, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα. Quod ita vertendum est ad verbum, sicut & quidam vertunt: Omnes quidem non dormiemus. Hoc verò iuxta proprietatem sermonis significat nullos dormituros: quod est, nullos morituros. Neque enim sic positum est in Græcis, Non omnes dormiemus: quod declararet, Aliquos quidẽ non morituros, sed est, Omnes non dormiemus: quod (vt dixi) significat. Nulli dormient. Manifestum est enim apud logicos inter hæc discrimen: & iuxta veram sermonis proprietatem, quam & ipsæ scripturæ semper seruarunt. Igitur iuxta eorũ lectionem, Nulli moriturí sunt. Sic enim cum dicitur: Non est impossibile apud Deum omne verbum, id significatur: Nullum verbum est impossibile. Et non iustificabitur omnis caro coram illo id est, Nulla caro iustificabitur. Similiter multæ aliæ huiusmodi sententiæ explicantur.

Ad hæc, Quomodo dicere posset Apostolus: Non omnes dormiemus, cum Dominus ipse dicat, Dormitauerunt omnes, & dormierunt? Et infinitæ sunt scripturę de morte, quæ non parcet cui quam. Adde quod si vniuersalis conflagratio mũdi ante iudiciũ futura est (vt omnes fatentur) quis (quæso) in tanto incendio viuus valeat superesse? Et quomodo verum est quod dicitur, Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur? cum non sit futura omnium immutatio, teste ipso Apostolo, qui ait: Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Non dicit: Et immutabuntur, nec dicit, Omnes immutabimur: quoniam nec illud verum erat. *Matth. 25.*

Ad hęc, Si de his qui non morientur dixit B. Paulus, Et nos immutabimur. Quomodo verũ est de ipso Apostolo, quòd non sit mortuus, cũ se inter illos annumeret qui immutabuntur, & nõ morientur? Et quomodo hanc ansam prudẽs dedisset existimandi vicinum iudicium, & imminere diẽ Domini, cum ipse resolutionem sui corporis sciret, & de illa sæpe loquutus fuisset?

Plura sunt alia præter hæc, quæ possunt obiici contra istam intelligentiam quibus non arbitror posse, nisi perperam, responderi: vel illud quod ipse Apostolus tam clarè ait, Sicut in Adam omnes moriuntur: ita in Christo omnes viuificabuntur, Et reuera qui non moritur, non resurgit. Et qui nõ moritur & non resurgit, non est membrum Christi. Denique quis ausit vllum ab isto communi debito excipere, si neque Christus, neque sanctissima Mater eius, neque B. Ioannes baptista, neque Apostoli & insignes Patriarchæ & Prophetæ excepti sunt? Sed obiiciunt de Henoc & Elia, & non

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulli de Dilecto discipulo. Nos autem hos fatemur (si non sunt mortui) morituros tamen omnino, & morte quidem illustri & pretiosa vt in Apocalypsi ipse Dilectus perspicuè testatur habentibus oculos.

In momento, in ictu, siue nictu *oculi*, celeritatem indicat resurrectionis. Sicut enim dicto creauit vt subitò essent cuncta: ita erit quodammodo in resurrectione, *in nouissima tuba, &c.* Hęc tuba Dei idem est (vt quidem exponit) quod vox Archangeli, de qua idem Apost. 1. ad Tess. 4. In voce Archangeli, &c. Ille enim erit tuba Dei, & putatur Michael. *Et mortui resurgent incorrupti*, id est, immortales nõ amplius morituri. Et per hoc excluditur ordo temporis in resurrectione, non tamen ordo dignitatis. *Et nos immutabimur.* Nos scilicet pij & iusti immutabimur per dotes resurrectionis, de qua immutatione loquutus est superius: ne sine causa aliter atque aliter eadem dictio in eodem etiam contextu nullo cogente indicio, sed mero nostro arbitrio & voluntate accipiatur.

Quid estim mutatio Beatorum.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionẽ, quod erit commune bonis & malis per communem resurrectionem. *Cùm autem mortale hoc induerit incorruptionem, tunc fiet sermo*, id est, apparebit verus & verificabitur, *qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? &c.* Victrix mors facta est ex peccato: quia habuit imperium in omnes. Hæc autem victoria tunc auferetur: quia non erit vlterius neque lex, neque peccatum, neque mors. *Stimulus autem mortis peccatum est.* Quia mors per illud nos pũgit: vt sit sensus. Peccatum est causa mortis: quæ mors vrget nos tanquam stimulus quidam dicens: Meritò hæc pateris, quia peccasti. Peccato autem cessante, mors aculeum nõ habet: quia qui in Domino moriuntur, non tam moriuntur, quàm dormiunt. *Virtus autem peccati lex.* Quòd peccatum habeat hanc potentiam, vt mors sit nobis stimulus, à lege est, quam peccator est præuaricatus. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio iustè ostendi potest.

Remedium vnicũ contra stimulum mortis.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Hic Apostolus manifestè vult, quòd etiam in hoc mundo nonnulli potiuntur victoria aduersus mortem: quoniam legi parent, & euitant peccatum. Quo fit vt his nullus stimulus sit ipsa mors: sicut accidit B. Paulo, qui dissolui cupiebat, & esse cum Christo: quod & mulcis viris optimis contingit. Quare benè sequitur: *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles*, videlicet in fide & charitate, vt euitetis stimulum mortis, *Abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Opus Domini est opus quodcunque ipse precepit tendens in salutem. Et hoc opus & labor in eo non est frustra, cui datur pro mercede vita æterna. Hoc est opus Dei, quod dedit Pater Christo Filio vt faceret. Hoc opus est semper faciendum, sicut ille fecit, & dixit: Quæ placita sunt ei facio semper. Dicitur autem opus Domini, non solùm quia præcipitur à Domino, verùm etiam quia ipse Dominus illud nobiscum operatur per gratiam suam & auxilium: & quia etiam fit in eius gratiam, & hoc facit vt non sit labor inanis, & ideo ait: *Labor vester non est inanis in Domino.* Contra verò ipse male iis

Contra hæreticos negantes mercedẽ & merita.

Ioan. 8.

euenturum minatur qui fuerint auari, & non diuites in Deum. Sententia item clarissima pro retributione bonorum operum apud Deum, aduersus hæreticos.

CAP. XVI.

De collectis autem quæ fiunt in Sãctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbathi, vnusquisq; vestrũ apud se seponat, recondẽs quod ei bene placuerit, vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. Quòd si dignum fuerit vt ego eam, mecum ibũt. Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertrãsiero: nam Macedoniam pertrãsibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiã hyemabo, vt vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in trãsitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autẽ Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi. Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Nequis ergo illũ spernat. Deducite autem illum in pace, vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre, vobis notum facio, quoniam multùm rogaui eum, vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas eius vt nunc veniret. Veniet autem cùm ei vacuum fuerit.

De collectis autem, &c. Erant autem hæ collectæ subsidia sanctorum pauperum qui erant Ierosolimis. Nam vt in Actis Apostolorum legitur, B. Paulus & Barnabas hoc sibi onus sumpserunt, ab ecclesiis Gentium impetrare aliquid elemosynarum ad sustentationem eorum qui erant Ierosolymis Christiani, vbi propter Iudæos, crucis Christi acerbos inimicos, non poterant mendicando victum quærere, & tamen pauperes erant. *Sicut ordinaui in ecclesiis Galatiæ.* Memor suæ obligationis & charitatis. Ecce quomodo B. Paulus pro aliis solicitè collectam faciebat, pro se autem nihil. Quo in loco non leuiter punguntur prædicatores verbi, qui pro se collectas diligentissimè faciũt, pro aliis autem parum, aut nihil. Vnde verendum est ne illis dicatur: Accepistis mercedem vestram. Quanquam non ignorem) vt superius meminimus) Deũ ordinasse prædicantibus euangelium, de euãgelio viuere: sed omnis auaritiæ & procacia ac petulantia abiicienda erat.

In prædicatores auctos.

Per vnam sabbatorum, id est, primam, tropo hæbraico.

braico. Hæc erat dies Dominica. *Vnusquisque vestrum apud se seponat, &c.* Sensus est facilis. Et gratiam vocat beneficentiam & munus: quia liberaliter & gratis erat dandum, & cum omni puritate. *Quòd si dignum fuerit vt ego eam, &c.* Non enim omnia decent omnes. Vnde videbatur non esse Apostolicum talia exequi, propter dignitatem officij, quæ est seruanda, sed & in loco humilitatis gratia demittẽda: ideo præditus summa humilitate Apostolus & ardẽti charitate seipsum subiecit. *Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero, &c.* Nihil hic obscurum, nisi quòd nescimus plerunque tempora, quando hæc acta fuerunt. Quod verò ait: *Vsque ad Pentecosten.* Non dubito quin de festo dicatur, licet quibusdam sine causa, & absque vlla prorsus ratione (nisi studium fuerit contradicendi & abolendi festa) aliud videatur, & exponunt, quòd volebat ibi manere quinquaginta dies.

Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi. Et sanè cõuenit: Vbi enim Deus parat milites suos, etiam diabolus armat suos, & tunc tempus est militiæ ac prælij, non torporis ac desidiæ. *Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos.* Erat mirum in modum timidus ille dilectus Apostolo, sicut ipse ad illum scribens clarè innuit. *Opus enim Domini operatur, sicut & ego*, scilicet in salutem animarum. Hoc est opus Domini, vt credamus in Christum, & credendo vitam adipiscamur æternam. *Ne quis ergo illum spernat.* Si opus Domini spernendum non est, nec ille qui illud operatur contemnendus est. *Deducite*, id est, dimittite *illum in pace, vt veniat ad me. De Apollo autem fratre, &c.* Hic nota quòd etiam Apostolo non morigebantur interdum viri magni. *Veniet autem cùm ei vacuum fuerit.* Græcè ἐὰν καιρὸν λάβῃ, id est, quando opportunum fuerit.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia vestra in charitate fiant. Obsecro autem vos fratres, nostis domũ Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitię Achaiæ, & in ministerium Sanctorum ordinauerũt seipsos, vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autẽ in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt. Refecerunt enim spiritũ meum & vestrum. Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt. Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ. Salutãt vos in Domino multũ Aquila & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutatio, mea manu Pauli. Siquis non amat dominum nostrũ Iesum Christum, sit anathema, maran atha. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu, Amen.

Vigilate, &c. Domini est præceptum vigilantia sæpius (nec ab re) repetitum, quia sensus debemus habere assiduè expetrectos ad vitandum malum, & operandum bonum, & obseruandum inimicorum insidias multiplices, & à dæmonibus, & ab hominibus structas. Fides verò est in qua stamus, & viriliter agimus. Hæc exhortatio ex Psalmo collecta est vigesimosexto: Expecta dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Expectamus Dominũ vigilando, & stando in fide. Viriliter agimus, pugnando & resistendo fortiter tentationibus. Cõfortatur autem cor, & sustinet Dominum expectans bene operando. *Omnia vestra in charitate fiant.* Nihil enim tunc fiet perperam, sed cuncta ordine, & ad honorem Dei, & ædificationem proximi.

Obsecro autem vos fratres nostis domum Stephanæ, &cæt. sunt primitiæ Achaiæ. Qui primi venerunt ad fidem in eo loco. Et quod ait, *ordinauerunt seipsos*, intellige quòd accinxerunt se ad illud opus, vt ministrarent de suis facultatibus temporalia sanctis. Ne quis fatuus hinc colligat, quòd in officiis & sacris ordinibus quilibet valeat ordinare seipsum: quòd esset rectissimum ecclesiæ ordinem confundere: imò & seipsum. Et verè magnam sibi comparat in die iudicij fiduciam, qui in hac breui vita solicitam erga pauperes curam gerit: quia Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum: nihilque prodest quòd aliquis Christianus vocetur in nomine, si hoc non ostendit in opere. Scriptũ est enim: Fides sine operibus mortua est. Iudicium enim sine misericordia fiet ei, qui misericordiam proximo non impenderit. Nam quid aliud audituri sunt qui statuentur ad sinistram, nisi: Esuriui, & non dedistis mihi manducare? Sitiui, & non dedistis mihi potum? Nudus fui, & non cooperuistis me? Vbi nec illi qui ad dexteram erunt, ideo regnum accipient, quia nunquam peccauerunt: sed quia peccata sua mũdare eleemosynis studuerũt. Et illi qui ad sinistram erunt, non ideo mittuntur ad ignem, quia peccatores fuerunt: sed quia peccata sua eleemosynis redimere noluerunt. Ac sic & illos largitas sola glorificabit: & istos sola sterilitas condemnabit. Itaque huiusmodi sanctis exercitiis dediderant seipsos, & sua, generosi isti Christiani, quos ita Apostolus cõmendat, vt præcipiat eis esse parendum, & omnibus in vinea Domini laborantibus.

Quod vtinam seriò considerarent & Prælati, & alij potentes in sæculo, & diuites, qui tam profusè in conuiuiis (ad nauseam ferè ferculorum varietate & multiplicitate extructis) sumptus faciunt maximos, quibus possent ali innumeri pauperes fame & frigore pereuntes. Ait igitur de istis Apostolus:

Refecerunt enim spiritum meum & vestrum. Non aperit quibus in rebus refocillauerint illum, in spiritualib⁹, ne an in præsentia ipsa, seu potius de suis facultatibus: quod postremum videtur esse verisimilius, cum Apostolus ipse esset longè opulentior & paratior ad corroborandos illos circa ea quæ erant spiritus, & perseuerantiæ in illo sancto charitatis opere, vt pro temporalibus redderet spiritualia. Et vt prudenti quadam arte Corinthios ad æmulationem animaret, addidit:

Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt. Cognoscere

Universidad de Deusto
Biblioteca

per gratitudinem, & vt eos honore prosequantur iubet, postquam loco vestri supplent, quæ vos ipsos, & præsenti seruitio, & opibus præstare æquũ erat. Sciendum hîc insuper haberi in Græcis, hanc epistolam per illos fuisse missam.

Salutant vos omnes ecclesiæ Asiæ. Asiam vocat non eam quę maior appellatur, & quam diuidũt Geographi ab Europa & Africa, sed intelligit minorem illam Asiam, in qua erant septem illæ ecclesiæ, ad quas suam Apocalypsin scripsit Dilectus discipulus.

Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla. De his fit mentio in Act. cap. 18. qui meruerunt excipere tantum Apostolum in suis ædibus, & simul etiam manibus laborare. Fœlix sanè tali hospite domus, quæ in ecclesiam cõuersa est, & templum Spiritussancti. Verisimile enim est, omnes illius familiæ sanctis moribus fuisse ornatos, quorum etiam nomine salutem dicit Corinthiis Apostolus: *cum domestica* (inquit) *sua ecclesia*, per ecclesiam, totam familiam intelligens. Græcè tamen desideratur, quod additum est (nec quidem male). *Apud quos & hospitor.* Nam hoc verum est, & expressè habetur in Act. in eodem iam citato capite.

Salutatio: Mea manu Pauli. Salutationẽ manu propria scribebat, non solùm quę esset sui erga illos amoris indicium, verum etiam ad testificandã suam esse epistolam, ne falsi fratres possent ementiri ad fallendos simpliciorum animos. Hoc autem pro indicio obseruandum significabat, quemadmodum ipse ad Thess. testatur.

Siquis non amat Dominum nostrum Iesum Christum sit Anathema, Maran atha. B. Hieronymus duas dictiones esse docet, *maran*, id est, Dominus, *atha*, venit, temporis præteriti, vt quidam volunt. Redditur verò causa, quur anathema ei imprecetur qui non diligit: quia scilicet Dominus noster iam venit, nimirum in humilitate, & cum omni benignitate, non ad iudicandum, sed ad saluandum quod perierat: vt nulla sit penitus excusatio non diligenti. In tantis ærumnis & doloribus, & morte tandem per Crucẽ decreuit ad nos venire Dominus, vt si quos facilitas creationis ad amãdum non moueret, extrema illa nostræ redemptionis difficultas ad redamãdum prouocaret. Pretium nostrum sanguis Christi est, qui eos veritate summa iudicabit, quos tam immensa misericordia redemit: & sempiterno illos anathemate feriet, qui eruti de potestate tenebrarum, diabolicæ iterum seruituti se subiecerunt, & sanguinem testamenti spreuerunt. Quod à vobis auertere dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum, Amen. *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum, &c.* Clara sunt verba, & iam sunt à nobis in prioribus epistolis exposita. Benedictus Deus.

COMMENTARIA IN POSTERIOREM EPISTOLAM B. PAVLI AD CORINTHIOS.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatẽ Dei, & Timotheus frater, Ecclesię Dei quæ est Corinthi, cum omnibus Sãctis qui sunt in Achaia: Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

HANC epistolam ferunt misisse B. Paulum ex Troade per Titum. Eius argumẽtum esset difficile breuibus perstringere, quoniam varia admodum continet. Summabitur autem (vt ita dicam) capitulatim. Porrò nihil hoc in loco videtur annotandum, nisi quòd vt in superiore epistola adiunxit sibi Sosthenem, tanquam coauctorem epistolæ: ita in hac adiungit sibi Timotheum. Per illam potenter saluans (hoc enim significat Sosthenes) per hanc verò pro salute iam adepta honorificans Deum. Nam hoc significat Timotheus. Hoc dicimus, quoniam in priore in criminosos quosdam, obiurgationes & animaduersiones premisit ad pœnitentiam, tanquam pharmaca salutaria. In hac verò posteriore, de fructu pœnitentiæ gratulatur honorificãs Deum. Et quia multa etiam de se in sui commemorationem prędicat: intelligere lector debet, quòd illa non ex se proferebat, & in sui gloriam: sed Timotheus, id est, honor Dei, qui sibi erat charissimus, cogebat eum. Et enim proprium est sanctorum virorum, se interdũ extollere, non quidem libẽter, sed coactè: non sui gratia, sed ad ædificationem aliorum, & gloriam Dei & honorem: ideo Timotheum sibi socium asciscunt. Hæc autem in eorum gratiam dicta sint, quos mystici scripturarum sensus delectant, qui & si apud contentiosos facile spernuntur, qui plus quãm pietas postularet ad solam literam semper prouocant: valent tamen plurimum ad solatium animi, & ad morum probitatem formãdam. Imo verò sunt pleræque in veteri testamento historiæ, quæ si nullis condiantur huiusmodi mysticis sensibus, insipidæ & parum dignitatis habere æstimari possunt, & quæ ad nostram vtilitatem nihil cõducant: & tamen figuræ erant & propter nos scripta. Sed de his aliâs. Hîc quantum ad literam spectat, nihil noui non alibi iam expositum.

Benedictus Deus & Pater domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita

& per Christum abundat consolatio nostra. Siue autẽ tribulamur, pro vestra exhortatione & salute: siue cõsolamur, pro vestra consolatione & salute: quæ operatur tolerantiam earũdem passionum, quas & nos patimur, vt spes nostra firma sit pro vobis, scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

Benedictus Deus, &c. A gratiarum actione incipit pro more suo. Id est enim benedicere Deũ, quod est agere illi gratias. *Et pater Domini nostri Iesu Christi.* Frequenter in epistolis suis nominat B. Paulus Patrem & Filium, non vt excludatur, sed vt subintelligatur Spiritussanctus: quia Patris & Filij nexus est communis, & reciprocus amor. *Pater misericordiarum*, id est, fons & origo omnium misericordiarum, quæ à sæculo sunt. *Et Deus*, id est, autor *totius*, siue omnis *consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* De seipso loquitur beatus Paulus. *Vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Nulla est tam grata tamque iucunda afflictorum consolatio, quàm illa quæ ab afflictis venit, vel qui iam pericula euaserunt: aut qui in tribulationibus constituti etiam gaudent. Nam & ij verius & magis compatiuntur. Vnde apud quendam: Non ignara mali miseris succurrere disco. *Per consolationem, qua & ipsi consolamur à Deo.* Deus amicis peculiaribus, quia grauissima patiuntur, non solùm vberiorem consolationem subministrat: verumetiam excellentiore modo, ac certiore, videlicet per ipsos Dei angelos internè miris modis, quos nos ignoramus. Vnde & ipsi certissimi fiunt de dilectione Dei in se, & cum Psalmista aiunt: Secundum magnitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute: siue consolamur pro vestra consolatione & salute. Græca lectio clarior sic habet. *Siue autem tribulamur, pro vestra consolatione & salute: siue autem consolamur, pro vestra consolatione ac salute.* Ergo tribulationes & afflictiones B. Pauli cedebant in consolationem, ac salutem illorum. At quo pacto de afflictionibus Apostoli consequebantur illi consolationem, nisi quia hoc est corporis mystici, vt maiora ac potiora membra patiantur pro minoribus atque indignioribus membris, vt cum ipsis remissius agatur? & hæc est cõmunio sanctorum. Sic ait ille de Domino nostro Iesu Christo, quòd factus est egenus, vt illius inopia nos qui inopes & miseri eramus, diuites efficeremur. *Quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur.* Verè absque aliqua spirituali consolatione nullus quicquam posset libẽter tolerare. Quinimò nisi superexcellat consolatio tribulationem, nemo diu patietur aduersa. Illa igitur consolatio, qua per B. Pauli tribulationem & consolationẽ consolabantur Corinthij, causa erat, vt & ipsi Corinthij toleraret eadem, siue eiusdẽ generis passiones. *Vt spes nostra firma sit pro vobis.* Ecce vnde alitur & roboratur spes, nimirum in tolerantia ac patientia, vt quantò quis duriora patitur, tantò eius spes fiat solidior.

De consolatione sanctorum in tribulationibus.

Scientes quòd quemadmodum socij passionum estis: sic eritis & consolationis. In hoc est enim Dei iustitia: vt pro modo non solùm gratiæ, verumetiam laboris, & patientiæ retribuat: contra hæreticos. *In hæreticos.*

Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatiõe nostra quę facta est in Asia: quoniã supra modũ grauati sumus supra virtutẽ, ita vt tæderet nos etiã viuere. Sed ipsi in nobismetipsis respõsum mortis habuimus, vt nõ simus fidẽtes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tãtis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuãtibus & vobis in oratione pro nobis, vt ex multarũ personis faciẽrũ, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei cõuersati sumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis & cognouistis. Spero autem quòd vsq; in finem cognoscetis: sicut & cognouistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die Domini nostri Iesu Christi.

Non enim volumus vos ignorare de tribulatione, &c. Tribulatio, quam se pertulisse in Asia significat, non satis nota est nobis. Quæcunque autem fuerit illa, cum tam insigniter citetur ab ipsomet B. Paulo, valdè magnam fuisse oportuit, qua supramodum se grauatum fuisse prædicat, ac supra virtutem, seu supra vires. *Ita vt tæderet nos etiam viuere.* Aliqui vertunt: *Ita vt desperaremus etiam de vita.* Primum dictum, scilicet supra modum & supra vires afflictum fuisse illum, videtur ab ipsomet Apostolo reprobari, cùm dixerit: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Nunc autem ponit tentationem supra modum, ac supra vires. Sed respondetur, quòd amicos & electos suos supra eorum vires tentat Deus: non tamen simpliciter supra vires habita diuini auxilij ratione, quo considerato, non est supra vires tentatio. Hoc autem facit Deus, vt illi perfectè se agnoscant, qui non possent tanta perpeti, nisi Dei præsentaneum adesset auxilium. *De excessiuis tentationibus sanctorũ.*

Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidẽtes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Responsum mortis est inualescentia illa, & tribulationis apprehẽsio, quæ opprimit hominem ad necem vsque, nisi succurrat Dominus. Sentiebat enim B. Paulus se non posse resistere per vigorem venientem à morte. Et in hoc responso per hanc cõcertationem venit prouentus, iuxta illud: Sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis substinere. Etenim didicit ipsa experientia teste, non esse fidendum in propriis viribus, sed in Deo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. *Qui de tãtis periculis nos eripuit.* Græcè, de tanta morte, aut de tantis mortibus. *In quem sperauimus, quòd & adhuc eripiet.* Si iam eripuit, dedit spem futuri, quòd & eripiet: quoniam perfecta sunt Dei opera. Et hæc est confirmatio fidei, & spei sanctorum, considerate præteritas gratias, & euasiones. *Adiuuãtibus & vobis in oratione pro nobis*, sunt enim effectus plurimi venientes à Deo, qui exigunt orationes, & non priuatas tantùm, sed etiam Christianorum communes: qualis est liberatio eorum qui sunt Præpositi ecclesiis, sicut erant Apostoli. Vult enim sapientissimus Deus, vt quæ ad rem publicã & communionem pertinent, ea communiter ab omnibus adiuuentur. Sic est mos ecclesiæ sanctissimè institutus, vt oretur pro Papa, & Antistibus, & Imperatore, & Regibus: quoniam publicas illi personas sustinent, vnde multa & bona & mala possunt prouenire, vt hęc prohibeat Deus, illa promoueat. Neque enim frustra meminit scriptura factam sine intermissione orationem dum B. Petrus seruaretur in carcere. Quantum verò nostris temporibus refriguerit populorum erga suos pastores amor & reuerentia, vtinam non pateret plus satis: ita vt orationes subditorum versæ sint in detractiones & contemptum aduersus Prælatos. Vnde minime mirum si propter peccata vulgi permittat Deus regnare hypocritas. Pro qualitate enim subditorum disponuntur actus regentium, ait Magnus ille Gregorius.

Act. 12.

Nota.

Vt ex multarum personis, &c. Perturbata aliquantulum videtur huius loci sententia: quæ proculdubio hæc est. Reddit rationẽ quamobrem velit eos qui multi erãt, pro se orare vt eripiatur ab illis mortibus. Hæc autem est, vt à multis personis agerentur gratię, pro dono sibi per orationem collato, id est, liberationis suæ, & tolerãtiæ suæ. Sciebat enim gratas Deo esse gratiarum actiones: & tantò gratiores, quantò a pluribus redderentur, qui beneficia acceperint. Vnde vt rem valdè absurdam ostẽdit in euangelio Dominus de illis decem leprosis mundatis, quorum vnus tantum redierat, qui gratias egit. Et verè communis multorum est hæc erga Deum ingratitudo: vitium profecto pessimum, Deo & hominibus infestissimum. Sicut enim gratitudo & gratiarum actio, est quædam tacita supplicatio, vt quæ accepimus dona conseruentur, & augeantur: sic econuersò, ingratitudo causa est, vt nedũ quod oratur, impetretur, sed & quod est datum meritissimè auferatur.

Pro debitis gratiarum actionibus.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Non est difficile videre connexionem huius loci cum superiore, si retineatur quod diximus, B. Paulum hactenus dixisse causam suam esse causam communem, & propterea interesse omnium vt orarent, & obsecrarent, & gratias agerent pro sua ipsius salute. Nunc id probans ait: *Nam gloria nostra*, seu gloriatio nostra, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, &c.* De testimonio conscientiæ, non solùm scripturæ sanctæ, & sacri doctores, verùm etiam Ethnici prædicarũt excellẽter, quanta in eo consistat mentis pacatio, & quanta trãquillitas, & quanta fortitudo, & gloria: vnde quidam dixit, Hic murus aeneus esto, nil cõscire sibi, nulla pallescere culpa. Est & cuiusdam sapientis celebris sententia, quam & plerique magni autores vsurparunt, eam vt verissimam comprobantes: dixit enim: Hæc est summa boni, mens quæ sibi conscia recti est. Vnde B. Augustinus, si quis Ethnicos repudiet (qui tamen in multis, quæ prudenter ac sapienter cogitarunt atque literis mandauerunt, temerè non sunt spernendi) in lib. contra Secundinum ait: Senti de Augustino quicquid libet: Sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Ecce quomodo in hoc solùm quiescebat, si conscientia propria non accusabatur. Qui autem potuisset, nisi certitudinem serena conscientia afferret? Quin ille etiam Dilectus ait: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Sed qualem fiduciã? Audi quod sequitur: Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. Hæc ille, qui testimonium perhibet veritati. Vnde clarè accipitur, in conscientia (si tamen rectè discutiatur) non esse deceptionem. Verùm plurima sunt pro hac sententia de certitudine & pace, quam reddit homini iusto bene explorata, & ignara peccati cõscientiã.

Pro securitate à conscientia bona.

1. Ioan. 3.

Sed turbantur quidam, cum aliàs dixerit B. Paulus: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui certè locus (si veritas præferenda sit humanis commẽtationibus) planum habet sensum, & longissimè ab eo remotum, qui dissideat à sententia nostra. Loquebatur enim (sicut eo in loco declarauimus) B. Paulus de iustificatione vera & perfecta, & cunctis perspicua quando proferetur iudicium à iudice qui nõ decipitur: & iustificabuntur ab eo, hoc est, iusti pronunciabuntur, qui verè inuenti erunt iusti. Hæc iustificatio non contingit à sola ipsius priuati hominis conscientia: sed expectandus est verus & legitimus iudex, & tempus præfixum, quùm reuelabuntur abscondita tenebrarum, vt ibidem clarè explicat ipsemet Apostolus. Nam in conscientia nostra quid sit, quidue lateat, nemo alius videt. Et ideo nullus plenè iustificatur apud alios, etiam si sit ipse iustissimus, & se se iustissimum esse certissimè sciat. At quia homini satis est conscietia sua, & testimonium conscientiæ suæ legitimè exploratæ, atque probatæ: ideo & hoc satis est illi interim, vt glorietur in corde cotã Deo: humiliter tamen & sobriè, in Domino scilicet, Spiritu etiam internè contestificante, sicut gloriabatur Apostolus. Quæ quidem gloriatio nondum est perfecta quandiu potest excidere homo, & mentem in hac vita mutare.

Sed vide nunc qua de re testimoniũ fuerit conscientiæ, *Quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei conuersati sumus in hoc mundo*, hoc est, non duplici animo vt hypocritæ, sed sincerè. Nec cuiuscunque sinceritatis, sed diuinæ, quæ ex Deo est. Adiecit. *Et in gratia Dei*: ac si dixerit, non sperans, aut confidens in hominibus, sed solùm in protectione diuina: & sic solebat antiquitus dici. Et hũc spectat quod legimus in Actis, quùm recedente Barnabã cum Marco, fratres dicuntur proficiscentem Paulum tradidisse gratię Dei, hoc est, votis & orationibus commendasse illum diuinę protectioni & gratię. Cúmque talem fuisse conuersationem suam in hoc mundo dixisset, addidit: *Abundantius autem*

Act. 14.

ad vos, seu erga vos. Apud eos enim ita se gessit, vt nullam dederit vel malignis occasionẽ detractionis, vt patet in superiore epistola: Et nunc ait,

Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis, & cognouistis: Græcè melius, legitis & cognoscitis. Legebant enim assiduè in scripturis: & cognoscebant de Domino Iesu Christo per lumen fidei, & vt B. Ambrosius ait, per miracula & signa, & prodigia, quæ faciebat Deus per manus B. Pauli. *Spero autem quòd vsque in finem cognoscetis, &c.* Sensus est, Quòd simus nos gloriatio vestra, & vos nostra (Nam gloria patris & magistri, est gloria filiorum & discipulorum, & econtrariò) spero vos cognituros perfectè in die Domini, sicut nunc ex parte iam cognouistis: quia præ illa cognitione quæ tunc erit, omnis hæc nostra in præsenti vita mortali cognitio ex parte est, hoc est, tenuis & imperfecta valdè.

Et hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secũdam gratiam haberetis: & per vos transirem in Macedoniam: & iterumà Macedonia venire ad vos: & à vobis deduci in Iudæam. Cùm ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut quę cogito, secũdum carnẽ cogito, vt sit apud me Est, & Non? Fidelis autẽ Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, nõ est in illo Est, & Non: sed est in illo Est. Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanũ & Timotheum, nõ fuit in illo Est, & Non: sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est: ideo & per ipsum, Amen, Deo ad gloriam vestram. Qui autẽ confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego autẽ testem Deum inuoco in animã meam, quòd parcens vobis, non veni vltra Corinthum: Non quia dominamur fidei vestræ: sed adiutores sumus gaudij vestri: nam fide statis.

Et hac confidentia, &c. Hic Apostolus significat, quòd in hac confidẽtia ac persuasione, vtpote qui apud illos cognitus esset vt pater, ac magister bonus, ac propterea cum honore ac reuerantia suscipiendus, volebat proficisci ad illos, vt secundã haberent gratiam. Vocat secundam gratiam, respectu prioris gratiæ, qua per euangelium eos genuerat, ac formarat tunc paruulos in Christo. Volebat enim operari in illis pro augmento gratiæ ac stabilimento. Et hoc vocat secundã gratiam. Narrat quomodo volebat per eos ire in Macedoniam: & rursum è Macedonia redire ad illos. In superiore tamen epistola dixit, quòd iturus Macedoniam nolebat per eos transire: ex quo videtur quòd hãc voluntatẽ transeundi per illos (de qua hic est mentio) habuerat B. Paulus antequam scriberet ad illos priorem, & mutauerat. Nec est mirandum esse in sanctis mutabilitatem consiliorum, ob multa improuisa quę illis occurrunt, præsertim apud eos qui peculiari Spiritussancti voluntate ad salutem variorum hominum diriguntur. Contingit enim sæpenumero multa tractantibus ac varia, vt iuxta opportunitates mutent sententias. Verum quia ignari negociorum hanc sentẽtiæ mutationem possent inconstantiæ & leuitati tribuere, idque præsertim in sanctis viris, adiecit:

Cùm ergo hoc voluissem, &c. Græcè significantius:

Cùm ergo hoc deliberassem, num leuitate vsus sum? Aut quæ delibero, secundum carnem delibero, vt sit apud me, Est, & Non, ac propterea leuitas? Difficilis hic locus videtur, & obscurus. Mihi tamen eius verus sensus hic videtur. Cùm duo vitia in cõsilio de mutanda sententia possint interuenire: Alterum leuitas, quùm quis non ex graui causa recedit à priori sententia, sed leui vento hac illac circunfertur: Alterum verò pertinacia, quę est dementis & ambulantis secundum carnem, qui quod semel statuit, & libet, etiam ratione suadente atque vrgente vt muter, non tamen vult mutare, sed, Est, semel prolatum, vult vt sit, Est: &, Non, semel prolatum, vult vt sit, Non. Sic enim habet Græca lectio: Est est, & Non non. Vtrunque autem vitium à se B. Paulus hoc sermone depellit, ac si clarius dixisset: Quòd non venerim, cum tamen me venturum deliberassem, non fuit leuitas in mutando cõsilium, sed ex causa graui illud mutaui. Et quod deliberaui me venturum, non deliberaui secundum carnem, id est, vt ex libitu meo venirem: sed deliberationes meas volui semper esse positas in voluntate Dei, non in mea: vt quod in lucrum spirituale magis cesserit, illud faciam tandem. Ipsemet enim in priore epistola hoc exprimit, vbi apertè consilium suum in Domini manum reiicit, aiens: Si Dominus permiserit.

Duplex in mutanda sententia peccatum.

Ne autem existimarent, quæ in Dei nomine prædicauerat, & promiserat in verbo Domini, ea esse similiter huius generis, nimirum mutationi subiecta, commodè addidit. *Fidelis autem Deus.* Scilicet in verbis & promissionibus suis. Illius enim deliberationes, quas prædicaui vobis, non sunt hominis deliberationes, sed Dei qui est fidelis, & nulli subiectus vanitati. Vnde & prædicatio diuinarum promissionum debet esse similiter cõstans, & nulla ex pre nutare. Quare ait: *Quia sermo noster qui fuit ad vos, non fuit, fuit, Est, & Non*, id est, varius & incõstãs. Nos enim constanter affirmauimus quod verum est, & immutabile de Iesu Christo Domino & Redemptore nostro. Vnde ait:

Prædicator euangelij debet esse constans & verax.

Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit, Est, & Non, sed, Est, in illo fuit. Quotquot enim Dei promissiones in illo, Est, & in illo, Amen, Deo ad gloriam per nos. Sic habet Græca lectio: & sensus est, quòd omnes Dei promissiones sunt fundatæ in ipso, Est, quod est Deus. Ego sum qui sum, inquit, ille. Et non potest negare seipsum. Non est enim mutatio vlla in Deo, qui æternus est. Quid autem est promissio Dei, nisi Deus ipse promittens? Si igitur non mutabilis Deus, nec ipsa Dei promissio: adiecit. *Et in ipso, Amen.* Hic nominaliter ponitur, Amen, & significat Christum, in quo omnes Dei erga nos promissiones fundãtur. Nam Amen

Amen est Christus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& veritatem,& firmitatem ſignificat. Ipſe autem Veritas eſt,& Verbum Dei, quod manet in æternum:cui data ſunt omnia à Patre.Nam & per illũ omnia condidit,& collapſa inſtauraui:& confirmauit illi hoc fœdus in ſempiternum.

Ne mireris,lector,cùm dico,Amẽ,poni hîc nominaliter,& ſignificare Chriſtum.Id enim apertè indicat Dilectus in Apocalypſi vbi ait: Et Angelo Laodicææ eccleſiæ ſcribe:Hęc dicit amẽ,teſtis fidelis & verus.Quod autẽ ſequitur, *Deo ad gloriam per nos:* Clarè ſignificat quòd illę promiſſiones omnes fundatæ in Chriſto reſultant in Deum ad eius gloriam.*Per nos*(inquit) quia per Apoſtolos & prædicatores verbi miniſtros, efficaces fuerũt in iis qui crediderunt,& obtemperauerunt euangelio.

Apoc.3.

Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſtum. Dixerat B.Paulus Dei promiſſiones ad illos pertinere per miniſterium ſuum, eo quòd ipſo offerente Dei pollicitationes & dona, & ipſis acceptãtibus, vnde ſermo fit admixtus fide,oritur efficacia promiſſionum,& conglutinatio fundamentorum, id eſt,ipſorum cum ſuperædificatis lapidibus.Ne autem male intelligerẽt hæc fieri abſque Deo,addit: *Qui & ſignauit nos.* Græcè σφραγισάμενος,hoc eſt, qui ſimul coniunxit nos,& quodammodo concluſit, ac ſigillauit in illum: *Et qui vnxit nos Deus* (ſupple tu) is fuit qui hæc nobis effecit per vnctionem ſuam,id eſt,per donum Spiritus qui venit à Chriſto,qui dicitur Vnctus eximiè, vt de eius plenitudine omnes acceperimus:vnde Sponſa. Oleum effuſum(inquit)nomen tuum.Per id ergo quod ait, *Nos*,includit & illos,ſeruato tamen cuique ſuo ordine.Vnde propheta:Ecce quàm bonum,& quàm iocũdum,habitare fratres in vnum.Sicut vnguentum in capite,quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionẽ & vitam vſque in ſæculum. Hoc pſalmo egregiè oſtenditur Dei ſapientia & ordo, quomodo vnguentum, quod eſt in capite omnium Chriſto, id eſt,gratia Chriſti per illum veniens, prius deſcendit è capite in barbam, id eſt, in Apoſtolos & Euangeliſtas,in quibus Dei barba,id eſt, fortitudo cognoſcitur, quæ per barbam Aaron deſignatur. E barba autem in oram veſtimẽtorum deſcendit. Per oram autem veſtimentorum Aaron intelligit populos fide illi conglutinatos, & comparticipes vnguenti ſancti. Eſt & alia pulcherrima ſimilitudo de rore Hermon,qui eſt mons,& ſignificat maledictum & anathema. Hic fuit Chriſtus mons, maledictum & anathema pro nobis factũ ad tempus,& ex parte. Et hinc omnis ros benedictionis, qui effluit in montem Sion, quæ eſt eccleſia perfectorum:vt tota Hieruſalem particeps fiat benedictionis. Quoniam illic mandauit benedictionem Dominus,& vitam æternam:quia extra eccleſiam non eſt ſalus.Hæc facit Deus per Chriſtum in gloriam ſuam, qui fecit vt ex tanto maledicto, tanta exoriretur benedictio.

Cant.1.

Pro ordine in eccleſia Dei.

Et ſignauit nos. Signamur nos omnes in baptiſmo ſancto, inuiſibili quodam ac ſpirituali ſigno, quod characterem vocant Scholaſtici.Quod ſi hęretici derideant, quaſi ſcholaſticorum ſit comentum,non eſt magnopere curãdum. Hoc enim hæreticorum ſemper fuit proprium, ea reiicere quæ quaſi digito in ſcriptutis non oſtenduntur. Nam hęc de charactere doctrina non tantum eſt recentium Scholaſticorum, ſed & priſcorum Patrum, cum id B.Auguſtinus expreſſè ponat in lib.contra Parmenianũ.2. Nec eſt veriſimile illum de ſuo capite excogitaſſe,ſed traditione accepiſſe, & à ſcripturis iuxta ſenſum eccleſiæ.Baſilius magnus eius meminit in eo ſermone quo exhortatur ad ſanctũ baptiſma.Hoc eſt ergo quod hîc ait:*Et ſignauit nos.* Quod & ratio comprobat manifeſta. Si enim ſignantur ſerui hominum quibuſdãm etiam inuſtionibus:& legitimi milites habent certa ſuorum Ducum ſigna,vt cognoſcatur cui militant: Quid miri eſt,aut cut non ſit rationi conſentaneum,vt & qui dant nomen in baptiſmo,& efficiũtur ſerui & milites Dei ſub duce Chriſto, aliquo ſpirituali ſigno in perpetuum teſtimonium inurantur, vel ad gloriam ſuam, ſi permanſerint fideles, vel ſi ſecus, in opprobrium ſempiternum?Signati ergo erant Corinthij charactere baptiſmi.Apoſtolus autem etiã ſuperaddito charactere ſacerdotij,& magni atque apoſtolici epiſcopatus ſignatus eſt: qua gratia vnctus fuit à Deo.Sunt verò de charactere ſcholaſticæ quæſtiones, quas nunc dedita opera miſſas facimus,tanquã alienas ab hoc præſenti noſtro commentariorum inſtituto.

Pro charactere in baptiſmo.

Et dedit pignus: aut melius iuxta Græcam lectionem,*arrabonem Spiritus.* Hoc eſt donum gratiæ, ſiue charitatis ac iuſtitiæ, quod à Spiritu ſancto infunditur. Et eſt pignus, imò arrha, pars videlicet præmij futuræ vitæ perfectæ. Inchoatur enim hîc quaſi in arrha præmiũ futuri ſæculi: quod qui non ſtatuunt, frigidè militabunt. Caietanus hanc vnctionem & arrham ad Apoſtolos contrahit,exponẽs hoc pacto:Ecce(inquit)quartum donum,quo profitentur ſe habere certitudinem futuræ fœlicitatis æternæ, habendo in propriis cordibus ſpiritualem arrham.Arrha enim tam ſponſis,quàm negotiatoribus datur in ſecuritatem contractus.Certitudo ergo ſpei tanta diffuſa eſt in eorum cordibus,vt cognoſcant ſe habere arrham Spiritus ſancti de æterna fœlicitate.Cum his ſiquidem donis, non ſtat varia prædicatio, vt clarè patet. hæc ille. Quæ adieci,vt ea conſiderent,qui gratiæ certitudinem negant eſſe poſſibilem.

Caietanus pro certitudine gratiæ.

Ego autem teſtem inuoco Deum in animam meam. Hoc manifeſtum eſt iuſiurandum:contra eos qui omnino prohibent iuramentum. Neceſſariò autem ab Apoſtolo adhibitum eſt ad faciendam fidem,propter obloquutores,& pſeudoprophetas, qui vt ſeipſos extollerent, autoritate ipſius in primis B.Pauli depreſſa,ſectatores ſibi cõciliare mohebantur. Et rationem cur ſe ad eos non contulerit,tanto roboratam iureiurando reddit. *Quod parcens vobis non veni vltrà*, ſiue hactenus, *Corinthum.* Significauerat eis in alia epiſtola, profecturum ſe in Macedoniam,non tamen per Corinthum. Hîc ſuæ moræ cauſam affert, nimirum vt illis parceret,id eſt,ne manum ad virgam cogeretur mittere. Sunt enim pleraque, quorum animaduerſionem præſentes prætermittere non poſſumus: abſentes autem prudẽter interdum longiorem moram trahimus,ne per nos ipſos animaduertere cogamur, cùm tamẽ ſpes eſt reſipiſcẽtiæ, ſed alia leniore via,

Iuſiurandum B. Pauli.

Et hoc eſt notandum ad doctrinam prælatorum quorundam,inter quos etſi reperiantur non pauci,quos nullus domus Dei zelus tangit,exiſtũt tamen aliqui plus æquo præcipites ad vltionem delinquentium.

Inſtructio prælatorũ.

Non quòd dominamur fidei veſtræ,&c. Declarat Apoſtolus ſuam erga illos poteſtatem non eſſe deſpoticam,quam habent Domini in ſeruos & mancipia ſua:ſed politicam,quæ eſt Regum & Magiſtratuum in ciues. Non enim illi ſerui eius erant, niſi per charitatem, ſecundum quam oportet nos inuicem ſeruire. Vnde ait,*Nã fide ſtatis:* Quia enim fide ſtatis,ideo ingenui eſtis,& liberi coramDeo, adepti hanc conditionem per fidem, facti nimirũ filij Dei. Ergo Prælati, quibus in ædificationem Deus poteſtatem dedit,conſiderandi ſunt tãquam adiutores ad perfectionem tabernaculi Dei viuentis:in quo commune eſt gaudium omnium:qui ſuperædificantur.Ideo ait: *Sed adiutores ſumus gaudij veſtri:* Videlicet vt gaudium ipſum,quod cœptum eſt in via,perficiatur tandem:quod erit cum facie ad faciem videbimus in cœleſti patria.

CAP. II.

STATVI autem hoc ipſum apud me,ne iterum in triſtitia venirem ad vos. Si enim ego contriſto vos,& quis eſt qui lætificet, niſi qui contriſtatur ex me? Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non cùm venero,triſtitiam ſuper triſtitiã habeam, de quibus oportuerat me gaudere:confidens in omnibus vobis,quia meum gaudium omnium veſtrũ eſt. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas:non vt contriſtemini, ſed vt ſciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. Siquis autem contriſtauit me,non me contriſtauit, ſed ex parte,vt non onerem omnes vos. Sufficit illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus:ita vt econtrario magis donetis, & conſolemini,ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos,vt confirmetis in illum charitatẽ.Ideo.n.& ſcripſi vobis, vt cognoſcam experimentum veſtrum,an in omnibus obediẽtes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis,& ego.Nam & ego quod donaui,ſiquid donaui,propter vos in perſona Chriſti, vt non circũueniamur à Satana. Nõ enim ignoramus cogitationes eius.

Statui autem hoc ipſum,&c. Apud ſe inquit ſic ſtatuiſſe mutato conſilio,nolle iterum in triſtitia venire.Triſtitiam verò intellige communem,tã ſuam,quam illorum. Vnde ait: *Si enim ego contriſto vos,quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?* Erant contriſtati Corinthij de terribili ſupplicio illo,quando Satanæ tradidit inceſtuoſum.Apoſtolus autem ex ea re non minore triſtitia ſe affectum teſtatur,& indigere conſolatione. Sicut patri non rarò euenire ſolet,qui dum verberat filium peccãtem, nonnunquam grauiorem ipſe dolorem ſentit: nec alia poteſt ratione conſolationem accipere,niſi ſeipſum filius corrigat. Sic B. Paulus non ſe lętificari poſſe ſignificat,niſi ab eo quem ipſe cõtriſtauerit,aut potius qui triſtitiam acceperit. Vbi non obſcurè oſtendit, non eſſe Præpoſito finem ſuæ intentionis vltimum,ſcilicet contriſtare ſubditum ſuum,ſed emendationem eius velle, vnde lætificaretur & ipſe.

Pro prælatis qui cum auſteritate & potentia imperant.

Et hoc ipſum ſcripſi vobis. Quid iſtud eſt quod ait ſe illis ſcripſiſſe? niſi quòd non erat tunc venturus ad illos, quia nolebat contriſtari: ſed expectabat emendationem cunctorum perfectam, qui erant in crimine,ne cogeretur venire in poteſtate & virga.Recole de ſuperiore epiſtola minas illas.Tanquam non venturus ſim ad vos,ſic inflati ſunt quidam. Veniam autem ad vos citò ſi Dominus voluerit. Et cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt,ſed virtutem.Quid vultis? In virga veniam,an in charitate,& ſpiritu manſuetudinis?hęc ibi.Nunc ſe alium quodammodo inſinuat. *Vt non cum venero triſtitiam habeam.*In latinis adiicitur,*ſuper triſtitiam.* B. Ambroſius legit: Ne cùm veniſſem,triſtitiam haberem.Senſus eſt ergo planus:Ideo ſcripſi vobis me noluiſſe venire in triſtitia, vt interim vos ita geratis, vt cùm venero inueniam vos emendatos:& ita cum lætitia,non cum triſtitia,veniam.

Nam ex multa tribulatione,& anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas,&c. Oſtendere vult hoc in loco Apoſtolus ſe non delectari triſtitia,& pœnis in eos ob crimina infligendis:tametſi in priore epiſtola paulò ſeuerior videri potuiſſet, tradendo illum hominem Satanæ:quo facto(vt eſt veriſimile)contriſtauit nonnullos. Hîc omnem ſtudet remouere ſiniſtram opinionem,vbi maximam ex primit triſtitiam ſuam, dum teſtificatur ex multa tribulatione, & contritione cordis ſe ad eos ſcripſiſſe cum multis lachrymis. Non enim vt dominator ſe gerere cupiebat ad vindictam, ſed vt adiutor fidei ad pœnitentiam ſalutarem:& vt pater miſericors,qui non tam ſacrificium,quàm miſericordiam deſiderat.Ideo illa ſcripſit ita durè antea,nõ vt contriſtarentur,ſed vt noſcerent ſuam erga illos charitatem ampliorem,tãquam pij patris,qui filiorum ſalutarem cupit emendationem.

Si quis autem contriſtauit me. In Græcis non legitur,me,rectius quidẽ. Simpliciter ergo ait: *Si quis autem contriſtauit,*id eſt,ea fecit,quæ triſtitiam ingerunt & dolorem (ſatis innuit illum inceſtuoſum) *Non me contriſtauit:Sed ex parte,* id eſt, Non me ſolum:quia ego ſum pars eorum quos contriſtauit. Contriſtauit enim omnes,bonos,& amantes honoris Chriſti.*Vt non onerem omnes vos:* Si enim me vnum ſolum(vobis omnibus excluſis) aſſereret ab eo contriſtatũ,hoc eſſet onerare vos omnes,quaſi probantes tam enorme delictum, & nullam triſtitiam de malo concipientes.

Sufficit ei qui huiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, &c. Quia plerique & maiores (vt decebat)iam increpauerant eum, vult Apoſtolus hoc illi ſufficere ad emendationem:ita vt deberẽt mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nores ei cõdonare & ſolari,ne plus nimiò vel ſpretus,vel conuiciis poſt mutatã vitam laceſſitus,abſorberetur abundantiore triſtitia,quæ tandem trahit in deſperationem. Vnde obſecrat confirmari in illo charitatem. Nihil enim tam validum ad cõfirmandam in alio charitatem, quàm mutuæ erga illum charitatis oſtenſio. Et hoc ait ſe ſcripſiſſe, vt experiretur an illi eſſent obedientes in omnibus. Adiecit quòd & ſi quid illi donauerunt,hoc eſt, ſi quid criminis remiſerunt parcentes deliquẽtibus, etiam ipſe donauit. Et quodcunque ipſe donauit, ſi quid aliquando vlli donauit,propter eos fecit,id eſt,in eorum gratiam & vtilitatem, ad conſeruandam concordiam & pacem.

In hæreticos negãtes iuriſdictionem in eccleſia.

In perſona Chriſti, hoc eſt, ſubſtinens perſonam Chriſti. Et hoc contra illos, qui negant poteſtatẽ remittendi peccata in eccleſia in perſona Chriſti. Quo in loco aduertat acutus lector,duplicem eſſe peccati remiſſionem in eccleſia,Prima eſt abſque iuriſdictione in baptiſmo:quia ibi homo mori dicitur in Chriſto,& ſic ſatisfacere peccato. Secũda verò eſt de qua hic B.Paulus,quę ſit autoritate data nobis à Chriſto,quæ eſt iuriſdictionalis in perſona Chriſti:hoc contra hæreticos.

Vt non circumueniamur, ſiue occupemur,vt græca vox ſonat, *à Satana*. Hæc enim eſt circunuentio Satanæ,vt poſſit mactare oues,primò illas diſpergendo:quod fit ſi immodica duritia tractẽtur ſubditi, vnde apoſtaſiam meditantur. Dum enim in ouili manent,id eſt,in communione, vix habet facultatem Satanas:quia propter orationes & ſolatia in uicem colligati retinentur. Et frater qui adiuuatur à fratre,eſt tanquam ciuitas firma,vt ait ſcriptura. Denique ait ſe non ignorare cogitationes Satanæ: donum profectò magnum eſt, vt poſſint euitari, atque eludi technæ eius multiplices. Hoc autẽ certum eſt, inter alia quæ in nos omni conatu molitur,illud eſſe primum,diſpergere & ſegregare à cõgregatione eccleſię,& particularium ouilium. Tũc enim ſubito & ex improuiſo irruit,mactat, & ſanguine noſtro, quem ſummopere ſitit, impletur: nunquam tamen ad ſaturitatem. Et hæc notent regularium congregationes: quoniam maximè in his erratur.

Prou.18.

Cùm veniſſem autem Troadem propter Euangelium Chriſti,& oſtium mihi apertum eſſet in Domino:non habui requiem ſpiritui meo,eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum:ſed valefaciẽs eis,profectus ſum in Macedoniam. Deo autem gratias, qui ſemper triũphat nos in Chriſto Ieſu, & odorẽ notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco,quia Chriſti bonus odor ſumus Deo,in iis qui ſalui fiunt,& in iis qui pereũt. Aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autẽ odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Nõ enim ſumus ſicut plurimi,adulterantes verbum Dei, ſed ex ſyncerita-te,ſicut ex Deo,coram Deo, in Chriſto loquimur.

Cùm veniſſem autem Troadem propter, &c. Narrat Apoſtolus aduentum ſuum ad Troadem,& ipſius profectionis cauſam,nimirum ad euangelium annunciandum: & viam ſibi datam ad hoc efficiendum,ſcilicet oſtium apertum in Domino. Et tamẽ (quod mirandum eſt) reſtatur ſe non inueniſſe requiem ſpiritu ſuo,eo quòd non inueniſſet ibi Titum fratrem ſuum: quod videtur non ſatis cauſæ fuiſſe ad diſcedendum inde, patefacto præſertim ſibi ad prædicandum oſtio. Quapropter ſubaudiendum eſt, hoc illum feciſſe propter aliquam aliam vrgentem neceſsitatem,ad quam indigebat ipſo Tito ad quoddam opus melius. Nam & quædam leuioris momenti bona plerunque relinquẽda ſunt ad promouenda meliora. Videtur autẽ hoc totum in eorum gratiam dicere, propterea quòd expectabat Titum à Corinthiis,quem ad inuiſendos illos miſerat, ex cuius præſenti ſermone poſtea reſcire fideliter poſſet, quomodo illi ſeſe haberent. Ergo profectus in Macedoniam illum ibi recepit. Sed hoc Spiritu Dei actus fecit: quoniam in Troade habuit viſionem illam pro Macedoniis vt illuc ad euangelizandum properaret. *Sed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam.* Credo ad Philippenſes,vnde hanc fertur ſcripſiſſe epiſtolam.

Deo autem gratias,qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu. Triumphare eſt celebrare victoriam ducẽdo captiuos ad oſtentationem. Quia ergo Paulus fuit aduerſarius Deo,& Chriſto,cum captiuus factus eſt (licet volens) & ſeruiret Deo militans illi: triumphari ſe aſsiduè dicit à Deo, dum fœliciſsimam captiuitatem ſuam oſtentabat. *Et odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos omni loco.* Quæ enim Dei ſunt,videlicet quòd eſt miſericors,quòd eſt verax, non conſpiciuntur niſi in effectibus,quos fecit in Chriſto & per Chriſtũ in Apoſtolis ſuis: qui fuerunt quaſi odor illarum virtutum Dei, & Chriſti: ad refocillandum genus humanum. Vnde ait:

Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo. Sicut odor emittitur ex agitatione,& confricatione rei,in qua inſit virtus odoris: Item cum res ad ignem ponitur vt aduratur,velut thus,& quæ ſunt huiuſmodi,tũc odor excitatur. Ita ex tribulatione ſanctorum, & ignita prædicatione,extra funditur odor virtutum per veritatem,per patientiam,per charitatis feruorem,in manſuetudine & benignitate, & reliquis effectibus charitatis admirãdis, qui ſunt bonus odor ipſi Deo,id eſt, ad eius gloriam: qui quidem odor diuerſa & contraria operatur in diuerſis, videlicet vt ipſe declarat, *in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt, &c.* id eſt, in his qui aptati ſunt ad perditionem: & in his qui aptati ſunt ad ſalutem: quæ quidem aptatio à nobis eſt. Si enim bonum odorem oblatum & inſpiratum non admittimus, ſed excludimus & reiicimus, aptamus noſmetipſos ad perditionem. Et tunc dicimur perire: quia hoc prudentes eligimus & volentes. Et fit nobis odor ille bonus in mortem gratiæ, in mortem nimirum illam ſecundam & ſempiternam,& meritò:quia agnoſcentes odorem bonum,aut valentes agnoſcere,non tamen probauimus. Quòd ſi econuerſò illum recipimus admittimus,ac probamus, fit *odor vitæ in vitam*,id eſt,vitę gratię in vitam gloriæ. Et hoc nobis concedat per ſuã miſericordiam dominus Deus noſter.

Qui proprie dicuntur perire.

Et ad hæc quis tam idoneus? Licet græcè non legatur, *Tam*, verùm non malè ſuppletur. Proculdubiò autem B.Paulus ſe idoneum ad hæc voluit inſinuare:quoniam ille fuit (ſicut Dominus Deus ſuus Ieſus) in ſignum cui contradiceretur, vt effunderet odorem veritatis euangelij in patientia ſua, & oſtẽſione ſpiritus,in ſignis,& prodigiis,& variis virtutibus:vnde ait, *Non enim ſumus,ſicut plurimi.* Græcè, *multi*: Et in quibuſdam legitur, *cæteri*, quod non ita placet: niſi hic intelligas commendari apoſtolicã tantùm prædicationem. Et per cæteros intelligas non Chriſti Apoſtolos, nec ab Apoſtolis miſſos: ſed alios qui ſe ſuo arbitratu & electione cõſtituebant tales. Illi enim erant *adulterantes*, ſiue caupo-nantes, *verbum Dei*: quoniam ſicut caupones malum vinum apponunt pro bono,quod per admixtionem aliquam inficiunt,vt ſic illud venditent peregrinis & hoſpitibus, non ſecus pſeudoapoſtoli illi faciebant. Hos nunc egregiè imitantur hæretici noui,qui fidem ſolam prædicant carni: & loco durioris, ſed ſalutaris pœnitentiæ & contritionis, Chriſti paſſiones gratis donatas omni tẽpore vulgo obtrudunt,nulla diſtinguentes tempora, quæ ante baptiſmum fluxerunt, & quæ & poſt baptiſmum receptum inſequũtur. Hoc verò callide quidem agunt,vt placeant carni: quia & ipſi gloriam in carne appetentes, à ſemetipſis loquuntur, & à ſpiritu erroris,non ex ſpiritu veritatis. Sed non ſic noſter Doctor,non ſic:ſed (vt ipſe inquit) *ex ſynceritate ſicut ex Deo,coram Deo in Chriſto loquimur.* Cõtra illam infectionem, & contaminatam pſeudoapoſtolorum doctrinam oppoſuit ſuam ſynceritatem,quæ in hoc probatur,quùm quis non ex ſe loquitur,ſed ex Deo, & Spiritu eius: vt prædictum fuit. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis:& addit,

Contra nouos prædicatores carni placentes.

Matth.10.

Coram Deo: tanquam ſemper cernentes Dei præſentiã, qui videt omnia:id quod non faciunt pſeudoprophetæ. *In Chriſto*: quoniam homo in eccleſia exiſtens,in Chriſto quoque exiſtit,qui in eccleſia eſt,& in medio noſtrum,& cõtinens nos omnes,qui membra ſumus corporis eius. Hoc autem non poterant dicere pſeudoapoſtoli, qui iam ab eccleſia erant ſegregati:quoniam illis contradicebant ipſi Apoſtoli veri,& explodebant eos. Tales noſtra ætate ſunt noui magiſtri, qui ſeſe in totius eccleſiæ cenſores propria autoritate,id eſt,temeritate erexerunt.

CAP. III.

INCIPIMVS iterum noſmetipſos commendare? Aut nunquid egemus,ſicut quidam commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis,ſcripta in cordibus noſtris:quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus, manifeſtati quoniam epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento,ſed Spiritu Dei viui:non in tabulis lapideis,ſed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autẽ talem habemus per Chriſtum ad Deum. Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis,quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamẽti,non literę,ſed Spiritus. Litera enim occidit: Spiritus autẽ viuificat.

BEatus Paulus volens à ſe depellere,quod apud omnes vitio datur,videlicet quòd *iterum*,id eſt hac ſecunda epiſtola inceperit ore proprio ſe laudare,& cõmendare inſinuando ſe aliis per cõmemorationem propriarum virtutum, cùm ſcriptum ſit, Laudet te alienus,& non os tuum: extraneus,& non labia tua: oſtendit primum ſe non imprudenter facere,ſed prudẽter,hoc eſt, ſciens qua ratione ſit adductus: non equidem inanis alicuius cupiditate gloriæ (quod eſt pleriſque proprium) ſed mera charitate coactus,& diuini honoris zelo inflammatus. Ait ergo: *Aut nunquid egemus, ſicut quidam.* Innuit non defuiſſe qui tali artificio famã ſibi & honorem mendicarent, *cõmendatitiis epiſtolis ad vos,aut ex vobis?* Quod perinde eſt ac ſi dixerit: Nunquid ego adeò ſum ignobilis Chriſti Apoſtolus,& ea nominis penuria laborãs,vt egeam commendatitiis aliorum ad vos in gratiam mei literis, aut veſtris ad alios,quibus ad aliquem fauorẽ mihi pateat aditus: quemadmodum facere illi ſolent, qui per huiuſmodi literas commendationes conciliare ſibi procurant: ac ſi dixerit manifeſtè. Ego non me commendo vobis,ea dicẽdo quæ vos ipſi neſciatis: aut etiam quæ neſciat mundus, vt ſic indigeam ab aliis ad vos, & à vobis ad alios literis comendatitiis.

Prou.27.

Quòd autem non indigeret iſtis cõmendationibus per epiſtolas atramento ſcriptas, quæ pereũt, & parum probãt,hoc per epiſtolam viuam & manentem ſuadet,aiens: *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris.* Quod vt ſubtilius intelligamus (quoniam metaphoricus ſermo eſt) non eſt dubium,quin epiſtola ea ſit,quæ ſcribitur, vt mittatur legenda. Dicit ergo primùm fuiſſe illos ſuam ipſius epiſtolam,ſcriptã in ſuo corde à Deo, quos ab eo acceperat tanquam ſignatos, atque ſcriptos in corde ſuo ad ſaluandum eos propter immẽſam charitatem,qua illos amplectebatur,ita Deo ſcribente. Et quia illam multis modis foris oſtendebat,dicit: *quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus.* Et indicans quomodo eſſet miſſa iſta epiſtola, vt poſſet legi ab omnibus,addit, *Manifeſtati*, hoc eſt, in eo quòd manifeſtemini, vt ſermo Græcus potius ſonat. *Quòd eſtis epiſtola Chriſti, miniſtrata à nobis.* Quoniam & in vobis, id eſt, in cordibus veſtris ſcripſit Deus legem ſuam per miniſterium noſtrum.

Et ſcripta non atramento. Quandoquidem Dominus Ieſus, qui per miniſterium noſtrum ſcripſit hanc ſuam epiſtolam, ſcripſit eam non atramento,id eſt,non liquore illo atro,& hominum manu compoſito,qui obliteratur,& corrumpitur: *ſed ſpiritu Dei viui*,qui æternus eſt & efficax in nobis. Ideo dixit, *viui*, quia per vitam potẽtia eius ſumma ſignificatur. Vnde ſępius legimus iuramentum. Viuit Dominus: in quo potentiam teſtificatur. Spiritus enim eſt vitæ,& ipſe totus vita eſt: & ita omnipotens. Et hoc etiam erat eius proprium iuramentum, Viuo ego. *Non in tabulis lapideis*, ſicut illa vetus lex olim,quæ ſcripta fuit in tabulis lapideis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſed non proficiebat, quoniam infirmabatur per carnem rebellem. Oportebat ergo morificari carnem, & ita ſcribi in tabulis cordis carneis: quod fecit Spiritus ſanctus in illis, infundens eis charitatem, accepto per fidem Chriſti euangelio.

Fiduciam autem talem habemus, &c. Hic incipit rationem reddere, cur tam liberè de ſe loqueretur & in ſui laudem, aiens quòd illam tantam fiduciam habuit per Chriſtum, ipſo nimirum miniſtro omnium donorum. Nam propter illum, & per illum, omnes participes ſumus gratiæ & virtutis ſuæ, ſecundum menſuram fidei. Et non ſolùm dicit per Chriſtum habere ſe talem fiduciam, verum etiam *ad Deum*, id eſt, in Dei gloriam, & non ſuam propriam: vnde & bene ſequitur:

Non enim ſumus ſufficientes, ſiue idonei, *cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia*, ſiue idoneitas, *noſtra ex Deo eſt.* Multa habemus ex nobis quaſi ex nobis: quia naturalia eorum principia ſunt in nobis. Sed vt bonum faciamus coram Deo, & ſi ſit ex nobis, non tamen ex nobis: quia non ex natura aut inſitis natura viribus in nobis: ſed ex Dei gratia & fauore procedit, & conſequẽter à principio (licet intrinſeco) tamen informato gratia quæ eſt Dei donum, & deſuper venit.

Quo in loco iugulantur & qui liberum arbitriũ negant (vt Manichæi) quòd fatetur Apoſtolus ſufficientiam cogitandi ex nobis: Et ſimul proſternũtur qui tantum libero tribuunt arbitrio, vt abſque gratia & auxilio ſuperno velint ipſum poſſe rectè operari. Et ideo dixit, *quaſi ex nobis. Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus* id eſt, non ad docendum tantum quæ ſunt diuinæ veritatis per literam, ſed ad hoc vt accipiatis donum Spiritus, vt quam auditis legem, poſitis perficere. *Litera enim*, id eſt, doctrina legis ſcripta alibi quàm in corde, *occidit*: quia nemo illam ſeruat, nec enim poteſt, vt alibi declarauimus. *Spiritus autem viuificat*: quia dat vires ad faciẽdum, vnde venit vita. Scio aliter exponi hunc locum à quibuſdã: ſed ſenſum germanum explicui, quem magis probauit B. Auguſtinus in libro de Spiritu & litera.

Quòd ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt nõ poſſent intẽdere filij Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo nõ magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? Nã ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria. Nam nec glorificatum eſt quod claruit in hac parte, propter excellẽtem gloriã. Si enim quod euacuatur, per gloriam eſt: multò magis quod manet, in gloria eſt. Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur. Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciẽ eius, quod euacuatur: ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſq; in hodiernum enim diem, idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum: quod in Chriſto euacuatur. Sed vſque in hodiernũ diem, cùm legitur Moyſes, velamẽ poſitum eſt ſuper cor eorum. Cùm autẽ conuerſi fuerint ad Deum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes, reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem tranſformamur à claritate in claritatem, tãquam à Domini Spiritu.

Quòd ſi miniſtratio mortis, &c. Nota eſt hiſtoria, quam hic cõmemorat Apoſtolus. Nam cùm Moſes accepiſſet à Domino tabulas legis in monte, & deſcendiſſet vt eas legeret populo, viderunt filij Iſrael, & ipſe Aaron, cornutam faciem eius, id eſt, gloriæ radios, & claritatẽ prodire ex vultu illius, ita vt metuerent etiam accedere ad illum. Quo facto ſignificare voluit Spiritus ſanctus, adminiſtrationem diuinorum teſtimonium Dei requiri, vt ea quæ miniſtrabantur, diuina eſſe propter apparẽtem gloriam intelligerentur.

Si hoc igitur in miniſtratione illius legis, quæ ceſſare debuit (cùm non eſſet æterna) per aduentum legis æternæ: & ideo eius gloria erat euacuanda adueniente maiore gloria: Quantò ergo magis miniſtratio nouæ legis debuit eſſe in gloria, id eſt, in excellenti teſtimonio ſignorum, & prodigiorũ, & Spiritus ſancti illuminantis corda: imo etiã ſenſibiliter venientis, ſicut fuit in eccleſia primitiua? Et hoc dixit ad oſtendendum, non magnopere mirandum, ſi videri poterat Apoſtolus ſeipſum commendare. Non enim hoc erat ſe commendare, ſed ad id quod quàm latiſsimè patebat eorum oculos conuertere: ne in luce meridiana cœcutirent, aut lippirent. *Præſtantia legis nouæ præ illa veteri.*

Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt: multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria. Ponit differentiam inter miniſtrationem legis, & miniſtrationem euangelij. Nam legis miniſtratio, erat miniſtratio damnationis: quia lex poſita iniuſto & contumaci, non poterat operari niſi damnationẽ, vt quæ operaretur præuaricationẽ in homine malo. Omnes autem erant mali. Miniſtratio autem euangelij, erat miniſtratio iuſtitiæ, quæ infundebatur credenti in Dominum Ieſum. Et ob eam cauſam decuit vt lex noua euangelicæ iuſtitiæ ſuperaret veterem in oſtenſione virtutis diuinæ, & gloriæ. *Nec enim glorificatum eſt quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.* Senſus eſt, illam legis gloriam, præ excellenti gloria euangelij, quodam modo non fuiſſe gloriam: quoniam à maiore ſydere obſcuratur minus, & meritò. Vnde ait: *Si enim quod euacuatur, per gloriam eſt: multò magis quod manet, in gloria eſt.* Ita enim debet excedere gloria noui teſtamenti gloriam veteris, quantò quod manet, id eſt, quod eſt perpetuum, illud excedit quod ceſſat & euaneſcit. *Diuerſa legis & euangelij miniſtratio.*

Habentes autem talem ſpem, multa fiducia vtimur, id eſt, habentes ſpem non temporalium, ſed æternorum per glorioſius & firmius Dei teſtamẽtum vtimur multa fiducia. Græcè, πολλῇ παῤῥησίᾳ, hoc eſt, libertate loquẽdi ampla pro gloria Dei & Chriſti, nũc

Loci difficilis ac ſubtilis expoſitio.

ex magna parte manifeſtata. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, quod euacuatur.* Rurſum nota eſt hiſtoria, quomodo Moſes miniſtrans illam legẽ, apparuit cornuta & radiante facie filiis Iſrael. Sed cùm loquebatur eis, ponebat velamen ſuper faciẽ ſuam, ſignificans illis, vt non intenderet in faciem eius quod euacuatur, id eſt, in illam priorem gloriam: ſed expectarent aliam venientem, id eſt, vt non intenderent in literam, ſed in ſpiritum: non in Moyſem, ſed in Chriſtum: non in carnalia, ſed in ſpiritualia: non in temporalia, ſed in æterna. Nã hæc manent: illa euacuantur.

Græci quidam codices non dicũt, in faciem, ſed, in finem: vt ſit idem ſenſus. Nam finis obſeruantiẽ illius legis, erant bona terræ quæ promittebãtur, ad quæ intendebat ille populus, & nunc etiam intendit, & totus inhiat: contra quam ipſe Moſes cupiditatem eo velamine admonebat, tanquam ſi diceret. Gloria mea nulla eſt: veniet fortior me, quem debetis audire, qui eſt ipſe vera imago Dei, & gloria eius. Non ego ſum illa imago Dei, ſed ille: & ille eſt gloria Dei, quæ non habebit velamẽ. Aſſiduè quippe magis ac magis manifeſtabitur: & qui manifeſtabunt eam Apoſtoli ſui, ſiue velamine manifeſtabunt. At illi miſeri Iudæi nihil horũ intelligebant. *Sed obcæcatæ ſunt ſenſus eorum*: ſiue ob cœcatæ ſunt mentes eorũ ab illa gloria carnis, cui nimium pertinaces ſtudebant.

Nam vſque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum. Senſus eſt, Ipſum velamen quo Moſes operiebat faciem ſuam, ad quam intendebant, & propterea non poterat cerni gloria Dei, manere ipſis Iudæis adhuc non reuelatum: quia non intelligunt quid ſibi velit impediente Moyſe, ad quem reſpiciunt, cum ipſe tamen aliter per velamen illud, admonuiſſet. Nam quia non effulſit illis euangelicũ lumen, per quod euacuatur velamen, & tollitur velut figura per veritatem, manet velamen, quod in ſolo Chriſto euacuatur: quia per illum perit omnis gloria Moſeos. Et ob eam cauſam ab eis obſeruari in hodiernum diem puto, vt dum legunt Moſen, velentur Rabbini in ſynagogis eorum.

Sed quare (dicet aliquis) non effulſit eis euangelicum lumen? Reſpondetur, non hoc eſſe ab ipſo euãgelio, quaſi parum gloriæ haberet. Aut quia prædicatores eius ponant velamen in faciẽ ſuam: ſed quia ipſi non intelligentes myſterium velaminis, velamẽ ipſum poſitum habent in cordibus ſuis. Hoc autem velamen affectio eſt carnis. Quapropter non poſſunt auertere oculos à Moſe, & cõuertere ad Chriſtum, quandiu terrenis lucris & cõmodis ſunt intenti. Declarauit enim per Moſen Deus medio illo velamine, illam gloriam veteris teſtamenti, in quam miſeri Iudæi intendunt, eſſe quaſi velamen illis, ne queant intendere in euangelium, in quo eſt virtus Crucis. Non enim poſſunt ſimul concurrere duo fines, temporalium ſcilicet bonorum, & æternorum.

Cum autem conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Hoc autem ſi prius cõuertatur Dominus ad illos (quod aliquando tandem erit) & aliquo modo oſtendat illis poſitum ob oculos illud velamen, quo impediuntur ne poſſint credere. *Dominus autem Spiritus eſt.* Vult probare ſublatum iri ab eis velamen, quando conuerſi fuerint ad Dominũ. Ratio autem eſt: quia Dominus Spiritus eſt. Et qui cõuertitur ad Dominum, Spiritus fit, & filius Dei cui patent omnia. Et ſpiritus eſt qui reuelat diuina: eique reuelantur diuina, qui de illo participat. Non eſt enim ſeruus, ſed filius: neque eſt vlterius ille puer, qui penè nihil diſtat à ſeruo, ſed grandioris ætatis acceſſu liberatus à pedagogo (nempe à Moſe & lege priſca, vnde clamare iam didicit Abba Pater) ſentit, & in ſeipſo tandem cum magna animi exultatione experitur veritatem illam, quam ſummæ veritatis Magiſter Chriſtus protulit: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Liberat autẽ per Spiritum ſuum ſanctum. Ideo dicit, *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Etenim homo Spiritu Dei afflatus, non eſt vlterius homo ſub lege dominante & pedagogo: ſed ſub Spiritu, ſub gratia: amore, non timore faciens quæ ſunt diuinæ legis. *Ioan. 8.*

Nos verò omnes, id eſt, nos ſiue Iudæi, ſiue Græci, qui interim credidimus in Ieſum: *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes*, ſiue contemplantes: quia non habemus velum carnis oppoſitum, *in eandem imaginem tranſformamur*: quoniam efficimur ſpiritus, ſicut ille eſt Spiritus. Qui enim ex Deo natus eſt & adhæret Deo, ſpiritus eſt. Ideo ſubdit: *à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*, vel à Domino Spiritu. Ipſa enim gloria Dei eſt quæ facit nos lucem de tenebris. A gloria ergo, & ex conſortio gloriæ etiam nos glorioſi efficimur, & in hoc mundo illuſtrati gratia, quæ eſt arrha quædam gloriæ: & in alio mundo perfecta gloria, qua tũc illuſtrati, longè magis, ſimiles ei erimus.

CAP. IIII.

DEO habentes hanc adminiſtrationem, iuxta quod miſericordiam cõſecuti ſumus, nõ deficimus: ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei: ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus huius ſęculi excœcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Nõ enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum: nos autẽ ſeruos veſtros per Ieſum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.

Deo habentes hanc miniſtrationem, iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus. Græcè: ſicut miſericordiam conſecuti ſumus. Totum tribuit miſericordiæ Dei B. Paulus, non ſolùm dimiſſa ſibi peccata, verùm etiam quòd promotus fuerit ad tantam apoſtolatus ſublimitatem, vt poſſet adeò glorioſè

Universidad de Deusto
Biblioteca

fungi ministerio euangelij Dei: *Non deficimus*: vel non delassamur, non ignaui sumus, quicquã omittentes eorũ quæ sunt apostolici muneris. *Sed abdicamus (seu abdicauimus) occulta dedecoris.* Vide ne hic sit sensus, Quòd in prædicatione Christi crucifixi perfecta, quæ tunc est, quùm non solum sermone, sed facto & moribus prædicatur, multa sunt quæ occultè hominem tentant vt delassetur, & omittat prædicationem: quoniam quæ Crucis sunt, pro bro & dedecore videntur afficere hominem: quę certè homo secundum carnis prudentiam, non facile admittit. Nam quis lubenter patitur vnquam (nisi magno spiritu fertueat) seipsum cõtemni? Sed B. Paulus hæc occulta, quę intus animum pungũt, ait à se iam abdicata esse. Non enim erubescebat euangelium. Potest etiam sic intelligi, vt per occulta dedecoris, siue turpitudinis, accipiamus temporalia lucra, siue gloriæ, siue aliorum bonorum carnis ac mundi, ad quæ pseudoapostoli aspiciebant, & aspirabãt: quæ vt possent consequi, falsam ac fallacem doctrinam vulgo gratam prædicabãt. Et ideo subiunxit:

De pura B. Pauli prædicatione.

Non ambulantes in astutia, neque adulterantes, siue dolo inficientes, *verbum Dei: sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* Magnam de seipso prædicat vitæ innocentiam, & cordis rectitudinem in ministerio euangelij. Et nota quod ait, *coram Deo*: ac si dixerit, quòd nullus homo poterat ex vera cõscientia, quæ coram Deo patet, illum reprehendere in vlla re. Poterãt autem multi contra conscientiam incusare illum, & falsò calũniari: quod accidit omnibus piis, & piè in Christo viuentibus, & studentibus christianæ veritati.

Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum. Dixerat manifestatam à se Christi gloriam, sicut & ab aliis Apostolis, nullo ad faciem obuoluendam velamine adhibito. Modo respondet obiectioni, quæ fortassis fieri à quibusdam poterat, videlicet: Si eousque est gloriosa prædicatio tua, Paule, quid est in causa cur nõ omnes vident hanc tam perspicuam gloriam, quam tu absque velamine ostendis? Constat enim multos esse qui non credunt euangelio. Respondet, Euangelium quidem opertum esse multis, non ex velamine vllo, quod afferrent euangelizãtes (sicut accidebat Moysi) sed ex prauitate, ac cœcitate quã habent illi, quibus velatum est: quoniã ij sunt qui pereunt, hoc est, qui sua sponte aptati sunt ad interitum & perditionem. Et propterea quem illi sequantur, & cui pareant, spretis Christi Apostolis, aperit inquiens:

In quibus Deus sæculi huius excæcauit mentes infidelium. Dura cõstructio, sed sensus clarus. Deus sæculi huius Satanas est, id est, eorum est Deus qui diligunt hoc seculum, etiam conspecta luce, sicut dixit Dominus. Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Verè enim Christus Dominus est omnium, qui redemit omnes de potestate diaboli. At si rursum homo non vult inde erui ac liberari, rursum fit Satanas illius occupator & dominus. Et qui eiusmodi sunt videre lucem, etiam si velint: propter quod ait: *Vt non fulgeat eis gloria Euangelij Christi*, id est, gloria prædicationis, vnde possent coniectare de veritate euangelij à claritate prædicationis, quam comitabãtur innumera signa & prodigia. *Qui est imago Dei.* Vnde decuit vt primùm, ac plurimum in illo, & per illum Dei gloria manifestaretur: quod fecit ipse innumerabilibus signis & miraculis, & doctrina, vt testatus est ipse, quùm dicto vertit aquam in vinũ. Et quùm illuminauit cœcum à natiuitate: & quùm excitauit mortuum Lazarum quatriduanũ: & quũ apparuit in gloria sua in monte sancto: & quũ vox Patris intonuit: & quùm multis aliis modis gloriosè manifestauit seipsum & ante & post resurrectionem: quæ gloria comitata est etiam apostolicam prædicationem.

Ioan. 3.

Non enim nosmetipsos prædicamus sed Iesum Christũ, Dominum. Græcè sic legitur, & benè: & sensus est. Thema & tenor prædicationis nostræ non sumus nos, aut nostra gloria, sed Iesum Christum esse Dominum, quia creator ac Redemptor noster. Vide quàm frequenter Apostolus suam integritatem commemorare cogitur, propter eos qui se capita, constituebant. Ipse verò nedum principatum sibi vsurpabat, sed se vel patrem, vel socium & etiam seruum ostendebat in Christo. Vnde ait, *Nos autem seruos vestros*, vt potè ministros ab eo electos, in salutem vestram. *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere*, hoc est, ille Deus qui dixit: Fiat lux, cùm tenebræ essent super faciem abyssi, & continuò fecit vt splendesceret lux: ille, inquam, Deus *illuxit in cordibus nostris.* Nostris, inquit, primùm qui electi sumus ad testificandum luci quasi rutilãtia sydera, ab ipso Sole & vera luce lumen recipiẽtia. Quæ corda nostra erant prius tenebrosa: sed Deus excitauit lucem, quæ fulgeret in illis, *ad illuminationem scientiæ claritatis*, siue gloriæ Dei, hoc est, ita illuxit, vt corda nostra per illud lumen informarẽtur scientia glorię Dei illius, inquam, glorię quam accepit Christus qui Deus est, & illam nobis est pollicitus.

In facie Christi Iesu. Melius (vt mihi videtur & emendatius) in persona Christi Iesu. Nam in ipso Iesu resedit primùm omnis gloria, ad quem aspicientes, videmus & Patrem: vnde ille dixit, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. In illo enim sunt omnes diuitiæ, & omnes thesauri sciẽtiæ & sapientiæ Dei Patris absconditi.

Ioan. 14.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed nõ angustiamur. Aporiamur, sed non destituimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Humiliamur, sed non cõfundimur. Deiicimur, sed nõ perimus. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur: vita autem in vobis.

Habemus autem thesaurum istum, &c. Thesaurum vocat

vocat Apostolus gratiam illuminationis ad euangelizandum. Vasa item fictilia vocat corpora nostra, quæ de terra sunt, corruptioni obnoxia. Cum ergo thesaurus iste in his fictilibus vasis ostẽdatur ab eius effectibus magnis: planè apparet excellentiam illius potentiæ, licet sit in nobis, non tamen esse ex nobis, sed ex Deo. Probat autem assistẽtem virtutẽ in se, non à signis solùm & prodigiis, quæ faciebat Deus per ipsum, sed multò magis ab efficacia, & effectibus charitatis suæ & fidei, quæ erãt longè maiora miracula. Ait ergo:

In omnibus tribulationem patimur: sed non angustiamur. Quod ait, *in omnibus*, potest accipi pro, *vbique*, aut pro quouis tempore ac momento, aut in quauis re. Et quod dicit, *Non angustiamur*, significat in pressuris ac tribulationibus animũ & cor non potuisse constringi: contra quàm ipsius rei natura postulabat. Quis enim tã stupidus natura esse potest, vt in tribulationibus gaudeat? Et tamen ille dilatabatur amplius: veluti ignis quidã, qui dum extinguitur, & cõprimitur, excitatur potius, & scintillat ardẽtius, *Aporiamur, sed non destituimur.* Etiam homo Dei magnis perturbationibus venit aliquãdo in quasdam aporias, hoc est, anxias dubitationes & solicitas, quid nam agere debeat, animaduertẽs vndique mala impendere & pericula. *Sed non destituimur.* Græcè *non* ἐξαπορούμενοι, quod est superari tædio: & nõ malè dixit interpres, Non destituimur. Propterea enim minimè superabatur, quia non destituebatur, scilicet consilio & fauore diuino, vt superius primo capite dictum fuit. *Persecutionem patimur: sed non derelinquimur.* Adiuuamur nanq; à Deo vt possimus perferre. *Humiliamur, sed non confundimur.* In Græcis cõmuniter hoc non reperitur: licet sit sanctissimè dictũ, & rectè sese habeat. Etenim vera & profunda humilitas nobilis est, & non fert secum confusionem. Secus in humilitate parum ingenua accidit, quæ parit animi deiectionem & languorem: vnde & pudore cõfunditur homo, velut qui succũbens in causa, perdit omnem respondendi, aut sui defendendi fiduciam. *Deiicimur, sed non perimus.* Deiicimur, inquit, ab hominum conflictio, vt nemo faueat nobis. Et tamen non perimus: quia Deus & angeli eius nos benignè excipiunt, & dulciter interius fouent.

Semper mortificationẽ Iesu Christi in corpore nostro circunferentes: vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris, siue in corpore nostro. Hic mortificationẽ pro morte accipit B. Ambrosius. Et sensus est, ab eis fuisse repræsentatam quodammodo in corpore ipsorum Christi mortem, & vitam. Sicut enim in illo Christi corpore, cum esset mortuum, vita erat, id est, illa diuinitas, vnde potuit semetipsum suscitare: ita in corpore B. Pauli per multas passiones aderat vis mortis (etenim mortuus omnino fuisset, si suis tantum viribus voluisset inniti) sed vita Christi manifestata est, quæ erat in eo, superans omnem vim mortis. Quoniam ne succubuerit morti, vita Christi, hoc est potentia, & vigor qui erat in eo, hoc effecit: vnde dixit, Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus. *Semper enim nos qui viuimus, in morte tradimur propter Iesum.* Ait, nos qui viuimus: Quare dicit, nos qui viuimus? Quis enim dubitaturus erat de eius vita? Et quis item ignorabat, semel mortuos non posse denuo tradi in mortem? Existimo illum ob id se viuentem appellare, propterea quòd natura animo præditus erat excelso, & ferociter atque intrepidè quæcunque pericula ingrediebatur, qui debebat etiam comprimi per afflictiones & tribulationes, vt recognosceret se talia ex sua virtute tolerare nequaquam posse. Quòd autem talis fuerit B. Paulus, quæ ante fecerat aduersus Christum testantur, dum spiraret plenus minarum & cædis in discipulos Domini, vi & violentia trahens per domos, tanquam rapax quidam leo: quæ natura deprimenda erat in exercitiis tamen Deo gratissimis. Ob hoc igitur tradebatur in mortem, & quidem frequẽter (sicut postmodo dicet) vt & vita Iesu, qui eripiebat eum de mortibus illis, manifestaretur in suà fragili carne & mortali.

Ergo mors in nobis operatur, id est, Etsi morimur tã sæpe, id effectus bonos in nobis operatur, humilitatem, & notitiam nostri, & Dei omnipotentiam, per quam non succũbimus mortibus. *Vita autem in vobis*, id est: Quòd verò viuimus, non succũbentes tot & tãtis mortibus per Iesum, & prædicamus eius gloriam, non tam sermone, quàm tenore vitæ, operatur in vobis, scilicet fidem veritatis, vt credatis nos eius esse ministros, qui & Spiritu eius agimur qui vera vita est: & ita credentes proferatis fructum imitationis salutarem.

Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod & loquimur: sciẽtes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos, vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Propter quod nõ deficimus: sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diẽ. Id eĩm quod in præsenti est momẽtaneum & leue tribulationis nostrę, supra modũ in sublimitate æternum glorię põdus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videtur. Quæ enim videntur, tẽporalia sunt: quę autem non videntur, æterna sunt.

Habentes autem eundem spiritum fidei, &c. Est spiritus fidei inter dona Dei: qui non ad hunc solum finem datur homini, vt ipse sibi tantum habeat, sed ad vtilitatem & ædificationem ecclesiæ, sicut ipsemet B. Paulus superiori epistola docuit. Vnicuiq; datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Et inter illa dona quę enumerauit, ponitur. Alij fides in eodem Spiritu. Et non loquitur ibi de communi dono fidei, sed de particulari quodam & excellẽti, vt quicunq; illud haber, manifestet aliis. Ideo hoc in loco dicit, quòd habens eundẽ spiritum fidei, quẽ habuit ille qui dixit: Credidi propter quod locutus sum, etiam ipse credidit, propter quod & loquitur: quoniam spiritum illum fidei (vt diximus) non ad illius tantum vtilitatem, sed ad ecclesiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque vtilitatem Deus illi donauerat.

Scientes, quòd qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & cõstituet vobiscum. Hinc apparet, quàm de morte sua certus fuerit, vtpotè qui suscitandum se ait. Quare defendere non possumus, Apostolum ea in existimatione de se fuisse, vt viuus expectaret tempus extremi iudicij: quod tamen opinantur aliqui. Et in hoc articulo resurrectionis, penè continentur cuncta quæ fidei sunt, si accuratè & verè intelligatur. Si enim Iesus Redemptor noster resurrexit, ergo mortuus erat. Si mortuus, ergo & natus, & indignè mortuus. Si enim dignè, non resurrexisset. Ergo mortuus propter peccata nostra. Ergo & nos resurgemus. Hæc & multa alia sub hoc articulo comprehenduntur, quæ prudentibus colligenda relinquimus. Et ob eam causam hunc articulum maximè prædicauerunt & efficacissimè Apostoli, in quo apparuit Christi gloria, vt quæ passus est ignobilia, gloriosa meritò reddita sint.

Omnia enim propter vos, &c. id est, gratiam hanc eximiam illuminationis & fidei quam habemus, propter vos habemus: vt ista gratia abundans in nobis, exundet in vos in gloriam Dei, per gratiarũ actionem, quæ fieri debet à multis.

Propter quod non deficimus, &c. Dicit se non deficere, id est, non delassari. Nec id tam de corpore intelligit, quàm de animi vigore, qui semper crescebat in dies. Vnde ait: *Sed licet is qui foris est homo noster*, id est, ille homo qui apparet exterius (& intelligit partem sensitiuam) *corrumpatur:* quia de die in diem tendit in interitum, *tamen is qui intus est*, ipse intellectus informatus Spiritu sancto, *renouatur de die in diem*, propter assiduam sanctificationem, quę ab operibus bonis procedit.

Porrò, ista renouatio non momento vno fit ipsius conuersionis (ait B. Augustinus) sicut momento vno fit illa in baptismo renouata remissione omnium peccatorum. Neque enim vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur. Sed quemadmodum est aliud carere febribus: aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere. Itémque aliud est infixum telum de corpore deme re: aliud vulnus, quod eo factum est, secunda curatione sanare. Ita prima curatio est, causam remouere languoris: quod per omnium fit indulgẽtiam peccatorum. Secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio. Ad quam peruenient qui renouari de die in diem per cordis munditiam, & pia charitatis opera sedulò student. Relictus est nobis excolendus animus, quasi ager spinis, & luxuriãtibus ramis arbor, assiduè à summo Patre purganda, vt fructum plus afferat. Alioqui si manũ refugiat cœlestis Agricolę, non solùm non renouabitur de die in diẽ, sed arescet, & in ignem mittetur, quemadmodum Dominus testatur, & ardet. At cõtra, qui fructum cultoris sui labore dignum reddiderit, & talẽtum ad auctiorem negociationem diligenter dederit, merebitur maiora adhuc accipere & digniora, vt qui habet, etiam abundet, augente ipso Domino donum bene seruatum à nobis, & quo bene vsi sumus ad lucrum, ita vt veniat perfecta innouatio, ac perpetua, quæ nescit interitum. Vnde ait:

Id enim quod in præsenti est momentaneum ac leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vide contra hanc nouam Lutheranam hæresim, quòd per viam & merita passionum ingredimur & obtinemus cœlum: ita vt præmij magnitudo & amplitudo supra modum excellat, atque excedat huius temporis passiones, non tantum qua momentaneæ sunt, sed quòd etiam leues sint. Ipsum autem præmium gloriosum ponderis immensi est, & in æternum duraturum. Et illud itidem nota, ad obstruendum os aduersariorum potentissimum, quàm clare B. Paulus dicat, hoc momentaneum & leue tribulationis operari in nobis hoc tantum præmium. Quomodo autem operatur, nisi meritoriè? Ex vi tamen gratię & pacti: sed alibi separatim hanc materiam tractaui vberius. Hic est locus cui nequeunt hæretici respondere. Nobis ergo (inquit B. Paulus) operatur hoc immensum & æternum gloriæ pondus, leuis & momẽtanea tribulatio: *nobis*, inquam, *non contemplãtibus quæ videtur*, & temporalia sunt, hoc est, qui non habemus in consideratione & pretio, aut pro scopo nostro, ea quæ ante oculos conspiciũtur: *sed quæ non videntur*, cùm hæc sint æterna. Ad hæc autem aspicimus vt ad scopum & verum finem nostrum, in quo est vera, ac sempiterna beatitudo, ad quam per tribulationes cõmemoratas forti & alacri animo contendimus, iuuante illo qui pugnantibus dat fortitudinem Iesus Christus dux noster, & magnificus triumphator.

Contra nouantes merita.

CAP. V.

SCIMVS enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternã in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti & nõ nudi inueniamur. Nam & qui sum⁹ in hoc tabernaculo ingemiscimus, grauati, eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Qui autem effecit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audẽtes igitur semper, & sciẽtes quoniã dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino (per fidẽ enim ambulamus, & non per speciem) Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Et ideo contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque ꝓpria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.

Scimus enim, &c. huius habitationis. Lõgè melius: *huius tabernaculi*, iuxta Græca vocem οἰκίας, qua

mox vtetur interpres, & eadem est vox Græca: vt declaremur adhuc nos esse peregrini à Domino, & viatores, & non habere hic manẽtem domum, cum tabernaculum audimus. Et loquitur de carne nostra, quæ est quasi quoddã spiritus nostri tabernaculum, qui in eo ambulat cum Christo ad Deũ. ait ergo, Tametsi hoc tabernaculũ Sancti spiritus, quod est corp⁹ nostrum, dissoluatur: Scimus *quòd ædificationem ex Deo habemus*, videlicet in spe, licet nõdum in re. Habemus enim arrham in ipso Christo: quia ipse est verus Salomon, qui ędificauit sibi domum, *domum non manufactam*, sed verbo suo *æternam in cœlis*. Reparabũtur enim corpora nostra, vt fiant domus nostræ indissolubiles, & æternæ: non in hoc mundo, sed in cœlis. *Etenim in hoc ingemiscimus*, id est, in hoc corporis tabernaculo existentes, crebros gemitus & suspiria trahimus. Aut dicam⁹: *Etenim in hoc*, id est, propter hoc gemimus nunc, *habitationem nostram*, vel domiciliũ nostrum, quod est de cœlo, id est, gemitu & expectatione sperantes, illud parturimus: sicut ad Romanos dixit, Ingemiscimus adoptionem filiorum Dei. *Cupientes superindui*, vt qui modo vestiti gratia sumus, superinduamur & gloria. *Si tamẽ vestiti, & nõ nudi inueniamur*, hoc est, modo dum hinc excedimus, inueniamur non priuati gratia, quæ prima stola est & vestis nuptialis, vt simus digni apparere ante faciem Sponsi ad recipiendum secundam stolam gloriæ.

De nostro gemitu.

Etenim existentes in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, sicut scriptum est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantẽ. Declarans autem in quo esset causa doloris & gemitus, adiungit: *Eo quòd nolumus expoliari, sed supervestiri.* Homo enim natura diligit carnem suam: & tantum abest vt vellet dissolui, vt etiã vellet superindui, hoc est, habere carnem vestimento nouo perennitatis, & gloriæ consutam. Videns autem necessariam esse dissolutionem, non potest non ingemiscere secundum amorem carni debitũ. Sed cum adsit spes futuri superindumenti, quiescit homo: quia videt se fore desiderij sui compotem, scilicet, quòd superinduetur, *vt absorbeatur quod mortale est à vita.* Verè cum apparuerit Christus vita nostra, & nos apparebimus cũ illo in gloria: & tunc induet hoc mortale immortalitatem, propter tam proximum consortium & contubernium, quod erit nobis cum ipsa vita, ante cuius conspectum non poterit stare mors, nec apparere quicquam mortale.

Sap. 9.

Qui autem effecit nos in hoc ipsum, Deus. Sensus est, nos in hac expectatione, & statu spei, à Deo cõstituros esse propter Christũ. Nam si ille propter nos ingemuit, & mortem gustauit acerbissimam: quid magnum si & nos tantisper propter illum gemimus, imo propter gloriam nostram in illo? *Qui & dedit nobis pignus Spiritus.* Ipse Dominus, cuius prouidentia factũ est vt simus gementes, non reliquit nos sine intelligentia suæ bonæ & propensæ erga nos voluntatis, quæ fuit vt per hunc gemitum paturiremus, & pararemus nobis vitam ęternã. Nam & istud verbo suo promisit: & propterea dedit nobis pignus Spiritus, id est, arrham vitæ, quę est donum charitatis excidere nescientis. Ecce quàm passim probatur præsentis gratiæ certitudo.

Audentes igitur semper. Supplendum est, sumus, bona scilicet audacia, propter scientię certitudinẽ. Ausum autem suum vocat illum, quem habebat in prædicatione constanter asseuerans euangelium. A plenitudine enim sciẽtiæ veniebat: addit, *Et scientes, quòd dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Hoc est, quia dum in carne sumus, Deum videre non possumus. Nemo (inquit ille) videbit me & viuet. In via enim sumus ambulantes per fidem quę est eorum quæ non videtur: *& non per speciem*, quæ facie ad faciem intuetur. Itaque ob id rectè à Domino peregrinari dicimur, tanquam absentes ab illo: quamuis ad illum desiderio cordis tendentes. Hoc ergo B. Paulo confidentiam suppeditabat & ausum, vt nullas quãtumuis atroces pertimiscere mortis minas: qui, cum Christus ei esset vita, per mortem suam sciebat se illum lucrari. Itaq; constitutus inter vtranque varij desiderij cogitationem, aut peregrinari à Domino, & esse in carne: aut præsentem esse ad Dominum, & peregrinari à corpore: proculdubio multo eligibilius illud statuit, videlicet peregrinari à corpore, & præsentem esse apud Deum. Et ob illud desiderium subdidit:

Exo. 33.

De statu hominum.

Audemus autem & bonam voluntatem habemus. Hoc est, magis placet, & vt charius probamus, *magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Hic locus efficax ad probandum, animas vt statim soluuntur à corpore, Domini præsentia frui, neque vlterius ab eo peregrinari: modò hinc euasserint innocentes. Et ob eam gratiam B. Paulus magna industria ac sollicitudine operam dabat, gratum sese Deo reddere. *Et ideo* (inquit) *contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi.* Id est, Contendimus & in hac peregrinatione, & cùm peregrinationem hanc absoluerimus, placere illi: subtacitè insinuans, nos non posse illi placere post hanc peregrinationem, si prius peregrinantes non placuerimus. Ille enim est aduersarius noster in via, cum quo oportet consentire: alioqui ad iudicem nos trahet, sententiam nostram meritis nostris dignam laturos. Propter quod ait:

De beat. animarum statim post mortem.

Luc. 12.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Hic locus valdè considerandus, vt intelligamus futurum iudicium non sese in pueros extẽdere, qui nec boni quicquam, nec mali gesserunt in corpore: sed aliorum adultorum vitam discutiet, qui facultatem sui liberi arbitrij habuerunt.

Quòd enim pueri qui absque lauacro decedunt, neque supplicio afficiãtur, sicut neque honore & gloria æternæ vitæ, post ea quæ ad Rom. adduximus, hoc in loco placuit elegans testimonium Magni Gregorij Nazianzeni, qui ob excellentem doctrinam, Theologi cognomẽtum promeruit, afferre: qui dũ de talibus pueris loqueretur, quos in tertio genere hominum non baptizatorum cõputarat, in hunc modum securè pronunciat. Tertios autem (inquit) neq; pœna, seu gloria à iusto Iudice arbitror affectum iri tãquam non signatos, noxa tamen carentes, magisq; damnum patientes, q̃ committentes. Non enim quicunq; suppliciũ haud meretur, ideo iam honore dignus est: quemadmodũ neq; qui non honorandus, ideo puniẽdus erit. hæc ille. Vnde manifestè apparet hanc sentẽtiam non

Greg. Nazian. in oratione de sancto lauacro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

solùm non repugnare scripturis, nec olim communi sensui ecclesiæ aduersari (cum tam insignis Theologus eam tam securè doceat) verumetiam optimis rationibus communiri, quas facile homo benigni iudicij & in prōptu habere potest, & comprobare. Ipsa equidem pietas per se ipsa omnibus persuadere deberet. Quid enim contra legem per corpus peccauerunt pueri?

B. Aug. in Ser. de omnibus sanctis.

Addo & B. Augustinum qui & si aliter aliquando de pueris docuerit, vt ad Rom. monuimus, loquens tamen de generali omnium iudicio, manifestè ab eo excludit nedū pueros, sed & paganos, & Iudæos, & hæreticos. Ait enim post quædam etiam contra massam facientia. Et hoc considerate, inquit, fratres pro qua re mittuntur in ignem æternum. Non enim illis dicēdum est: quia homicidia fecistis, adulteria cōmisistis: quia alienam substantiam rapuistis. Sed hoc solum audituri sunt, Quia esuriui, & non dedistis mihi mādūcare. Rogo vos fratres, Nolite hæc transitoriè cogitare: nec credatis quòd hoc de Iudæis tantùm, aut paganis, vel hæreticis fuerit dictū. Sed definitissimè credite: quia hoc Christiani & Catholici, qui in malo opere perseuerare voluerint, audituri sunt. Ad iudicium enim non veniunt nec pagani, nec hæretici, nec Iudæi: quia de ipsis scriptum est, Qui non credit, iam iudicatus est, &c. hæc ille.

Et contra, Quàm æquum est, vt quod in corpore deliquimus, etiam luamus in corpore: & quod in corpore bene gessimus, etiam in corpore remuneremur: vt & corpus etiam particeps fiat vel pœnarum, vel præmij. Nam per corpus & mala patramus, & bona agimus: quoniam sine corpore nihil prorsus in hac mortali vita agere possumus. Siquidē & ipse intellectus indiget phantasmatibus, quę sunt à corpore.

Sciētes ergo timorem Domini, hominibus suademus: Deo autē manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterū cōmēdamus nos vobis: sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, vt habeatis ad eos qui in facie gloriātur, & non in corde. Siue enim mēte excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Charitas.n. Christi vrget nos, æstimantes hoc: quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & ,p omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam non sibi viuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Itaq; nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. Siqua ergo in Christo noua creatura: vetera transierūt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christū: & dedit nobis ministerium recōciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum recōciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tāquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, recōciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Scientes ergo illum timorem Domini, id est, cum sciamus quæ contingent in illa die, die iræ, & calamitatis, & miseriæ sempiternæ malis, & eorum timorem habeamus: *hominibus suademus. Deo autem manifesti sumus.* Sensus est: Cum suaderet hominibus, habebat ante oculos illam diem, qua reddet vnusquisque pro se rationem: ita vt timeret Dominum, & non suaderet quicquā dolosè, & cum fraude: quod est ab omni vero prædicatore faciēdum. Et ob eam mentis rectitudinem, Deo se manifestum esse ait. *Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.* Hoc sperabat, quia sic ĩter eos se gesserat, vt aliud existimare nec illi, nec ipsemet meritò possent. Et addit:

Nota quid est optimus prædicatorius.

Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionē damus vobis gloriandi pro nobis, &c. Quod ego de me ista dico, non iactabundus commendationis meæ gratia facio: sed vt dem vobis occasionē gloriandi de nobis, qui pater sum & magister vester in Christo, Apostolus, & segregatus in euāgelium Dei ad Gentes, probatus tot signis & prodigiis, vt nec magnis Apostolis (qui videntur esse colūnæ ecclesiæ) cedere vlla in re debeamus. At hoc de seipsis prætendere nequeunt, qui tētant vos seducere. Quam obrem hoc nunc facio, vt habeatis hæc de me aduersus illos qui gloriantur *in facie*, hoc est, in apparentia verborum, *& non in corde*, qui apertè sciptos produnt: quia nullum ostendunt suæ missionis argumentum, sicut nos ostendimus iam, & cum opus est, semper parati sumus ostendere.

Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Hic mihi huius loci germanus videtur sensus, ac si apertius dixisset: In hoc sermone qui est de nobis, siue hoc dicamus rapti mente, Deo hoc, dicimus, id est, in gloriam eius qui nos mouet, & per nos loquitur. Siue sobrij sumus, id est, siue spiritu nostro loquimur ex prudentia propria: vobis tamen hoc facimus, nimirum ad vestram vtilitatem. Cur autem se ita gerat, optimè subiungit, aiens: *Charitas enim Christi vrget nos, &c.* Hoc est, Christus dedit pro omnibus vitam suam huius sæculi, vt inueniret aliam meliorem. Tales ergo omnes debent esse qui sunt in illo, & illius charitatis exemplo vrgeri, vt perdant in hoc mundo & ipsi vitam suam: & non sibi viuant vlterius, sed Deo & Christo, vt in futuro sæculo inueniant ipsam. Vnde bene sequitur: *Et pro omnibus mortuus est Christus*, ac si dixerit: Certè pro omnibus mortuus est Christus: *vt etiam qui viuunt* noua vita, prōpter eius resurrectionem: *iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Videlicet vt ipsi mortui peccato in morte Christi, & resuscitati spiritu in eius resurrectione, viuant ipsi Domino, seruientes illi, & ad gloriam eius.

Itaque ex hoc, id est, posthac, siue postquā in Christo ego sum mortuus mihi, & reuixi Deo: *neminem nouimus secundum carnem*, quod est, carnali notitia, & affectione. *Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc non nouimus.*

Sensus est: Quādo persequebatur Christum, carnaliter cognoscebat Christum affectu carnali: & ideo non cognoscebat verum Christum, qui cognoscendus erat spiritualiter, hoc est, non ex affectione terrena & carnali. Etenim Iudæi omnes profitentur se nosse Christum in scripturis, & sperant vēturum, sed carnaliter noscunt: quia putant eum temporaliter regnaturum, & restituturum illam Gentem, id est, ipsos Iudęos sedibus suis, & in hoc solummodo omnis illorum spes reposita est. Istam igitur de Christo notitiam, quam prius habebat B. Paul°, dicit se abiecisse. Et quare, nisi quia istæ cogitationes sunt animales, & carnem sapiūt, & adhuc sunt veteris hominis?

Siquis ergo in Christo (subaudi), est, *noua creatura* (iterum subintellige) est, vt sit sensus: Quicunque est in Christo (quod esse per fidem & sacramentum acquiritur) est noua creatura. Et ideo ego Paulus, non sum ille qui olim eram Saulus, sed noua creatura: vt non iam sapiant mihi quæ tunc probabam, quæ nunc reputo esse velut stercora. *Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.* Qui ergo per Spiritum sanctum renouati sumus, secundum prudentiam Spiritus debemus sapere. Et hoc si verè sentimus in nobis, signum certum est renouationis nostræ.

Omnia autem ex Deo, id est, quæcunque obuenerunt nobis donorum, & gratiarum, vt tales simus, ex Deo profecta sunt. *Qui nos reconciliauit sibi per Christum.* Hoc primùm, quod magnum fuit. *Et posuit in nobis verbum reconciliationis*, id est, verbum euangelij, vt per me ministrum etiam reconcilientur sibi multi. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, siue (vt quidam volunt) obsecrante. Legati enim de sensu & nomine mittentis accepta mandata loquuntur. Et vt quid loqueretur declararet, ait:

Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ista verba non tam mihi videntur exhortantis, quàm enunciantis, ac narrantis id quod erat suæ legationis, videlicet, obsecrare pro Christo, vt homines reconciliarētur Deo. Nam de Corinthiis iam certum erat, illos esse Deo reconciliatos: vnde suam illis exhortationem mox facturus reseruat. Pergit autem tenorem exprimens, & summam dignissimæ legationis suæ.

Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, &c. Christum non cognouisse peccatum ait Apostolus, hoc de notitia facti intelligēs, non de notitia speculatiua. Nam quæ respuimus, non cognoscere dicimur, hoc est, non probare. Et Deum fecisse illum peccatum more scripturarum dicit, & tropo illarum proprio: quoniam in illo posuit peccata omnium nostrum, & illud præsertim originale, vnde reliqua tanquam ex radice oriuntur. Cum ergo sic factus fuerit peccatum in corpore suo, crucifixo & mortuo corpore, intellectum est crucifixum simul ac mortuum peccatum esse: & hoc, *vt nos efficeremur iustitia Dei.* Impediebat enim peccati lues ac reatus, ne possemus fieri iusti. Oportuit igitur tolli peccatum: quo sublato, nihil postea obstit amplius, quod (ne iustificaremur) impediret, propter resurrectionē Domini. Nam quemadmodum ille resurrexit vitam accipiens nouam, postquam satisfecit peccato per mortē: sic & nos per acceptam iustitiam reuiuisceremus, & noua creatura efficeremur ad seruiendum Deo.

Dixit etiam iucunda figura, Christum factum fuisse peccatum, qui nec nouerat peccatum: & nos per illum factos esse iustitiam Dei, qui eramus peccatum. Et hoc in loco accipit Dei iustitiam pro populo iusto: sicut nonnunquam circuncisionem pro populo circuncisō. Hic est mos scripturæ, & frequens est per nomina (quæ logicis vocantur abstracta) significari res ipsas illa qualitate affectas: sicut hic iustitia significat iustos: & tenebræ alibi, tenebrosos: & lux, afflatos lucē, vt cùm dicitur, Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.

CAP. VI.

ADIVVANTES autem exhortamur, ne in vacuum gratiā Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiuite: & in die salutis adiuuite. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministeriū nostrum. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam. Vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti & cogniti. Quasi morientes, & ecce viuimus. Vt castigati, & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Lōge melius, *receperitis.* Nūc enim incipit instruere eos ad vitam rectā, & Christianis moribus dignam, quam illustrabat Apostolus charitate eximia: & promouebat publicis ad omnes prædicationibus suis, exhortationibus priuatis: & in primis vitæ probitate, & omnium virtutum exemplis, quas mox enumeraturus est. Et loquitur ad eos qui iam receperant gratiam, quos sedulò monet vt sic agant, ne in vanum eam receperint, & frustra. Et quod ait, *exhortamur*, optimè positum est: tametsi vox significet etiam obsecrationem, & consolationem. Vt intelligas exhortationes habere tanquam socias, obsecrationes & consolationes. Et ita est certè, quando sapienter

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiunt ac prudenter. Adiuuantes autem dixit, tanquam diceret: non dominãtes, sicut superius dixit. Non dominamur fidei vestrę, sed adiutores sumus gaudij vestri scilicet, & coronæ, quæ manet expectantes Christum.

Ait enim: Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Hic locus est apud Isaiam cap. 49. Vbi ille propheta de tempore aduentus Christi loquitur ad eos qui agnoscerẽt eum, quando in tempore placito & accepto ipsi Deo, per Christum exaudiuntur, & adiuuantur ad salutem. Vnde B. Paulus hoc tempus declarãs aduenisse, addit: *Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies salutis.* Quod ait, Nunc, more suo tẽpus euangelicæ gratiæ designat, quod quidem verè est tempus acceptabile coram Deo: quando lux est in mundo, & vbique illucet omnibus lucem amantibus veritatis.

Nemini dantes vllam offensionem. Sic est construendũ. Nos ita sumus adiutores vestri in exhortando, sicut decet eos qui hoc munus administrant, videlicet vt ipsi sint inculpati, & nullam dent in quauis re occasionem, per offensionẽ vllam cuiquam obtrectandi. *Vt non vituperetur ministeriũ nostrum.* Occasionem magnam ad vituperãda ministeria bona præbent male administrãtes. Nam cùm malus apparet minister: etiam ipsum ministerium & officiũ vituperant idiotę, & carnales. Et hoc est nunc scandalũ mundi. Heu, heu, væ nobis, qui non aperimus oculos. Non autẽ talis erat Apostolus noster: quẽ vtinam imitaremur seriò monentem, vt postulat nostri muneris obligatio, ait: *Sed in omnibus exhibeamus:* Lõgè melius, exhibemus, siue, cõmendamus, *nosmetipsos sicut Dei ministros.* Et ecce in quibus sit vera & laude digna commendatio, nimirum:

Attẽdant prælati Ecclesiarum.

In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus: quæ multæ sunt huius vitæ. *In angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiunis.* Hic B. Paulus, inter alia, quibus voluit commendare seipsum & ministerium suum, addidit, *in vigiliis, & ieiuniis.* Quid est ergo quod isti dicunt: Esca non commendat nos Deo, nisi vt destruant ieiunia? O caro, ô fœnum, ô gloria vestra tanquã flos fœni, qui cupitis placere carni, & commendare vos fœno, quod hodie est, & cras in clibanũ mittitur. *In castitate, in scientia.* Nam ministrãtorem euangelij oportet esse pudicum & scientẽ. *In longanimitate.* Hic videtur significare longam expectationem, qua ad reuocandos à peccatis homines per pœnitẽtiam vtebatur, vt verus Clementis Patris imitator, cuius hoc est proprium, misereri semper & parcere: nisi nos nostra duritia obdurerimus. *In suauitate,* seu benignitate suaui, & amabili morum facilium dulcedine. *In spiritu sancto,* quo erat plenus tãquam vas electionis. *In charitate non ficta:* qualis est multorũ, qui per dulces sermones & benedictiones fingunt se Antonios & Macharios, & spiritu lenitatis repletos: & his simulationum coloribus decipiunt imperitos. *In verbo veritatis,* non adulterantes illud. *In virtute,* seu potentia *Dei,* propter signa & prodigia quæ faciebat ad confirmandam prædicationem euangelij.

Contra nouos hæreticos, & carnales Christianos.

Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris. Arma iustitiæ sunt fides, & spes, id est, veritas sperãdarum rerum, & quod sub spe continetur, etiam studiũ bonorum operum: quod vilifaciũt miseri noui magistri, in quo tamen vera Christianorũ gloria, & Capitis imitatio consistit, & fiducia ad expectandam in cœlis fœliciratẽ peracta vitiliter hac militia. *A dextris & à sinistris:* quoniã tentationes Diaboli tales sunt, vt aliquãdo à dextris aggrediatur, aliquando à sinistris. Verbi gratia: Tẽtauit Christum Diabolus primò, ne se ipsum desereret esurientem, sed pararet sibi cibum, & viueret, ne alioqui rẽtaret, in prouidentia Dei nimium cõfidens. Hoc fuit petere illum à sinistris: sed non præualuit. Cœpit ergo insidiosè illum econuersò tentare à dextris, vt nimium de diuina prouidentia confideret, quùm in pinnaculum templi sublato suadet, vt se mittat deorsum. Hoc autẽ quid erat aliud, quæso, nisi à dextris petere hominẽ? Sed armis veritatis superatus est ille Malignus & à dextris, & à sinistris.

Sunt enim virtutes ferè omnes in medio extremorum, quæ sunt vitia, positæ: atque illud vitium quod magis est finitimum virtuti magisq; simile, potest à dextris collocari, in quo longè decipimur facilius: vt eleganter & verè dixerit quidem: Decipimur specie recti. Respectu quippe liberalitatis, prodigalitas, quæ cum illa similitudinem habet aliquam, posset à quibusdam existimari virtus. Et similiter auaritia ad parsimoniã comparata: & ita de reliquis.

Per gloriam & ignobilitatem. Commendat prædicatorem & euangelistam, quùm miro ardore, & in spiritu prædicat verbum Dei, & signis cõfirmat atque prodigiis, & vita bona: vnde gloriam acquirit apud multos. (Talis erat interdũ Paulus) Commendat rursus eundem & ignobilitas, quùm forti & inuicto animo suffert opprobria indignè illata: vt quùm scioli aiebant, Quid vult seminiuerbius hic dicere? &c: Nouorum dæmoniorum videtur annunciator. Et quùm loquutus esset Paulus ad eos, quidam (vt B. Lucas testatur) irridebãt, & quidam dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Vnde addit, *Per infamiam & bonam famam.* *Act. 17.*

Vt seductores, vel impostores, *& veraces.* Non est legendum coniunctim, vt sit sensus, A diuersis quidem hominibus existimatũ fuisse vt seductorem simul ac veracem: licet & hoc verissimũ esset, cum non deessent qui de illo talem cõceperant falsam opinionem, vt quandoque verax in quibusdam esset, in aliis autem sæpe impostor. Sed is est verus sensus, illum, cum tamen esset in vita & doctrina omnino verax, habitum tamen à malignis & iudicatum seductorẽ & impostorem, vel qui nouam aduersus Deorum cultum afferret prędicationem. Hoc autem cõuicij excipere eorum est proprium, qui veritatem ipsam apud impios prædicant, & intrepidè defendunt.

Sicut qui ignoti & cogniti. Ille non noscitur à Deo, qui minimẽ probatur ab eo. Sunt qui probantur quidem à Deo, sed non apparet illa probatio: quia in hoc mũdo abiecti sunt, sicut fuit Dominus. Vnde propheta: Nec reputauimus eum: sed reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, &c. Talis B. Paulus imitator Domini sui & capitis Iesu Christi. *Isa. 53.*

Vt castigati, & non mortificati, hoc est, Nos tanquam castigati propter peccata, quorum supplicia ferimus in hac vita, non tamen morte affecti sumus. *Quasi tristes: semper autem gaudẽtes.* Quoniam

nõ est in veris iustis pfecta tristitia & dolor: sicut nec perfectum gaudium. Ipsi interim velut dolentes sunt, & tristes: gaudent nihilominus in sua tristitia semper. Nam etsi de peccatis suis & aliorum tristentur & doleant, in Dei tamen misericordia pro se ipsis, & in eius iudiciis rectis atque iucũdis pacati conquiescunt.

Sicut egentes & multos locupletantes. Verè nõ sunt egentes, qui propter Christum egẽt: quoniam spiritualibus bonis abundant, vt alios locupletes faciant: & indigẽtiæ illorum opportunè semper succurrit Dominus. *Tanquam nihil habentes: & omnia possidentes.* Verè omnia possidet, qui Christum in corde suo habet: licet videatur egenus carnalibus oculis. Græcè tamen legitur, καὶ κατέχοντες, quod possemus etiam vertere, continentes, & quasi incumbẽtes. Vt sit sensus, quòd homo qui diuitias, & omnia mundi & fortunæ bona spernit propter Christum: ipse incumbit, & insidet omnibus vt dominus & verè possessor, qui ab eis non possidetur. Hæc experiuntur qui verè sapiẽs in Domino, quæ amatoribus sæculi videntur deliramenta.

Os nostrum patet ad vos, ô Corinthi: cor nostrum dilatatum est. Nõ angustiamini in nobis. Angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habẽtes remunerationem (tanquam filiis dico) dilatemini & vos. Nolite iugũ ducere cum infidelibus. Quę enim participatio iustitiæ cũ iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autẽ conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

Os nostrum patet, &c. Os est cordis interpres. Dilatato autem corde ad effundendum, oportet & ipsum os simul patere. Ex cordis enim abundantia os (vt testatur Dominus) loquitur. Et significat amorem & gaudium intus conceptum, se non posse retinere, sed cogebatur vt illud effunderet. *Non angustiamini in nobis, &c.* Non est hoc verbum exhortationis: sed enunciat id quod est, videlicet, nullam illos habere causam cur sese angustent, id est, animo depressi sint in Paulo, id est, propter Paulum: sicut angustantur filij de patre ignobili: & discipuli ob magistrum imperitum, & indoctum. Ergo quòd angusti estis animi (si tamen estis) nõ ex Paulo est magistro & patre vestro: sed ex vobis, & visceribus vestris, qui tantum patrem & magistrũ non imitamini, & potius quæ sunt carnalia concupiscitis, quæ animum angustant, & efficiunt ne certò sperentur æterna. Vnde ait:

Eandem autem habentes retributionem. Græcè de est verbum, habentes, sed rectè suppletum est. Sensus est: Cùm sit vobis eadem retributio (*vt filiis dico*) Ibi enim necesse est esse filios, vbi pater, cum filij patrem imitantur: sicut filij Abrahæ, Abrahæ promissiones adipiscuntur: *dilatamini & vos.* Dilatatur autem homo tunc vero gaudio, quando verè concipit spem æternorum. Tunc enim liber efficitur, & nullas patitur angustias. Quod tum demũ euenit, quùm incipit spernere temporalia, & pati tribulationem pro Christo. Tunc spei certitudo dilatat cor, & stabile reddit.

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Hic prohibet consortia coniugij cum infidelibus, ne fidelis cum infideli coniungatur: & ratio redditur: *Quę enim* (inquit) *participatio iustitiæ cum iniquitate?* Siue cum iniustitia? Vt fideles pro iustis habeat propter fidẽ infideles pro iniustis, quia fide carent. *Aut quæ societas luci ad tenebras?* Infideles ergo tenebræ sunt: lux autem fidelis. *Quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Græci Beliar legunt. Quidam rationem hanc assignant, quòd nullum Græcis vocabulum desinat in, l. Quæ ratio est admodum leuis. Non enim Græcum est hoc vocabulum: & poterat integrè recipi, & proferri in Græca lingua. Quicquid sit in causa: *Belial,* significat absque iugo, desertorem, & contumacem: quod fuit Luciferi propriũ, qui primus defecit à voluntate ac mandato Dei. Huic rectè opponitur Christus, qui quæ placita erãt Deo, semper fecit. Cum ergo fidelis membrum sit Christi: infidelis erit membrum Diaboli. Itaque sicut caput Christus non conuenit cum capite diabolo ita nec membrum Christi cum mẽbro Diaboli debet conuenire. *Matrimonium cũ infideli prohibetur.*

Aut quæ pars fideli cum infideli? Cõiugij enim fructus sunt filij, de quibus vterque coniugum debet participare. Sed non potest participare fidelis simul cum infideli, & eandem dulcedinem capere: quoniam ij fructus sunt, quatenus Deo generantur. Infidelis autem hoc gustare non potest.

Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, &c. Hoc ipso probat tale genus coniugij esse detestabile, videlicet cum idololatris. Videtur enim fidelis quodammodo consentire cum Idolo, consentiens cum idololatra. Hoc autem nimis absurdum: quia fidelis est templum Dei. Idque probat per scripturam: quoniam Deus inhabitat in nobis, & nobiscũ ambulat, vt ipsemet pollicitus est dicẽs: Ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi. *Et ero illorum, Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Hactenus ex Leuitico. 26. acceptũ est. Quod sequitur, partim de Isaia, vt hoc: *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum nolite tangere.* Quia ego, qui sum Dominus vester, sum ipsa munditia: vos qui vultis sanctificari, exite de medio impiorũ & infidelium, & separamini: & immundum ne tetigeritis. Nos apud Isa. sic legimus, vbi postquam promisit aduentum Domini etiam ad Gentes, vt fiant populus eius, & ipse earum Deus, ait: Recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere, &c. Sequitur: *Et ego recipiam vos, & ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Hoc ex Ieremia cap. 31. licet verba non omninò sint eadem: sensus tamen idem. Vnde & *Matth. vlt*

Universidad de Deusto
Biblioteca

à B.Paulo admonemur, licitum nobis esse varias congregare scripturarum sententias, modò in testimonium adducantur aprè, & ad sensum ipsius scripturæ aperiendum:non autem temerè & absque iudicio.In quo tamen à plerisque erratur,qui multitudine potius quàm pondere passim eas citant, quò eruditiores apud indoctum vulgus videantur.

CAP. VII.

HAS ergo habẽtes promissiones, &c. Videlicet quia sumus populus Dei, templa Dei, filij Dei,manet nos æterna filiorum hæreditas:quę tamen datur mundis corde. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Inquinamentum carnis est per fornicationem:& inquinamentum spiritus per omnia peccata,quibus adhibetur consensus. *Perficientes sanctificationem in timore Dei.* Dei est in nobis inchoare sanctificationem ex fide absque meritis vllis nostris:sed nostrum est, per gratiam Dei tamen,mereri per bona opera perfectionem sanctificationis, quæ perficitur ab ambulantibus in timore Dei,sicut alias dicit:Cum timore ac tremore salutem vestram operamini. Philip.2.

Capite nos, id est, suscipite me in visceribus vestris vt patrem, & vt præceptorem ac doctorem, ac munificum erga vos in dilatatione cordis.Non enim causa vlla est vobis,cur id facere non debeatis:quoniam *neminẽ lesimus:neminem corrupimus: neminem circumuenimus.*Minus est lædere,quam corrumpere.Et quod adiicit,*circumuenimus*, significat non se iniustitiam fecisse vllam per dolum ac fraudem,vt de alterius iure quicquam surripuerit. *Non ad condemnationem vestram dico*,id est,nõ hoc ex probro in vos,quasi horum nomine me accusetis, vt propterea condemnare vos velim velut calumniosos.*Predximus enim vobis,quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum,& conuiuendum.*Per hoc ostendit se non habere amarum erga illos animum,quibus cum & vitam & mortem vult habere communẽ: sed hæc ait proferre se ex fiducia potius, vt ipsi recognoscerent qualis esset erga illos. Et item quò vehementius diligerent & obseruarent,addit.*Multa mihi gloriatio pro vobis*,melius, de vobis: *repletus sum consolatione,superabundo*,siue exeundo,*gaudio in omni tribulatione vestra.*Ostendens autem quam tribulationem passus fuerit,& in quantis versatus periculis, vt illi aliqua saltem commiseratione erga seipsum,mouerentur,qui de illis illorumque salute cogitandi finem nullum faciebat,subdidit:

Nam & cùm venissemus in Macedoniam, nullã requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris,pugnæ:intus,timores.Sed qui consolatur humiles,cõsolatus est nos, Deus, in aduentu Titi. Non solùm in aduentu eius,sed etiam in consolatione qua consolatus est in nobis,referẽs nobis vestrũ desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me,ita vt magis gauderem.Quoniam etsi contristaui vos in epistola,non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd epistola illa(etsi ad horam) vos contristauit,nunc gaudeo:non quia contristati estis,sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentũ patiamini ex nobis.Quę enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sęculi autem tristitia mortẽ operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quãtam in vobis operatur solicitudinẽ? sed defensionem, sed indignationẽ, sed timorem,sed desiderium, sed æmulationem,sed vindictam:in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio.

*Nam & cùm venissemus,&c.*Non dicit de spiritu quòd non quieuerit,sed tantum de carne quæ patiebatur,& non quiescebat propter tribulationes, interim forti existente spiritu, qui promptus est semper in his qui verè amant: sed caro infirma tanta perfetre sæpe non potest,quãta vellet spiritus. Declarat autem quales tribulationes *foris* (inquit) *pugnæ:intus,timores*,intelligit pugnas quæ inferebãtur à paganis,qui erant foris,id est, extra ecclesiã: & intus timorem, propter suspirionem falsorum fratrum. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi.*Erga humiles Dei dignatio est vt eos consoletur. Et ne intelligant solùm accepisse se consolationem propter Titi præsentiam, addit:*Non solùm autem in aduentu eius*, siue præsentia: sed etiam in consolatione, *qua consolatus est in vobis*,id est,in ea consolatione,quam ipse accepit per vos, *referens vobis vestrum desiderium* proficiendi in melius:*vestrum fletum*,ob commissa in Deum peccata,& propter me inde à vobis contristatum: *vestram æmulationem pro me*, resistendo falsis prophetis,qui vobis illuserant,& à vera doctrina euangelica abducebant. Non loquitur autem vniuersaliter de omnibus(ne sit sibiipsi contrarius) sed de illorum plurimis.Nam in aliquos nonnulla scribit, quæ minus cum his conueniunt. *Ita vt magis gauderem.*Credo subaudiẽdum,de eo quòd contristauerit eos per epistolam.quæ poterat iudicare aliquantò seuerior, ab iis scilicet qui non apprehendunt iustitiam illam, quæ necessariò in omnibus verarum & perfectiorum religionum initiis exercenda est. Quod ex facta in Ananiam & Saphi- Actis

tam vltione latè patet:ne fundamenta iam corruere incipiant,dum primùm iaciũtur. Fructus enim & timor inde oritur ad maiorem diuinorum præceptorum obseruantiam,vt eo in loco testatur scriptura.Vnde ait:

*Quoniam etsi contristaui vos in epistola, non me pœniret:*quia vidi fructum tandem, & emendationem. Ex quo facile coniicio vos maiori odio peccatum habituros, & vigilantiores ne in posterum seducamini à Satana & eius ministris.*Etsi pœniteret*, melius,etsi pœnituerit. Significat enim quod iam cœperat pœnitere:& reddens rationem,adiicit.*Video enim quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit.* Et in hoc valuit ad desideratum finem. *Nunc gaudeo:non quia contristati estis,sed quia contristati estis ad pœnitentiam.Contristati enim secundũ Deum,*Est enim tristitia quæ ducit ad Deũ: & est tristitia quæ parit mortem,vt mox ipse dicet. Quoniã ergo fuit vtilis illis hæc tristitia,iccircò ait:

*Vt in nullo detrimentũ patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem,*Græcè,*impœnitendam,operatur.Sæculi autem tristitia mortem operatur:*quoniam caret spe diuinæ misericordiæ.Illud interim notandum in hæreticos, quòd tristitia quæ secundum Deum est,id est,quę ex odio vitij,& virtutis amore procedit,pœnitentiam parit in salutem,hoc est,pœnitentiam salutiferam,quam respicit Deus ad delenda peccata.Isti autem,Luthero doctore, eiusmodi pœnitentiam vituperant,& soli fidei imituntur. Sed audi efficaciam eiusmodi fructuosæ tristitiæ:

*Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem,*siue studium: *sed defensionem,*hoc aduerbium,*sed*,pro,quinetiam accipitur.Defensionem dixit interpres, quod græcè Apologiam dixit B.Paulus: vt possimus etiam interpretari excusationem.Idque fortè ad hũc locum commodius:*sed indignationem*,videlicet bonorum contra peccata: *sed timorem*. Bonus est timor omnium filiorum, quum paterfa.iratus conspicitur,ne quid agat quis quo ille acerbius offendatur *sed desiderium,sed æmulationem,sed vindictam.*Desiderium ait emendationis(vt diximus)& boni operis in futurum,& æmulationem itidem boni,sed cum oculo recti zeli,non præter scientiam accensi. Et vindictam,pro præteritis delictis. *In omnibus*, siue vbique,aut per omnia & omnino.*Exhibuistis*, siue commendastis, *vos incontaminatos esse in negotio*. Et hæc fuit excusatio siue defensio, de qua superius: & loquitur de iniuria illata à fratre in fratrem, quæcunque fuerit illa, in qua erant plurimi innocentes.

Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam,nec propter eum qui passus est:sed ad manifestandam solicitudinem nostram,quam habemus pro vobis coram Deo,ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra,abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi,quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. Et siquid apud illum de vobis gloriatus sum,non sum confusus:sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra quæ fuit ad Titum,veritas facta est:& viscera eius abundantius in vobis sunt,reminiscentis omnium vestrum obedientiam,quomodo cum timore & tremore excepistis illum. Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.

Igitur etsi scripsi vobis non propter eum,&c. Supplẽdum est,scripsi.Nec facile est(ni fallor) intelligere quidnam illud sit quod scripserit,& de qua iniuria sentiat,An de illius qui cum patris vxore se polluit,vt aliqui exponunt:an verò de alio quopiam, qui aliam iniuriã intulit.Quicquid sit, ea quæ scripserat,non propter illos(supple tu)tantum, id est, qui fecit & qui passus est iniuriam,ait se scripsisse: *sed ad manifestandam solicitudinem nostram quam habemus pro vobis coram Deo.*Græcè emendatius & vetius.*Sed ad manifestandam solicitudinem vestram de nobis,ad vos coramDeo.*Vt sit sensus: Volui per illa excitare vos,vt manifestareris vestrum studiũ quod habetis de nobis,in his quæ ad vos pertinent. *coram Deo*,id est,vt videret hoc Deus facto vestro. Nam in scripturis quasi nescire ea dicitur Deus, quæ nõ exeunt in effectum.Vnde & rẽtare dicitur sanctos vt videat an sint seipso digni. *Ideo consolati sumus*, id est,cõsolationem recepimus: quia probauimus vos,& vidimus studium erga nos vestrum mirum in modum propensum. *Quæ scire dicitur Deus.*

In consolatione autem nostra,&c. Plana sunt omnia.Et quod ait de gloriatione sua, quæ fuit ad Titum,sensum habet clarum.Ipse enim prędicauerat optima de Titio.Vnde illa prędicatio veritas facta dicitur:quia ita(vt prædixerat)euenit. Nam cum quippiam futurum prædicitur, tum demum dicti ipsius veritas fieri dicitur, quando res per dictum significata efficitur.*Et viscera eius*,viscera scilicet dilectionis,*abundantius in vobis:*melius in vos,id est, erga vos,*sunt,reminiscentis omnium vestrum obedientiam,quomodo cum timore*, non coacto & seruili, sed spontaneo, & qui filios decet patrem reuerentes: *& tremore*,etiam corporis gestu ostensõ,admoniti ab illa illius quondam incestuosi correptione, ne pari vos vltio tangeret:*excepistis illum* à me missum ad vtilitatem vestram,& remissum cum omni de vobis satisfactione.

*Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.*Græcè, cõfidimus vobis:Et ideo gaudere se dicit: quia confidentia illa non frustrabatur. Et hinc sumit occasionem ad persuadendum alia & maiora,postquã intelligebat reuera & peccatores ad melioré frugem se recepisse,& omnes tandem ad obsequendum salutaribus monitis paratos esse.

CAP. VIII.

NOTAM autem facimus vobis,fratres,gratiam Dei quæ data est in Ecclesiis Macedoniç,quòd in multo experimẽto tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit: & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorũ. Quia secundum virtutem(testimonium

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis reddo) & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos, gratiam & communicationē miniſterij quod fit in Sanctos. Et non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederūt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei: ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abūdatis fide & ſermone & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis. Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenuum bonum comprobans.

Notam, &c. In multo experimēto tribulationis: aut, in multa probatione. Qui enim tribulantur à mundo, probātur à Deo. *Abundantia gaudij ipſorum fuit.* Nam maiore gaudio abundant ſancti Dei homines, cum in variis tribulationibus verſantur ac probantur (Deo in neceſsitatibus ſubminiſtrante illis gaudium ſpei, quod eſt magnū) quàm peccatores, qui omnia quæ volunt, obtinent in hac vita.

Et altiſſima paupertas, ſiue mendicitas (Græcè habetur Πτωχεία) *abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* Apud B. Paulum hoc in loco ſimplicitas, vt mihi videtur, ſignificat animi virtutem, quæ eſt quùm quis non plus appetit in hoc mundo, quam neceſſe ſit, & ſatis pro viatico, non ſe onerans duplicibus in peregrinatione: vt ſperet beatitudinē à Deo non in hoc mundo, ſed in futuro ſæculo, tanquam aduena & peregrinus. Et in hac ſimplicitate conſiſtit virtus paupertatis. Et qui tales ſunt, verè diuites ſunt: quia æternorum ſpes (vt diximus) maior eſt lucro totius mundi.

Quid eſt ſimplicitas chriſtiana.

Quia ſecundum virtutem (teſtimonium illis reddo) & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa obſecratione rogantes nos, gratiam & communicationem miniſterij quōd ſit in ſanctos, Græcè additur verbum, *ſuſcipere,* Et eſt ſenſus, quòd ipſi adeò fuerunt promptæ voluntatis, vt multa obſecratione, ſiue obteſtatione, obſecrarint Apoſtolum, vt vellet ſuſcipere gratiā illorum, hoc eſt, beneficium eleemoſynarū, quod appellat communicationem miniſtrationis, quæ fiebat in ſanctos, pro quibus curabat Apoſtolus. Et addit quòd hanc gratiam non ſolum ſecūdum potentiam, id eſt, ſecundum quod erat in facultatibus eorum ad exercendum opus miſericordiæ, ſed vltra hanc potentiam ita etiam dederunt, vt nihil penitus ſibi aſſeruarent. Et ideo ſubdit:

Et non ſicut ſperauimus. Sperabamus enim de bonis ſuis eleemoſynam, & illam quidem largam & pinguem eos eſſe facturos. Et ecce ipſi dederunt omnia, etiam ſemetipſos voluntariam paupertatē profitentes: *ſed ſemetipſos* (inquit) *dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Hic manifeſtè (niſi quis velit proteruire) ad verborum proprietatem loquitur de vita perfecta, quam illi expetiuerunt relinquendo omnia propter Chriſtū, & dedendo manus ſuas in manus prælatorum. Vnde ait, dederunt ſemetipſos, ſicut moris eſt in proſeſsionibus Regularium offerre ſemetipſos, id eſt, propriam voluntatem, & omne obſequium, primùm Domino: deinde nobis per voluntatem Dei. Nam vouens, & in manu prælati promittens, poſt Deū illi ſeipſum promittit ex voluntate Dei: quia ſic voluit, & ſic inſtituit Dominus, & ſic inſpirat quos peculiariter diligit. Et hoc nota, tu pie lector aduerſus impios iſtos & ſeductores, qui vota ſanctiſsima, & ſtatum iuſtitiæ perfectiorem improbant, pleni prudētia carnali, quæ eſt inimica Deo. Non me latet alios, quos legerim non peruenisſe ad hunc ſenſum, cui tamen mirificè verba ipſa ſeruiunt, nec aliò (niſi fallor) ſine violentia trahi queunt. Ideo dixi, nota vt pie lector, quia non omniū eſt intelligentia. Impij enim derident, qui & ridebuntur.

Nota pro votis monaſticis.

Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat erga vos gratiam iſtam. Verè gratia eſt & miſericordia, intrare ſtatum hunc perfectionis, quem commendauerat etiam Titus Corinthiis, & iam inchoauerat in quibuſdam. Vnde rogabatur à B. Paulo vt etiam perficeret quod cœperat. Vel fortè quidam ſe in eam vitam iam contulerant, vt probarentur, & viderent num poſſent perdurare: ſicut & hodie obſeruatur. Et noſtri vbi ad ordinē recipiunt aliquem, hæc verba proferunt: Qui cœpit Dominus, ipſe perficiat. Hoc ergo quod Apoſtolus hortatur, nimirum vt quod cœpit, perficiat, plenum ſcilicet votum ab eis, qui parati erant, recipiendo.

Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt in hac gratia abūdetis. Quod ait, *ſed ſicut* Illud, *ſed,* abundare videtur. Senſus tamen planus eſt. Hortatur enim vt curent, quemadmodum in communibus gratiis abundant, ita & in hac gratia quoque ſtudeant abundare. Et hoc *non imperans dico,* non ex imperio, ſed ex conſilio. Eſt enim conſilium, non præceptum, illum ſtatum profiteri. *Sed per aliorum ſolicitudinem etiam veſtræ charitatis ingenuum bonum comprobans.* Quod nos legimus nunc mendoſè, ingenium bonum, credo interpretem vertiſſe, ingenuum bonum. Græcè enim eſt γνήσιον, hoc eſt, verum, germanum, liberale, non fictum. Nam multi fictè profitentur: & quidam etiam rerum penuria domi oppreſſi. Et ad hoc prouocabat eos, ad æmulationem Macedonum. Et certè iſtud planè conuenit vouentibus, qui ſe totos liberaliter donant Deo, holocauſtum facientes ad imitationem Domini, quem illis proponit velut iſtius ſtatus primarium profeſſorem & ducem, & ait:

Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et cōſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum prōptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet, accepta eſt,

non ſecundum id quod non habet. Non enim vt aliis ſit remiſsio, vobis autē tribulatio. Sed ex æqualitate, in præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptū eſt: Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit.

Quòd Chriſtus ipſe mē dicauerit.

Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter vos egenus. Græcè, ἐπτώχευσεν, id eſt, mendicauit (contra eos qui Chriſtum mendicaſſe inficiantur) *cum diues eſſet, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et conſilium in hoc do. Hoc enim vtile eſt vobis.* Ecce quòd conſilium eſt, non præceptum. Sic enim dictum eſt illi: Si vis perfectus eſſe. Si vis, inquit: ac ſi dixerit, Non te cogo: non iubeo: nō impero: ſed ſi vis. Quòd ſi ſemel volueris & voueris, non licebit tibi aſpicere retrò & reuerti. Quòd enim ſemel placuit, & voto nouiſti, non poteſt amplius diſpliacere. Contra quod tamen & faciunt, & docent hęretici. *Qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore.* Mirum quomodo dicat, non ſolum cœpiſtis facere, ſed & velle ab anno priore: quaſi minus ſit facere, quàm velle. Sed ſic intelligendum eſt: Non ſolùm cœpiſtis modo facere, ſed etiam velle ab anno priore: tanquam hoc factum modo, iam habuerit longo tempore voluntatem. Sic enim accidit multis, qui non temerè aggrediuntur hunc ſtatum vitæ perfectioris.

Math. 19.

Nunc verò & facto perficite, videlicet quod nunc incœpiſtis facere, perficite, id eſt (vt expoſitum eſt ſuperius) ſolemniter & bene. *Vt quemadmodū promptus animus voluntatis,* id eſt, volendo, *ita ſit & perficiendi.* Nam in hoc maximè declaratur voluntas prompta, ſcilicet ipſo facto. *Ex eo quod habetis.* Mihi videtur hîc B. Paulus dicere voluiſſe, quòd illi tantum debebant exhibere, quantum habebant vt poſſent exhibere & dare, & non ſupra vires. Qui enim non habet ſpiritum mancipandi ſe & traden di religioni, & omnia relinquendi propter Chriſtum, non hoc ei ſuademus, nec dicimus quidem vt faciat. Vnde ait:

Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet. Vt ſit ſenſus: Quòd etſi voluntas ſit prompta, & tamen non habet in facultate vt poſsit dimittere omnia, aut plura, non eſt accepta & grata Deo: ſed tantum ſecundum id quod habet: quoniam tunc eſt diſcreta oblatio. Et ob id legitur, quòd omnis oblatio in veteri teſtamento ſale condiebatur.

Non enim vt aliis ſit remiſsio, vobis autem tribulatio: ſenſus eſt. Qui non videbantur ſibi eo ſpiritu accenſi ac ſtabiliti, vt profundam paupertatem ſuffere poſſent, ſicut illi qui donabant omnia, non debent ſe exponere illi periculo & tentationi, vt tribularentur ipſi aliis refectionem curantes: *ſed ex æqualitate,* hoc eſt, ita rem tēperare, vt fieret æqualitas: quod declarans ait, *In præſenti tempore veſtra abundantia,* videlicet bonorum temporalium, *illorum ſuppleat inopiam:* quoniam inopes illi ſunt temporalium bonorum. *Vt & illorum abundantia,* videlicet ſpiritualium donorum, *ſuppleat veſtram inopiā, eorundem: vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt. Qui multum non abundauit: & qui modicu, non minorauit.* Hoc ex Exodo accipit, quùm Dominus pluit Manna. Dicitur enim hoc de filiis Iſrael, quòd dum colligerent Manna, alij quidem plus, alij minus: plus tamen colligentes, non inueniebant amplius: nec qui minus parauerant, recipiebant minus: ſed ſinguli quantum edere poterant. In illo Manna ſine vllo dubio intelligitur quidē panis corporis, ſicut reuera erat ille: animæ verò, ſicut erat ille quem ſignificabat: quia in illo Manna, benedictum Chriſti corpus animæ noſtræ cibus ſignificabatur. Sicut ergo tunc Dei mita volūtate fiebat, vt qui plus colligebant, non haberent plus, ſignificante Spiritu ſancto quòd illi debebant de ſua ſuperabūdantia ſupplere his qui minus colligebant, vt fieret æqualitas. Ita deberet intelligere omnis Chriſtianus, vt ſuperabundantiam ſuam ſiue ſpiritualium, ſiue temporalium conſideret non ſuam eſſe, ſed aliorum egentium, propter debitum charitatis, quę facit cūcta communia. Sed ô ſurdas plurimorum circa hos aures. O quantum auaritiæ ſemper in terris. Et tamen hoc erit iudicium: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c. Quis ſapiens & cogitabit nouiſsima?

Gratias autē ago Deo, qui dedit eandem ſolicitudinē pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cùm ſolicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. Non ſolùm autē, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hāc gratiam quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam volūtatem noſtram: deuitantes hoc, nequis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis in Domini gloriam. Prouidemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiā coram hominibus. Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probauimus in multis ſępe ſolicitum eſſe: nunc autem multo ſolicitiorem, confidētia multa in vos: ſiue pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vobis adiutor: ſiue fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum gloriæ Chriſti. Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in facie Eccleſiarum.

Gratias autem ago Deo, qui dedit eandem ſolicitudinē, ſcilicet quam ego habeo erga vos, eam habet & Titus: *quoniam exhortationem quidem ſuſcepit,* qua illi perſuaſi vt veniret ad vos. *Sed cùm ſolicitior eſſet, ſua voluntate,* hoc eſt, vltrò & ſuamet ſponte perfectus eſt ad vos. *Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.* Lucam intelligit, vt alij interpretati ſunt, quibus valdè aſſentior: etſi quidam abſque ratione obſiſtant. Laus autem Lucæ fuit in euarratione euangelij perſpicua,

Universidad de Deusto
Biblioteca

copiosa, & eleganti supra alios. *Non solum autem, sed etiam ordinatus est ab Ecclesiis comes, peregrinationis nostræ.* Et hoc nota, vt cognoscas quomodo omnia olim ordinatè fiebant, & cõmuni omnium consensu, vt comites & socios haberent etiã magni & diuini prædicatores, ordinatos & assignatos ab ecclesiis, id est, à prelatis ecclesiarum. Ordinatus autem fuit *cum hac gratia quæ ministratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & promptam voluntatem vestram.* Dicit (ni fallor) Lucam fuisse ordinatum cum illa gratia, videlicet, vt subiiceretur Deo pauper & nudus abiectis omnibus: de quo non est fas dubitare, cum ipsemet talem fuisse ecclesiæ primitiuæ communem vitam in Actis testetur. Nec est verisimile illum ea perfectione voluisse carere, quam laudat in aliis, & lugẽte B. Paulo non simul lugere voluisse. Dicit ergo Apostolus, quod hæc gratia ministrabatur ab eis ad Domini gloriam, & ad promptam voluntatem eorum, id est, vt ipsi cõpotes fierent desiderij sui: tanquam diceret, non esse facile recipiendum aliquem, nisi promptam, ex Spiritu Dei ostendat in hac re tam ardua & difficili voluntatem. Alioqui aliter facientes, rarò proficiunt. Et in hoc multum erratur à prælatis, qui nimis citò vestiunt: sicut & ab aliis qui nimis præcipitãter manus sine personarum delectu imponunt. Sed non sic B. Paulus, non solùm propter illos qui recipiuntur, sed propter scandalum aliorum publicum. Vnde ait:

Nota cõtra mores regularium qui citò recipiunt.

Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, siue abundantia ministrata à vobis. Est enim ea professio quasi gratiæ plenitudo. Certè abundantia grandis est, pauperem, & cælibem, & humilem seruire Deo. Et tamen hoc studemus sic agere, vt id fiat sine vllo vituperio nostro, scilicet, vt nõ passim & absque idonea probatione quoslibet recipiamus. Hoc enim non placet Deo: & prudentia prædiuti homines non probant. Et cum multi non proficientes deficiunt, scandalum afferunt multis: & bonum nostrum propter eos blasphematur. Vnde ait:

Prouidemus enim bona non solum coram Deo, sed etiã coram hominibus, ne ex malo quod accidit, vituperetur ministerium. Non me latet alios expositores referre hæc omnia ad collectas, quibuscum non contẽdo. Quod aptius mihi visum est ad literam, quodque multò est præstantius, & dignius intellectu, propono. Lector ipse quod malit, eligat. Equidẽ verba ipsa Apostoli nostro sensui mirificè conueniunt.

Misimus autem cum illis fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpè solicitum esse: nunc autem multò solicitiorem. Hunc quem simul cum Tito & Luca missum ait (quia nõ nominatur ab Apostolo) ignoramus. Quidam Timotheũ arbitrantur. Alij, quod magis mihi placet, Apollo. Reddit autem rationem, quare & hunc alium specialiter miserit, nempe quia probatus & solicitus, siue diligens erat: & tunc etiam diligenter operatus est ad profectum eorum. Addit adhuc & rationem missionis dicẽs:

Confidentia multa in vos, &c. Hoc est, propter cõfidentiam multam, quam de vobis habeo, *siue pro Tito, &c. siue fratres nostri Apostoli Ecclesiarum gloria Christi.* Durior quidem literæ constructio, nisi addatur aliquid, puta siue pro his qui sunt *fratres nostri*, apostoli ecclesiarum, id est, ab ecclesiis ordinati & missi, & sunt gloria Christi. Reliquorum clar° est sensus. Hortatur planè illos, vt erga eos quos misit, ita se summisse & honestè gerãt, vt prębeãt testimonium ecclesiis suæ ipsorum charitatis: & quod ipse B. Paulus non falsò gloriatur in illis, quos tanquam filios per euangelium genuerat, & in eo instruxerat.

CAP. IX.

NAM de ministerio quod fit in Sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrũ, pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniã & Achaia parata est ab anno præterito: & vestra æmulatio prouocauit plurimos. Misimus autẽ fratres, vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescam° nos (vt nõ dicamus vos) in hac substantia. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse: sic quasi benedictionem, non quasi auaritiam.

NAM de ministerio quod fit in sanctos, &c. Ex his verbis rectè consideratis satis patere potest, superioris capitis nõ habitum fuisse ab Apostolo de hac ministratione sermonẽ: sed de illapersecta, quam explicauimus. *Scio enim promptũ animũ vestrum, &c. Et vestra æmulatio,* id est, æmulatio quę ex vobis ad alios procedit, *prouocauit plurimos* ad imitandum vos, vt idem facerent, de suis facultatibus largientes in vsum pauperum. *Misimus autem fratres, &c. & non dicamus vos in hac substantia:* de est, gloriæ, siue gloriationis. Et est sensus facilis, & propierea in reclara non duximus esse laborandum ad scrutanda quælibet vocabula: quò verius augerentur commentaria, quam illustrarentur. Hortatur Apostolus, ne qui illos laudauerat in hac substantia, siue in hoc argumento gloriationis, quod essent liberales & benefici, erubescere postmodo cogeretur, si aliud facto ipso appareret. *Necessarium ergo existimaui rogare fratres, &c.* Vocat benedictionem illam eleemosynam, quam congregabant pro sanctis qui erant in Iudæa, modo esset largiore manu porrecta: alioqui auaritiam appellat, si tenuis sit & parca, & ob id parua mercede digna. Quod probat exemplo admodum claro, & vel ipsis agricolis perspecto.

Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo: nõ ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Potẽs est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habẽtes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Pro eleemosynarum largitione.

Hoc autem dico, Qui parce, &c. Vide & nota cõtra nouos hæreticos, eleemosynam instar seminis esse ad fructificandum illam benedictionem, quam declarabit Dominus illa die dicẽs: Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ paratum vobis à cõstitutione mũdi. Esuriui enim & dedistis mihi mãducare. *Vnusquisq;, &c. Hilarem enim datorẽ, &c.* Sensus est clarus. Pri° respicit animũ Deus, deinde munus, vt scriptura testatur de Abel. Respexit (inquit) Deus ad Abel, & ad munera eius. Sic animũ viduæ mittentis in gazophilatiũ intuitus est: & probauit plusquã alios, qui longè plus immiserũt, si non ipsum animũ, sed datum spectes. Deus autẽ non cõsiderat quantũ, sed ex quanto quisq; amore largitur.

Potens est autem Deus, omnem gratiã abundare facere, &c. Hic B. Paulus ostẽdit Dei erga illos prouidentiam, qui sunt affluẽter propter Deum benefici. Et eo argumento vtitur tanquã valido, vt probet, Deum facturum eos abundare, vt etiam valeant plus erogare. Probat enim hoc medio: quia potens est Deus hoc facere. Vt si sit potens, etiã faciat. Valet certè argumentum, cum ratio vrgeat, qua cõsiderata, ita facere debeat. Nõ enim potest esse ingratus Deus, qui nullis etiã nostris meritis præcedẽtibus dat omnibus abundanter, nec improperat. Valet ergo semper hoc argumentũ. Potest Deus facere: ergo facit, cum se offert talis decentia, vt facere debeat. Si enim ipse dat affluenter, & non improperat, quomodo non multò magis etiã reddet? Siquidem de homine benefico scriptũ est: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculũ sæculi.* Hoc est, iustitia talis respicitur à Deo in sæculum sæculi, in æterna retributione, tanquã semẽ vitæ æternæ. Vocat autem iustitiam, quæ ex misericordia fit: quia ad hanc misericordiam obligauit nos Christus, cui debitum reddimus. Quod multi non cogitant.

Qui autẽ administrat semen seminanti, & panem ad manducandum prębstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incremẽta frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati, abũdetis in omnem simplicitatẽ, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium huius officij nõ solùm supplet ea quæ desunt Sanctis: sed etiam abũdat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationẽ ministerij huius glorificantes Deum in obediẽtia confessionis vestrę in Euãgelio Christi, & simplicitate cõmunicationis vestræ in illos, & in omnes, & in ipsorũ obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius.

Qui autem administrat semẽ, &c. Quia eleemosyna quæ est quædã iustitiæ exercitatio, & iustitia dicię, est (vt dixi) quasi semen mercedis æternæ, iuxta qd scriptũ est: Seminãti iustitiam merces fidelis. Hoc aũt semen administratur homini à Deo, à quo sunt omnia bona, & distribuũtur omnibus pro arbitrio & volũtate sua saltem permissiua. Vnde & ille qui administrat semẽ seminanti, nimirũ ipse Deus, *etiã panem ad manducandũ prębstabit.* i. subministrabit vt valeat seminans seminare, sicut suppeditant homines seruis & colonis suis. Deus autem qui etiam superat in immensum beneficientiã hominum, quid acturus est: *Multiplicabit (inquit) semen vestrũ.* i. bona temporalia, vt in dies possit homo abundantius seminare. Et cõsequenter *augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ:* quoniã copiosiorem dabit in alia vita mercedẽ, vt homo lucretur & in hoc, & in alio sæculo per opera iustitiæ. Sic habẽti dabitur, & abundabit. Græcè hæc legũtur in modo precatiuo, vt B. Paulus sit qui precetur dicẽs: Multiplicet semẽ vestrũ: Augeat incrementa frugũ iustitiæ vestræ. Sed idẽ fere resultat sensus. Verior tamẽ videtur lectio nostra, & planior: quia deus semp hoc facit aliquo modo in bonis vel tẽporalibus, vel spiritualibus.

Pro meritis operum.

Et hic habes non solùm bona opera valere ad augmentum mercedis, verùm etiam ad ipsam mercedem vitæ, cõtra steriles & miseros hæreticos. *Vt in omnibus locupletati.* i. in temporalibus & spiritualibus. Græcè tamen est ἁπλότης, i. hoc est, vbiq; in rebus scilicet in cœlo: *Abundetis in omnẽ simplicitatem.* Iam dictum est, quid sit esse simplicẽ, quod est habere animum vacuũ cupidine terrenorum, ne rerum fluxarum onere pressus minus sit dispositus ad conscendendũ cœlum. Hunc verò animum habent, qui abũdant donis spiritualibus. *Quę operatur per nos gratiarum actionem Deo.* Significat illa simplicitate acceptã fieri eleemosynam, vt dictũ est. Qui tribuit in simplicitate. Et consequenter operatur etiam acceptationẽ placidam gratiarum actionis, quas Deo referunt serui Dei, qui huiusmodi eleemosynam receperunt, & corpore refocillati sunt ad seruiendum promptius ipsi Deo. Vnde & hoc magnũ bonum cõsequitur ex eleemosyna. Addit:

Quoniam ministeriũ huius officij. Græcè legitur, λειτουργίας, hoc est, sacrificij. Nã pro victima & sacrificio accipitur corã Deo, quod eius amore impenditur. Sed tũ demum verũ est sacrificiũ, cum per sanctos offertur Deo. Vnde ait, *Quoniam ministerium oblationis huius,* siue *sacrificij,* non solùm supplet necessitates sanctorũ, vt sic habeat eleemosynę rationẽ, sed etiam abũdat vt fiat etiam sacrificiũ & oblatio deo. Nã quod seruis & sanctis Dei hoc nomine offertur, pro quo & ipsi gratias agũt, ipsi Deo offerri intelligitur, & acceptatur à Deo. Nã per gratiarum illarũ actiones magis probatur à Deo huiusmodi ministeriũ: quoniam Deus per eos glorificatur. *Glorificãtes Deum in obedientia cõfessionis vestræ in Euãgelio Christi* in vobis. Ecce pro qua re agantur gratię Deo, nimirũ pro obediẽtia siue subiectione eorũ, quam facto ipso confitebãtur se debere in euangelio Christi. Nã persuasi à prędicatoribus euangelij hoc pręstabant. Et ideo maius erat eorũ meritũ ab ipsa obedientiæ prõptitudine commendatũ. Glorificabatur ergo Deus per sanctos in illa obediẽtia istorũ qui tribuebant, & in illa simplicitate, qua cõmunicabant sua bona sanctorũ necessitati, & aliis etiam pauperibus. Glorificabatur autẽ in ipsorum (videlicet sanctorũ) gratiarum actione & obsecra-

Nota hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione pro illis:quia ſancti precabũtur,vt retribueretur illis vita æterna pro temporalibus, quæ ipſi largiebantur. Sic enim decebat Deum ex ſua immenſa bonitate facere,cuius amore dabantur,præſertim hoc deſiderantibus ſanctis ſuis: quoniã ſanctri Dei deſiderabant ſocietatem ipſorum in cœlis, qui illorum inopiæ ſuccurrebant in terris. Et hoc deprecabantur, & accendebantur hoc deſiderio: quia videbant excellentem gratiam, quam Deus effuderat ſuper illos. Nam feruẽtius prouocamur orare pro eis,in quos videmus propẽſam Dei charitatem & gratiã. Denique pro tantis bonis erumpit Apoſtolus in gratiarum actionem dicens, *Gratias ago Deo ſuper inenarrabili dono eius*: quia multæ prouenium vtilitates & bona ex vno bono obedientiæ,ſcilicet confeſſionis euangelij, gratiarum actionis,glorificationis Dei,obſecrationis ſanctorum,deſiderij eorundem pro ſalute communi.

CAP. X.

IPSE autem ego Paulus obſecro vos per mãſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos,ne preſens audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquam ſecundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non ſecundum carnẽ militamus. Nam arma militiæ noſtrę non carnalia ſunt:ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei: & in captiuitatem redigẽres omnem intellectũ in obſequium Chriſti: & in prõptu habentes vlciſci omnem inobediẽtiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia.

BEatus Paulus hîc videtur mutare vocem, propter quoſdam contumelioſos & inſolẽtes,qui de illo iniquiſsimè & odioſè ſentiebant, putantes illum ambulare ſecundum carnem, non ſecũdum Deum. Spargebant autem in vulgus fortiorẽ longè illũ eſſe in abſentia & in epiſtolis quàm in præſentia,& in ſermone. In hos ergo ipſe incipit ſancto quodam ſtomacho indignari.

Ipſe autem ego Paulus. Perpende loquẽdi modum ad exprobrationem,tanquam ſi diceret (imo ſeipſum declarat) egometipſe,ego inquam Paulus, & non alius, qui (vt dicitis) in facie & in præſentia ſum humilis,abſens verò *confido in vos*,id eſt,aduerſus vos per epiſtolas, tanquam meipſum magnificans ſupra modum. Ego rurſum ille Paulus,de quo vos talia prædicatis quicunque eſtis, *obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam* (ſiue moderantiam) Chriſti. Et pulchra eſt hæc obſecratio:quoniã immodeſtè & inhumaniter atque arroganter illi de eo tale & tam iniquum ferebant iudicium,cum omnia haberent ad aliud ſentiẽdum oppoſita, tam in vita,quàm in doctrina. Quem vt ab eis errorem auferret,& ad rectum iudicium faciendum transferret,obſecrat eos conteſtans ipſam Chriſti manſuetudinem & modeſtiam. Græcè ἐπιείκειαν, id eſt, moderantiam,& æquitatem bonam, vt ſe aptent ad illam,& velint fieri æqui cenſores. Et explicans obſecrationem ſuam,addit:

Rogo autem vos ne præſens audeam,id eſt,ne ita cogatis me, vt quam confidẽtiam oſtendo in literis, etiam præſens exerceam, *per eam confidentiam* (ſiue illa confidentia) *qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos*,id eſt,ita iudicant nos, *tãquam ſecundum carnem ambulemus*, qui & perniciosè falluntur. *In carne enim ambulantes,non ſecundũ carnem*,hoc eſt, ſecundũ carnis libidinem ac petulantiã, *militamus*.

Nam arma militiæ noſtræ non carnalia, *ſed potentia*, id eſt,valida *Deo*. Apoſtolus apertè voluit oſtendere quomodo ſe gereret aduerſus delinquentes,qui non vtebatur ad puniendũ contumaces gladio ſæculari,ſed armis Spiritus Dei:quę ſunt valida & potentia, non ad ſubdẽdum hominem homini,vt fit armis hominũ,ſed ad ſubiiciendum Deo in gloriã eius. Vnde ait: *Ad deſtructionem munitionũ*. Innuit ſectas, quas mali & pſeudoapoſtoli cogebãt ĩ Paulum, *conſilia deſtruentes*,id eſt, quibus armis deſtruimus hominum cõſilia,& deliberationes nõ ſecundum Deum meditatas, *& omnem altitudinem*. De ſuperbis & ceruicoſis loquitur. *Extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei*. Vocat ſcientiam Dei, reuelatam ſcientiam,quæ ex Deo eſt:ſicut iuſtitiam Dei,iuſtitiam infuſam à Deo. *Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Intellectus,ſiue cogitatio hominis captiua ducitur,quùm conuincitur. Conuincebat autem B. Paulus, & alij Apoſtoli poſt Chriſtum, intellectum & cogitationes hominum, per euidentia ſigna & prodigia. Vnde ad obſequiũ Chriſti redigebantur, qui tamen non pertinaciter repugnabant, ita vt mererentur obcæcationem. *Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam* ſuo tempore: nimirũ, *cum fuerit impleta veſtra obedientia*. De obedientia quorũ loquitur, quos ſuperius huius virtutis nomine cõmendauit. Etvertens ad eos ſermonẽ, qui aduerſabantur veritati,& non ſibi ab Apoſtolica poteſtate metuebãt, ſed abutentes patiẽtia ipſius B. Pauli, qui potius charitatis ſtudio cupiebat omnes ad ſalutis viam reducere, compulſus tandem inſolentium hominum protetuia, monet eos,& tacitè minatur,& ait:

Quæ ſecundum faciem ſunt, videte. Siquis cõfidit ſibi, Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe, quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nã & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quã dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtrã, non erubeſcam. Vt autẽ non exiſtimer tanquam terrere vos per epiſtolas (quoniam quidem epiſtolæ, inquiũt, graues ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis) hoc cogitet qui eiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo, per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.

Quæ ſecundum faciem, &c. Ac ſi dixerit, Vos non conſideratis quæ ſunt ex Deo nobis interna dona, ſed ſolùm cernitis ſecundum faciem:quia vas fictile accipitis, & non quod eſt intus ex Deo. Quamobrem non rectè iudicatis:quod probat, aiens: *Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum* (rectius rurſum) *quod ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos*. Ac ſi dixerit: Cum nõ videatis interna cordis, niſi veſtra tantũ: primùm ex vobis ipſis id cogitate, quòd ſi quis confidit ſibi, & ſe exiſtimat eſſe Chriſti, hoc rurſum cogitare debet, ſicut ipſe eſt Chriſti, ita & nos: niſi externus aliquid fortè eiuſmodi videat, vnde aliud iure poſſit elicere.

Nam etſi amplius (ſupple de me dixerim) *non erubeſcam*, id eſt, non cõfundar: quia verum loquar. Neque quiſquam poterit me redarguere mendacij, vel doli, & fraudis. Eſt igitur poteſtas eccleſiaſtica in ædificationem, nõ in deſtructionem. Nec eſt tamen priuati iudicij, vel ſubditorum, iudicare facta maiorum qui preſunt, niſi res ipſa per ſe pateat mala, & vel manifeſtè ſit contra fidem. *Vt autẽ non exiſtimer tanquam terrere vos per epiſtolas: quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt & fortes, &c*. Minatur ſe oſtenſurũ, quòd qui falſò prædicabant ea de illo, videlicet, quòd eſſet præſentia & ſermone infirmus & contẽptibilis, longè fallantur, adiiciens ſe talem futurum cum aderit præſens in facto, ſicut erat abſens in minis. Et talis erit ſermo preſens, qualis epiſtola: ne dũ nimia adeſt humilitas, frangatur Doctoris & Prælati autoritas.

Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immẽſum gloriabimur: ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus mẽſuram pertingẽdi vſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos. Vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti: non in immenſum gloriantes in alienis laboribus. Spem autem habẽtes creſcentis fidei veſtræ in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in abundantia, etiam in illa quæ vltra vos ſunt, euãgelizare, non in aliena regula, in iis quę preparata ſunt gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Nõ enim qui ſeipſum commẽdat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

Non enim audemus, &c. Non eſt hic ſenſus: Beato Paulo tãtam ineſſe timiditatẽ, vt non audeat comparare ſe cum talibus, quaſi excederetur ab eis: ſed potius illum pigebat ponere ſe in eorũ numero, qui ſic erãt audaces, vt ſemetipſos abſque vllo Dei teſtimonio, ſed mera temeritate commendarent. Vnde vox Græca, quæ interpretata eſt, *Audemus*, etiam ſignificat, ſuſtinemus. Quidam ironicè Apoſtolum putant eſſe locutum. Clarum eſt hoc ſenſu intelligendum eſſe, vt voluerit declarare longè ſibi diuerſam ab illis eſſe mentem, qui ſeipſos alienis teſtimoniis egentes commendabant, eaque de ſeipſis promittebãt, quæ ex ſoluere non poterant. Hoc enim erat commendare:

Sed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Sic legimus latinè, qua ſtãte lectione fateor me non intelligere ſenſum. Græcè (ni fallor) rectius. *Sed ipſi in ſeipſis ſemetipſos metientes, & comparantes ſibimetipſis ſemetipſos, non intelligunt*. Pro huius loci intelligentia, conſidera prudens lector, hominem, qui ſeipſum iudicat, habere duas regulas ſiue menſuras, ex quibus format iudicium. Vna eſt intrinſeca, videlicet, affectus proprius. Et altera extrinſeca, quæ accipitur ab effectibus. *Locus ſatis difficilis.*

Illi ergo ſemetipſos metiebãtur illa regula, quæ erat in ſemetipſis, quæ regula iniqua eſt: quia per ea comparabant ſemetipſos ſibiipſis, id eſt, tales ſe reputabant, quales ſe eſſe affectabant: & ad illud ſe extendebant, ad quod non pertingebant ſecundum veram regulam. Iccircò turpiter aberrabant, non intelligentes vnde ſit accipienda mẽſura. Prædicabant, & non mittebantur. Aut ſi mittebantur, in meſſem alienam extendebant falcem ſuam, id eſt, ad eos ibant vt euãgelizarent illos, quos B. Paulus & alij Apoſtoli iam conuerterant, & ſub illis initiati fuerant. At B. Paulus non ſic.

Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, &c. Hoc in loco ſignificat Apoſtolus iuſtè ſe habere in eos authoritatem etiam ſuper alios, cum per euangelium illos genuerit, ita vt non ſupra menſurã datam ſibi à Deo extẽdat limites poteſtatis ſuæ. Erat enim congruum, vt quæ per illum venerant ad fidẽ Gentes, ſub eius cura & poteſtate eſſent. Et hoc iure Apoſtolatus, vnde in figura dictũ fuit, Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit. Et ſic ordinauit Dominus. Et ipſi Apoſtoli inter ſe conſenſerunt ex B. Petri autoritate. *Vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti, non in immenſum gloriantes in alienis laboribus*. Hic obliquè taxat eos qui ſecus faciebant per arrogantiã ſuam: *ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, &c*. Senſus eſt, quòd B. Paulus ſperabat per creſcentem Corinthiorum fidem abundãter magnificari iuxta ſuam mẽſuram, non ſolùm in iis quæ iam fecerat inter illos, ſed etiam in illis, quæ adhuc ſperabat ſe facturũ in aliis populis euangelizando, propter odorem fructuũ, quos habuit in illis. Nec tamen volebat gloriam *in aliena regula*, id eſt, ibi prædicare, vbi alij iã parauerant labore proprio: ſed (vt ipſe ad Romanos dixit) vbi non erat auditum de Domino, illi quoque intelligerent. Quapropter concludit: *Pro iuriſdictione apoſtolica.*

Qui autẽ gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, &c. Gloriari in Domino, eſt gloriari de vero bono, & de dono bono, non de falſo & præſumpto. Nam omnes quicquid habemus, à Deo habemus, & in Chriſto: quia Chriſtus accepit dona in nobis. i. ſecundum mẽſuram vnicuiq; congruam, vt vult Deus. Qui igitur humiliter cum hac notitia, & confeſſione, & gratiarum actione gloriatur, ille in Domino gloriatur, & probatus eſt, id eſt, bona eſt eius gloriatio. Alioqui ſemetipſum aliter commendare, vaniſsimum eſt, & reprehenſione dignum. Et hic locus aduerſus hęreticos ſimulatores, qui prætextu neſcio cuius fictæ humilitatis negãt Chriſtianum vlla in re gloriari poſſe,

Universidad de Deusto
Biblioteca

perinde ac si essemus stupida membra, & quasi à capite in nos vlla vis recte operandi & facultas descenderet. Sed Apostolus soluit prudētissimè quic quid dubij esse poterat, aiens gloriandum esse, sed in Domino, nō in nobis, quasi adhuc in veteri homine existentibus. Quo in statu nedum gloriari nō possumus, sed maximo pudore suffundi. At in Christo non ita, qui suos milites tantis donis nobilitauit, vt gloriari in certamine possent.

CAP. XI.

VTINAM sustineretis modicum quid insipiētiæ meæ: sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpēs Heuam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quem non prēdicauimus: aut alium spiritum accipitis quem nō accepistis: aut aliud Euangelium quod non recepistis, rectè pateremini. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia: in omnibus autem manifestus sum vobis.

Vtinam sustineretis, &c. vel sustinuissetis, me modicū in hac mea propter vos ostensa insipientia. B. Paulus spiritu & charitate plenus, non potuit se continere, quin in eos effunderet, quæ potius erant ab ipsis per ipsos considerāda. Id autem propter malignitatem pseudoapostolorum, facere compulsus est, qui ignorabant, & opponebant se euangelicæ puritati: & ita rudiores subuertebāt multos. Quare zelum suum charitate maxima excitatum erga illos ostendens, vt ingenue fateatur maiorem sibi quàm illis ad gloriandum adesse materiam, qui semetipsos temerè & vanè commendabant, primùm sic incipit.

Vtinam sustineretis: quanquam Græcè legitur (vt iam dixi) vtinam sustinuissetis me modicum in insipientia mea. Innuit de priore epistola, vbi etiam in contentione sese commendauit illis, vt apparet cap. 4. & 9. de quibus locis aliqui & minus rectè scandalizati sunt, & irritati à propria superbia, intumuerunt. Vocat autem insipiētiam se commendare: quoniam ita vulgo habetur, & sic reuera est, cum quis non obscura cupiditate effertur ad propriam gloriam. Apostolus autem volens ostendere, nulla hoc propter se facere necessitate, sed ad solam eorum vtilitatem, addit: *sed & supportate me.* Et rationem adiicit, quare debeat supportare, iustissimam, & omni acceptione dignam.

Aemulor enim vos, hoc est, zelotypus sum de vobis sancta zelotypia & casta, quę non solum est excusabilis, sed etiam laudabilis. Non quia vos estis sponsa mea: sed quia estis sponsa Christi, & ego paranymphus, seu cōciliator nuptiarum. Et ideo bona æmulatio mea est. Dei enim est hoc, & propter Deum, non propter me. Et vt ostēderet ad Deum pertinere hanc zelotypiam, dicit:

Despondi enim (aut potius coaptaui) *vos vni viro,* ipsi Christo, *exhibere,* id est, ad exhibendum, vel vt exhibeatis vosmet illi *Virginem castam,* & mente & corpore, qualis decet Christum Pontificem summum, vt non sit fidei violatrix, & rea factæ Christo promissionis.

Timeo autem ne sicut serpens, &c. Innuit seductores ministros Satanæ serpentis, à quibus metuit ne corrumpantur sensus, seu intelligentiæ eorum. Et iterum simplicitatem vocat mentis habitum, à superfluorum ac terrenorum affectibus liberum. Nō est enim simplex, qui vult hic & in cœlis gaudere. Serpens autem seduxit Heuam promittens ei supra suam mensuram, excutiens illam à sua sancta simplicitate. Et ita spiritualis adultet corrupit eam stupro pessimo & nephando ad perniciem viri, per quem in nos oborta est tempestas, & passi sumus miserandum naufragium.

Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus: aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis: aut aliud Euangelium, quod non accepistis, rectè pateremini. Græcè, rectè sustinuissetis. Prædicator aliquis nouus ad illos venerat seducens eos, & suadens ne Paulo afficerentur vt vero, & ex Dei voce electo Apostolo: licet fortè non diuersum prædicaret euangelium. De hoc autem dixit Apostolus, quòd rectè, & pro suo ipsorum peccato paterentur, si is qui venit vt æmularetur eos, id est, per æmulationem venaretur, prædicasset aliud euangelium, postquam ferè propter illum abiciebāt B. Paulum. Quòd autem hoc ab illis imprudenter fieret, ostendit, aiens:

Existimo enim. De re clara & nimis euidenti sic consueuit loqui: *nihil me minus fecisse à magnis Apostolis,* circa conuersionem Gentium procurandam, & asseuerandam meam missionem in omni testimoniorum ostensione, & laborum tolerātia. *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia.* Non puto B. Paulum se fateri esse imperitū sermone, cum esset prędicator eximius, sed ita illis videbatur, ad quorum opinionem loquitur: quia sermo eius habebat simplicitatem spiritualē, & non sæcularem illam affectatam redolebat eloquentiam. Sic enim accidit veris & puris prædicatoribus, qui syncerè student suadere veritatem, cuius simplex debet esse oratio. At quoniā scientia potius desideranda est ab euangelizante, quàm fucus sermonis: ideo addit: *sed non scientia. In omnibus autē manifestus sum vobis:* vel erga vos. Græcè legitur, Manifestati sumus, quia nō subdolè venimus ad vos, sicut alij impostores.

Aut nūquid peccatum feci meipsum humilians, vt vos exaltemini? Quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis? Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministeriū vestrum? Et cùm essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo. Est veritas Christi in me: quoniam hæc gloriatio non infrin-

getur in me in regionibus Achaiæ. Quare? Quia nō diligo vos? Deus scit. Quod autem facio, & faciam, vt amputem occasionem eorum qui volūt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et nō mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelū lucis. Non est ergo magnū si ministri eius trāsfigurētur velut ministri iustitię: quorum finis erit secundum opera ipsorum.

Aut nunquid peccatum feci, &c. Sensus apertus est, & ferè ironicus, aut exprobratorius in faciem ingratitudinis eorum. Ait ergo, Nūquid in eo peccaui humilians meipsum, qui non sum vsus iure meo accipiendo honorem mercedis euangelij? Et hoc vt *vos exaltemini,* id est, sitis aliis superiores, qui non sine sumptu euangelizantur, sicut Dominus ordinauit. Et in hoc peccaui in vos, quòd expoliaui alias ecclesias, accipiens ab illis stipendia pro ministerio vestro? *Et cum essem apud vos, &c.* Hic accipiendū est, Et, pro quia, quod & frequens est Hebræis. Ecce igitur peccatum meum in vos. *Est veritas Christi in me: quoniam hæc gloriatio, &c.* Significat se firmum in ea fore sententia, vt nollit ab illis quicquā recipere. Non quòd spernat, aut non diligat eos: sed vt omnem occasionem detrectandi amputet iis, qui eam quærūt: vt quia gloriabantur de suo Apostolatu, etiam videant, nūquid possent ea ferre, quæ ipse B. Paulus ferebat: & ita inculpatè sese coram Deo habere, & honorare euangelicam prædicationem.

Nam eiusmodi pseudoapostoli, &c. Sunt viæ diaboli ad impugnandum diuersę. Quandoque enim aperto Marte procedit furibundus, vt per Tyrannos. Et interdum subdolè, vt per pseudoapostolos, qui fingunt se missos à Christo, qui sunt longè periculosiores. Nec id mirum: quoniam imitantur Patrem suum, qui & ipse transfigurat se in Angelum lucis, id est, in Christum ipsum. Inueniuntur veri ministri Christi & iustitiæ. Vtrosque autem cognoscere vtilissimum esset, qui à fructibus cognoscuntur. Opera ministrorum Diaboli damnant eos, quæ sunt opera superbiæ, ambitionis, procacitatis, contumacię, maledictorum, seditionum, scissionum, sacrilegiorum, libidinum, rapinarum, & aliorum huiusmodi multorum malorum fructuum, qui ab ipsis, & eorum doctrina, & falsis dogmatibus procedunt. Inter quæ & illud est magnum, quòd negāt Dominum iudicaturum iuxta meritoria quorumcūque. Et tamen Apostolus hic testatur de illis, talem eorum finem futurum, qualia opera ipsorum: quia secundum hæc vnicuique retribuit Deus iustus iudex, vt passim legitur in scripturis.

Contra falsos prædicatores huius sæculi.

In hæreticos.

Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, vt & ego modicū quid glorier) quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipiētia in hac substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim siquis vos in seruitutē redigit, siquis deuorat, siquis accipit, siquis extollitur, siquis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt: & ego. Israelitæ sunt: & ego. Semen Abrahę sūt: & ego. Ministri Christi sunt: & ego. Vt minus sapiens dico: plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequēter. A Iudæis quinquies quadragenas (vna minus) accepi. Ter virgis cæsus sum. Semel lapidatus sum. Ter naufragium feci. Nocte & die in profundum maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior. Damasci prępositus gentis Arethæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorū, vt me comprehenderet: & per fenestrā in sporta demissus sum per murum: & sic effugi manus eius.

Iterum dico ne quis me putet insipientem esse, hoc est, Ne existimet quis me gloriari quorūdam more insipientium, qui non veram gloriam, quæ ex Deo est quærunt, sed falsam & inanem, quæ est ex hominibus. *Alioqui velut insipientem accipite me,* hoc est, Sin autem ita vultis existimare, vt lubet: vel tolerate saltem me ad vtilitatem vestram ita facient, *vt modicum glorier,* siue paulisper.

Quod loquor, non loquor secundum Dominum, sed quasi in insipientia in hac substantia gloriæ. Iterum se excusat in hac substantia, siue materia glorię, aiens se non loqui secundum Deum, seu Dominum (vt Græcè legitur) quoniam seipsum laudare non est secundum eum qui venit exinanitus, & vt magis exinaniretur: sed ex necessitate, quasi esset insipiens. *Quoniam multi gloriantur, secundum carnem: Et ego gloriabor.* Hæc ergo illi necessitas fuit loquendi. Igitur non valens continere iustissimam indigna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem, quam habebat in quosdam, qui (vt satis innuit) erāt scandalizati, quòd in altera epistola sese, vt illis videbatur, nimium cōmendasset, huiusmodi per ironiam corripiens, ait:

Libenter enim sufferitis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Et vt magis vellicet, addit: *Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, &c.* Est videre quoddam genus hominum adeò seruile atque illiberale, vt subdatur procliuius is à quibus verberatur, aut iniuria, aut damno afficitur, quàm beninolis & beneficiis. Quis ergo stomachum contineret in istos? Tales erant contra quos hic vehementer & meritò mouetur Apostolus, qui illis applaudebant, & illos recipiebant, à quibus eiusmodi patiebantur. Verba sunt clara, & illis pseudoapostolorum sectatoribus conuenientia.

In quoddã seruile genus hominum.

Secundum ignobilitatem dico, hoc est, meipsum inhonorans, qui cum istis in contentionem descendo: *quasi non infirmi*, id est, quasi sine potestate, *fuerimus in hac parte.* Significat se talem fuisse, qui hoc multò magis quàm illi, poterat exercere. Si quid enim illis erat causæ ita audendi, non deerat sibi. Nam si Hebrei erant, quod sua laude non carebat: quia lex exiuit ex Sion, & verbum Domini de Ierusalem: etiam ipse Hebræus erat. Et si Israelitæ illi, quod nomen fauorem addebat: quoniã nescio quid electionis sapiebat. Et similiter si semen erãt Abrahæ: quod erat gloriatio Iudæis, Omnia hæc illi aderant carnis tamen bona, & eius generis, quæ poterant cum peccato consistere.

Ministri Christi sunt: & ego (vt minus sapiens dico) plus ego. Ecce in quo voluit se extollere, vt excitaret ruborem illis, qui alios iniquè sequebantur.

In laboribus plurimis, &c. Nota symbola ministrãtium pro Christo, & verorum prædicatorũ. In primis labores plurimos obiicit: tum frequentes carceres, & plagas supra modum, & mortes frequentes, quando scilicet vsque ad mortem periclitabatur. Hic vides verbum Christi verum dicentis de Paulo: Ego ostendam illi, quanta eum oporteat pati pro nomine meo. Quinquies enim trigintanouem qualibet vice accepit plagas à Iudæis, iuxta legem Deut. 25. Non poterant excedere quadragenas: & vt etiam aliquantò mitiores præ lege viderentur, demebant vnam. Addit & ter virgis cæsum se fuisse, nimirum à Gentibus. Id B. Lucas commorat semel factum Act. cap. 16. Ter lapidatus, à Iudeis. Et hoc semel factum idem testatur, cap. 14. Quod autē addit de mari, in cuius nocte & die fuerit profundo, non est mandatum literis. De itineribus nec omnia habemus. Et ita de singulis quę perpessus est B. Paulus, & quæ hic enarrat, ferè nihil habemus. Pericula autem quę ait ex genere, voluit intelligi quæ ex Iudæis veniebant, quæ magna fuêre supra modum: sed (vt ait B. Thomas) ea fuerunt maiora, & ideo vltimo loco sunt enarrata, quæ à falsis fratribus processerunt. Hæc enim grauius animos solent exulcerare: addit,

Præter illa quæ extrinsecus sunt. i. non lædentia corpus, sed animã tamen ipsam. *Instantia mea cotidiana:* quę declaratur, *solicitudo omniũ Ecclesiarũ.* Verisimile est oēs ecclesias, & præsertim quas ille lucratus fuerat & erexerat, ad illũ multa retulisse quæ patiebantur ab inimicis fidei. Et hoc notēt Prelati, & an hunc Spiritum experiãtur (vt par esset) considerēt.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Erat non parum tribulationis Apostolo infirmari cum infirmis, dum cogeretur ob charitatem, eorum infirmitati concedere. *Quis scandalizatur & ego non vror?* Adiecit quid maius, quùm infirmi scandalum paterentur. Se enim eo tẽpore vri testatur, igne quodam charitatis & misericordiæ. Vel forte etiam igne indignationis in eos, qui scandalum præbebãt infirmioribus.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Ac si dixerit, non sicut nouitij isti Apostoli, qui gloriantur in magnis & mirabilibus super se, & præcipuè in suo Iudaismo.

Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, &c. In Græcis hîc incipit caput. Mirari autē posset aliquis, cur post tot & tanta, quę se passum fuisse narrauit, istũ casum vltimo loco seruauerit, in quo non multum videtur passus, & præsertim cum hic adhibeat iusiurandum. Dici fortasis potest, vt credibilia faceret superiora, & præsertim quę à Iudæis accepit: id eo commemorauit intestinum & perpetuum illorum aduersum se odium, vt Corinthij minus crederent illis, tanquam suspectis & indignis quibus haberetur fides, qui tanto in illum odio ferebantur. Multa ergo subtacitè, & nō expressè Apostolus eis ensinuat, vt ipsi ex seipsis, quod non erat apertius exprimendũ, intelligerent. Nam isto pressiore scribendi modo multa multò magis persuadentur.

CAP. XII.

SI gloriari oportet (non expedit quidē) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quę nō licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autē nihil, nisi in infirmitatib⁹ meis. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiēs. Veritatem enim dicā. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me: aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationū extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanę, qui me colaphizet. Propter quod ter dominũ rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.

Si gloriari oportet, non expedit quidem. Græcè legitur, Gloriari quidem non expedit mihi: sed vobis potius, si fueritis sapientes. Sed rectè habet latina lectio, vt sit sensus. Etsi in loco necesse sit aliquando gloriari, tamen non expedit ei qui gloriatur: *Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, &c.* Variæ sunt ad hunc locum expositiones de tertio cœlo. Mihi illa ad literam vera videtur, vt tertium cœlum intelligatur Empyreũ, quoniam omnes cœli nobis visibiles vsque ad firmamẽtum computãtur pro vno, supra quod est Aqueum cœlum, & supra hoc Empyreum, paradisus Domini. Vocat autem se hominem in Christo, vt pote qui iam erat baptizatus. Et quoniam excellentium de se rerum narrationem faciebat, quasi de tertia persona loquitur de seipso. Habet enim amabilem quandam modestiã eiusmodi sermo, vt tum maxime suas quis virtutes illustriores faciat, quum eas obtegere præ modestia studet.

Porrò hoc in loco quærunt aliqui de raptibus huiuscemodi multa, & varia: An verè B. Paulus raptus fuerit cũ corpore: an sine corpore. Quæ quæstio non parum reprehẽsionis habere iudicari potest, vt qui ea scire velint, quæ tamen se nescire ipsemet B. Paulus: qui talia passus est, confessus sit. Quærunt item, An Deum viderit facie ad faciem: sicut Beati. Et hoc ferè cōmuniter creditur: quod & de Mose confitentur. Mihi tamen adhuc non cōstat. Nam & ipse B. Paulus ait, Deum nullus hominum vnquam vidit, sed nec videre potest. Et Mosi quærenti videre faciem eius, respondit: Non videbit me homo & viuet. Scio quæ posset dari solutio ad vtrunque: sed non libet hic disputare. Certè id quod respondent quidam, vim affert literæ. Ad hæc quæritur, Vtrum sit eadem visio illa, de qua mox ipsemet mentionem facturus est. Et à pluribus creditur alia: mihi tamen videtur prorsus eadẽ sed paulò latius explanata: ait ergo.

1. Tim. 6.

Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore siue extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quòd cœlum tertium primò dixit, nunc idem paradisum vocat. Et adiecit se ibi audiuisse arcana (græcè ineffabilia) quæ non liceat homini loqui: aut quia non sit fas (quoniam lingua humana profanantur diuina) aut quia non sit in sermonis nostri vocabulis talis proprietas ac facultas. Verba enim nostra nō seruiũt ad exprimẽda cœlestia mysteria. Quicquid sit, vterque sensus simul est verus.

Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Mirabile est quod ait se pro huiusmodi (nimirum homine) gloriari: non autem pro se, quasi ipse non fuerit ille homo, de qua talia prædicauerit (quod est valdè notandum) quasi homo mente excedens, & à propriis corporis sensibus abstractus, nō sit illemet qui corporeis vtitur organis: & sic est in corpore, vt se in corpore esse non sentiat: Nam homo raptus nō est sui iuris: & nihil agit ipse, sed patitur potius. Vnde omnis gloria quæ ex hoc ipso venit, non attinet ad hominẽ extra se positũ: sed ad Deum qui raptu ad se traxit. Itaq; de se non vult gloriari, nisi in infirmitatibus suis. Nã in infirmatibus aliquid nostrũ est. Quod enim patimur amore Christi, hoc nostrum est, & laude dignum: quoniam ex principiis, quæ sunt in nobis, efficitur, vt est liberum arbitrium, & gratia. Licet enim gratiasit donum Dei, nostrum tamen iam est, & nobis adiacens, & per illud dicimur nos operari: quanquam & extrinsecus adiuuemur à Deo multis modis, & opportunis auxiliis.

Expositionē hanc lector consideret.

Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiēs. Quisquis non sui gratia gloriatur, nec falsa profert, non insipienter gloriatur: propterea ait Apostolus, *Veritatem enim dicam.* Sed forrè dicet quis. Quare ergo non dicis apertè omnia quæ ad hanc sobriã tuam & veram gloriationem pertinent? Respondet: *Parco autem, ne quis me existimet* (Græcè, nē quis in me existimet) *supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Et est sensus: Dedita opera cauebat Apostolus ne ea loqueretur tam ardua & singularia: quoniam aliquis posset inde cogitare maiora de illo, quàm quæ ostendebat, vt videri possent, & quę ex ore multorum poterant audiri. Volebat ergo potius de se cogitari minora quàm essent in veritate, & non maiora.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carni. Non dicit, *carnis*, græca vox, sed, *carni*: Et quod dicit stimulus, non habetur græcè σκόλοψ, sed σκόλοπ: quod significat palum & lignum acutum: *Angelus Satanæ*, non Satanæ, *qui me colaphizet.* Et adiectum est in Græcis, *ne supereffer ar.* Quomodo autem ab isto Dæmone B. Paulus colaphizaretur, an per stimulum libidinis: an verò per verbera & dolores in corpore, non ausim decernere. Satis est nosse bonitatem & prouidentiam Dei singularem, qui ne per inanem gloriam amittamus virtutes, ad quam procliues admodum natura sumus, & excitamur adhuc à donis, prouidet quasi pondus contra pondus, vt æquabiliter se habeat plaustrum. Nam ne nimis deprimantur sancti viri tribulationibus: per spirituales consolationes prouidet. Iuxta quod scriptum est à Propheta: Secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Et ne exaltentur nimiũ per hæc spiritualia, adiungit plagas & infirmitates.

Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me. Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Non semel, sed ter se rogasse Dominum testatur, exemplo Christi qui tertiò rogauit (vt si fieri posset) ille calix recederet à se, ne biberet illum. Non ergo fuit error in orando, modo hanc suam petitionem absolutè poneret in prouidentia Dei, sicut fecit Dominus relinquens nobis exemplũ: & sicut fecisse B. Paulum credibile est. Non est autem exauditus: quia Dominus illum stimulum ad conseruationem & augmentum charitatis ei, & humilitatis prouiderat. Omnis namque virtus, siue fortitudo hominis, quæ est illi à Deo, sine qua nullus posset rectè & cum probatione substinere, perficitur in ipsis infirmitatibus, id est, in tribulationibus, quæ ex se reddunt animum infirmum. Qui verò sentit se infirmari, sibique vires ad resistendum deesse, currit ad auxilium Dei, & ipse Deus consolatur, & fortem facit, & perficit illam potentiam ad substinendum, vt etiam robustius ac magis valeat substinere. Et hoc facit Deus habentibus gratiam suam: ideo respondit Apo

Universidad de Deusto
Biblioteca

De gratia communi, & auxilio speciali.

ſtolo verbum conſolationis pleniſsimum.

Sufficit tibi gratia mea. Eſt autem quæſtio à B. Auguſtino & Scholaſticis propoſita: Vtrum ſufficiat homini ad bene agendum, & perſeuerandum in bonum, habitualis gratia, quæ eſt donum Dei, quo grati ſumus illi, abſque alio externo ipſius Dei auxilio. Et rectè cõcluditur non ſufficere. Tũ quia nihil creatum ſe mouet ad agendum abſque motione primi mouentis, qui eſt Deus: Tum verò quia in hoc ſtatu, & in hac militia, homo propter hoſtes inſtantes aſſiduos, & magnos eos qui dem atque feroces, nimirum mundum, carnẽ, & (qui vehementius impugnat) Diabolum, non poſſet abſque auxilio ſpeciali non ſuccumbere. Dixit autem Dominus Deus. *Sufficit tibi gratia mea*: quia habenti gratiam non deſunt hæc Dei auxilia, modo deuotè implorentur. Sed quis hæc probè intel ligat, niſi in ſeipſo experiatur?

Libenter itaque gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Græcè, Libentiſsime itaque gloriabor, &c. Hæc eſt optima gloriatio quùm gloriamur, in qua & habemus partem. Et hoc eſt gloriari non in meris Dei donis, ſed in eo quòd etiam bene vtimur ipſis. Tunc autem iſtud verè eſt, quando patimur & infirmamur, hoc eſt, cum patientes aduerſa: & expertò probantes atque confitentes, nos nihil poſſe ex nobis quaſi ex nobis, ſuppetias petimus à Domino. Sic enim demum inhabitat in nobis virtus Chriſti, quæ eſt eius potentia. Vnde homo nedum aduerſa ſubire reformidat, ſed in his ſolis ſuam cõſolationem repoſitam eſſe preſentit. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, &c.* Delectabatur ergo in his quæ ſufferebat pro Chriſto: quia ex his cognoſcebat charitatem Dei in ſe, & certus erat diuinæ aſſiſtentiæ. Ideo ſubdit, *Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.* Nimirum per charitatem, quæ fortis eſt vt mors. Non eſt enim ſine fide & ſpe, quæ virtutes multum proſunt ad fortitudinem, ſed nõ abſque omnium regina charitate.

Factus ſum inſipiens: vos me coegiſtis. Ego enim à vobis debui cõmendari. Nihil enim minus feci ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum. Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patiẽtia, in ſignis & prodigiis, & virtutibus. Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cęteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce, tertiò hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quę veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filij parẽtibus theſaurizare, ſed parentes filiis.

Factus ſum inſipiens, vos me cęgiſtis. Verè magna eſt coactio, ingratitudo & ignorantia beneficiorum, vt in ingratos huiuſmodi exprobationes meritò fiant, etiam cum laude propria. Vnde ait, *Ego enim debui à vobis commendari, &c. tametſi nihil ſum*, ſcilicet ex meipſo: quod debet ſemper homo Dei recognoſcere. *Signa tamẽ Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis, & virtutibus*. Primò ponit patientiam inter ſigna Apoſtolatus, quæ certè maius eſt ſignum, quàm quodlibet aliud enarratum. Patientia enim opus perfectum habet, & hac ſuas animas poſsident, qui ea quæ ad Crucis prædicationem ſpectant, cupiunt vita & verbis imitari. Magnum Apoſtolo negocium, & Corinthiorum decipi ſeſe permittentium inſtabilitas, & pſeudoapoſtolorum fraude obrepentium pernicioſa æmulatio faceſſebat. Tum rerum omniũ penuria, & (quod generoſos animos, qualis erat B. Pauli) contemptus. Sed ipſe patiẽtiæ clypeo ſeſe protegebat, ſemper hũc finem propoſitum habens, ne euãgelio quauis occaſione præberet offendiculum. Vocat autem virtutes, quę ſuper naturali potentia operabatur.

Quid eſt enim quod minus habuiſtis (rectius) *quo inferiores fuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quòd ego ipſe nõ grauaui vos?* Ironia manifeſta & pulchra in ingratos homines, tantorum beneficiorum iniquos æſtimatores: quam & proſequitur ſubiungens, *Donate mihi hanc iniuriam. Ecce, tertiò hoc paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis vobis*. Viuere enim ſe de ſuo ſudore pollicetur apud eos pro more ſuo, ne illum exiſtimarent priora tempora velle nouo quæſtu compenſare. Vtinam qui vel prædicant, vel populis ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrant, ex corde apprehenderent, quam exoſam habuerit B. Paulus auaritiæ & cupiditatis omnis ſuſpicionẽ: quæ ſummopere à ſacramentorum miniſtris fugienda eſt. Hac ſiquidem vna efficitur, vt rudiores debitã reuerentiam non exhibeant, & minus etiam frequẽtes interſint, cùm perſpiciunt tales miniſtros. Et hîc, & crebrò Apoſtolus omni ſtudio conatur à ſeipſo prędicatoris ad lucrum & commoda temporalia aſpirantis nomen depellere. Quid autem quærendum ſit reuera, tanquam Deo chariſsimũ, oſtendit inquiens. *Nõ enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*, id eſt, ſalutem veſtram perfectam, & nõ facultates veſtras terrenas. *Nec enim debent filij parentibus theſaurizare: ſed parentes filiis*. Illud quod eſt naturale commemorat. Qui enim dat eſſe, etiam naturaliter tenetur nutrire: quod vel bruta animantia duce natura oſtendunt.

Ego autem libentiſsimè impẽdam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris licet plus vos diligens, minus diligar. Sed eſto, ego vos non grauaui: ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cœpi. Nunquid per aliquem eorum quos miſi ad vos, circunueni vos? Rogaui Titum, & miſi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circunuenit? Nonne eodem ſpiritu ambulauimus? Nonne eiſdem veſtigiis? Olim putatis quòd excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur. Omnia enim chariſsimi propter ædificationem veſtrã. Timeo enim ne fortè cum venero, non quales volo inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurratio

nes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos. Ne iterũ cùm venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.

Ego autem libentiſsimè impendam, & ſuperimpẽdar ipſe pro animabus veſtris. Græcè, expendar. Nam ſic legit B. Ambroſius. At nunquid poteſt homo impendi pro anima alterius? Dictum eſt etenim à Domino: Quam commutationem dabit homo pro anima ſua? Virginibus item oleum mẽdicantibus nonne reſponſum eſt: Ne fortè non ſufficiat nobis, &c. Vt ſoluamus quæſtionem breuiter: In die iudicij non erit vlterius communio, & bonorum inuicem communicatio: neque merita vlla poterunt conferri, quæ iam non fuerint collata. Iam enim inuenientur incapaces, qui rei mortis æternæ tenebuntur: nec poterit quis inuenire commutationem pro anima ipſorum, vt inde liberentur. Et de iis loquitur parabola. Verùm interim dum ſumus adhuc in via, poſſumus inuicẽ & debemus mutuis auxiliis nos adiuuare. Sed quomodo, & quantum, & quo loco ſeu gradu, poteſt eſſe aliqua quæſtio.

Matth. 16.

Ibid. 25.

Quomodo ſanctorum paſſiones proſint eccleſiæ.

Nam cum Chriſtus ipſe Redemptor noſter ac Saluator ſit pro nobis paſſus & crucifixus, quid nobis conferunt aliorũ, & Pauli paſsiones? Sic enim arguunt hæretici. Dixerunt aliqui, ſolùm prodeſſe ad exemplum. At hoc non eſt quod B. Pauli verba hîc, & ad Colloſenſes ſonant, vbi ait: Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt eccleſia. Nec id præterea conuenit eccleſiæ ſanctæ interpretationi, quæ ex meritis ſanctorum etiam indulgentias confert. Neque exemplis ipſorum ſanctorum Patrum, qui & pro viuis & pro defunctis ſe macerabant & affligebant.

Itaque abſolutè dicẽdum eſt, alio modo etiam prodeſſe, quàm per modum exempli ad ſalutem. Quid ergo (dicet quis) Nunquid non ſatis fuerunt merita Chriſti? Et nos reſpondemus: Si ſuis paſsionibus non proſunt ſancti vt mereantur pro nobis (quia ſunt merita paſsionum Chriſti) certè nec ſuis etiam orationibus quicquam merebuntur nobis: quia ſunt item orationes Chriſti pro cũctis. Quòd ſi hoc falſum & abſurdum eſt: cur non & illud? Quid enim vetat ne proderint ſancti paſsionibus ſuis pro aliis aſſumptis, ſi non ſolùm illi, ſed inuicem nos omnes proſimus nobis & eleemoſinis & orationibus? Non eſt ergo vera illa expoſitio: Nõ prodeſſe nobis paſſiones ſanctorum, niſi per modum exempli.

Sed hoc videndum reſtat, quonam modo proſunt per modum meriti. Quo in loco illud in primis eſt conſiderandum attẽtius, paſſione ſua Chriſtum meruiſſe pro omnibus plura. Et primùm quidem, quia abſtulit illud mundi peccatum, quod erat originale. Hoc ipſe ſolus, & non cum illo alius meruit. Quemadmodum & ſolus ille primus Adã admiſit illud. Cooperata eſt tamen mirifico modo ſecunda mulier ſecundo Adæ: ſicut prima Mulier cooperata eſt Adæ priori. Sed quod ad hoc factum pertinet, inueniuntur cæteri omnes ſancti & ſanctæ Dei, non ſolùm expertes huius meriti, verum etiam neceſſariò indigentes, vt & ipſi Chriſti meritis ſubleuarentur à peccato illo, & ira Dei.

Paſſio Chriſti quibus in rebus pro fuerit.

Licet autem meruerit Chriſtus hoc peccatũ tolli de mundo, noluit tamen hoc cuiquam prodeſſe, niſi applicarentur de meritis ſuis. Et ita applicatio meritorũ Chriſti neceſſaria fuit vnicuique. Applicatio autem hęc fit hominis conſenſu, cui ſunt applicanda merita. Vnde neceſſaria eſt vnicuique notitia Saluatoris: At cum non rarò contingat, inueniri nonnullos qui ſeipſos reddunt hac notitia indignos, ne illis reueletur ſalutis myſterium, in hoc valent & proficiunt plurimum orationes, & paſſiones ſanctorum, & bona merita amicorum Dei, vt dignetur Deus eos illuminare, pro quibus orãt ſancti, & paſsiones pertulerunt, & duram eorum voluntatem flectere ad accipiendam gratiam, quę omnibus venit ex Chriſti meritis. Et cum ad hoc proſint merita ſanctorum, & charitatis opera, & paſsiones, & eorum gratia etiam Deus moueatur ad iuſtificãdum eos per Chriſtum, proſunt etiam multò magis, vt & maiorem gratiam aſſequantur hoc pacto, quia proſunt vt Deus magis diſponat eos, pro quibus oratur per ſanctos, ad faciendum opera bona, vt propterea etiam magis mereantur, & amplius iuſtificentur.

Proſunt & tertiò ſanctorum merita, in eo quod ſatisfaciunt pro peccatis, non quãtum pertinet ad culpam, niſi obliquè: quia mereri poſſunt (vt diximus) vt in eorum gratiam Deus conuertat peccatorem, & conuerſum & confitentem abſoluat à culpa, per Chriſti tamen merita. Sed proſunt pro pœna peccato debita, vt qui reperiuntur rei vel ſubleuentur, vel omnino liberentur à debitis ſuppliciis (quoniam ſancti ſuſtinuerũt pro ipſis) vel quia ipſimet ſancti applicarũt ſuas paſſiones, & orationes, & alia opera bona pro ipſis: vel quia ipſemet Chriſtus, aut eius Vicarius ſic ex miſericordia applicauit.

Itaque iam vides quomodo ſanctorum merita proſunt eccleſiæ, & membris eius: ſicut & ipſe vſus apertè probat. Vnde & de his peccatis relaxandis indulgentiæ per claues proponũtur. Nihil igitur momenti habet illud quod hęretici obiiciunt, ſcilicet: Nunquid non ſatis fuerunt merita Chriſti? Nam quod ſanctorum merita proſint, ex meritis Chriſti eſſe fatemur, & catholica doctrina probamus, vt vel in hoc glorioſiora longè ſint Chriſti merita, cũ per illa & propter illa, etiam iſta à ſummo Patre in gratia Filij reſpiciantur & valeant. Nunquid igitur Chriſti merita deſtruimus, aſſerẽtes ſanctorum merita etiam pro aliis? Abſit: Imo ſtatuimus validius, & magnificentius amplificamus.

Sed ad rem. B. Paulus pro eorum animabus dixerat libentiſsimè ſeipſum impendere velle, & impendi, & ſubiunxit. *Licet plus vos diligens, minus diligar*. Magna profectò verba hæc aduerſus non ferendam filiorum ingratitudinem. Nihil enim (ait quidam) minus hominis eſt, quàm in amore non reſpondere iis, à quibus prouoceris. Et quam (obſecro) maiorem in præceptore ac patre poterant deſiderare erga ſe charitatem ingrati filij, quàm illum eſſe paratum fundere ſanguinem pro eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſalute? Et tamen potius hærebant quidam illis falſis prophetis, qui nedum quicquam ſufferre pro illis volebant, quin ex eorum facultatibus otioſam vitam cum honore viuebant, & cum ſectatorum multitudine. Miſeranda hominum conditio, qui nec innumeris beneficiis prouocati redamare ſaltem volunt, & potius eos ſequuntur, qui vel in faciem (vt paulò antè conqueſtus eſt) cædunt, & deuorant.

Sed eſto: Ego vos non grauaui: ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cæpi. Iucunda ironia. Quod enim hominũ malitia poterat excogitare, præoccupans conieciuris probabilibus ipſemet reiecit, aiens:

Nunquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, &c. Locus ſatis apertus ad perſuaſionem, quòd ſyncerè & nullo dolo conuenſatus eſſet cum illis, nec in auaricia vlla. Nam verbum, *circumuenire*, quod latinè legimus, græcè ſignificat fraude plus accipere quam conueniat. *Olim putatis* (græcè rurſum) *putatis, quòd excuſemus nos apud vos?* id eſt, putatis hæc à nobis excuſando nos dici, perinde ac res ſe aliter habeat in veritate? Sed nõ eſt ita. *Coram Deo in Chriſto loquimur.* In Chriſto loquitur, qui non ſui gratia loquitur, ſed vt Chriſti membrum propter alia membra. Et coram Deo loquitur, qui vera loquitur.

Omnia autem chariſſimi propter ædificationem, videlicet vt agnoſcẽtes doctorem ſyncerum, etiam doctrinam illius ſectemini. *Timeo enim ne fortè cùm venero, non quales volo inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis.* Optima oppoſitio: Iuſtum eſt enim, vt qui non ſe exhibent diſcipulos bonos, etiam inueniãt magiſtrum non bonum, iuxta quod ſcriptum eſt: Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. *Ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, &c.* Quod legimus, *ne fortè*, græcè legitur, *Ne quo pacto*, & rectius. Illud etiam notandum quod ait B. Paulus. *Ne iterum cùm venero humiliet me Deus.* Putabat enim eſſe humiliationem, dũ cogebatur illos ex peccato punire, nimirum ob eam cauſam, quia cũ gloriatio patris ac magiſtra ſit ipſius filij ac diſcipuli profectus & probitas, ſequitur, vt cùm punitur filius & diſcipulus (in quo minus profeciſſe arguitur) cogatur pater atque magiſter ab illa gloriatione excidere, ac per hoc humiliari: imò vt etiam addit, cogatur lugere. Et verè ſic eſt: Probi enim patres non poſſunt citra magnum luctum punire filios, ac præſertim quum nõ prod eſt punitio.

In quo humiliatio Prælatorũ conſiſtat.

De publicis pœnitẽtiis.

Et hinc accipimus ex eo tempore pœnitentias publicas in facie eccleſiæ peragi ſolitas: de quibus loquitur B. Paulus hoc in loco, quę magnum ad detterendos à peccatis homines momentum habebant, & ad ipſorum præuaricatorum purgationem efficaciorem. Non enim ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiã de his quæ facta ſunt, ſatisfaciat homo per pœnitentię dolorem, per humilitatis gemitum, per contritũ cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Circumſtantnos & præcepta rectè faciendi, & exempla non tantum rectè facientium, ſed etiã pœnitentium ad recipiendam ſalutem, quæ fuerat amiſſa peccando. Hunc enim Apoſtoli locum ad publicos pœnitẽtes pertinere teſtatur B. Auguſtinus. Agunt, inquit, homines pœnitẽtiam, ſi poſt baptiſmũ ita peccauerint, vt excõmunicari, & poſt reconciliari mereantur: ſicut agunt in omnibus eccleſiis illi, qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia loquutus eſt Apoſtolus, vbi ait: Ne iterum cùm venero humiliet me Deus ad vos, & lugeam multos, &c. hæc ille. Nunc autem vix ſciunt Chriſtiana quæ ſit vera & legitima pœnitentiam agendi ratio. Et ob id homines peccata peccatis addere non deſiſtunt. Vt veriſsima ſit illa ſententia: Facilitas venię, facilitatem prębet culpę. Quòd ſi vigeret maior ſeueritas, multi etſi nõ virtutis amore, ſaltem pudoris metu minus ſcandalizarent eccleſiam Dei. At eouſque ſumus ad ſatisfaciendum peccatis delicati, vt & qui audiunt confeſsiones, vix audeant aliquid moleſtius iniungere. Qua in parte etiam ab iis peccatur, cum leuiores pœnitentiæ afflictiones imponunt. Omnia tamen cum omni circunſpectione moderanda ſunt pro conditione hominum diuerſa, ne quid detrimenti in ipſum ſacramentum redundet. Lutherani ſunt iam extra omne periculum, qui hæc omnia conculcarunt ſola ſua fide contenti.

B. Auguſtinus in epiſtola ad Seleuciana.

CAP. XIII.

ECCE tertio hoc venio ad vos: vt in ore duorũ vel triũ teſtiũ ſtabit omne verbum. Prædixi enim, & prædico vt præſens vobis, & nunc abſens, iis qui ante peccauerunt, & cęteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam. An experimẽtum quęritis eius qui in me loquitur Chriſtus: qui in vobis nõ infirmatur, ſed potens eſt in vobis? Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate: ſed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed viuimus cum eo ex virtute Dei in vobis. Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis. Spero autẽ quòd cognoſcetis quia nos nõ ſumus reprobi. Oramus autẽ Deum, vt nihil mali faciatis: nõ vt nos probati appareamus: ſed vt vos quod bonum eſt, faciatis: nos autem vt reprobi ſimus. Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatẽ, ſed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus, veſtram conſummationem. Ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.

ECCE tertio hoc venio ad vos, &c. Inſinuat ſe tertiò venturum ad illos: & perſiſtẽs comminando ait: *In ore duorum vel trium, ſtabit omne verbum.* Hoc iuxta ſcripturæ legem. Et ſignificat ſe ex ore trium, aut ad minimum duotum teſtium pronunciaturum ſententiam in eum, quem deprehenderit criminis reum. At quòd hic ſenſus ex iis verbis colligatur, non ſatis patet, niſi ita propoſueris: Stare verbum, ſignificat efficaciam & vim perſuaſionis & probationis habere ad mouendum iudicẽ. Si enim verbum ſit in ore vnius tantum, non ſtat, id eſt, non viget, non eam vim habet & efficaciã, vt cõuincat, & faciat fidem. Stabit autem, hoc eſt, perſuadebit & obtinebit ſententiam, quùm ſteterit in ore & teſtimonio duorum, aut trium. *Prædixi enim, & prædico, &c.* Græcè legitur, *prædixi & prædico vt præſens ſecundò, & nunc abſens ſcribo.* Sẽſus eſt, quòd quæ alias ſcripſit, & nunc abſens prædixit, & prædicit tanquam præſens, eo quòd ſpiritu præſens eſſet, vt metuerent: quia hæc tanquam iudex proferebat, & quodammodo interloquebatur vt iudex.

An experimentum. Græcè legitur: *Quoniam experimentum, &c.* Et cum ſuperioribus cohæret: quaſi dicat Apoſtolus, Ego non parcam vobis: quia vos quæritis experimentum huius rei, an in me loquatur Chriſtus. Poſtquam ergo (ſiue, Quoniam ergo) facere multis de me periculum, non de eo veſtrę expectationi. Et tacitè eorum ſocordiam arguit, & in credendo tarditatem, qui viderint iam hominem recenti ſupplicio punitum per dæmonem eius iuſſu per poteſtatem ſibi à Chriſto traditam: cuius nomine minitatur, addens: *Qui in vos nõ infirmatur, ſed potens eſt in vobis.* Senſiſtis enim Chriſti potentiam, cùm miſi in hominem illum dæmonem in virtute & nomine Chriſti. Et veriſimile eſt pleraque alia B. Paulum fortiora apud illos oſten diſſe, & aliis in locis. Nam & Magum quendã excœcauit quærentem auertere à fide Proconſulem Sergium Paulum, vt habetur Act. 13.

Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtu Dei. Chriſtus vnus erat, vna tantum perſona, & idem erat infirmus: quia infirmam carnẽ ſuſcepit. Et idem erat fortis ſpiritu, vt poſſet & ſemetipſum ſuſcitare. Infirmitate opus fuit pro nobis, vt fieret hoſtia ad ſalutem: qui ſi à nobis ſic obedienter recipitur, manet nobiſcũ infirmus. Sin autẽ reſpuitur infirmus, euadit idem fortis, & tũc efficit vt cognoſcamus illum viuere, & regnare in Dei virtute. Tales ſeſe componere debent prælati, qui ſunt vicarij Chriſti. Et talis fuit B. Paulus. *Nam & nos* (inquit) *infirmi ſuimus in illo*, videlicet, quotiens opus fuit, quia obediſtis. *Sed viuimus cum eo*, hoc eſt, fortes ſumus cum illo ad puniendum, & conculcandum contumaces, ſi opus fuerit. *Ex virtute Dei* tamen, nõ noſtra, *in vobis*: ſi tales eritis, qui nos habere velitis acres in vos & diligentes vitiorum animadverſores, & non potius blandos patres, & tãquam ſalutares medicos, & temperationibus curantes. Magnum ſanè & periculoſum ſuſcipit negotium, qui cæteris præeſſe deſiderat, ſi pro dignitate ſeſe gerere velit. Nam ſi quorundam mores ſtudeas ad rectam virtutum viam dirigere mãſuetioribus hortationibus, non obtemperant. Si paulò ſeuerius agas vel coactus, reprehenſiones non ferunt. Si ſibi ipſis relinquatur, pereunt. Itaque Apoſtolus miro artificio vtitur, vt explorarent quo in ſtatu ſeſe deprehenderent conſtitutos, & ait:

Prælati, infirmi & fortes eſſe debent.

Voſmetipſos tentate, &c. Vide quomodo vrget, vt illi ſeipſos ad interna mentis reuocarent, & diligẽter de ſeipſis inquirerent & cognoſcerent. Quod quidem frequenter ab omnibus Chriſtianis eſſet faciendum, preſertim ab iis qui ſapiunt. Admonet igitur vt interrnè tentent ſemetipſos, an agnoſcant in ſeipſis fidem, & ſic inhabitare Dominum Deũ per fidem. Homo igitur poterit cognoſcere ſe eſſe fidelem? Quid ni poſſit? An non ſpiritus hominis ſcit quid ſit in homine, id eſt, quid intus ſentiat de rebus fidei? Alioquin quomodo faceret profeſſionem fidei vnuſquiſque de ſe rogatus. Credis? reſpõdens. Credo.

An poſſit quis ſcire de ſua fide, & gratia.

Sed obiiciunt aliqui: Neſcit homo vtrum illa fides ſit ex Deo: an ex ſeipſo tantùm, hoc eſt, vtrũ ſit ex habitu fidei infuſo: an verò ex vi tantùm intellectus, qui interdum per ſigna conuincitur ad credendum ea quæ nõ vult, ſicut dicitur de dæmoniis, qui credunt & contremiſcũt. Et Beatus Thomas non vult eos habere donum fidei, quod eſt lumen diuinum infuſum. Dicendum eſt ergo poſſe hominem certò cognoſcere vtrum credat: quia hic eſt primus actus intellectus. Et poteſt reflectẽdo ſe ad ſuum actum, planè illum perſpicere.

An verò ille actus credulitatis veniat à dono Dei ſupernaturali: an aliter, purà ex vi ſignorum, & teſtimoniis manifeſtis, non facile eſt diſpicere. Legimus enim de quibuſdam. Crediderunt in eũ, ſed non confitebantur: quia dilexerũt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Hos enim veriſimile eſt credidiſſe à perſuaſione ſignorum & miraculorum, & non ab interiore infuſo lumine. Et tamen probabiliter poteſt aliquis cernere ab actu fidei, an procedat coactè (vt dictum eſt) an verò ſponte, ita vt etiam ſibi homo in ea fide complaceat. Si enim complacet ſibi in ea, & libenter credit, proculdubiò habet ſignum euidens, ex Deo eſſe ſuam ipſius fidem. Sin autem credit, & contremiſcit, ſignum eſt habere illum fidem illi fidei quę eſt dæmoniorum, ſimilem: ſed talis eſt, quæ non reputatur fides.

Ioan. 12.

Apoſtolus ergo volebat vt ſemetipſos explorarent, an eſſent in fide vera, & quæ Deo placeat. Quod non diximſſet, ſi explorare ſe ac probare non poſſent. Ait ergo,

Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide. Ipſi vos probate. Beatus Chryſoſtomus putauit hîc de illa fide loqui Apoſtolum, quæ per miracula oſtendebatur. Attamen verba ipſa B. Pauli minus commodè ad hunc intellectum aptantur. Non enim propterea digni, reprobatione fuiſſent, ſi fidem ſuam miraculis cõprobare non valuiſſent. Nam miraculorum facienda non omnibus datur gratia, qui fidem & baptiſmum ſuſcipiunt. Alias vbi nunc verſaremur, quorum ætate nulla apparet miraculorum oſtenſio? Præterea, nec ad hunc ſenſum bene accommodarentur verba quæ ſequuntur. *An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus teſus in vobis eſt? Niſi fortè* (aut niſi in aliquo) *reprobi eſtis. Ieſus Chriſtus* habitat in nobis per fidem, & præcipuè ſi ad eſt ſpes & ſimul ipſa charitas.

Sed & hic quæritur: An ſcire valeat homo, nunquid diligat Deum & Chriſtum? Sunt non pauci, qui negantem partem ſuſtinent. Quod ſi ita eſt: Quomodo B. Petrus ter interrogatus, nunquid diligeret, etiam tertiò conſtanter reſpondit: Etiam Domine: Tu ſcis quia amo te?

Porrò afferunt illud tritũ iam in ore omnium:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nemo scit an amore vel odio, &c. discutitur.

Nemo ſcit vtrum odio, an amore ſit dignus. Quæquidem ſententia, ſi diligenter attenditur, aut non eſt vera (quod aſſerere nefas eſt, cũ ſit ſacræ ipſius ſcripturæ) Aut nequaquam illud probat, quod iſti inde accipiũt. Neque enim ibi ſimpliciter dicitur: Nemo ſcit vtrũ amore ſit dignus: ſed additur, vel odio. Quemadmodum enim tu inde ſumis, neminem ſcire an diligat Deum, & ſic an ſit dignus dilectione Dei: quia qui diligit etiam diligitur. Pari & ego iure inde accipiam, quòd nemo ſcit vtrum nõ diligat, & ſic an odio Dei ſit dignus. Qui enim nõ diligit, manet in morte, & dignus eſt odio. Nã ſi tu illud accipis, æquè & hoc accipitur. Sed minimè eſt dubium multos eſſe ſibi conſcios & certos de odio diuino, quo digni ſunt. Quòd ſi hoc in odio non eſt verum, vt ſcilicet quis neſciat vtrum ſit eo dignus, ac per hoc à ſcriptura non poteſt dici: dicemus patiter de amore non dici cum æquali intelligentia de ambobus denegetur ſcientia.

Et ideo aliter oportet locum illum intelligi. Et reuera (vt B. Bernardus nonnullis in locis exponit) de firmo Dei amore, qui eſt per prædeſtinationem aut electionem, vel propoſitum confirmationis in gratia, loquitur ibi Salomon: & ſimiliter de odio reprobationis. Nam nullus homo quantumuis ſanctus, tametſi nihil ſibi ſit conſcius, & magna habeat dilectionis ſuæ erga Deum indicia, teſtificante Spiritu ſancto in corde eius, ita vt valdè poſſit is quidem cõfidere ſe eſſe in dilectione Dei, nec dubitare: Scire tamen ſimiliter non poteſt, vtrum ſit dignus illo amore, id eſt, ita dignus, & ea ſtabilitate in Dei prouidentia dilectus, vt nũquam ab eo poſſit excidere, ac per hoc nec excidat. Quo amore digni facti ſunt electi & prædeſtinati: quoniam non dilecti ſunt tantum ſecundum præſens tempus, ſed prædilecti vſque in finem. Et e diuerſo, Nullus adeò ſceleroſus peccator qui meritò ſit odioſus factus Deo, ſcire poteſt vtrum ſit dignus perpetuò permanere in odio illo, ita vt Deus habeat illum tanquam iam reprobatum, cui adempta ſit omnis reſurgẽdi facultas: quod Deus in pauciſſimis facit, & niſi interueniat illud inſigne peccatum, de quo ipſe dixit: Non remittetur neque in hoc ſæcũlo, neque in futuro.

Loquitur ergo de amore perfecto, & odio Dei perfecto in hoc mundo: qui amor eſt, quùm Deus diligit vſque in finem. Et ſimiliter de odio illo reprobationis ſempiterno, quale fuit illud, in quod ſua duritia incurrere meruit Pharao. Et hoc ipſemet Salomon claris eo in loco verbis declarat, qui ſtatim ſubiungit. Sed omnia in futurum ſeruantur incerta. Vult enim videre Deus, an is qui diligit perſeueret vſque in finem, vt ſic amore ſempiterno fiat dignus. Et e conuerſo, an qui in peccato eſt, conuertatur tandem & viuat.

Eſt & alia ad locum illum interpretatio, cui & mirificè verba ipſa fauẽt: & recẽtiores interpretes probant. Non ibi (aiunt) negatur ſimpliciter ſciri poſſe, ſed ab iis quæ accidunt, vel aduerſis vel ſecũdis: quoniam hæc & bonis promiſcuè & malis cõtingũt. Dicimus igitur poſſe hominem ſcire quòd diligit Deum pro eo tempore, quo verè diligit. Et poteſt errare, & videri hoc ſibi ſcire, cum neſciat. Nec propterea quia poteſt in hoc decipi homo, ſequitur vt non valeat aliquando ita ſcire vt minimè decipiatur. In eximio enim lumine gratiæ cur hoc non valeat ſciri? Et ſi quis diligenter ſemetipſum exploret, cur nõ poſſit videre quæ in ſe intus ſunt, & quæ illi loquitur Spiritus? Si enim conteſtatur illi Spiritus ſanctus quòd filius Dei eſt, nunquid hoc teſtimonium non ſatis eſt ad creandam idoneam notitiam? B. Paulus dilucidè ait, hoc Spiritũ filiis cõteſtari. Beatus Ambroſius hoc in loco ait: Qui fidei ſuæ ſenſum in corde habet, hic ſcit Chriſtum Ieſum in ſe eſſe. Nequeverò intelligit de fide informi, quæ ſit ſine charitate. Nec enim erat mos ſanctorum Patrum ſic loqui.

Caietanus.

Miror autem plurimum quendam de Scholaſticis, qui fatetur poſſe hominem per pura naturalia diligere Deum ſuper omnia, & hoc etiam poſſe ſcire: & tamen non poſſe ſcire vtrũ ſit in gratia Dei. Ita vt velit poſſe cõtingere eſſe in homine dilectionem Dei ſuper omnia, & tamen non adeſſe gratiã Dei in illo. Et vult me ex lumine naturali certum eſſe, quòd Deum diligo ſuper omnia: & ex lumine ſuperna turali (ſi adſit in me) hoc non valeam ſcire. Quod ego dictum vehemẽter iterum admiror, cum facile poſſim ſcire quòd amo Deum vt beatificatorẽ meum per Chriſtum, & quòd inuoco Chriſtum Dominum in corde meo. At hoc nemo poteſt facere, niſi in Spiritu ſancto, teſte B. Paulo.

Delicta quis intelligit? quomodo intelligit.

Obiiciunt ex pſalmo: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Hebraicè ille locus ſic habet, vt B. Hieronymus & alij interpretati ſunt. Errores quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Quare poſſet primò reſponderi, non negare prophetam illud intelligi poſſe, ſed non ita facile: quoniam pauci quidam, & non multi intelligunt, ſicut eſt ibi in gloſſa. Poſſet & dicere quis, loqui prophetam ibi de minutioribus peccatis, & leuioribus quibuſdam erroribus, qui humana fragilitate vix poſſunt intelligi. Nam & Septuaginta dixerunt παραπτώματα, quę vox (B. Hieronymo teſte) minora peccata ſignificat: quæ non auferunt gratiæ donum, vt Theologi docent.

Adde ab eodem B. Hieronymo & Auguſtino ſimiliter, locum illum eſſe aliter expoſitum: dicit enim B. Hieronymus. Qui ſunt in delictis, & in iis permanent, non intelligunt tales iudicia Dei. Vnde Apoſtolus: An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitẽtiam te adducit? Et B. Auguſtinus ibi dicit: Si videntur tenebræ, intelliguntur delicta. Denique quando nos delicti pœnitet, in luce ſumus. Nam quando quiſque ipſo delicto inuolutus eſt, quaſi obtenebratis opertisque oculis non videt delictum: hæc ille. Igitur qui ſine peccato eſt, poteſt ſcire ſe ſine peccato eſſe: quia in luce eſt. Et nos intelligimus de peccato mortali. Alioqui quis Chriſtianorum eſſet in luce, ſi peccata enim venialia eſſent tenebræ?

Si ſimplex fuero, &c. exponitur.

Verùm afferunt & illud ex B. Iob, vbi legimus: Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Sed neque ille locus ſic habet in hebraicis, vt noui emendatores dicunt. Quidam enim ſic tranſtulit. Integer licet ſim, & nihil mihi conſcius in anima mea: tamen deſpicio vitam meam. Vt ſit ſenſus. Homo iuſtus & innocẽs, & hoc de ſe ſciẽs: quia tamen videt ſe non poſſe cõplere multa quæ cuperet, vt illud rectum atque perfectum perficiat, tædio in hoc mũdo afficitur, & cupit diſſolui, libera-

liberarſque penitus à corpore mortis huius. Obiter tamen addimus conſiderandum, quàm totus ille liber B. Iob obſcurus ſit, vt in contentionẽ vix queat adduci propter abſtruſiſſimos ſenſus: niſi tũdemum cum apertiſſimus fuerit locus aliquis, vt ad alium ſenſum trahi non poſsit. Alioqui ſi B. Iob neſciebat ſe innocentem, cur tam ſæpe, & tantis verbis defendit & extollit innocentiam ſuam? Etenim cap. 13. tam clarè dicit. Si fuero iudicatus, ſcio quòd iuſtus inueniar. Et cap. 23. Proponat æquitatem cõtra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum. Et cap. 27. iterum ait. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iuſtificationẽ meam, quam cœpi tenere, non deſeram. Neque enim reprehendit me cor meum in tota vita mea. Deniq; 29. ca. multa de ſe audacter in laudem ſuam prædicans, fideliſsimo teſtimonio oſtendit ſe non ignorare innocentiam & ſalutem ſuam.

Quamobrem & quæ ex B. Paulo Apoſtolo ſimiliter ad hoc probandam adducuntur, Omnem hominem eſſe de ſua gratia incertum, vt cum ait: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: quaſi & ipſe ignoraret de gratia ſua, de qua aſsiduè teſtimoniũ habebat à Deo, nullo modo probant. Quem autem veriorem ſenſum locus ille Apoſtoli porrigat, in commentariis illius epiſtolæ tradidimus. Quamobrem non puto eſſe negandum, verè bonos viros & Spiritu plenos hoc ſcire poſſe: quoniam lumen Dei ſupernum habẽt, quo audiunt illud fiduciæ verbum internum in anima. Salus tua ego ſum.

Ioan. 14. Vnde Dominus clarè ait, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in ęternum. Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. Vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Nota verba. Vos autem cognoſcetis eum, id eſt, non ſolùm habebitis, ſed cognoſcetis vos habere. Et B. Auguſtinus tractans hæc verba, & (ſicut diximus) exponens, adiũxit & hoc pertinuiſſe ad maius donum Spiritus ſanẽti, vt eis innoteſceret quod habebant. De quo munere loquens Apoſtolus ait, Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.

Illud autem conſtanter & mordicus tenendum eſt, hominem ſuam electionem ac prædeſtinationem certo ſcire non poſſe, aut coniicere, niſi ſpecialiter ei fuerit reuelata à Deo, vt poſsit cũ B. Paulo dicere: Certus ſum quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtãtia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Sed aliud eſt, ſi quæratur qualis ſit iſta ſciẽtia & certitudo. Scimus enim ſcientiam quæ eſt à fide, licet vera & certa ſit in ſe, nondum tamen eſſe apertam ac reuelatam, vt eſt illa Beatorum. Et latum eſt etiam inter viatores diſcrimen circa hanc certitudinem. Nam ſunt quidam ita magno afflati lumine, ac tanto charitatis ardore ſuccenſi, vt arrham certam in ſe perſentiant futuræ vitę. Vident hi ſe contemnere omnia, & (quod eſt longè excellẽtius magiſque arduum) etiam ſeipſos deſpicere propter Chriſtum. Qui ſui ipſius propter Deum contemptus, vix homini eſt manifeſtus in communi gratia exiſtenti, niſi multis tentationibus preſſus ſenſerit in ſe illud ab Apoſtolo ſuperius dictum. Cum infirmor, tunc potens ſum. Sequitur:

Niſi forte reprobi eſtis. Homo qui iam venit ad fidem, & illam ſibi adeſſe non ſentit explorans in ſe metipſo, clarũ habet ſuæ reprobationis argumentum. Dixit enim Dominus, Qui ſubtraxerit ſe, nõ placebit animæ meæ. Nõ dico autem ita ſublatam ei prorſus omnem ſpem, ſicque viam ab omni parte præcluſam, vt non valeat iterum inſtaurari in fidem: ſed oſtendo periculoſiſsimum eſſe talem ſtatum, & non habere ordinaria remedia, vt dicetur loco proprio epiſtolæ ad Hebr. Hebr. 10.

Spero autem quòd cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi. Vide quam habeat de ſeipſo fiduciam B. Paulus, videlicet, vt & illi quoq; cognituri ſint ipſum minimè eſſe reprobum, idque propter excellentia ſigna quæ fecerat, & adhuc mox (vt opinor) inter illos facturus erat: quia ibat promptus ad eos vt virga vteretur aduerſus multos. Nam qui talis eſt, confidit in innocentia ſua, ſciens indecorum eſſe & turpe, & reprehenſione dignum, ſi qui peccator eſt, poteſtatem exerceat in peccatorem, ne committat in ſententiã Domini, Qui veſtrum ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat. Hæc vox iuſtitiæ fuit: Puniendi ſunt peccatores, ſed non à præuaricatoribus legis. Neque enim bene manus faciem lauat, quæ lutum tenet. Ioan. 8.

Oramus autem Deum vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt faciatis: nos autem vt reprobi ſimus. Ecce vt prædictam intelligentiam comprobat. Quia enim Præpoſitus & Epiſcopus in puniendo probatus apparet (vt de claraui) dicit B. Paulus, quòd orabat potius pro innocentia eorum, quàm quòd vellet apparere probatus, dum puniret reos delicti. Qua in parte mallebat reprobus eſſe, hoc eſt, apparere reprobus: qd accidit in præſidibus & poteſtatem habentibus. Tunc enim probantur vulgo & laudãtur, dum puniunt. Sed bonus preſes mallet ſibi deeſſe hanc puniendi cauſam.

Non enim poſſumus aliquid contra veritatem, ſed pro veritate. Et hoc contra ſupercilium quorundã præſidentium, qui quaſi Principes Gentium gloriantur in poteſtate, quùm illam exercent. At Chriſtianus Prælatus quando cogitur exercere, tantùm abeſt vt hoc libenter faciet & cum faſtu, vt etiam lugeat & crucietur. Quare rectè ſequitur, *Gaudemus autem quoniam.* Græcè longè melius, *quùm*, vel, *quando*, nõ, *quoniam*, Sic ergo legas: *Gaudemus autẽ quùm nos infirmamur, vos aute potentes eſtis.* Infirmatur Prælatus, cum benè viuunt ſubditi: quandoquidẽ nulla apparet eiuſmodi materia, in quam vires ſui muneris poſsit iure exercere. Et illi tum demũ potentes redduntur, qui conſcientia rectè factorum erecti non ſolùm poteſtatem minitantem non metuunt, ſed etiam laudem ex illa referunt, quemadmodum ad Rom. dictum eſt. Et hoc propriè infirmari eſt, nimirum poteſtatem non exercere, propterea quòd nihil tale à ſubditis cõmittitur, quod dignè ac meritò is qui preeſt punire poſsit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc & oramus, vestram consummationem, hoc est, perfectionem vestram in omni virtutum genere, vt nulla in vos vitiorum debeat vnquam vigere animaduersio. *Hæc absent scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* Nam potestas ad destructionem, non est potestas. Quod attentissimè deberet ab iis qui præsunt considerari. Nam hac in parte plurimum à non paucis aberratur, qui legitimum potestatis vsum vel ignorant, vel ea scientes abutuntur.

De cætero fratres, gaudete: perfecti estote: exhortamini: idipsum sapite: pacē habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Salutate inuicē in osculo sancto. Salutant vos omnes Sancti. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

De cætero. Pulcherrimus hic præsentis epistolæ finis, & multæ consolationis. Primùm ait, *Gaudete*, gaudio scilicet spirituali: quia vnº est ex præcipuis Spiritussancti fructibus. Et verè homo spiritualis non potest non gaudere, & potissimum (contra morem carnalium, & mundo deditorum hominum) quando inuenitur in variis tribulationibus constitutus: ita vt tentationis ventus ignem charitatis eius augeat, nedum extinguat. *Perfecti estote.* Tunc enim perfectio vera est, cum iustitia abundat erga alios, præsertim verò cum sese extendit etiam erga immeritos & inimicos. Nam qui sibi soli iustus est, minus iustus est.

Idipsum sapite, id est, idem sentite omnes, vt sitis vnanimes corde ad idem probandum, vt quod vni placet, alteri quoque placeat. Dum enim stomachus inuicem adest, & simultas animos mutuò occupat, quod ab vno probatur, mox ab alio improbatur. Et hoc accidere solet, non quòd res ipsa sit improbabilis: sed quia vnº illud probat, erga quod alter minime afficitur. Quemadmodum enim diuersæ opiniones non rarò amicitiæ iura frangunt: ita vbi deest voluntatum in vnam rem & sententiarum concordia, protinus exoritur opinionum pernitiosa dissensio. Ergo vt idem probent, & ne discordes esse velint hortatur Apostolus. Nō desunt qui hæc ad dogmata referant. Vtraque accommodatio defendi potest. Nam & qui in dogmatibus consentiunt, apriores sunt ad omnem rectam concordiam tuendam.

Pacem habete inter vos, pacem inquam, non quæ est mūdi huius: sed quam Christus nobis reliquit, quæ in vera dilectione cōsistit. Tum demum nanque tanti Præceptoris recognoscuntur veri discipuli, qui syncero pacis & charitatis vinculo apparent arctissimè colligati. Nihil enim potest iucundius excogitari ad absoluendam vitæ huius ærumnosæ viam, & cursum fœliciter peragendum. *Et Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Iuxta sententiā illam: Et factus est in pace locus eius. Abhorret enim Spiritus mansuetudinis ab omni contentionum, rixarum, & dissensionum studio. Inter superbos autem semper iurgia. At in thesauro Domini cæ largitatis ad honorem Christianorum atque vtilitatem, quid potest tam congruū inueniri, quàm pacem, quæ in ipsa Natiuitate Domini prima est Angelico prædicata concentu? Ipsa enim est quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, genitrix vnitatis, requies beatorum, & æternitatis habitaculum, cuius hoc opus proprium, speciale beneficium, vt iungat Deo, quos secernit mundo. Nam vbi fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. Quid enim est pacem habere ad Deum, nisi velle quod iubet, & nolle quod prohibet? Itaq; sedulo monet Corinthios vt hanc præstantissimam virtutem æmulentur, eos reddens certos, Deum cum illis adfuturum, si inter se rectè conuenerint. Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & similes expetunt voluntates: nec vnquam diuersitas morum ad firmam potest venire concordiam. Quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent? quique iis rebus appetit delectari, quibus illum nouit offendi? Vt autem hæc omnia obtinere possint, vel impetrata iam firmiter custodiant, precatur illis auxilium per Christi fauorem Apostolus, aiens:

Ex Leone f. Pont.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, qua gratiosi sumus apud Deum. *Et charitas Dei*, nimirum Patris. *Et communicatio Spiritussancti sit cum omnibus vobis.* De tribus personis fit hoc in loco distincta mentio. Et similiter de tribus, id est, gratia Dei: charitate Christi: & cōmunicatione Spiritussancti. Quibus ego tribus vocibus arbitror vnam atque eandem rem significari quę quidem est eximium Dei donum. Sed gratia Christi dicitur: quia nobis gratiosè per illū donatur. Dicitur charitas Patris: quia à Patris dilectione procedit, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Dicitur & communicatio Sanctispiritus: quia vnit nos inuicem, & in Deo: sicut & ipse Spiritus vnio dicitur Patris & Filij, vt verè vnus sit Deus, & trinus:

cui honor & gloria, & omnis gratiarum actio, per infinita sæcula, Amen.

*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD GALATAS.

CVM Galatæ, Græci populi & Gentiles, ab initio recepissent puritatem Euangelij, absque fermento obseruantiarum legalium, quæ iam per Euangelium antiquatæ erant, vt Circuncisio, & ciborum delectus, & huiusmodi. Et venissent postmodum pseudoapostoli, qui rursum in Iudaismum eos trahere niterentur, essentque fermè persuasi, B. Paulus eos Apostolica in primis autoritate, tum sua mirifica ac profunda doctrina conatur reuocare ad purum Euangelium quod iam receperant. Et (vt consueuit) primùm de dogmatibus disputat: tum format ad mores. Docta sanè epistola hæc: sed difficilis, vt & hic, sicut & in ea quæ ad Romanos, videamus verificari dictū beatissimi Apostolorum principis Petri, aientis inueniri quædam in epistolis Pauli difficilia intellectu, quæ indocti quidam & instabiles deprauant, sicut & omnes scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Quandoquidem per imperitiam nonnulli facile recipiunt: & ebibunt venena quasi salutaria. Huius rei gratia, nos paulò accuratius atque diligentius in obscura quæque intendentes, non solùm ipsam veritatem ante oculos acuti ac prudentis lectoris in perspicuo ponemus: verùm etiam hæreticorum calumnias, argutias, & fallacias ita patefaciemus, vt intelligat omnis amator veritatis, ex ipsismet locis peruersa eorum dogmata reprobari, ex quibus illi ea maximè confirmare nituntur.

*

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD GALATAS.

*

PAVLVS Apostolus, non ab hominibus, neque per hominē: sed per Iesum Christū, & Deum Patrē, qui suscitauit eū à mortuis, & qui mecū sūt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ: Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secūdum voluntatem Dei & Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PAVLVS Apostolus. Diuiditur hæc epistola, quemadmodum & aliæ, in salutationem & tractatum. Et in ipsa quidem salutatione, Primùm sese de more insinuat ab officio. Deinde ad quos scribit, ostēdit. Tertiò autem salutationis verba pronunciat. Quantum ad primum pertinet, suo more ex nomine Paulum, & ex officio se Apostolum declarat. At cum iam eius doctrina in contētionem propter falsos fratres venisset, vnde oportuit vt sese vehementius præ aliis extolleret, & prædicaret Dei in se dona, non propter se, sed propter imperitiores, qui facile decipi ab iis poterant, qui pleraque aliena docebant ab euangelica veritate, iccircò insigniter hoc loco suam electionem commendat.

Non ab hominibus (inquit) *neque per hominē.* Vt per hoc testimonium notarent, & apertè intelligerēt suæ missionis excellentiam. Nam eorum qui mittuntur, id est, legatione funguntur, sunt quidam qui ab hominibus mittuntur: & quidam qui mittuntur ab ipso Deo. Qui mittūtur ab hominibus, legationem circa humana obeunt, id est, circa ea quæ pertinent ad sæcularia negocia, & rerum administrationem publicarum & ciuilium. Qui verò mittuntur à Deo, tales in iis quæ ad diuina ministeria pertinent, legatione funguntur. Verùm quia etiam esse potest, vt eorum qui mittuntur à Deo, aliqui immediatè mittantur, quales fuerunt summi illi primarij Apostoli: Aliqui verò mediatè per homines, quales sunt inferioris gradus (inter quos etiam non modica est differentia) Iccirco vt sese indicaret esse vnum primi illius ordinis, id est, eorum qui immediatè à Deo mittuntur, necessaria contentione ob exortos detractores pseudoapostolos, & pseudopropheras, adiecit:

Sed per Iesum Christum, & Deum Patrem. Ne minoris autoritatis esse videretur, quàm cæteri, qui supra modū à dignitate vocationis ac missionis, vocabantur Apostoli, incipit se statim ab ipso epistolæ exordio audacter declarare quisnā esset, & quo in gradu Apostolus. Sic accidit & in hierarchia cœlesti, vt quidam Angelorum mittantur immediatè à Deo, vt summi Angeli, velut Gabriel, de quo dicitur quòd missus fuit à Deo ad sanctissimam Virginem. Quidam verò mittūtur à superioribus Angelis, sicut B. Dionysius docet. Neq; me latet eos qui de scholis addiscunt, Gabrielem in secundo vltimæ hierarchiæ choro collocare: quod minime mihi fit probabile. Sed præsens non videtur hac de re disputandi locus: nullus autem contendēdi. Fruantur per me, qui ita existimant, opinione sua quantumuis (vt mihi sanè videtur) inopinabili.

Cum verò ait Apostolus, *Per Iesum Christum, & Deum Patrem*, duo declarat à Deo scilicet missionem fuisse, illamque nullo medio factam esse. Per semetipsum enim fecit hoc Deus: quia per Iesum Christum qui erat Deus, & in quo erat Pater: vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæcunque faceret per Iesum Pater, & ipse Pater per se faceret: quia Pater in Filio est. Et sicut quæcunque operatur Pater, & Filius operari dicitur: ita econuersò. Vnde ipse dixit, Pater in me manens ipse facit opera. Non ignoramus tamen distinctas esse operationes in Christo diuinitatis, & humanitatis. *Ioan.14.*

Oritur tamen hinc quæstio, Quomodo non per hominem, si per Iesum Christum? quasi verò Christus non sit homo. Hinc hæreses ex apparētiis scripturarum conflatæ quibus superbi homines, vt sapere supra cæteros videantur, pessimè abutuntur. Nam Manichæus negauit Christum hominem, quem asseruit assumpsisse corpus phātasticū: quia & alibi legitur, Qui factus est in similitudinem hominum, & habitu inuentus vt homo. Valentinus autem dixit, corpus ab eo allatum de cœlo alterius rationis: quia legerat, Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de cœlo cœlestis. Sed contra Manichæum est clarissimum euangelij testimonium, vbi dicitur, quòd discipuli putabant se phantasma videre, quod improbat Euangelista. Et alibi vbi ait, Palpate & videte, quia spiritus carnē & ossa non habet, sicut me videtis habere. Contra vtrunque autem & Valentinum & Manichæum est, quod ad Rom. Apostolus ipse dicit illum factum secundum carnem ex semine Dauid: Sicut in euangelio dicitur, filius Dauid, & natus ex Virgine. Et ipsemet B. Paulus ad Timothæum: Mediator Dei (inquit) & hominum homo Christus Iesus.

Cōtra Manichæos.

Contra Valentinum.

Cum igitur hoc certissimum sit, Christum esse hominem: quid est, quod ait Apostolus. *Neque per hominem*, cum tamen dicat per Iesum Christum? Sunt qui exponunt. *Neque ab hominibus*, id est, ab Apostolis: *Neque per hominem*, id est, vnum ex illis Apostolis. Sed hæc expositio manifestè torquet litetam. *Alij neque per hominem*, id est, purum hominem. Alij, per Iesum Christum in eo quòd erat Deus, & non in eo quòd erat homo. Quod minime placet: quia Christus quatenus homo accepit omnem potestatem à Patre, & in ea potestate qua glorificatus est per omnia, fecit illum Apostolum. B. Augustinus exponit quòd Christus iā propter gloriam adeptam, non computabatur inter homines.

Potest addi pro illustriori intelligentia (& istud sæpe in scripturis obseruaui) hanc vocem, Homo, variè accipi solere. Et vno quidē modo, vt certam significet naturam atque substantiam, quę conster ex duabus illis naturis, corpore scilicet & anima. Qua cōsideratione Christus erat homo non secus quàm alius quilibet nostrum. Vnde dictus est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.

Homo, quot modis dicitur in scriptura.

Alio modo accipitur homo, quatenus redactus est in naturam corruptam, & perditam, & ipsi peccato subiectam, & aliis miseriis propter peccatū, vt sit inimicus Deo, & diuinorum ignarus. Et secundum hoc dicitur, Christum non fuisse hominem, sed in similitudinē hominum factum, & habitu inuentum, vt erant alij homines: quia non carnem peccati, sed in similitudinē carnis peccati carnem assumpsit, nimirum passibilē, & corruptibilē, atq; mortalem: ita vt non humanæ naturæ veritas per ea verba negetur, sed talis naturæ cōditio, qualis iam facta erat propter peccatum. Hæc est quæ negatur verissimè in ipso Christo.

Tertio modo dicitur homo vt sub corruptibili adhuc est substantia, & non perfectè sanctificatus ea sanctificatione, quæ est ex resurrectione mortuorū. Et hac ratione Iesus, cum esset in terris potuit dici homo, sicut & fuit. Postmodo verò gloriosus factus, dicitur accepisse diuinitatem, & perfectam generationem, vt esset filius Dei, sicut dixit discipulus Dilectus in Apoc. Et Dauid in Psalmo. Ego hodie genui te. Et his respectibus excluditur Iesus ab hominibus, vt non dicatur homo, id est, caro & sanguis, quæ possidere regnum Dei nō possunt, propter corruptionem peccati. Nec sit homo vlterius corruptioni mortalitatis obnoxius: sed diuinitatis gloria etiam in carne illustratus, verus iam appareat Vnigenitus Dei. Nam & nos quicunque in illum erimus à morte tandem liberati, non inter homines cōputabimur, sed retinebimus generationem diuinam, de qua scriptum est, Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes. Hi verò qui cadunt ab hac generatione, hominum appellatione concludūtur. Vnde sequitur in eo psalmo. Vos autē sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis. *Apoc.5.* *Psal.2.* *Psal.81.*

Non est ergo perfecta liberatio in hac vita ab humana conditione, sed inchoata est vt perficiatur in patria, quemadmodum fuit in Christo capite nostro. Vnde de nobis Dilectus: Charissimi nūc filij Dei nominamur, & sumus: nec dum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Nō ergo iam dicitur homo Christus postquam ascendit in cœlum, ex quo tempore fecit Apostolū nostrum & doctorem Paulum. Carnem enim habet non solùm à peccato immunem (quo caruit semper) verùm etiā ab omni fragilitate & corruptione, quam aliquando habuit. Nec id solum, verùm etiam mirificè deificatam, gloriosam, potentem virtute, & spiritualem, beatis Spiritibus admirandam. *2.Ioan.3.*

Hic notādum, Non semper eum qui primò nominatur, digniorem propterea esse censendum. Alioqui Christus iuxta Apostolum hoc in loco, maior esset Deo Patre: quia dixit, per Iesum Christū, & Deum Patrem. Nec quia dicit, per Deum Patrem, inhonoratur persona Patris, eo quòd præpositio ista, Per, adiungi soleat instrumento. Hæc erat Arianorum argutia, vt Christo diuinitatem auferrent, qui suo telo hic retunduntur. Nam sicut dicitur, per Iesum Christum, ita dicitur, per Deum Patrem. *In Arianos.*

Sed obiiciunt: Perge vlterius, & vide quid loquatur Apostolus de Patre. *Qui suscitauit* (inquit) *eum à mortuis*. Video & fateor, qua parte suscitatus est à Patre, minorem fuisse Patre. Sed tu Ariane perpende si potes, quòd & ipse Christus dixit semetipsum se suscitaturum: quod cum ea parte qua erat suscitādus, non posit intelligi, ea parte necessariò intelligendū est, qua potuit se suscitare. Et hoc Dei est proprium: Deus ergo erat. Nam & Deus dicitur illum per Spiritum suscitasse, vt opera Trinitatis agnoscas esse indiuidua. Propterea ille de se ipso dixit. Ego sanctifico me ipsum. Et paulò inferius. Soluite tēplum hoc, & triduo excitabo illud. Et Apostolus noster de Spiritu Dei ait, Quòd si Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat *Ioan.17.* *Rom.8.*

in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Hic queret aliquis. Qua de causa admiscetur hęc Christi suscitatio? Ego dixerim non ab re, sed magna de causa factum, non solùm vt ipsius Domini gloriam & potentiam consideraremus, quem suscitauit Deus vt sedeat ad dexteram suam constitutus iudex vniuersorum: verum etiam quia in hoc ipso resurrectionis articulo demonstratur, legem omnino cessasse, & noua facta esse in Christo omnia: vt per hoc vel in ipsa salutatione veritatē, quā probaturus erat contra illorum persuasionem, doctè inciperet subindicare. Aliqui dicunt, Ideo Dominicæ resurrectionis meminisse, quo demonstraret se esse cæteris Apostolis in hoc digniorem, qui missus sit à Christo postquam suscitatus & gloriosus factus est. Quod (vt liberè dicam) non placet. Nam nec verba ad hoc seruiunt, si rectè consideres: nec circa hoc B. Paulus excelluit alios Apostolos, qui & ipsi missi fuerunt ab ipso Domino postquam suscitatus est, vt Euāgelium aperte testatur, vbi dixit Dominus. Ecce ego mitto vos. Hoc erat igitur intentum Apostoli, ostendere se fuisse missum à Deo Christi voce. *Ioan.20.*

Cum hoc loco legerem hæreticorum plurium commentaria, Lutheri in primis, & aliorum, vehementer à principio admiratus sum, quanta illi confidentia eos detestētur, qui sibiipsis deferunt prædicandi munus non vocati, neq; missi. Illos autem quis vocauit? quis misit? quis potestatē dedit? Aiūt. Magistratus: de sæculi magistratibus loquuntur. Sed quis ipsis Magistratibus hoc dedit? & quando vti ceperūt hac potestate, si res sic se habet? Sed nō est ita. Quin econuersò Magistratus potestatē mittendi ab hæreticis habuerunt: hæretici autem potestatem prædicandi à Magistratibus. O miseros, eorum certè impudentiam miror magis quam scelus ipsum. Audet enim Lutherus & de hoc ecclesiam nostram damnare, & Scholasticos qui hoc non docent, videlicet nemini licitum esse prædicare sua autoritate. Quasi verò id in ecclesia nostra lateat, & canones non prohibeant, & Scholastici hæc non doceant: sed ille primus hanc doctrinam ex Apostolo consideraueritac tradiderit, cum ille primus omnium quàm maximè hac parte ad perturbationem ecclesiæ præuaricatus sit. O virum calumniosum & impudentem. *Contra arrogantiam hæreticorū.*

Et qui mecum sunt omnes fratres. Vt autoritatem ad deret epistolæ tanquam non à se tantum proficiscenti: sed ab omnibus fratribus qui secum erant, & consequētes in catholica fide & traditione ambulabant. Nam quæ probantur à multis, solent esse firmiora. Neminem tamen nominat, quia satis per se noti erant. *Ecclesiis Galatiæ.* Galatas prouintia erat, quæ plures diœceses cōtinebat, vt aliquot diuideretur ecclesiis.

Error Lutheri insignis.

Hoc item in loco insultat omni detestatione dignus hęreticus, id est, Lutherus, in eos qui propter errores fidei segregandos putant quospiam ab ecclesia. Ecce (inquit) Paulus vocat ecclesias, quæ tamen errore fidei tenebantur. Quod etiam vt rectè factum probat, aiens: Quia enim verbum & baptismum habebant, rectè ecclesiæ vocantur. Nam error in fide & verbo, infirmitas est, in qua charitas ecclesiæ exercetur. Quæ autem esset charitas, quæ malos neque ferre, neq; iuuare statuit? Furor est nomine charitatis ineptissimè se vestiens: hæc ille. Et cum iam sibi videretur conclusisse aduersus hunc morem, quo ab ecclesia præscinduntur hæretici, tanquam indissolubile attulisset argumētum, adiecit, Quid respōdebunt? O miserum prorsus hominem. Imo quid respondebit ipse ad B. Paulum qui præcipit hæreticum hominem post primam & secundam monitionem deuitari? Et rationem affert Apostolus cur ita sit faciendum: quia subuersus est qui eiusmodi est. Et quid dicet ad eundem Apostolum in hac ipsa epistola, Si Angelus de cœlo aliter euangelizauerit, anathema sit? & iterum: Vtinam abscindantur qui vos conturbant. Et Dilectus dicit, Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert nolite eum recipere in domo: nec, Aue, ei dixeritis. Qui enim dixerit illi, Aue, cōmunicat operibus eius malignis. Deniq; quid respondebit ad ipsummet Christum dicētem, Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Ad Tit.3.* *2.Ioan.1.* *Matt.18.*

Respondendū est igitur hæretico, ideo adhuc vocari ab Apostolo ecclesias: quia nondum conuicti erant de pertinacia, nondum iudicati & dānati. & erat tantū error ab initio. Nondū enim aperta erat contumacia, & perfecta hęresis eorum, qui talē doctrinā imbiberant. Tolerantur itaq; & admonentur, donec certū sit eos sic admonitos nolle resipiscere. At in illos qui docuerāt, cū essent pseudoapostoli, aliter loquitur B. Paulus. Nam sub anathemate subdit omnes, qui aliud euangeliū prædicarent.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Vsitata salutatio est, iam alibi exposita. Vbi vides & finem beatitudinis, qui est pax: & medium ipsum quoad finem hunc perducimur, quod est gratia. *Qui dedit semetipsum pro nobis*, id est, tam Iudæis quàm Græcis: ne quis super alios glorietur. Et item, ne quod erat Christi & eius gratiæ, daretur Mosi, aut legi, aut vlli creaturę. Ipse est enim solus qui tollit peccatum mundi. *Vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam.* Omnes qui non sunt in Christo Iesu, filii sæculi dicuntur. Et sæculi appellatione venit quodcunque est nequam, id est, malū & inutile: quādoquidem subiectum est huic tempori, sub quo quæcunque sunt, ingemiscunt. Nam murātur assiduè, & corrumpuntur, & vanitati subiiciuntur. Non enim ad fructum immortalitatis operantur, sed ad interitū. Tales omnes nascimur, & tales manemus, donec baptismo filij lucis efficiamur: quo in statu collocati noua sumus creatura, nisi denuo peruertamur. Nam & peruersi homines nomine huius sæculi comprehenduntur in scripturis sanctis, qui sub principe Diabolo militāt. Sed ab omnibus iis sæculi filiis Christus nos eripuit per fidē æternorum, ad quæ suspiramus, & per opera bona contendimus.

Hunc locum, & alia huiusmodi, multa instantia hæretici obiectant in nos, qui opera ad salutē necessaria prædicamus, & postquam peccauimus iustificari, tenemur pro peccatis satisfacere, cum hic B. Paulus dicat Christum semetipsum tradidisse pro peccatis nostris, & nos eripuisse de hoc sæculo nequam per fidem & sacramentum. Quasi verò hoc nos negemus, qui id maximè prædicamus. Sed cum hac prædicatione etiam adiūgimus, iuxta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolicam & euangelicam doctrinam,non debere nos postquam semel iustificati sumus & adepti gratiam,iterum peccare:sed operari,& cognoscere Christum semel pro nobis esse mortuum satisfaciendo pro præcedentibus delictis: cuius merita per baptismum semel applicantur nobis ad iustificationem nostram. Et hoc est quod hic docet Apostolus.Tunc enim eripimur de hoc sæculo nequam,quùm ipso fidei sacramento renouamur,& nouam profitemur militiam ad obtinendam coronam vitæ.

Si ergo semel iustificati,iterum prolabimur, nõ superest nobis vlterius baptismus ad crucifigendũ iterum Christum, & habendum ostentui (vt ad Hebr. testatur Apostolus) sed exigitur satisfactio pro pœna temporali,quę à nobis debetur delicto, tametsi Deo per Christum recõciliatis:quem Aduocatum habemus in hac causa,& non plenè satisfactorem,vt alibi clarius declarauimus.Cauere igitur debet,qui semel iustificatus est in baptismo,ne noua preuaricatione rursum committat in mandatum Dei.Nam fient eius nouissima longè deteriora prioribus. Sed si velit perficere iustificationem suam ad salutẽ, omni conatu per bona opera contendat intrare in regnum,sicut Dominus & Saluator noster Christus & fecit, & docuit. Non enim est seruus supra Dominum suum:nec discipulus supra Magistrum. Hæc nos Catholici catholicè docemus. Hæc apertè memini blandientes prædicamus . Hæc vsu ipso perpetuo probat ecclesia sancta catholica à Spiritu veritatis edocta:contra quã portæ inferi,etsi insultare possunt, præualere tamen non possunt,quantumuis simulent ex B.Pauli doctrina, quò suis erroribus colorem aliquẽ callidè addant,se loqui.

Hebr.6.

Ioan.13.

Hæretici suos errores prætextu scripturæ tegunt.

Quis vnquam(rogo)hæreticus extitit, qui non præ se ferret inniti se scripturarum testimonio?Ecce Manichæi suæ dementissimæ hæresis ansam acceperunt ex hoc loco , vbi nequam hoc sæculum nominatur : & ideo eius autorem finxerunt non Deum bonum,sed malum Deum,scilicet tenebrarum Deum. Autorem verò lucis & futuri sæculi, alterum Deum. Quæ sunt dæmonum commenta vanissima ad ludificandos superbos & vanos homines.Malitia enim sęculi huius nõ est à Deo,qui est autor temporis,& omnium quæ sunt sub tempore:sed à nobis, & diabolo omnium prauorum operũ patre,fonte & origine.Non enim ipsa temporis hic infamatur aut vituperatur duratio:sed id quod sub ipsa duratione excurrit & manet,ob ipsas vitæ necessitates,& errores,& peccata,quę sub tempore committuntur.

Secundum voluntatem Dei & Patris nostri,&c. Hęc est enim voluntas Dei Patris benigna, vt sancti simus per agnitionem veritatis,& imitationem syncerę fidei.Potest autem hoc quod ait:*secundum voluntatem Dei Patris*,ad ea referri quę fecit Iesus pro nobis:vt sit sensus , quòd Iesus dedit semetipsum pro nobis secundum voluntatem Dei Patris:quia sic voluit,& sic ei mandauit.Et hic fuit eius cibus, vt ipse dixit:Cibus meus est, vt faciam volũtatem Patris mei.Et alibi,Descendi de cœlo,non vt faciã voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.Item potest refetri ad id quod adiicitur, *vt eriperet*.Nam hæc fuit voluntas Patris,vt eriperemur ab hoc sæculo , & sanctificaremur per Christum. Nec est diuidenda hæc expositio, sed vtraq; simul accipienda est, sicut & verba vtrique seruiunt expositioni,& Spiritus sanctus vtranq; vidit:ac propterea nulla est ratio,cur non pariter vtrũque Spiritus intenderit.

Ioan.4.

Ibid.6.

Miror quòd tam citò trãsferimini ab eo qui vocauit vos in gratiam Christi,in aliud Euãgelium:quod non est aliud,nisi sunt aliqui qui vos conturbant: & volunt conuertere Euãgelium Christi. Sed licet nos,aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis,anathema sit.Sicut prædiximus , & nunc iterum dico : Siquis vobis euãgelizauerit pręter id quod accepistis, anathema sit.Modò enim hominib⁹ suadeo,an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominib⁹ placerem,Christi seruus non essem.Notum enim vobis facio,fratres,Euangelium quod euangelizatum est à me,quia non est secundum hominẽ: neque enim ego ab homine accepi illud,neque didici:sed per reuelationem Iesu Christi.

Miror quòd sic tam citò,&c. Hic incipit tenor totius epistolæ.Irruit autem primùm pręter morem absque vllo proœmio, zelo quodam sanctissimo percitus , & iusta indignatione ob rei indignitatem atque insolentiam concitata.Nam iustus dolor nonnunquam omnem artem ad componenda verba viua ac fortia superat . Proponit ergo primum admirationem suam erga illorum factum & errorem,in re præsertim omnium grauissima: nimirum recedere à vera salutis doctrina,ac eius loco recipere mortiferam falsitatis prædicationem. Id enim intolerabile est atque admirandum.Quo circa & factum ipsum, & ipsius facti autores detestatur,& anathematizat hoc primo capite vsque ad eum locũ.Modo enim hominibus suadeo,&c. Quo in loco rationes afferre incipit rãtæ fiduciæ, vsque ibi.Nos natura Iudæi,&c. In secũdo autem cap. incipit argumentari ab autoritate, ac rationibus pluribus de scripturis collectis,vsque ad quintum cap. Vbi protestatur circa illorum damna, si in errore persistant.Et adhortatur ad reuersionem in euangelicam veritatem,pseudoapostolos semper arguens. Vbi etiam (sicut semper facere consueuit)adiicit instructionem bonorum morum vsque in finem.Ait ergo:

Miror quòd sic tam citò transferimini,&c. Admirationem proponit,& ipsius admirationis causas simul connectit.Nam cum multæ rerũ mutationes sint admirandæ, ea videtur admiratione dignior, quæ est circa legem Dei & dogmata . Miramur enim si qui patrias leges commutent,& peregrina decreta sponte recipiant.Sed multò magis quùm si quid semel receptum est tanquam melius,ab eo in aliud rursum leuiter & citò transferimur,quod nunquam aliàs suscepimus , & quod etiam aduersatur rei semel susceptæ , sicut erat in proposito.

Galatæ enim cùm essent Gentes,non Iudæi,susceperant iam euangelicam fidem ab omni superstitione purissimam, & amabili libertate commendabilem: ac deinde quàm citissime in Iudaismum labebantur , & seruitutem legis antiquæ , sub qua nunquam fuerant cõstituti. Vnde & mutatio ipsa mirum in modum miranda : & non minus quòd tam velox esset ac tam cita atque repentina mutatiò,quę signum porrigebat maximę leuitatis.Adiicitur,eiusmodi mutationem non solum fuisse mutationem & præproperam mutationem,sed de bono in malum,& de certo bono in certum malum: quo vehementius aucta est admirationis occasio. Vnde ait:

Miror quòd sic tam citò transferimini,id est, alienemini,*ab eo qui vos vocauit* , id est, à Deo Patre,qui per Apostolicam vocẽ vocauit vos, *in gratiam Christi*:in gratiam videlicet quæ Christo data est,& ab eo manat tanquam ex abundãtissimo fonte in omnes.Iuxta quod scriptum est , De plenitudine eius omnes accepimus:& gratiam pro gratia, vt idem esse gratiam & euangelium intelligamus. *In aliud Euangelium*.Ecce indigna mutatio,& peruersa alienatio,nimirum à Deo Patre & gratia Christi,quę est euangelium verum,in aliud euangelium,quod verum esse non potest.Non est enim euangelium verum,nisi vnum solum: quia vna fides , vna spes, vnum baptisma,vnus Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.Iccircò addit: *Quod non est aliud*,ac si dixerit:Euangelij nomine hæc vobis nouitas obtruditur.Istud semper fecerunt, & nunc etiam faciunt nouitij hæretici,qui se euãgelicos impudentissimè iactitant.Sed falsum est eorum euãgelium. Quamobrem tales talis euangelij autores perstringit, vt eos notos faciat, & omnibus prodat.

Ioan.1.

Nisi sunt aliqui qui vos cõturbant,& volunt conuertere Euangelium Christi.Hæc coniunctio,*Nisi*,ponitur aduersatiuè pro,sed,vt sit sensus . Sed sunt aliqui qui vos conturbant. Aut (quod magis placet) propter vim vocis exceptiuæ, referri ad ea potest quæ à principio ipso dicta sunt. Miror quòd sic tã citò transferimini:nisi sint aliqui qui vos conturbant, Vt admiratio sit ex ignota causa , quæ tum cessat,quùm causa ipsa cogitatur,ac si dixisset: Mirandum hoc esset,si ex vobis ipsis soli moueremini,& non aliquorum autoritate impulsi . Quo in loco & illos aliquo modo excusat à culpa,vt qui à maioribus,& iis quidem magno simulationis artificio instructis persuasi essent , & illam reiicit in ipsos tam inconsulti facti autores. Ait ergo,*conturbant vos*.Nam quæ maior turbatio, quàm quæ accidit ex pessima commuratione , vt auertatur homo à matre sua ecclesia,& nascantur sectę & schismata,vt non vnanimes & vnius moris habitetur in domo Dei?

Et volunt conuertere,hoc est , transuertere Græcè enim rectè legitur,μετατρέψαι. Et pulchrè hoc quidem dicitur:quia cum ex euangelio in Iudaismum eos traherent , qui euangelium præcedebat : hoc non erat aliud,quàm transuertere euangelium, & constituere finem,quod erat ad finem: Iudaismus enim ad euangelium tendebat, vt adueniente euãgelio cessaret Iudaismus, non ecõuersò.Ideo transuertebant euangelium, cuius dignitatem ac summam perfectionem ad legis (neminem ad perfectum adducentis)imperfectionẽ & infirmitatem reducebant.Hoc autem perinde erat,ac si à solido cibo iam ætate maturus reuocaretur ad lac:& à solida doctrina ad elementa.Quare in spiritum euectus audacter pronunciat:

Sed licet nos,aut Angelus de cœlo, &c. Hic dubiũ ab importunis mouetur,quanam potestate B.Paulus anathematizet Angelum Dei,id est,excommunicet,& ostensioni ponat, vt abiectum à consortio amicorum & familia Dei. Sed non sunt verba hæc B.Pauli exercentis potestatem,sed experimẽtis certam veritatis notitiam. Non enim ei data erat potestas in Angelos Dei,sicut nec aduersus seipsum. Et tamen etiam in seipsum anathema pronunciat,si aliter euangelizet. Enunciatiua ergo illa oratio erat & conditionalis, & vera : quoniã reposita impossibili,quòd Angelus Dei aliter euangelizasset,aut ipse:absque dubio anathema fuisset. Hoc & optare se B.Paulus sub indicat (si ita euenire posset)& comprobare. Nam hæretici ipso iure excommunicati sunt: qui aduersarios Dei se statim constituunt.Vnde Papa hęreticus ipso iure nõ est Papa,sed anathema.Quare nulla vrget , vt deponatur,necessitas:sed vt iã à Deo depositus,pronuncietur sic esse.

Hæreticus ipso iure excommunicatus est.

Et vt certitudinem & immobilitatem huius sciẽtiæ ipsemet amplius declararet,idem rursum repetit.Et nota id quod ait:*præterquam quòd euangelizauimus vobis*.Non enim dixit,*Præterquam euangelizaui*,sed,*euangelizauimus*:vt clarè illi intelligerẽt,prædicatam ab eo doctrinã non esse doctrinam propriam,sed apostolicam & catholicam,vt confidentius posset anathema in aduersarios proferre. Quo stante intellectu,quem ego verissimum arbitror(quoniam illi ratio & verba ipsa valdè fauẽt) non solùm ex hoc loco non adiuuantur hæretici, sed egregiè confutantur.Hi etenim sunt, qui contra Apostolicam & catholicam doctrinam perfidè peccant.Et ait:*Præterquam quòd accepistis* , id est, præter id quod me prædicante accepistis. Hoc sermone exaggeratur eorum culpa,& leuitas:quoniã non solùm prædicauerat B.Paulus,verùm etiã ipsi eam prædicationem,vt sanam acceperãt,& catholicam,signis,miraculis, ac virtutibus comprobatã ac stabilitam:à qua recedere,cũ esset bona & sancta,longè fuisset deterius,quàm si nunquam recepissent,vt & in quosdam contestatur Princeps Apostolorum,Melius erat,inquit,viam veritatis nõ nosse , quàm post agnitam retrò conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.

2.Petr.2.

Sed qui prodierunt nostro tempore hæretici, hoc B.Pauli loco impudentissime abutuntur, vt illo se protegant,& insolentiam illam apud imperitam multitudinem excusent, cur pertinaciter hæreant fallacibus suis opinionibus , asseuerantes se fretos autoritate scripturæ Apostolicæ: sicut hic B.Paulus faciebat . Vnde & ipsi excommunicant alios omnes qui, quod ipsi docent , non credunt. Quasi sit æqua & par illis cũ Apostolo Paulo causa.Itane(quæso)profligarunt omnem perditi homines pudorem , vt sic de seipsis ausint proferre? quemadmodum de se B.Paulus verissimè testificatur:Ego Apostolus Dei sum,neque ab hominibus neque per hominem,sed per Iesum Christum.Ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

minem hactenus legi tanta adhuc impudẽtia præditum, qui istud de se iactaret. An ergo ipsi signa sui Apostolatus ostenderunt in virtutibus, & prodigiis, & non quibuslibet virtutibus, sicut B. Paulus? His omnibus destituti contendere tamen nõ desinunt, etsi nullum signum fecerint. An igitur saltem contulerunt isti euangelium suum nouum cum iis qui videantur columnę ecclesiæ, ne (B. Paulum imitati) in vanum currerent, aut cucurrissent? Ne id quidem: imò verò fronte meretricia fatentur ipsimet se contra B. Augustinum, & insignes alios Doctores, & aduersus ipsum ecclesiæ sensum docere. Denique possunt ne isti reuera dicere, suadere se Deum, & non homines, adeo insanam libertatem pollicentes, & aliud euangelium, cum tamen nõ sit aliud? O miserum sæculum, & deplorãda ætas nostra, qua redigimur vt conferamus densas tenebras cum clarissima luce, & Spiritum Christi cum spiritu Belial.

Perfugium hæreticorum.

Hoc lector prudens considerer, vnum commune omnium hæreticorum fuisse semper refugium in quod sese coniicere possint conuicti, vt dicant. Ita apertè scripturæ loquuntur, quarum nos autoritate anathematizamus aduersantes. Sed illud quod arrogantissimè sumunt, videlicet ita dicere scripturas, & adeò apertè, vnde nos docent? Semper enim à probatissimis ecclesiæ luminibus aliter edocti sumus, idque per scripturarum doctrinam? Quapropter & illi anathema in eos pronunciarunt, qui secus sentirent. Quid ergo hoc in loco aliud facturus est vir sapiens, nisi vt iubeat eos valere cum suo anathemate? quod meritò in ipsos conuertitur, postquam ita volunt miseri. Nihil enim ego amplius ab eis requiro, nihil aduersus eos efficacius, nisi quod ipsimet confitentur, videlicet hanc suam ipsorum doctrinam aduersari sententiis sanctorum, & ipsius ecclesiæ sanctæ. Nam hoc vnum aduersariorum testimonium viro prudenti ac pio plus satis est ad eligendum, cui potius hæreat, Lutherone infœlici apostatæ: an verò illis tot & tantis ecclesiæ luminibus. Animaduertit vertutus ille præiudicium tantum (quod & facile videri poterat) & vehementer laborat quo sese illo miris fucis atque præstigiis explicare possit, quæ per me nolo ignorare lectorem, vt videat & iudicet.

Et enim in suis postremis ad hanc epistolam cõmentariis, quod ad hoc pertinet, præter alia multa ita scribit. Valdè igitur speciosum & robustum hoc argumentum pseudoapostolorum fuit, quod & hodie plures commouet, scilicet, Apostoli, sancti Patres, & eorum successores sic docuerunt: ecclesia sic sentit & credit. Impossibile est autè quòd Christus tot sæculis ecclesiam suam errare sinat. Tu certè solus non sapis plus quàm tot sancti viri, & tota ecclesia, &c. hoc modo Diabolus in Angelum lucis transfiguratus, per virulentos quosdã hypocritas hodie nos insidiosè adoritur, qui dicunt: Nihil moramur Papam, Episcopos, summos verbi contemptores & persequutores. Detestamur etiam hypocrisim & impostura Monachorum, &c. Sed sacrosanctæ catholicæ ecclesiæ autoritatem cupimus illæsam. Ea tot sæculis sic sensit & docuit. Sic senserunt & docuerunt omnes primitiuæ ecclesiæ doctores viri sanctissimi, multò maiores ac doctiores te. Quis tu es, quòd aussis ab his omnibus dissentire, & nobis diuersum dogma obtrudere? Quando Satan hoc vrget, & conspirat cum carne & ratione, perterrebit conscientia & desperat, nisi constanter ad te redeas, & dicas, Siue sanctus Cyprianus Ambrosius, Augustinus: siue sanctus Petrus, Paulus, Ioannes, imò Angelus è cœlo aliter doceat, tamen hoc certò scio quod humana non suadeo, sed diuina, hoc est, quòd Deo omnia tribuo, hominib' nihil, &c. hæc ille. Vbi vides, piè lector, confiteri illum manifestè se aduersus ecclesiam docere, & sanctos Patres, addens paulò inferius hæc verba. At ais: Ecclesia est sancta, Patres sunt sancti. Bene. Sed ecclesia quamlibet sancta, tamen cogitur orare: Remitte nobis debita nostra. Sic Patres quamlibet sancti, tamen per remissionem peccatorum saluati sunt. Ergo neque mihi, neque ecclesię, neque Patribus, neque Apostolis, neque Angelo è cœlo credendum est, si quid contra verbum Dei docemus. Sed verbum Domini stet in æternum. Alioqui hoc argumentum pseudoapostolorum maximè valuisset contra Pauli doctrinam: quia profectò magna magna, inquã, res fuit opponere totã ecclesiã cum toto choro Apostolorum Galatis, contra Paulum vnicum, & eum recentiorem, ac minus autoritatis habentem. Firmissimum ergo hoc argumentum fuit, & potenter conclusit. Nemo enim libenter dicit ecclesiam errare: & tamen necesse est dicere iã errare, si extra vel contra verbum Dei aliquid docet. Petrus Apostolorum summus viuebat, & docebat extra verbum Dei: ergo errabat. Neque Paulus hunc errorem, licet in speciem leuis videbatur, dissimulauit. Quia videbat hoc cessurum in perniciem toti ecclesiæ: sed in faciem illi restitit, reprehendens in eo quòd secundum veritatem euangelij non ambularet, infra cap. 2. Igitur neque ecclesia, neque Petrus, neque Apostoli, neque Angeli audiendi sunt, nisi afferant & doceant purum Dei verbum: hæc ille.

Lutherani notent & videant quem sequãtur.

Vbi vides (vt iterum dicam) pie lector, confiteri illum manifestè se aduersus ecclesiam docere. Et hoc, exemplo Apostoli Pauli: quasi & ille contra ecclesiam doceret, & contra B. Petrum, & reliquos Christi veros Apostolos. At hoc nõ est verbum Dei purum: sed purissimum mendacium à patre diabolo, qui habitabat in illo, per illum prolatum. Nullus fuit B. Petri, aut cæterorum Apostolorum error circa legalia: sed quædam fuit paulò laxior indulgentia B. Petri in gratiam Iudæorum. Itaque de dogmatis veritate nulla fuit vnquam inter Apostolos ambiguitas aut dissensio. Idem omnes sentiebant & probabant, vt suo loco dicemus.

Nunc illud prosequimur, ad quod ipse status cõtrouersiæ redit. Ipsi enim in hoc vno nituntur fundamento, à seipsis purum Dei verbum prædicari: & illud ipsum quod ipse scripturæ sanctæ & inuiolabiles pronunciant. At nos cõtrà, dicimus purum Dei verbum penes nos esse. Dent igitur certã puri verbi notam, quo infirmiores qui & nos & illos audiunt, vtri parti debeant adhærere, dignoscant. Hoc est argumentum, quo (vt nõ valuit, insiciari ipse Lutherus) suam causam vehementer prę grauari sentiunt. Hoc argumentum (inquit) & hodie maximè prægrauat causam nostram. Nam si

Lutheri verba.

neque Papæ, neque Patribus, neque Luthero credendum est, nisi doceant purum Dei verbum, cui tum credẽdum est? Quis interim certas faciet conscientias, vtri purum Dei verbum doceant, nos, an aduersarij nostri? Nam & ipsi iactant se purũ Dei verbũ habere, & docere: hæc ille. Et cùm sese hãc, illãc torquens ac distrahẽs, nullum videret subterfugiendi exitum, tandem rem ita concludit: Quisque igitur videat, vt certissimus sit de sua vocatione & doctrina, vt cum Paulo certissimè ac securissimè ausit dicere: Etiam si nos, aut Angelus de cœlo, &c. Itaque vide prudens lector, ad quem tandem locum se redigant isti, vt probẽt nobis suum purum Euangelium, nimirũ quòd certissimi sunt & securissimi, sicut Paulus, de sua vocatione ac doctrina. Nec tamen de sua reuelatione quicquã docent, sicut Apostolus noster, nec eam nobis obiectant: fortè ob humilitatem, vt hac parte etiam Apostolum superent, ne videantur iactabundi. O in fœlix seculum, & miserãda illa regio, vbi reperiuntur qui talibus præceptoribus adherescãt. Sed hoc Satanæ est, non humanum opus.

Modo hominibus suades an Deo? Græcè melius. Modo homines suadeo, an Deum? Hic suæ fiduciæ rationem reddit. Ipse enim Deum respiciebat in sua prædicatione, non homines, vt quod ad gloriam Dei pertineret, nõ ad homines & eorum gloriam, suaderet. Vnde concludit veritatem à se prædicari. Et sustentatur hoc in ea Christi propositione: Qui gloriam Dei quærit, hic est verax: & econuerso: Qui quærit gloriam hominum, hic sit mendax. Et hoc pacto intelligendum est illud: Omnis homo mendax. Vt enim quis verax sit, illum ex habitu habere istud necesse est, vt sit dispositus ad veritatem dicendam. Nam is qui vtcunque dixerit veritatem, non propterea verax dicitur. Alioqui Diabolus etiam esset verax: qui & ipse aliquando confitetur Deum. Similiter autem vt sit quis mendax, oportet illum ita esse ad mendacium dispositum, vt est suapte natura omnis homo. Vnde qui ex errore dicit mendacium nesciens, non est propriè mendax: Fieri autem non potest vt non sit mendax homo, quatenus homo: quia dum (vt talis est) non amet, nec quærat gloriam Dei, sed propriam: vbicunque accidet suę gloriæ quicquam cõtrarium, quæ aduersatur gloriæ Dei, non erit paratus diligere ac pronunciare veritatem, & ita non erit verax.

Ioan. 7.

Quid requiratur vt quis sit verax, vel mẽdax.

At homo Dei iam supra hominis conditionem eleuatus, qui præ oculis Dei gloriam, non suam habet, verax erit: quia ad veritatem erit dispositus, & non curabit odium hominum, quod incurritur ex veritate, iuxta prouerbium: Obsequium amicos, veritas odium parit: & præsertim ex ea veritate, quæ displicet mundo & mundanis, vt est veritas crucis Christi. Sic enim Christus ex veritate odiũ in se contraxit: quia testimonium perhibuit veritati, quòd opera mundi erant mala. Similiter & sanctissimus Ioannes Baptista, & B. Paulus. Et ob hoc non poterant credere Iudæi, & assentiri veritati, quia gloriam quæ à solo Deo est non quærebant, sed quam ab inuicem accipiebant. Et ob eam causam illi principes qui crediderunt in eum, non cõfitebantur: quia dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Non sic autem Apostolus Paulus: & à re ipsa ostendit, quam palam videbant.

Ioan. 2.

An quæro hominibus placere? vt possitis me arguere quasi mendacem, & inanis gloriæ studiosum se ctatorem? Hæc nanque radix mendacij est, quærere placere mũdanis. Quo fit vt suadeãtur humana non diuina. At contra de se ipso prædicat Apostolus: vt illi agnoscerent id virij esse in pseudoapostolis, id est, in Iudæis, qui oppugnabant veritatem vt placerent carni. Ideo legem iactabant, vt præ Gentibus sese erigerent, sicut inferius docet: Quicunque volunt placere in carne, hi coguntvos circuncidi, tantum vt crucis Christi persecutionẽ non patiantur. At B. Paulus, qui contra prædicabat, ostendit vel ob hoc ipsum se gloriam nõ quærere, qui Hebræorum in se odia concitabat, quos sibi conciliare potius studuisset, si placere eis voluisset. Vnde addit:

In eos qui studẽt hominibus placere.

Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Homines hoc in loco eos appellat, qui vt homines sese habent, id est, qui humana sapiũt, quosque regit & mouet prudentia carnis, quæ est inimica Deo. Vnde & Sapiens ait, Ego sum stultissimus virorum, & sapientia hominum non est mecum. Et Dominus noster, Quod hominibus altum est, abominatio est coram Deo. Cum igitur homo & Deus in sapientia & præceptis discordent, non potest homo esse Christi seruus, ac consequenter placere Deo, ac simul placere hominibus: quia non potest duobus Dominis seruire, opposita iubentibus, mundo & Deo. Quòd si quæras, vtrum sit melius Deo placere, an hominibus: audi quid Propheta de his qui placent hominibus dicat. Deus (inquit) dissipat ossa eorum qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Audi rursum eundem pro his qui Deo placẽt, & serui unt. Custodit Deus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Quid autem quęso optabilius Dissiparine ossa, quod seruatur his qui hominibus placent: an custodiri ossa à Deo, quod est eorum qui placere Deo student? Lector consideret, si tamen digna res est quæ debeat in consideratione venire.

Ps. 55.

Ibid. 33.

Huic autem Apostoli sententiæ: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem, obstare videtur: quod ad Corinthios idem ait: Per omnia omnibus placeo. Sed aduertendum, non dixisse illum Hominibus placeo, ne quis intelligeret homines mundi huius. Nam iis nedum gratus erat, sed displicebat. Quod ergo ait, Per omnia omnibus placeo, non est aliter accipiẽdum, nisi ab eo omnem datam, operam, vt ex parte sua ea faceret, quæ placere omnibus rectè iudicantibus iure debebãt. Salua enim & integra fide & causa Dei, se omnibus accommodabat, vt ipsemet exprimit: Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam. Et ideo postquam dixit. Per omnia omnibus placeo, subdit. Non quærens quod mihi vtile est, sed quod pluribus, vt salui fiant.

Lutherus, & alij eiusdem farinæ viri, magna cũ impudentia hoc in loco seipsos efferunt, sibi vsurpantes mala fide, & hęretica licentia hanc Apostolicam gloriam, nempe qui sua prædicatione non studeant hominibus placere, cum ipsi ea prędicẽt, quæ minus placere mundo consueuerunt. Doce-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus enim (ait Lutherus) omnes homines natura esse impios, & filios iræ. Liberum arbitrium, vires humanas, sapientiam, iustitiam, omnemque religionem voluntariam damnamus. Summa: Nihil in nobis esse dicimus, quod valeat ad promerendam gratiam ac remissionem peccatorum: sed sola vnica ac mera Dei misericordia propter Christum, eam nobis cõtingere prædicamus. Sic enim enarrare gloriam Dei, & opera eius, damnatis vniuersis hominibus ac operibus eorum, hoc certè non est prædicare in gratiam hominum & mundi. Mundus enim non potest grauius, aut acerbius irritari, quàm cum damnatur sapientia, iustitia, religio, potentia eius. Hæc optima & summa dona mundi damnare, profectò non est adulari mundo, sed potius odium & infortunium (vt aiunt) vltrò quærere, & in promptu etiam inuenire. Nam si homines, & omnia ipsorum in speciem optima studia damnamus, fieri aliter non potest, quin statim inueniamus eorũ acerbissima odia, persequutiones, excommunicationes, damnationes & cædes: hæc ille, Quæ aliquem præ se ferre veritatis colorem videntur.

Tu igitur, acute lector, attende, & prædicationem lutheranam à nostra catholica prædicatione sanis oculis discerne. Ait ille, Nos prædicamus omnes homines natura esse impios, & filios iræ. Hæc autem prima prædicationis pars, non est lutherana prædicatio, sed nostra. Et hanc discere potuit infœlix à sanctis doctoribus nostris antequam ab ecclesia defecisset. Calumniosè igitur atque iniuria hanc sibi tanquam propriam vendicat.

Addit: Nos liberum arbitrium, vires humanas damnamus. His verbis si penitus ab homine vult liberum sufferre arbitriũ, vt habet eius peruersum dogma, iam se prodit non tam falsum esse ac mendacem, quàm insanum: quia eiusmodi doctrina leges omnes, tam diuinas, quàm humanas, omnem moralem virtutem, consultationes omnes, omne denique, siue præmij, siue supplicij meritum è vita hominum penitus tollit. Quo fit, vt etiam mundo tam absurda prædicatio displicere meritò debeat. Neque enim rectè semper sequitur, quicquid mũdo displicet, mox id bonum esse & verum. Quòd si nec humanas vires, nec liberũ aufert arbitrium, sed prædicat per se non sufficere ad rectè ac meritoriè coram Deo agẽdum, nisi informetur gratia, & ab ipso Deo adiuuetur, iam hæc non est Lutherana prædicatio, sed nostra, quam sibi falsò pariter arrogat. Subdit: Nos sapientiam, iustitiã, omnémque religionem voluntariam damnamus. Si de sapientia quæ carnis est & mundi loquitur, similiter eius non est hæc prædicatio, sed nostra. At si de sapientia intelligit quæ desursum est, pudica, pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, & hanc se damnare fatetur (vt certè damnat) agnoscimus hanc prædicationem verè Lutheranã esse, & mundo quidem non displicere. Nam hæc sapientia mater est contentionis, & hæresum, & schismatum. Hæc sapientia insanam carnis libertatem prædicat: opera quæcunque, & omnem iustitiam repudiat & damnat, non distinguens propriam quæ ex lege est Mosaica, & quæ suppliciorum metu, aut premiorum terrenorum amore procedit, à iustitia quę est ex fide, & à Deo, cuius opera ex diuina charitate fluunt, quæ grata sunt & pretiosa in conspectu Dei, quibus vita æterna & debetur, & redditur. Nos ergo damnamus iustitiam quæ ex propriis viribus comparatur (nec est Lutherana prædicatio) At iustitiam, quæ ex Deo est, donum nobis infusum, quod non capit mundus, catholica prædicatione extollimus. Et hoc est quod Lutherus conculcat, & ideo placet mundo: quia salutem & regnũ Dei sine iustitia pollicetur. Contrà: quod dixit Dominus, Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Passiones ac tribulationes omnes, quas viri iusti propter Deum, & ad imitandum Christum patiuntur, suis meritis ac mercede fraudare diabolus per os istius viri Belial cõtendit. Sed nõ est hæc apostolica prædicatio, quæ clamat: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei, &: Si substinebimus, & conregnabimus. Et ipsemet Christus Saluator noster ac Redemptor, Si quis (inquit) vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et hoc non vno, aut altero die tantùm, sed quotidie, vt addit Euangelista. Non enim in eo statu sumus, in quo laxandæ sint ad libidinum fomenta habenæ. Vix qui carnem castigant vigiliis ac ieiuniis, & variis assumptis laboribus, in seruitutem spiritus redigere possunt. Quid igitur de illis cogitãdum est, qui eam deliciis nutriunt, & omni licentia donandam prædicãt? Quare huiusmodi hominibus, quorum Deus venter est, nos Catholici audacter opponimus. Hæc est prædicatio quæ parum est grata mundo, O Lutherane. Tua verò admodum placet, quæ omnem laborem, & satisfactionem, & pœnitentiam pro peccatis, quæ post baptismum scelerate admittimus, in Christum reiicit, vultque sub spinoso capite (quod nulla ratione decet) mẽbra esse delicata. Quòd verò tu voluntariam religionem damnes: si intelligeres per voluntariã religionem Deorum cultum, Gentilium sapientia exquisitum atque adinuentum, nobis minime contradiceres. Sed cum clarum sit, illum quem Christus, & Apostoli docuerunt, & ecclesia sancta proponit & custodit, te reprobare, qui negas Spiritũ sanctum ecclesiæ instructorem: hoc ipso teipsum miser condemnas, ostendens sapientiam tuam cõtentiosam, ac propterea terrenam, animalem, diabolicam, qualem Frater Domini detestatur. Et hęc satis ad huius contentiosi & diabolici hominis fucos refellendos.

Matth. 6.

Act. 14.

2. Tim. 2.

Iac. 3.

Notum autem vobis facio fratres Euangelium, &c. Hic probat quod dixit, se non posse seruum Christi esse, ac simul studere vt hominibus placeat, cũ esset positus euangelizare euangelium Dei, quod est Dei lex, & beneplacitum. *Quia non est secundum hominem*, id est, iuxta spiritum & sapientiam hominis: quod indicatur non solùm ex tenore & materia eius, quandoquidem in illo ea cõtinentur quæ sunt aduersantia hominibus vt homines sunt animalia terræ: Verum etiam ex autore illius qui illud immediatè à Deo accepit, cuius viæ & cogitationes ita distant & opponuntur viis & cogitationibus & studiis hominum, sicut cœli distãt & exaltantur à terra. Ait enim se non accepisse euangelium, nec didicisse ab homine. Quædam enim euãgelij accipiuntur, vt sunt articuli primi, veluti principia. Et quædam discuntur, vt sunt quę ex iis con-

sequuntur: exempli causa, Accepimus ab euangelio, quòd Beata virgo Christum genuit. Hinc dicimus illam esse Dei Matrem: quia Christus erat Deus. Item accipimus Petro promissas claues à Christo. Hinc discimus fuisse illum loco Christi positum in ecclesia caput ecclesiæ: & sic de similibus.

Sed per reuelationẽ Iesu Christi. Quod probauit omnibus modis necessariis, vt sacra probat historia. Alioqui quilibet posset pro arbitrio asserere. Ego habeo reuelationem, si in sola reuelatione, nullis cœlitus adhibitis testimoniis & miraculis, talis facultas consisteret.

Audistis enim cõuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modũ persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebã in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundãtius æmulator existẽs paternarum mearum traditionum. Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus continuò, non acquieui carni & sanguini, neque veni Ierosolymam, ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Ierosolymam, videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Deinde veni in partes Syrię & Cilicię. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo, tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euãgelizat fidem, quam aliquando expugnabat. Et sic in me glorificabant Deum.

Audistis enim conuersationem meam, &c. Vult hic ostendere Apostolus, & suadere veritatem euangelij quod prædicabat. Et primò quidem à miraculo conuersionis suæ, qua ab vno extremo in alterum extremum adductus est. Nã de Saule, Paulus: De lupo, ouis: De persequutore & osore christiani nominis, amator & portator nominis Christi: Denique de impugnatore ecclesiarũ acerrimo atque infestissimo, propugnator strenus, & indefessus earumdem ædificator.

Miraculũ summum, tam subita conuersio Gentium.

Plerique miracula efflagitant: Sed quodnã maius miraculum dari potest, quod possit cum tanta mutatione atque conuersione conferri? Accidit hoc etiam multis, qui per Christum admirabili cõuersione, à vitiis insignibus ad contrarias derepentè virtutes translati sunt.

Et expugnabam illam. Sed quomodo expugnabat cum potius illis persecutionibus ecclesia crescere, sicut & prædixit Dominus: Et portæ inferi nõ prævalebunt aduersus eam? Respondent quidam: Expugnabat ex parte, non omninò. Hæc expositio non placet. Valla pro expugnabam, legit oppugnabam. Nec id satisfacit: quoniam Græcè legitur, ἐπόρθουν, quæ vox expugnabã significat. Hoc ergo magis placet, vt sit more scripturę locutus, vt pote qui ea agebat & moliebatur, vnde reueta expugnatio ex natura rei sequebatur, eo quòd esset per se potens ad expugnationem: & re ipsa expugnatio contigisset, nisi à Deo miraculosè sustentata fuisset. Vnde & legimus: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Quid est enim, Sæpe expugnauerũt, nisi ipsi quidem id egerunt & (quod in eis fuit) ad expugnationem? Quid est autem: Etenim non potuerunt mihi, nisi ipsius Dei virtute euasi, & eorũ potentia refracta est? Quo magis perspicitur digitus Dei, & laudatur, & glorificatur, qui destruit omnem potentiam, & omnem munitionem expugnãtium dilectissimam ecclesiam suam.

Pro euangelio quod diũ expugnaretur, non est expugnatũ

Et proficiebam in Iudaismo. Vocat Iudaismum, carnalem illam eius Gẽtis collectionem. Et in eo proficiebat: quia pro tuẽdis paternis traditionibus militabat, nomen Christianum in nascente ecclesia ex hominũ memoria funditus delere studens, quæ videbatur synagogam reprobare. Hic erat feros ille Ismael aduersus placidũ Isaac: sed eiicitur ancilla simul cum filio suo.

Supra multos coætaneos meos, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Pharisaicas traditiones illas intelligit, quas damnat scriptura quæ ait: Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Quidam de traditionibus Moseos per legem interpretantur. Sed hoc mihi non satis probatur. Nam Moysi legem in sacris literis venire appellatione paternarum traditionũ, non memini me vllo in loco ipsius scripturæ legisse. Et B. Petrus vanam paternæ traditionis vocat conuersationem. Lex igitur Moseos antequam antiquaretur, minime vana erat dicenda: cum laudentur apud B. Lucam magni Baptistæ Ioannis parentes, qui ambulauerant in omnibus iustificationibus legis. Et propter illiusmodi obseruantias multi martyres facti sunt: vt legimus de Machabæis & aliis. Itaque lex nedum non erat vituperanda, sed commendatione digna, cum bona esset & vtilis, si quis ea tamen legitimè vteretur. Illas igitur traditiones, quas apud B. Matthæum & Marcum suis coloribus depingit Dominus, & ipse Apostolus, vituperantur hic ab illo, nisi fallor. Porrò si quis contendere pertinacius voluerit, de cæremonialibus legis cum loqui, non inuitus illi cedam.

Matth. 15.

1. Pet. 1.

Est & hic locus, quo pariter hæretici abutuntur, vt destruant leges omnes & canones: solùmque euangelium pro lege habendum esse dicant, & scripturas sanctas. Quod vtinam ipsi saltem reuera facerent: profectò & ea reciperent quæ à scripturis apostolicis, & ore ipso Christi commendata sunt. Scriptum est enim de B. Paulo, quomodo præcipiebat custoditi præcepta Apostolorum & seniorum. Et iterum dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus. Et ad Thessalo. Tenete (inquit) traditiones quas didicistis siue per sermonẽ, siue per epistolam nostram. Et vt videas quanti

Act. 15.

2. Tess. 2.

Matth. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecerit eas traditiones, recognosce ibidē illos, qui eas non seruabant, sed inordinatè ambulabant, à sodalitate cæterorum iussos excludi.

De traditionibus cū iudicio loquēdum. Ergo non omnes prorsus traditiones sunt respuendæ, sed cum iudicio & certo illo quidem: vt quæ militant aduersus pietatem & Dei legem: & quæ item sunt superuacaneæ & superstitiosæ, hæ respuantur. Alioqui de iis quæ tendunt in ædificationem, & à prælatis sanctis inuentæ sunt, (quos à Spiritusancto inspiratos fuisse quis nisi temerè ausit inficiari?) Christus ipse, vt seruarentur, mandauit amplissimis verbis dicens: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et B. Petro ac cæteris dixit. Quodcunque ligaueritis super terrā, erit ligatum & in cœlis. Id ergo primum, imò verò hoc vnum animaduertendum est in traditionibus, aduersentur ne diuinæ legi: an potius ad eius obseruantiam non parum conducant. Tūc etenim tenendæ atque seruandæ sunt: nec licet præterire, aut præuaricari impunè.

Luc.10. *Matth.16.*

Turpiter autem peccant hæretici, qui nihil vnquam distinguere volunt: sed omnes Patrum traditiones æquè improbas iudicāt. Vnde & ordines religiosorum fratrum, & regulas cuiuscūque ordinis, seu etiam Canones sanctissimorum Pontificum, velut porci immundi suis lutulentis pedibus conculcant, hac tantùm freti scriptura, qua B. Paulus paternas traditiones vituperare superioribus verbis est visus. At venire illis in mentem oportebat, traditiones Apostolicas & seniorum omnino custodiri ab eo mandatas. Oportebat insuper detegi prius traditionum & canonū Apostolicorum impietatem, aut superstitionem aliquam, vt illas possent meritò reprobare. Tantùm nuda pronunciatione aiunt: Vota Regularium sunt impia & superstitiosa. Aiunt hoc certè, sed friuolis rationibus moti mentiūtur in perfidum caput miseri. De qua re alibi, & proprio tractatū latius aduersus illos de scripturis sanctis disserui.

Cum autē placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ. Nunc probare incipit Apostolus suum euangelium, quia à solo Deo accepit, ad hoc electus: & in hoc ab illo instructus, & non à quolibet Apostolorum. *Ex vtero.* Vocat vterum matris, synagogam, quæ mater & ancilla est: Ecclesia verò mater & libera. Segregauit autem electione voluntaria, non ex meritis eius. Sunt qui exponant de carnali matre: sed non est illustris sensus. *Et vocauit per gratiam suam.* Licet enim omnes gratiosè vocet, quosdam tamen peculiari gratia, qualis fuit Paulus, qui deprehensus in tam magno & flagrāti scelere, vocatus est. Excusabatur autem, vt ipsemet expressit, quia per ignorantiam faciebat.

Peculiares sunt quorūdā vocationes.

Vt reuelaret Filium suum in me. Non dixit, mihi, sed, *in me*: quia Christus quū reuelatur à Patre sanctis suis, miro modo internè sese insinuat, vt in illis existens, appareat etiam aliis tum innocētia vitæ, tum puritate doctrinę. Et sic euangelizāt illum opere & sermone. Primùm quidē opere: deinceps autē sermone. Hanc Dominus Iesus sanctissimam rectè viuendi normam tradidit, qui primùm cœpit facere, & tum docere. *Vt euangelizarem illum in Gentibus*, id est, inter Gentes. Nam specialiter ad illas missus est B. Paulus, vt prædicaret, quēadmodum ipse sæpe testatur, vt verificaretur per eum quod scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, videbunt.

Nota quicūque Euāgelium prædicat.

Continuò non acquieui carni & sanguini. Vel non contuli cum carne & sanguine. Vocat hic carnem & sanguinem, vel homines mundi huius, qui secūdum carnem ambulant: vel Iudæos, quibus lege erat coniunctus ob carnis eiusdem coniunctionē: vel fortè cognatos & propinquos. Ideo autem nō acquieuit, seu non contulit cum illis: quia doctore Spiritu iam veritatem illam nouerat: Inimici hominis domestici eius.

Caro & sanguis in scripturis quid. *Matth.10.*

Neque istud arbitror ad Apostolos referri posse: quanquam aliter dicat B. Hieronymus. Attamē non placet, nec videtur rectum vt caro & sanguis dicantur Apostoli, cū hæc vox in scripturis in malam partem accipiatur. Caro enim & sanguis non possidebunt regnum Dei, ait B. Paulus. Apostoli autem iam erant cœlesti conuersationi integerrimè dediti, & iamdudum de mundo isto à Domino selecti, de quibus ad Patrem orans: Ego, inquit dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit: quia non sunt de mūdo, sicut & ego non sum de mundo.

Ioan.17.

Præterea mox dicit, *Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam.* Hoc in Act. Apostolorum supprimitur: sed priusquam in Arabiam pergeret, ingressus est Damascum, & ibi mansit cum discipulis Christi dies aliquot & Christum magno feruore atque vehementia Spiritus prædicauit, sicut habetur in Act. ac deinde abiit in Arabiam, vt hic exprimitur. *Et iterum reuersus sum Damascum.* Et tunc diuturniore tempore ibi mānsit, prædicans etiam vehementius, atque expugnans Iudæos, donec persequutione vrgente, & structis insidiis, oportuit illum inde clam recedere, qui & è mœniis ciuitatis per sportam vt saluaretur, demissus est.

Hoc item in loco (quem enim specie aliqua fauentem prætermittunt?) sibiipsis placēt & applaudunt Lutherani. Ecce (inquiunt) vbi primùm B. Paulus doctrinam à Christo hausit, prædicauit protinus: nec adiuit statim Apostolos, qui eam probarent. Quid igitur peccamus nos, si iam euangelij puritatem edocti prædicamus exemplo Pauli, nihil morari iussionem vestram Pontificiam? Vide vt perpetuò elati homines abutuntur scriptura, & B. Pauli exemplo: perinde ac si illos pari miraculo segregauerit Deus, quo & B. Paulum, vt similiter sint ipsi vasa electionis. Præterea si B. Paulus certa missione sua fretus, prædicauit Christum eo tempore, nunquid ita prædicauit, vt quicquam noui afferret, aut quippiam aduersus apostolicam doctrinam doceret? Hoc idem faciant, & eos nequaquā de dogmatibus dānabimus. Deinde B. Paulus non multo tempore post, se ad B. Petrum recepit, vt cū eius benedictione euangelicam prædicationē prosequeretur. Vnde ait:

In hæreticos.

Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrū ductus à Barnaba. At scriptura asserit illum ad Apostolos fuisse ductum. Rectè id quidem. Nam in B. Petro intelliguntur cæteri: & hoc velim maxime animaduerti. Etenim quando legitur: Dic ecclesiæ: Ecclesiæ vocabulo (vt rectè B. Chrysostomus exponit) primùm Prælatus intelligitur, cui dicendum est: cui si dicatur toti ecclesię dictum videtur

Pro primatu B. Petri. *Matth.18.*

Matt. vlt. tur. Et propter hoc suscitatus à mortuis Dominus dixit, Dicite discipulis meis, & Petro, id est, Petro maxime. *Et mansi apud eum diebus quindecim.* Iam enim euangelium prædicauerat: nec tamen quicquam à Principe Apostolorum Petro edoctus est, aut admonitus, tanquam ad veritatem euangelij non ambulasset: quin potius eius prædicationi ac doctrinæ consensit. Et hoc illi satis fuit vt liberius posset prædicare, cum esset B. Petrus totius ecclesię pastor. *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* Quamuis se solùm vidisse dicat, non autem cum illo habuisse sermonē: non fit tamē verisimile non fuisse alloquutum tantum Apostolum. Fortassis nihil eo tempore cum illo contulit de doctrina, cui satis fuit cum ipso B. Petro contulisse. Non enim quindecim dies illos tantum gratia videndi B. Petrum assumpsit. Sed plusquam verisimile est de summa euangelij inter eos frequētissimùm in illo temporis spacio, & longissimum fuisse sermonem.

Quis fuerit Iacobus frater Domini.

Hic autem nascitur quęstio de Iacobo, cuius hic meminit Apostolus, quisnā fuerit, & cuius filius. Certum est primò non fuisse illum Iacobum Ioannis fratrem, qui sub Herode decollatus est, quique Iacobus maior est appellatus. Fuit autem quorundam opinio negantiū hunc Iacobum fuisse vnum ex duodecim Apostolis. Crearunt enim hunc nouum quendam Iacobum Domini fratrem, præter illum qui Zebedæi, & alterum qui Alphæi filius fuit. Quod & Erasmus perpetuus nouitatum amator literis mādare ausus est: quin & B. Hieronymi authoritatē (quam in suum vsum vbi luber, astutè vsurpat) citare non neglexit, cuius tamen sensum minime percepit: nec meminisse voluit, vbi oppositū B. Hieronymus manifestè asserit in libro suo aduersus Heluidium. Sed non hic locus hæc pertractandi subtilius. Nemini dubium esse debet, quin hic Iacobus sit ille filius Alphæi & Mariæ, frater & Apostolus Domini, vnus ex duodecim quos Euangelistæ enumerant.

Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo: quia non mentior, &c. Manifestum iusiurandum, quod & alibi manifestius elicitur à B. Paulo factum. Quare hæreticorum superstitio improbanda est, qui omnino tollunt iusiurandum quasi nunquam licitum: quod tamen si opportunum fuerit, ad religionem potius pertinet, & meritorium est. Elicitur enim ex charitate: sed vt sit iustum, quatuor concurrere debent. Primum, rei grauitas: ne ad quędam minima roboranda Deus in testem adhibeatur. Secundum, veritas: ne aduocetur ad mendacium quasi testis, ipsamet veritas Deus.

Iusiurandi conditiones quatuor.

Tertium, necessitas: quæ à malo est, cum aliter quod verum est, non suadetur facile. Quartum, religio: vt solus Deus glorificetur, per quem iuratur. Ipse enim creditur adfuturus, & testaturus comprobandæ veritati.

Deinde veni in partes Syriæ &c. Cæsaream & Damascū. *Eram autem ignotus facie, &c.* Facilis est contextus. Ex hoc cap. ad summam accepimus, B. Paulum verum fuisse Apostolum, & de illis insignibus vnum, quibus erat habēda fides: quoniam non ab hominibus, nec per homines erat creatus Apostolus, sed à Deo Patre & Christo, immediatè per ipsum. Hæc persuasio tribuebat authoritatem doctrinæ ad eorum salutem. Et hoc ipse intendebat, non suam propriam gloriam.

CAP. II.

DEINDE post annos quatuordecim iterum ascēdi Ierosolymā cum Barnaba, assumpto & Tito, Ascendi autem secundum reuelationem: & contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus. Seorsum autē iis qui videbantur aliquid esse ne fortè in vanum currerem, aut cucurrissem. Sed neq; Titus qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circuncidi: sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerēt. Quibus neque ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euāgelij permaneat apud vos. Ab iis autem qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus enim personam hominis non accipit) Mihi enim qui videbātur esse aliquid, nihil contulerūt. Sed contrà, cum vidissent quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro Circūcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatū Circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cùm cognouissent gratiam quę data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabę societatis, vt nos in Gentes, ipsi autem in Circuncisionem. Tantùm vt pauperum memores essemus: quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.

Deinde post annos quatuordecim, &c. Postquam superius se insinuauit B. Paulus, & per apostolicam gratiam ostendit se dignū fide, si cum Pseudoapostolis conferretur. Nunc incipit etiam per comparationem & contētionem cum veris se conferens Apostolis id commēdare, quod ipse in hac re & quæstione potissimum semper mouit & tutatus est. Ait ergo:

Deinde post annos quatuordecim, &c. Ab eo scilicet tempore, quo veni in partes Syriæ, vt plures ex interpretibus volunt. Caietanus à tempore conuersionis computat. Eruditus iudicet quid aptius quadret. *Ascendi Ierosolimam.* Hoc item narratur à B. Luca in Act. cap. 15. Quamuis aliqui dicant non esse eandem historiam quæ hic describitur, cum illa quæ in Act. quam multò antea contigisse aiunt. Sed minime verum esse arbitror, cum multa conueniant, & nihil conturbet: imo si illa fuit multò ptior (vt volunt) iam quæstio de legalibus, quo ad Gentes, fuisset decisa: nec vnquam B. Petrus commisisset aduersus concilij manifesta decreta.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cum Barnaba, assumpto & Tito. Duos istos non sine causa præcipuè commemorat, cum & alij fuissent comites, veluti testes omni exceptione maiores, quorum alter erat Iudæus, alter Gentilis: vt ostenderet conuenisse ambos in veritatem euangelij, & non sequutos carnem, aut carnis honorem. *Secundum reuelationem*, ne hæc facta crederentur humano spiritu.

Et contuli cum illis Euangelium, &c. Nota hæretice, contulisse B. Paulum euangelium cum Apo- *In hæreticos.* stolis, & iis qui maiores videbantur: & seorsum cum iis qui videbantur esse aliquid, videlicet Petro, Iacobo, & Ioanne. Nam hi maxime erant inter alios cōspicui, tanquam columnæ ecclesiæ. Tu verò cum quo confers ô superbe? Quod ergo ait, *Qui videbantur esse aliquid*, Non quasi cum despectu dictum accipiendum est, vt verba ipsa Latina sonare videtur. Græcè tamen legitur, οἱ δοκοῦντες, vt probatos & in pretio esse intelligas, & deest, esse aliquid, licet mox addatur: atque tropo quodam dictio, *aliquid*, magnum quid sonet in sacris literis. *Act. 8.* Sic enim legimus de Mago, qui aiebat se esse aliquem, id est, magnum & insignem.

Ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem, &c. Caue putes à B. Paulo hoc dictum propter seipsum quasi vacillaret, aut quasi testari voluerit se euangelij sui accepisse testimonium ab hominibus, tanquam minus fidei Dei reuelationibus habuisset: sed id quod dicit, *Ne forte*, seu, ne quouis modo, *in vacuum currerem*, propter alios dixit, qui illum audiebant. Minore enim fide prædicationem illius suscepissent, si visus fuisset ab aliis discrepare, aut cum illis non conuenire, qui habebantur in tanta existimatione, vt primæ ecclesiæ colūnæ vocarentur, penes quos residebat authoritas probādi do- *Nota.* ctrinas. Quo in loco diligentius attende, bone lector, multa declarari atque probari ab ecclesia, nō ea ratione quasi nō sint his certa qui eiusmodi poscunt declarationem: sed vt fiant aliis certa ad ædificationem ipsorum.

Porrò Lutherani & hæretici respondent. Certò scimus (aiunt) nos bene loqui, nec vllam nobis aliam putamus necessariam probationem. Sed quis (obsecro) probat hanc nobis certitudinem? Cum quibus ecclesiæ columnis suum euangelium contulerunt? Aut quo illud signo probarunt, nisi signo contumaciæ & rebellionis? Hoc sanè omni viro prudenti ac pio ad censendum satis esse poterat. Quis enim tam stupidus dari potest, qui nequeat tali excusationis lenocinio vti, & asseuerare se rectè ac verè loqui? Equidem non est magnopere mirandum, si tot inter hæreticos capita ex talibus nascantur principiis. O miseri. Et hi sunt qui ab exemplo Pauli suam causam audent defendere, hominum arrogantissimi atque infœlicissimi. Et nota Apostoli verbum, *currerem*, quod propriè his conuenit qui mittuntur, & legatione funguntur: vt intelligas eos expeditos & promptos ad iter conficiendum, eáque exequenda, quæ in mandatis acceperunt. Talem suum Mercurium Poetæ cum talaribus componunt. Vnde & B. Paulus alibi ait, Nihil horū timeo, dum modo consummem *Act. 20.* cursum meum, & ministerium verbi. Hinc & pedes pulchri dicuntur ad currendū hoc pacto, euangelizantium pacem, euangelizantium bona, Sic & dicitur de iis qui sibi legationē arrogant. Ego non *Ier. 23.* mittebam eos, & ipsi currebant. Et nunc quot currunt, bone Deus, qui non solùm non mittūtur, sed etiam prohibentur? aut verius si mittantur ab ipso diabolo mittūtur? O scelerosos, ô inquinatissimos pedes in sempiternum ignem præcipitandos. Hactenus ergo B. Paulus probare voluit euangelium suum & commendare, vel ab hoc ipso quòd collatum est cum Apostolis & comprobatum, & præcipuè circa hanc partem, de qua suscepta erat disputatio: Nam ob hoc maxime contulit, vt colligitur in Act. 15. vbi apparet hanc quæstionem fuisse causam huiusmodi collationis.

Sed neque Titus qui mecum erat. Vt probaret non solo verbo comprobatum esse suum circa hoc euangelium, verùm etiam facti obseruantia, & in iudicio contentioso, subdit: Neque Titum, cum esset Gentilis, compulsum esse circuncidi. Et ipsum quidem ita componitur argumentum. Si necessaria fuisset circuncisio homini Christiano, non esset vllus incircuncisus acceptus ab Apostolis vt Christianus: sed compulsus esset & ipse circuncidi. Hoc autem non est in Tito seruatum, sed ab Apostolis sic receptus est vt Christianus: imo (quod maius est) vt Episcopus, nam talis erat. Id etiam in contentione statutum est, cum aliter in contentioso iudicio fieri postularent Pseudoapostoli. Igitur non necessaria erat homini Christiano ad salutem prisca illa circuncisio.

Illud hic est etiam atque etiam aduertendum, quod ait: *Non est compulsus circuncidi, cum esset Gentilis*, Ac si dixerit, secus esset si Iudæus fuisset. Sed quis tuebitur etiā Iudæum ad circuncisionē compellendum fuisse, cum circuncisionis obseruantia iam debuisset cessare, postquam venerat vera circuncisio non manu facta, quæ per illam manufactam significabatur, & adueniente veritate cessare debeat figura? Respondemus, propterea dixisse B. *Ad intelligendam circuncisionis quæstionem.* Paulum, *Cum esset Gentilis*, non vt Iudæus deberet compelli si nollet, sed tolerari potius si vellet. Gentilis verò nō solùm nullo modo compelli si nolit, sed nec prorsus tolerari si velit. Et tamen etiam Iudæus aliquis propter alios infirmos, ne scandalum aliquod paterentur, aliquo modo compelli potuisset ad eam inutilem obseruantiam, quæ solùm ad remouendum scādalum tunc fuisset vtilis: & ideo maiorum præcepto facienda in loco & tempore. Sic & Gentiles compulsi sunt decreto synodi abstinere à sanguine & suffocato ad tempus.

Vide igitur miram Dei suauémque cum in Iudæis, tum in Gentibus prouidentiam. In Gentibus quidem, ne introducerentur alienæ & inutiles cæremoniæ, quibus nunquam alligati fuerant, ne rursum captaretur negotium eas recidendi. Quis enim velit quenquam vlli obseruantiæ assuescere, cui si esset assuetus, desuescere tamen oporteret? In Iudæis verò ad tempus obseruantias illas tolerabat Deus, licet iam mortuas: quia olim his assueti erant, nec tam facilè poterant qui ab eis, veluti à lacte pueri, pendebant, amoueri. Erant enim obseruantiæ illæ tunc non aliud quàm cadauer quoddam dum effertur ad sepulchrum, à quo non possunt diuelli qui carnem sapiunt infirmi quidam ac stolidi, quales erant illi Iudæi. Vnde & carni aliquid condonabatur: sed diutius ferendum

non fuit, vbi primùm incœpit fœtere cadauer. Sepulchro itaque cōcludi oportuit: quemadmodum & postea sensim tandem factum fuit.

Qua in parte impiam obserua & manifestè falsam Lutheri, & aliorum hæreticorum doctrinam. *Contra hæreticos.* Ex hoc loco facit ille liberam circuncisionem, ita vt etiam in lege Christi teneat posse hominem circuncidi: quia dicit B. Paulus titum non fuisse compulsum, ac si id permiserit, modo non coactus id fecisset, nec posuisset in ea re fiduciam. O egregiū magistrum, & nouum legislatorem, qui illud per- *Deut. 22.* mittit quod prohibet Moses ipse, videlicet, Arare cum boue & asino: & indui vestimento lana simul ac lino contexto. Hoc tamen in primis ipsimet vituperant, legem admisceri euāgelio. Quæro enim ab eis, cur permittant circūcisionem? Vtrum quia ex lege Moseos? Si istud: Legem ergo volunt posse seruari, quam tamen fatētur abolitam. Sin autem, quia ex Patribus est circuncisio: profectò non data fuit Gentibus, sed iis solùm qui ex semine Abrahæ, ad quod Gentes non pertinent. Quanquam quatenus ex Patribus venit ipsa carnalis circuncisio, abolita est per circuncisionem spiritualem. Falsum est igitur & horrendum penitus dogma, liberam facere circūcisionem, quæ mortua nedum est, verùm etiam mortifera. Nec in cultu diuino & cæremoniis admittendum est quicquam vanum & inutile, & quod non sit vel præceptum à Deo, vel probatum ab Ecclesia, quæ regitur Spiritu sancto. Sed hac de re dabitur iterum inferius disceptandi locus.

Nunc illud satis, Non propterea eam elici debere permissionem, quia excludatur compulsio. Alioqui ex eius sermone qui rectè & verè diceret: Non est compellendus quis ad negandum Christum, elici posset permissio negationis Christi: qđ est absurdissimum. Ex hac Lutheri doctrina descenderunt Eleuthero baptistæ, qui liberum fecere vnicuiq; baptismum aquæ. Nam eadem est causa circuncisionis, quæ & baptismi. Si licet homini circuncidi, licet etiam non baptizari: quoniā præter fidem nihil est homini necessariū ad salutem, ait Lutherus.

Sed propter subintroductos falsos fratres. Durus est hic (si quis alius in B. Paulo) locus, quantum ad literæ structuram spectat. Potest autem dupliciter cum superioribus copulari. Vno modo vt sit hic sensus. Titus non est compulsus circuncidi propter subintroductos falsos fratres, id est, non tantum valuerunt illi efficere, vt Titus circuncideretur. Vnde videtur abundare coniunctio illa, *sed*, vt ait B. Hieronymus.

Abūdare sensibus nō est facultas verborū. Verùm alia datur, quæ mihi potius placet, expositio, vt quiddam subaudiatur. Quod iis frequenter accidit, qui sensu & sententiis copiosius quàm verbis abundant: tanquam si quis admiraretur cur hoc factum sit, vt talis quæstio incideret, videlicet de circuncidendo Tito. Nam cum dixerit non esse Titum compulsum circuncidi, manifestè arguit aliquos fuisse, qui eum ad circuncisionem cogere vellent, vtpote sustinentes ad literam per omnia seruandam Moseos legem. Nunc Apostolus ait. *Sed propter subintroductos, &c.* ac si dixerit. Noli mirari hoc venisse in quæstionem. Id enim non fuit ob causam vllam iustam, qua postulante res deberet in istud adduci discrimen: sed sic euenit ob subintroductos falsos fratres, id est, propter Iudæos illos qui Christianitatem simulabant. Nam hi subintroierant, vt subdolè explorarent libertatē Christianam, quæ erat expedita ab illius legis oneribus & cæremoniis. *Quam habemus* (inquit) *in Christo Iesu.* Quia Christus liberauit Iudæos à iugo legis, quod erat certè in cæremoniarū innumerabilium obligatione. Illorum autem finis erat, vt redigerēt Galatas in seruitutem pristinam, sub qua erat populus ille, tanquam sub pedagogo existens: quia puer erat, & fermè nihil distabat à seruo, cum esset sub tutoribus & actoribus, vt inferius ipsemet Apostolus declarabit.

Attende & tu hoc in loco lector, qui fortè quæstiones quæ ab hæreticis motæ sunt, habere dubitationem putas: quia vides in eorum gratiam conuocatam synodum ad decidendum. Nam propter infirmos id actum est, & propter subintroductos falsos fratres, qui conturbarunt omnia: atque adeò nunc ita conturbant, vt & quæ clara sunt, obscurentur: propterea maiores ipsi meritas pœnas dabunt. Hoc dictum in falsos religiosos & mendi- *Contra falsos religiosos.* cantes, quos tædet pigétque sanctæ conuersationis. Respexerunt enim retrò, & suam turpitudinem eo pacto tegere arbitrantur, dum non seipsos, sed vitæ genus à sanctis tamen patribus institutum, & ex euangelica doctrina desumptum vituperant & damnant infœlices apostatæ, ad multò maiorem in semetipsos damnationem. *Quibus neque ad horam cessimus subiectioni.* (Missam hic faciens falsam lectionem, qua legerunt quidam affirmatiuè, Quibus ad horā cessimus) Sensus est Non erant iam in tam grauibus & noxiis consideranda scandala infirmiorū, vt propterea illis cederemus. Quòd enim Iudæi adhuc seruarent in recenti synagogæ casu & cadauere cæremonias suas, ferri poterat quousque fœterent grauius, & suo putore excluderentur. At Gentiles ipsos ad hoc adducere, intolerabile erat, nec vllo pacto ferendum, quantumuis scandalum quodlibet deuitaretur: quia per hoc obscurabatur veritas euangelii, quæ pura illis à principio tradenda erat. Ideo ait, Nec ad horam cessimus, videlicet sicut pro Iudæis concessimus (ad tempus tamen) & hoc vt veritas euangelij remaneat, scilicet pura & illibata apud vos, nimirū Gentiles. Sequitur:

Ab iis autem qui videbantur esse aliquid. Manifestè hic locus interruptum habet sermonem, & quippiam subaudiri oportet: fortè hoc, Ab iis autē qui videbantur esse aliquid (supple tu) nihil mihi collatum est, id est, nihil ab iis didici. Quod inferius exprimitur. Aut hoc potius: Ab iis autem qui videbantur aliquid (supple tu) occasionem acceperunt & fomitem hæ controuersiæ: quoniam nimis indulgenter se gerebant cum Iudæis, vt sic daretur locus falsis fratribus. Videtur autem tacitè subnotare B. Petrum & Iacobum, quorum peculiaris cura erat in circuncisione & circa hoc velabant pro Iudæis, vt hic patet, & in Act. cap. 21. Noluit autem fortè hoc exprimere: quia nimis propter autoritatem illorum tantorum Apostolorum inuidiosum videbatur.

Quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Potest hoc & in bonam & in malam partē capi, vt dicat

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil ad se pertinere quales aliquando fuerint, id est, quàm magni fuerint Apostoli, & Domino cõiuncti, vt erat B. Iacobus. Aut quales fuerint aliquando, id est, aliquo tempore, dum scãdalum propter Iudæos præbebant Gentibus. Et quod ait: *Nihil mea interest*: significat hoc ad se non pertinuisse, quasi ipse in eodem errore fuerit, aut illis consenserit. Vel, *nihil mea interest*, hoc est, non ad me pertinet iudicare: quia iudicium Dei est. *Deus enim personam hominis non accipit*. Hoc dicit vel propter B. Petrum, qui erat super omnes: Vel propter B. Iacobum qui erat frater Domini: ac si dixerit. Non oportet arguere ab horum celsitudine contra veritatem: quia Deus personam nõ accipit, vt propter personam, quæ probanda non sunt, probet. Sic enim tanquã non accipiens hominis personam, dixit illis duobus. Sedere ad dexteram, aut ad sinistram non est meum dare vobis: quia carnaliter vt fratres Domini secundum carnem petebant. Deus autem non accipit personam, id est, in gratiam personæ non mouetur in iudicio, sed pro veritate pronunciat. Nec in donis distribuẽdis cogitur, sed cui vult sponte largitur.

Matt. 20.

Mihi enim qui videbantur esse aliquid, &c. Potest in eum sensum intelligi, vt nihil ab eis didicerit circa euangelij doctrinam. Et quod ait, *nihil contulerunt*, idem sit ac si dixerit: nihil addiderunt. Sed Græcus sermo potius hunc subministrat sensum, *nihil contulerunt*, id est, nihil cõmunicauerunt. Et ob eam gratiã nihil mea interest, seu nihil ad me pertinet quid ipsi egerint, rectene an secus: siquidem nihil mihi de suo euangelio communicauerũt, sicut ego illis de meo communicaui. *Sed contrà, cum vidissent gratiam quæ data est mihi, &c.* Quid est quod ait, *contrà*, nisi quòd nõ ipse illis assensus est qui nihil sibi cõtulerunt, sed contrà, illi sibi assenserunt cõferenti. Vnde ait, *cum vidissent*, scilicet ex collatione mea cum illis, *mihi creditum esse Euangelium præputij*, id est munus ad euangelizandũ Gentibus, *Iacobus*, frater Domini, *& Cephas*, id est, Petrus, *& Ioannes, qui videbantur*, id est, apparebant (sicut & reuera erant) columnæ ecclesiæ, *dederũt mihi dexteras societatis*, id est, declarauerunt confirmantes Dei factum, vt ex æquo cum illis apostolico fungerer munere, agnoscentes hanc autoritatem esse mihi, sicut & illis, immediatè à Deo traditam: non autem ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum.

Quo in loco illud considera, maximè Paulo fuisse proprium, vt esset Apostolus Gentium: ne mirere si pro illis officium suum solicitus obibat, & honorificabat, sicut alias dixit. Neque mirum si abundantius ab ipso Deo in salutem ipsarum Gentium subministrata sit illi notitia euangelicæ puritatis. Nam alij potius Apostolatum suum exercebant in circuncisione. Quare & hoc habet parenthesis illa (*Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes*) Multa Deus operatus est B. Petro inter Iudæos, qui prima & secunda prædicatione conuertit ad Christum quinque millia hominum: & multa millia post adiecta sunt, vt habetur in Act. Apostolorum. Quomodo autem operatus sit Deus in Apostolatu Pauli inter Gẽtes, etiam hoc fusius commemoratur in Act. *Cum ergo* (inquit) *vidissent Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur* (vt certè erant) *columnæ esse*, ni mirum ecclesiæ, *dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis*. Fuit autem societatis initum eiusmodi inter illos pactum, quo munus Apostolicum ita diuideretur, vt B. Paulus & Barnabas inter Gentes præcipuè laborarẽt: illi autem inter Iudæos. Ea tamen conditione addita, vt adiuuare teneretur B. Paulus pauperes fratres, qui erant Ierosolymis Deo seruientes Christiani, qui ob Gentis malitiam & irreligionem non poterant de victu sibi prospicere. Quod & lubens fecit B. Paulus & diligentissimè, vt apparet ad Cor. ad Thessal. & alibi in Act. Fuerunt olim qui dubitarent, num qui hîc à B. Paulo dictus est Cephas, esset reuera B. Petrus Apostolus. Quidam enim negarunt, & finxerunt alium quendam Cepham: quod nulla fidelis probat historia, nec vllo pacto verti debet in dubium, vel hac sola ratione, cum iste Cephas tam honorificè nominetur cum aliis ecclesiæ columnis. Nam quis alter Cephas cum illis pari societate valuisset coniungi? Quin Apostolus tollit omnem prorsus dubitandi occasionem, qui paulò superius asserit se Ierosolimam ob eam causam profectum, vt Petrum, quem nunc Cepham nominat, videret. Nec ob reprehensionem subsequentem metuendum est, ne quid propterea autoritati primariæ depereat, sicut declarabitur.

Cephas & Petrus idem.

Cùm venisset autem Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat. Prius enim quàm venirẽt quidam à Iacobo, cũ Gẽtibus edebat. Cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex Circũcisione erant. Et simulationi eius cõsenserunt omnes Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularẽt ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cũ Iudęus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo Gentes cogis Iudaizare?

Cùm autem venisset, &c. Hic latius ostendit quam frustra niterentur aduersarij autoritate maiorum, videlicet B. Petri & Iacobi, qui propter Iudęorum scandalum plus nimio fauebant illis cæremoniis. Ait ergo quòd in faciem ei restitit, Cephę scilicet, ob istam causam, quia reprehensibilis erat. Græcè melius, quia reprehensus erat, vt sit sensus: Meruit vt in faciẽ ei resisteretur, quia iam erat reprehẽsus. Verisimile est enim q; nonnulli ex Gentibus quererẽtur, cur ita ageret fauens cæremoniis: cum certò sciret, & sic diceret coram Gentibus, eas non prodesse vlterius. Caietanus reprehẽsum à Iudæis intelligit. Sed quæ consequentia: vt ideo illi fuerit resistendum in facie: quia illum reprehẽderant Iudæi iniuria? Cui placet capiat, nihil obsto.

In quo erat reprehensibilis Petrus.

Prius enim quàm venirent quidam à Iacobo cum Gentibus edebat, &c. Demonstrat in quo reprehẽsibilis erat B. Petrus, qui falsis illis fratribus à Iacobo missis, propter bonũ pacis cesserit. Sed non erat attendenda, pax quæ contra euangelij veritatem pugnabat, & pax quę mox maiorẽ paritura erat dissensionem. Digno vocabulo ait, *Quidam*, quasi nõ digni

nomine. Erãt enim falsi fratres: & fortè ea de causa missi fuerant à B. Iacobo, vt Iudæorum vitaretur scandalum inde acceptum, quòd Gentes quæ veniebant ad fidem, non erudiebantur de lege: imo rumor sparsus erat, discessionem à Mose ab Apostolis doceri, & ita erudiri ipsos Iudæos, qui Gentibus permixti erant, vt in Act. Apostolorum pater, cap. 21. Quare B. Petrus nimis ab eis metuẽs, cum prius cum Gentibus gentili more conuersatetur comedens omnia, & non discernẽs iuxta legis decreta, illis aduẽtantibus cœpit se subtrahere à Gentibus, & ad morem iudaicũ reuerti. Vnde scandalum, & maius quidem eo facto scandalum (quod maxime animaduertendum erat) oriebatur: quia Gentes propter B. Petri exemplum adducebantur ad illas obseruantias. Sic enim se ab illis subducẽs (licet hoc faceret non ex animo tanquam probãs Iudaica) cogebat illas iudaizare, non qui eis verbo præciperet, sed illo facto & exemplo, cum talis esset, ad quem quasi ad viuam legem, & rectè viuendi normam omnes aspicerent. Dicit & illi simulationi consensisse cæteros Iudæos, qui scilicet sciebant rei veritatẽ: & (quod eum vehementius permouit) etiam Barnabam: de quo minime hoc erat putandũ, cum satis instructus esset ab ipso B. Paulo comite suo. Hic vide, quas in vtranque partem vires habeat Principis autoritas, vt non solùm vitia in se aut virtutes concipiant, sed & in ciuitates quoq; & subiectos populos infundat. Quia enim B. Petrus primus erat & pastor omnium, meritò in illum cunctorum oculi coniiciebãtur. Sed quid B. Paulus noster? Audi illum.

Quales principes, tales & subditi.

Sed cum vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus. Quid est quod ait, *non ambularent ad veritatem Euangelij*. Certè non existimandum est idem esse, quod nescire veritatem illam, aut errare circa illam mente & intellectu: sed potius non tendere opere ad illam. Hoc est enim ambulare, facto ipso & opere prouehi. Potest autem esse, imo euenit sæpissimè, qui intelligunt veritatem in vniuersali, eos non ambulare secũdum illam in particulari, quam ipsi facto non applicant. Et illud animaduerte quomodo illi dixerit coram omnibus: quia peccatum publicũ manifestè & palam arguẽdum est, vt præcipit scriptura, & ipse B. Paulus: & hoc, vt amoueatur scandalum. Peccantes (inquit) coram omnibus argue. Et audi quid dixit:

De correctione publica.

Si tu cum Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè: quomodo cogis Gentes iudaizare? Hic primùm nota, Gẽtiliter viuere (vt hoc in loco propter subiectam materiam accipitur) significat liberè, & sine vlla legis alligatione ad cæremonias. Vnde ait, *Et non iudaicè*, vt pro eodem habeat, *gentiliter*, &, *non iudaicè*: similiter intelligendo, *iudaicè*, pro superstitiosè viuere, & non secundum legis obligationẽ. Alioqui, Gẽtiliter viuere, in malam partem sumitur passim in scripturis. Apostolus enim alibi ait: Sicut Gẽtes quæ ignorant Deum. Et perpende argumentum Apostoli contra B. Petrum, vt ostendat illum non ambulasse ad veritatem euãgelij. Si tu, inquit, non seruas legis cæremonias, quas certò scis secundum euangelium esse antiquatas: & hoc agis existẽs Iudæus, quod longè est fortius, cum lex data sit Iudæis non Gentibus: neque potes id iure facere, nisi

2. Thess. 4.

scires legem esse solutam, & in Christo Iesu non esse vlterius Iudæum, aut Græcum, sed nouã creaturam. Quomodo inquam tu qui hæc omnia nosti, cogis nunc ad Iudaismũ Gentes, quibus nihil prorsus erat commune cum Mose, nec vnquam fuit? Hic est huius loci verissimus sensus.

Sed multa cum propter hæreticos, vt eorum vitẽtur errores, tum ipsius veritatis gratia, hoc in loco diligenter (pressiore tamen sermone) tractanda sunt, quò ipsa euangelij pura veritas pateat. Primùm ergo statuẽdum est, legem Moseos antiquatam fuisse per mortem ac resurrectionem Christi. Nũquid autem hoc omnino, vt etiam quæ ad moralia pertinebant, euacuata sint, & non solum cæremoniæ & iudicia? Respondeo: Si lex ipsa consideretur tanquam Moseos, quasi Moses ipsius sit promulgator & autor, omnino cessauit lex, & per omnia: quia nihil illius legis faciendum est nunc, quatenus Moses eam tradiderit, cum ipsemet Moses aduenienti Domino nostro & suo vero legislatori (qui est Christus legifer noster) cesserit. Qua in re primum ab hęreticis maximè distamus, qui impiè ac proteruè negant adesse nobis Christum legislatorem, contra manifesta scripturarum testimonia Isaiæ, & Fratris Domini, & alia plura, quemadmodum alibi diximus. Si autem de nudis præceptis legis per se fuerit consideratio, dicimus: Quæcunque moralia fuerunt à Mose præcepta, quæ includuntur in duobus illis præceptis charitatis, non cessasse, nec euacuata esse per mortem & resurrectionem Christi. In nouo enim statu positi maximè tenemur diligere Deum, & proximũ nostrum: & cuncta item agere, quæ pertinent ad horum implementum præceptorum, quæ decalogo continentur. Quod dum hæretici pessimi ac pernitiosissimi inficiantur, nonne contra vniuersam scripturam dogmatizant? Qui non diligit (ait Dilectus) manet in morte. Et quicunque non obedit præcepto charitatis, non possidebit regnum Dei. De cæremoniis autem & iudiciis, & nominatim de circuncisione, dicimus hæc omnino & per omnia euacuata: nec tenetur illis vinculis quisquam, nisi qui vult sponte astringi, ad propriam tamen damnationem. Illæ nanque cæremoniæ iam euaserunt mortiferæ: nec vllo pacto sunt cum puritate euangelij admiscendæ. Et quamuis ad tempus sint in Iudæis toleratæ propter infirmitatem eorum fidei, & lõgam assuetudinem: in Gentibus tamen nec ad horam. Tantummodo propter conuictum prohibitus est eis esus sanguinis & suffocati. Et in hoc etiam impingunt perniciosè hęretici, qui nunc liberas faciunt omnes cęremonias. Ideo aduertendum est magnopere, ne quis eorũ dolis se decipi patiatur.

Quomodò lex dicatur cessasse.

Adhæc: Quoniam in causis iustificationis, imo & in ipsa ratione iustificationis plurimum arq; pestilenter aberrant: Iccircò & hîc breuiter admonendus est lector, primùm ab illis rationem vocis huius peruerti cum dicant, Iustificari non esse iustum fieri, sed pro iusto reputari, idque per iustitiã Christi. Itaq; volunt eos qui iustificãtur, iustos esse (vt ita dicamus) imputatiuè tãtum: quoniã fide apprehẽdunt Christi iustitiam, qua fuit ille iustus, vt imputetur eis & per illam satisfaciant Deo pro omnibus peccatis quocũque tempore & statu ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

homine perpetratis. At catholica fides multò aliter hac in parte docet. Ait enim hominem infidelem & iniustum, qui nũquam fuit in Christo, per fidem gratis, non per opera legis quæcunque iustificari verè, non per imputationem: idque formaliter per donum iustitiæ quod infundit Deus, vt sit nobis inhærens, & per illud verè simus & dicamur iusti, & nõ solùm reputemur. Et insuper possimus per illud donum iustitiæ amplius iustificari ad effectum salutis. Quoniam & iustificari dicitur iustus, quùm per opera bona maius iustitiæ põdus acquirit, vt dignus habeatur corona iustitiæ, sicut mandauit Dominus dicens: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et dilectus dixit: Qui iustus est, iustificetur adhuc.

Matt. 5.

Apoc. 12.

Fatemur tamen hoc iustitiæ donum, quo verè iusti efficimur & grati Deo, obuenire nobis propter iustitiam & merita Christi, quæ nobis meruerunt hoc donum. Animaduertat igitur prudens lector & acutus, quantum attinet ad eam quæstionem, Vtrum ex sola fide, an ex operibus legis fiat iustificatio. Et primùm constituat hominem ex iniusto fieri iustum à Deo tantum, secundum causam effectricem. Quia ipse solus potest facere mundum de immundo cõceptum semine. Deinde consideret, dum hãc iustificationem Deus in nobis operatur, aliquid à nobis ab illo requiri. Et multum interest si quis ita quæstionẽ proponat. Quid requirat ab homine iniusto Deus, vt illum iustificet? An verò sic. Quid est illud quod in nobis operatur Deus, quo iusti sumus? Si quis enim ad primam quæstionem respondeat. Deus requirit ab homine iniusto (vt illum iustificet) fidem formatam, id est, fidem cum charitate: ineptè & falsò responderit. Qui enim charitatẽ habet, iam iustus est. Similiter si respõderit: Requirit opera legis vt iustificet, peruersè responderit. Ab iniusto quomodo opera legis bona fieri possunt? Rectè ergo respõderit, si dicat: Requirit Deus fidem synceram absque dolo, quæ continet ante actæ vitæ pœnitentiam, & votum sacramenti suscipiendi, & pactum Dei. Si enim sic dispositus homo fuerit, tũc à Deo iustificatur per infusionem iustitiæ.

Attende lector, quia in hoc consistit plurium fallacia.

Et tum succedit ista alia quæstio. Quidnam agit Deus in nobis? Et quid est illud quo formaliter iusti simus? Respondetur: Infundit Deus donũ illud charitatis & iustitiæ in corda nostra. Vnum est enim donum, & illud est quo propriè ac formaliter iusti sumus. Est autem qualitas cœlitus veniens informans animam, per quam tales efficimur, & nominamur. Et illa est per quã habiles reddimur ad faciendũ opera legis perfectæ. Dico legis charitatis, per quæ iustificati etiam amplius iustificamur. Prima namq; iustificatio est ad cursum & agonẽ: secunda ad brauium & coronam. Hæc est vera & catholica doctrina, quæ hæc signa gerit: Conciliat scripturas: conuenit cum sensu ecclesiæ: in prõptu habet vt resoluat omnes hæreticorum argutias: & fideliter suscepta facit animum quiescere.

Signa doctrinæ catholicæ de iustificatione.

Nunc redeamus ad propria loci huius. Difficultas in litera ea nascitur: quoniam Apostolus videtur iniquè B. Petrum reprehendisse de illo errore, de quo ipsemet poterat coargui, ac eò seuerius increpari, quãtò alios ipse tanta frõte, & ipsum principem Apostolorũ de eodem facto reprehẽdebat. Ecce enim in primis, Timotheum filiũ patris Gentilis, cum primùm illum secum assumpsit, propter Iudęos circuncidit qui illis in locis reperiebantur. Et de ipsomet B. Paulo legitur, quomodo rasit sibi caput in Cenchreis: quia votum habuerat. Adhæc suasu B. Iacobi, cũ postmodo venisset Ierosolimã, purificauit se more Iudæorum cum his qui votum habebant super se: & cætera cum illis visus est confirmare, quæ lex de Nazaræis præceperat.

Huius igitur argumenti efficacia motus B. Hieronymus, atque ex veterum sententia scribens, negat veram fuisse & seriam Apostoli Pauli in B. Petrum reprehensionem, sed fictam atq; simulatam, & in speciem propter Gentes: vt hypocrisis illa B. Petri, quæ valebat ad retinẽdum Iudæos, cum non parum obesset Gentibus, moderaretur hypocrisi Pauli, quæ pro Gentibus faciebat, in & Iudæorum præiudicium instruebatur, vt sic amborum simul collecta simulatio retineret tã Iudæos quàm Gentes in Christo. Quòd enim liceat interdũ officiosè simulare, sacræ literæ multis in locis permittere videntur.

Contra hæc B. Augustinus aliquot argumentis, & iis quidẽm validis insurgit. Primò: Quia si hoc admittamus, B. Paulum animo ficto & simulato in ea reprehensione vsum fuisse, duo sequuntur absurda. Alterum peccauisse illũ ita simulando: quoniam simulatio ista non poterat fieri sine culpa, cũ sub mendacio contineretur. Omne autem mendacium malũ est. Nec sunt facienda mala vt eueniãt bona, Apostolo ipso teste & iudice. Quomodo igitur tantus Apostolus fecisset contra doctrinam propriam? Alterum absurdũ istud est. Non solùm ipse B. Paulus illud agens cõuinceretur de mendacio, verùm etiã (quod est nephãdissimum asserere) scriptura ipsa similiter mendacij nomine arguerẽtur. Ait enim quòd Petro restitit in faciẽ. Si autem non verè restitit illi, sed simulatè: falsa inuenitur scriptura quæ ait, quòd restitit illi. Resistere nanq; simulatè, non est resistere. Bis igitur mendax inueniretur B. Paulus, qui tamen superius protestatus erat: Ecce (ait) coram Deo quòd non mentior.

Adhæc, ipsa quæ subduntur verba: *Quia reprehensibilis erat*, si sic habet litera, faciunt contra illud quod asseritur, simulatè reprehensum esse. Si enim erat reprehensibilis, cur simulatè reprehenditur ac non verè? Alioqui reprehẽsibilis iudicabitur, qui reprehẽdendi onus suscipiens, non tamen seriò reprehendat verè reprehensibilem. Adhæc, & ibi subdit se vidisse quomodo non rectè illi ambularent ad veritatem euangelij. Hoc autem verũmne est, an falsum? Si falsum: mẽtitur (quod vel pronunciare horreo) scriptura: & ipse tantus Apostolus iterum periurus inuenitur, qui dato iureiurando contestatus est se non mentiri. Si autem verum, non ambulasse eos ad euãgelij veritatem: An (quæso) tali in errore versabantur qui deberent simulatoriè reprehendi? Hoc si dicitur, nec verè nec rectè dicitur.

Neque verò sum nescius ad id quod legitur, In faciem restiti, quid responderi potest, quemadmodum B. Hieronymus secundum veteres exponit, vt sit idem dicere, in faciem, quod in publico, siue in specie, id est, non verè, sed apparẽter. Quam

responsionem (ni fallor) B. Augustinus non percepit. Sed hæc interpretatio minimè recipienda est, quæ reuera militat contra totum B. Pauli conatũ, qui maximè erat apud Gentes, vt persuaderet inutilitatem circuncisionis, & cæremoniarum legis. Qui si de ea re B. Petrum simulatè reprehendisset, nedum ea debere tolli, sed potius suo exemplo per suasisset seruari. Quamobrem (vt paucis concludam) hic intellectus omnẽ totius epistolę neruum infringit, si quis diligenter & rectè perpendat. Quænam præsentis (rogo) epistolę esset & tanti viri grauitas, in quo loquebatur Christus, & ipse coram Deo se loqui tam sæpe testatur, si confessus esset simulationibus esse fundata ac firmata? Præterea, Reliqua omnia quæ in epistola subduntur, huic interpretationi minime quadrant. Denique res ipsa & ratio satis demonstrat, in B. Petro maiorem ac prudentiorem aliquanto circunspectionẽ desideratam, dum suo facto atque exemplo cogeret Gentes iudaizare, cum id esset admodum periculosum, neque vllo pacto ferendum.

Quamobrem respondendum est iam argumentis. Et primùm quidem, quantum ad illud votum attinet, quo obstrictus dicitur torondisse sibi in Cenchreis caput, male opinor ad B. Paulum referri posse. Longè melius etiam secundum literam applicatur ad Aquilam, si rectè animaduertas. Nec tam facilè persuadebor B. Paulum habuisse huiusmodi votum. Illud verò quod purificauit se B. Iacobi hortatione, cum quibusdam Iudæis, ad nullũ pertinet scandalum Gentiũ. Propter Iudæos enim fecit citra vllam Gentium offensionem: quin verius illud probatum est, quod ipse de se prędicauit. Omnibus omnia factus sum vt omnes lucrifacerem: his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, non ignarus propter infirmos sic ad tempus gratũ fuisse Domino.

Maioris est momenti argumentum de Timotheo, qui erat ex patre Gentili. Nam par videtur & eadem ratio, quæ erat in Tito, qui cum esset Gentilis, non debuit circuncidi. Verùm non ab re scriptum est, matrem ei fuisse hebræam. Quia enim religionis fauore proles religiosum sequitur parentem, vt rectè colligitur ex cap. 7. ad Corinthios, vbi siue vir siue mulier sit infidelis, sanctificare dicitur per fidelem, vt filij non dicantur immundi. Item quia tunc nondum erat reprobata synagoga, sed in Moyse sola reputabatur, & in Christo etiam tunc Gentilitatem præcedebat: ideo computatus est Timotheus, & habitus inter Iudæos. Vnde & ab infantia (vt de illo ipse B. Paulus restatur) erat instructus in lege & sacris literis: quem B. Paulus fuisse Gentilem nusquam docuit, sed tãtum de patre hoc dixit. Titus verò qui merè Gentilis erat vtroque parente Gentili, ideo non compulsus est circuncidi. Quod vigilanter hoc in loco B. Paulus commemorans commonefacere nos voluit, non solùm dicens illum circuncidi non compulsum verùm etiam rationem adiiciens: Cum esset Gentilis: ac si dixerit manifestè. Si fuisset Hebræus, fuisset vtique circuncisus propter infirmos, vt cũ honore ad tumulum deferretur synagoga. Et hoc satis quod ad literam pertinet.

Contra primatum cir

Irruunt autem portæ inferi aduersus Petrã multis modis circa literam ex hoc huius epistolæ loco. Et quidam B. Petrum non habuisse primatum inter Apostolos nonnullis argumentis suadere nituntur. Nam, cum B. Paulus memoret columnas ecclesiæ, primò Iacobum, deinde Petrũ nominat: quod non fecisset, si Petrus princeps Apostolorum fuisset. Et nunc haberetur pro re vehementer absurda, si quis Carnalis ante Papam nominaretur. Secundò patere aiunt, non fuisse B. Petrũ vniuersalem Episcopum: quia illi credita fuit cura in circuncisionem, & Paulo in Gentes. Tertiò quia reprehenditur ab ipso B. Paulo. Non est autem minoris maiorem reprehendere, præsertim Papam.

ca literã ab hæreticis.

Adhæc probare nituntur quidam nequiores ex hoc loco, B. Petrum errasse in fide, vt concludant multò magis & Papam errare in fide posse (contra quam tamen conclusionem asseritur vniuersaliter à Catholicis, & recta doctrina) & hinc volũt sequi, Concilium esse supra Papam. Vnde & adiiciunt primum Apostolorum & seniorum Concilium, vbi Iacobus confirmat sentẽtiam Petri: imò ipse dicit se iudicare. Et ipsa pronunciatio fit nomine totius Concilij, & non B. Petri solùm.

Pro cuius rei intellectu, vt ordine respõdeamus ad obiecta. Primùm si iccirco arguunt, B. Petrum nõ habere primatum, quia illi antefertur Iacobus in litera, dum res exponitur: etiam dicerent Christum non fuisse primum respectu B. Pauli & Apollo: quia similiter postponitur, cũ (vt vidimus) narratur quosdam dixisse: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephas, ego Christi. Et quodã in loco beatissima Virgo post Apostolos memoratur. Sed dicet quis aduersum nos parum pius ac religiosus, qualis Erasmus, & Lutherus: Si hoc inualidum est argumentum, cur vos hoc vno maximè vtimini, quo statuatis primatum eius? Nam quia in cathalogo primus ponitur Petrus, illi ideo primatum asseritis. Sed ostendunt qui ita dicunt, se non percepisse vim argumẽti. Non enim doctores nostri ob eam tantùm causam arguunt fuisse primum B. Petrum, quia primò enumeratur: sed quia cũ primo loco enumeratus esset, & positus primus, etiã primus vocatur. Nõ ex hoc quòd positus est primus sed ex hoc quòd iam positus primus, etiam hoc nomine nuncupatur & honoratur. Dicit enim Euangelista: Primus Simon Petrus, ex quo eius primatum non ab re colligimus. Aliud est enim primò poni in narratione: Aliud eundem etiam asseri primum in dignitate & iurisditione.

1. Cor. 1.

Act. 1.

Matth. 10.

Quòd si quis etiam quęrat. Quare hic Petro prę ponitur Iacobus in narratione, nec est ei seruata sua dignitas? Respondeo. Non est præpositus Iacobus Petro, sed Cephæ, id est, homini illi, non vt erat Petrus & Papa, sed adhuc vt Apostolus circũcisionis: quoniam Iacobus erat episcopus Ierosolymitanus, & in hoc maior Petro, non considerato primatu illius. Consideret lector & probet si placet. Non enim puto B. Paulum hoc in loco nomen sine causa mutasse, vt modo Gentiliter Petrũ, modo syriacè Cepham nuncupauerit. Quod & dedit occasionem errori: quoniam inde putauerunt quidam (vt dixi) hunc fuisse alium quendam Cepham, non Petrum Apostolum: qui sic euadebant vt à blasphemiis potius, quàm ab argumentis Porphyrij sese vindicarent, B. Paulo arrogantiam obiectantis, qui ausus esset arguere superiorem. Sed

Cur Petro præpositus Iacobus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil necesse erat ad id comenti confugere, quod ex nullo scripturæ loco sulciri potest. Dicendum potius est, Nihil mirum si à principio in fauorem Iudæorum nondum reprobatorum, & nec dum statuta B. Petri cathedra firma, Iacobus eorum episcopus hac prærogatiua donatus est. Nam & ob istam causam non sine Dei nutu (vt existimo) Iacobi epistola inter septem canonicas primum sibi locum vendicauit. Vnde meritò B. Hieronymus (vt in epistola ad Rom. attigimus) in quosdam succensuit, qui inuertentes ordinem ab ecclesia antiquitus præstitutum, epistolas B. Petri præposuerunt epistolæ B. Iacobi, propter præexcellentiam Petri: non considerantes mysterium. Decebat enim prius doceri Iudęos ab episcopo suo: quoniam ipsi priores esse debebant in donis. B. verò Paulus doctor Gentium postposuit illos Gentibus, vt agnoscerenus & hac in parte mysterium ab ipsomet explicatum, post intratam Gentium plenitudinem, tunc omni Israeli salutem quoque adfuturam.

Cur B. Iacobi epistola prima inter canonicas.

Ad secundum rectè dicimus, minime se cum B. Petro comparare B. Paulum in autoritate & iurisditione: sed tantum in Apostolatus officio, & prædicationis cura, per Dei prouidentiam illis ita diuisa, vt B. Paulus inter Gentes magna operaretur: Petrus verò inter Iudæos. Neque enim fieri poterat vt B. Petrus per se prædicaret vbique. Vnde necessarium fuit vt curam Apostolatus partirentur. Nec per eiusmodi distributionem, autoritatē primariam & iurisdictionem à se auocauit. Reprehendit ergo Paulus Cepham, non Petrum, id est, illum vt peculiariter Apostolum Iudęorum nimis pro Iudæis zelantem: non autem vt Papā & omnibus superiorem, & curam omnium sibi creditarū ouium administrantem.

Ad tertium, Nihil prohibet minorem autoritate interdum superare maiorem, sapientia & prudentia. Et hac circunspectione dari multi doctores & aduocati possunt, scientia superiores multis iudicibus & iuri dicundo præfectis, nec tamē priores illis potestate ac iurisditione. Sic ergo reprehendit Apostolus B. Petrum, non tanquam antecelleret scientia, sed vt circunspectior, & ad scientiæ legitimum vsum rectius ambulans. Quod si arguatur (vt Porphyrius perfidus arguere non est veritus) de arrogantia Apostolus Paulus, cum eius non videantur esse partes, qui minoris sit autoritatis, maiorem reprehendere, præsertim tanta asperitate, & cum resistentia illa in faciem. Respondetur. Imò verò & potest, & debet fieri: verumtamē à persona idonea, cum res in perspicuum fidei prę iudicium vergit. Eo nanque tempore & casu omnes reddimur pares.

De officio Cardinalium.

Ob istam causam vult Deus summo Pontifici ad esse assistentes, & à consiliis graues scientia, omnique virtutum genere præditos viros (quos Cardinales vocamus) vt & eorum vtatur consilio si opus sit, & scientia, & admonitionibus: & dum res grauioris præiudicij occurrerit, etiam durius obsistant, eique in faciem zelo Spiritus accensi, si opus fuerit resistant. Nam Deus in egregium posteris exemplum permisit, vt id in tam magnis Apostolis accideret. Et Paulus quidem exemplum præberet zeli & fiduciæ, etiam ad corrigendum superiorem. Petrus verò humilitatis & resipiscentiæ ad recipiendum ab inferioribus factam correctionem, & ad mutandam sententiam.

Quòd si quis obiiciat, Non omnes Pontifices sunt Petrus, qui mansuetè audiant bona consilia, quùm volunt carni complacere & sanguini. Illud cogitare debet, nulli ab officio suo esse licitum desistere, propterea quòd alius non impleat suū. Videāt ergo ne illud, Væ, multos maneat quod Isaias ajebat. Væmihi quia tacui. Quæ nō rarò excusatio est declinās in peccata. Multa enim à Pontificibus facta nouimus indigniora, quibus si ij qui videtur columnæ esse, apertas suas sententias, & nasciturū inde scandalum opposuissent & erroris grauitatē, non lugeret pusillorum scandala pia mater ecclesia. Sed ferē omnia præpostero ordine conuersa sunt. Paucissimi sunt qui audeant: Plures qui veritatem Dei in iniustitia detinent: Assentatorum nō est numerus. Sed portabunt iudicium, quicunque sint illi.

Hoc vero in loco illud insuper notādum est, & ex ipsius Porphyrij annotatione corrigendum, notum fuisse, & sine vila controuersia receptum, B. Petrum fuisse Principem Apostolorū. Hoc enim sumit in argumento suo Porphyrius tanquā principium & dignitatem apud Christianos: quod nemo Catholicorum illi negauit. Hoc aduersus eos sit dictum, qui audent dicere hunc primatum fuisse ab Imperatoribus Romanis constitutum. Certum est enim Porphyrium, antequam vllus esset Imperator Christianus, in philosophiæ professione claruisse. Erat igitur, & fuit, & erit semper (velint perfidi) hoc constantissimum in ecclesia, B. Petri & successorum primatum, illis fuisse à Christo constitutum. Et vix vllus est alius fidei nostræ articulus adeo firmus & stabilitus, qui tot habeat testimonia ex Patribus, & ipsa quidem robustissima consuetudine atque vsu perpetuo.

Cōclusiones pro priuilegio Petri, & primā cathedra.

Porrò quod à quibusdam asseritur, B. Petrum in fide errauisse: & hinc educunt, Papam etiam in fide posse errare, Cogit nos hoc in loco plures cōditiones & B. Petri, & sedis eius, paucis perstringere ac reducere in conclusiones. Prima ergo sit. B. Petrus id est, illa B. Petri persona ex illo tempore quo fuit Pontifex, non potuit amittere fidem. Rogauit enim pro eo peculiariter Dominus, ne deficeret fides eius. Et ne putaretur rogasse pro sede illa tantum, non autem pro persona, vocauit eum nomine suo illo antiquo Simon. Sic enim ait B. Lucas, Ait autem Dominus Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribaret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Pro te, videlicet Simone particulariter. Et certè hoc decens erat, vt qui primus eligebatur Christi Vicarius, super quem ædificanda erat ecclesia, nequaquam vllo modo à fide posset deficere.

Luc. 22.

Secunda conclusio (quam ego veram credo) Sicut ille non solùm non potuit in fide deficere, ita nec errare in fide, id est, aliquam falsam conclusionem tenere, quæ pertineret ad fidem. Aliud est enim errare in fide: aliud est deficere in fide, vel à fide. Deficit homo à fide vel in fide, cum infidelis efficitur, & fidem ipsam negat & repudiat. Errare autem circa rem fidei etiam fidelis potest, dum tamen non sit in errore pertinax. Et licet ita res se habeat, non propterea existimo B. Petrum errare in fide potuisse, cum esset constitutus Domini electione magister fidei: & ab initio oportuerit sta tui perfectum pastorem ac magistrum, quæ essent fidei apprimè scientem: quia ex eius ore omnes oportebat illa accipere. Quin & de omnibus Apostolis hoc piè & cum magna ratione putandum est, vt non solùm non possent deficere, sed nec errare in fide: quoniam promissus erat illis affuturus veritatis Spiritus, omnem eos veritatem edoctutus.

Tertia conclusio. In actis & gestis B. Petri potuit esse aliquid (sicut verè fuit) quod non esset secundum scientiam suæ fidei, vnde posset aliquid scandali cōtrahi & erroris in aliis, circa ea quæ sunt fidei: quemadmodum in casu proposito accidit. Sciebat enim proculdubiò B. Petrus vniuersaliter legem iam esse per Christum impletam, & consequenter abolitas esse cæremonias. Nam hac de re plenissimè fuit à Christo instructus, vt constat ex visione lintei. Verum cum hac scientia illud quoque sciebat, ad tempus esse tolerandos Iudæos, ac velut pueros non de repentè ablactandos. Quin imò vt eleganti exemplo B. Augūstinus illustrat, & iuxta scripturas (quanquam Erasmus hoc fatuè atque insipienter irrideat, vt multa solet) erat synagoga cum aliquo honore ad sepulcrum efferēda, & cum fletu: sicut fleuerunt Moten Iudæi in cā pestribus diebus triginta, & Dominus sepeliuit eū vt eius memoria nusquam appareat. At Iosue non fleuerunt, sed ipsi sepelierunt eum. Quæ quidem historia inclusum gerebat hoc mysterium quod carnales Iudæi excœcati non vident.

In quo errat Petri.

Cum igitur ista optimè sciret B. Petrus, vt scandalum tamen vitaret, ferebat Iudęos suos in ea carnalitate manentes, ne infirmæ illorum fidei (quæ nondum solidas egerat radices) noceret, ob inueteratam ferē in illis cæremoniis assuetudinem, repentina mutatio. Itaque cum illis ostendebat se quodammodo legis esse obseruatorem. Sed tum in hoc versatus est errore, dum hanc pietatem atque indulgentiam, plus quàm ratio postularet, nimium produxit. Nō enim ex altera parte animaduertebat, cum Iudæorum infirmitati prospectum vellet. scandalum perspicuum à se porrigi Gentibus, à quibus se coram Iudæis subtrahens (quantumuis simulatè) ostendebat facto ipso atque exēplo, cum ipse talis esset (vt paulò ante diximus) ad quem omnes respicere, & à quo exemplum capere deberent, ostendebat, inquam, Gentibus verè legem retinere adhuc suam integritatem & vigorem, & seruandam ipsis Gentibus, cum viderent Principem fidei non communicare se illis ob istā solum gratiam, quòd nō seruarent legem. Et hinc ob istam quandam incircunspectionem, nascebatur in aliis error fidei, licet non in B. Petro. Et cum non esset hoc tolerandum mox à Domino Deo prouisum fuit per B. Paulū, qui huic malo occurreret, & resistendo mederetur.

Error ergo in B. Petro fuit cuiusdam incircunspectionis, non fidei. Ex illa tamen incircunspectione sequebatur error magnus in fide, non in ipso, sed in Gentibus. Hunc autem eo tempore minus animaduertebant B. Petrus & Iacobus, qui toti intenti curare peculiariter Iudæos, proprium ministeriū honorificare studebant. Sed zelus ille modetandus erat, qua aliis Christianis plurimum detrimenti afferebat. Animaduertit hoc beatus Paulus Gentium doctor, honorificās & ipse erga suos ministerium proprium, sed prudenter & cum æquitate. Neque verò existimādum, graue fuisse B. Petri peccatum: quia talis incircunspectio humana fuit, & ex bona charitatis radice profecta. Vitabat enim scandalum Iudęorum, ne periclitarentur immaturi adhuc, & in fide admodum teneri, qui Mosayci nominis eiusque legis tam citò obliuisci non poterāt. Atqui paulatim erant & cum magna moderatione ad integram euangelicæ veritatis puritatem suauiter pertrahendi. Quod siquis in bonam piæ interpretationis partem pendere voluerit, non magnopere mirabitur B. Petrum eò erga suos progressum fuisse. Euenire siquidem frequenter sapiētes homines considerarunt, dum quis diligentius atque perfectius vnum malum deuitare laborat, fieri vt in aliud nonnunquam improuidè impellatur: & talis ex rei angustia excusatur. Eò enim deducta iam res erat, vt alterum necessariò oporteret euenire ob quorūdam Iudæorum curiositatem & audaciam, qui clàm explorabāt & scrutabantur libertatem Apostolorum & Christianorum. Excusabilius itaque B. Petro fuit in eam partem pendere, ne illi scandalum pareretur, quorum curam gerebat. Quare vel nullum fuit B. Petri peccatum (quod rectius puto) vel admodum leue, & omni venia dignissimum. Imò quia ex mera charitate, & salutis eorum desiderio omnia illa faciebat, non dubito quin & ea parte quoque meruerit. Ne fuerit munificentior erga obstetrices Deus quæ ex officioso mendacio laudem ab illo & præmia retulerunt, non quidem de mēdacio ipso, sed de officio. cui tamen coniunctum fuit mēdacium. Pari pietate sentiendum est de B. Petro. Verùm quia illud factum afferebat magnum (vt diximus) præiudicium veritati fidei, quam ipse norat, & nō magnoperè (cogitatione ad Iudæorum vtilitatem abstractus) aduertebat, ideo reprehensum illum oportuit.

De quolibet autem alio Papa, præter B. Petrum, prima conclusio ista sit. Nihil prohibet Papam errare etiam in fide, ac deficere: Tametsi quidam nouitij scriptores ausi sint præter communem doctorum sensum, oppositum defendere. Quos ipsi libēter sequeremur, si cum ratione possemus: nec vlla nos reprimeret antiquorum autoritas. Nec enim nostra sapientia fingenda sunt priuilegia, vbi nequaquam sunt necessaria. Isti autem periclitari fidem putant, si contingeret errare Papam in fide. Quod longè ab est à vero. Non enim quisquam tenetur credere, quæ ipse Papa credit: sed quod ipse Papa profitetur & docet, ac mandat legitimè esse credendum. Non autem permittit Deus Papam vllum, etsi in errorem perniciosum inciderit, illū tamen de cathedra docentem confirmare, & mandare recipiendum tanquam rem fidei. Quinimò cum casus iste euenerit, Papam in hæresi lapsum fidem amittere, etiam ipsum simul cum fide amisisse papatum non est dubium, vt scriptura probat: quia infidelitas repugnat substantiæ tanti sacerdotij. Vnde dicimus, licet hæresis non palam appareat, ipso tamen iure eum desinere esse Papam. Gerere autem se pro Papa potest, & coram homini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus esse, donec manifestetur hæresis, vt deponatur. Et hic casus eiusmodi est, ob quem Papa potest deponi. Qua sententia non à Papatu excluditur (quo iam ipso iure ob perfidiam priuatus fuit) sed solùm ab administratione: quanquam Occhã, & Caietanus in libro de autoritate Papæ & concilij aliter docuerunt. Verùm Caietanus retractans hoc ipsum, aliter postmodo, & rectius scripsit, in opusculo de Primatu Petri ad Leonem Decimũ.

Secunda conclusio sit. Papa vt Papa, id est, sedẽdo, & legitimè (iuxta ritum vtendi claue scientiæ sibi singulariter commissa) determinando rem fidei, non potest errare, ita vt decidat aliquid contra fidem. Non autem datur iste casus ob singularem Dei prouidentiam, scilicet vt verus Papa, aut etiam qui per ignorantiam inuincibilem vniuersaliter putatur verus Papa, licet non sit, directè quicquam determinet, & proponat esse credendum ex fide, quod esset error. Quod priuilegium, sedis illius est, non personæ. Datum enim est illi, nõ quidem propter illum, sed propter ecclesiã. Sicut quilibet sacerdos sacrificans, si seruet ritum ab ecclesia præstitutum, intendens illud facere quod facit ecclesia, etiam si fuerit infidelis, sacrificabit. Nihil tamen prohibet (de Papa loquor) posse illum aliquid per modum statuti ac præcepti vel falsum, vel iniquum decernere, sicut nonnunquam accidit: ita vt inueniantur decreta Pontificum nonnulla & varia, & inuicem contraria. Sed quicquam ex fide credendum proponere, & asserere esse ex fide quod non sit ex fide, nec istud fecit vnquam, nec vllus Papa facere potest. Deus etenim hîc ne faciat assistit, non quidem propter illũ, sed (vt dixi) propter ecclesiam.

Duplex determinatio

Veruntamen seriò aduertẽdum est, duplici modo fieri posse determinationem. Et vno quidẽ modo, Verbo. Alio verò modo, Facto ipso & vsu. Sicut duplex est lex. Vna quæ consistit in dictando, & fit scripto, ita vt legi possit: Alia quæ consistit in moribus, quando quid consuetudine firmatũ est. Et quia nulla lex robur habet & vim præcepti, nisi iam firmata sit: Tunc dico non posse esse errorem in re determinata circa fidem, quando ita sit determinata, vel expressis verbis in modum sententiæ, vel consuetudine, vt vel clarè appareat, vel tacitè subaudiatur hoc præceptum, quod omnes ita credere & sentire debeant, sicut est determinatũ. Quare in proposito. Quia illud Petri factũ, si diutius fuisset toleratum, & sic versum in consuetudinem, tanquam vim legis obtinuisset (quandoquidem ab eo Pastore fiebat, cuius erat declarare, proponere, ac mandare cæteris, quæ sint credenda) Ideo non permisit Deus transire incorrectum, neinde sumeretur exemplum & efficax argumentũ pro re falsa in fide. Quanquam reuera illud non faciebat B. Petrus vt vniuersalis Pastor intendens obligare fideles, & illo suo facto determinare id esse verum, quod esse falsum sciebat. Sed quia ex facto illo colligi aliquo modo potuisset ille error ad fidem pertinens. Ideo Dominus cirò (vt diximus) occurrit per Apostolum Paulum. Qua in re declaratur prouidentia Dei magna, ne vllus possit error in ecclesia circa fidem obrepere, tanquam à Papa determinatus.

Quamobrem hic locus non solùm non seruit aduersatiis: sed contra, in nostrum potius fautorem torus conuertitur, qui falsam à Pontifice dari in fide determinationem inficiamur. Hæc igitur pauca si considerentur, etiam illud rectè intelligetur, quid sit: Papa errare non potest, id est, vt Papa vt doctor fidei, vt sedens in cathedra, & proponẽs aliquid, & præcipiens illud credendum esse, quod non sit secundum fidei veritatem. Ne autem illud faciat, aut potius ne illud efficiat, prohibet Deus, non propter ipsum (vt diximus) quem nihil vetat esse malum & errare, sed propter ecclesiam suam, in qua oportet esse illibatam fidei doctrinam, vtiusa verè intelligat & quid credendum, & quid sperandum, & quid per dilectionem operandum sit: quæ si non credat sic edocta, & speret, & operetur nihil habeat excusationis apud Deum, sed illa exprobatione opprimatur illi os, quam dixit Dominus. Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?

Pro assistentia Spiritus sancti primæ cathedræ.

Isa. 5.

Postremò, Quod producebatur de concilio antiquo, nihil prorsus facit in diminutionem cathedræ Petri. Neque ibi obstat B. Petri dictum à Iacobo confirmatum: quia illa confirmatio in discepta tione fuit, non autem post sententiam & definitionem datam. Nec obstat si ibi B. Iacobus dixerit: Propter hoc ego iudico, &c. quia est iudicium duplex, Vnum authoritatis & potestatis: Alterum verò certæ scientiæ. Hoc postremum scientiæ iudicium potest esse in multis, qui non sint Petrus, id est, Papa. Imò sæpe vsu euenit, dari posse aliquem Episcopo Romano longè doctiorem: qui talis habebit scientiam multò maiorem & clariorem, vt possit cognoscere & iudicare quod verum est, nec tamen propterea habebit scientiæ clauem, quæ secum fert decernendi potestatem. Alioqui considera (quæso) mecum stultorum insipiẽtiam. Si enim quia dicat B. Iacobus, Ego, iudico, intelligunt de iudicio iurisdictionis & potestatis: profectò hoc suamet ipsi sententia deferunt Iacobo, quod negant esse daudum Petro. Quo quid absurdius, cũ istud sit inauditum? Nam vbi, & quando accepit hanc Iacobus potestatem, vt iudicaret super alios?

Adhæc, patet sententiam eo tempore fuisse nomine vniuersæ synodi latam. Nec id vlla in re authoritati B. Petri quicquam detrahit. Nos enim defendimus in legitima synodo esse omnem authoritatem: quia in ea Petrus est semper: & à Petro, tãquam à capite, profiscitur. Et nihil virium illud habet, à quibusdã minus circunspectè adiectum: quoniam scriptũ est de Apostolorum collegio, qui miserunt in Samariam Petrum & Ioannem: vt sic eliciãt Apostolorũ collegium maioris fuisse quàm Petrum, qui ab illo mittitur, authoritatis. Mittere enim, authoritatem, & (vt ita dicam) maioritatem in mittente supponit: & econtrario in eo qui mittitur, inferioritatem. Nos verò respondemus, non quidem nonnullos imitati, qui negant hoc sumptum, cùm Spiritus sanctus mittatur à Filio, cui tamen est æqualis. Nam in his instantiis est saltem authoritatis maioritas. Maior est enim authoritate Pater quàm Filius: & Filius maior quàm Spiritus sanctus ratione originis. Sed responsio nostra hæc est, Petrum, siue Papam considerari multipliciter posse, videlicet, vt homo est, vt ouis Christi est, & vt quiddam pertinens ad ecclesiam, sicut vnumquodlibet aliud Christi membrum iuuando

Papa multipliciter considerat.

corpori obligatum. Et iuxta hanc cõsideratione haud dubium Papam synodo subiici, quia sibiipsi: & sic missus fuit à semetipso aliter atque aliter cõsiderato, vt minor erat & maior. Nã & dũ peccata sua confitetur, & potestatem dat audiẽti super se, minor est ea in re ipso sacerdote audiente, ac seipso vt Papa est. Denique verba quæ loquutus est in ea synodo B. Petrus, manifestũ eius primatum probant & magisterium, cùm in hunc modũ sit eloquutus: Viri fratres, Vos scitis quòd ab antiquis diebus Deus inter nos elegit per os meum audire Gentes verbum euangelij & credere. Quis hoc poterat dicere: Nam si poterat hoc alius, cur ille sibi hoc vendicauit singulariter de se testatus, & aiens, per os meum, & non dixit, per os nostrum? Cur Beatus Paulus hoc audiens tacuit, & honorare neglexit ministerium suum, cum tamen esse Magister & Apostolus Gentium, & non restitit illi in faciem, qui falsò sibi vni authoritatem decernendi absolutam arrogabat? An credendum in eo concilio talem vel ignorantiam, vel metum, seu assentationem erga Petrum fuisse, vt nullus prorsus errorem illum Petri auderet corrigere? Quæ cum absurdissima sint, & hæreticorum veteri odio sedẽ Apostolicam prosequentium commẽta, facile nos qui veritatem & amamus, & libenter defendimus, prorsus debemus contemnere.

Itaque dicendum, quæ B. Petrus proferebat, ea ad iurisdictionem sui Papatus attinebant, quam illi ab ipso Christo datam recenti memoria Apostoli ipsi, & tota plura illa ecclesia optimè nouerant: ideo assensere omnes penitus, & Petri determinationẽ amplexi sunt: quæ & ad Gentes transmissa, maximam eis lætitiam attulit, vt habetur in Act. Apostolorum. licet quidam illum locum inepta interpretatione frustrà eneruare nitantur.

Denique multis modis comparari potest Petrus ad alios, & ad ipsummet concilium. Erat enim ouis Christi: erat discipulus: erat sacerdos: erat episcopus: erat Apostolus: fuit etiam Papa, & Christi Vicarius: & in hoc cunctis eminuit. Circa alia verò vel æqualis fuit cæteris, vt in eo quòd sacerdos & episcopus. Nam æqualem paremque cum cæteris sortitus est potestatem. Porrò quis eorum maior fuerit in ministrando fortiter ac fideliter, non est nostrum (nec ad rem præsentem spectat) iudicare. In ipso quidem Apostolatu quoad dignitatem, par cæteris fuit B. Petrus: quoad fructũ verò & laborem, minor Apostolo Paulo, qui reliquos omnes laborum tolerantia & magnitudine vicit. At in Pontificatu vniuersali solus ipse cæteros præcedit: cui dictum est soli, Pasce oues meas. Et ideo ad ipsius tribunal deferuntur causæ maiores & vniuersales, vt eas cognoscat atque decernat. Ipse concilia cõgregat, ipse probat, ipse reprobat. Ipse canonizat scripturas, & reprobat. Canonizat veros sanctos, & reprobat falsos. Apostatas discernit ac hæreticos, & anathemati subdit. Ipse etiã doctrinas discernit, has cõmendans & recipiẽs, illas verò vel vt apocryphas repudiat, vel vt pestiferasetiam dãnat. Interpretatur cum authoritate scripturas: vt omnibus necesse sit eius interpretationem, quam facit determinando, recipere. Ipse regulas statuit Apostolicas. Ipse regulares vitas approbat: conuenticula autem noxia dissoluit. Ipse creat episcopos, confirmat, & (vbi opus est) exautorat. Reges de sede exturbat, cum eos rebelles & contumaces experitur, aut exurgentes aduersus veritatem summi omnium regis Christi. Hæc autem omnia in ædificationem, non in destructionem, de quibus (vt dixi, alius est, & proprius differendi locus.

Quæ sunt summi Pontificis propria.

Nos natura Iudæi, & non ex Gẽtibus peccatores. Sciẽtes autem quòd non iustificatur homo ex operib⁹ legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & nõ ex operibus legis: propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quòd si quærentes iustificari in Christo, inuẽti sumus & ipsi peccatores: nunquid Christus peccati minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me cõstituo. Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus. Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Non abiicio gratiã Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

Nos natura Iudæi, &c. Hoc in loco insurgit B. Paulus egregiè aduersus illam Galatarum persuasionem, qua erant à pseudoapostolis imbuti, oportere per omnia seruari legem Mosei. Arguit autem sic ab vsu magnorum Apostolorum, & ab eorum fide qui erant columnæ. Et hoc primum sumit tanquam certum, ipsos Apostolos summos & primarios legem non seruasse, cum tamen essent natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores, tamersi indigentes gratia Dei sicut cæteri. Nos, inquam, videlicet Apostoli qui electi sumus ad fundandam fidem, quos impossibile est aberrare propter verbũ Dñi, q dixit de Spiritu, quia docturus esset eos oẽm veritatẽ. f. pertinẽtem ad fundamẽta ecclesiæ. Nam fundamenta Dei oportet omnino stabilia esse. Nos igitur tales licet Iudæi simus, & natura quidem Iudæi, ad quos maxime pertineret seruare legem, nisi esset abolita: credimus tamen, id est, confidentiam nostram nacti sumus in Christo Iesu per fidem, non in obseruationibus legis. Et quare per fidem: nisi quia reuelante Christo sciuimus ex fide Christi nos iustificari, & non ex operibus legis: *Propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, id est, nulla caro. Caro enim non viuificatur, nisi per spiritum. Spiritus autem non venit nisi ex fide: iccirco ad iustificationem hanc nostram, quæ est iustificatio vera coram illo, nã coram hominibus, elegimus viam per fidẽ. Cum igitur hoc ex certa scientia agimus: non quidem perinde atque hi qui ex fragilitate non seruant mandata, sed scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: profectò vos qui debetis nos sequi, etiam absque scrupulo hoc debetis recipere. Vide igitur

Doctrina de iustificatione.

Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt rectè ab ipso Apostolorum facto arguit, quod à certa sciētia veniebat. Nā ad eos pertinet quod ait: *Nos natura Iudæi.* Non enim vniuersaliter poterat attinere hic sermo ad Iudæos: quoniam ad hūc intellectum falsus esset, propterea quod magna Iudæorum pars aliter sentiebat & seruabat, eorum etiam qui venerant ad euangelicam fidem.

Locus dignus intellectu, cōtra lutheranos.

Quod si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores, &c. Confirmat dictum, Christum reuera iustificare à peccato, & nullo modo Moseos legem, quæ potius operabatur iram. Pro cuius loci verissimo intellectu prænotandum est, quòd vera iustificatio quæ est per Christum in homine, operatur cum extinctionem peccatorū præteritorum, tum etiam facultatē operandi iustitias legis, & implendi præcepta charitatis. Hos autem effectus si non præstaret iustificatio, quæ in nobis est in Christo, ita vt homo existens in Christo adhuc inueniretur non habere extinctum peccatum ac per hoc adhuc inueniretur peccator, hoc est, peccati seruus, sustinens dominatum peccati: profectò sequeretur fuisse Christum peccati ministrum. Sic probatur. Christus Legislator nouus, in sua noua euangelij lege non solùm non aufert præceptum charitatis, sed vt perfectius seruetur, mandat, quàm mandauerit lex: & ipse præcipuè dixit, Non concupisces: quin & quasdam legis subtraxit licentias, ligans nos adhuc arctius ad minus concupiscendum.

Si ergo eadem & maiora imperat nobis Christus, & non iustificat: & non etiā adiuuat, vt quod imperat, fieri possit, peccati profectò minister est. Quandoquidem præcipiendo peccatoribus, vires peccati (quod superari non vult) exuscitat. Cúmque dominetur peccatum in homine, id efficit, vt fiat supra modum peccans ipsum peccatum. Talis ergo esset Christ⁹, qualis lex vetus olim, quæ iram illo modo operabatur: quoniam suo imperio ministrabat peccatum, mandans seruari præceptum, & non dans tamen, quo seruari posset, auxilium. Hoc idem & Christus faceret: imò etiā magis efficeret, si non per gratiam iustificaret, & consequenter non abstulisset peccatum, & non extinxisset illius peccati dominationem subministrando facultatem implendi præcepta charitatis quæ longè constituit grauiora quàm essent antea. Hoc autem relinquit Apostolus velut absurdissimum, & contra innumeras scripturas: quia scriptum erat per Isaiam, Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Et per Ieremiam, Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secūdum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cū domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribā eam, &c. Vbi perspicuè vides nouum promitti testamētum, & legem datam iri in visceribus eorum, & in corde eorum superscribendā. Similiter & per Ezechielem, vbi legis, Effundam super vos aquam mūdam, & mundabimini ab inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini, &c. hæc ibi. Vnde B. Paulus exclamans ait, *Absit*, scilicet vt non iustificet Christus, & ita nō auferat peccatum, gratiamque & facultatem bene operandi non donet: & ita ille sit peccati minister, sicut erat lex: quod est peruersissimum cogitatu. Probat autem, videlicet Christum si non iustificasset esse peccati ministrum. Et directè iugulat hic lutheranam insanissimam positionem, quæ vult per Christum in baptismo non tolli peccatum, sed solùm nō imputari. Et ita, modo non imputetur, destructum esse peccatum volunt. Sed audi Apostolum.

Isa.59. *Iere.31.* *Ezech.11. & 36.*

Contra Lutheri positionem, nō esse sublatū peccatum baptismo.

Si enim quæ destruxi. Hunc locum sic exponunt alij. Si enim quæ destruxi, videlicet legalia, credendo in Christum: illa iterum ædifico seruando illa, præuaricatorem me constituo: quia hac ipsa mea obseruantia declaro me non credere in Christū, sed illum & gratiam eius abiicere. Aut præuaricatorem me constituo: quoniam ab initio abieci legalia, quæ abiicere non debui secundum conscientiam meam, cum illa nunc repetam. Hoc autem velut absurdissimam rem penes Apostolos relinquit, vt modo aliqua destruant, modo iterum ædificent.

Alius tamen sensus profundior, & vicinius ad mētem Apostoli accedere mihi videtur, qui & cōtinet omnes alios: nimirum, *Si enim quæ destruxi*, videlicet per fidem & sacramentum. Quæ autē sunt quæ destruxit, nisi præcedentia peccata, quę destructa sunt in baptismo: & consequenter onera illa legis, quæ illi statui conueniebant? Si ergo ista *iterum ædifico*, id est, si iterum pecco: quod necesse mihi est, si non iustificor ex fide, & nō renouor mente. Peccato enim in me dominante cogor necessariò redigi sub illo captiuus, ac propterea in opera praua iterū atque iterum, & continuò relabi: propterea prēuaricatorem me constituo. Ille enim est præuaricator, qui committit in eam legem, quam sibi nouit esse præscriptam. Præuaricationem autem mors sequitur & dānatio. Ergo Christus qui venerat vitam daturus, inuenietur minister peccati: & propterea non ad vitam, sed ad mortē, & quidem maiorem mortem venit. Nam maioris præuaricationis reos nos constitueret: cùm longè sit iniquius & grauius post agnitam veritatē iterum sanctum transgredi mandatum. Alia igitur hostia desideraretur pro nouo peccato. Tacet autē quod alibi expressit, post primi status mutationem, si denuò voluntariè præuaricemur, non superesse amplius hostiam pro recidiuo. At cum hoc (vt manifestè absurdū & falsissimū) sit explodēdum, addit:

Heb.7. & 10.

Ego enim per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam. Hæretici hunc locum quo valdè premuntur, variè exponunt. Lutherus sic, quòd per legē, scilicet gratiæ & fidei, erat mortuus legi simpliciter, id est, omni legi: quia legem gratiæ non vult esse legem, sed nudam promissionem, & eius apprehensionem per fidem. Verùm quoniam hoc durum erat & satis perplexum, Burlingerus quidam, per legē intelligit eandē legem, vt sit sensus: Ego per legem illam,

illam, quæ mihi dicit se esse inutilem ad iustificandum, ipsi legi sum mortuus, vt Deo viuam.

Sed verus sensus est: *Ego per legem*, videlicet nouam gratiæ, qui est ipse Christus, *legi mortuus sum*, legi nimirum Moseos: quia iustificatus sum per Christum. Qui enim talis est, nouus homo est, nō sub lege, id est, sub legis imperio & subiectione: & ita mortuus illi. Lex enim in homine dominatur quandiu viuit. Mortuus ergo, non est sub lege illa: quia sic mortuus, iustificatus est à peccato, id est, à debito quo ipse obnoxius erat ipsi peccato, vt esset sub eo: cum sit scriptum. Qui facit peccatum seruus est peccati. Et cum iam sit iustificatus à peccato, etiam non inuenitur sub lege. Ille enim sub lege est, qui quæ iubet lex aut timore facit, aut etiam transgreditur: vt sic supplicio legis subiaceat & maledicto. Hic autem omnis maledictus & seruus, ad quem data est lex illa Moseos, quæ non est posita iusto, sed iniustis & contumacibus, vt testatur Apostolus. Christi autem lex econtrario, posita est iusto: imo ipsa facit iustum.

Ioan.8. *1.Tim.1.*

Et propterea per hanc Christi legem homo Iudæus moriebatur legi Moseos, illi videlicet legi minitanti, atq; imperiosè iubenti ac seuerè, vt quæ peccatorum inuenerit, & rebellem, atque osorem boni, quæ alligabat illos miseros Iudæos, veluti pedagogo errones, & rectam disciplinam fugitantes pueros.

Ideo autem mortuum se legi ait & peccato, vt consequenter Deo viuat: quoniam conformatus erat Christo in cruce, qui mortuus est vt viueret Deo, id est, in gloriam eius, vt Vnigenitus. Viuere autem Deo (quod ad nos attinet) est per seruitium & obsequium charitatis ingenuum ac liberale, præcepta eius seruare, & illustria opera facere, vnde Deus glorificetur. Et qui eo spiritu agitur, verè Deo viuit. Quamobrem verissimum fit me præuaricatorem constitui, nisi quæ iubet lex gratiæ seruauero viuens Deo. Non enim quia non sub illa Mosaica lege viuimus, sed sub gratia, soluti propterea ab omni lege sumus, vt isti exleges blaterant: in quo est maximus & intolerabilis error. Superest enim nobis lex fidei, & gratiæ, & euangelij, sub qua sumus non vt peccatores, sed vt iusti: non vt inuiti, sed vt volentes quod ipsa lex vult: quæ similiter imperat charitatem, & illam edicit nobis, & similiter præcipit: Non concupisces. Sed hoc ipsum quod edicit, etiā ipsa efficit: quia in corde nostro spiritus est charitatis, qui deprecatur ad optima, & simul illa nobiscum operatur.

Maximus Lutheranorum error.

Cum ergo ait Apostolus: *Ego enim per legem legi mortuus sum.* Christiani personam induit, & Christi legem, quæ est charitas collaudat, quæ data est in cordibus nostris. Hæc facit hominem legi timoris mortuum. Neq; enim hæc duo simul stare possunt, timore incedere, & amore: minis, & blanditiis: spe terrenorum, & spe cœlestium: ligatum vinculis, & solutū: oppressum carne, & spiritu leuem esse atque expeditum. Lex Christi lex est amoris, quæ me legi timoris mortuū facit, vt non iam metu verberum vitem malum, & operer bonum: sed desiderio & amore iustitiæ. Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ. Oderunt peccare boni, virtutis amore. Vnde & B. Ioānes. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Lex Christi, lex libertatis est, quā constituor pristinæ legis seruituti mortuus. Homo ipse donec peccator est, seruus peccati est, id est, concupiscētiæ suæ, cui obtemperauit. Sed qui per legem Christi liberatur ab isto peccato, seruus factus est iustitiæ, quæ seruitus est ingenua. Hæc necessario declaranda, & sæpius sunt inculcanda: quia vulgo non intelliguntur.

1.Ioan.4.

Prædicatores hoc obseruent.

Lex ergo Christi quæ habet verba præmiorum æternæ vitæ (vt ait B. Petrus) constituit me mortuum veteri Mosaicæ legi, quæ temporalia promittebat, in quibus non consistit vera spes. Vera enim spes verè ardua respicit: & hæc sunt æterna reuera. Nihil temporale, præ iis quæ sunt æterna, excelsum atque arduum videri debet. Lex itaque Christi, quæ est lex veritatis, & veri corporis, legi mortuum me facit quæ habet figuras & vmbras. Lex Christi, quæ est perfecta, & perfectam præcipit charitatem, euacuat quæ sunt imperfectionis & adhuc paruuli. Quo fit vt legis remissiones, & indulgentias circa carnem: vt in diuortiis: in pluralitate vxorum: in odio inimicorum: in vindicta huius mūdi, ferre non possit. Ob eam causam Dominus. Audistis (inquit) quia dictum est antiquis, &c. Lex Christi quæ spiritum habet & rendit in Deum, non indiget tot vinculis & oneribus cæremoniarum, quibus astringatur homo, aut opprimatur ne in deteriora labatur. Ideo mortuus est illi legi onerosæ, & ea alligantī, quę illorum patres portare non poterant, vt non detineatur sub illis, velut puer & seruus, sed expeditè ab his liber factus seruiat Deo. Denique lex Christi viuax est & potens ad operandum, vtpotè in corde expressa, non tam ad sciendum (Nam & hoc facit naturalis lex, habens suum dilectionis Dei & proximi præceptum) quàm etiam ad operandum. Dat enim vt illa perfici possint, quæ ipsa iubet: quicquid dicant stultissimi hæretici. Omnia enim possum (ait Apostolus) in eo qui me confortat. Hæc igitur lex interna eiicit legem quæ foris est, quæ solùm dictat quid est faciendum: & dictat homini in carne, non in spiritu existenti. Dictat tamen spiritualia, sed quæ operari non valet. Et per hoc verissimū vides, eum qui in Christo est, per Christi legem mortuum esse legi, cui vlterius non viuit, sed viuit Deo. Viueret autem legi, si illam adhuc comminantem haberet, & veluti inuito dominantem. Tunc lex vt bona laudaretur & sancta: & vituperaretur homo, vt malus, & legis bonæ ac sanctæ præuaricator.

Matt.5.

Qui diligit veritatem, vide vt hæretici confutentur.

Christo confixus sum cruci. Ex crucis mysterio, quasi in quadam figura, rem totam exponit. Sic enim imaginari oportet, talem fuisse hominem ante acceptam iustitiam, quoad conditionem peccati & mortis, quæ venit ex peccato, qualis fuit ipse Christus antequam cruci affixus esset, respectu vitæ corruptibilis & mortalis. Gessit enim typum peccatoris, & peccati. Sicut ergo Christus dum ista vita viueret, expositus fuit passionibus carnis huius, & corruptioni vitæ mortalis, antequam cruci confixus esset & expirasset: Ita sese habet homo in statu naturæ suæ lapsæ respectu vitæ peccati: quia in eo peccatum viuit, & ipse viuit peccato fructificans illi ad mortis damnationem.

Figura Christi, & hominis peccatoris.

At si ingressus in Christum semel affigitur cruci

Universidad de Deusto
Biblioteca

(quod fit per fidem & sacramentum) statim mortuus est peccato, postquam satisfecit illi Dominus per mortem cùm non teneretur, & non vlterius vixit illi: quia vitæ huic terrenæ non vltra est addictus. Hoc est enim viuere Christum peccato, scilicet tandiu viuere donec sit peccato satisfactũ. Post vixit, & viuet in sempiternum Deo, qui gloriosus & gratiosus apparet in conspectu eius, non quasi inimicus sub ira, sed amicissimus sub gratia: nec amplius moriturus pro vllo peccato, sed regnaturus in eius gloriam sempiternam.

Talis ergo esse debet omnis qui Christum semel indutus est, & cum eo confixus cruci, vt mortuus inueniatur peccato, & legi peccati: & tollantur omnia quæ erant vetustatis (vt iam diximus) dominatus peccati, & legis timor, & cętera imperfectionis commemorata: & viuat homo Deo, seruiens illi in iustitia & lætitia, cum timore tamen illo sancto, qui cum amore coniungitur, & dicat cum B. Paulo. *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus.* Quid est dicere, *Viuo ego, iam non ego*, nisi duos Adam esse considerãdos, veterem scilicet carnalem, & nouum spiritualem? Et quòd homo in natura sua positus, est in veteri homine, qui vetus homo de suo infundit in eum quæ sunt concupiscentiæ, & peccati, & mortis? Quamdiu enim sic se habet homo ipse, dicitur viuere per eam vitam quam habet ab veteri homine: quoniam sic operatur vt habet in iis principiis à vetere homine acceptis. At vbi semel Christum crucifixum induit, hic idem homo mortuus inuenitur secundum id quod erat prius, & fit noua creatura: quia resurgit in Christo, & nouæ atque alterius vitæ habet principia, quæ sunt infusa dona. Dilectio etenim ipsius Dei in illo est: & sic viuit, non iam ille prior quasi in veteri homine existens eiúsque influxus recipiẽs, sed quasi in nouo: vt ipse nouus homo dicatur viuere in eo per principia gratiæ & dilectionis, quam misit in illum Christus, sicut vitis in palmitem. Hoc est ergo quod ait. *Viuo ego, iam non ego*, id est, non talis qui eram prius, in quo operabatur vetus homo, sed vt nouus homo Christus. Qui enim in Christo est, aliquo modo & ipse Christus est: atque sic optima ratione appellatur ab Apostolo, cum sit Christus in eo per suum donum Spiritu suo in eum impressum, in quo dono expressius est Christus. De huiusmodi vita dixit Dominus aliquando: Adhuc modicum, & mundus iam me non videt. Vos autem me videtis: quia ego viuo, & vos viuetis. Ac si dixerit, per me viuetis: quia ego vita sum, qui & mittam de Spiritu meo in vobis, vt maneat, & sic vos inseret in me illa vera vite, per quam palmites, qui in ea manent, viuunt. *Ioan.14.*

Quod autem nunc viuo in carne: in fide viuo Filij Dei, &c. Ad hunc sensum est hoc intelligendum. Videbatur non posse hominem, dum in his est corporis compagibus inclusus, vitam habere, vitam scilicet gratiæ: quia caro ista cum sola carnalia concupiscat, non est eiusmodi vitę susceptibilis. At homo qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo. Et sic licet in carne ista adhuc concupiscibili sit quodam modo positus: quia tamen spiritu mortificata est, non viuit in eius concupiscentia, sed in fide Filij Dei. Ex fide enim super quam ædificatur charitas, Deo iungitur qui est Spiritus, vt sit vnus spiritus cum illo: & ita non est vlterius in carne dicendus, sed in spiritu. Essentia nanque nostra ex ea parte iudicatur, quæ vincit. Si enim in homine caro vincat, dicitur ille homo esse in carne, vel esse caro. Sin autem spiritus superat, dicitur esse spiritus, & in spiritu. Propter quod scriptum est: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem iam in carne non estis, sed in spiritu: si modo Spiritus Dei habitet in vobis. Fides ergo quæ est æternorum, eximit nos à carne, ne eius concupiscentiis succumbamus ob spem meliorum, quę dantur nobis per Christum, cuius gratia exigitur fides in illum. Nam ipse est via & veritas, & vita nostra æterna. Porrò alienum omnino esset habere quenquam vitam, & nõ credere in eum qui est ipsamet vita, & vitæ illius author, quã speramus, & per quẽ illam obtinemus: præsertim qui tanto nos amore est prosequutus, vt tradiderit in mortem semetipsum pro nobis. Vnde ait: *Rom.8.*

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, id est, loco mei. Ego ipse meritò mortis supplicijs tradẽdus eram, non ille. Aut potius, *pro me*, vt mihi ad veram salutem prodesset: Vtrunque enim verum est. Nam loco nostri nostras suscepit pœnas: vt sic peccatum nostrum diluerет. Itaque tanti beneficij gratam se habere memoriam ostendens Apostolus, tandem concludit:

Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia: ergo gratis Christus mortuus est. Nihil locus hic continet difficultatis. *Non abiicio* (inquit) *gratiam Dei:* quod perinde est ac si dicat. Non confido in lege, nec in Mose, vt nãcisear iustitiam: quoniam sic abiicerẽ gratiam Dei, quæ obuenit nobis gratis per Christum. Hoc enim iustitiæ donum gratis nobis donatur: ideo & gratia Dei iure dicitur. Lex quidẽ per Mosen data est (vt testatur B. Ioannes) Gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Neminem verò lege Moseos iustificari, clarum ex eo est: quandoquidẽ si ita se res haberet, Christus gratis esset mortuus. Cur enim oportuisset eum mori, si iustitiã, id est, donum illud quo quis fit iustus, operata esset lex in ipso homine, vt coram Deo vere viuere posset? *Ioan.1.*

Hic nota pie lector, quàm perpetuò & calumniosè nos accusent hæretici, qui contra Apostolum nos docere vociferantur, per obseruantiam legis obtineri donum iustitiæ: quod nullus vnquam Catholicorum vel somniauit. Etenim B. Augustinus, & doctores catholici omnes, & vniuersa Christi ecclesia semper docuit, Neminem posse suis viribus à peccato resurgere, nec quicquam agere quod mereatur tantum iustitiæ donum, cum excedat omnem humanam potentiam. Alioqui gratia, quam prędicat omnis ecclesia, non esset gratia. Non igitur in hoc est neruus disputationis, & controuersiæ status inter nos & illos: sed in aliis, quæ notata sunt. *Calumnia hæreticorum in Catholicos.*

CAP. III.

INSENSATI Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorũ oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus? Hoc solũ

à vobis volo discere: Ex operib⁹ legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, vt cùm Spiritu cœperitis, nũc carne cõsummamini? Tanta passi estis sine causa? si tamẽ sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptũ est: Abrahã credidit Deo, & reputatũ est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat Gẽtes Deus, prænuntiauit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicẽtur cũ fideli Abraham. Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptũ est enim: Maledictus omnis qui non permãserit in omnibus quę scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit. Lex autẽ nõ est ex fide: sed qui fecerit ea homo, viuet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptũ est: Maledictus omnis qui pẽdet in ligno) vt in Gẽtibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

O *Insensati Galatæ.* Iustæ reprehensionis verbum & correctionis, quasi Magistri & Præpositi. Alia enim ratione nemo potest hoc dicere fratri suo: cui iuxta sententiam Domini, si dixerit, Racha, reus erit concilij. Et si dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Eo spiritu Dominus gratia correctionis dixit: O stulti & tardi corde. Et alibi: Adhuc & vos sine intellectu estis? Adiecit & hoc verbum, *Galatæ*, alludens ad ethymum vocis (B. Hieronymo teste) quasi essent negotiatione quadam transmutati. Deinde quærit: *Quis vos fascinauit?* Oculus debilior per potentiorem oculum, dùm in eum attentius intenditur, fascinatur. Eiusmodi passio est puerorum propria, ab iis qui malos habent oculos. Mira enim quadam vi afficiuntur, vt fascinentur. Sic accidit & in his qui pueri sunt sensibus circa ea quæ fidei sunt. Fascinantur enim oculi horum puerorum ab oculis nequam hæreticorum, si sese inuicem offendant. Fortior nanque oculus est hæretici, qui præoccupat quodam modo, & depressum reddit infirmorum intuitum. Caue ergo ne oculum suum in oculum tuum ille figat, vt eum sua malitia informet. Si enim oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. At si nequam fuerit, etiam corpus tuum fiet tenebrosum. Caue inquam, & diligentissimè: quia in eius oculo malum est, & præstigium. *Matt.5.* *Luc.24.* *Matth.18.* *Qui fascinentur ab hæreticis.* *Luc.11.*

Ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est. Quidam legunt, *præscriptus*, Et sensus erit. Vsque adeò fascinati estis, vt præscriptum vobis ante oculos Christum non videatis? Hic sensus licet sustineri possit, non placet tamen: quia alius videtur illustrior. Alius ergo sensus est, eo fine fascinum factum esse, vt Christus sit illis proscriptus, id est, damnationi datus quasi ex demeritis, sicut facinorosus quidam: quales olim proscribebãtur, qui rei deprehendebantur criminum. Hæc intelligentia à B. Ambrosio probatur & Augustino, vt rectè subdatur. *In vobis crucifixus.* i. ille qui in vobis crucifix⁹ est, vt perire faceret peccatũ, iam proscriptus manet, ita vt nihil operetur in vobis, si re⁹ mortis suo met peccato punitus est, & nõ ad iustificationem vestram. Aut sic potius, *In vobis crucifixus*, id est, nõ solùm proscriptus est vt reus, verùm etiam in vobis crucifixus, vt non viuat & resurgat.

Hoc solum à vobis volo discere. Vult probare illorum amentiam. Probatio autem in hoc sustentatur: Amentis est tum putare aliquid esse necessariũ consequendæ alicuius rei causa, quando appareat iam eam sine illo obtentam esse. Ipsi enim Galatæ præsupponuntur quærere salutem & vitam, quæ est à spiritu. Spiritus est enim qui viuificat, & iustum facit, & comporem salutis hominem. Supponit etiam ipsos accepisse Spiritum Dei, quemadmodũ tunc patebat in donis eius: quia loquebantur linguis, & prophetabant. Quærit ergo B. Paulus: Hunc Spiritum quem iam accepistis, & cuius certa signa sensistis, nunquid accepistis ex operibus legis, an ex auditu fidei? vt subaudias: Non ex operibus legis, sed ex auditu fidei. Et hinc concludas insignem illorum stultitiã, quam honoris gratia suppressit, quæ erat: Stultè ergo & insipienter id quæritis habere per legẽ, quod iam habetis per fidem & gratiam.

Sic stulti estis. His verbis perficitur stultitiæ probatio à peruersitate ordinis. Hic nimirum rectus est ordo, vt à carne in spiritũ transeatur: non econuersò, à spiritu ad carnem redeatur, vt alio in loco: Nõ prius (ait) quod spirituale est, sed quod carnale. Lex autem eo pacto data est carni, vt promoueret ac proficeret in spiritum: cum videret homo carnalis se eam legem implere non posse, quãdiu in carne existeret. Nõ autem data est spiritui: quia iusto non est posita lex, videlicet illa dominans & minitans. Cum igitur sic se ordo habeat: Videte, ait B. Paulus, quàm stulti sitis, vt cum cœperitis spiritu, velitis carne cõsummari, seu perfici. Quod sanè est peruersissimũ: quoniam caro non potest possidere regnum Dei. Nam homo nedum carnis ipsius societate ad promouenda spiritus opera iuuatur, sed contra prorsus infirmatur per carnem, ne possit iustificationem, quam lex exigit, consequi. *1.Cor.15.*

Tanta passi estis sine causa? Additur illud ad exaggerandam stultitiam, cum labor aliquis magnus, qui ob fructum assumptus est, redditur frustra & inanis ex propria stultitia. An non insensati est, sine causa velle sustinuisse pericula & passiones, cum eas potuisset cum fructu subire? At qui carne consummaretur, amittit spiritum: & ideo sine causa passiones & persecutiones sustinuisset. Temperauit autem dictum Apostolus, ne in aliquam desperationem illos coniceret, & ait. *Si tamen sine causa.* Ac si dixerit, potest esse non sine causa, si tamen resipiscatis, ac stabiles permanseritis in prædicata, & à vobis recepta euangelij veritate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, &c. Arguit eadem argumenti vi paululum immutata. Nam superius ab ipsismet qui spiritum acceperunt, deduxit argumentum. Nunc verò ab ipso datore spiritus arguit. Licet enim ipsemet Spiritus sit dator munerum: per homines tamen dat illa, velut per ministros & instrumenta quædam. Quærit ergo. Ille qui vobis tribuit Spiritum, & virtutes operatur. Verecundè semetipsum insinuat tacens personam suam, qui operabatur magnas virtutes in Gentes, & illas quidem non ab obseruantia legis, sed à Spiritu fidei. Nam Apostolus manifestè non seruabat Moseos legem. Operabatur ergo illas virtutes non ex operibus legis, sed ex auditu fidei: quia & ipse audiuit & credidit, propter quod & loquutus est, vt ad Corinth. superius (vt vidimus) testatus est. Vnde addit exemplum. *Abraham (inquit) credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Possumus aliter hunc locum intelligere: & hoc ad ipsum Deum referre, qui illa contulit Apostolis & Gentibus charismata, non ex operibus legis quæ fecerunt, sed ex auditu fidei. Quoniam qui ea signa & virtutes faciebant, vel ex Gentibus erant, qui non habebãt Mosaicam legem: vel ex Iudæis, qui iam illam non seruabant.

Sed cũ ex hoc loco hæretici moueantur ad contemnenda opera, & mercedem operum, nolentes sano intellectu scripturas intelligere: considerandum est subtilius, & clarum fiet eos ex ipso hoc loco egregiè confutari. Dictum est enim à Deo Abrahæ: Noli timere Abrahã: Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Et post hæc scriptum est: Credidit Abrahã Deo, &c. Hic primùm fidem agnosce, quæ habet obiectũ suum promissionem æternorum. Dixit enim Deus: Ego merces tua magna nimis. Ex illa igitur fide, agnosce iustificationem primam sine vllis præcedentibus operibus gratiosam. Sed nondum est merces illi fidei: quia merces ibi promittitur, non redditur. Cum autem merces promittitur, opus exigitur (vt Apostolus ad Rom. testatur) & ipsa vis vocis apertè declarat. Iustificatio ergo illa prior non fuit ex opere. Non ergo erat merces adhuc, quæ datur operibus. Sed quia promissa est ibi merces, etiã opera expectanda erant, quæ sequuntur fidem, vt daretur mercedi locus. Iustificatio enim plena quæ secum habet mercedis debitum, ex operibus perficitur: & merces ipsa tunc post finem laborum redditur: quod nolunt hi perfidi.

Nota.

Cognoscite ergo quia qui ex fide, &c. Ratio hæc substentatur in hoc: quia filiis Abrahæ repromissus est spiritus & hæreditas, sicut erat scriptum. Et ne deciperentur, credentes hanc filiationem esse secundum carnem intelligendam, ait: *Cognoscite ergo*, ac si dixerit: Intellectu spirituali percipite, ipsum Abraham ex fide factum esse patrem eorum qui fide illum imitarentur. Et sic illi qui ex fide sunt, ij filij Abrahæ sunt, & non Iudæi tantum. Est autem tropus Hebraicus, Esse ex fide. Sicut & dicitur, Esse ex veritate, Ex lege, Ex carne, Ex contentione, & huiusmodi. Nam ex his quendã modum essendi varium declarat, coram Deo considerabilem. Ergo illi sunt filij Abrahæ, qui sunt ex fide, id est, natiuitatem suam obtinuerunt ex fide, vt sint quodam modo noua creatura. Quod etiam authoritate è scripturis petita sic probat.

Prouidens autem scriptura, &c. Argumentum sic componitur. Hi sunt filij Abrahæ, ad quos pertinet illa data Abrahæ benedictio. Illa autem data Abrahæ benedictio pertinet ad omnes omnium nationum Gentes, quæ cõsideratæ sunt in ipso Abraham, velut filij eius. Sed non erant omnes Gentes prodituræ ex Abraham secundum carnem, sed vna Gens tantum, illa nimirum Iudæorum. Ideo oportet considerare Abrahæ filios alio modo, quã secundum carnem. Igitur secundum spiritum, qui datus est ipsi Abrahę, vt esset pater multarum Gentium, non vnius Gentis tãtum. Datus est autem illi spiritus non ex operibus legis, cum lex nondum esset: nec ex operibus absolutè quibuscunque, sed ex fide, vt ait scriptura. Ergo & hoc similiter de filiis est dicendum, vt in illa benedictione concludantur. Vnde bene & efficaci ratione cõclusit Apostolus noster, & ait:

Igitur qui ex fide sunt, id est, qui ex fide facti sunt noua creatura: *benedicentur*, id est, spiritualibus donis ornabuntur, *cum fideli Abraham.* Et nota quod ait. Prouidens scriptura, &c. vt ostendat hoc esse propheticum. Quia enim semel Deus statuit iustificare impios ex sola fide: & vidit venturas ad se per fidem Gentes, quo facto imitaturæ erant Abraham patriarcham illum. Ideo prænunciauit in eo esse benedicendas: quia vidit & Abraham similiter crediturum, & propter eximiam eius fidem, velluti patrem fidei futurum, hoc ipso quòd in ea suscipiẽda daret exemplum omnibus. Et postquam probauit dari spiritum filiis Abrahæ ex fide, sicut prius datus est ipsi Abrahæ patri, etiã amplius probare contẽdit, per legem econtrario non posse dari spiritum, sed ex ea potius maledictum legis venire: quod sic probat:

In confusam hæresim eorum declinant.

Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Dicitur ex operibus legis esse (iuxta tropum scripturæ) qui in ea substantia vel essentia est, qualem legis opera constituunt. Homo enim si legis opera fecisset (quod tamen non poterat, nisi ex fide prius esset iustificatus) ex suis illis operibus habere gloriam poterat apud homines, non apud Deum: nisi quòd ipsius legis benedictionum carnalium creditor esset, quas enumerat Moses. Sin autem econuersò transgressor legis fuisset, sicut procũldubio fuisset (nemo enim poterat seruare legem absque gratia, quæ obtinetur per fidem) inueniretur maledicto legis subiectus. Quia igitur nemo faciebat opera legis tanquam ex lege existens, & non ex fide: iccirco ait B. Paulus absolutè, eos qui erant ex operibus legis & non ex fide, fuisse sub maledicto. Nemo enim illorum prorsus faciebat legem, sed nec facere quidem absque gratiæ dono poterat.

Oportet mente hæc & cogitatione sapienter distinguere: Alias nunquam intelliget quisquam Apostolum. Et hoc hæreticis videmus cõtigisse, qui dum loca scripturarũ distinguere & conciliare negligũt, in errores turpissimos & perniciosissimos inciderũt. Sunt enim considerandi diligenter varij hominũ status, quos Apostolus huiusmodi dicendi modis significare cõsueuit, nimirũ. Esse ex lege, aut ex operibus legis: &, Esse ex fide. Et illud in primis mordicus tenere debemus, legis appellatione

legem Moseos, quæ fidem præcedebat, esse intelligendam: cuius hæc erat intentio secundum Deum initiare hominem, & quodammodo candidare ad fidem, inducendo per viam mandati impossibilis miserum illum ad notitiam sui infœlicis status, vt eum suiipsius pœniteret, sibiq; displiceret: & quæreret suo insito morbo medicinã ab ipsamet lege propheticè ostensam. Hæc est Christus, & in eum fides, vnde venit iustitia: vt sic postea iustè posset ac legitimè certare ad ãequisitionẽ coronę, & sempiternæ fœlicitatis, quæ ex lege expectãda nõ erat.

Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Parum differt locus hic citatus ab ipso fonte Deuter. 27. Non legitur ibi, in omnibus, sed facilè subintelligitur: quoniam vnius transgressor, omnium reus est. Qui enim præcepit alia, præcepit & illud. Ideo is conuincitur non diligere, qui vel vnum prætermittit seruare diuinum mandatum.

Obsecro verò te, bone lector, attẽde diuinæ prouidentiæ pro hominis peccatoris reparatione sapientissimum ordinem. Primùm animo contemplari debes, hominem promouendũ in Christum sic debuisse disponi, vt agnosceret semetipsum peccatorem, infirmum ad omne bonum. Tum benignam Dei prouidentiam, qui dignatus est parare illi Redemptorem & medicum Iesum Christum, qui vnctione sua illum ab ea infirmitate sanaret: modo ille & Redemptorem, & medicum similiter agnosceret, eumque inuocaret. Secundò cogitare debes ipsum hominem esse natura superbum, & sibiipsi modo mirando (seu verius miserando) ignotum, vt de semetipso & suis viribus præsumat grandia, & magnifica: & ita putare se sanum, nec indigere vllo medico. Quamobrẽ Dominus Deus dedit ei legem: quia arbitrabatur homo se vires habere ad obseruandum, & implendum illam, vt probaret tandem experimento per transgressiones talem sibi potentiam deesse. Rogatus enim fuit data lege, vtrum vellet eam seruare & custodire. Et clamauerunt cuncti vna voce lecto & audito libro legis: Omnia quæ loquutus est Dominus, faciemus: & erimus obedientes. Et postquam exposita fuerunt eis maledicta legis non seruantibus illam, similiter clamarunt omnes, Amen. Sciebat Deus eos legem non seruaturos, & sub maledicto legis esse premendos. Quamobrem conclusit eos sub eo maledicto, vt misericorditer traheret ad Christum. Itaque sic sub legis maledicto constitutis, atque conclusis sub peccato, promisit & dedit illis locum pœnitentiæ, vt sic redimerentur ex maledicto per Christum. Qui si rursum auersi essent à nouo mandato & Christo: tunc Moyses inuocat testes cœlum & terrã, obnoxios fore maledicto, non iam legis illius, sed Christi, videlicet illi æterno cum audient: Ite maledicti in ignem æternum. Quapropter ait. Prædico tibi hodiè quòd pereas, & paruo tempore moreris in terram ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Qui semel receptus Iordane transmisso, id est, per baptismum intrauit in terram, quæ est Christus, si illum respuat per mala opera, erit ei damnatio æterna, quod absit. Lege cap. 30. Deuter. Est enim clara ibi enunciatio & promissio euangelij.

Quòd autem in lege nemo iustificatur apud Deũ, &c. A quibusdã fortassis dici poterat (licet non secundum veritatẽ, sed apparentet tantum) extitisse multos qui legem seruarunt absque adminiculo fidei, & sic non subiacuerũt maledicto. Quia tamẽ non per hoc verum fuisset, iustos coram Deo ex ipsa vi legis fuisse: ideo vt omnium os obstruatur adiungit. *Quòd autem in lege, &c.* id est, ex vi & authoritate legis, quę per Moysen venit. Alioqui in lege existentes multi saluati sunt: sed liberati & ipsi à Deo per Iesum Christum, non quasi minime tenerẽtur seruare legem: sed qui illam non seruarẽt ex lege, id est, ex vi & potẽtia legis minantis, & promittentis, sed ex fide quæ per charitatem operatur. Ideo manifestum esse ait, in lege neminem iustificari. Primò: *Quia iustus ex fide viuit. Lex autem non est ex fide*, quæ scilicet est æternorum, id est, lex præcedit legem fidei in homine. Nam post legẽ venit fides. Lex enim nõ dicit: Qui fecerit legẽ, habebit vitam æternam. At hoc lex fidei dicit, quæ est sperandarũ substantia rerum. Si enim lex proposuisset præmia æterna: quid opus fuisset Christo & fide in illum? Moses enim omnia præstitisset. Ergo subsequuta est hæc fides ipsam legem: vt quod lex Moseos nõ potuit, perficiat euangelica fides.

Et ne dicas: Nullum ergo præmium statuebatur facienti? Respondet Apostolus, quòd nequaquam iustificationem coram Deo efficiebat: quia lex ipsa quæ promittit, nõ aliam viram promittit, quàm illam, quæ in ipsa cõtinebatur. Scriptum est enim. *Qui fecerit ea homo, viuet in illis.* Hoc iam expositum est in ea quæ ad Romanos. Viuere enim in mandatis legis nihil aliud est, quam eam vitam ex eis consequi, quę in eis iuxta literam promittitur, non iuxta spiritum. Nam talis est, qualis debetur mundanæ iustitiæ, vt quis scilicet sit lõgæuus super terram, & fruatur ipsius terræ diuitiis, & huiusmodi quæ legis litera spõdebat. At explens opera fidei, viuit in mandato fidei, quod est Christus, qui manet inæternum. Quamobrem? quia ipse Christus est mandatum nostrum, & lex nostra. Itaque in ipso inuenitur vita ipsa, cum idem sit via & vita: vt qui operatur parendo præceptis & sequẽdo illum in via, obtineat illum tandem in patria. Audi ergo quomodo lex non est ex fide: & ob eam causam inutilis quantum pertinet ad cõsequutionem æternorũ, ad quæ fides respicit. Nam apud B. Paulum. Omne quod non est ex fide, aut vanum, aut etiam peccatum est. Fideli enim omne quod non est ex fide, peccatum est, si sit actus humanus: quia Christianus omnia debet in Deum dirigere, saltẽ (vt Theologi aiunt) virtualiter intẽtione quadam primaria.

Ioan. 14.

Non est hoc in loco omittendum, quod cuiuis non satis in scripturis exercitato potest occurrere dubitationis. Quomodo verum sit legem non esse ex fide: & nos iam exposuimus, quòd illa præcesserit fidem. An non igitur ante legem fuit fides, quę ab initio mundi fuit in Adam, & Abel ac cæteris patribus? Respondeo, fuisse quidem fidem semper post Adæ peccatũ de Christo venturo: & sic antequam lex data esset Moysi. Verùm Apostolus voluit docere rei naturam, & ordinem cum Iudæis à Deo seruatum per mediatorem Mosen. Primò enim Dominus voluit congregare populũ illum, & erudire ac præparare, vt illum redderet idoneum

Quomodo lex dicatur non esse ex fide.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad fidem, vt ſua die aduenientem Chriſtum reciperet. Igitur coegit illum in anguſtiis ſub rege Ægyptiorum Pharaone, ita vt magno clamore vociferarentur ad Dominum. Deinde nunciauit ſe velle per manum Moſeos educere illos licet reniten tis & dicentis. Mitte quem miſſurus eſt, intelligendo de Chriſto: de quo tamen Dominus nullum verbum adhuc. Solùm enim temporalia promittuntur, & terra illa Chanaam. In hoc conſtituitur Moſes Deus Pharaonis, quem plagis decem afflixit, & fecit tãdem demergi in mare cum curribus & equitibus ſuis. Et poſt murmurationes multas, & tentationes ad aquas contradictionis, dedit eis legem, nihil mandans adhuc de fide, quæ propriè reſpicit æterna: ſed ſolùm carnales promiſſiones & terrenam fœlicitatem proponens ſeruantibus eã. Et contrà, non ſeruantibus ſupplicia merè temporalia. Vnde euidenter apparet, legem non eſſe ex fide, ſed præceſſiſſe fidem. Nam poſt hæc omnia Moſes vt propheta, non vt legiſlator, de Chriſto annunciat, & illum venturum prædicat audiendumque mãdat: quia lex gratiæ à Chriſto eſt, non à Moſe. Et eſt poſtrema lex: quia carnalia priora ſunt ſpiritualibus: figuræ priores ſunt veritate: & pedagogus prior magiſtro. Sic lex illa non præceſſit fidẽ: quia lex fuit pedagogi lex, nec valuit quenquam per ſe vnquam ad perfectũ adducere: quin potius operata eſt peccatum & maledictũ, à quo illos erui oportuit. Vnde ab ipſo Apoſtolo opportunè adiungitur:

Chriſtus nos redemit de maledicto legis. Qui redimit (vt ait B. Hieronymus) propriè quod ſuum erat, redimit. Eramus enim ante omne peccatum Chriſti: ſed poſtmodo traditi ſumus Satanæ ſub maledicto omnes. Maledictum fuit commune in Adam, in quo omnes peccauimus: & in quo omnes eramus natura filij iræ. Sed iis qui erant ſub lege adiungebatur maledictum legis, non ſeruantibus illam. Ab vtroque autem maledicto liberat Chriſtus cunctos. De maledicto enim Moſeos hic exprimitur, propter id quod dixerat. Quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt: vt intelligamus & Iudæos eſſe à ſpeciali ſuo maledicto liberatos, licet in eis abũdauerit peccatum. Illis nanque prouiſum eſt, vt vbi abundaret peccatum, ſuperabundaret & gratia. Adducit ſcripturã ad iſtud fortius confirmandum.

Maledictus omnis qui pendet in ligno. Septuaginta interpretati ſunt: Maledictus à Deo. Aquila & Theodotion: Maledictio Dei. Et ſic habet Hebraica veritas, cuius eſt tropus. Sic Iudæi appellabantur circuncisio: quia circuncisi. Sic Chriſtus, in quem cecidit omnis noſtra maledictio, etiam maledictio vocatus eſt à Deo: ſed ad horam & modicũ quid, vt ſtatim in omnem benedictionem cõuertereturmaledictio illa in illum, & in omnes, qui eius charitatem eximiam deuotè amplectuntur. Symmachus interpretatus eſt: In blaſphemiã Dei ſuſpẽſus eſt. Alij: Iniuria, ſiue contumelia Dei. Alij: Conuicium Dei. B. Hieronymus à ſuo præceptore ſe didiciſſe ait, ſic legi poſſe. Quia cõtumelioſè ſuſpenſus eſt. Et ad illius ſcripturę intellectum ſciendum eſt, ibi caueri lege: Quandocunq; peccaret homo morte plectẽdus, & adiudicatus eſſet patibulo, nõ permittendum manere cadauer eius in ligno, ſed eadẽ die ſepeliri: Quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno. Et hoc, ne contaminetur terra, quę data erat illi Hebræo populo poſsidenda.

Hic locus, ſi ad nudam literam conſideretur, nihil dignum intellectu continere videtur. Quid enim mali habet permittere manere ſuſpenſum in ligno? Et quænam eo cadauere euenit terræ contaminatio? Attamen quia iubebantur quædam in figuram futuri, iccirco ille locus ſpecialiter de Chriſto (iuxta ſpiritũ) debet intelligi: in quo ſenſu hic à B. Paulo allegatur quàm manifeſtiſsime. Nõ permiſſum manere in ligno, ſed eadẽ die crucifixum ſepultumque iuxta literam fuiſſe, hoc habet quidem ipſa hiſtoria.

Allegoria de morte Chriſti & ſepultura.

At ſenſus allegoricus habet, quòd ſicut corpus Chriſti illud factum peccatum & maledictum pro nobis (quod figurabat ipſum noſtrum peccatum & maledictionem) cum eſt crucifixum, extinctum eſt & mortuum, & non poteſt vlterius manere ſuper terram, ſed debet ſepeliri & à conſpectu hominum auferri: ita ſignificatur & noſtrũ peccatum, & noſtram maledictionem, ſeu corpus peccati, qd̃ eramus nos, debere cum Chriſto mori ſuſpendio: & mortuum quidem peccato non ſic manere, ſed ſepeliri vt non videatur cadauer, hoc eſt, ille fœtor corã cœlo. Quin nec in ſepultura tale corpus diu manere poteſt. Ergo & nos ſic ſumus, qui mortui ſumus cum illo in myſterio, & ſepulti cum illo, vt itidem reſurgamus cum illo, ad oſtendendum omnem maledictionẽ, & blaſphemiam, & iniuriam Dei, per crucifixionem Chriſti & ſepulturam eſſe ſublatam: vt & nouus homo inueniatur ſuper terram, qui ambulet abſque corruptione peccati, vetere prorſus extincto homine, & à conſpectu Dei remoto cadauere per ſepulturam. Si quis ergo crucifixus in Chriſto, adhuc manere velit in ligno ſuſpenſus, nec ſepeliatur cadauer, & ſic non reſurgat in vitam nouam, eſſet contaminatio terræ, id eſt, Chriſti, qui vera eſt noſtrę promiſsionis terra. Perinde enim eſſet, ac ſi vellemus Chriſtum non deſiiſſe à peccato, id eſt, peccato non ſatisfeciſſe ſemel patiendo: ſed continuè vellemus eum ad paſsionẽ aſsiduè peccantes adigere, & ab eo ſatisfactionem illam petere, quam ſemel fecit, & quam in baptiſmo ſemel obtinere poſſumus. Et tamen iſtud volunt, & ita docent recentiores hæretici.

B. Hieronymus miratur cur hic Apoſtolus, Dei, vocabulum reliquerit, & adiecerit, *Omnis*, cum nõ ita ſit in Hebræo, nec apud Septuaginta. Et ſuſpicatus eſt ab Hebræis in Chriſtianorum inuidiam additũ illud, *à Deo*, vt putaretur prophetia de Chriſto qui eſſet maledictus ab ipſo Deo. Nam (vt ait) nunquam legitur in ſcripturis à Deo quemquam eſſe maledictum. Sed nihil verendum eſt, hoc in ſcripturis fuiſſe peculiariter prædictũ de Chriſto, cum ipſe ſumeret perſonam omnium noſtrum, & reatum omnium peccatorum, vt propterea dici rectè potuerit maledictum à Deo: quod ad maximã eius laudem pertinet. Et illud ſimiliter in eius reuerentiam mandatum eſt, ne cadauer eius manere deberet, ſed eadẽ die daretur ad ſepulturam, id eſt, poſtquam ſatisfecit peccato honorandum fuit ſepultura & contegendũ, ne velut maledictum vlterius putaretur, & contaminaretur terra. Nam ob hoc maximè benedictus eſt: quia in ſe peccatũ & maledictum noſtrum tranſtulit, & pœna illa affectus extinxit.

Adhæc miror B. Hieronymi dictum, non inueniri in ſcripturis quemquam maledictum à Deo. Nam Eccleſiaſtici. 3. legitur: Maledictus à Deo qui exaſperat matrem. Excuſaſſet fortè, Eccleſiaſticũ apud Hebræos inter ſcripturas non recipi. Legitur tamen apud Malach. cap. 2. Ait Dominus: Maledicam benedictionibus veſtris. Item Tren. 2. Maledixit ſanctificationi ſuæ. Quòd verò Apoſtolus omiſerit, à Deo, & addit, *omnis*, nihil ſenſum immutat: quoniam omnia hęc ſubintelliguntur. Nam in ipſo Chriſto velut ſub capite, & tanquam palmites in vite, omnes eramus. Et qui ſimpliciter dicitur maledictus, intelligitur maledictus à Deo. Hęc eſt enim vera & ſolida maledictio, & omniũ maledictionum conſummatio.

Sed quid eſt quod ait: *Vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, vt pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem?* An ideo redempti ſunt Iudæi ex maledicto, vt Gentes benedicerentur? Certè hic fuit in prouidentia diuina ordo, vt etſi omnes vellet redimere Deus, tamen prius Iudæis proſpiceretur, deinde Gentibus. Vt enim nos Gentes à peccato redimeremur, prius illi debuerunt redimi etiam à ſuo maledicto: quò magis honoraretur populus ille à quo veniebat Chriſtus propter ipſum Chriſtum. Et nota, dici pro illis maledictum factum eſſe Chriſtum, pro nobis autem omnibus peccatum, vt iuſtitia Dei efficeremur in ipſo. Benedictio verò Abrahæ fuit ſecundum Spiritum, & in omnes Gentes, non autem in ſolos reſtricta Iudæos: ſed citra perſonarum acceptionem in omnes tam Iudæos quam Gentiles, modo illi benedictioni ſeſe aptarent, eamque ſibi per fidem applicarent, ſicut Abraham pater fidei ſibiipſi applicauit.

Fratres (ſecundum hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico. Teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringẽtos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandã promiſsionẽ. Nam ſi ex lege hæreditas, iam non ex promiſsione. Abrahæ autem per repromiſsionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter tranſgreſsionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Sed cõcluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt ꝓmiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Prius autẽ quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur cõcluſi, in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pędagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædogogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicũque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina. Omnes eim vos vnũ eſtis in Chriſto Ieſu. Si autẽ vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſsionem hæredes.

Fratres (ſecundum hominem dico) &c. id eſt, ſecundum humanam traditionem, quæ rationabiliter facta creditur, & probatur ab omnibus. Inducit hoc in loco Apoſtolus rationem ad ſuadendum quod vult, & ait. *Tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat, &c.* Spernere hominis teſtamentum, eſt abiicere & floccifacere, vt non conſequatur effectum. Superordinare autem, eſt aliquid addere, vel immutare. Hoc ergo vniuerſaliter accepto, nemini conceſſum eſſe vt teſtamentum ſemel factum & conſtitutum (ipſo teſtatore excepto) ſpernere poſſit, aut ſuperordinare: ſumit hoc. Deus diſpoſuit teſtamentum ſuum Abrahæ & ſemini eius: quia illi promiſit & ſemini eius diſpoſitione teſtamentaria. Et vocat multitudinis numero, promiſſiones: quia plures fuerunt, & admixta eſt promiſſio ſpiritualium donorum carnalibus promiſſionibus: de quibus eſt aliquãtò latius conſiderandum.

Primò dictum eſt Abrahæ. cap. 12. Gen. Egredere de terra tua. Et poſt hæc illi dicitur: Faciam te in Gentem magnam: & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi: & maledicam maledicentibus tibi. Atque in te benedicentur omnes cognationes terrę. Hactenus ſolum Domini Dei pręceptũ, & pura futuræ prolis ac benedictionis enũciatio: non ſolùm ipſius, verùm etiam in ipſo omnium Gentium. Et poſthæc cum obtemperaſſet ei Abraham, & peregrinus inueniretur cum Loth in terra Haram: inde cum illo egreſſus eſt, veneruntque in terram Chanaam, vbi habet viſionem, & ei terra illa promittitur. Quo in loco ædificauit altare Domino: & inde tranſgrediens montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, habens ab occidente Bethel & ab oriente Hai: & ibi quoque ædificauit altare Domino. Et cum interueniret Loth, propter paſtorum iurgia, ſeparatio: ipſe Dominus promittit ei terrã Chanaam, & eius ſemini poſt eum in ſempiternũ. Semen autem promittit ſe auctturum ad numerũ pulueris terræ. Et poſt hæc cap. 15. cum iam certaſſet, & obtinuiſſet contra quatuor reges: cũque obuiaſſet Melchiſedech ſacerdoti panem & vinum ſacrificanti, & benediceretur ab illo: factus eſt ſermo Domini ad eum per viſionem, & dictum eſt illi. Noli timere Abraham: Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Hic enim prius ſignifica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum est Christi sacrificium, & testamentum in illius sanguine. In hoc vera æternorum promissio, quæ exigebat fidem ex gratia Dei iustificãtem. Quo in loco Abraham rogãt semen, cui & repromittitur. Ipse autem credidit Deo non de se tantum, in eo quòd illi promissa esset æterna vita: verum etiam de semine & hærede ex se futuro, in quo & ipse, & cæteri omnes essent benedicendi. Post hanc fidem promittitur ei terra: & super hoc nascitur pactum, & feritur in vacca trima, & capra trima, & ariete trimo, & in turture & columba: cuius sacrificij mysterium aliud & longiorem tractatum exigeret, & alium doctorem qui idoneè posset explicare. Post hanc item Abrahę fidem, & promissionem, & pactum de terra Chanaam, rursum cap. 17. apparet ei Deus, & ait. Ambula coram me, & esto perfectus: ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. En quomodo post fidem requirit vt ambuler corã se,
Matth. 5. & perfectus sit: Sic & ait Christus discipulis. Estote vos perfecti. Et hic promittitur ei pactum, & futura eius multarum Gentium paternitas. Vnde dilatatur ei nomen, vt iam non sit Abram pater vnius tantum Gentis, sed Abraham pater multarum Gentium. Et iterum promittitur ei terra: & accepit signum pacti & fidei, circuncisionem, quã vocat pactum & signum pacti inter se & illum, & eius semen custodiendum: quia in eo signo ipsum pactum Christus significatur. Sic enim scribitur. Circuncidetur ex vobis omne masculinum: & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit signum inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, &c. His peractis nascitur ei Isaac: qui vbi adoleuisset, tentatur super illo pater, cui inuẽto promptissimè obedienti, confirmatur iureiurando testamentum, & promissio de Christo futuro per Isaac in quo benedicendæ essent omnes Gentes. Vt benedictio omnium Gentium in Abraham intelligatur, velut in exemplo & typo per imitationem, vt qui credant cum fideli Abraham, adipiscantur benedictionem, sicut ille adeptus est. Benedictio autem omnium Gentium in semine intelligatur, tanquam ex vi illius seminis benedicti.

Et hunc literæ filum si subtiliter aduertas, potes hactenus in ipso Abraham perfectum Christianum hominem contemplari.

Quomodo Abraham typum nostrũ gessit.

Primò renunciat diabolo, & omnibus pompis eius, & veterem hominem carnalem exuit. Istud in eo accipitur, vbi iubetur de terra sua egredi, &c. Secundò, quùm ad tempus fidei ventum est promittitur ei cœlestis hæreditas, & protectio: & mãdatur vt omnem expellat timorem: quia vera charitas mittit foras timorem. Et hic est inchoatio vitæ in fide, quæ dicitur iustificatio à peccato vt possit homo iam receptus & signatus signaculo fidei, procedere in agonem siue in cursum, vt meritoriè coronam & bravium percipiat. Fides enim minimè ociosa esse debet. Et ideo accepit præceptum Abraham à Deo, vt ambularet coram illo, & esset perfectus. Quod præceptum vt implere posset, circunciditur: in qua re fuit opus fidei spiritualiter. Denique venit tentatio, quam viriliter superat: & ex hoc vocatur amicus Dei, & noua confirmatione stabilitur eius merces antea promissa.

Igitur in ipso Abraham (ad verum ex spiritu scripturarum sensum considerato) omnis doctrina fidei relucet. Nam in illo incœperunt promissiones & carnalium simul & spiritualium: quta illi sunt dictæ, & semini eius. Illi quidem de multiplicatione seminis secundum carnem, & secundum spiritum: quoniam verum Iudam, id est, Christum, & Iudæorum populum ex se erat propagaturus, & adhuc veros per fidem spirituales filios. Et de possessione terræ similiter secundum carnem, & secundum spiritum: quia terra videlicet Christus nostra cœlestis hæreditas, promissa est. Semini autem similiter iuxta intellectum carnalem, promissa est carnalis multiplicatio: In Isaac enim seminis constituitur fundamentum, ex quo ortus est ille populus. Et similiter spiritualis propagatio, quæ est per fidem in vero Isaac, qui est Christus. Et huic promissa est terra Gentium, & filij eius: quorum possessio est ipsemet Christus. Sic ergo huic semini, non pluribus seminibus repromissa est. Et enim & ipsi Christo repromissa est gloria sua. Nam exinanitus & humiliatus propter nos abiecit eam, & vt sibi illam & nobis simul per crucis obediẽtiam acquireret, qui inueniremur vnum cum illo.

Hoc eleganter, nec ab re, notat hic B. Paulus: quoniam omnes in Christo vnus sumus. Ne quis diuersos, & ob eam causam diuersarum legum populos velit effingere. Nã ipse est qui omnes vnius moris facit habitare in vna & eadem domo. Ergo promissio, videlicet propagationis & terræ spiritualis, facta est Abrahæ, & semini eius Christo. Et hoc est testamentum, videlicet Patrem illum futurum, non quidem vnius populi solius, sed multarum Gentium (quemadmodum fuit) vt hæ omnes Gentes, ad quas pertineret hoc testamentum, comprehenderentur in semine vno, qui est Christus. In Christo autem benedicendos ipsum Abraham & illius posteros (hoc nimirum erat Abrahæ testamentum) fieri illud oportuit per fidem. Sic vnum semen omnes efficimur, quasi vno eodémque spiritu in vnum conflati. Hoc inquam est testamentum adhibito iureiurando confirmatum, propter insignem illam Abrahæ & rarissimam obedientiã tanquam non posset vlterius reuocari: sicut scriptum est, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, ita vt ante illam Abrahæ obedientiam ostendatur quodam modo reuocabilis promissio.

Hoc autem dico: Testamentum, confirmatũ à Deo, &c. Hoc igitur testamentum sic confirmatum, quod tamen factum fuit antequam lex esset per quadringentos & triginta annos, lex non potuit irrhũ reddere ad tollendam promissionem. Huius conclusionis medium paulò ante perstrinxit, nempe: Testamentum hominis confirmatum nemini licitũ esse spernere, aut superordinare. Sed spretum fuisset hoc Dei mandatum, & super illud ordinatum fuisset ad irritandam promissionem eius, si ex lege veniret hæreditas: quia si ex lege iam non ex promissione. Atqui hoc firmatum est pacto & testamento huiusmodi, vt sit iureiurando vallatum, videlicet ex promissione obuenturam nobis cœlestem hæreditatem, non autem terrenam, quando veniret ille verus Isaac, paternus risus (in quo sibi bene complacuit) illud verum semen cui repromissum est. Et hoc postquam intercederet mors

testatoris: quia à morte perficitur testamenti confirmatio. Si igitur hoc euincitur: Ex testamento venire hæreditatem, rectè sequitur: Ergo non ex lege.

Quo in loco illud animaduertendũ est, diuersos esse hos duos authores, scilicet authorem legis veteris & authorem noui testamẽti, & promissionũ factarum Abrahæ & semini eius. Author siquidẽ legis est Moses: Author verò testamẽti, Deus Christus Saluator noster ac Redẽptor, qui dixit Abrahę, Noli timere: Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Et quia credidit, hæres designatus est. Nec turbetur ex eo quispiam quòd lex videatur data à Deo: & sic etiam authorem habere ipsummet Deum. Etsi enim omnia sint à Deo tanquam à primaria omnium causa & origine, differunt tamen non parum inter se. Sunt nõnulla quæ Dei esse dicuntur, tanquam ab eo nullo medio venientia. Non sic autem alia: vt de baptismo B. Ioannis præcursoris, & de Christi ipsius baptismo. Nã illius autor Ioãnes dicitur: alterius, id est, nostri baptismi, Christus. Et tamen ille dicitur baptismus Ioãnis, licet veniret à Deo, sed alia ratione & fine. Et hic noster dicitur baptismus Christi. Sic & lex & gratia tanquam diuersorum authorum dicũtur propter diuersos, per quos illæ leges ministratæ
Ioan. 1. sunt, legislatores. Moseos enim lex dicitur Christi autem dicitur gratia. Vnde & ipse B. Ioannes dixit, Lex per Mosen data est: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Vt & hic annotes fuisse datam legem, non factam. Gratia autem ipsa facta dicitur. Non enim erat Moseos facere legem, sed solùm ennunciare. Christus autem etiam creat & facit legem in corde nostro, gratiam statuens & charitatem, quam nobis infundit, non iam in tabulis scriptam lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Sed hoc in loco oritur quædam dubitatio: Quoniam reuera aliud videtur esse pactum, & fœdus, & promissio: aliud verò testamentum. Et nihilo secius B. Paulus hæc videtur pro eodem accipere, & ista quodam modo confundere. Quamobrem B. Hieronymus ait, Manifestum est id fecisse Apostolum, quod promisit: nec reconditis ad Galatas vsum esse sensibus, sed quotidianis & vilibus, & quæ possint (nisi præmisisset: *secundum hominẽ dico*) Prudentibus displicere.

Adhæc, Consideratio illa B. Pauli, singulari numero dictum, *semini*, & nõ, seminibus, videtur minus circunspectè facta. Qui enim sciret legem, id facile contemneret: quoniam in toto veteri instrumento (si quis diligenter reuoluerit) minime reperietur hęc vox, nisi in singulari tãtùm numero, nũquam in plurali. Itaque ad idem redit B. Hieronymus, Apostolum excusans tanquam qui ad crassos Galatas vsus sit argumẽtis leuioribus, & apud prudentes inualidis.

Quæ certè mihi nedum absurdè & falsò, sed etiam periculosè dicta videntur (salua tamen semper sit, quæ tanto Doctori debetur reuerentia) vt mox ostendemus. Neque hoc dicitur, vt minus habeatur fidei tanto ecclesiæ Lumini, quem certè ob singularem in hæreticos zelum, quo pręditus fuit, peculiari veneratione prosequimur, sed ne simpliciores decipiantur, maxime ad sentiendnm de Apostolo Paulo iniquius. An non graue absurdum iudicandum est, si admitteremus B. Paulum inualidis argumẽtis probare voluisse veritatem fidei, eo potissimum tempore cum haberet infestos acres illos falsos fratres Iudęo Christianos, quorum perniciosam prædicationem potẽtissimis rationibus (nedum triuialibus argumentis) è mentibus Galatarum euelli oportuit, quos cupit tanto spiritu abscindi. Et nunquid Spiritussanctus & Christus qui per illum loquebatur, vellet eũ ea loqui quæ prudentibus displicere possent? Quasi verò apud Galatas deessent Iudæi legis doctores, qui hæc improbare nescirent: præsertim cum (vt diximus) in contentione aduersus illos adducerentur. Aut quasi non scriberẽtur hæc etiã posteris, ipso Spiritu sancto ne quid inepti adesset, præcurrente, & prouidente. Quare absit vt hæc fidelis quisquã recipiat. Nam illud eiusdem Doctoris commentum quis ferat? Apostolum ideo illud pręmisisse: *Secundũ hominem dico*, vt ostenderet argumẽtum suum nequaquam valere. Itaque duo sunt hìc notanda, quę an tanto Apostolo digna sint, prudens lector considerer. Primùm: Argumenta, quibus vult Galatas coarguere, leuia esse, & ita inefficacia & crassa, vt vel quæ possint displicere viris prudentibus. Alterum verò, quòd ipsemet B. Paulus hoc profiteretur, videlicet se secundum hominem loqui, id est, minus idoneè ad ea probanda ac persuadenda quę velit. Egregium sane genus ad persuadendum. Certè non secundum hominem hoc fateretur, crassè scilicet se loqui non pro sapientibus, sed pro insipiẽtibus. Equidem hoc in loco satis mirari nequeo tãtum Doctorem: Nisi illud verissimum experirer & probarem, Neminem omnibus horis sapere. Et in eiusmodi monere lectorem operæpretium putaui, vt cùm in hæc scandala incidit, se prudẽter gerat, & media via incedat: ne vel in omnibus sanctorũ pericliretur authoritas, propter vnũ aut alterũ errorem: vel ne ita contẽnatur, vt nihil faciat præiudicij vel momenti ad persuasionẽ, & ne quid aduersus illam pertinaciter defendamus.

Adhæc illud: *Quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex*, scilicet ab ipsa promissione, non videtur iuxta veterem literam, quæ testatur Abrahæ dictum quadringentos annos seruituros, ac deinde etipiendos à seruitute alienarum Gentium. Et hìc B. Hieronymus fatetur se nescire quomodo satisfaciendum sit. Nec (inquit) parua hæc res: & à multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inuenta. Mihi tamen præsens locus non admodum difficilis videtur, si exacta fiat & recta supputatio. Nam Apostolus incepit ab ipsa promissione & testamento, à Deo ante natiuitatem Isaac promissio, quod fuit semen, Gen. cap. 15. & non cap. 12. vt ait Caietanus, & male.

Quòd verò ei dicitur, annos quadringentos semen peregrinum futurum, necessariò oportet terminum, A quo, incepisse ab ipso ortu seminis, id est, ipsius Isaac. Quo obseruato nihil contrarij iã supererit, nec vlla literæ obscuritas.

Illa de semine obiectio & testamento, videtur plus habere difficultatis. Nam (vt dictum est) friuola videtur B. Pauli argumentatio ex eo colligentis Christum hæredem: quoniam non est dictum, *seminibus*, sed, *semini*, cum nunquam in scripturis id

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom.3. ueniatur ſcriptum,ſeminibus.At mihi contra, admodum videtur inane in B.Paulum hoc argumẽtum,niſi & hoc quoque probetur ſimul, appellatione ſeminis in ſcripturis plura ſemina aliquo in loco intelligi.Quod non probabitur vnquã. Hoc audeo dicere authoritate B.Pauli fretus.Nec enim valet, ſi nullo in loco inueniatur in ſcripturis in plurali,idcirco non potuiſſe & in plurali dici, ſi illud vſu inualuiſſet. Valuiſſet autem, ſi plura fuiſſent ſemina,quibus eſſet promiſſum. Nam ſi Philoſopho fingere nomina licet,quando ea omnino deſunt, quibus exprimatur animi conceptio: cur Spiritui ſancto non licuiſſet(etſi fortè præter conſuetudinem)iſta voce vti numero multitudinis? Quinimo,Nonne in hoc ipſo loco vtitur B. Paulus illa voce plurali numero?Quis iſtud nõ videat? Verè igitur inepta & nimis audax hęc contra Apoſtolum argumentatio.Illam tamen ſecutus eſt Eraſmus,qui cum ſcandalo & contentione,B.Hieronymi authoritate (quam tamen eleuatam hoc in loco oportuit,ſe veſtiens & muniens)ſimiliter hãc Apoſtoli ratiocinationem,tanquam nihil momẽti habentem,contempſit.

Fortius illud obſtare videtur, quòd ad Romanos idem Apoſtolus ſignificare videtur plura eſſe *Rom.4.* ſemina,vbi ait: Vt firma ſit promiſſio omni ſemini.Sed nos hoc iam reſoluimus: imò oſtendimus confirmari ibi quod hîc docet rectè conſideranti: quoniam illud,Omni ſemini, idẽ eſt ac ſi dixiſſet, toti ac integro ſemini.Redeat lector ad ea quę ibi ſcripſimus ſi placet.

De teſtamento vero,etiam multò magis miror B.Hieronymum ita auſum,& contra Septuaginta imò & contra ipſummet Apoſtolum. Non enim valet ea excuſatio, ad craſſos Galatas fuiſſe hîc Apoſtolum loquutum.An,quæſo,ſunt dicenda craſſa & inania,præſertim à tanto Apoſtolo, propter aliorum craſſitiem?Sunt ne item vlli per inania argumenta ad fidei veritatem adducẽdi?Si iſtud daremus,ſuſpecta profectò fides potius redderetur, quàm confirmaretur apud credentes.Emendatius ergo & verius dicendum eſt, vt confitentur etiam doctiſſimi Rabbinorum,Berit, vtrumque ſignificare,& pactum ſiue fœdus, ac ſimul teſtamentũ. Vnde cum verè concurrat hæreditatem per pactũ promitti,hoc idem ſimul erit & pactum, & teſtamentum:quod certé ſic fuit, quia Chriſtus teſtatus eſt.Ipſe enim promiſit Abrahæ & ſemini eius, id eſt,Chriſto ſibiipſi(nam qui in eo ſunt, vnum ſunt)ipſam hæreditatem, paternam ſubſtantiam, vitam æternam.Et quemadmodum in aliis accidit ad conſtituendum verè teſtamentum,oportere vt effectum ſuum ſortiatur poſt mortem teſtatoris: ſic quoque in Chriſto fuit.Mortuus enim eſt Chriſtus:& ita confirmatum eſt hoc teſtamentũ morte teſtatoris,& ideo propriè teſtamẽtum. At cum in vita pacto fuerit promiſſa iſta hæreditas, ea ratione pactum rectè dictum eſt.

Nam & olim hæreditates pacto acquirebantur emptione per æs & libram. Et neſcio qua de cauſa ritus ille antiquus viguerit, vt nulla reconciliationũ fœdera,niſi medio ſanguine fierent.Sic cum *Gen.15.* ipſo Abraham feriuit pactũ Dominus per vaccam triennem,& capram trimam,& arietem trimum, & turturem,& columbam.Quanquam in hac re, ſicut in cæteris omnibus, ſatis nobis eſſe debet B. Pauli authoritas & hîc,& ad Hebræos,vbi ſic accipit hanc vocem,Berit, vt propriè etiam teſtamentum ſignificet.

Neque poteſt honeſtè obiici,illud ad Hebræos veluti ad craſſos & ignaros legis eſſe loquutum. Propterea Caietanus eò ſe permiſit adduci,vt vel huius argumenti gratia illam ad Hebræos epiſtolam vocauerit in dubium,an eſſet B.Pauli Apoſtoli.Et hoc & aliis argumentis probare nititur non eſſe B.Pauli.Quod vehementer diſplicuit, & hodie adhuc diſplicet cunctis piis,& catholicis viris. Alioqui ſi ob eam cauſam erat illa epiſtola reprobanda,aut in dubium reuocanda: poterat quoque pari ſcrupulo de illa dubitari quæ ad Rom. vbi ſimiliter citatur ex Iſaia iuxta tranſlationem Septuaginta, locus quidam vbi teſtamentum vocatur, quod iſti pactum vocari volunt.Quinetiam vterque Zacharias,& ille Ioannis baptiſtæ pater in cãtico:& alter in libro ſuo prophetico,vocabulo, teſtamenti,vtuntur non,pacti. Ille enim Zacharias Pater Ioannis ait:Et memorari teſtamenti ſui ſancti. *Luc.1.* Alter verò,Tu quoque in ſanguine teſtamenti *Zach.9.* tui emiſiſti vinctos de lacu. Denique ipſa ſumma Veritas hoc pactum nomine teſtamenti manifeſtè declarauit.Hoc(inquit)eſt teſtamẽtum meum *Luc.22.* in meo ſanguine. Quis igitur contra verbum Domini auſit?

Sed vnus adhuc ſcrupulus reſtat,quia teſtamẽtum hoc dicit confirmatum Apoſtolus, etiam ante legem datam.Id verò quo pacto,cum teſtamentum confirmetur morte (vt ait ad Hebræos) non- *Heb.9.* dum autem interceſſerat mors?Reſpondeo, Extiterunt qui minimè hunc locum intelligẽtes,etiam vim argumenti non apprehenderunt, quæ in hoc repoſita eſt.Lex quæ iam inuenit confirmatum teſtamentum,non poteſt irritum illud facere. Erat ergo confirmatum ante legem,quando tamen nõ dum erat mors,vnde venit confirmatio. Sed duplex eſt attendenda confirmatio,Prima vt immutabiliter firmum ſit quod diſpoſitum eſt,ne valeat irritari:& hæc fit iureiurando.Secunda confirmatio,vt iam adiri poſſit hæreditas:hæc autẽ fit morte. De prima autem confirmatione loquitur hic Apoſtolus:Ad Hebræos autem de ſecunda. Proſequitur: *Duplici modo quadam confirmatur.*

Quid igitur lex? Hac interrogatione vult arguere,ex ſuperioribus legem videri ſuperfluam.Nam ſi non viuificabat: ad quid igitur? Non enim dici poteſt temerè,& nullo fine eſſe datam. Reſpondet ergo Apoſtolus.*Propter tranſgreſſiones adiecta eſt*, hoc eſt,ob hoc ſubordinarunt eam Angeli per mediatorem Moſen, vt apparerent tranſgreſsiones. Hoc idem explicauit ad Romanos. Sic enim diſponebatur homo ad Chriſtum per agnitionẽ peccati,& eius abundantiam: qui recognoſcens in ſe morbum,impellebatur rogare medicum & medelam.Quis enim agnouiſſet peccatum,niſi lex diceret:Non concupiſces?Vbi primùm autem illa concupiſcere vetuit, perſentiénſque infœlix homo ſe ex ſeipſo non poſſe non concupiſcere,veniebat in notitiam ſuę infirmitatis,& ſe ægrotum recognoſcens,admonitus ab ipſa lege de medico illum cogebatur adire & implorare ſalutem.Non enim ſimiliter liberatur animi morbus,id eſt, peccatum,

De ſanatione animæ & corporis. ſicut corporis: quia corpus interdum vel inuito homine ſanari poteſt.Non ſic autem morbus animi: ſed vt voluntate contrahitur, ſic & voluntate ſanatur conuenienti antidoto pœnitentiæ, & doloris,ac reſipiſcentiæ.Lex igitur propter tranſgreſſiones adiecta eſt,vt hæ cognoſcerẽtur: & cognoſceret homo miſer & infœlix ſe concluſum in obligatione peccati.Non autem eo fine vt in immenſum,& in perpetuum peccaret: ſed donec veniret ſemen cui repromiſſum erat,id eſt, ipſe Chriſtus, *Iſa.59.* cui repromiſſum erat in ipſo nos omnes benedicẽdos.Et de eo ſcriptum erat,Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum cum abſtulero peccata eorum.

Ordinata per Angelos. Ne quis putaret æquali maieſtate ambulare legem veterem cum gratia Chriſti & euãgelio,quod ipſemet Chriſtus ore ſuo docuit & tradidit.Et addit,

*In manu Mediatoris.*Quidam hunc Mediatorem Chriſtum intelligunt,in cuius manu fuit lex poſita:quia ipſe Dominus erat etiam ſabbati, & verè Legiſlator.Mihi autem longè videretur congruentius,ſi Mediatoris, vocabulo hîc intelligatur Moſes. Ipſe enim inſtar Mediatoris fuit inter Deũ & populum illum: propterea ipſemet Moſes dixit, *Deut.5.* Ego ſequeſter & medius fui inter Deum & vos in tempore illo.Itaque illius teſtamenti (quod vetus dicitur)quia inueterauit & interiit, mediator Moſes fuit:Chriſtus autem noui.Porrò qualis eſt differentia inter teſtamentum & teſtamentum: talis inter mediatorem & mediatorem. Vnde B. Pau- *Heb.8.* lus ad Hebr.Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti Mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.Nam ſi illud prius culpa vacaſſet,non vtique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit:Ecce dies venient,dicit Dominus,& conſummabo ſuper domum Iuda teſtamentum, non ſecundum teſtametum quod feci patribus eorum in die,qua apprehendi manũ eorum,vt educerem illos de terra Aegypti.Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo,& ego neglexi eos, dicit Dominus.Quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos,dicit Dominꝰ. Dabo leges meas in mentem eorum,&c.

Mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt. Vt mihi quidem videtur huius loci(quem ferè omnes prætereunt:& quidam valdè alienum ſenſum comminiſcuntur)hæc eſt vera interpretatio.

Erat intentio Apoſtoli probare verum Mediatorem eſſe Chriſtum, non autem Moſen. Et primum hoc ſibi ſumit, Mediatorem vnius eſſe nõn poſſe:ſed dari neceſſe eſt duos,inter quos(vt ita dicam)mediare debeat. Tum tacitè quodam modo ſupponit hanc mediationem debuiſſe inter Deum & omnes Gentes interuenire:quia omnes ſub ira Dei tenebantur.Et non ſatis erat eſſe mediatorem Moſen inter Deum & vnum illum populum Iudęorum tantùm.Non enim ille tamẽ populus corruerat,& indigebat gratia Dei, ſed vniuerſum genus humanum. Hoc autem ſic probat. Deus ipſe vnus eſt,& conſequenter omnium Deus eſt, non ſolius populi Iudæorum. Ergo quia omniũ Deus eſt, omnibus voluit miſereri, & per Mediatorem vnum omnibus prouidere. Quo fit vt verus Mediator,ſit omnium Mediator,& non vnius populi tantùm.Is ergo fuit Chriſtus,non Moſes.Et hũc intellectum didici ex altero Apoſtoli loco ad Timotheum *1.Tim.2.* ſcribẽtis.Vbi ex eo quòd vnus eſt Deus probat illum velle omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionẽ veritatis venire:& conſequenter per vnum Mediatorem ipſius Dei & hominum,hominem Chriſtum Ieſum.

*Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? &c.*Rurſum arguit contra prædicta,ac ſi diceret.Si lex non viuificat, ſed facit exundare peccata:& ad hoc eſt poſita, ſcilicet propter tranſgreſsiones: Ergo eſſet aduerſus Dei.Nam illa peccatorum abundantia & præuaricationum,videtur operari directo contra ſalutem quę promittebatur.Sed non videtur poſſe iſtud dici de lege,vt ſit contrà Dei promiſſa.Ergo dicatur potius vim legi ineſſe ad viuificandum. Ad quam obiectionem reſpondet Apoſtolus. Primò reiicit & reprobat iſtud conſequens, videlicet quòd lex viuificaret.Quandoquidem ſi lex potuiſſet viuificare,verè iuſtitia ex lege proficiſceretur:& ita per Moſen,non per Chriſtum.Chriſtus autẽ ipſe gratis veniſſet,& gratis mortuus fuiſſet. At hoc falſiſſimum eſt,& contra omnium prophetarum oracula dictum.Nam per Chriſtum iuſtitia eſt, vt ait Daniel:Septuaginta hebdomades abbreuiatę ſunt *Dan.9.* ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam,vt conſummetur pręuaricatio,& finem accipiat peccatum,& deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna: nimirum per Ieſum Chriſtum,vt ſtatim aperit.Secundo,Nullam vim prorſus argumento reliquit, negans exundantiam peccati & infidelitatem promiſsionibus Dei obſtitiſſe:imo bonitatem Dei eò magis ad miſericordiã exercendam prouocarunt, quò attrocius inualeſcentem peccati morbum conſiderauit. Vbi enim abundauit delictum,ſuperabundauit & gratia.Nã prima iuſtificationis gratia nec dũ impeditur peccato,quin potius prouocatur: quia priora peccata,quæ ſub veteri teſtamento admittuntur, longè ſunt excuſabiliora,vt pote ab impotente, & ante acceptam gratiam admiſſa.

Præterea,Aduentus medici à nulla pendebat cõditione:ſed erat pura & libera promiſsio, ac deliberatio omnino à Deo mittendi Mediatorem,Vnde & B.Paulus ad Rom.inquit.Quid enim ſi qui- *Rom.3.* dam illorum non crediderunt? Nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt autẽ verax Deus,omnis autem homo mẽdax, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Et perinde eſt iſtud quod hic ſubdit:

Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato,vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Ac ſi dixerit, Neceſſarium fuit ſinere peccatum in omnibus tã Iudæis,quàm Gentibus,ad noſcendum morbum, & medici neceſſariã opem. Et hoc eſt ſcripturam ſiue Deum concluſiſſe homines ſub peccato. Nã *Rom.11.* alibi dixit: Concluſit Deus, ac per hoc ſcriptura: cum in ipſa ſcriptura quæ id nobis pronunciauit, apparere fecerit. Scriptum eſt enim: Non eſt iu- *Pſal.13.* ſtus quiſquam,non eſt intelligens, &c. vel dicas: *Scriptura*,id eſt,ſcripta lex, *concluſit omnia ſub peccato*: quia per legem præcipientem,Non cõcupiſces, factum eſt,vt omnes poſſent ſeſe cognoſcere peccatores, & in vitio eſſe ac morbo concluſos om-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes tam Iudæos, quàm Græcos. Verùm finis huius cõclusionis hominum sub peccato à scriptura seu lege, vel Deo, hic erat, Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hæc erat promissio redemptionis à peccatis per gratiam, & donum iustitiæ: quod & amplius adhuc declarat.

Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat. Ait ergo *priusquam veniret fides*, illa videlicet explicita de Iesu Christo. Nam prisca fides, vix fidei rationem habebat, cum non contineret certam æternorum præmiorum mercedem, & Mediatorem Iesum ex plicitum, in cuius solo nomine statuta erat salus. Ait ergo custoditos esse sub lege interim Iudæos. Custodia autem in hoc fuit: quia Deus per Mosen ordinauit in omnem euentum siue maledictionis siue benedictionis (quas & præuaricatoribus, & factoribus legis pronuntiarat) futuram nouam benedictionem per Dominum Iesum, & mandatum nouum, vt apparet in Deut. Illud enim mãdatum pertinere ad fidem Christi declarauit ad Rõ. Sed reuelanda erat hæc fides, quę non nisi velatè continebatur in veteri lege.

De fide ante Christi aduentum.

Deut.30.

Rom.10.

Itaque lex pædagogus noster fuit in Christum, vt ex fide iustificemur. Lex siue in eo quod iubebat, siue in eo quod per figuras docebat & vmbras, siue in eo quod illum populum premebat cæremoniarum oneribus, adducebat quidem illum ad Christum, tum monstrando morbum & medelam (vt diximus) tum augendo ipsum morbum per transgressiones, ac propterea impellendo in agnitionem & implorationem medici, ac medelæ. Lex igitur quę vt pædagogus se habuit ad doctorem perfectum qui per fidẽ docet, adueniente doctore illo & fide, cessare debuit: ideo ait,

At vbi venit fides, iã nõ sumus sub pædagogo, quia venit perfectus Magister & doctor perfecti mãdati.

Omnes enim filij Dei estis per fidem: Quia ex fide viuimus, & filij Dei efficimur, sicut scriptũ est: Quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. Ob hoc enim prescriptum fuit: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Et hoc probat: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, &c.* Sicut Christus, cùm baptizatus est, induit omnes, vt totum illum veterem hominem aquis immergeret: ita & nos in baptismo nostro illum induimus, vt cum illo veteri homini moriamur: & vitam nouam similiter cum ipso adipiscamur. Et nulla est hac in re distinctio: quia non est acceptio personarũ, ita vt sit in Christo Iudęus, & non Grecus: liber, & nõ seruus: mas, & non fœmina. Vigebant quondam in lege hæc populorum discrimina, quæ in Christo per euangelium penitus sublata sunt.

Ioan.1.

Psal.81.

Omnes enim vos (inquit) *vnus estis in Christo*, videlicet tanquam vnum corpus: vt intelligamus ita sublatum esse discrimen, vt adsit tamen ordo in membris, veluti in corpore suis partibus rectè composito. Et hinc egregiè concludit: *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ, &c.* Si enim semen Abrahę Christus, quicunque in illo sunt, in semine illo, cui hæreditas repromissa est, inueniuntur. Illius nos ipsi hæreditas sumus: propterea illi à Patre dicitur: Postula à me, & dabo tibi Gentes hęreditãtem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Ille autẽ nostra felicissima hæreditas est futurus: modo (quod Deus auertat) nostris eam flagitiis non profligauerimus.

CAP. IIII.

DICO autem, quanto tempore hæres paruul⁹ est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium: sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitũ tempus à patre. Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factũ ex Muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamãtem Abba, Pater. Itaque iã non est seruus, sed filius. Quòd si filius, & hæres per Deum.

Dico autem, quanto tempore hæres, &c. Quia semel confessus erat B. Paulus Abrahæ & semini eius promissam fuisse hæreditatem: & semen (vt ipsemet interpretatus est) erat Christus: videri fortassis potuisset, populum illum fuisse absque prouidentia & fide derelictum, quantum ad salutem eorum pertinet, qui præcesserunt aduentum Domini: & consequenter aduentum fidei. Et cùm legem non esse ex fide inficiatus fuerit, eámque veniẽte fide cessasse docuerit, possumus sic argumentari: Aut ille populus erat sine fide: aut cum fide. Si sine fide asseruerimus eum fuisse, ergo damnatus. Si cum fide, debuit ergo habẽtibus fidem cessare lex, quibus iam aduenit Christus. Ad quæ respondẽs Apostolus, appositissimo exemplo ostendit qualis tunc esset mũdus, nimirum veluti puer, qui licet ea ætate institutus sit hæres à Patre, hæreditate tamen non potitur: *sed sub tutoribus atque curatoribus*, vel iconomis custoditur, donec legitimũ ætatis impleatur tempus ab ipso patre præfixum.

Ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis, &c. Tales ergo erant Iudæi ante Christũ, cùm essent velut hæres paruulus: & sub lege & prophetis seruabantur ad tempus à Deo præstitutum. Enimuerò quantum ad hanc considerationem spectat, nihil distabant à seruo: quoniã perinde erant ac qui in seruitutem sunt redacti. Tales autem sunt omnes homines qui in peccato nascuntur, cuius serui sunt per elementa mundi, hoc est, per ea principia quæ de creaturis mũdi huius eruebãt, quibus quodam modo prælucentibus tendebant in Dei agnitionẽ. Neque enim clarior explicabatur eis fides, nisi implicitè tantũ sub ænigmatibus, & figuris variis, & multiplicibus vmbris.

B. Hieronymus vult per tutores, insuper Apostolos Dei intelligi, per quos etiam regebãtur anti quæ Gentes, & docebantur per elementa mundi, vt nonnullam veritatem Dei assequi possent: sicque multi salui facti sint, & de ipsis quidem Gentibus (Beato Dionysio teste) per Angelorum ministerium.

Nec

Nec hoc loco accipienda sunt ad eum sensum ẽlementa, quo ad Coloss. accipi oporter. Nam ibi admonet illos ne decipiãtur per philosophiam, & inanem fallaciam, iuxta traditiones hominum, & elementa mũdi. i. principia ab hominum sensibus ducta: quæ sunt ad ea coniectanda quæ existunt supra sensum, fallacia: qualia diceremus argumenta à Philosopho collecta, quibus se probare æternitatẽ mundi putauit. At hîc per elementa mundi, sunt ea capienda, per quæ ad aliquam Dei agnitionem venimus, & quæ aliquos nobis Dei effectus declarant, quò ad illius cognitionẽ tendamus. Vera autem doctrina desursum est, & inde descendit. Hæc quæ per elementa est, ascendit. Et cum sit ad tantã lucem debilissima, ad ea quæ Dei sunt, noscibilia solũmodo per fidem homo potest illũc peruenire.

Itaque mundus figurari potest in homine, qui suas habeat ætates, & per incrementa temporum accipiat doctrinam perfectã. Figuratur & pulchrè in Christo, qui proficiebat sapiẽtia & gratia apud Deum & homines: qui cum esset puer, subditus erat patri & matri, & ab Angelis regebatur: licet Angelos parte diuina regeret. At cum maiusculus, & in plenam ætatem euasit: perinde ac si non curet matrem, dicit. Quæ est mater mea? & qui sunt fratres meiẽ non quasi matrem, per contemptum negans, sed vt nos qui tori ferè pendemus à carne instrueret, dum cœlestis Patris agitur negociũ, tum carnis esse postponendos parentes. Quo sensu est intelligendum, Nolite vobis vocare patrem super terram. Sequitur:

Luc.2.

Matt.12.

At vbi venit plenitudo tẽporis, misit Deus, &c. Temporis plenitudinem intelligit ætatem mundi maturam atque perfectam. Et dicit, *Factum ex muliere.* Quemadmodum enim à muliere initium fuit peccati, quo omnes infecti sumus: ita per mulierẽ simiiter venire debuit salutis initiũ. Hoc in loco blasphemus Lutherus, vt se clarè ostẽderet cuius esset seminis effectus, sic scripsit. Paulus quasi per cõtumeliam (vt apparet) Virginẽ matrem Filij Dei, mulierem tantùm appellat. Quod ex veteribus patribus quosdam male habuit, &c. O vetè inimicum Christi Filij, qui hęc de illius sanctissima & charissima matre valuit cogitare. Laus ista est Virginis summa, vt singulariter appellata sit mulier, in sensum illum illustrem expositum: & longè quidem maior laus, quàm si Virgo appellata fuisset. Ipsa nanq; est rara illa mulier, quam tanto desiderio in spiritu quærebat Salomon, dicens: Mulierem fortem quis inueniet? Christus etiam Filius nusquam vocauit eam nisi hoc nomine, Mulier, vt intelligeremus, Sicut ipse singulariter fuit vir inter viros, ita illa inter mulieres singularem fuisse mulierem. Sed hæc non sunt canum & porcorum: nec etiam superborum, & minus piorum hominum.

Impietas Lutheri in Virginem.

Factum sub lege. Deus obligauit illum peculiariter illi legi, cum ipse alioqui esset legis Dominus. Nam & particularis quædam pro Iudæis, qui erãt sub maledicto legis, requirebatur redemptio. Vnde ait, *Vt eos qui sub lege erant redimeret*, videlicet à maledicto illo peculiari legis. Ipse enim Christus pro illis impleuit legem, *vt filiorum adoptionem reciperemus.* Admiscet & Gentes: & quasi vnum ex illis seipsum facit. Significat autem legitimum salutis adipiscẽdæ ordinem: quoniam prius quàm posset Gentibus venire salus, ante oportebat Iudæis prospectum esse.

Quoniam autem estis filij Dei, id est, vos omnes simul facti vnum, Iudæi & Gentes. *Misit Deus Spiritum Filij sui, &c.* Hinc insurgit dubiũ. Potiùs quippe videtur esse dicendũ ex spiritu venire adoptionem, & sic filiationem Dei, quàm vt ecõtrario ex filiatione veniat Spiritus. Non enim ij censeri possunt filij, qui sunt sine Spiritu Dei.

Respondeo: Non vno tantùm modo dicuntur filij. Erant quidem Iudæi filij, sed paruuli qui nondum habebant Spiritus perfectionem. Et hîc loquitur de Spiritu perfectionis, quo clamatur Abba Pater. Est enim quodã modo, & non est filius, qui nescit adhuc vocare patrem.

Possumus & filios Dei duplici modo intelligere. Et primo quidem secundum potentiam: quia erant iam quasi candidati omnes ad recipiendã adoptionem. Alio modo secundũ actum, in quo consistit perfectio. Et nota hîc dici ab Apostolo ipsum Spiritum clamantem: qui ad Rom. dixit: Nos clamantes, vt idem dictum esse intelligas, & clamare Spiritum, & nos per Spiritum clamare. Sic enim & rectè de homine dicitur: Homo videt, & oculus videt. Videt tamen verè ipse homo, sed per oculum videt. Sic clamat homo Abba Pater, & per Spiritum datum nobis, & inhærentem nobis clamat. Et istud attentius est propter eos animaduertendum, qui volunt in nobis Deum facere & operari omnia sine nobis. Item nota, *Abba Pater*, duo esse posita vocabula idem prorsus significãtia, quibus declararetur in diuersis, videlicet Iudæis & Gentibus, idem Spiritus, idem clamans: vt iam omnis per Christi Spiritum ostendatur sublata distinctio.

Nota.

Itaque iam non est seruus, sed filius. Quòd si filius & hæres per Deum. Concludit effectum testamenti, (quod est hæreditatis apprehẽsio) venisse, sed non dum perfectè: quoniam ambulamus in spe, quandiu peregrinamur à Domino. Et ait, *per Deum*, id est, Christũ: quia in illo sita est omnis gratia, quæ in nos venit. Nota ergo duas Domini de Christo promissiones, quæ nomine hæreditatis significantur. Prima pertinet ad substantiam præsentis gratię. Et hanc iam obtinuimus in donis fidei, & spei, & charitatis.

Duplex fãta de Christo promissio.

Secunda verò pertinet ad substantiã futuræ gloriæ. Et hanc expectamus, nobisque eam operamur per patientiam in tribulationibus, & passionibus carnis, & multiplicibus huius mundi miseriis. Nobis enim dicitur, Cum timore ac tremore vestram salutem operamini.

Phil.2.

Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dij, seruiebatis. Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis? Dies obseruatis, & mẽses, & tẽpora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Estote sicut ego: quia & ego sicut vos. Fratres, obsecro vos. Nihil me lęsistis. Scitis autem, quòd per in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmitatem carnis euãgelizaui vobis iam pridem. Et tentationem vestram in carne mea non spreuistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Vbi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonum autẽ æmulamini in bono semper: & non tantùm cùm præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.

Sed tunc quidem, &c. Vult ostendere beneficium Dei magnum, qui ab infœlicissimo statu in optimum eos reduxerit. Et ea ratione stultitiã eorum insignem detegere, eamq; ante oculos illis opponere, qui reuerti ad statum pristinum, & quodam modo retrogredi non vererẽtur. Ait ergo: *Sed tunc quidem ignorãtes Deum*, hoc est, antequam venissetis ad fidem, nedũ eratis in statu cognitionis Dei veri: sed contra in cultu falsorum deorum qui natura non sunt dij, & ita non veri dij erant. Verus enim Deus est natura Deus ex se, & nõ fit ex placito hominum Deus, vt fiebãt illi. Qui autem participant deitatem, vt & ipsi dici quodam modo dij possint, ab ipso Deo habẽt, non ab hominibus. Cum ergo in eo statu essetis infœlicissimo illo quidem & periculosissimo, & ex illo erepti veneritis in Dei cognitionem, imo ipsi, *sitis cogniti à Deo*, hoc est, dilecti ab eo. Ob hoc enim cognoscitis illũ: quia prius cognouit vos, qui oculum direxit in vos paternæ misericordiæ suæ ac prouidentiæ, donans vobis veritatis, & suæ erga vos charitatis notitiam.

Cum igitur hæc ita sese habeant, *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, &c.* Hic palam ostentat Galatarum dementiam. Nam cum ita se res haberet vt Deum iam nossent, vtpote ab eo cogniti, nihilosecius patiebantur per falsorum prædicationem Apostolorũ sese iterum transferri ad elementa, quæ ordinabantur ad ipsam Dei cognitionẽ, vt sic ea inquirerent quæ iam erant consequuti: & (quod omnem superabat insipientiam) inquirerent per illa Iudæorum elementa, infirma & egena, quæ iam per euangelij lucem explosa erant: ideoq; superstitiosa, vtpote vel mendacia, vel inania: imò etiam contra spiritus libertatẽ. Ait autem, *Quibus denuo seruire vultis*. Vt notatet Iudaicas obseruationes nulla in re iam à superstitionibus Gentium differre, quãtum pertinebat ad infirmitatem, & quatenus egena, cum minime sint potẽtia ad cognitionem Dei inducendã: sed magis id promitterent, quam præstarent, cum iam mẽdacia (vt diximus) reddita essent & inania. *Dies obseruatis, & menses, &c.* Dierum obseruatio erat in Sabbatis, & Neomeniis. Mensiũ autem obseruatio erat primi, & septimi. Annus verò obseruabatur, septimus, & quinquagesimus Iubilei. Sed hęc omnia eo tempore mysteria habebant recõdita, quæ nunc sunt clara & aperta. Vnde nobis quidem prodest ea scire: Illis autem vti nedum vtilitatẽ adferret vllam, sed contra nunc non parum detrimenti: quod ipsi miseri Iudæi non intelligunt. Sequitur:

Timeo vos, ne sine causa laborauerim in vobis, &c. Charitatem suam ex timore ostendit. Non tamen adhuc animum de illis despondisse (cum præcipiat eis) simul innuit, qui non ita essent corrupti, vt ad veritatem reuerti non possent, ad quam eos mira suauitate inuitabat aiens, *Estote sicut ego, quia & ego sicut vos*. B. Hieronymus ait, illos ab Apostolo inuitari, vt ad sui imitationem sint in libertate: quia & ipse aliquando, quemadmodum & illi, fuerat in seruitute constitutus. Sensum non improbo. Mihi tamen placet potius sic debere intelligi, vt hortetur eos velint esse sicut ipse, videlicet nõ obseruantes legalia. Ipse enim licet Iudæus esset, erat tamen velut ex illis Gentilibus vnus, nimirum liber ab iis elementis: quia in Christo Iesu omnes vnus erant effecti.

Fratres obsecro vos, id est, obsecrando magis quam imperando hæc à vobis obtinere percupio. Hic exemplum Prælatis, vt leniter cum subditis agant, & non cum supercilio, austeritate, & potentia. *Nihil me læsistis*. Ex quo potestis coniicere me solius veritatis gratia loqui aduersum vos. *Scitis autẽ quòd per infirmitatem carnis, &c.* Euangelizare per infirmitatem carnis est hic B. Hieronymo, euangelizare inefficaciter propter carnalitatẽ, non suam quidem, sed audientium. Verùm huic expositioni planè verba sequentia nequeunt aptè accommodari: nec eo sensu seruaretur digna ipsius sententiæ proprietas. Mox etenim ait, *Tentationem vestram in carne mea non spreuistis*. Euangelizasse ergo per infirmitatem carnis, se ob eam causam testatur Apostolus: quoniam non cum potestate & virga, sed leniter cum illis & omni mãsuetudine ambulauit. Sic & eadem voce vtitur ad Corinth. Quasi infirmus (ait) fuerim hac parte.

Et tentationem vestram, &c. Illam infirmitatem suæ carnis, illorum tentationem appellat: quia per illam instigabantur ad ipsius contemptum, vtpotè qui ferè nihil in eos posse videretur. Et tamen eam illi infirmitatem non spreuerunt, neque contempserunt: sed contrà potius, *sicut Angelum Dei* (inquit) *accepistis me: sicut Christum Iesum*. Et hac in parte eos plurimum cõmendat, cum sit iuxta verbum Domini dicẽtis: Qui vos accipit, me accipit: & qui vos spernit, me spernit. Luc.10.

Vbi est ergo beatitudo vestra? Græcè melius sic: *Quæ erat igitur beatitudo vestra?* ac si dixisset. In quo tunc bonum vestrum ponebatis, quando tanto me affectu & honore tanquam Angelum Dei, aut ipsum Iesum recipiebatis? Vtrum in me qui etam infirmus: an verò potius in eo quod ex me audiebatis, scilicet veritatis verbo? Certè in verbo veritatis, nõ in me, qui ex me nihil eram: & nihil esse etiam (quòd ad vos pertinet) me esse ostentabam, euangelizans vobis non in potentia, sed in infirmitate. Et vt hunc eorum erga se affectum vehementissime exaggeraret, addit:

Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset,

oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi, &c. Nihil poterat maius ac pretiosius afferri. Quid enim nobis charius ipsis oculis esse potest? Cum igitur hæc omnia tunc fuissent cauta beneficij huius, id est, acceptæ ab eo salutiferæ veritatis, ex eo rectò ac potenter à rei indignitate concludit, *Ergo inimicus vobis factus sum verum vobis dicens?* Hoc certè nihil perueršius excogitari potest. Propterea & Dominus in Iudæos: Oderunt me gratis. Et: Si veritatem dico vobis, quare nõ creditis mihi? Quid enim amabilius deber esse veritate, & ea veritate quæ salutem afferat sempiternam? Quamobrem cum emphasi pronunciandum est, vt summa inde atq; admiranda ostendatur detestatio. *Ergo inimicus factus sum vobis, verum dicẽs vobis?* Hoc est, quia veritatem salutarem attuli vobis? Et addit:

Ioan.15. ibid.5.

Æmulantur vos non bene, &c. Omnem huiusmodi tam admirandæ rei causam reiicit in pseudoapostolos, in quos: *Æmulantur* (inquit) *vos*, id est, per æmulationẽ, qua aduersum nos prouocantur, afficiuntur erga vos, vt in eorum vos detis discipli nam, eisque subiectos vos profiteamini: quatenus possint ipsi in vestra carne gloriari. Et ideo, *non benè*, quia non veritatem prædicant. Non salutem vestram tales, non gloriam Dei simul & vestrã quærũt: sed suam, & eam quæ ab hominibus est: quam Deus exosam habet. Videre quàm non bene: quia etiam, *excludere vos volunt*, id est, volũt vos ab ecclesiæ gremio, & sanctis Apostolis excludere, vt sic exclusi cogamini æmulari, id est, per æmulationẽ illis hærere. O artem diabolicam. Sic enim faciunt hæresiarchæ, qui se cum suis segregant ab ecclesia. Postquam autem id obtinuerunt, ac subdolè suis sectatoribus ipsam ecclesiã odiosam reddiderunt, vtpote à qua sensim per eos sunt segregati, cogunt mox sic illusos conuersõ vt se æmulentur, id est, vt cum præ pudore vereantur reuerti ad ecclesiæ (quam spreuerunt) grẽmium, æmulationem cogantur exercere pro illis, & controuersias alere, & factiones, & ipsa factionum capita mordicus tenere, & subdi illis. Istud nostris temporibus apud nouos hæresiarchas accidisse non sine gemitu videmus, quibus propterea adhærent non pauci ab eis seducti: quoniam videt se ab ecclesia alienatos, & instillante dæmone perniciosissimè sibi persuadẽt, locum iam nullum apud illam relictum: aut etiam redire verecundia præoccupati reformidant. Vnde coguntur quodam modo æmulari Magistros suos, id est, pro Magistris illis falsis zelantes contendere: quod & faciunt quàm temulentissime. Quo fit vt magnificent sectas, & nomine nouo seipsos secernentes, vocant Euãgelicos: & nos ignominiæ causa Ecclesiasticos, aut Papistas: vt vel in hoc seipsos redarguant, qui euangelium ab ecclesia segregant quàm imperitissime.

Notẽt qui ab ecclesia ad seductores discedunt.

Bonum autem æmulamini, &c. Tria admonet consectanda. Primum, vt æmulẽtur: sed quod bonum est, id est, vt æmulatione satagãt assequi bonum vt alibi: Æmulamini charismata meliora. Bonum autem veritas est, cui & charitas congaudet. Secundum est, vt bonum æmulentur, *in bono*, hoc est, via bona tendentes in illud, non improbè, sicut Lucifer qui æmulatus est charisma eximiũ, sed non bene. Et sicut ille Simon Magus, qui Spiritus potestatem appetebat, sed non benè: quia illam volebat sibi comparare pecunia. Aut, *in bono*, id est, quatenus bonum, vt illam bonitatẽ respiciatis, non personam. Tertium est, *semper*, non ad oculum duntaxat, id est, solùmmodo quùm is qui potest redarguere, præsens adest, sed perseueranter. 1.Cor.12. Act.8.

Filioli mei, quos iterum parturio, &c. Maternum hic exprimit erga illos affectum. Christus dixit conuersus ad discipulos: Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic mihi frater, & soror, & mater est. In eo frater, vt possit & patet esse: & in eo soror, vt valeat & mater esse. Christus omnium pater fuit, qui futuri sæculi futurus pater apud Isaiam prædicitur: quoniam vt sacerdos & doctor genuit nos verbo veritatis. Sed vt pro nobis patiẽs fuit in carne sua, matris vice nobis fuit. Itaq; mater fuit, qui suis doloribus & angustiis nos parturiuit ac peperit. Sic & B. Paulus ad Corinth. sese illis vt patrem ostendit, quos ait se genuisse in Christo per verbum euangelij. Nunc verò ad Galatas vt matrũ se ostendit: quia iterum eos per lachrymas, & orationes, & desideria parturiebat, *donec* (inquit) *formetur Christus in vobis*, videlicet ex fide & charitate. Hi affectus à Deo sunt: sed sanctè illos per orationes impetrãt, & gemitus, & suspiria, & affectus vehementes, quod est spiritualiter parturire. Hunc eundem affectum sentiebat ille qui dolens aiebat. Nũquid ego in vtero concepi omnem populum istum? Ob istam causam ecclesia sancta vocatur mater, quę assiduè lachrymis & gemitibus parturit vt pariat. Sed super omnes in Christo fuit Mater nostra secundum spiritum, illa quæ illius fuit secundum carnem. Hæc parturiuit omnes nos, & peperit sub amara sicu: quod plurimi mortalium non cogitãt, & ob id minus erga tantam redemptionis nostræ difficultatem commouentur. Matt.12. Isai.9. 1.Cor.4. Moses. Num.11.

Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam, &c. Mutare vocem ait, vt mihi videtur, non (vt exponit B. Hieronymus) quasi de scriptura in linguam, quasi viua vox maiorẽ habet energiam: sed quasi de blandiloquẽtia & infirmitate, in increpationes & obiurgationes potẽtiores. Nam & ipsa dilectio hos varios operatur affectus. Cũ enim filij quos vehementer diligimus, non ambulant viam salutis rectam, eos vellemus quocumq; conatu ab errore viæ reuocare. At cum blãditiæ minus profunt, mutare voces, & in duras increpationes erumpere cogit amor: præsertim cum illi nos spernere videntur veros patres, & illis indignè hærere, qui non solum non diligunt, sed contra corrũpunt eos, & perdunt. Ostẽdit autem eo se teneri desiderio: quoniam non poterat absens tam aptũ increpationis genus eligere, quemadmodũ præsens fecisset. Nec enim epistolæ omnia ferunt. *Quia cõfundor in vobis*. Græcè non est confundor in vobis, sed ἀποροῦμαι quod est hærere, dubium esse, & quasi indigentem consilij nescire quò sit erumpendum, nisi tãdem in obiurgationes. Hoc idem alibi aiebat: Quis scãdalizatur, & ego non vror? Hi omnes paterni sunt affectus, & amoris solicitudine pleni. 2.Cor.11.

Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem de libera, per repromissionē, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans: quæ est Agar. (Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem) & seruit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virū. Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quēadmodum tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundū spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillā & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, nō sumus ancillæ filij, sed liberæ.

Dicite mihi, &c. Mirè exprimit iustam indignationem, qua certam iustitiæ prærendit in eos causam: & quasi argumētum proponens ad quod nequeat responderi, interrogat. *Dicite mihi.* Vbi diligenter notandum, illa argumenta quæ de allegoria sumebantur, fuisse illis temporibus magna, & grauia & potentia: quæ tamen nunc paruipaciunt homines noui, à quibus vel hoc signo intelligitur abesse Spiritus ille, quo iudicamus spiritualiter, & in lumine certitudinis. At B. Paulus hæc potenter videns, etiam potēter obiicit. *Qui sub lege esse vultis.* Quod perinde est, ac sub peccato esse & seruitute: *legem non legistis?* Græcè, non audistis: Legem vocat hoc in loco, scripturam Moseos. Et hîc etiam diligenter aduerte, apud B. Paulū non esse tum legere vel audire legem, cum nō capitur sensus Spiritus: contra istos spirituales neotericos, qui nihil nisi literam tantum quærunt. *Scriptum est enim.* Nota est historia. Tu conuenientiam accipe iuxta expositionem Apostoli. In Agar agnosce testamētum legis verus, quod ab ipso monte Sina generauit in seruitutem. Agar enim (sic legitur in Græcis) est Sina mons in Arabia. Aiunt quidam illum montē arabica lingua vocari, Agar, & ibi data est lex. Et postquam data est, sancita est fœdere ac testamento in sanguine, & lecta audiēte populo, & ab eo confirmata: qui omnes promiserunt se eam legem facturos, & forè obedientes. Et ideo in seruitutem generauit & maledictum, cum illam non fecissent.

Pro sensu mystico scripturarum.

Sed illum dubium, Quonam modo coniunctus sit iste mons Sina Ierusalē, cum tanto inter se spacio distent, quantum norunt Geographi. Missa omnia facientes, quæ à pluribus non aptè hûc afferuntur. verius illud est (cum hîc Græce, συστοιχεῖ legatur) vt coordinationem quandam significari intelligamus: vt facere doctores solent, qui quædam docendo coordinant, vt inspiciantur rationes & proportiones. Ecce, vt capias quomodo ista coordinentur. Debemus in Abraham primum vnum patrem multarū Gentium, in quo erat Deus, contemplari. Huic duæ aptantur quōdā modo ad generandum mulieres. Est Agar ancilla: est & Sara, libera. Agar ancilla primò vi & potentia carnis Ismaelem concipit, & parit. Sara verò cum esset natura sterilis, ex promissione cōcipit & parit Isaac. Ista sunt duo testamenta, i. in his duo testamenta significantur. Et in Agar quidem vetus legis testamentum: In Sara autem nouum gratiæ. Et quia vetus natum est in Sina monte qui dictus est Agar, appositè in Agar ancilla multis de causis designatum est: quia & ipsa seruit cum filiis. At mōs Sion & Ierusalem, vnde exiuit lex & verbum Domini (vt ait Isaias) dominabatur. Et sic inuenitur ista coordinatio, vt in signo subiecto apparet. *Isa. 2.*

ABRAHAM
PATER.

AGAR, ancilla:	*SARA, libera.*
ISMAEL, ex carne:	*ISAAC, ex promissione.*
SINA, AGAR mōs:	*SION, vel IERVSALEM.*
LEX, testamentum vetus:	*EVANGELIVM, testamentum nouum.*
PECCATVM,	*GRATIA.*
SERVITVS,	*LIBERTAS.*
SYNAGOGA carnalis,	*ECCLESIA spiritualis.*

Ecce igitur quomodo mons ille Sina coordinatus est ad Sion & Ierusalem, non respectu quidem loci, sed mysterij. Et inde quòd per Ierusalem intelligitur Ecclesia quæ desursum venit, cui aptatū est euangelium & gratia: vnde libertas. Et hęc multò plures peperit, vt scriptum est. *Lætare sterilis quæ non paris, &c.* Parum admodum differt hæc citatio à B. Hieronymi traductione, qui ait: Lætare sterilis quæ non paris: laudē decanta & hymnum, &c. Declarat autem deinde Apostolus, ad quem ipsi ordinem attinerent, & ait:

Nos autem, fratres, secundū Isaac, &c. Et non secundum Ismael derelicti in carne. *Sed quomodo tunc hic qui secundum carnem, &c.* Aptat perfectè allegoriā: quòd sicut carnalis filius erat persecutor eius qui erat ex promissione, idq; ob superbiam carnis & primogenituram (vt ait B. Hieronymus) ita & Iudaicus ille carnalis populus spiritualem deridebat, & persequebatur. Verùm admonet eius quod scriptura tādem dicit: *Eiice ancillam & filium eius, &c.* Quæ ad iota verificata sunt secundum spiritum: quia inuentus est ille populus eiectus, & extra ecclesiam seruus, donec iterum sua die recipiatur.

Illud verò notandum omnino, in tota scriptura antiqua nusquam reperiri vbi Ismael sit persequutus Isaac: sed tantum lusisse cum illo. Vt intelligas reuera omnem aduersus Christianos persequutionem ludum esse quodam modo puerorum, qui citò transit: & nihil iis qui patienter amore iustitiæ sustinent, nocet. Potest tamen intelligi verbum illud, ludere, pro illudere & subsannare, quod est proprium carnaliū, qui illudere iis soliti sunt, qui proficiunt spiritu. Sed qui sic illudunt, nonne illudentur? Et qui spernunt, nonne spernentur: Vę (ait scriptura) qui spernis: nonne & ipse sperneris? Et meritò quidem. *Isa. 33.*

Ex hoc loco noui hæretici etiam argumentum elicuerunt vt se, suamque causam tuerentur. Negant enim hereticos esse gladio persequendos: sed debere potius doceri, & conuinci rationibus, & attrahi charitate. Non est (aiunt) ecclesiæ proprium suos persequi hostes: sed econuersò, potius persecutionem pati. Hoc apparet ab exemplo Ismaelis persequentis, & Isaac patientis.

De pœna in hæreticos.

Nos palam ac libentet confitemur, non esse ecclesiæ mouere persequutionem. Nec enim illa mouet in eos persequutionem vllam, sed attrahit dulciter quātum potest, docetque rationibus suadens, & authoritate quam habet à Deo. Quos si pertinaces compererit, castigat ad disciplinam. Quòd si hoc non prodest, etiam eiicit foras à filiorum consortio, ne suo cōtagio reliquos inficiant. Et ita esse agēdum hoc exemplo didicimus. Sicut enim legimus Ismaelem persequentem Isaac dum esset minor: sic etiam legimus impetātem Saram vt foras eiiceretur, velut indignus spe filiorū. Huiusque in hæreticos excandescit ecclesia. At si seculari curiæ & potestati tradantur, hoc non ex euangelio fit, sed ratione politiæ, vt noxij homines, & publicæ tranquillitatis perturbatores (quod se optare paulò inferius ostendet Apostolus) tollātur è medio. Nam tantum abest vt euangelium potestatem regiam auferat, vt etiam vehementer confirmet, iubens reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari. & illud: Reddite, omnibus debitum. Item nedum bonis & modestis, sed & discolis iubet Princeps Apostolorum esse parendum. *Rom. 13. 1. Petr. 2.*

CAP. V.

VA libertate Christus vos liberauit, state: & nolite iterū iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paul⁹ dico vobis: quoniam si circūcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circuncidenti se: quoniam debitor est vniuersę legis faciēdæ. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spē iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur. Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos. Modicū fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque est ille. Ego autem fratres, si circūcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. Vtinam & abscindantur qui vos conturbant.

Qva libertate, &c. In Christo liberi erant non solùm à seruitute peccati (quia ad peccatum non cogebantur, cum amplius non essent sub peccato) verùm etiam à seruitute cæremoniarum tam multarum, quæ sic premebant, vt nocerent spiritus efficaciæ. Multitudo enim cæremoniarum suffocat potius opera spiritus, & spiritum ipsum, quàm retreet & reficiat. Nam cæremoniæ ex eorum genere sunt, nō quæ oporteat facere, sed quæ oporteat omittere: si tamen conuenientes fuerint. At cum longè immodico numero superant, & superfluæ sunt, seruitus mera est, & in spiritus libertate nequaquam ferendæ. Sunt nanque ipsæ cæremoniæ velut folia in arbore, quæ si nimis densa sunt, succum fructibus suffurātur, vt nequeant maturare. Ideo cum ab his essent Galatæ per statum nouum gratię liberati, admonet B. Paulus vt in eo statu stabiles perseuerent, nec velint iterum iugo seruitutis detineri. Dicit, *iterum*, quia & Gentes habebant suas ineptas ac seruiles cęremonias. Et hîc attende, differre iugum istud & onus legis, à iugo & onere Christi. Nam Christi iugum suaue, & onus leue: & eiusmodi vt pacem afferat animabus nostris. Contra verò, iugum & onus legis (præsertim cum euaserit in superstitionem) spiritum premit & angit. Vnde addit: *De cæremoniis immò dicit.*

Ecce ego Paulus dico vobis, &c. Licet olim prodesset circuncisio quæ erat ex fide, si opera adiicerentur, & hoc antiquis Iudæis: Post Christum tamen mortuum & suscitatum, inutilis facta est. Gentibus autem semper noxia fuit: quanquam Iudæis ob fidei infirmitatem tolerata sit ad tempus. *Testificor autem rursus, &c.* Opera enim legis exigebantur à Iudæis: & qui circuncidebant se, ipso hoc facto in eo populo claudebantur eiusdem religionis professione, & ita tenebantur ad legem. Quod est maxime considerandum.

Hinc sese offert illa de Indis quæstio, qui cum Christum profiteantur, etiam circunciduntur: neque tamen putant se ad legis onera teneri obligatos. Verùm hic error potest quidem condonari, ne sit noxius ad mortem. Non enim ea se gratia circuncidunt, quasi ex lege teneantur. Nec circuncisione vtuntur, qua veluti sacramento quodam prænunciari Christum venturum profiteātur. Ad solam Christi imitationem ex deuotione eam suscipiunt. In hoc tamen non leuiter errāt: quoniam non omnis actio Christi est à nobis exercitanda, nisi pares adsint circunstantiæ. Ipse enim circuncidit se, vt sua circuncisione circuncisio illius populi vigorem acciperet, & vetusti hominis vitium in sua illa innocētissima carne præcideret. Quæ profecto ratio in aliis cessāt. Sic & agnum Phasæ manducauit, vt vetus testamētum expleret: non autem qui talia faciendi exemplum hac in re aliis relinqueret. *Euacuati estis à Christo qui in lege, &c.* id est, otiose & frustra agitis, & absque Christo. Declarat legem & circuncisionem non posse concurrere cum euangelio & gratia in veritate, licet aliquo tempore tolerati sint Iudæi. Aliquando autem ad Rom. dicens, Iudæo prodesse quidem circuncisionem cum legis obseruantia, loquebatur secūdum illud tempus, quo verè proderat: necdum ibi erat locus pandendi omnino cessationem eius. Quanquam ex eius doctrina id optimè accipi potest in epistola illa, à nobis iam explicata. *De Indorū circuncisione.*

Nos enim Spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Sensus est: Ad salutem consequendam, quæ est spes iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtitiæ, non valet circuncisio illa carnalis, ſed ſpiritualis, quæ à Spiritu venit. Et ſpiritum vocat ipſum donum Dei, quo illi iũgimur, iuxta illud: Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum illo. Hic autem ſpiritus charitas eſt: & dicitur gratia quę eſt ex fide, ita vt ex ipſa charitate formaliter iuſti ſimus. Nam per hanc etudimur de beata ſpe iuſtitię quam expectamus, & quam ſcimus iuſtis ſua die retribuendam: quia promiſit illis Deus. Hæc ſpes ipſe Chriſtus eſt, qui & propitiatio, & iuſtitia noſtra eſt, in quo pretioſi Deo nos ſumus, & opera noſtra digna præmio, quaſi ab illo facta, qui inuenitur in nobis per Spiritum ſuum, qui & pro nobis hoc poſtulat.

Nam in Chriſto Ieſu neque circuncisio aliquid valet, &c. Circũciſionem carnalem non valere in Chriſto, idem eſt quod euanuiſſe: quia Chriſtus attulit ſpiritualem quę in baptiſmo ſit, vnde ceſſat illa carnis. Primus autem quàm veniret Chriſtus, & fides de illo explicita, valebat quidem circuncisio ex fide Chriſti vẽturi. Sed iam non valet in eodem exhibito, id eſt, in explicita lege Chriſti, quæ eſt de eius morte & reſurrectione. Præputium autem non valere in Chriſto clarum erat. Ergo, *in Chriſto*, hoc eſt, cum quis Chriſtum baptiſmo indutus eſt & iam iuſtificatus, ſolùm valet fides ad expletionem ſpei, id eſt, ad ſalutem. Non tantum ſola & nuda fides, vt aiunt hæretici, à quibus quantumuis verſutis & callidis, & omnia ad peruerſum ſuum dogma referentibus, non poterit tamen hic locus vnquam contra opera depraua ri. Valet (ait B. Paulus) fides in Chriſto. Sed quænam fides? quæ otioſum hominem reddit? Nihil minus, *ſed fides* (inquit) *quæ per charitatem operatur*. Hæc eſt quæ abſolutam iuſtificationem efficit. Nam reuera antequã ſimus in Chriſto, fide iuſtificamur: quia Deus credentem tantum iuſtificat per infuſionem doni iuſtitiæ, quæ eſt charitas, qua iuſti ſumus coram illo. Per illam omnis virtus, & virtutis actus habet vitam & gratiam coram Deo. Non eſt enim ſine fide & ſpe infuſis donis, quæ ab ipſa charitate vitam accipiunt, vt grata ſint & placeant Deo. Itaque fides quæ non operatur per charitatem, otioſa eſt, nec placet Deo, in eo ſcilicet, qui ſemel induit Chriſtum.

Quare nũ articulum fidei negãt, omnes negemus.

Currebatis bene. Curſui vitam noſtram comparat, ſed reſpectu brauij & coronæ, vt ſignificet non debere impediri curſum hunc, quum recta tendit ad coronam. Et ideo conqueritur aliens: *Quis vos impediuit, &c.* Deeſt in Græcis id quod ſequitur. *Nemini conſenſeritis.* Addit, *Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocauit vos.* Deus enim erat qui vocauerat, & fidem exigebat, non antiquas legis obſeruãtias. Spiritus enim & gratia, & Chriſtus ab iis prædicabatur, qui euangelium promulgabãt, non lex & Moſes, qui famulus erat in domo.

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Hoc ad doctrinam referri poteſt, vt parum quid contra veritatem Chriſti dictum, corrumpat totam fidei maſſam. Et verè ſic res habet: quia qui in vno quouis articulo pertinax eſt, nihil verè credit. Nam de cæteris quæ ſibi videtur credere, fidem non habet, ſed opinionem aut ſuſpitionem. Ratio eſt in promptu: quoniam in vno diſcrepans ab eccleſia, ſpernit eam quæ eſt columna & firmamentum veritatis, cui omnes inniti debemus. Poteſt id ad homines & ad magiſtros applicari, & melius. Etenim ij non ſecus ac peſtilens quoddam fermẽtum de maſſa plurimum corrumpũt. Quod autem fermentum malam doctrinam ſignificet, probat ipſe Dominus qui dixit: Cauete à fermento Phariſæorum. Et euangelium ſimiliter aſsimilauit fermento. Alibi, fermentum malitiæ, & nequitiæ dicitur. Et verè ſi vnum de attinentibus ad fidem corrumpitur, totum patiter ſuſpectum reddi, & negari poteſt. Quare nihil omnino eſt admittendum malæ doctrinæ in iis quæ fidei ſunt, ſed ſyncerè tradenda ſunt omnia.

Luc. 12.

1. Cor. 5.

Ego confido in vobis in Domino. Græcè legitur, *in vobis*, id eſt, erga vos, non in vobis: vt confidentia ſit in prouidentia Dei erga illos. *Quòd nihil aliud ſapietis.* Quidam dictũ hoc putant ab Apoſtolo propheticè, vt B. Hieronymus: ſed hoc durũ videtur. Nam ſuperius vbi ait: Timeo vos, &c. oſtendit timorem in oppoſitum, quod non eſt habentis prophetiam. Sed valere ad exhortationem ſolet iſtud, nunc timorem oſtendere, nunc confidentiam: vt & metu ſimul ac ſpe auertantur à verbo mendacij, quibus ſtudioſè timemus.

Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, &c. Quidam impij hoc quaſi aduerſus Petrum dictum accipiunt: quod vel cogitare eſt horrendum. Innuit ergo aliquem inſignem pſeudoapoſtolum. Portat autem iudicium, quicunque dat ſuæ culpæ pœnas: quoniam etſi culpa tranſeat, reatus tamen manet.

Ego autem fratres, ſi circuncisionem adhuc prædico, &c. Hic oportet ſubintelligere, à malignis illis qui circuncisionem & legis opera ſuadebant, etiam calumnioſè Apoſtolos huius eſſe ſententiæ additum fuiſſe. Vnde reſpõdet. Certa eſt perſecutionis meæ cauſa, nimirum ex eo quòd crucem prædico abſque Moſe, lege, & circuncisione. Iſtud ſcandalum eſt Iudæis, qui ſuam, non Chriſti iuſtitiam volunt ſtatuere.

Vtinam & abſcindantur qui vos conturbãt. Non ait, abſcindantur illis membra pudenda, vt quidam ſine ratione intelligunt: ſed optat vt ipſi abſcindantur ſimili modo à corpore, ſcilicet eccleſiæ. De ſpirituali itaque abſciſsione eſt abſque dubio intelligendũ. Sicut enim in circuncisione Chriſti illa pelliculæ abſciſsio ſignificauit præcidendos à corpore illo ſuo benedicto: ita optabat Apoſtolus gladio anathematis id fieri in Magiſtros illos & fatores errorum, qui circuncidi Gentes procurabant. Alludit enim ad abſciſsionem illam quæ in circuncisione carnali fiebat: quaſi dicat: Vtinam & iſti qui diligunt abſciſsionem, ſic ab eccleſia abſcindantur, ſicut eorum caro in ea iudaica obſeruantia abſcinditur. Quod de ſideriũ non niſi ex ſancta charitate veniebat, quo ſaluũ corpus fieri poſſet. Nec opus eſt hoc in loco ea cõminiſci, quæ B. Hieronymus ad excuſandum Apoſtolum affert, qui tamen nec ſe excuſare illum omni nõ à peccato fatetur: quod mihi nequaquam placet, nec poteſt placere.

Vos enim in libertatẽ vocati eſtis fratres: tãtum ne libertatem in occaſionem detis carni, ſed per charitatem Spiritus ſeruite inuicem. Omnis enim lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum

tuum ſicut teipſum. Quòd ſi inuicẽ mordetis & comeditis: videte ne ab inuicem conſumamini. Dico autẽ in Chriſto: Spiritu ambulate, & deſideria carnis nõ perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autẽ aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcũque vultis, illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini: non eſtis ſub lege. Manifeſta ſunt autem opera carnis, quę ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prędico vobis (ſicut prędixi) quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequẽtur. Fructus autem ſpiritus eſt, gaudium, pax, patientia, lõganimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui autẽ ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Luc. 5.

Vos enim in libertatem, &c. De libertate non carnis, ſed ſpiritus intelligit, occurens hæreticis noſtri temporis, qui prætextu huius libertatis vniuerſam legem euertunt, & concupiſcentiæ laxiſſimas habenas tradunt. Grata quidem voluptuoſis hominibus prædicatio. Sed ne talem ab Apoſtolo libertatem doceri quiſquã arbitraretur, cautiſſimè protinus addidit: *Tantum ne libertatem in occaſionem detis carni*, id eſt, Modo ne, quæ libertas eſt ſpiritus, in libertatem carnis conuertatur ad libidinum voluptatem, quam vel Plato malorum eſcam appellabat, quòd ea videlicet homines capiantur vt hamo piſces. Qua quidem nulla capitalior peſtis in ſenſibus noſtris inſidere poteſt. Hoc idem B. Petrus vetabat. Quaſi liberi (inquit) & non quaſi velamen habentes malitię, libertatem. Per Chriſtum enim eò res erat deducta, vt qui prius ſerui erant peccato & legi: liberi autem, id eſt, ſoluti à lege iuſtitiæ: rurſum econtrario hi facti à peccato liberi, & à lege illa quæ congruebat peccatori, ſerui fierent iuſtitiæ.

1. Petr. 2.

Contra libertatẽ hæreticorũ. Pſal. 75. & 76.

Verùm caro quæ audit libertatem extolli, dat aures: & interpretatur eam eſſe libertatem quæ liberum hominem facit à iuſtitia, quam illa odit, vt ſi illi dixeris. Serua vota, quæ diſtinxerũt labia tua, cum ſcriptum ſit: Vouete & reddite Domino, continuò reſpõdeat. Nos in libertatem vocati ſumus. Illud enim: Vouete, & reddite Domino, olim erat, & eſt inter Iudaicas obſeruantias reponendum. Alij dictionem illam, Ne der. quam vbique ſancti interpretes noſtri verterunt, Votum, negant ſignificare propriè votum. Sic ait Suinglius, à quo & hoc didicit Ochinus quidam inſignis quõdam hypocrita (ſed inſigni apoſtaſia & turpiſsima fuga iam obſcuri & ſemiſepulti nominis) verum ſignificare munera & ſpõtaneam oblationem. Vt hic videre liceat triplicem carnis ſapiẽtiam: & male ſentire: & male facere: & inſipienter atque arroganter ſe exculare aduerſus omnium veterum ſenſum tam de re, quàm de voce, quos aduerſum ſe habẽt, qui & verbo & facto ipſo aliter ſcripturas ſunt interpretati. Hoc nos alibi proprio tractatu luce clariùs oſtendimus.

Item ſi dixeris: Obedi Eccleſiæ, & Præpoſitis. Suſcipe deuotè indicta ab eccleſia ieiunia, & luctum Chriſti, vt in gaudium poſsis intrare cum illo: & alia huiuſmodi addas quæ ad carnis caſtigationem faciunt, & ſpiritum roborant, ſimiliter in ſua carnis ſapientia nobis obiiciunt. Nos in libertatem vocati ſumus, &c. Nec vult intelligere eorum caro, quod ſequitur: *Tantum ne libertatem in occaſionem detis carni.* Non eſt enim carnis, ſed ſpiritus diſtinguere, Longè aliud eſſe alligari oneribus legis & obſeruantiis, quæ minimam quidem caſtigandi corporis rationem habebant. Aliud verò edomare corpus, & in ſeruitutem talem redigere, ne obſiſtat ſpiritui: & vt interi lugeat anima quaſi vidua, vt pote Sponſo ſuo Chriſto à ſe ſublato. Quod & Chriſtus prædixit. Venient dies quando auferetur ab eis Sponſus, & tunc ieiunabunt. Origenes aliter hunc locum magno apparatu exponit, huc tandem reſpiciens, Ita eos debere libertatem profiteri, vt non propterea darent ſcandalum carni, id eſt, infirmis in fide. Sed hæc expoſitio nõ attinebat ad propoſitum. Nam Apoſtolus apud illos voluit rem omnino præſcindere, cum maturum tempus iam poſceret ſecuris ad ſterilis ficulneæ radicem poneretur. Euangelium enim (quem admodum & B. Ioannes de ſeipſo teſtatus eſt) creſcere debuit, & legem minui. Ne ſcilicet nimia indulgentia perpetuò penderent ab vberibus matris ſynagogæ Iudęi. Vbi autem pertinaciores ſunt animi, maior vis adhibẽda eſt: vt qui ob dulcedinem à rebus gratis ablactari non poterant, vel cum aliqua amaritudine ad ſolidum cibum deducerẽtur. Quam ob cauſam arguit eoſdem Apoſtolus alibi, qui cum deberent iam temporis progreſſu magiſtri eſſe, rurſum indigebant inſtrui quænam eſſent elementa ſermonum Dei.

Luc. 5.

Ioan. 3.

Heb. 5.

Sed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicẽ. Ecce Chriſtiana ſeruitus, quæ cum charitate atque dilectione coniuncta, à libertate non ſeiungitur. Eſt enim ſpiritualis non carnalis dilectio, qua liberaliter ſeruitur. Seruitus quippe eatenus mala eſt, quæ opera facit non bona: aut ſi bona, ea tamen non lubẽs operatur. Qui autem opera charitatis facit, & lubens facit & promptè: quoniam per charitatem & non inuitus, ſeruitute bona & beata ſeruit. *Omnis enim lex.* Melius, *vniuerſa lex*, vt Græca lectio habet. Non enim plures ſunt leges, ſed vna Chriſti, quæ eſt dilectio Dei & proximi, ad quam cuncta referenda ſunt. Hoc declaratum eſt in ea quæ ad Rom, c. 13. Nam in dilectione Dei tantùm, ſepoſita dilectione proximi (vt ibi, ſi fieri poſſet, ſiſteres) non eſſet implementum: ſed fundamentum, & pars potiſsima legis. Tum demum abſolutè impletur lex, vbi & propter Deum proximum quoque dilexeris: & ob dilectionem eius omnia fece-

Universidad de Deusto Biblioteca

ris,quæ ſummantur & recapitulantur in hoc vnũ breue præceptum. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

Quòd ſi inuicem mordetis,&c. Detractionis vitiũ, quod eſt directò contra charitatem, deteſtatur: quoniam illud bonũ à fratre ſuo intercipit, quod eſt inter humana maximum,idque eſt fama. Comparatur autem detractor cani mordaci, qui rabido ore lacerat hominem. Homo enim nõ ſolùm conſideratur qua parte oculis carneis cernitur: ſed ea maxime quæ minime videri poteſt. Conſiderari autem(vt chriſtiana ſynceritas hortatur) debet,eſſe aliquid coram Deo,& hominibus per virtutes. Quæ ſi illi detrahantur,morſibus detractoris lęditur eius exiſtimatio, & ſic proculdubio conſumitur. Cum igitur mutuæ exardeſcunt detractiones, neceſſariò,vt inuicẽ abſumantur,euenire oportet.

Nunquid autem erit detractio, ſi forſan verum dicatur? Eſt equidem,quùm illud verum eſt occultum. Et licet non detrahatur de virtute quam non habet, detrahitur tamen de exiſtimatione & fama:quod eſt peccatum, cũ ſit animo nocendi proximo ſuo. Quem enim fraterna correctione fortè poteras emẽdare, hoſtili illum odio antè fœdaſti, Et quem debuiſti (ſi vel malum pateret) contegere:contra,cum non pateret,prodidiſti.

In vitium detractionis. Graue peccatum detractio, quod è diametro præſtantiſsimæ omnium virtuti,charitati ſcilicet, opponitur. Et apud Chriſtianos tamen plurimum graſſatur,vt detractorio ſermone nullus ferè ſit in ore multorum crebrior: Qua in parte quid de nouis hæreticis cogitandum? qui nedum venenoſis verbis & libris,Pontificibus,Epiſcopis, religionibus non parcunt: ſed & os blaſphemũ in cœlum poſuerunt,Sanctiſsimam Dei matrẽ, Sanctos omnes,iis honoribus, quibus à Chriſto capite tanquam chariſsima membra, ſunt ornati, ſpoliare non perhorreſcunt impij. Nam ſi verbi otioſi ſeuera eſt in die iudicij reddenda ratio,quid expectare debent detractores & blaſphemi? Locus hic eſſet ad ſalutares moniciones appoſitiſsimus,quem cõcionatores verbi Dei tenentur attentius in ſuum vſum conuertere,quò deterreantur à tam frequenti linguam in fratrum exiſtimationem laxãdi conſuetudine, Volat enim irreuocabile verbum,& læſę proximorũ famę fiet tandem terribilis exactio.

Dico autem in Chriſto. Ne putarent eos qui ſemel induunt Chriſtum, neceſſariò manſuros ſemper in Chriſto,vt quidam hæreticorum arbitrati ſunt, hortatur Apoſtolus aiens: *ſpiritu ambulate*, id eſt, quò dictat Spiritus atque agit,ac ſuauiter impellit vos duci permittite. Poſſunt enim reſiſtere Spiritui,& poſſunt ſequi. Peccatum enim non iam dominatur niſi volenti, & vltrò manus porrigenti. Si Spiritum ſequitur homo Dei,ambulans vt Spiritus docet & ducit,nihil erit damnationis: quia peccatum non poterit nobis inuitis ad damnationem conſummari. Hoc dicere claris verbis voluit B.Paulus. *Et deſideria* (inquit) *carnis non perficietis.* Non pollicetur extinctas iri omnes concupiſcentias,& carnis petulantiam ſuas partes neglecturã, ſed dixit, *non perficietis* conſummantes conſenſu veſtro,quo peccatum perficitur: quod abundè ſatis eſt. Impoſsibile eſt autem ſecundum communem charitatem,crucifixam eſſe omnino concupiſcentiam,ſed ſolùm non obtinere dominatum. In quibus autem ipſæ carnis concupiſcentiæ crucifiguntur,ij perfecti ſunt,& perpauci:& tales iã in Chriſto ſunt conſummati. In charitate communi locũ habet ſequens conflictus.

Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, &c. Licet caro nequaquam dominetur,concupiſcit interim tamen, vt non rarò contingat vos non ea facere omnia quæ velletis. Hæc,inquam,inter carnem & ſpiritum cõcertatio ſic vrget, vt homo facere quęcunque cuperet, minus poſsit: vt aſsiduè hæreat Deo, & ſemper vnum illud neceſſarium meditetur,quod verè bonum eſt,& illa pars optima,quæ nunquam auferetur. Itaque oportet propter humanas neceſsitates,& carnem aſsiduè repugnantem & remurmurantem,reuerti ad ſemetipſum. Et tamen ipſe ſpiritus cõtrà,poſtulat quæ ſua ſunt propria. Quamobrem pro loco & tempore audiendus eſt ſpiritus, & carnis cura tantiſper omittenda,in his videlicet quæ ſunt præcepta: remurmuret licet,aut recalcitret quantum velit caro. Quod ſi fiat,rectum tenetur ſalutis iter, & bene ſperandum eſt.

Quòd ſi ſpiritu ducimini,non eſtis ſub lege. Ducit ſpiritus ad quædam præcipiendo, quæ ſi facit homo non eſt ſub lege,vt pote qui ſpiritualiter faciat, id eſt,liberè & amanter obtemperet. Ducit preterea Spiritus interdum ad alia quædam conſulendo & exhortando,non præcipiendo: qui ſi ab homine cui hæc inſpirat, etiam in his obtineat, remiſsius erit ille homo ſub lege, qui paret ſpiritui. Illud itẽ hîc conſiderandum, Eſſe in ſtatu aliquo,& ſecundum illum ſtatum viuere, non parum habere diſcriminis. Verbi gratia: Sunt multi in ſtatu gratiæ, quoniam baptizati induerunt Chriſtum, qui tamen cum non viuant vt lex gratiæ dictat, nõ ſunt ſub gratia (à qua per peccatum exciderunt) ſed ſub lege:à qua ſi per pœnitentiam liberentur,ruſum ſub gratia conſtituuntur. Quicunque igitur ſub gratia ſunt,poteſtatem habent vel manẽdi ſub illa,dum ſequuntur ſpiritum:vel decedendi ab illa dum poſt carnis concupiſcentias eunt, ſubditi legis imperio quæ iram & vindictam minitatur. Quam poſtremam partem numeroſior Chriſtianorum pars hodie eligit: inde omnis proborum morum propter imitationem corruptio, potiſsimum cum nulla iam adſit chriſtiana diſciplina in eccleſia:& omnes ordines à ſancto illo rigore lõgè declinarunt. Quo circa facilius (irato in nos ac permittente Deo) multis imponunt noui hæretici,primi ipſi corruptiſsimi, dum effectum gratiæ Chriſti hac parte, qua fit vt peccatum non dominetur,negant. Non enim videtur eſſe pleriſque verum,qui hoc in ſeipſis non experiuntur:ſed contra ſentiunt ſe abſtinere à peccato non poſſe. Non autem aduertunt miſeri ſua culpa iterum illam infirmitatem eſſe contractam, vt in deteriorem ſtatũ, quàm prius,præcipitati ſint, B. Petro teſte qui ait: Melius erat illis nõ cognoſcere viam veritatis. Ad ſuæ verò damnationis cumulum addunt duritiam dum viam ſuæ reparationis ingredi nolunt per veram ac ſynceram pœnitentiam, per fructus ipſa pœnitentia dignos. Si enim ſemel & ex contrito corde ſupplices reuerterentur ad Deum, eiuſque gratiam lacrymis implorarent, & eius miſericor-

Vnde occaſionem acceperunt hæretici ad errorem.

2.Pet.2.

dię ſiderent,haud dubium quin ſentirent in ſeipſis nouum aduenientis Spiritus ſancti auxilium,quo certò conſpicerent factam ſibi peccatorum ſuorum remiſsionem. Quoniam verò maxima pars non agit cum Deo ſerio,non tangitur dolore cordis intrinſecus, nec vt diuinæ Maieſtatis offenſa requireret,& noſtræ ſalutis apprehenſio,commouemur:ideò & pauci ſunt verè Chriſtiani,& multorum corda patent ſeductionibus nouorum noſtri temporis magiſtrorum expoſita.

Quare tam pauci vere chriſtiani.

Manifeſta ſunt autem opera carnis,&c. Vt cognoſcatur ergo quis ſit verè ſub gratia, & qui ſub lege, ab operibus docet. Nam carnis opera, illa ſcilicet quæ auferunt ſpiritum & gratiam, *manifeſta ſunt: quæ ſunt fornicatio,&c.* Omnia hæc vitia non ignota ſunt. Porrò attende inter opera carnis,non ea ſolùm crimina collocari quæ ad ſenſuum voluptatẽ pertinent,qualia ſunt crapulę, & ebrietates,& obſcenæ voluptates. Verùm etiam quæ ex aliis affectionibus flagitia & ſcelera committuntur, vt idolatria,& ſectarum æmulationes, & contentiones, & rixæ,& veneficia, & huiuſmodi alia quæ ab Apoſtolo enumerantur. Quodcũque enim non eſt à Spiritu ſancto,ſed prodit ex homine,ex carne venit. Nam & ipſe hominis ſpiritus in carne computatur: & totus homo caro dicitur in ſcripturis, in quo non eſt Spiritus Dei. Cæterum eiuſmodi criminum vocabula,cũ nota ſint,conſultò illa omittimus. Potius aduertendum quod ait: *Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur*, niſi ſcilicet illos pœniteat & reſipiſcant. Nam ſi pœnitentia ducti ad iuſtitiam reuertantur, videntur nunquam illa commiſiſſe,iuxta legem à Deo datam: Si reuertatur impius à via ſua omnium iniquitatũ eius non recordabor,dicit Dominus.

Ezech.18.

Fructus autem ſpiritus eſt,id eſt , illius doni, quo inſigniuntur qui ſunt in Chriſto. *Charitas,&c.* Sed videri poſſet, charitatem eſſe ipſum met ſpiritum: niſi capias hic charitatem pro actu. Aut intellige Spiritum largius pro ipſo largitore, qui cum ſit in nobis per charitatẽ ſuam,quodam ineffabili modo parit noſtram charitatem,& inde gaudium,& poſtmodo pacem. Vnde longanimitas, & patientia,& bonitas in affectu, & benignitas in effectu: tum fides,qua promiſſa ſeruantur:& debita ipſa citra vllam fraudem redduntur. Nam virtutum omnium fundamentum eſt fides. Deinde, πραότης, id eſt,manſuetudo. Denique ἐγκράτεια,id eſt temperantia, quam vocem tribus vocabulis reddidit nobis latinus interpres,quæ ſunt, *modeſtia,continentia, caſtitas.* Eſt enim temperantia iuxta eruditiorum expoſitionem,cõmunis quædam virtus, quæ in omnibus modum quendam atque ordinem rectiſſimum conſtituit,ſiue in dictis,ſiue in factis.

Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Notent hæretici aduerſus quos non eſt lex, nempe aduerſus eos qui habent fructus ſpiritus, charitatem,gaudium, pacem,quorum eſt longanimitas,patientia,& cætera virtutum opera. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Ergo aduerſus illos eſt lex,qui à charitate exciderunt,& præuaricatores conſtituti ſunt: nõ item aduerſus eos qui ſecundum legem viuunt. Qui enim tales ſunt, ſponte & libenter cum gaudio quæ ſunt legis operantur, & ſecundum virtutem: nec habent ſibi legem aduerſariam,cuius minas ac terrores & ſupplicia deſpiciunt,dum bene agunt. Et vide loquendi modum. Non negat his legem eſſe poſitam:ſed dixit,cum ſit & illis poſita lex, quam debent cuſtodire,non eſſe tamẽ his aduerſam qui illam cuſtodiunt,ſed familiarem ac beniuolã eam ſentiunt in corde ſuo,pollicẽtem bona, & afferentem gaudium & pacem, etſi nondum perfectam, vt ſæpe dictũ eſt. *Qui autem ſunt Chriſti,&c.* Apud B.Paulum dicuntur eſſe Chriſti, qui iam perfecti ſunt & conſummati, ſiue per abundãtiam gratiæ, qua impleti ſunt ab initio: ſiue per eum vitæ curſum quem tenuerunt ambulantes in ſpiritu. Nam ij aliquando eò peruenirũt,vt crucifixerint carnem ſuam cũ vitiis omnibus,& concupiſcentiis: ita vt iam nec ipſæ concupiſcentiæ excitentur,& vix ſentiant primos motus. Sed iſti rariſſimi ſunt: Eſſe tamen poſſe arbitror, cum hoc quàm manifeſtiſſimè ponat Apoſtolus:& vtinam ſic crucifigeremur nos cum Chriſto aliquando.

Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus,&c. Hortatur ergo tandem pro more ſuo ad vitam chriſtianam & ſpiritualem. Et ſenſus eſt, Si viuimus ſpiritu,hoc eſt,ſi à ſpiritu illa vita eſt,quæ vera eſt,ſpiritualiter viuamus. Tandiu enim penes nos ipſum ſpiritum retinemus, quandiu illi obediẽtes ſumus. Si ergo ita eſt, *ſpiritu & ambulemus*,id eſt, deducamur in actionibus ipſis,quemadmodum Spiritus ipſe verus imperat:non autem vt caro, vel ſpiritus erroris impellit. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, &c.* Ad Iudæos & Gentes ſimul hic ſermo dirigitur,qui ſe inuicem prouocabant, præſertim per inuidiam & æmulationem. Iudęi liuore quodam tabeſcentes,moleſti erãt & iniurioſi in Gentes, quæ tanta multitudine & promptitudine aſſumebantur, dolentes communicatum & illis Spiritum: quaſi fieret eis à ſummo Patre iniuria qui bonus eſt. At illi nequam habebant oculum,vt exprobratur cuidam in euangelio.

CAP. VI.

FRATRES,etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,vos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis,conſiderans teipſum,ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate:& ſic adimplebitis legẽ Chriſti. Nam ſiquis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Opus autem ſuum probet vnuſquiſque: & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit,& non in altero. Vnuſquiſque enim onus ſuũ portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniã qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem. Qui autem ſeminat in Spiritu: de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem faciẽtes, non deficiamus. Tempore enim ſuo me

Universidad de Deusto
Biblioteca

temus non deficientes. Ergo dum tẽpus habemus, operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei.

PRosequitur doctrinam ad christianos mores pertinentem, vt in omnibus principatum semper teneat ipsa charitas, & mutuæ salutis desiderium. Ait ergo: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo, &c.* Significat delictum ex inconsideratione ac fragilitate commissum. Hoc innuit verbum *præoccupatus*, Et spirituales vocat eos, qui se tales præsumebant. Et propriissimè ait, *homo*, humanam infirmitatem designans. Ergo varia peccati ratio, varium, quoque correctionis genus exigit. Si quis enim ex infirmitate, nulla data opera, sed præoccupatus peccat, dignus est misericordia, & leniter corripi debet, atque instaurari. *Instruite* (inquit) *eiusmodi*. Emendatius, instaurate, seu perficite, iuxta Græcam vocem. Aliud est si præmeditatus malitiosè peccauerit. Tunc enim non tanta lenitas est adhibenda. Item si peccatum sit grande & periculosum, noxiumque aliis, tunc durè ac seuerè corripiendus est homo.

Considerans teipsum, ne & tu tenteris. Mira conuersio de plurali ad singularem numerum: nõ quidem facta ex imperitia, vt B. Hieronymus opinatus est (Nimis enim crassus hic lapsus fuisset, potiusque incuria quàm imperitia commissus) sed quam reuera nec per imperitiam existimo accidisse B. Paulo, nec per incuriam, quin potius de industria sic esse ob eam causam dictum: quia quod singulariter dicitur, efficacius etiam ab vnoquoque singulariter tanquam sibi vni dictum accipitur. Eanque sermonis commutatio vnũquemque seorsum commonefacit viuacius, vt dum audit, seipsum interroget atque exploret, dicens: Nunquid me hic sermo pungit? Et proditum se esse intelligat, si quis sibi ipsi cõscius sese talem inueniat, qualis nota illa singulari designatus est. Nam quæ cõmunitet in omnes iaciuntur, frigidiora sunt, nec eandem vim ad mouendum singulos habent. Videtur ergo B. Paulus duritiem & austeritatem forte cuiuspiam tacitè subnotare, cui remedium præbet subiungens:

Alter alterius onera portate. Onera nostra, sunt peccata nostra: aut potius ipse reatus qui contrahitur à peccatis. Ergo portare alterius onera, est peccatorum alienorum reatum in se assumere, & pœnas pro eis luere: quemadmodum Christus satisfecit pro omnibus. Vnde & rectè dicitur. *Et sic adimplebitis legem Christi*, quæ est charitatis lex. Eo enim modo impletur, quo & ipse impleuit. Ille portauit iniquitates omnium nostrum, & sic adimpleuit omnem iustitiam, id est, integram & absolutã iustitiam, cum non solùm ipse pro se iustus fuerit, sed etiam ad nostram iustificationem in se transtulit supplicia peccatis nostris debita, adeo dilexit nos. Et hunc commendauit nobis dilectionis modum dicens: Hoc est mandatum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. In quo postremo verbo explicatur dilectionis modus eximius: Sicut (inquit) dilexi vos, qui animam meam pro vobis posui. Verùm quotusquisque est qui hæc consideret, nedum qui persoluat? Audiamus reliqua.

Ioan. 15.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cũ nihil sit, &c. Quod ait, *Nam*, non obscurè innuit rationem, cur homo est in alios immisericors, durus, ac minus iustus, vt pote qui nolit alterius fratris onera portare. Est autem ratio, sui ipsius ignorãtia, ac præsumptio de seipso: quasi non sit ipse quoque peccator, nec vlla habeat onera, quæ debeant leuari per alios. Qui falsam hanc de seipso concipit existimationem, vel hoc ipso peccator est maior, qui non solum seipsum non nouit, sed & insuper alios spernit. Meritò ergo in illum dicitur: *Qui se existimat aliquid esse*, quasi ex se sit id quod est. Hoc propriè significat, *Esse*, nimirum per se esse, quod est proprium Dei. Qui ergo se existimat aliquid esse, cum verè nihil sit (quoniam si quid habet, accepit) *ipse se seducit*. Græcè, mentem decipit. Sic mentitur iniquitas sibi, falsa de seipso credenti.

Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero: Sensus est, Vt possit verè gloriosus esse homo in opere suo, siue illud sit opus doctrinæ, siue aliud quouis, bene probet ipse opus suum, & non de malo aliorum opere, tanquam comparatione quadam, exultet, quasi ea non admittat flagitia, quæ alij: Vel fortè sua bona opera anteponat, & pluris pro prio iudicio æstimet. Nam & operatur forsan & illud: aut fortè aliud quiddam & peius. Quòd si ea sit fœlicitate præditus, vt nihil mali operetur: tunc etiam non minus clemens & mitis in alios esse debet, quibus non est collata tanta gratia. Verè homo Deo gratus debet (vt eleganter dixit B. Augustinus) deputare sibi dimissum, quod non fuerit à seipso, gratia Dei auxiliante, commissum. Qui hãc regulam non sequitur, sed se conferens cum aliis seipsum iudicat, est illi Pharisæo similis, qui in eo gloriam suam statuebat, quòd non esset velut publicanus & cæteri hominum.

Sunt & alij, qui in aliena gloria suam gloriam statuerunt, & propter illos putant se aliquid esse: quales illi qui dicebant, Ego sum Pauli, &c. Hos plerique imitamur gloriantes patres nostros sanctos fuisse, & hos quidem celebri sanctitate commendabiles: quorum & nomina atque numerum laudi nobis ad plausum vertimus. Hoc illi meruerunt, & fatemur omni veneratione & cultu dignissimos. Verùm sicut nec aliena me iniustitia vel cõdemnat vel commendat: ita nec iustitia, nec operis alterius probatio opus meum reddet bonũ, si malum fuerit ante oculos iusti Iudicis.

Potest & aliter locus hic intelligi, Non deesse quosdam qui non accuratè atque sedulo in opus suum inspiciunt, vt per se illud quale sit probent, sed quale aliis videatur expectant, vt sic se probẽt aliorum iudicio. At hæc non est legitima probatio. Non enim quem homo commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Vnusquisque enim onus suum portabit, id est, vnusquisque de proprio onere seu peccato iudicabitur. Neque verò per alterius opus, si alius benefecerit aut per alterius iudicium, si bene alius de illo senserit, exonerabitur, sed ipsius Dei sententia.

Hoc in loco quidam sciolus ex hæreticorũ grege, nititur probare inualida esse viuorum suffragia quæ pro defunctis fiunt. Et quò insignem videas eius arrogantiam, simul & impudentiam cum pari inscitia coniunctam producit ex Hieronymo testimonium his verbis. Annotauit autẽ in hũc Paulum locum B. Hieronymus, quod te latere nolui. Est enim vtile, imprimis, omnibusque piis gratissimum, sed Italicis cananæis proculdubiò ingratissimum. Obscurè licet docemur, ait, per hanc sententiolam nouum dogma quod latitat, dum in præsenti sæculo sumus siue orationibus, siue consiliis posse nos inuicem coadiuuari. Cum autẽ ante tribunal Christi venerimus, nõ Iob, non Daniel, nec Noé rogare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum. Qua ergo fronte audent sacrifici Rom. Pont. defunctorum necessariis polliceri Dinorum intercessiones, & pro peccatorum expurgatione vendere Missas? Hæc profectò impostorum ars est, non sacra sacerdotum Dei fides. Hæc iste nescio quis Burlingerus, quasi B. Hieronymus ibi loquatur de sacrificiis pro his defunctis, qui iam dormitationem in Domino acceperint, cum eiusmodi dogma minime latitaret, quod semper obseruauit ecclesia. Ergo manifestè ipse B. Hieronymus satis innuit dogma latitans, aduersus quod illa diceret. Erat quippe serpens adhuc Origenis hæresis, qui volebat omnes aliquãdo & homines, & Angelos malos adepturos salutem. Illã igitur hæresim iugulat, quæ tunc latitabat. Supererant eo tẽpore aliquot Origenis defensores quiclam illa secum mussitabant, quos ille sanctus zelo fidei flagrans vellicabat. Absit autem vt rem in ecclesia nedum minime latitantem, sed assiduo semper communi vsu patentem, voluerit vir Ecclesiasticus (vt hic nebulo imponit) sua solùm authoritate damnare, idque per eũ Apostoli locum, quo nequaquam possit euinci. Mens est ista ergo B. Hieronymi aperta: Cum venerit illa dies, qua quisque recepturus est prout gessit in corpore, ad flectendam iudicis sententiam nullæ præces tunc, nullæ obsecrationes valebunt, vt qui damnationẽ æternam meruerint, possint euadere aliquãdo cuius oppositum cogitabant Origeniani.

Euangelium annuntians de euangelio viuere debet.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, &c. Institutum Domini hoc in loco B. Paulus commẽdat, vt doctores qui diuites in verbo sunt, pauperes autem in bonis (nam etiam sic dicebãtur) participarent bona eorum quos instruebant, vt quædam hinc æqualitas nasceretur: & per charitatem mutuam qui minus, & qui plus collegissent, æquarentur. Hoc ad Cor. explicatũ est. Et hic, Bona, vocat communi acceptione, quæ pertinent ad vitæ commoda & sustentationem.

Nolite errare: Deus non irridetur. Erant in alia sententia nonnulli, qui putabant se non obligatos ad communicandum de suis bonis suo doctori. A quibus cum non peteretur lite forensi, se suos eluisse doctores ridebant, meritis stipendiis fraudatos. In hoc ergo errabant, quod etsi deriderent homines, Deum tamen ipsum irridere nõ possent. Deus enim nulli subiacet irrisioni. Irridetur vel ignarus, qui decipitur: vel impotens, qui non valet irrisionem vindicare. Sed nõ decipitur Deus quasi ignarus: nec impotens est ad vindicandum, qui irridentem potest adigere statim in fletum ac luctum æternum: quod & facturus est, sed sua die.

Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Seminat homo vel opera carnis, vel opera spiritus. Per opera carnis se egregiè pascit, & voluptuosè agit hanc vitam. Sed horum exitus est corruptio: quoniam caro quantũuis bene & diligenter curata, corrũpetur tamen & breui. Per opera verò charitatis pascit spiritum, vt iustitiæ coronam metat. Sic est seminare in carnem, & seminare in spiritum, id est, vel carni in futurum prospicere: vel spiritui. Et sicut caro subiecta est corruptioni, sic opera quæ in carnem facta sunt, euanescunt. Similiter sicut spiritus viuit in æternum, ita & opera quæ in spiritũ facta sunt, æterno condonantur præmio. Crescit enim assiduè spiritus, qui bonis operibus alitur, vt hinc metamus vitam æternam. Notet hæc Lutheranus, & agnoscat peruersitatem suæ doctrinę. Verùm Tacianus quidam hæreticus hunc locum turpiter intelligens, stultam hæresim commentus est nuptias hîc prohibitas, asseuerans illa nuptiarum opera esse in carne seminare. Sed iam dudum explosa est hæc insana hæresis. Nihil est secundũ carnem dicendum, quod volente fit & iubente Deo, & sacramẽto sanctificante. Nam quicunque legitimas nuptias contrahit, ad spiritum tendit vt prolem Deo generet.

Bonum autem facientes non deficiamus, &c. Negligentiam & torporem in operando bonum, optima ratione dissuadet. Perseuerantium enim vsque in finem corona est. Et sicut aberit omnis lassitudo, & labor, & fastidium, & tædium in possessione coronæ: ita hic debemus non defficere tedio in operando, fingentes laborem in præcepto, habita præsertim breuitatis temporis ratione, quæ est (vt alibi ait) leuis, & momentanea.

Ergo dum tempus habemus, &c. Dicimur habere tempus, quando est ad vsum vt possimus meteri. *Habere tẽpus.* Nostrum enim est, quandiu ad beneficium nostrũ cedit, hoc est, quandiu sumus in hoc mundo, & possumus operari. Postmodo autem fit quod scriptum est, Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Deus & Dominus noster Iesus dicitur accipere tempus vt iudex iudicaturus, quoniam postquam litigantes assignato certo tempore produxerunt pro sua causa quod libuit, non habent vlterius facultatem producendi. Venerũt tunc dies iudicis, nec quicquam relinquitur homini, quo sibi valeat & suæ causæ prospicere. Hic locus proculdubio mirificè confutat & apertissimè hæreticos, qui tanta contentione æternã vitam operibus reddi inficiantur, & nullam inesse vim ad promerendum mercedem Apostolus autem bona opera respectu æternæ vitæ, comparat semini respectu fructus qui meritur. At in semine insita vis est ad producendos fructus: vt qui seminat semen suum, iustè metat quod promanat ex semine. Cum hęc certò viderint hæretici, non mirum si dum ad hæc loca peruenium, tanquam reformident & fugiant, magno silentio quieti prætereunt. Aliàs vbi minimam nanciscuntur occasionem dicendi contra opera, velut cicadæ ac ranæ nullum faciunt coaxandi finem, eadem sexcenties inculcando. Nam Lutheri ad hanc epistolam commentaria, nihil aliud ad summam continent, quàm tres aut quatuor cõclusiones, quas infinities infarciens, lectori rediũ affert recensendi. Hoc autem in loco de operibus ac merito operum bonorum ac malorum est sermo. Et bona opera quasi semina producere nobis vitam æternam, sicut econuerso, mala æternã mor

Psal. 74.

Hæreticorum versutia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota verba Lutheri.

tem, ait B. Paulus. Quid autem Lutherus? Ecce in primis quasi aliud agens, sic excusat. Ego istiusmodi sententias non libenter interpretor. Videntur enim nos commendare, vt reuera commendant. O virum omnis aspernatorem gloriæ: imo verò ô insignem hypocritam. Sed ne omnino intractatam derelinqueret, quã prorsus prærerire sine sui præiudicio non poterat, adiecit. Hic quæstio est, Verum per bona opera mereamur vitam æternã. Id enim Paulus videtur hoc loco asserere. De sententiis quæ de operibus & mercede loquuntur supra, cap. 5. satis diligẽter & copiosè disputauimus. Valdè autem opus est exhortari, exemplo Pauli, credẽtes ad bene operandum, hoc est, ad exercẽdã fidem bonis operibus. Ea enim nisi sequãtur fidẽ, certissimum signum est fidem non esse veram: hęc ille. Vbi vides quàm nutet, quàm nihil dicat, nec tatis faciat suis iis fucis prudenti lectori. In quinto autem cap. sic hanc questionem tractauit, vt passim aberret ac blasphemet: & ea profert de libertate christiana, de charitate, & charitatis operibus, quæ certè solùm recitare ad confutationem sufficiunt. Verùm quia longa hæc esset historia, & reuera maxima afficior molestia dum ista recolo, prudens missa facio. Nam & lectori pio & catholico nihil vtilitatis parerent. Satis est apprehẽdisse nerum argumenti, quo ita perturbantur hæretici, vt ipsam vocem amittant.

Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu. Quicunque enim volunt placere in carne, ij cogunt vos circuncidi. Tãtùm vt crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circunciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium: sed noua creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cætero, nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Iesu Christi cũ spiritu vestro, fratres. Amen.

Videte qualibus literis, &c. Hanc ergo epistolam sua propria manu, præter morem, scripsisse B. Paulum hæc verba testantur, quò rei grauitatem quæ id postulasset, ostenderet. B. Hieronymus tamen vult vt ex hoc loco ea tantummodo quæ sub sequuntur, esse scripta manu illius capiamus: non autem quod ante scriptum erat. Verùm aliud verba ipsa porrigere videntur, dum ait: *Scripsi vobis* & nõ ait, scribo vobis. *Quicunque enim volunt placere in carne, &c.* Homines quosdam notat de Gentibus, qui volebant seruire Iudæorum tumori, qui eo nomine inflabantur in carne, quòd essent Iudæi per circuncisionem, & cogebant alios etiam circuncidi, *Tantum vt crucis Christi persecutionem non patiantur.* Crucis enim Christi persecutio exercebatur verè in Christianos tum à Gentibus, tum à Iudæis. Gentes autem non sæuiebant in eos qui in Iudæorum populo computarentur. Quocirca & ex Gentilibus qui Christum confitebantur, circuncidebant se nonnulli, vt vitarent venientem à Gentibus persecutionem crucis. Nam dum se Iudæos cõfitebãtur, de patriis legibus ac religione non poterat quisquam illis facessere negocium. Hoc enim legibus primariis Caij Cæsaris, & Augusti, & Tiberij sancitum erat. At qui in præputio manebant, non poterant eo iure vti: & ideo vndique persecutionem crucis habebant, vt ait B. Hieronymus, & rectè. Quòd autem ob eam causam circuncidantur, quia volunt placere in carne, & nolũt pati persecutiones, vel ex eo facile patere ait Apostolus, quoniam etiam circuncisi, *Legem non custodiunt*, id est non curant seruare illam. Solum ergo circuncisionis prætextu, velut quodam clypeo, protegi à persecutionibus volunt, & in carne vestra gloriari, quos habent discipulos.

Mihi autem absit, &c. Hinc vera gloria, videlicet in cruce Domini Iesu, dum cum illo compatimur, vt & tandem in solatio sempiterno conregnemus. *Per quem mihi mundus, &c.* aut potius, per quam crucem. Nam Christi crux id agit diligentibus affigi cum Christo, vt & mundus sit illis crucifixus: & illi vicuersa mundo, id est, Sit illis mundus miseria, & vituperium, & maledictum, non secus atque crucifixum quoddam & omnibus abominabile. Et ita econuersò, illi sint ipsi mũdo similiter velut crucifixus, id est, despicabiles, & abominabiles ac detestatione prosequendi.

Neque enim circuncisio aliquid valet, &c. Non est mundus ei crucifixus, qui fidet in carne, & gloriatur vel vt Iudæus, vel vt Gentilis: quia in Domino gloriandum est, in quo nec circuncisio iam inuenitur, nec præputium, *sed noua creatura.* Christus enim morte sua mortuus fuit peccato, & circuncisioni ac legi, & in nouam creaturam Deo viuens euasit. Talis iuxta proportionem efficitur, qui cum Christo moritur in baptismo. Immerso nanque aquis, seu crucifixo vetere Adam, resultat nouus, qui secundum Deum creatus est, omni terrena creatura altior. Et hæc est salutaris regula de qua testatur addens:

Et quicunque hanc regulam sequuti fuerint, &c. Nõ potest esse vera pax quandiu sumus in hoc mundo & non auellimur prorsus ab eo: quoniam non est firma spes regni. Hi soli qui inde auulsi sunt, & semetipsos quantum possunt, (Deo iuuante) auellũt, certi sunt de misericordia Dei, & in pace sunt. Et isti dicuntur Israel Dei, qui est secundum electionem, non secundum carnem. Isti præ cæteris vident Deum, aut fortes sunt cum Deo, sicut vox ipsa, Israel, significat.

De cætero nemo mihi molestus sit, &c. id est, Nemo mihi laborem imponat, tãquam sim vnquam eos toleraturus qui aliter sapiant, aut daturus manus. Et signum cur non possit cum illis consentire: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*: quia iam signatus erat stigmatibus Christi in toto corpore: ac si dixerit. Non possum iam negare quin fuerim professus gloriam crucis in improperiis: neque commutare illam cum gloria huius mundi, cum

cum habeam semper contra me militantia signa illa in meo corpore, quæ vt turpissimum desertorem me semper accusarent. Erat Paulus (vt verisimile est) toto corpore signat⁹, vt qui à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepisset, ac fuisset ter virgis cæsus, & semel lapidatus, & pro mortuo nonnunquam derelictus: quę omnia erant magna animi cõfirmatio. Etenim Christianus verus quanto pro Christo aliquid passus est acerbius, tanto etiam magis pati desiderat: idque pluribus de causis, quas pio lectori ad fructum spiritus relinquo meditandas.

Indignantur autem hoc in loco noui Apostatæ atque hæretici aduersus fratres Minores, qui ad regulam beatissimi Francisci & eius stigmata, hæc Apostoli verba applicant. Fremunt huius rei gratia, & hanc rem quasi piaculum magnum verbis atrocibus infectantur. Nam regulam illius gloriosi Sancti, quæ nihil præter egregiam Christi imitationem redolet, blasphemant: & stigmata illa negant, quæ vniuersa ecclesia semper credidit. Scelestus ille, facinorosus, atque impius Lutherus, primùm de ea regula quædam pronunciat, quæ vel recitare puto nefas. Deinde stigmata à Christo in eius corpore impressa ridet: & interim vera Christi stigmata ipse sibi cum Paulo arrogauit. O hominem audacissimum, & Satanæ organũ: O dementatos & excœcatos, qui has orbis vniuersi pestes & faces audent consectari. Domine Iesu offende potentiam tuam & veni, & visita vineam tuam. Satis enim superque satis exterminauit eam Aper hic de sylua: & singularis ferus depastus est eam. Sed redeamus ad nosmetipsos, & ad percipiẽdam beatissimi Apostoli Pauli benedictionem, ait:

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro fratres, Amen. More suo, loco, Vale, Gratiam in vltimo adiicit, quam in principio salutationis precatur. Hanc nobis largiri dignetur clementissimus Pater: cui cum Filio & Spiritu sancto honor & gloria, & gratiarum actio in sæcula.

Amen.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS.

*

EPHESII, ad quos præsentem Epistolam B. Paulus Apostolus scripsit, ab Epheso cognominati vrbe Asiæ, quæ erat metropolis Ioniæ, per triennium habuerunt doctorem eundem B. Paulum. Et primò quidem in synagoga: deinde in schola cuiusdam Tyranni docentem: vbi virtutes multas operatus est, & fructum prædicationis retulit vberrimum. Et cùm denuò Ierusalem profiscisceus ad eos diuerteret, prophetauit quæ essent sibi obuentura de vinculis suis & catenis. Concionem quoque ad illos habuit egregiam, plenam charitatis, protestans post discessum suũ exorituros magistros mendaces, subuersores, & discipulorum abductores. Post completam iam suorũ vinculorum prophetiam, scripsit ad eos è Roma, per Tychicum epistolam hanc, cuius argumentum facile est ac breue. Non enim aliud continere videtur, quàm puram ad perseuerandum hortationem: vt quæ ipsi de Euangelio Dei æterno audierant, inconcussè fideliterque retinerent. Quod vt persuadeat, aliquot rationes affert, quibus suo ordine & loco dilucide explicandis dabimus (largiente Deo) diligentem operam.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD EPHESIOS.

*

PAVLVS Apostolus Iesu Christi, per voluntatẽ Dei, omnibus Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Dño Iesu Christo.

BReuiores hîc & in sequentibus epistolarum initiis erimus, ne eadẽ sæpius repetamus. Nam quæ ad explicationem nominis, *Pauli*, &, *Apostoli*, conditionisque ac status pertinebant, superius tradidimus. Salutationem de more præmittit expresso proprio nomine & officio, vt certius quæ scripturus erat, exciperentur. Possemus in eos obiter istud meritò obiicere, qui lucem exosi suppresso nomine libellos edunt, quo tutiores populis pestiferam suam doctrinam infundant. Quem nos dolum in opusculis nostris materno sermone, aperuimus. Porrò quod nos legimus, *qui sunt Ephesi*, rectius dici poterat, *Qui estis Ephesi*. Et item quod ait, *Sanctis & fidelibus in Christo Iesu*, In eum sensum fortassis accipiendum est, vt consideremus ista separari propriè non posse. Qui enim sanctus est, etiam fidelis in Christo est, si eam fidẽ habeat quæ sola valet, id est, quæ per charitatem operatur. Et tamen suos gradus habet sanctitas, vt nec omnes fideles sanctos vocemus, secundum excellentiores sanctitatis modos. Est enim eximia sanctitas & ex seipsa, quæ est solius Dei propria. Vnde singulariter ad illum clamant in cœlis Seraphin, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Et nos Christo dicimus: Tu solus Sanctus. Et tamen alia est eius sanctitas quatenus est Deus: & alia quatenus homo. Licet & hęc sit summa ad omnium sanctitatem creaturarum comparata. Sic enim sanctificatus est per gratiam, vt de illo homine verum sit, quòd est filius Dei naturalis propter vnionem naturarum in hypostasi diuina, quę est Verbum.

De variis gradibus sanctitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde cœlestis nũcius Gabriel fœlicissimæ illi Virgini dixit, Quod ex te nascetur Sanctum: vocabitur filius Dei:quod de nullo mortalium fas est dicere. Et item alia scriptura, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Luc.1.

Psal.15.

Proximè sequitur Christi sanctitatẽ, etiam singularis quædam ipsius beatissimæ Virginis sanctitas: de qua etiam specialiter dicitur: Sanctificauit tabernaculũ suum Altissimus. Et ipsa vocatur Arca sanctificationis, quæ immediatè contingit Domini sui & nostri sanctitatem.

Psal.45.

Post hanc, est & nobilis quorundam sanctitas, qui pleniore coram Deo gratia pollent:quia & ipsi magis appropinquarunt Christo, Apostolorum videlicet sanctitas, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, nobilium Confessorum, qui abundantiore gratia sanctificati, meruerunt propius accedere & assimilari Domino, configurati prius illi in hoc mũdo doloribus, & passionibus, vt & conformarentur in gloria.

Est & communis quidam sanctitatis modus, secundum quem quicunque fide & charitate coniunguntur Deo in Christo, sancti communiter dici possunt. Vnde & sanctificari dicimur in baptismo: & vnum quodam modo spiritualiter fieri. Et per hanc connexionem spiritus fit communicatio, & illa sanctorum communio, vnus ex primis fidei nostræ articulis. Sic enim verè sanctificatur, & sancta dicitur Dei ecclesia. Sed hæc sanctitas in choata est, quam augeri oportet & crescere donec perficiatur. Id autem fit incumbendo bonis operibus factis ex fide & charitate, quæ sunt fructus spiritus, quos videns Deus dignatur ipse augmentum apponere donorum iustitiæ & gratiæ, vt fructus etiam reddat vberiores. Siquidem habenti dabitur, & abundabit.

Luc.19.

Sciendum tamen, Nullam sanctitatem, quæ sit in hoc mundo, esse summo fine perfectam tam in anima, quam in corpore. Et de corpore quidem manifestum est, propter naturæ peccatum & corruptionem. De anima verò etiam nobis certum: quoniam per fidem ambulamus, & non per speciem. Necdum perfecta est charitas nostra, quę non penitus excussit timorem. Vix enim potest id fieri, dum adhuc versamur in mediis tam vasti pelagi periculis. Et ob istam causam nõ audemus vocare sanctos quoscunque dum agunt in hoc sæculo, donec hinc cum pace exierint, & reliquerint testimonia ecclesiæ clara ante actæ vitæ inculpatæ & sanctæ. In paradiso igitur expectanda est omnium perfecta sanctitas. Nec erit tamen æqualis omnium: sed vt quis maiore abundauerit gloria, & propinquior fuerit Authori & Patri gloriæ. Hic ergo Apostolus generaliter de sanctis, quales esse in hoc mundo possunt, loquitur: in quibus continentur fideles omnes in Christo, non propterea vllum præiudicium facere hac sententia intendens altioribus excellentioris sanctitatis gradibus.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in cõspectu eius in charitate. Qui prędestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum volũtatis suæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispẽsatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quę in terra sunt in ipso. In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo. In quo & vos, cùm audissetis Verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ, in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius.

Benedictus Deus, &c. Pro more suo decenter incipit à gratiarum actione. Intendit autem (vt ipsemet declarat) confirmare Ephesios in fide iam accepta, ostendens disputationem mysterij Christi, id est, prędicationem incarnationis, & gratiosi aduentus eius prouidẽtia Dei ac præcepto tunc maxime vigere, & sibi esse creditam, sicut & aliis: sibi tamen specialiter apud Gentes. Vnde & cogitur ob tanti memoriam beneficij perpetuo in animo excitati, suam sibique similium electionem ac prædestinationem, & sic donorum abundantiam vberiorem prædicare, vt illi manerent in gratia euangelij: Nec scandalum paterentur vllum à vinculis & pressuris quibus angebatur, sed nullo modo succumbebat. Declarat item per euangelium euacuatam esse Iudęorum gloriationem. Nam & Gentes vocauit Deus vt essent quoq; euangelij participes, perseuerante tamen quadam Iudæorum prærogatiua: quoniam ab ipsis & eorum prædicatione & doctrina deriuare illud oportebat ad Gentes. Post hæc autem hortatur ad vnionem & pacem, secum simul & cum Iudæis, cum sint omnes vnũ, aut potius vnus, & noua creatura in Christo. Alia præcepta & instituta sancta commemorat plena gratiæ & veritatis, & mysteriorum. Denique animat eosdem & instruit aduersus diabolicas insidias, & satanicas pugnas, & pro se orationes fieri rogat. Et quomodo ipse agat, per epistolæ latorem Tychicum ait illos intellecturos. Hæc summa totius huius præsentis epistolæ.

Benedicit ergo primum Apostolus Deo, confitendo, & acceptum ferendo illi dona & munera sua. Quæ est prima pars & sola gratiarum actio-

nis, quam valemus erga Deum exercere. Ingratus est enim & dignus amittere, qui donatori non refert omnia accepta. Grati autem erga Deum aliter esse non possumus, cui nos pares referre gratias, nec quicquam possumus retribuere, cum ille bonorum nostrorum nec egeat, nec sit bonorum nostrorum (quæ propriè non sunt nostra, sed ab illo profecta omnia) capax.

Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. Istud est quod de Deo confitetur Apostolus. Et loquitur manifestè de seipso, & aliis Apostolis, quibus mandata erat euangelij prędicatio, quos ad eã functionẽ ornari decuit omni dono. Vocat enim benedictionem Dei, quoduis donũ ab eo manãs. Nam benedicere Dei, est benefacere: quoniã non potest ille quicquam dicere cum voluntate vt fiat, quin continuo illud factum fit. Vnde legimus, Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Et licet omnia bona dona ab ipso sint, & in nos descendant: Apostolus tamen hic non de quolibet dono loquitur, sed de spiritualibus. Sunt enim & carnalia bona, quæ nobis sunt cum bonis & malis, imo pecudibus & bestiis communia: quandoquidem plerumque his mali homines maiori copia abundant quàm boni. Ipse verò de quo genere bonorum intelligat, subiiciens aperit:

Nota.

Psal.148.

In omni benedictione spirituali. Vt nullum sit benedictionis genus, & doni ad ministerium illud tam magnum opportuni, illis denegatum. Et vt distinctius has declararet spirituales benedictiones, adiecit: *In cœlestibus*, ac si dixerit: Non consistunt hæ benedictiones in terrenis & perituris, sicut illæ benedictiones quas per Mosen distinxit Dominus illi Hebræo populo: sed in cœlestibus & æternis ad quę vir Dei aspirans habet conuersationem suam, non iam in terris, sed in cœlo. Vnde alibi monet: Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *In Christo:* In quo esse illos oportet & manere, qui potiri volũt his benedictionibus. Qui enim in illo sunt, iam resurrexerunt cum illo, vt mortui peccato deinceps viuant Deo. Tales erant insigniter Apostoli, & B. Paulus, videlicet sic Christo hærẽtes, & tanta in eo fide & dilectione coniuncti, vt essent veluti in vitę palmites, vnde succum spiritualem (quo & se & alios alerẽt) possent assiduè trahere, ad reddendum vberes ipsi Deo & suaues fructus. Porrò vnde venerit, & qua gratia, aut quo illorum merito, vt huiusmodi benedictionibus, quibus verè impleti sunt, donarentur: Audi confitentem Apostolum, qui omnia ascribit electioni diuinæ, & æternæ prædestinationi. Ait enim,

Col.3.

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati (Græcè, irreprehensibiles) *in cõspectu eius in charitate.* Christus ipse electus procul dubio antę & supet omnes. Sed in quo electus? Haud dubium quin fuerit electus in Deo Patre, id est, in gratiam & gloriam Patris. Non enim datur vllum medium inter Christum & Deum, Filium scilicet & Patrem. Deus, Christi caput est: Apostoli, & quicunque ei in hoc munere similes electi fuerunt in Christo, fuerũt electi in gratiam & gloriam eius: quia caput viri Christus, vt ex illo tanquam fonte inexhausto omnium donorum riuuli manarent in membra, & illuc ad eius gloriam redirent.

Ante mundi constitutionem. Hic locus difficultatibus est refertus. Quo nimirũ modo ante constitutionem mundi electi sint isti: cum antequã mundus constitueretur non essent, imo ipsi de mundo dicantur electi? Ait enim Dominus: Ego vos elegi de mundo. Præterea, Qua ratione dicitur, *ante constitutionem mũdi*, cum non sit vllum, *ante*, nisi posita iam ipsa cõstitutione mundi? cum, *ante*, &, *post*, sint differentiæ tẽporis. Quærunt enim homines quidam rudiores à propria phãtasia decepti, quidnam erat ante quàm mũdus fieret? Et minus aduertunt quæstionis suæ ineptiam, qui fingunt tempus aliquod extitisse ante tempus, hoc est, ante mũdum, cum dicant, *ante*, quæ vox ad differentiam temporis spectat. At nullum tempus erat, sed vna tantum sola Dei æternitas, quæ non est cum tempore conferenda: nec de illa (si propriè loqui volumus) dicitur quòd fit ante tempus. Itaq; vt melius intelligamus: Quædam dicuntur & admittuntur de Deo & æternis, quę valdè dicuntur impropriè. Vnde nisi vtamur intellectu ad distinctionem, nouerimusque non accipiendas voces iuxta vsitatam intelligentiam, sed vt quoquo modo intelligamus, pro nostro captu de Deo, quæ aliter explicare non possumus, aberrabimus longissimè. Ergo ad intellectum loci huius præmittendæ sunt opiniones, vt quid sit verius apparere facilius possit.

Ante mundi constitutionẽ, quid significet. Ioan.17.

Fuerunt qui docerẽt electionem hanc non fuisse nisi iustam, & ex præcedentibus meritis, ante mũdi tamen constitutionem. Ponebant enim ante hunc visibilem mundum, cœlum, terram, mare, & cætera quæ in eis sunt, fuisse spirituales & invisibiles creaturas: inter quas & animæ aderant, quarum quædam peccauerant, & quædam minimè. Vnde electio quædam facta est, & missæ sunt rursus in hunc mundum bonæ & malæ, vt acciperent corpora: & quæ malæ essent, per aliarum prædicationem, puta, per Paulum, & similes, erudirentur ad pœnitentiam, quò iterum ad priora loca redirent. Verùm hæc mera fictio est, & purum eorum mendacium, qui sibi temerè arrogant earum scientiam rerum quæ nec sunt, nec ipsi vllam possunt de eis reddere rationem. Ipsi tamen ad hoc fingendum adducti sunt declinandi illius absurdi gratia: quod multos malè habet & grauiter premit, si poneretur, Deum quosdã quidem per suum beneplacitum eligere: quosdam verò etiam citra vllam aliam causam reprobare ac damnare, quem admodum porrigere ipsæ scripturæ videbantur. Isti ergo finxerunt creationem, & animarum peccata ante mundi creationem. Sed iam hoc cõmentum explosum est, & meritò condemnatum.

Hæresis antiqua Orig.

Fuerunt & alij qui & dicerent electionem hanc fieri in Deo, & sic in sua mẽte æterna, quæ dicitur ante omne tempus, nõ quasi propriè dicatur, *ante*, sed sic dici consuetum est, quo intelligamus tẽpore etiam non existente, nec mũdo, nec vlla creatura, fuisse tamen Deum ipsum, quos volebat ex his qui erant creandi eligentem, & alios dimittẽtem. Electio igitur ista fuit in mente Dei æterna: quæ quidem æternitas ante omne tempus est, sicut est declaratum. Et ob id dicitur, *ante mundi constitutionem*, quia quæ agit Deus, agit in sua æternitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verùm si sic intelligimus, offeruntur multa quę iure videntur absurda, videlicet quòd Deus odio habuerit Iudam, illumque damnauerit ante mundi constitutionem. Simili modo quotquot pereunt, æterno Dei in illos odio petire. Hæc sanè interpretatio parum illustrem sensum habet, & minime Apostolico spiritui consentaneum, si solùm nobis insinuare voluisset præcellentiam æternitatis Dei respectu temporis, in qua disposuit & condidit omnia quæ ipsis oculis cernuntur.

Adhæc, audi prudẽs lector, & paulò accuratius attende, quid Dominus in iudicio (vt Euangelista testatur) dicturus est iustis: Accipite regnum paratum vobis à constitutione mundi: & non dicet, ante constitutionem mundi. Cur hoc rogo, tam variè? Hic dicitur, *Ante constitutionem*, Ibi autẽ à constitutione. Equidem meritò hîc hæsitabunt, si qui priorem sensum velint defendere. Imo adde: Cur nõ dicet reprobis: Ite in ignem æternum paratum vobis ante constitutionem mundi? Imo nec dicet, paratum vobis à constitutione mundi. Sed dicet: Paratum diabolo & Angelis eius.

Matt.25.

Hæc notentur, & expendantur subtiliter.

Alia hæsitatio est, & quidem longè grauior, multumq; afferens molestiæ, Vt tam multos Deus absque vllis demeritis præcedẽtibus reprobet, & cruciandos destinet pœnis & suppliciis æternis.

Quod autem proferunt nonnulli: quia præscinit Deus merita Pauli futura, ideo elegisse illum. Et econuersò, cum reliquorum demerita præuiderit, eosdem merito reprobasse, Iure optimo B. Augustinus improbat & reprehẽdit. Attamen hæc videtur (si verum fateri volumus) fuisse omnium veterum Patrum opinio. Hoc expressis verbis dixit Origenes, quem sequuti sunt B. Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, quis non? Quãtum ego quidem legerim, nullus antiquorum aliter in hac quæstione docuit: quemadmodum B. Prosper & Hylarius in epistolis ad B. Augustinum clarè testificantur. Si quis autem scripturas sacras paulo diligentius scrutatus fuerit, oppositũ huius opinionis euinci deprehendet: quod & doctè in Pelagium ipsemet B. Augustinus declarat. Hic enim Pelagi' idem asseuerabat: quem & nunc interim aliquot nouorum dogmatistarum audẽt sequi, qui tamen vel ex hoc loco apertè redarguuntur. Ait enim Apostolus electos fuisse vt essent sancti & immaculati, non qui iam tales essent, aut præuisi tales futuri, sed vt tales efficerentur. Itaque non propter pręuisa bona opera quisquam eligitur aut sanctificatur: sed ipsa electio omnem anteit & præstat sanctificationem, vt & ipsa sanctificatio possit opera perficere tandem ad salutem.

Si igitur ita se habeat, vt non sit ex meritis vllis à Deo præuisis primaria illa electio. Relinquitur peracris quædam anxietas, qua vehementer multi conturbantur, Quomodo scilicet sine meritis stare posit electio, quaue illud æquitate faciat Deus, vt quosdam de multis eligat ad vitam: reliquos autem derelinquat. Vt desideremus adhuc illius dicti veritatem, Deus vult omnes homines saluos fieri. Et quidem circa Electos minus esset scrupuli: quoniam non est necesse electionem, quæ in sola innititur gratia, ex meritis venire. Posset quippe respondere Deus homini de bono alterius conquerenti: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? An non licet mihi de meo quod volo facere? Enim verò istud (nisi velimus iniqui esse aduersus Deum arbitri) abundè satis esse debet respectu Electorum. At verò esse alios relictos, imo (vt aiunt) ad æternas flammas ac supplicia nullo eorum præcedente flagitio destinatos, & præsertim in tanta hominum multitudine, durum hoc prorsus, & minime æquum esse videtur. Quare tantam atrocitatem perpẽdens B. Augustinus, mitigatam rem putauit, si huius iudicij causa in antiquam priorum parẽtum peccati vltionem reiiceretur, volens ex illo puniri multos ob id quòd dimittantur in massa perditionis: vt sic ab iniustitia vindicetur Deus, qui non dimittit suppliciis nisi promerentes.

Matt.20.

Hæc opinio quantum habeat duritiæ (ne quid grauius dicam) iam in ea quæ ad Rom. satis est dictum: & quomodo nimis supra modum exaggeret ipsum originale peccatum, dignum illud æstimans æterna pœna, & igne illo Diabolo & Angelis eius parato. Ostendimus item quàm extenuet efficaciam crucis Christi omnium Redemptoris, qui non tulisset peccatũ mundi, nec deleuisset chyrographum pacti, quod erat aduersus nos, id est, absolutam penitus illius peccati obligationẽ: contra vniuersam scripturam.

Nos igitur qui diu multumque, scripturarum diligenti perscrutatione habita, de electione ac prædestinatione cogitauimus, ita tandem sentiendum (quod multis qui se liberarunt à sectarum obligatione placuit) literis mandauimus, quodquidem & hoc in loco, quoad pressius fieri poterit, perstringemus.

Doctrina de varia electione.

Nemini prorsus dubium esse debet quin diuersæ sint electiones, quatenus ad varia ministeria respiciunt. Quidam sunt ad Apostolatum electi: quidam ad curam pastoralem: & sic alij ad alia. Iudas electus fuit in Apostolum, qui tamen non perstitit. Dixit enim Dominus: Nonne ego vos duodecim elegi? Sed de his & aliis electionibus, noster præsens sermo nõ est institutus: sed de illa tantum quæ est ad gloriam. Et circa hanc quoque inuenio in scripturis varias & inter se differentes electiones. Certum est enim in regnum nullos, nisi qui electi fuerint, intraturos. Verum diuersum est & varium electionis genus. Est electio quædã præcedens merita omnia: & est electio quæ ea subsequitur. Et in vtroque genere sunt proprij gradus: quoniam non est æqualis (vt par est credere) omnium electio est.

Ioan.6.

Prima quidem ac summa, in qua cæteræ omnes positæ sunt & consistunt, fuit electio Christi: de qua singulariter dictum est. Ecce puer meus quem elegi. Et in Cant. Electus ex millibus. B. Petrus vocauit eum præcognitum, id est, præ dilectũ ac præelectum ante constitutionem mundi.

Isa.42. Cant.5.

Hanc verò tantam electionem sequitur illa quæ fuit beatissimæ Virginis, de qua & illud singulariter dicitur. Vna est electa mea. Post hanc, nobilis fuit electio B. Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & his similium: de qua electionis specie hîc loquitur Apostolus noster, cui & ob istam causam (vt ego existimo) peculiariter datum est, vt hoc electionis mysterium ipse præ cæteris reuelaret, de quo dixit Dominus. Vas electionis est mihi iste, & cæt.

Ibid.6.

Quis enim dignius de hac electione poterat habere sermonem, quàm ille ipse qui vas erat electionis? B. tamen Ioannes Euangelista & in euangelio suo, & in epistola, quędam attigit, & seipsum inter electos collocauit, vt paulò post adducemus. Ergo vera huius electionis nota hęc est, quam ipse idem Apostolus indicat his verbis, aiens: *Ante mũdi constitutionem in Christo.*

Pro cuius loci intelligentia, considerare quædam diligenter conuenit. Primò quid sit, Mundus, deinde, quid ipsa mundi constitutio: vt facilius sciamus quid sibi illud velit, Esse electum ante mundi constitutionem. Et mundi quidem vox significare videtur vniuersum genus hominũ, quod Dominus Deus condere ac creare, vt haberet initium temporis, in sua prouidentia disposuit. Christus tamen dicitur non esse ex hoc mundo: non quia sit extra genus reliquorum hominum, sed quia persona ipsa æterna est: & quia etiam vt homo, è cœlis venit, vtpote Spiritus sancti virtute cõceptus. Quocirca fuit homo ille summo modo electus, vt esset talis, qualis est, nimirum verè Filius Dei, cui debeatur æterna ipso iure & cœlestis hæreditas.

Verùm cum non esset bonum eundem relinqui solum, electa est post illum mulier, quę posset esse adiutorium simile illi. Sponsa perpetua, & immaculata. Et hæc sola fuit digna, ex qua ipse carnem acciperet. Et quia nec sic erat bonum vt ij duo tolli beatis nuptiis fruerentur, voluit Dominus eligere præcipuos quosdam, & eos tàquam de mundo euocare, qui essent amici Sponsi, & filij nuptiarum tantarum, quo modo loquitur scriptura. Tales fuerunt Apostoli, & qui pares illis in prædestinatione fuerunt. De his enim dicitur peculiariter. Non possunt filij Sponsi, & filij nuptiarum lugere, donec cum eis est Sponsus. Hæc est Sponsa illa, quæ cum Sponso venire ad iudicandum socia describitur: cui & obuiam venient illæ parabolicæ virgines, id est, Christiani, quorum causa videbitur pendẽre sub iudice.

Marc.2.

Hi igitur qui Sponsi nomine peculiariter designantur, dicuntur electi in Christo, id est, in eius gratiam, vt amici præcipui atque assistentes ministri, quales in suis aulis & palatiis Principes viri ad Illustriorem maiestatis suæ splẽdorem habere volunt. Et ij dicuntur electi ante mundi constitutionem. Non intelligas autem antequam mundus conditus esset. Alioqui falsum redderetur, ipsos de mundo fuisse electos, quod tamen contestatur Dominus: sed antequam ipse mundus esset constitutus. Placuit mihi hoc in loco B. Hieronymi consideratio, qui eleganter notauit Græcæ vocis significationem, quæ Latinè interpretata est, *constitutio*, nõ hac Latina voce satis exprimi. Græcè enim legitur, καταβολὴ κόσμου, quod perinde significat, ac si dixeris, ante iacta fundamenta mundi, quod ego sic interpretor: Antequam mundus, id est, antequam cæteri qui manent in communi sorte, qui mundi appellatione veniunt, in mente Dei & prouidentia eius, haberent suæ salutis exordia: quia mundus non est capax talis ac tantæ electionis. Deus enim primò & maxime respicit Electos, quos aptat ipsi Christo primario fundamento: vt & ipsi post illum sint fundamenta, super quibus constituatur mundus, id est, cæteri de mundo. Vnde & habemus de Spiritu illo Paracleto nouo consolatore qui omnia perficit: Quem (ait) mundus non potest accipere. Nam ille Spiritus est propriè electorum, & horum qui ad illam sortem quouismodo exeuntes de mondo peruenient. Vnde Dominus non ab re dixit: Et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Dixit, alium Paracletum, ne intelligerent communem illum, qui iam eis datus fuerat, sed peculiarem perfectorum & electorum. Ideo mũdus illum non potest accipere, id est, qui in sorte communi relinquuntur.

Ioan.25.

Ioan.14.

Est igitur communis cæterorum electio ad gloriam, quæ non est quidem ante mundi constitutionem, sed post ipsam mundi constitutionem, id est, post iacta salutis suæ fundamenta. Imo post cursum consummatum in aduentu Domini electionem certam habent per bonorum operum merita comparatam. Vnde scriptum est de huiusmodi, in consummatione sæculi venturos Angelos, qui eligent bonos in vasa, &c. Eligent, inquit, vt tunc eorum firma pateat electio. Horum igitur ad gloriam electio nõ præcedit opera, & operum merita: etsi gratia, eorumque iustificatio bona opera præcedat, nec ex præuisis bonis operibus eis conferatur. Paratur nanque & illis regnum, non ea tamen firmitate, qua Electis ante mundi constitutionem, sed à mundi constitutione. Nec ita paratur, vt non possint ab eo excidere: quoniam non certò prædestinati sunt, id est, determinati vt sint eius. Possunt quidem esse: quia Deus illis idoneè, & quantum satis est, offert gratiam. At illam possunt suo arbitrio respuere: aut acceptam sua propria culpa amittere, vt tandem mereantur damnationem. Istud verò non contingit insigniter Electis ac prædestinatis: qui tanta gratia & protectione reguntur à Deo, vt non permittantur ad postremum excidere: licet possent in semetipsis considerati.

Matt.13.

Hanc prædestinationis vim Ioannes ille Dilectus, qui (ni fallor) est Electorum typus, planè declarans, dixit: Prodierunt ex nobis, hoc est, à doctrina nostra, qui initiati sunt in Christum per mysteria eius, & ministerio nostro: sed non erant ex nobis, hoc est, ex numero Electorum & prædestinatorum. Si enim fuissent ex nobis, vtique mansissent nobiscum, nec potuissent excidere propter gratiam Dei summam, ac protectionem singularem, quæ non est omnium, sed paucorum. Pauci enim sunt Electi: pauci perfecti. Vnde & quidam dixit: Pauci quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus. Quæ cum ita sint, non propterea debemus vlla desperatione frangi, aut cessatione rectè factorum torpere nos, qui ex illis Electis non sumus: quia paucos amare Deus noster non nouit, quin plurimos potius: imo omnes, cum sit Creator omnium. Sic Deus (teste ipsa Veritate) dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã. Ecce hoc fidelissimo testimonio salus mundo promittitur, & nõ solis de mũdo Electis. Et Christus Dominus noster ac Redẽptor orat non pro illis tantum, quos dedit sibi Pater, vt eos omnino saluaret, & nemo eorum

1.Ioan.2.

Virgilius.

Ioan.3.

Ibid.17.

Universidad de Deusto Biblioteca

perderetur: sed pro illis quoque qui credituri erāt per ipsos, qui tanquam in secunda non ita dilecta classe sunt collocati, dilecti tamen & non reiecti. Non reprobati, inquam, sed inuitati ad salutem, & adiuti abundè vt possint eam, si velint assequi, modo studeant & vigilent, nec filij sint diffidentiæ diligentes magis tenebras quàm lucem: alioqui possunt ab ea excidere si fuerint ignaui, & certa re recusauerint. Quemadmodū autem ordinatum est vt in vtrunque possint, sic etiam re ipsa contingere existimo, vt horum aliqui tandem excidant, aliqui verò salui permaneant.

Quid (quæso) prohibet ita sentire atque asserere, nisi quòd (vt ait quidam) consueuimus aliter opinari? Addicuntur sectis plurimi, quibus eousque meticulosè adhærescunt, vt se merito multis veritatibus priuent. Imo verò audi rem sanè admirabilem: & quātum potest antiqua consuetudo atque persuasio vide. Cum hæc sententia reddat materiā facilem, difficultatesque penitus omnes à piis mētibus remoueat, & suauiter atque æquissimè à Domino cuncta esse disposita demonstret: reperiuntur tamen nonnulli qui ob hanc ipsam causam, illam respuant: vtpote quos ea scire delectat quæ sciri non possunt, & ea dicere, deq; iis disserere, quæ obscuritatibus vndique obsita nec ipsimet intelligunt, nec qui talia audiunt.

Æquo igitur animo quæque per se singula consideret prudens ac pius lector à nobis posita. Ponimus enim primò veritatem hanc: Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quid hoc habet incredulitatis? Nonne est Apostoli sententia? Nonne & omni plausu, & manibus expansis excipienda pro gloria Dei, cuius gratiam mirificè & bonitatem amplificat? Obiiciet (scio) aliquis. Verùm illa Apostoli sententia, interpretatione eget exactiore. Esto, sed non glossis quæ contextum inficiant, atq; peruertant. Nam vt simpliciter dictum est & absolutè, Deus vult omnes homines saluos fieri, ita si fieri potest, est simpliciter & absolutè intelligendū. Imo cur non sic simpliciter intelligatur, cum (vt alias probauimus) sint tam multa quæ prohibent ne aliter intelligatur?

Secundò ponimus: Ex his omnibus, quos vult Deus saluos fieri, vult quosdam benigniore voluntate omnino fieri saluos, nec tamen sine mediis operibus: imo nec sine insignibus meritis, quę ampliora ab eis ac perfectiora requirit. Nam ipse est qui dat abundantiorem illis virtutem, vt pręstare valeant quæ ipse exigit, & faciet etiam vt præstent: quemadmodum apud Ezech. legitur cap. 11. & 36. Et hoc item quid habet absurdi? Si dare potest, quid causæ est cur nolit? An fortè non bonus est, sed ad largiendum cœlestia dona tenacior? imo ipse summa est bonitas. Quòd si quæritur decentia: Nonne decuit Christum habere iuxta se magnos, & tales qui maxime illi obligati essent, vt excellerent alios? Quòd si etiam exigitur meritum, an non hoc sibi meruit ipse Christus, non solùm propter dignitatē suam, verumetiam propter passionem? Aut nunquid inuidit eis tantum bonum, quasi metuens ne quid sibi propterea deperiret? Nonne potius ad maximā illius gloriam ista munificentia pertinet cum nos hæc omnia prædicemus disposita esse in illo, per illum, propter illum? De illo enim in hunc modū scribit Dilectus: Cum *Ioan. 13.* dilexisset suos (suos inquit, id est, hos peculiares dilectos) vsque in finem dilexit eos, scilicet vsque ad perfectum, vt essent consummati in ipso. Ille eos vt oues proprias & peculiariter dilectas, vocat nominatim. Quod ait, Nominatim, tantundem est ac si dixisset, non cum cæteris in turba. Sic dixit Moysi: Noui te ex nomine. *Exod. 33.* Et audet pro illis dicens: Ego cognosco meas, & cognoscunt me meę. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Ac si dixerit: Nō sunt de illis, de quibus dico. Venit lupus, & rapit, & mactat, & dispergit oues. Nam nec confunditur tales specialiter vocare fratres. Hæc ex verbis Domini collecta.

Ego autem dum cogito, profectò miror posse vllos existere, quibus non placeat hæc positio, quæ Dei gratiam & bonitatem verè magnificat. Vnde Apostolus non ab re pro istis, seipsum cum illis meritò statuens (cum esset vas electionis) dixit: Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis *Rom. 8.* contra nos? Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quid est quod ait, *Omnia*, nisi omne doni genus quod decebat, & oportebat esse in ecclesia, quæ est illius sponsa dilecta?

Dicet fortè aliquis: Bene equidem narras. Sed quis dignus? Quasi verò non illius sit eos facere dignos quos voluerit. Alioqui quis per se inueniri potest vlla gratia dignus? In Christo sitam esse omnem nostram dignitatem fatemur.

Verùm alia parte occurrendum est vtrinque argumentis. Sunt enim non pauci, quibus aliquando vel in luce meridiana cæcutire gratum est: nec finem vnquam interrogandi faciunt: sēper discentes, & nūquam (vt ad Timotheum scribit Apostolus) ad veritatis scientiam peruenientes. Huiusmodi breuem omnibus in rebus controuersis darem regulam, vt semper eam partem amplexarentur, quæ meliora de bonitate Dei sentit & misericordia, potissimum cum de peccati originalis merito aduersus nos suscipitur disputatio. Et item cum de munificentia Dei erga quosdam nostri generis singulari agitur: imo erga ipsum Christum caput, cui talia mēbra, vt eius summa dignitas exigebat, sunt à Deo Patre aptata. Hoc nostra positione defendi nullus inficiari potest. Instabit igitur aliquis, & dicet: Cur non similiter se erga omnes gessit, vt nullus perire posset? Insipiens tu quisquis sic interrogas. In magna domo nunquid sunt solummodo *2. Tim. 2.* vasa aurea & argentea? nonne & lignea, & fictilia: & quædam in honorem, quædam in contumeliam? Quis in vno corpore plura membra recuset varia, & alia aliis honorabiliora, & digna quæ abundantiore honore ornentur & custodiantur? Nam quanta præsidia dedit oculis natura? Vnde sunt qui coram Deo tanquam pupilla oculi custodiuntur.

Tertiò ponimus: Post istos electos, secundo genere vocationis vocat multis ac variis modis cæteros, & ne vnum quidem derelinquit in hoc mūdo, nisi ipsemet sibi deesse sua inertia velit. Hoc

autem quis adeò peruersæ mentis inueniri tamque sæuus potest, qui ausit iam improbare, cū id magis ad laudem bonitatis Dei faciat, nec quicquam vrgeat aduersus hanc positionem? Quidam olim aduersus prædestinationem iactabant (teste B. Hieronymo) non posse verè dici beneplacitum Dei, nec verè cedere in laudem gloriæ gratiæ suæ, alios quidē sic elegisse, alios verò reprobasse. Nos enim minime volumus hoc sustinere, vt reprobet Deus vllum ex beneplacito: sed ex nouo & proprio tantùm delicto excludit à gratia & gloria, & tradit gehennæ. Alioqui non esset verè beneplacitum, vt illi dicebant: nec esset gratia digna laude, quæ cum malo multorum ac tristitia daretur. Quo fit vt facile credam, ipsos Dei filios & Electos ea humanitate erga sui eiusdem generis homines & pietate præditos, vt id probare non possint, velintque soli cœlo potiri. Nec enim in detrimentum laudis gratiæ Dei redundat, si gratiosè aliqui paulò sublimius præ cæteris euehantur: modo alij non sint à necessaria sibi gratia destituti. Non æqualiter donat omnibus Deus: & istud est *Matt. 25.* in euangelio perspicuum. Ecce in parabola: Aliis vnum, aliis duo, aliis quinque talenta credita sunt ac tributa. Quiesce igitur inquietus, & noli gerere oculum nequā, quia Deus bonus est: sed tolle potius quod tuum est, & vade. An non licet Deo de re sua facere quod placet? Nam & lege humana citra reprehensionem dicitur: Quilibet suæ rei est moderator & arbiter.

Quartò tandem ponimus. Huius ordinis (hoc est, non sic electorum) cum sint omnes aptati ad vitam, & in eorum sit manu & velle trahi, & nolle: item perseuerare, & non perseuerare, multos esse quos à gloria contingit sua culpa excidere, dum vel oblatam sibi repudiant gratiam: vel post iam receptam, iterum eam per peccata amittentes, & in peccatis tandem morientes, æterna merentur supplicia. Et contrà, sint etiam multi qui non excidant: quia inuenientur tandem obedientes, & gratia sua bene vsi. Nam de tanto vocatorum numero (quanquam non electorum) inficiari, nullum inueniri qui perueniat ad palmam, quibus tamē perueniendi non defuit facultas, nescio qua fiducia, quoue argumento, qua denique coniectura probari, aut honestè defendi possit. Deus ergo clementissimus constituisse vnum ordinem diceretur, in quo animarum myriades, & penè sine numero cōtinentur, & vnicuique idoneè prouidit ad salutem & tamen nullus consequetur salutem? Qui potest hoc credere, credat. Id certè non est tam hominē frustrari fine sibi præstituto, quàm & ipsum quodammodo Deum (quod vel cogitare est iniquissimum) frustrari fine quem in ordine illo intendit. Quòd si hoc de Angelis non dicitur, quorum, vt B. Augustinus docet, non fuit vlla prædestinatio & electio, licet B. Thomas contra dicat: sed admittamus interim hoc vt verum, & concedamus tanti viri authoritati. Si inquam, ipsorum Angelorum absque præuia huiuscemodi electione ac prædestinatione plures salui facti sunt, quàm damnati, cur non idem multò magis propter Christum in hominibus asseramus? Verùm hæc satis nunc sint, cū rem totam fusiori disputatione alibi tractauerimus.

Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Hoc *Rom. 8.* quod est, *prædestinare*, ipse alibi declarat, dicens esse diuinam deliberationem in prædilectos, conformes fieri imagini Filij sui. Decuit enim eum qui se nobis assimilauit in carne, vt & nos pariter sibi secundum carnem faceret assimiles, & pro carne quam de nostro accepit, redderet nobis de suo spiritu: sed illis præcipuè quos perpetua charitate decreuit prosequi, & sic prædestinauit. Additur, *In seipsum*, nimirum Deum, hoc est, in gloriā suam. Nā *Isa. 43.* gloria Filij, Patris est gloria. Vnde Isaias: Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Inuocat nomen Dei, qui didicit orationem à Christo nobis tradi- *Ioan. 17.* tam, Pater noster qui es in cœlis *&c.* Hoc enī est nomen quod manifestauit Filius hominibus: & in quo nemo verè potest inuocare, nisi per acceptū illius spiritum sit filius.

Secundum propositum. Græcè melius, εὐδοκίαν, id est, beneplacitum, *voluntatis suæ*. Vt si quæratur ratio, cur elegerit atque prædestinauerit illos Deus: Respondeatur, quia placuit: & nō solùm quia placuit, sed quia beneplacuit. Quod includit rationē bonitatis suæ, & propensæ ad beneficentiam voluntatis, quasi explicitius diceret: quia bonus est. Boni autem maximè proprium est, sese diffundere & communicare. Sed adiecit: *In laudē gloriæ gratiæ suæ*, hoc est, vt gratia sua per mutuas nostras laudes redderetur inter nos gloriosa. Non quòd inde quicquā accrescat boni aut gaudij ipsi Deo, quasi ab extrinseco veniens, qui plenus est sua beatitudine in seipso, & omni gaudio: sed quò nos ipsi amplius perficeremur, dum gloriæ Dominum glorificamus. Illud autem proprium est eius, qui est causa efficiens & finis omnium, vt mera bonitate operetur in omnes, seipsumque diffundat: non autem vt quicquam recipiat. Aliàs non esset summum *Act. 20.* Ens, & summum Bonum, ac beatissimum: cum sit beatius dare quàm accipere.

Hîc interim notandum in Pelagianos, electionem esse & prædestinationem meræ gratiæ, quatenus laudetur Deus de bonitate, & non ex operibus quibusuis vel præuisis. Si enim opera præuisa essent quouis modo ratio prædestinationis aut causa, etiam illa causa quam vocant, sine qua non, profectò nō merę gratiæ esset pręedestinatio. At istud est contra Apostolum manifestè. Pręscientia ergo siue pręuidentia bonorum operum consequitur prædestinationem: quoniam vocatio ipsa & iustificatio, vnde opera bona sunt, effectus sunt prædestinationis. Itaq; vniuersaliter operum bonorū ratio, gratia est. Gratię autē ratio, beneplacitū Dei. Beneplaciti autem Dei ratio, est laus gratię suæ: vt sit in hac bonitatis parte mirificè gloriosus. Hæc autem dona esse in quibusdam firmissima, ratio ipsa est alia nulla, quàm eorum prædestinatio & electio, quæ hæc prorsus omnia præcedit. Si quæras: Quare vult Deus gloriam illam de bonitate sua in Electos? Tibi respondebitur quærenti: quia bonus est & iustus. Ipse enim meretur glorificari ex benefactis, licet in eum (vt sæpius dicendū est) nihil hinc redundet: in nosipsos tota redit hæc glorię accessio, quo efficitur vt illius magis expendatur bonitas & communicetur. Non est sanè paruum donū glorificare Deum, cum hoc ad iustitiam pertineat

Universidad de Deusto
Biblioteca

& veritatem. Hęc est tandem summi natura boni, vt cum nihil à quoquam accipiat, semper tamẽ in omnes inexaustum manẽs effundat. Si quisquam improbus, aut stolidus insuper quærat: Quare Deus sit ita bonus erga nos & iustus? Huic imponendum est mox silentium. Nam primum Ens, & primum Verum, & primum Bonum, causam non habet, sed est omnis causa, & efficiens, & finalis per semetipsum.

In qua gratificauit nos in Dilecto. Ecce fundamentum omnis gratiæ & prærogatiuæ, nimirum ipse Dilectus. Græcè enim simpliciter legitur, *in Dilecto*, nec additur, *filio suo*, quod diligenter obseruauit B. Hieronymus. Sed trahit ad hunc sensum, vt dicatur Dilectus ab omnibus, qui cum sit iustitia & redemptio & sanctificatio nostra, hac saltem consideratione dignus est, quem omnes debeant iure diligere. Interpretationem hanc non reiicio. Mihi tamen magis placet, simpliciter & absolutè Iesum vocari Dilictũ, vt per hoc vnicè eximia illius prædestinatio atque electio declaretur, tanquam nullus præter ipsum Dilectus: quia præ illo nullus. Et quicunque alius dilectus fuit aut est, per illũ, & propter illum dilectus est. Vnde ipse summè, verè, ac simpliciter dicendus est Dilectus. Hic est filius meus dilectus (ait Patris æterni de cœlo vox) in quo mihi bene complacui: ipsum audite. *Matt.17.*

In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nos. Agnosce non modo Dilectum, sed etiam Diligentem: quia per illum redempti sunt præcipuè Electi in ipso, qui permissi fuerunt cadere in prima præuaricatione patris nostri: sic tamen vt iterum instaurarentur. Dilectus ergo ille Patris, cui sanguis acceptissimus fuit in pretium redemptionis nostræ: & ipse nos diligẽs, & præsertim Electos suos pro quibus se dedit in mortem, & pro nobis etiam omnibus, totoque mundo. Dilectus eius discipulus in persona in prædestinatorum: Ipse est (inquit) propitiatio pro peccatis nostris: non solùm pro nostris, sed pro totius mundi, Vide vt hic Doctor noster ingeminat beneficium gratiæ, vt plurimam gratiam intelligas, & illam in primis quæ Electorum est propria: ait enim, *1.Ioan.2.*

Secundum diuitias gratiæ. Et tanquam hoc non satis esset, adiunxit: *In omni sapientia & prudentia.* Certè hæc tanta dona non sunt omnium qui salutem adipiscuntur, sed propria prædestinatorum atque electorum, vt similes Christo fiant, qui prædestinatus fuit in gloriam ipsorum primò, vt & ipsi sint prædestinati in gloriam aliorũm, tãquam coadiutores & cooperatores Dei, ministri euangelij pacis pro nobis: quoniam ita superabundant gratia, scientia, ac prudentia, vt possint aliis imperiri, & item possint dicere, Imitatores nostri estote, sicut & nos sumus Christi. Vbi pulcherrimum ordinem considerare licet. Ipse Dominus de suo sanguine morti vicinus dixit, Qui pro vobis, videlicet, quos elegi, intelligens in eis omnes electos: & pro multis effundetur, &c. Et hic nota dici sapiẽtiam quę versatur circa veritatem æternorum. Prudentia verò est recta ratio rerum agibilium, & in actibus omnium virtutum versatur, vt scilicet rectus ordo adsit, seruetur ratio, inspiciatur finis, *Luc.22.*

considerentur quoque modus & tempus, & cęteræ circunstantiæ.

Vt notum faceret (Vel, qui notum fecit nobis) *sacramentum voluntatis suæ.* Græcè, *mysterium*, quod nos sacramentum dicimus. Interpres tamen quandoque Græcam vocem relinquit, & quandoque vertit in latinam: quod factum nequaquam oportuit. Ecce proprium Apostolorum secundum eminentiam. Nam cum futuri essent euangelij buccinatores & testes, operæpretium fuit eos esse plenos sapientia, & prudentia, & quibus notum redderetur diuinæ voluntatis mysterium. Quocirca ad eosdẽ, Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. Et hoc mysterium est incarnatio Christi & aduentus eius, non ad salutem vnius populi tantùm, sed omnium. *Ioan.15.*

Secũdum beneplacitum eius, quod proposuit in eo. Græcè legimus, *In seipso*, videlicet hoc beneplacitum huius notitiæ proposuit in seipso Deo, vt quando sibi aptum videretur tempus, tunc demum dispensaret: & tanti notitiam mysterij ipsi mundo per Electos daret. Si legas, *Proposuit in eo*, intellige in Christo, vt per illum primùm effunderetur in eos, & ab eis in mundum.

In dispensationem plenitudinis temporum: ac si dixerit, Non ad eum finem fecit notum Apostolis hoc mysterium, vt illi silerent: & (vt quidem) dicerent: Secretum meum mihi, sed vt dispensarent illud prædicatione vniuerso mundo: quoniam plenitudo temporis aduenerat. Græcè legitur. οἰκονομία, quod significat non tam substãtiam temporis, quàm occasionem in tempore ad aliquid faciendum oblatam. *Instaurare omnia in Christo.* Græcè, recapitulare & assummare. *Quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Cauendum primò hac parte ab Origene, qui ex hoc loco volebat etiam Angelos malos esse instaurandos, ꝓpterea quod dixerit Apostol. instaurãda quæ sunt in cœlis. Instaurãtur enĩ satis omnia, reparato humano genere: quoniã multi ad gloriã lapsorũ Angelorũ peruenũt. Aliqui referũt ad animas hominũ in cœlis existentiũ, quæ & instaurabũtur per Christum accepto corpore. B. Hieronymus non patitur vt legamus, *Instaurare*, sed recapitulare quo verus sit hic sensus: Quæcunque enarrata sunt in scripturis (quæ quidem omnia figuraliter significabant Christum) in ipso Christo fuisse, vt ita dicam, recapitulata siue assummata. Non secus ac si quis particulatim aliquas pecuniarum summas colligeret, & in vnam quæ alias omnes contineret, assummaret. Et hac ratione, historia de primo Parente Adamo & eius lapsu: de Noé & arca: de ædificatione turris, & varietate linguarum: de sacrificio Abrahæ, & cæteris multis, quibus referta est scriptura veteris testamenti, recapitulata intelliguntur in Christo: quoniam in illo ad veritatem impleta sunt. *Origen.*

Attamen cum huiusmodi expositio non planè exponat, quomodo quæ sunt in cœlis recapitulentur, adiecit (quod est ponderandum) B. Hieronymus diligenter attendendum esse, non eas solùm omnes scripturarum historias, quas in hoc terrarum orbe gestas Spiritus sanctus enumerat: sed & in cœlestibus omnia, quæ nobis occulta sunt mysteria in Christi passione recapitulata esse intelliguntur. Mihi verò nõ displicet primus sensus, nec similiter alius quem subiicio: quoniam per peccatum Adæ non solùm terrena, verùm etiam cœlestia sunt immutata. Nã Christus ipse mutatus est, vt qui aliàs venturus esset glorificator, venit & Redemptor, ideo infirmus. Ipse autem magna pars erat & dignior cœlestium omnium & terrenorũ, ac per hoc omnia verè sunt mutata. Prius Angeli sub Christo erant: peccante autem Adam, paulò minus, id est, ad parum temporis minuitur ab eis Christus. Imò & per eos in hac vita regitur, qui rector aliquando fuisset omnium. Per passionem autem & resurrectionem acquisiuit postea, vt ipse esset ea maiestate caput omnium, qua fuisset ab initio, & sic fuit in Dei dispositione, nisi peccatum obstitisset. Itaque recapitulata sunt omnia & instaurata: quia in ipso & sub ipso capite nunc inueniuntur omnia cœlestia, vt destruatur omnis principatus & potestas, etiam in ipsis cœlis: vt per hoc instaurentur & recapitulentur in Christo omnia, sicut & in illo fuerunt condita. Vnde post resurrectionem dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et hoc mihi videtur plenior expositio ac verior. *Matth.vltimo.*

In quo & nos sorte vocati sumus, &c. Græcè non legitur, *nos*, & longè melius, ne sit nugatio aut battologia, vel sensum reddat obscuriorem. Nam paulò antè iam dictũ erat, *nos*: Nec legitur, *vocati*, sed ἐκληρωθημεν, quæ est vox composita ancipitis significationis & ambiguæ, vt quæ modo sortem, modo hæreditatem significet, Sed hîc placet, vt à sorte dicatur, & significet: sortiti sumus, passiuè, aut sorte electi sumus. Quod ita accipiendum est: quoniam non ex vllis meritis, aut ratione vlla quæ in homine posit excogitari, descendit. Ideoque sorte illud fieri dicitur, quod ex Dei beneplacito venit: nec disquiritur ratio, quare hic potius quàm alius eligatur. Etenim quàm hoc non fuerit inspectum in B. Paulo, luce clarius patet, qui tunc eligitur, dum capitali odio ecclesiam persequeretur, eousque plenus minarum & cędis in discipulos Domini. Sorte ergo illi obtigit vt talis potius & ad tãtam rem vocaretur, quàm alij multi innocentes. *Act.3.*

Sic sorte fuerunt electi cæteri Apostoli. Scribitur enim de Domino: Elegit quos voluit. Nec eo tempore sanctiores illi erant ac meliores reliquis mundi huius hominibus. Vnde & Iudas dicitur excidisse à sorte sua, & in sortem Matthias vocatus. Adduci autem non possum vt credam illam B. Mathiæ electionem illo sortis genere factam, quam sibi vulgus persuadet. Sed sorte fieri dicitur apud scripturas, quod ex voluntate & electione quasi desuper ex patris ꝓ. dispositione venit. Quapropter & ipsa hæreditas, quæ dispositione & placito patris ta, assignari consueuit, Græcè eodem vocabulo, κληρονομία, significatur. *De electione B. Matthiæ.*

Non est autem probandum, imò non caret peccato, si quis vtatur sorte, vbi rationis discretio exigitur, ne tentetur Deus. Si quis alium sensum existimet veriorem, non obsto: scrupulum meum indico, quem mihi alius sensus iniicit.

Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Ecce quomodo voluntas Dei est causa omnium quæ fiunt per ipsum: & ita est causa prædestinationis. Ne tamen putaremus voluntatem Dei temerè esse, nullóque ferri & moderari consilio, ait: *Secundum consilium voluntatis suæ.* Noli putare consilium Dei esse, quale est in nobis cum quadã disquisitione, quæ ignorantiam præsupponit: sed abiectis defectibus intellige, quod superest in ratione consilij, vt ex consilio recta ratio & iudicium eorum quæ decernit facere accipiatur: quod tamen consilium non ligat voluntatem eius, vt si aliter faceret, improbè faceret & iniquè, quemadmodum accidit in omni creatura, quæ habet legem superiorem cœlitus inditam, quam nec transgredi absque crimine, nec impunè licet: sed quod Dei voluntas probat illud esse bonum. Et tamen aliquæ rationes prædestinationum & electionum Dei assignari possunt. Nã electos fuisse aliquos eximia electione in Christo ratio est bonitas Dei, vt diximus. Quòd item præcipuè ij fuerint Apostoli, hoc exigebat officium. Eum qui alios docturus est, & ad æterna instituturus, esse scientem oportet, & longè eminere omni munere & dono. Præterea Apostolos ex Iudæis potius quàm ex Gentibus electos (nullus quippe legitur fuisse Gentilis, nisi fortè in apocryphis) cõtinuò in promptu est ratio, quam & B. Ambrosius ad hæc verba affert, *vt simus in laudẽ gloriæ eius, nos qui antè speramus.* Iudæi enim fuerunt, qui ante alios sperarunt in Christo. Vnde congruum fuit, vt prædestinati & electi specialiter ad hoc munus Apostolatus, essent ex populo illo prædilecto in laudem gloriæ ipsius Dei Benedicti.

Ex eo populo Christus originem duxit: non ita fuit tamen ad Iudæos hæc gratia restricta, vt ex Gentibus quoque non fuerint prædestinati aliqui sed non quibus primùm hoc munus Apostolatus committeretur. Hactenus enim hæc omnia videntur pertinere ad Apostolos electos & prædestinatos. Nunc ad ipsas Gẽtes sermonem conuertit, ne sibi partem in regno Dei deesse arbitrarẽtur: quin vt intelligerent suum locum seruatum, quia ipsę erant superędificandę super fundamenta Apostolorum & Propherarum, ait:

In quo & vos. Quod audis, *in quo*, subintellige, *Christo.* Quod autem sequitur, *& vos*, subaudi, aptati estis tanquam secundo loco post nos: imò & per nos, id est, per ministerium nostræ euangelicæ prædicationis. Non tamen quasi B. Paulus illis ab initio prædicauerit, licet in Synagogis disputauerit: sed Apollo fuit, qui cœpit agere confidenter in illa metropoli, docens eos, & prædicans, & confirmans veritatem Christi diuinam. *Cum audissetis verbum veritatis euangelium salutis vestræ.* Nam fides ex auditu, & ex fide gratia & iustitia. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, &c.* Spiritus sanctus credentem in Iesu signat intus per characterem & donum gratię, in quo est promissio cœlestis hęreditatis. Et ipsa eadem gratia & charitas, pignus est vel potius arrha, vt Greca veritas habet: & (vt B. Hieronymus notat) quæ sit pars & quędam libatio ipsius hęreditatis: quoniam vt filij Dei per illud signati estis in hoc à Iudeis differentes, quòd illi signati in carne carnali gladio, aut carnali petra, & vos spiritualiter à Petra viua & spirituali, quę est Christus resecans fluxum sanguinis nostri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In redemptionem acquisitionis, hoc est, vt perfecta redemptione potiamini perfectè redépti vos, qui acquisiti estis per sanguinem filij Dei. Sicut enim circuncisio dicitur populus circuncisus: ita acquisitio dicitur populus acquisitus. Vnde B. Petrus vocat populum acquisitionis.

1.Pet.2. Animaduerte perpetuò, tu pie lector, aduersus hæreticos, illam nobis dari arrham Spiritus, & illam nos accipere, vt bene ea vtentes perficiamus redemptionem nostri, vel redemptionem ipsius hęreditatis. Nisi enim bonis operibus cooperemur, & pretium totum amittemus & arrham.

In laudem gloriæ eius, id est, vt perficiatur laus gloriæ suæ. Cum enim Deus velit laudari & glorificari ob veritatem à Iudæis: quia promissa seruauit de Christo, & de redemptione Israel in reliquiis. Vult insuper misericordia laudari à Gentibus, quibus nihil promiserat: vt laus duabus viis, per quas ipse venit ad nos, impleatur: sicut scriptum est, Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, requirẽtibus testamentum eius & testimonia eius. Nam in testamentis, quæ fuerunt Iudæorum, promissio fuit: & cum seruauit promissa Deus, apparuit veritas. In testimoniis autem Apostolorum, oblata est & apparuit misericordia in Gentibus, vt & ipsę intrarent in testamentum æternum. Psal.24.

Propterea & ego audiẽs fidẽ vestram, quę est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos: non cesso, gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciẽs in orationibus meis, vt Deus (Domini nostri Iesu Christi Pater) gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius: & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis: & quæ sit supereminẽs magnitudo virtutis eius in nos qui credidimus, secundum operationẽ potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituẽs ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sęculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput supra omnẽ ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

Propterea & ego audiens fidem vestram: Aut potius, ego autem audita fide vestra. Et declarans illorum fidem, ait: *Quæ est in Christo Iesu.* Fides enĩ circũcisorum secundum carnem, fuit in Deo & Mose seruo eius: illa quidem erat habita ratione promissionis terrenarum rerum. Nostra verò est æternorum & cœlestium. *Et dilectionem in omnes sanctos, &c.* quorum prædicatione atque exemplis illi venerant in eam fidem: & meritò, quia ab illis per euangelium geniti erant. *Non cesso gratias agere pro vobis, memoriã vestri faciens in orationibus meis.* Et vt intelligãt quid oraret, adiecit, *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi.* Deus Pater, meritò Deus Iesu Christi vocatur, vt in quem singulariter illius respicit prouidẽtia: & singulariter ab illo respectus est. Vt nulla pietas siue patris in filium, siue in patrem filij, possit omnino cum paternis Dei Patris erga Christum visceribus cõparari. Et pari vicissitudine, nulla filij reuerẽtia cũ filiali reuerẽtia ipsius Christi erga Patrẽ cõferri valeat. Quare plerũq; ingeminat in psal. Filij, Deũ inuocãs hoc pacto: Deus meus, Deus meus. Hic autẽ Deus Iesu dicitur, & *Pater gloriæ*, vel quia vniuersæ omnium gloriæ author est: vel quia Pater est Iesu Christi, qui est gloria ipsius Patris. Legimus enim: Gloria patris, filius sapiens. Nam per Filium Pater glorificatus est, & per Patrem Filius. Vnde ipse ait, Manifestaui nomen tuum hominibus. Et: Pater, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Et ille: Clarificaui, & iterũ clarificabo. Quod fuit cum resurrexit, & sedit in maiestate. Ioan.17.

Det vobis spiritum sapientiæ, ad cognoscenda æterna quæ speranda sunt nobis: *Et reuelationis.* Hoc videtur adiungere: quia nemo potest superna sapere, nisi prius oculi mentis reuelentur ab effectucaralium ac temporalium, quæ sunt tanquam velũ, quo nobis occultantur cœlestia. Quare & Dauid orat, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: *Vt sciatis quæ sit spes vocationis eius.* Quoniam non ad terrena respicit spes. Quæ iam videt quis, quid adhuc sperat? *Et quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.* Et si enim omnes erimus gloriosi, tamen peculiariter Sancti Dei abundabũt & illi Electi diuites erunt & locupletes, quos iterum hic memorat. *Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis* (siue potentiæ) *eius in nos qui credidimus.* Innuit illam excellentem ac potentiam Dei efficacem, qua operatus est in electos suos, præsertim Apostolos, vocando ipsos cum essent admodum pauperes, & illuminando, & euangelizando illos, & igne Spiritus incendendo, & ineffabilia dona largiendo. Hæc Dei in istos potentia assimilatur illi potentię, quam exercuit in suscitando Filium à mortuis, restituens illum ad vitam, & donãs ei stolam gloriæ in decore, & in incorruptione, & fortitudine sempiterna. Tales facti sunt spiritualiter quodam modo Apostoli, suscitati quidẽ primùm de morte ad vitam, & clarificati, & incorruptibiles à corruptione peccati, propter eximiam Spiritus protectionem & lumen, & gratiæ fortitudinem: quod totum mirificè in hoc ipso tãto electionis Vase apparuit. Vnde rectè addidit: Psal.117.

In nos qui credidimus secundum operationem potentiæ eius. Melius secundum efficaciam potentiæ virtutis suæ, siue roboris, aut fortitudinis suæ: *quam operatus es in Christo suscitans eum à mortuis, &c.* Considera excellentiam electorum, qui participes facti sunt illius summæ efficaciæ, quam in Christum suum ostendit & declarauit. Non enim postquam suscitatus est ille, vlterius mortuus est, sed vitæ restitutus sempiternæ. Sic illi spiritualiter ita vehementer per Spiritum Dei à mortuis tandem excitati sunt, id est, à peccatis in quibus mortui erant, vt non essent vlterius morituri.

Et constituit ad dexteram suam in cœlestibus. Esse ad dexteram Dei, est esse in robore ac potestate pater

Psal.109. Ibid.15. na, ne quis carnaliter cogitet de situ. Nam & Pater dicitur à dextris Filij, in eodem Psal. Dominus à dextris tuis. Et ipse Filius alibi: A dextris est mihi ne commouear. Et significat potentiam Patris pro Filio: Et hìc potentiam Filij à Patre. *Super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, &c.* Iuxta doctrinam B. Dionysii, Principatus est summus ordo, siue primus chorus vltimæ hierarchiæ. Potestates autem & Virtutes, & Dominationes mediam perficiunt hierarchiam. Etsi aliter circa hos ordines Beat. Gregorius docuerit quàm B. Dionysius, non tamen vt Pontifex, sed vt quiliber alius priuatus doctor ecclesiasticus. Beatus Hieronymus in ea videtur esse sententia, vt existimet Apostolũ hos ordines Angelorum ex traditionibus Hebræorum, vel de scripturis subtilius intellectis, didicisse. At cur non potius ex reuelatione, cum & ipse in tertium cœlum raptus sit: nec tunc ibi fuerit absque Angelorum suauissimo, atque familiarissimo commercio?

Et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Si ergo Apostoli secundum hanc tam excelsam potentiam vocati sunt, meritò penes illos residebit in spiritualibus, siue cœlestibus post Christum, summa potestas. Nam & illis fuit dictum, Hæc & iis maiora facietis. Et in hac potestate extinxit B. Petrus Ananiam & Saphyrã: Et Simonem Magum super aera volantem, & simplices rudésque homines ludificantem suo iussu fecit de cœlo ruere. Apostolus Paulus excœcat magum alium Barieu nomine: & Dæmoni imperat, vt arripiat hominem nefariè pios viros à fide auertentem. Verùm hæc in edificationem omnia, non in destructionem. Talis ergo & tanta fuit electio Apostolorum & vocatio, quibus & alios similes fecit Deus, vt in multis sanctorum rebus gestis latissimè patuit. Ioan.14. Act.5.

Ergo nomen Christi est super omne nomẽ, hoc est Iesus: quia ipse est super omnes. Nomina enim quæ à Deo & scriptura ipsa imponuntur, sunt personis conuenientia. Et non sicut accidit nobis, qui sæpenumerò habemus nomina, quorum significationem vita & operibus nedum non implemus, sed contra diuersitate morum longè dissentimus. Interim cogitandum est futura nomina, quæ adhuc vocabuntur in alio sæculo, quãuis nobis hoc tempore sint ea ignota. Sed hoc satis nobis superque satis, quibus nosse datum est nomen, hoc Iesus, quod est super omnia: Et vtinam verè & bene nosceremus.

Et omnia subiecit sub pedibus eius. Credo itẽ poni *Et*, pro quia. Frequenter enim (vt sæpius diximus) in hebraismo idiomate reperitur.

Nunquid ergo & Angeli, & Cherubin, & Seraphin sub pedibus eius? At istud videtur de solis inimicis dictum: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Deinde ipse Apostolus videtur sibi contradicere, qui alibi dixit: Nondum videmus subiecta illi omnia. Primùm ergo hoc certò ponendum est, ab ipsomet Apostolo iam alibi declaratum, Patrem quidem subiecisse ille prorsus omnia, solo vno seipso qui subiecit omnia, excepto. Dicuntur autem sub pedibus eius, non qui omnia ipsius Maiestati subiecta conculcet, nisi inimicos solos: sed quia sub illo erunt omnia. Et verum illud est, nondum subiecta esse illi omnia. Nã & Diabolo aliquod etiam num relinquitur in malos imperium, quos eius potestati iusta sententia dimittit Deus: & ipsa mors vires suas exercet assiduè. Denique inimici eius nondum sunt ei subiecti, sed erunt paulò post. Experientur enim breui superstites hæresiarchæ, & impij ac flagitiosi homines, re ipsa quid sit illud: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nihil prohibet etiam per pedes intelligere humanitatẽ Christi, sicut per caput diuinitas ipsa in scripturis intelligitur. 1.Cor.15.

Et ipsum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ. Et, pro quia. Quia enim ipse datus est caput ecclesiæ, ideo illi subiecta fuerunt omnia. Vt enim in toto corpore dignissimum membrum est caput: & quemadmodum sub illo compacta sunt reliqua membra, & ab illo accipiunt. Ita & Christus dignitate est super omnes & potestate, à quo excipiunt omnia reliqua subiecta membra quicquid habent spiritus & vigoris: ideo dicitur, *Quæ* (scilicet ecclesia) *est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.* Possemus pariter dicere iuxta Græcam distinctionem, *Qui omnia in omnibus adimplet*: Si enim legimus, *adimplet*, significat Christum tanquã omnium caput, existentem virtute sua omnibus, Spiritu suo adimplere omnia. Si verò legis, *adimpletur*, intelligas ipsam ecclesiam esse Christi plenitudinem. Nam Christus existens omnia, cum non sit tantùm Iudæus, sed Græcus, Barbarus, & Scyta, hoc modo adimpletur ipse in omnibus, vt sit perfectus per ecclesiam, quæ corpus eius est. Non enim totus esset Christus, si solummodo in Iudæis esset. Sic autem implens omnia, ipse per illa eadẽ quæ implet, impletur: vt sit ipse caput perfectum, & perfecti corporis caput.

CAP. II.

ET vos cũ essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sęculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nũc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desyderiis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum: & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo: vt ostenderet in sęculis superuenientibus abundãtes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia enim estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

TRadidit distinctè Apostolus peculiarem Iudæorum gratiam, & vocationem primam electorum ex Iudæis, à secunda ipsarum Gentiũ vocatione (Nam & signa habuerunt prærogatiuæ suæ charissima, vel hoc vnũ excellentissimum, quoniam locutus est eis per Filium, & non aliis Gentibus, quibus solùm per Apostolos est loquutus) Nũc generaliter & promiscuè docet, & aperit gratiam omnibus fuisse communicatam, ipsis etiam Gentibus, quæ longissimè ab ea distabãt: vt & cognoscerent se mera Dei gratia cõsequutas veram æternæ salutis spem, ad quam retinẽdam firmam, oporrebat eas operati bona perseuerando vsque in finem. Facit autem mirificè ad perseuerantiam memoria beneficiorum cum gratiarum actione, & ista necessaria de illo cogitatione, quoniam qui incepit, etiam perficiet. Nam si ab inimicitia reuocat, vt amicos sibi cõciliet & stabiliat, multò equidem magis amicis iam constituris erit admodum beneuolus & beneficus. Ait ergo:

Et vos cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris. Non eadem significatione hîc sumitur, mortuum esse peccatis, qua ipse aliàs quando dixit: Ita & vos existimate mortuos esse peccato. Nã peccato ibi est casus datiui, non ablatiui, sicut hic. *peccatis*, Ille enim mortuus est ipsi peccato, cui non dominatur peccatum. Ille autem mortuos est in peccatis, qui per peccata, quibus inuolutus tenetur, amisit vitam gratiæ & gloriæ. Et ita hîc intelligitur, mortuos esse peccatis, in illis scilicet, aut per illa mortuos esse, hoc est, priuatos vita gratiæ. Differentia autem inter delicta & peccata, secundum aliquos hęc esse videtur, Vt delicta quidem ipsa ad omissionem boni pertineant: peccata verò ad perpetrationem mali. Attamen B. Hieronymus, quia Græce legitur, ἐν τοῖς παραπτώμασι, καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ, vult prima voce significari leues lapsus: posteriore autẽ, grauiores. *Cum essetis mortui delictis & peccatis*. Et deest verbum ad integritatem sententiæ reddendã. Quidam igitur aptant superioribus: & qui legunt, *adimplet*, sic iungunt, *Adimplet & vos*, Alij ad illud referunt quod superius dictum erat, *Et dedit caput super omnia*, & quod nunc sequitur intelligunt, etiam super vos, sed istud coactè. Mihi rectè videtur supplendum esse aliquod verbum. Nec aliud appositius occurrit, quam, *suscitauit*, vt post quàm dixit Apostolus de electis, viuificati sunt secundum illam efficacem operationem Dei, qua suscitauit Filium suum è mortuis, subiungat & de ipsis, qui & ipsi (secundo tamen loco) fuerunt eius suscitationis participes, cum essent mortui in delictis, & propriis peccatis.

Mortuum peccato, vel peccatis, quid.

In quibus aliquando ambulastis. Ambulare in peccatis, est in concupiscentias malas perseuerando progredi, quæ à frequentatione peccatorũ in dies crescunt, vt de malo in malum: de peccato, in supremam mortem præuaricãtes abducantur. *Secundum sæculum mundi huius*: quod vocatur nequam. Homines enim qui carnalibus vacant, filij huius sæculi dicuntur. Vnde alibi B. Paulus: Nolite conformari huic sæculo. Et de mundo hoc, quæ vox in malam partem frequentissimè accipitur, testimonium hoc protulit Christus, eius opera esse mala. Et Dilectus: Si quis diligit mundum, non est charitas Dei in eo. Insipiẽtes quidem homines ex hoc loco somniarunt esse plures mundos, & plura sæcula. Verè duo dicũtur sæcula: Seculum præsens huius vitæ: & sæculum futurum alterius vitæ. Nec sunt alia secula, neque plures mundi: nisi fortè dixeris, alium fore mundum post hunc præsentem: quia hic qui est nũc innouabitur, & erit quodam modo alius. Verùm non propriè dicitur de iis, plures mundos esse. Sed ad rem. Malum est ergo ambulare secundum sæculum hoc nequam: quia ambulatur non in spe æternorum, quæ sola est vera spes: sed temporalium, quę nullam stabilitatem habent: sed fluunt & euanescunt.

Rom. 12. *Ioan. 7.* *1. Ioan. 2.*

Secundum principem potestatis aeris huius. Vnum insignem principem nominat Diabolum Satanã serpentem: Vocat autem principem potestatis aeris, vt pote qui omnium malorum angelorũ princeps est constitutus: quorum omnis potestas cum sit ad malum, quasi vna singulari numero significatur. Et dicitur potestas aeris: quoniam in hoc aere exercent potestatem hanc exules à summo cœlo, & expectantes residuum damnationis suæ, cum omnes in inferna in sempiternum trudentur. Vnde quidam illorum rogabant Dominum, ne præcipitarentur in abyssum. Et quidam: Venisti ante tẽpus perdere nos. Interim enim dum hunc aerem incolunt, ad perficienda suæ malitię opera seruantur, vt & propter hoc perferant duriores cruciatus in infernis.

Luc. 8. *Matth. 8.*

Quidam ex nostris volens reuocare commenta Platonica, ex his verbis nisus est probare spiritus esse animalia habentia corpora aerea, non tamen aeris huius. Cui opinioni non modo verba huius loci non seruiunt, sed potius aduersantur: nec argumenta quibus ille mouetur. De qua re mẽtionem in nostris Annot fecimus.

Illud potest meritò dubitationem relinquere: Quomodo princeps adhuc dicatur, qui iam principatu ab eo spoliatus est qui dicit, Nũc princeps mundi huius eiicietur foras: Et: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Cui dubitationi ita satisfacere conuenit, vt certò credamus per Christum, omnem Diabolo prorsus dominatum sublatum. Sed reperiuntur nonnulli, qui etsi per Christum à dominatu eius sunt liberati, rursum tamen ipsius insidiis succumbentes, & credere veritati recusantes illamque sectari, sub eius repetita potestate rediguntur & manent. Vnde Dominus: Cum immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem: Et non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mũdatam: quod perinde est ac si dixerit, considerans cor hominis, cuius ipse pacificam prius possessionem habebat, esse vacuum, quasi vacuam domum quæ non receperit Dominum suum, hoc est, Iesum. Tunc vadit iterum magna confidentia, & assumit secum septẽ spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus, id est, adducit secum, Domino iu-

Ioan. 12. *Luc. 11.* *Quomodo diabolus eiectus esse ferur.*

iustissima sententia permittente, vniuersam malitiam. Sic igitur fit denuo princeps eorum qui diligunt hoc sæculum nequam, nec recipiunt spem æternorũ in Christo. Et in eos qui huiusmodi sunt, exercet Satanas potestatem suam, quæ spiritus est. Vnde appositiuè sequitur: *Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ*. Ecce in quos exercet potestatem, id est, illum suum malitiæ spiritum, nimirum in filios diffidentiæ. Sic Hæbraico more loquitur, illos vocans diffidentiæ filios, qui incredulitatis & diffidẽtiæ vitio velut forma quadam, certam generationem & modum essendi nanciscuntur. Sic dicuntur filij sæculi & tenebrarum: & econtrario, filij lucis & diei: qui ambo quodam habitu à moribus, vel sæculi & tenebrarum, vel veræ lucis contracto, generantur vel formantur. Illi qui dem ad profundiores tenebras: Isti verò ad illustriorem lucem.

In quibus & nos aliquando conuersati sumus, id est, non vos solùm Gentes, sed & nos Iudæi. Voluit his verbis Apostolus docere Gentes, nullum tale Iudæorum extitisse meritum, quo excitatus ad illos venisset Christus, cum essent & ipsi peccatores & serui peccati, ante cognitam Christi nouam legem, & gratiam perceptam. & propterea in delictis ac peccatis versati, sicut & Gentes: Vnde ait, *In desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis & cogitationum*, earum profectò quæ deorsum ponderẽ carnis & grauitate feruntur. Has scriptura commemorat, quæ ait: Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Rogabit aliquis: Ergo ne Iudæi omnes tales erant, vt nullus inter illos inueniretur iustus? Respondeo: Iudæus, id est, homo illius gentis quãdiu in suo manerer Iudaismo, talis erat: nec alius quàm peccator esse poterat, quousque inueniretur in Christo collocatus, secundum doctrinam Apostoli. Qui autem ad Christum iam peruenerat, in illo insertus nõ iam amplius vt natura Iudæus, sed vt spiritualis: non à Iuda filio illo Iacob, sed à vero Iuda Christo Iesu censebatur.

Psa. 39.

Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Reddit rationem efficacem, cur & ipsi in suo Iudaismo in omnes libidines incitarentur & explerẽt, aiens: *Et eramus, &c.* id est, quia eramus, &, pro, quia accipit, vt sępissimè deprehendo: *natura filij iræ sicut & cæteri*, non Iudæi: quia omnes sub antiquo peccato æqualiter tenemur, & egemus gloria Dei. In hoc præcipuè erat ira Dei per illud peccatũ in omnes: quoniam carebamus spe gloriæ Dei. Non vna est eius ira tantum. Est quædam ira prior, quam nos propter Adæ peccatum incurrimus. Et hac ira exclusi sumus à gratia, & donis, & protectione Dei. Et hoc per naturam nostram, non quatenus sumus à Deo creatore bono in lucem editi. Qua consideratione nulla prorsus Dei creatura mala dicenda est. Nec qua parte sumus per Christum regenerati: nam tales iam non sumus sub ira, sed sub gratia Dei. Itaque dictum est nos natura iræ filios: quia tales nascimur quicunque descendimus à patre nostro Adam præuaricatore. Vnde tanquam filij præuaricatoris quantum ad hoc pertinet censemur, vt veniamus in hunc mundum donis omnibus spoliati, in puris naturalibus relicti, quibus propter carnem magis sumus animales & carnales, quam spirituales, non valentes perficere vllum bonum. In quo nos statu fuissemus semper omnes, nisi Deus clementissimus Pater prouidisset nobis meliora per Vnigenitum suum: quod exprimit Apostolus:

Deus autem (inquit) *qui diues est in misericordia, &c.* Diligenter est attendẽdum, citra vllum discrimen spectare istud ad omnes tam Iudæos quàm Gentiles. Nam de vtroque populo prædixit in hoc capite, vt annotatum est. Sed cum vellet admonere Gentes, per parenthesin ad eos loquitur, dicens (*Gratia saluati estis*) & loquitur de salute in spe, non in re. Et sermonem prosequens omnibus communem, ait: *Et conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*. Hic tria suo ordine distincta habes: conuiuificare: conresuscitare: & consedere facere in cœlestibus. Primum refertur ad gratiam, quam primò inimus in Christum: & est conuiuificatio à mortuis. Secundum, conresuscitare, ad illud refertur quod erit in carne post mortem in aduentu Domini. Tertium, consedere, ad ascensionẽ in cœlum, vt ibi semper maneamus. Et hæc perinde ac si iam facta essent, more scripturæ commemorat, vt quæ omnino scilicet fiunt decreta fieri suo tempore. Non desunt ex Interpretibus nonnulli, qui & hæc velint spiritualiter etiam in hoc mundo suam veritatem assequi: quia horum omnium arrham quandam habemus. Hi autem potissimum qui sunt electi, quorũ conuersatio iam non terrenis, sed tota in cœlis est.

Vt ostenderet in sæculis superuenientibus. Sæcula intellige, quæ post hanc viam in patria regnabunt, quibus plene apparebunt hæc omnia. Potest tamen intelligi de sæculis superuenientibus in hoc mundo post Christi aduentum: nam senectus eius in misericordia vberi. *In benitate*, aut potius, *benignitate super nos*, id est, Iudæos primùm, deinde Gẽtes, *in Christo Iesu*: in quo neque circuncisio valet, neque præputiũ, sed noua creatura. Et ad erudiendas in vera humilitate Gentes, sermonem conuertens, ait:

Psal. 91.

Gratia enim saluati estis. De ea salute loquitur quæ est (vt loco non ita remoto dixi) in spe quam & alibi ipsemet declarat: Spe salui facti estis, *per fidem*, quam Deus imputat ad iustitiam, vt superius ad Romanos declarauimus. *Et hoc non ex vobis*: nisi quòd saluati sitis per fidem, absque vllo vestrorum operum merito. Neque enim ille fidei actus computatur inter opera vt sit in meritis vt propterea homo quasi ex merito iustificetur: sed acceptat illam fidem Deus gratiosè ad iustitiam. *Dei enim donum est*, videlicet quòd sitis salui: quia per gratiam & iustitiam, siue charitatem formaliter salui facti estis, quod est donum Dei. Igitur non ex meritis, alioqui non esset gratia siue donum. Multi ex hoc loco colligunt fidem esse donum Dei, qua iustificamur. Quibus etsi non repugnem, an tamen planè hinc probetur, alij considerent. Mihi non aliud colligi videtur quàm hoc totum, Quòd salui simus, est à gratia, & ita est donum Dei: quam tamen gratiam ex fide accipimus, id est, ex actu fidei. Primùm enim requirit à me Deus fidem meam, vt ipse donet donum iustitiæ suæ, & sim iustus verè, id est, iustus in conspectu eius. Non eo inficias, quòd ego actum fidei

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

elicuerim, venire ab ipso Deo illuminante intellectum, & mouendo, eo modo quem nouit ille, voluntatem meam, vt actus ille fidei eliceretur ab intellectu, & sic iustificaret iustitiæ Donum infundens, quo reddimur iusti non sine interno fidei dono ac spei. Non enim infundit Deus charitatem sine fide ac spe in eo. qui fidei donum non habet. Primus igitur actus fidei meæ à Deo gratiosè acceptatus ex quo iustificor, meus est: quia ex mea procedit libera voluntate & arbitrio, vt rectè B. Hieronymus in principio huius epistolæ docet: sed nõ est eius æstimationis homo, qui adhuc gratia caret, vt gratiam mereatur. Est igitur illa mea fides dispositio quędam ad gratiam, sicut alibi abundè est declaratum. Vnde adiecit:

Non ex operibus, id est, non ex operum vllo valore, aut merito. *Ne quis gloriatur*. Salutaris additio ad reprimẽdum tumorem nostrum, ad quem sumus admodum, propensi natura omnes, vtpote superbi atq; elati. Sed non decebat, præsertim post peccatum, cuiquam relinqui istam gloriationem, vt posset quouis modo mereri instaurationem suam in Christo, cum esset omnino alienatus à Deo. Decuit igitur vt laudaretur Deus de pura misericordia. Sic ab initio Deus creauit hominem, & dedit illi dona ex mera gratia: nec expectauit vlla ipsius hominis opera, quibus ea sibi dona posset merito acquirere. Hoc prorsus non conueniebat, ne in semetipso gloriaretur. Si ante peccatum sapientissimè factum istud est (non enim aliter conueniens erat, ne gloriaretur in semetipso) An non multo magis cõueniens redditum est post peccatum, statuere ne vllis meritis eam gratiã homo peccator recuperaret? Id duabus de caussis præcipuè fieri oportuit. Prima, quoniam gratia quæ est donum excedens ordinem naturalium, sua præstanti dignitate nõ patiebatur, vt humanis quibusuis operum meritis posset comparari. Tum etiam quia ipsum delictum, sub quo eramus inuoluti, obstabat omnino ne possemus facere opera digna homine, nedum digna Deo. Itaque longè aberat homo à meriti ratione, vt gloriari posset in semetipso. Vnde doctè prosequitur Apostolus:

Ipsius enim sumus factura. Loquitur de his qui erãt iam in Christo regenerati, & noua in illo creatura effecti. Et propterea non est intelligibile, posse aliquem semetipsum creare. Quemadmodum enim in statu naturæ nemo creare seipsum potuit, vt qui non existebat existeret: Sic nec in statu gratiæ, nullus iterum potest seipsum creare. Quicunque ergo in Christo sunt noua creatura, oportet esse creatos non à semetipsis, nec per operam ipsorum vllam, sed à Deo qui suscitat mortuos. Et hoc testatur Dauid in Psalmo: Ipse fecit nos, & nõ ipsi nos. De hac locutus spirituali generatione manifestè: Alioqui si de prima & naturali generatione hominis loqueretur, quis erat vnquam dubitaturus neminem posse, antequam sit, seipsum condere? Ergo de noua creatura secundum spiritum loquitur: sicut & hoc præsenti loco Apostolus, dum ait:

Ipsius sumus factura, creati in operibus bonis. Sunt qui hunc locum, vbi dicitur, *in operibus bonis*, emendare conati, interpretantur ad opera bona. Quod si ferat Græca lectio, non reclamamus. Nam in hoc conditi sumus in Christo, vt operemur bona. Alij quidam exponunt (& horum iudicium plurimum sum admiratus) in operibus bonis quæ fecimus, aut facturi sumus: cum istud sit contra Apostolicum sensum, qui tam expressè ac lucidè hoc amouens dicit, *Non ex operibus*. Et tamen ista creatio non est sine operibus. Operatus est enim ille qui creauit. Vt intelligamus, *in operibus*, videlicet Christi, cuius meritis nos recreauit Deus, sicut & per ipsum prius nos condidit, & per ipsum gratis sumus illi redditi. Christus autem hoc rarissimè egregio summę dilectionis modo nos creauit, qui dando vitam suam mortalem, vitam gratiæ cui eramus mortui, nobis recuperauit: & abiiciendo gloriam suam, amissam nobis gloriam excellentius restituit.

Hactenus nos talia cum Apostolo vituperamus opera, verè & libenter confitentes minime nos per illa instaurari, neque effici nouam in Christo creaturam. At postquam in Christo regenerati sumus, & in illo gratiosi facti, possumus, & necessario operari bona opera debemus, ad meritum & acquisitionem salutis. Id B. Paulus perspicuè docet, qui postquam dixit, creati in operibus bonis, adiunxit: *Quæ præparauit nobis Deus, vt in illis ambulemus*. Cuius sensus est: Opera Christi quæ meruerunt instaurationem nostram, fuerunt à Deo Patre preparata, tanquam exemplaria nobis, vt in illis nos discipuli ambularemus imitando vestigia summi Magistri. Hanc passim doctrinã nobis scripturæ ipsæ commendant. Ecce in primis ipse Dominus: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Si hæc scitis: beati estis si feceritis ea. Et Princeps Apostolorum: Christus (inquit) passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius. Et Dilectus: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et hæc sunt vestigia fidei quæ imitatus est Abraham obediendo: & hinc venit quies & gaudium, fructus bonorum operũ. Vnde B. Ambrosius in expositione superioris cap. aduersus istos nouos sterilis fidei prædicatores, & bonorum operum osores, eleganter in hunc modum scribit: Redempti, hæredes designati sunt, si in regeneratione perdurant, vt fides prima, veniã: sancta verò conuersatio perdurans cum fide, mereatur coronã. Et in hoc ipso loco iterum sic ait: Ideo non est gloriandum in nobis ipsis, sed in Deo: quia nos regenerauit natiuitate cœlesti per fidem Christi, ad hoc vt bonis operibus exercitati, quę Deus nobis iam renatis decreuit, promissa mereamur accipere: hæc ille. Quid his poterat breui magisq; perspicuè contra istos dici? qui nec distinguunt tempora, nec status, nec leges, nec opera, nec iustificationes, vt omnia callidè confundant, sicut & ipsi mente confusi sunt.

Pro merito operũ post adeptam gratiam.

1. Ioan. 1.

1. Pet. 2.

1. Ioan. 2.

B. Ambrosii sententia contra hæreticos.

Propter quod memores estote, quòd aliquãdo vos eratis Gentes in carne, qui dicebamini Præputium ab ea quæ dicitur Circuncisio in carne manu facta: qui eratis illo in tempore sine Christo, alienati à cõuersatione Israel, & hospites testamẽtorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis lõgè, facti estis propè in sangui ne Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum: & medium parietem maceriæ soluẽs, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos cõdat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt recõciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiẽs inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem. Ergo iam non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coędificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

Propter quod, &c. Sensus est per se clarus, & admonitio vtilis. Nam beneficium Dei magnum recognoscitur, cum quis memor cõditionis suæ antiquæ malæ & infœlicis, videt se ad fœlicem ac beatum statum esse miseratione diuina translatum, vt hinc excitetur spiritus humilitatis, & gratiarum actionis. Ecce quæ volebat eos perpetua tenere memoria, *quod aliquando vos* (ait) *eratis Gentes in carne*, id est, carnis cõcupiscentiis citra vllam spiritus repugnantiam deditæ: *qui dicebamini præputium*, quo significabatur rebellio & contumacia illa, quã naturaliter ex primo parente contrahimus. Eo nuncupabantur nomine Gentiles in contumeliam ab ipsis Iudæis.

Quidam exponunt. *Qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circuncisio, &c.* Mihi tamen magis placet vt dicamus, *Dicebamini præputium ab ea*, id est, præ ea, siue in respectu & comparatione illius populi qui dicitur circuncisio, propter circũcisionem in carne manu factam. Sicut aliàs dicit: Nihil minus feci à magnis Apostolis, id est, comparatus aliis magnis Apostolis, nihil minus operatus sum. Et de Publicano ait Euãgelista, quòd descendit in domum suam iustificatus ab illo, hoc est, præ illo. Quo in loco etsi præ Iudæis vilitate quadam Gentes ostendat inferiores, vocans illas præputiũ propter obtusionem cordis simul & aurium, obliquè tamen pungit Iudæos, ne putarent se perfectos, nimisque Gentium comparatione sibi blandirẽtur: quoniam necdum ipsi erant perfectam circũcisionem adepti, quę est non circuncisio carnalis in carne, sed spiritualis in corde & auribus cordis, quæ per Christum veram & viuam petram, non autem gladio siue petra materiali, fieri debet. Reuocat insuper illis in memoriam, quomodo aliquando sine Christo vixerant, id est, absque salute: quoniam non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri. *Act. 4.*

1. Cor. 12.

Luc. 18.

Alienati à conuersatione Israel, Correctius, *alieni*, quàm, *alienati*, Et melius, *à ciuilitate*, siue, *politia*, quam, *à conuersatione*. Et loquitur de Israel non secundum carnem tantum, sed multò magis secundum spiritum, cuius ciuilitas non est huius mundi, sed cœlestis: quoniam ad cœlum suspirant in ea positi, & iam hunc mundum non aliud quàm viam deserti æstimant. Hoc figurarunt Israelitæ qui exierunt de Aegypto, id est, de conuersatione & politia carnali. Vnde & amplius declarans, ait. *Et hospites testamentorum*, id est, extranei & expertes testamentorum Dei: quoniam nec vetus illud Iudæorum, nec nouum testamentum ad eos pertinuit. Cum autem vtrumque testamentum reuera tenderet ad spiritualia bona, quorum est vna promissio: & per vetus testamentum intenderet Deus ducere in nouum, ideo adiecit: *Promissionis*, vt cum superioribus connectatur. Potest & construi cum sequentibus, vt dicas: *Promissionis spem non habentes*. Sed siue cum inferioribus, siue cum superioribus annectas, non variatur sensus. Spes propriè iuxta Theologum, æternorum est, & sic apud B. Paulum declaratur. *Rom. 8.*

Et sine Deo in hoc mundo. Sed quomodo erant sine Deo, cum ipsõ Apostolo teste, non Iudæorum tantum esset Deus, sed & Gentium? Respõdemus. Sine Deo ob eam caussam fuisse dicũtur: quoniam Deus nullum cum illis pacto aut testamento habebat commercium, nec colloquium vllum. Vnde erant in pura naturæ conditione relicti, habentes tantum hunc creaturarum librum ad cognoscendum Deum, si quo modo ex eo valerent coniectare, & attrectare, & inuenire illum, vt ipsemet Apostolus Atheniẽses docuit. Non enim deerat Deus etiam vnicuiq; illarum. Quin etiam B. Dionysius testatur (vt sæpius adduximus) Deum ministeriis Angelorum vtum fuisse pro illarum, & vniuscuiusque salute. Nam scriptura sancta memorat de quodam Archangelo Persis præfecto, quorum salutem procurabat. *Act. 17.*

Nunc autem in Christo Iesu, vos qui eratis longè facti estis propè. Ecce gratia Dei magna & misericordia erga Gentes, digna omni gratiarum actione, quæ cum lõgè essent à salute sua, factæ sunt propè: quia Christus illis per gratiam appropinquauit. Interim autem semotus est Israel secundum carnem, qui in propria innitebatur iustitia quæ est ex lege absque fide, per quam fidem (vt opus est inculcare) venit gratia & potentia operandi recta & placita, & ideo meritoria coram Deo. Loquitur ergo de appropinquatione Dei per gratiã: Alioqui potentia & virtute adest semper omnibus Deus, imò inest in omnibus. Et ad augendum amplificandumque tam inæstimabile beneficium, subiunxit: *In sanguine Christi*, id est, per sanguinem Christi facti estis propè. *Ipse enim est pax nostra*, id est, author & causa nostræ pacis, quã habemus & cum Deo, & inter nos. Sic est iustificatio nostra, & redemptio nostra, & glorificatio perfecta.

Qui fecit vtraque vnum, id est, duos dissidentes populos fecit vnum in Domino. Et modũ vide quo hæc fecit. *Et medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua. Et*, pro, quia. Declarat enim quo pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cto fecit vnum:quia medium parietem,qui erat se pes quædã,seu maceria interposita inter hos duos populos quò minus inter se conuenirent, tulit de medio.Hic autem paries erat lex decretorum,quę particulariter data erat Iudæis, in quibus decretis maximè discrepabant à Gentibus.Et primùm quidem quantum ad Dei cultum pertinebat, vetabat lex:Nõ facies tibi sculptile,eo fine vt illos à Gentibus separaret,sibi innumera simulachra fabricãtibus.& rem eis facere sacram honoréque exibere diuinos gestientibus.Adhæc: Lex ordinabat ad sacrificium plura animalium genera,quæ à Gentibus magna religione colebantur,& ingens piaculum erat illa sacrificare.Contra autem,alia sacrificabant Gentes,quæ erant apud populum Dei abominatio.Vnde Moses:Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro:Erat & magna differentia in aliis rebus sacris & obseruantiis,ac propemodum in cunctis religionis decretis,in sanguine,& suffocato quæ vt recensere longum nimis esset,ita & minus hoc in loco necessarium. *Exod.8.*

Factum est igitur vt hac lege mandatorum siue decretorum euacuata per mortem Christi, Iudæi & Gentes facilius in vnum possent cõuenire.Hoc verò effici per ipsum Christum necesse omnino fuit:in quo posuit Deus reatum iniquitatum omnium in carne illius innocentissima luendum.Vnde destruxit in semetipso legem Moseos,scilicet illam mãdatorum, siue decretorum inutilem. Qua vna sola lege penè hoc fiebat,vt distinguereturillę populus ab illo Gentili in cæremoniis,quæ alia consideratione nullam in seipsis habebant vtilitatem,nisi quatenus iam dictum est, & in significatione aliqua, & ad cohibendum populũ illum qui busdam vinculis ad tempus tãquam lubricum puerum astrictum, cum esset ad lasciuiam & idololatriam admodũ pronus. Postquam idololatriæ scelus admiserunt,mãdatum fuit illis de cæremoniis per Mosen:legem autem Decalogi ore Dei antea, cuius voces tantum populus audiebat. Quamobrem Dominus per Ieremiã conqueritur:Non sum locutus cum patribus vestris:& non prẽcepi eis in die.qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum & victimarum,sed hoc verbum prẽcepi eis:Audite vocem meam,&c. *Ierem.7.*

Deus ergo volens cum omnibus per Christum pacem facere, qui fuso sanguine pro omni populo & gente satisfecit, & consequenter reconciliatas Patri suo Gẽtes omnes reddidit,tulit illam Moseos legem. Legem dico decretorum,non legem absolutè. Tulit,inquam, illam de medio, quæ erat causa odij inter illos & Gentes (vt diximus) quoniam varietas religionis magna , aut potius summa est dissensionum causa. Gentes autem cùm essent idololatræ,secundum legem erant velut quædam abominatio Domino.At Iudæi erãt Deo charitiecircò lex illa erat quasi inimicitia inter Deum & Gentes:& inter populum & populum,quæ tandem pace facta cum Gentibus soluta est. pro quibus satisfecit Christus,quo eas à vinculis Dæmonum,quibus tenebantur,liberaret:& sic penitus à cultu falsorum Deorum cessarent,nulla eis facientes vlterius ad cultum reddendum simulachra, sed Christo Deo vero . Non enim facere simulachra est malum , sed adorare illa vt quid diuinum , vel repræsentare per illa falsos Deos : istud omnino est malum & vetitum.Sic ergo Gentes in Christo existentes , per illum debuerunt abiicere omnem falsum cultum:& vbi hoc præstarunt, gratæ Deo redditæ sunt.Sic & ipsi Iudæi debuerunt se agnoscere liberatos ab illa lege decretorum , quæ erat potissimum condita à Deo , vt per illam à Gentibus distinguerentur,sicut ex parte dictum est. Plenius autem in illa quæ ad Romanos . Sed hæc Iudæi quidam crassi , & nimium suæ carni amantes, capere detrectabant,veriti ne quid per eam doctrinam detrimenti gloriatio legis acciperet . Consideret lector,quæ subsequuntur, & erunt per se satis clara omnia.

Legem mandatorum in decretis euacuans,id est,illam legem quæ cõsistebat non in præceptis,quæ natura docet, sed in quibusdam alienis decretis, nẽpe illis:Ne tetigeris:Ne gustaueris. Quæ propriè decreta appellantur:quia ex deliberatione aliquo casu emergẽte facta,aut quauis ratione interponuntur , non quasi ex seipsis simpliciter pertineant ad aliquod honestũ,aut turpe.Et istud est valdè considerãdum pro veriore scripturarum intellectu. His autẽ euacuatis non dicitur lex euacuari,cuius principalis substantia ac neruus manet, præceptum.s. dilectionis Dei & proximi , & cætera omnia quæ ad hoc præceptum implendum tendunt. *Quæ dicuntur decreta.* *Col.2.*

Vt duos condat, id est,denuo creet.*In semetipso*.Iudaicus populus etiam indigebat iterum creari in Christo,cum esset totus in peccatis. *In vnum nouũ hominem*. Quicunque renascuntur in Christo propter vnum corpus & vnum spiritum (quia de vno pane & calice participant) vnus quodam modo sunt,& nouus homo creatus in iustitia & sanctitate veritatis, vt sit iustus & sanctus ad similitudinẽ Creatoris Iesu Christi Domini nostri . *Faciens pacem*,inter reconciliatos.Vniti semel in Christo nullam habẽt amplius discordiæ aut dissensionis causam.*Vt reconciliet ambos in vno corpore*,nimirũ Christi corpore exaltato,ad quod omnia attraxit, & secum conuinxit , vt essemus vnum & vnus in illo. De semetipso dixit : Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.Et sic omnes reconciliauit Deo Patri per crucem, in qua fuit illa exaltatio,qua traxit ad seipsum omnia. *Interficiens inimicitias*.Iam hoc expositum est. *Ioan.12.*

Et veniens,scilicet in Spiritu suo sancto per Apostolos.*euangelizauit pacem vobis qui lõgè fuistis*: quoniam in præputio eratis immũdi,& fluxum carnis assiduè perpeti coacti . Mitto vestram summam à Deo auersionem,qui Dæmonibus vestris crudelissimis hostibus seruiebatis,& non Deo viuenti, & omnium parenti. Scriptum est: Longè à peccatoribus salus,id est, Iesus,qui interpretatur salus . *Et pacem iis qui propè*,id est,Iudęis,qui erant secundum legem propè. Nec hic legis transgressiones commemoro, ob quas & vos longè elongati estis, sed expendo tantũ beneficia Dei maxima erga vtrumque populum.*Quoniam per ipsum*, nimirum Iesum, *habemus accessum ambo*,Iudæus & Gentilis,*in vno spiritu*,siue ad Patrem. Qui est principiũ omnium,& diuinarum personarum,& omnium creaturarum. Quocirca & ad illum omnia tandem reflectũtur, vt in illo consistere valeant,quæ in se non possent. *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, &c.* Conclu- *Psalm.18.*

dit,tales per nouum gratiæ statum euasisse , vt desierint esse prorsus hospites & extranei à domo Dei,quæ est ecclesia militans.Licet simus omnes peregrini respectu patriæ cœlestis : sumus tamen ciues sanctorum & domestici Dei secundum promissionem & spem.Porrò aduerte quid addat:*Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum,&c.*vt intelligamus primum fundamentum esse Christum,in quo primi Apostoli sunt ædificati,& prophetæ electi à Deo. Fundamentum igitur sit ipse Christus;& ipsi sint ædificatio superposita.Deinde ipsi Apostoli & Prophetæ censeantur tanquam aliud fundamentum, in quo reliqua constructio innititur . Quo fit vt minime mirum sit,circa fundamenta fuisse maiorem Deo curam. Et propterea maior fuit & fauorabilior electio. *Ipso summo angulari lapide Christo Iesu* . Vocat lapidem angularem Christum Iesum: quoniam sicut angulus pars illa est in quam duæ lineæ incidunt, vt Mathematici docent:Ita Christus,in quem duo populi conuenerunt. *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* . In quo scilicet Christo. Cum per illum & in illo constructa sint omnia,ita & per illum crescunt, & in illo, vt fiant templum sanctum.Et quod ait,*in Domino*, ne quid redundans ponatur, credo de Spiritu sancto intelligendum : quod confestim declarat addens: *In quo & vos cõædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*,tanquam lapides viui,& ad hoc templũ, quod inhabitare dignatur Deus,pertinẽtes.In Græcis desideratur,*sancto*,Nihil inde prẽiudicij.Siue enim exprimatur,seu supprimatur,nihil officit.Nã teste B.Hieronymo,cũ absolutè dicitur, Spiritus, in scripturis de Spiritu sancto semper intelligitur.

CAP. III.

HVIVS rei gratia ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vobis Gentibus,si tamen audistis dispensationẽ gratię Dei quæ data est mihi in vobis: quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum , sicut suprà scripsi in breui , prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi,quod aliis generationibus nõ est agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in Spiritu,Gentes esse cohęredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangeliũ, cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quę data est mihi secundum operationem virtutis eius. Mihi enim omnium Sãctorum minimo data est gratia hęc,in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quę sit dispensatio sacramenti absconditi à sęculis in Deo qui omnia creauit , vt innotescat principibus & potestatib⁹ in cœlestibus per Ecclesiã, multiformis sapientia Dei, secundũ prẽfinitionem sęculorũ,quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.In quo habemꝰ fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius . Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.

IN hoc capite indicat Apostolus suam curam & solicitudinem , & ardens desiderium erga salutem eorum ac perfectionem : ait, *Huius rei gratia:* quoniam & vos superędificandi estis in nobis,qui longè eratis . Nam & ad vos ex mandato Domini pertingimus,qui iussit: Vade, quoniã in nationes longè mittam te.Huius,inquam,rei gratia,scilicet quia prædicaui Gentibus hanc salutem,& pro vobis labores varios subij,& pericula multa. *Ego Paulus vinctus Christi Iesu* . Supplendum mihi videtur verbum substantiuum, *sum*, quod frequentissimè in Hebraico idiomate,& sępe in Grẽco omittitur: licet B.Hieronymus aliter reconcinnet,imperitiã sermonis Apostolo attribuens.Vocat autẽ se vinctum Iesu Christi,vt quem non alligassent homines,sed Iesus Christus,id est,amor in Iesum feruẽtissimus.Est autem, *Vinctus*, non participium, sed nomen,vt patet in Græco vocabulo, Δέσμιος. Quo nomine,tanquam sit sibi proprium,vtitur, vt amplius quid significet,quasi factum sibi connaturale esse vinctum.*Pro vobis Gentibus*.Hoc fuit querela Iudæorum in illum acerba, quòd prædicaret nomen Christi in Gentes. Ob istam causam vinctus fuit in Ierusalẽ, & inde Romam deductus. Huius rei memoria maximam sibi beneuolentiam merito apud illos conciliare debuit. *Act.22.*

Si tamen audistis.Ac si dixerit,Notam narro historiã: & quæ de me sæpius ac passim vulgata sunt. *Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei*.i.ministrationem euangelij,in quo Dei gratia cõtinetur:*Quæ data est mihi in vobis*,qui Gentes estis.*Quoniã secundum reuelationem*.i.non per aliorum prędicationem:sed per immediatam reuelationẽ à Deo.*Notum mihi factum est sacramentum*,hoc est,mysterium incarnationis Christi. *sicut suprà scripsi in breui*, paucis verbis. Et hinc manifestè habes B.Paulũ inter eos electos numerari,quibus Deus abũdantiorem gratiam impartitus est ad aliorum instructionem . Vnde ore Christi vas electionis est dictus.*Prout potestis legẽtes intelligere prudẽtiam meam*.Siue,intellectum meum, *in mysterio Christi*. Ac si dixerit.Ex iis omnibus quę scripsi,optime potestis certiores fieri, me esse instructum de mysterio Dei,& ordine prouidentiæ suæ in electione ac prædestinatione suorũ,& quomodo non deseruerit mundum Deus,sed sapiẽter cuncta & suauiter ordinauerit ad procurandã omnium hominũ,qui illam non respuerint,salutem. *Pro excellẽtia Apostolatus Pauli.*

Quod(videlicet mysterium)*aliis sæculis non fuit notum, filiis hominum*. Non dicit simpliciter non fuisse notum: sed tantum filiis hominum negat fuisse notum.Appellatione autem filiorum hominũ veniũt in scripturis turbæ,& Gentes,siue vulgus promiscuum hominum eorum qui in peccatis ambulant,quales erant omnes Gẽtes.Sed mox post Domini mortem verum incœpit fieri quod vaticinatus est Dauid: Filij hominum in tegmine alarum *Psal.35.*

Universidad de Deusto Biblioteca

ſtarum ſperabunt,inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Fuit igitur antè Patriarchis & Prophetis notum:non autem filiis hominum. Nam de Abra- *Ioan.8.* hã teſtatur Dominus apud B.Ioannem:Abraham, inquit,exultauit vt videret diem meum:vidit & gauiſus eſt. Ad iſtud myſterium pertinebat moriẽtis *Gen.49.* Iacob Patriarchæ prophetia : Non auferetur ſceptrum de Iuda,& dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt,& ipſe erit expectatio Gentium. Rariſſimis verò inſinuatũ fuit:quoniam non dum capax erat mundus ad recipiẽdas tam pretioſas margaritas, & ante immundos homines conculcandas proiici non oportuit. Quin & maiores inter Iudæos, & miraculorum magnitudine excitati non poterãt capere. Huius rei clariſſimum habemus in Nicodemo teſtimonium, qui ipſius hominis per baptiſmum mirabatur renouationẽ poſ- *Ioan.3.* ſe fieri Et Dominus ad eum:Si terrena dixi vobis, & non creditis,quomodo ſi dixero vobis ſpiritualia,credetis?

Sicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis. Dici poterat, antea etiam fuiſſe reuelatum filiis hominum,ſaltem Iudæis. Adiicitur hæc conditio, eo tempore non fuiſſe reuelatum, ſicut nunc Sanctis eius & Prophetis : quia non fuit ita explicitè reuelatum & particulariter, conſtitutas Gentes cohæredes in teſtamento Chriſti, ſicut & Iudæos,id eſt, inſtitutos eſſe omnes à Domino in teſtamento ſuo, in carne & ſanguine Filij ſui conſcripto,& propterea *concorporales*, id eſt, facti ſunt omnes vnum corpus in Chriſto : & ita *comparticipes promiſsionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium*, vt qui interim partem ſuam habeant ex Spiritu ſancto arrham quandam fœlicitatis æternæ, quæ erit tandem plena hæreditatis poſſeſſio.

Cuius factus ſum ego miniſter. Cuius,euangelij ſcilicet,vel Chriſti. *Secundum donum gratiæ Dei.* Articuli Græci his vocabulis affixi vim habent quandam maiorem, ac ſi dixerit: ſecundum illud donum illius gratiæ Dei. *Quæ data eſt mihi.* Vt notetur inſignis gratia huic tanto Apoſtolo ad fidem Chriſti efficaciſſime prædicandam tributa, quam apertius adhuc explicat aiens : *Secundum operationem.* Græcè ἐνέργειαν, quæ vox ſignificat operationem efficacem, vt illa magna electio ſignificaretur, *Virtutis eius*, ſeu potentiæ eius. Et quaſi vehementer hanc rem totam admiratus,emphaſim addidit ingeminans dictum.

Mihi enim. Græcè non legitur, *enim*, & melius: vt vim ſermo habeat quaſi admirationis & ſtuporis. *Mihi* (inquit) *omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Nunquid, quæſo, re vera putabat Apoſtolus ſe omnium ſanctorũ eſſe minimum(præſertim ſi ea voce intelligas omnes ſanctificatos) cum ſe ſciret Electum,imò voce Domini vas ele- *Quomodo Apoſtolus ſe minimũ ſanctorum dicat.* ctionis appellatum?Reſpõdemus, B.Paulum hoc ipſum de ſe in corde ſuo ſenſiſſe, quòd erat minimus omnium,non iudicans de Dei gratia in ſe,ſed de ſuis meritis reſpectu adeptæ gratiæ:vt magis eã conſideraret partem qua erat dignus, videlicet vt eſſet omnium minimus, cum eſſet perſecutus eccleſiam Dei,quàm quod per ſuperabundantem electionis gratiam acceperat, ob quam non poterat meritò gloriari. Sic mihi intelligendum videtur. Nam quilibet exiſtimationem de ſeipſo non à gratia,ſed à meritis ſuis debet accipere. Ad quæ ſe- *Serui Dei notent & diſcant humilitatem veram.* ipſum attentè referens peccator quilibet, cui pepercerit Deus, ſtatuet ſe ſemper cæteris inferiorem:quoniam de aliis neſcit, nec illorum iudicare demerita,at de ſeipſo poteſt. Sancta igitur ac prudens,ſynceraque erat exiſtimatio iſta Apoſtoli de ſe hoc modo intellecta. Et explicans hoc donum gratiæ ſuæ,ait:

In Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti. Magnum omnino donum legatione tanta fungi pro Chriſto, præſertim tot ac tantis adiectis ſignis & donis, quæ tanto miniſterio erant opportuna & neceſſaria. Per Chriſti diuitias intelligit bona cœleſtia,quæ ſumma ſunt, & nunquam peritura. Dicit autem, *inueſtigabiles*, quia nullus hominum poterat cogitatione ſua eas inquirere ac deprehendere, ſicut alibi ſcriptum eſt: A ſæculo *Iſa.64.* non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit,Deus,abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.

Et illuminare omnes. Non contentus dixiſſe,euangelizare, quod ſignificare poterat ſimplicem annũciationem,adiecit, *Et illuminare omnes*, quoniam per gratiam habebat doctrinam efficacem cum lumine,ad illuminandum omnes, etiam ipſas Gentes quæ nunquam audierant.

Quæ ſit diſpenſatio ſacramenti,id eſt,quò tẽdat,quid ſibi velit hæc generalis diſpenſatio myſterij Chriſti,& prudens prædicatio,qua diſpenſatur doctrina cœleſtis quaſi panis familiæ Dei. Deus enim certo & opportuno illo tempore, & cum ordine ac delectu voluit manifeſtare diuitias bonitatis ſuæ omnibus Gentibus. Manifeſtauit autem in humanitate Chriſti in qua apparuit(vt Græcè exprimam efficacius)ipſius Dei,φιλανθρωπία.

Abſconditi à ſæculis in Deo. Reperit abſcõſionem huius myſterij,quæ fuit à ſæculis præcedentibus: ſicut dicitur,Abſcondiſti hæc à ſapientibus. Et ſæ- *Luc.10.* culi nomine intellexit generationes ſæculorum, quæ non fuerunt dignæ hæc intelligere. Licet poſſint intelligi per ſæcula, priora tempora certis periodis diſtincta: magis tamen placet prior intelligentia data. Abſcõdita autem fuerunt hæc in Deo, quia Deus iſta ſibi ſeruauit.

Qui omnia creauit. Græcè additur, *Per Ieſum Chriſtum*, Videtur mihi hoc adiectum,pertinere ad probationem ſiue perſuaſionem dicti, videlicet illud fuiſſe Dei propoſitum, vt voluerit totum mũdum tandem aliquando bonitatis ſuæ per Ieſum Chriſtum participem facere: vt per quem omnia creauerat,per eundem congruentiſſima ratione recrearet. Non enim vlla alia creatura ad tantum opus erat digna. *Vt innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiã.* B.Ambroſius per principatus & poteſtates,intelligit homines huius mũdi,qui aliis præfecti erant,& in multis verſabantur erroribus. Sed obſtat huic ſenſui (ni fallor) quod additur, *in cœleſtibus*, quidam alij de Dæmonibus intelligunt. Mihi rectius videtur,ſi etiam de cœleſtibus Angelis dicatur, quibus Apoſtoli facti erãt *1.Cor.2.* ſpectaculum,vt ipſe B.Paulus alibi dicit.

Dices : Ergo hoc myſterium ignorarunt Ange- *Quomodo Angeli ignorarint incarnationis myſterium.* li? Hoc autem qui fieri potuit, cum vel prophetæ innumeris ſcripturarum locis hoc prædixerint, & de vocatione Gentium expreſſam mentionem

fecerint? At prophetæ ipſi à quibus (rogo)niſi ab Angelis acceperunt?Dicendum eſt igitur, loquutum hîc Apoſtolum de notitia intuitiua,& ea quã experimentalem vocant. Multum enim intereſt, reuelatione accepiſſe futura: & oculis propriis ea ſpectare dum geruntur. Oſtendi poteſt familiari exemplo eorum qui comœdias prius quàm recitẽtur,legerunt domi,ad quas tamen cum aguntur in ſcena,ſe conferunt audiendas, vt pronũciationem percipiant,geſtúſque ipſos ſpectent:quoniam aliter vident cum geruntur,& maioribus permouentur atque afficiuntur affectibus. Atque ideo aie- *Luc.10.* bat Dominus diſcipulis:Multi reges & principes voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis,& non audierunt. Multa relucent in ipſa actione,quæ non explicãtur puro ſermone. Reuelationes quidem pertinebant ad ſummam rerum:ſed pleraque circunſtant particularia,quæ tũ propemodum ſine numero eſſe, dum res ipſæ agũtur,perſpiciuntur. Antea autem(neque enim id cõueniebat)clarius autem fuerant manifeſtata.

Verum itaque hac ratione fuit Apoſtoli dictũ, vt innotuerit etiam Angelis per eccleſiam, *multiformis* (ſeu multiuaria,vt ita dicam) *ſapientia Dei*. Et re vera multiformis fuit illa ſapientia, quæ tãdem fecit apparere ſapientiam in ſtultitia. Poſtquam enim mundus per ſapientiam Dei non cognouit Deum: placuit variare modum ſeipſum inſinuandi,qui fuit per ſtultitiam, hoc eſt, per illud quod ſtultum omnibus hominibus videri poteſt, cum qui natura erat innocentiſſimus & ditiſſimus, in gratiam peccatorum hominum, & omnibus verè bonis deſtitutorum,tradere ſe opprobriis & exinanire, mortémque ipſam ſubire & illam acerbiſſimam. Quis ita vnquam iuxta ſapientiam hominũ deſipiat,id vt committere velit?Mirabile hoc ſanè vt ſtultiſsimum Dei fieret nobis omni ſapiẽtia hominum ſapientius. Ad hanc tamen ſtultitiam non ſe adegerat prima cogitatione Deus. Non enim ſapienter factum iſtud fuiſſet:ſed poſtquã nos euanuimus in ſapientia eius,hoc eſt,in his quæ ſapientiſſime ordinauit,coegimus eum vt ſapienter ſtultus fieret,ex qua ſtultitia maximam ipſe ſibi comparauit gloriam. Ab initio diſpoſuit Deus mundũ & cuncta ſapientiſſime. Mundus autem non profecit in illa Dei ſapiẽtia,ſed periclitatus eſt, & propter ſuperbiam ſuam perditus,non intelligens honorem eximium, quo ornatus fuerat per ſummã illam Dei Patris ſapientiam.

Deſtructo itaque per peccatum mundo, vt repararetur per iuſtitiam,cogitauit Deus cogitationes pacis & non afflictionis:& voluit ſtultus fieri adigens ſemetipſum ad formam ſerui,&(tanquam rapinam)fugiens oſtentare ſe æqualem Deo. Abdidit enim ſub ea ſerui forma quodam modo diuinitatem ſuam. At hoc profectò citra controuerſiam ſtultum fuiſſet,ſicut & prima facie apparet,niſi finis optimus propoſitus, & fructus adeo magnus inſequutus & illi & nobis fuiſſet. Hac humilitate mundum ipſe iacentem erexit:omnia quæ in cœlis ſunt inſtaurauit:& ſeipſum reddidit glorioſiorem. Effecit inſuper vt ſua hac ſtulitia & infirmitate ad veram nos verè inſipientes & ſtulti proficeremus ſapientiam & virtutem.

In hac ſtultitia eſt varia & admirabilis multis rationibus ſapientia Dei, qui per infirmitatem ſanitates operatus eſt:& per lutum humanitatis ſuę, quo vnxit oculos cœci nati, lumen nobis oculorũ reſtituit. Quid his varium magis & admirandum? Sed relinquo iſta iis cogitanda, qui mentes habẽt purius cœleſti lumine illuſtratas, quibus perſpiciũt quàm in hoc myſterio innumerabilia ſint mirabilia,omni gratiarum actione digna.

Secundum præfinitionem ſæculorum,quã fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quod nos legimus, *Secundum præfinitionem*, Græca vox idem quod,ſecũdum propoſitum,ſeu propoſitionem ſignificat. Et egregiè & verè ſenſum attigit interpres. Nam Dominus Deus ita præfixerat certa tempora, vt fluere vellet aliquot ſæcula ad manifeſtationem diuinorum arcanorum diſponẽtia. *Quã fecit*, Rectius & commodius hoc relatiuum refert præfinitionem, quàm eccleſiam,aut ſapientiam : tametſi & ad illa quoque referri valeat,at longè minus ad eccleſiam. Senſus eſt ergo:Eam ſapiẽtiam variam fecit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro:& verum eſt. Aptior tamen videtur ſenſus,Iſtam ſæculorum præfinitionẽ fuiſſe à Deo in Chriſto Ieſu hoc modo factã. Fuit *Pro ſapientia Dei in ætatibus Chriſti.* in mundo ſecundum veritatem exiſtentiæ varius ætate,vt proficeret ſapientia & gratia. Prius in vtero latuit,poſtmodo inde exiuit,circunciditur, euadit in puerum, & latere pòſt voluit, & manere in Aegypto. Tum ſubditur parentibus:parumper cœpit ſe oſtendere cum duodecim eſſet annorum in templo, daturus aliquod ſpecimen ſapientiæ ſuæ diuinæ apud doctores. Ex quo tempore in ſilentio verſatus legitur:donec tandem procedit ad maturam ætatem,& tum baptizatur in Iordane, & mittit manum ad fortia.

Ad eum tenorẽ ſęcula ipſa decreta ſunt,vt quædam ex illis tanquam in vtero abditum continerent Chriſtum:quædam haberent aliquid notitiæ eius quaſi ex vtero progredientis. An nõ puer fuit Hebræis ſub lege? Nonne in prophetis cœpit aliquantulum maiuſculus apparere,& ſui præbere lumen,atque expectationẽ ſemper propinquiorem? Tandem vidimus eum baptizatum baptiſmo crucis,de quo ipſe ait: Baptiſmo habeo baptizari, & *Luc.12.* quomodo coarctor donec perficiatur? Et hoc eſt tempus præfinitum in Ieſu,in quo debuit oſtendi mundo vexillũ Dei explicatum, & conſciſſum ſacculum, in quo noſtræ redemptionis includebatur pretium:& circundaremur omnes lætitia tam Iudæi,quàm Græci. Ipſe enim extra ciuitatem crucifixus eſt,vt ſe pro omniũ ſalute, & non Iudæorum tantùm, pendere oſtenderet bonus & ſalutaris ſerpens deſerti, vt quicunque fide in illum intuerentur,à morſibus ſanarẽtur venenoſorum ſerpẽtum.

In quo habemus fiduciam, Græca vox ſignificat libertatem quandam loquendi, quæ ob certam rei ipſius notitiam & facultatem adeſt homini,vt alibi idem ſibi quod & Propheta tribuerit: Credidi, *Pſal.115.* propter quod loquutus ſum. Vbi notandum,non eſſe bonum prædicatorem,niſi illum qui certò & verè poſſidet quę loquitur,vt poſſit perſuadere,& contradicentes refellere. *Et acceſſum in confidentia.* De acceſſu quem ipſe habebat ad Gentes per Ieſum Chriſtum exiſtimo eum loqui,& hęc omnia à fide. Vnde ait: *Per fidem eius:* quoniam ipſe credidit dicenti:Vade,ego mittam te lõge in nationes. *Act.22.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non poterat enim frustra esse Dei verbum, quantum ad accessum ad eos. Sed quia non omnes erãt ita electi, vt non paterent casibus ad ruinam tendentibus, hoc metuens Apostolus more suo ad exhortationes recurrit, subdens:

Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis. Tentari enim poterant, vt verissimile est, ab eo qui tentat circa B. Paulum tantis erumnis & periculis, & opprobriis assiduè circũdatum, vt scriptum fuit de capite: Percutiam pastorẽ, & dispergentur oues gregis. Sed ratio aliter docet, id est, ne in huiusmodi deficiamus, vt pote in quibus enitet veritatis gloria, cum fides nostra per patientiam & fortitudinem nostram probatur, & splẽdidior redditur. *Quæ est gloria vestra*, si non deficiatis. Dũ ego pro vobis patior ad probandam illustrandamque veritatem fidei, est gloria vestra. Græca tamen lectio patitur vt pro seipso peteret, ne in illis angustiis deficeret: quem sensum notare voluit B. Hieronymus, & ad illum interpretatur. Vtrumque autem non dubito verum fuisse. Nam ad Corinth. testatur, se eo vsque fuisse angustiis pressum, vt iam tæderet illum amplius viuere.

Luc. 22.

Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias glorię suę virtutem corroborari per Spiritũ eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quę sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminẽtem scientię charitatem Christi, vt adimpleamini in omnem plenitudinẽ Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, secundum virtutem quę operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu, in omnes generationes sęculi sæculorum. Amen.

Varius est mos orandi in Ecclesia, & à fidelibus secundum decentem compositionem corporis obseruandus. Qui enim orat, constituit se quodã modo ante faciem Dei. Quare debet & animo & corpore decenter compositus apparere, vt qui consistat antè conspectum summi omnium Principis, & optet gratiosè audiri: qua in re vulgò turpissimè peccatur. Quotos enim videre liceat, qui non exterius indecentibus corporis gestibus, animum indicent vbiuis potius esse, quam coram Deo? Christus legitur flexisse genua & cecidisse in faciẽ suã, B. Stephanus similiter genua posuit, dum orauit pro aliis. Qui modus orandi ostendit humilitatẽ, & humiliationem magnam ad Patrem: & quòd non confidit homo in meritis propriis. Nam genibus stamus, & per ea fortitudinem nostram asserimus, qui pugnando stare consueuimus: quæ dũ curuamus & flectimus cõfitemur imbecillitatem nostram & recognoscimus. Flectere autem genua

Luc. 22.
Act. 7.

præcipuè tum obseruandum est, cum oratur pro aliis, & fiunt deprecationes pro peccatis, aut pro magnis rebus & arduis. Et verè ille flectit genua coram Deo, qui hoc primo secundum spiritum facit, infirmãs (vt more B. Pauli loquar) semetipsum, & subiiciens se Deo sponte ac deuotè, non coactè. Nam hoc inferni Dæmones faciunt, qui genua cruant coram Domino cum tremore & horrore.

Ad patrem Domini nostri Iesu Christi. Primam illam personam sanctæ Trinitatis proculdubio intelligit: licet B. Hieronymus admoneat hæc verba: *Domini nostri Iesu Christi*, adiecta esse in latinis, quę tamen etiam nunc & in Græcis leguntur. Est igitur prima illa persona, *Domini nostri Iesu Christi* vnico & singulari modo Pater.

Ex quo omnis paternitas. Græcè, familia, id est, congregatio quæ caput habeat, vt particularia omnia capita ab vno & sub vno sint summo omnium Patre. Intellexit ergo familiæ nomine B. Paulus, sodalitates & congregationes, & particulares, ecclesias, de quibus scriptum est: Et adorabunt in conspectu eius omnes familiæ Gẽtium. Et: Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino filios arietum, id est, Apostolorum. *In cœlis & in terra nominatur.* Dicit, *nominatur*, pro, *est*, quoniam quod est, nominatur. Et existimo illam voluisse hoc loquendi genere notare distinctionem familiarum, quæ fit per aliquas differentias suis nominibus distinctas. Et tales sunt in cœlo, & futuræ sunt. Vnde alij sub aliis suberunt, & Archãgeli, & Principatus, & Potestates, & cætera nomina quæ innuunt esse familias etiam in cœlis. Ista sunt figurata in lib. Num. vbi describuntur familiæ cum signis & vexilis suis in quibus haud dubium est, quin ea significatione, variorum ducum qui sunt in ecclesia, & in cœlestibus, nomina & ordines varij intelligantur.

Psal. 22.
Ibid. 26.

Ecce autem orationis apostolicæ summa, *vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem*, id est, potentiam illam abundantiorem, *iuxta diuitias gloriæ suæ*, id est, secũdum illam multam potestatẽ quam accepit Christus, qui est gloria Patris, *corroborari*, vt corroboremini *per spiritum eius*, qui est spiritus charitatis fortissimus. B. Ambr. legit, *confirmari*, qui enim corroboratur, etiam confirmatur. *In interiori homine.* Est homo interior, qui vita viuit longè superiore quàm sit vita sensuum. Exterior autem homo est ipsum animal, quod est in homine, quod sensu viuit, & quæ supra sensum sunt non curat: *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*, ac si dixerit, Hoc votis omnibus opto & oro, vt corroboremini in interiori homine: quod fit per inhabitationem Christi per fidem viuam. Habitat enim in nobis Christus per fidem, cum in eum syncerè credimus. Non autem illam fidem intelligit quæ esse Dæmonum potest: sed quæ habet secum charitatem. Hæc fides est quę firmat & roborat: vnde ait:

In charitate radicati & fundati. Hæc est illa eximia virtus quæ vnit nos cum Deo per Christum, & facit nos radices agere in ipsa spirituali petra, in qua & fundamur. Hoc in loco B. Amb. pro ea sententia quam nos in secunda ad Corinth. in fine magis probauimus, in hunc modum scribit, Apostolus in eo petit eos magis firmari vt non ambigant sed magis credant Christum habitare in se, quem non vident his oculis, vt spiritus datus hoc eis per

Dei donũ infundat, vt certi sint de Christo quòd viuit, & filius Dei est, & habitat per fidem in cordibus nostris: vt cum fidem eius habemus in cordibus nostris ipsum habere videamur: Quòd eo proficit, vt securi simus de auxiliis eius, quia non deserit nos, sed semper adest propter fidem suam quã videt in nobis. Quippe cũ ideo Spiritus eius, qui & Dei Patris est, detur nobis, vt vice eius tutos præstet nos si ei assentiamur, vt occulta reuelet, per quem vtique ipsum in nobis habitare ambigere non debemus. Hæc B. Ambr. At nos particularem de hac re tractatum condidimus aduersus eos qui negabant esse cuiquam posse certam gratiæ suæ notitiam, quantumuis sancto, absque speciali reuelatione.

Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, &c. Homo cum iam per charitatem radices egit in Christo, incipit scire latitudinem bonitatis & misericordię Dei, quę expanditur ad omnes. Item longitudinem, qua intelligit admirabilẽ Dei peccatorum tolerantiam, quam vocare solet Apostolus longanimitatem. Item sublimitatem, qui etsi ad nos venit per suas vias, ipse tamen semper in suą manet sublimitate. Denique profundũ, id est, abyssum consiliorum suorum, & prouidentiæ, quàm multis & quàm mitis modis adducat ad se peccatorem. Non desunt qui hęc figurent in cruce Christi, & aliter exponant. Certè in cruce Christi cernitur latitudo, & longitudo, & profundum & sublimitas. Et latitudinem quidem agnoscere licet in Christi cruce, ea parte qua extẽsis brachiis omnia, vt sua, est amplexatus. Longitudinem verò ex alia parte: quia in sæculis æternis continuit dominatum. Eius enim regni non est finis. Et profundum: quia vsque ad inferos diuina potentia penetrauit, ad quos continuò post emissum spiritũ descendit. Et sublimitatem: quoniam ascendens tandem in altum captiuam duxit captiuitatem. Possunt hæc aliis ac variis modis ac piis exponi, sicut Spiritus donare atque docere potest & solet, quos vult amicos suos.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Hic locus plures interpretationes recipere videtur, nec est alienum singulas discutere. Fit enim plerũque vt cum multiplex proponitur collatio & comparatio, quænam sit veritas magis appareat. Primùm B. Amb. hunc locum sic legit: Cognoscere quoque supereminentem scientiam charitatis Christi. Et sic interpretatur ac si dixerit: cognoscere charitatem Christi, quæ notitia est supereminẽtis scientiæ, id est, est super omnem humanum captum, & humanam excedit cognitionem. B. Aug. quodãm in loco legit, *scientiæ*, datiui casus: vt cognoscenda sit Christi charitas, quæ supereminet ipsi scientiæ. Nam inter dona potior est charitas, quàm scientiæ donum. Verùm huic sensui Græca lectio planè repugnat, in qua, scientiæ, non datiui casus est, sed genitiui, τῆς γνώσεως. Est & alius B. Hieronymi sensus, docentis eam esse Apostoli mentem, vt velit nos habere notitiam charitatis Christi, quam ille habet in eos qui sciunt eum perfectè, hoc est, qui in illo & de illo cogitant, ac meditantur die ac nocte, & quæ meditantur ipso opere complent. Et hic certè est pulcher sensus. Mihi autem dudum videbatur nos à B. Paulo moneri, vt daremus operam, quò possemus scire supereminentem charitatem quæ aduenit hominibus ex scientia Christi. Qui enim verè scit Christum natum, & nobis datum, à nobis & pro nobis crucifixum, habet aditũ facillimum ac pulcherrimum ad supereminentem charitatem, ad quam Apostolus semper nos vehementissime cohortatur, & super omnia: quæ tamen non potest conflari nisi ex hac scientia, per multam fidem in nobis infixa & radicata. Nã hinc venit in nos omnis plenitudo Dei, vt noscat homo illud verbum: Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et iterum: Si quis diligit me sermonem meũ seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Eligat ergo lector quem sensum maluerit.

Ioan. 14.

Et autem qui potens est super omnia. Sic enim Græcè legitur: & hic Deus, qui est super omnia, Pater est. Ad patrem ergo dirigitur sermo, *facere superabũdanter*, id est, ad faciendum: vel vt faciat superabundanter propter suam eximiam potentiam: *supra quàm petimus aut intelligimus secundum eam potẽtiam quæ operatur in nobis.* Apostolos intelligit, quos fecit mundi Magistros. *ipsi gloria in Ecclesia in Christo Iesu, & in generationibus sęculi sæculorum, Amen*, id est, in capite & in membris, & in generatione sæculi sæculorum, quæ est generatio Beatorum, quæ fiet cum sederit in maiestate sua Deus, & nouam & electam generationem ducet in cœlos ad gaudia fœlicitatis æternæ perfruenda.

CAP. IIII.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportãtes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrę. Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem nostrũ data est gratia secũdum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descẽdit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.

GRaui semper & anxia cura tenebatur Apostolus, vt conuersæ ad fidem Gentes in ea stabiles persisterent: & quòd præsenti sermone præstare non poterat, literis & nunciis efficere satagebat. Vide vt dulciter admonet, & cum quadam erga se commiseratione, aiens:

Obsecro itaque vos ego vinctus, scilicet vinculis ad corpus applicatis: *in Domino.* Hoc addidit, quoniã

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter eos erat qui persecutionem patiebantur propter iustitiam, nec à Domini confessione ob quæcunque inflicta supplicia recedebant, sed manentes in ipso per testimoniũ sanctum veritatis, quod placet Deo in Christo Iesu. Obiicit autem vincula sua propter Christum, quò eosdem ad imitandum excitet, vt solidi ac firmi maneant in ecclesia & vnusquisque iuxta vocationem suam ambulet exemplo suiipsius, qui à vocatione sua nullis vinculis poterat auelli.

Vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis. Erat illa vocatio ad vitam æternam. Dignè autem ambulare ista vocatione, est ambulare per opera bona & in illis proficere, vt dignè per acto peregrinationis cursu possimus assequi promissionem illã vitæ beatæ. Hoc apertè contra hæreticos facit, qui negãt nos ita posse institui & comparari, vt dignè ambulemus ad præmium. Potest ad quascunque particulares vocationis modos accommodari expositio, vt qui vocatus est in matrimonio, dignè ambulet illa sua sorte. Qui in cœlibatu similiter: & ita de cæteris statibus, qui minime christianæ vitæ opponuntur. Ecce autem communis exhortatio declaratur, quomodo dignè, quantum ad omnes pertinet, debeant ambulare.

Aduersus hæreticos.

Cum omni humilitate & mansuetudine, supportantes inuicem in charitate. Hæc charitatis virtus à cunctis prorsus in omni statu exigitur, & omnes virtutes habet socias. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Pax hoc in loco est voluntatum vnio, qua velut vinculo quodam arctissimè colligamur, vt seruetur vnio spiritus, quo ipse nostræ alioqui effrænes voluntates, fortius cum Deo coniungãtur. Nam & si qui iam sunt vnanimes, eosdem tamen vnit strictius charitas, quæ est spiritus. Si enim dissensiones intercedant & hęreses, vt aliud sapiat vnus, aliud alter: ab eis abhorret spiritus, tantum ab est vt hos coniungat. Et Ephesios ad hanc vnitatem hortans, ne sint irrẽ illos perniciosa schismata, addit familiari exemplo rationem corroboratam, aiens:

Vnum corpus, supple estis. Si vnum corpus, an nõ alienum prorsus si inuicem distrahantur membra? *Vnus spiritus*, quo ipsa mẽbra colligantur. Quo igitur animo potest quis ab eo spiritu seiungi, nisi qui nolit veræ fieri particeps vitæ, quæ in illo solo posita est? *sicut vocati estis*, vt vnum & eundem spiritum omnes accipiatis. Sunt autem diuersa eiusdẽ spiritus dona, quæ non solùm vnitatem non soluunt, imò magis eam conseruant & augent. Necessaria nanque sunt in vno corpore diuersa membra, quæ non eundem actum habeant, tametsi ad vnum omnia tendant, vnumque respiciant: vt sit saluum corpus atque integrum in omnibus membris suis. Vnum membrum subleuat alterum, adiuuat, congaudet, compatitur, vt ad vnum bonum tãdem perueniant. Hanc commendans vnionem siue vnitatem, ait: *In vna spe vocationis vestræ*: quando quidem ad idem bravium omnes vocamur, & cœlestem coronam.

Vnus Dominus, sub quo omnes sumus. Redemit enim nos omnes prẽtio sanguinis sui dato, quo à miserrima antiqua seruitute in veram sub illo libertatem assereremur. *Vna fides*: quoniã omnes vnum credimus, & per eam in vnum congregamur ad vnam & eandem æternorum spem. *Vnũ baptisma*, id est, vnum tãtùm signum professionis & protestationis fidei nostræ, quod est baptismus, quo signantur milites Dei sub duce Christo. Et non est vlterius prisca illa circuncisio, qua veluti signo populus à populo olim distinguebatur. *Vnus Deus & Pater omnium.* Omnia in vnum cohærere oportuit: quia vnus est Deus, & vnus omnium Pater, non tantùm Iudæorum, sed etiam Gentiũ, sub quo omnis familia congregari debet ad vnitatem seruandam, in qua fortitudo vera consistit. Diuisiones enim vires debilitant vnitatis quæ scinditur. *Qui est super omnes, & in omnibus nobis.* Super omnes est Deus Pater, qui omni creaturæ supereminet: & ipse est in diuinis aliarum personarum principium, vt in hoc præstet quodammodo cæteris personis, quæ ab eo procedunt. Est item super omnes, & in omnibus, velut principium quoddam fluens, & per omnes suas creaturas means, qui & ex alia in aliam virtutes suas influit. In omnibus insuper est virtute sua & assistentia, qua omnia, præsertim suos qui confitentur illum, regit: & occurrunt in vnitatem fidei, vt sint vnum, sicut ipse Pater & Filius eius vnum sunt, vno amoris Spiritu coniũcti: sed illi inter se ineffabiliter & summo nexu. Et si ergo aliquo modo sit omnium Deus, & Pater omnium, & per omnes meet (vt diximus) siue per omnia, vt quidã poeta dixit, Deum ire per omnes terrasque tractusque maris: tamen peculiariter Pater est & Deus eorum qui credunt & diligunt, & in hac vnitate permanent. Quòd si quis ab hac vnitate recedit, séque ab hoc pacis vinculo soluit, testimonium nobis clarum dat & sibiipsi (si non solui scripturam velit) se iam non nouisse Patrem, neque Filium, & in eum degenerasse, qui perfidia filius Dei esse desiit. Audiant hæc hæretici transfugæ, & versent seriò in corde suo: Considerent vbi sint miseri, vt reuertantur tandem antequam veniat dies Domini terribilis. Non miror ego illos qui ex confesso pugnãt contra ecclesiam Dei, qui recesserunt ab ea: sed eos mirum in modum admiror, qui cum videri velint ecclesiastici, ea sunt tamen in cognoscendo desertores tarditate, vt non statim iudicent istos esse aduersarios, quos nouerunt olim nobiscum fuisse in ecclesia, & sua sponte ab vnitate postmodo turpiter ac seditiosè recessisse.

In eos qui semetipsos segregãt ab Ecclesia.

Vnicuique autem nostrum data est gratia. Hoc adiecit vt occurreret obiectioni, ne quis scilicet putaret donorum multiplicium in ecclesia, ac variarũ sanctionum distributionẽ cum vnitate pugnare: *secundum mensuram donationis Christi*, Hoc est, sicut donatum fuit Christo pro membris: *Propter quod dixit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Sensus est: Quòd ascendens ad Patrem, postquam functus est munere suo mãdatum exequutus obedientiæ, quãdo duxit secum in cœlum eos quos ab antiqua captiuitate liberauit, scilicet antiquos Patres conseruatos in limbo: & alios quos ab inferis eruit & suppliciis, quicunque fuerint illi. Certò enim iam creditur, totum ab eo purgatorium in tam recenti gloria ac triumpho euacuatum, vt & in cœlum omnes animas secum, quæ illic erant addictæ purgationi, euexerit. Ascendens, inquam, ad Patrem, & veniens cum

Psal. 67.

triumpho & spoliis hostium, accepit ab eo dona non iam pro se, qui dudum illa acceperat plenus gratia ab initio: sed pro hominibus. Et dedit ea hominibus varia quidem, sicut ipse variè se habet in nobis: quia & membra oportet esse varia in corpore perfecto. Propheta dixit: Accepit dona in hominibus. Ipse in omnibus per gratiam suam existens, accepit à Patre pro eis dona. Quæ autẽ accepit, dedit: vt exponit hic B. Paulus. Nam hoc est accipere in hominibus: quia Dominus induit personam omnium nostrum: & pro quolibet accepit, vt pro cuiusque captu distribueret singulis. Et nõ vnum donum accepit, sed plura & varia, pro ipsorum hominum varietate & ministeriorum, vt statim explicabit.

Quomodo dicitur Iesus descẽdisse de cœlo.

Quod autem ascendit, quid est nisi quòd & descendit prius in inferiores partes terræ. Ex ipso psal. vult probare, eum qui ascendit, prius descendisse: hoc velut principium sumens, quo probet neminẽ prorsus eorum qui sunt huius sæculi, & patriam suam habent naturaliter in his locis infimis huius esse virtutis vt possit in cœlum ascendere. Facilis quidem (vt ille ait) descensus Auerni: sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras, hoc opus, hic labor est. Ille ergo potuit solus in cœlum ascendere, qui cum cœli prius esset incola, potuit de cœlo descendere. Hic est Christus Dominus noster, homo cœlestis, propter excellentiam personæ suæ singularem. Et hoc claris alibi verbis ipsemet expressit: Nemo ascendit (inquit) in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo. Ad istum sensum: Nemo ascendit, id est, nemo habet ascendendi facultatem in cœlum, nisi ille qui inde descendit: quo facto ostendit hominem se esse cœlestem, & in cœlis esse patriam suam, ad quã possit, cum placuerit, liberè reuerti: à qua ita recessit, vbi tamen semper præsens adsit. Filius hominis qui (inquit) est in cœlo, vt intelligamus per descensum illum non perdidisse iura cœli. Idem nanque qui est Filius hominis, est pariter Filius Dei. Et quãuis ea parte qua Filius hominis est, descenderit: Ea tamen qua Filius Dei est, verus Deus & immutabilis semper mansit. Illius ergo fuit ascendere, qui potuit dicere: Reuertar ad patriam meam. Nã cuilibet alij ascendere volenti potest obiici. Vnde es tu? & cur tanta fronte audes tuos transgredi limites? Vade & incole terram in qua natus es. Quocirca oportet nos hærere Christo, vt possimus respõdere: Ecce frater noster, Deus & Dominus noster dixit & dedit vt possimus ascendere. Aut verius, non ascendimus nos, sed ille nos assumit & secum euehit. Ecquis potest ei dicere, cur ita facis?

Ioan. 3.

Num. 10.

Descendit in inferiores partes terræ, id est, in hunc mundum qui terra est, & hæc cæteris elementis inferior, & respectu cœli, vnde venit. Dicitur similiter & verè, Postquam de peccato victor triũphauit & diabolo, descendit in inferiores partes terræ. i. in inferna, vt inde captiuos educeret. Nam eorum quidam ibi tenebantur à primi parentis primo peccato. Et horum alij erãt amici, qui mortui in gratia solùm pœnas luere tenebantur ad integram peccatorum satisfactionem: & ij erant in loco Purgatorij.

De quibus licet variè doctores sint locuti, probabilius tamen videtur, omnes inde fuisse à Domino liberatos. In tanta victoria, in tam magno ac recenti gaudio & triumpho, nõne alienum & minus decens videbatur, si quenquam amicorum dolere adhuc permisisset? Qui autem in purgatorio sunt, inter amicos sunt referendi. De his vniuersaliter scriptura testificatur, quæ ait: Deus Christum suscitauit, solutis inferni doloribus. Nam in inferorum parte ponitur esse Purgatorium. Alij verò in inferioribus locis renebantur inimici, qui sunt in peccatis suis mortui. Et de his nullus Scholasticorum (quos legerim) ausus est probare, quenquam horum fuisse liberatum, cum ecclesia dicat, In inferno nulla est redemptio. Hæc lex Dei est & regula, quæ illud præscribit quod est secundum meritum, & præfixum ordinem. Verum quis ligauit manus Dei, vt his regulis vinctus constringatur? Ego quidem sicut non temerè quicquam horum quæ non sunt nota ecclesiæ asserẽdum censeo: ita nec præcipitanter damnanda, quæ contra scripturam & ecclesiam non pugnant. Multa nobis occulta esse existimo, quæ ipse Deus operatur & in hoc sæculo, & in alio ad beneficium nostrum. Legi de huiusmodi reuelationes sanctorum virorũ & mulierum, quæ minus cum Scholasticorum placitis conueniunt. Has quidem, vt non tenemur tanquã certò à Deo profectas admittere: ita nec tanta facilitate mox damnare debemus. Si quis diceret ab inferno aliquos per Christum liberatos tunc fuisse (vt habet quorundam reuelatio) rem fortasse non prorsus absurdam, & quæ omni careat ratione proponeret. Si enim oratione B. Gregorij liberatus est Traianus, vt viri pij credunt, cur non & Christus valuerit & voluerit sic extendere gratiã suam, vt suiipsius contemplatione nonnulli à perpetuis ignibus eruerentur? Et sic verum fieret: Ero morsus tuus inferne. Leguntur quædam in vitiis S. Patrum de B. Machario, cuius orationibus releuabantur animę in inferno damnatæ. Legi & apud B. Augustinum in historia de B. Perpetua, quædã enarrari similia, quæ ille vir prudentissimus non est ausus damnare, tametsi non conuenirent cum regulis & communi existimatione doctorum, vt qui nosset apptimè consiliis Dei omnem scientiam nostram superari: cuius omnipotentia, & misericordia & miserationes habere non debẽt prę fixos à nobis & iudiciis nostris suos limites.

Act. 2.

Osee 13.

Oramus & pro defunctis in Missis, vt animę defunctorum liberentur à pœnis inferni, & de profundo lacu, & ab ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura, &c. Quæ certè verba cum ab vniuersa ecclesia sint recepta, & iccircò maximæ authoritatis, quantum conueniant cum Scholasticorum dogmatibus ego quidem non video. Itaque tutum arbitror in huiusmodi non esse inuentorem nouorum dogmatum, nec tamen facilem eorum improbatorem, quæ non habeant expressam reprobationẽ vel in scripturis cõtentam, vel in conciliis determinatam.

Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos. Quidam ex his verbis opinãtur Dominum humanitatem suam extulisse supra conuexum vltimi cœli empyrei, rati hoc ad dignitatem Christi pertinere si sit super omnes corporeos cœlos: cum reuera non detur supra, nisi vbi est locus. Indignum esset, & nescio quid insolentiæ saperet, si quis do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerer illo cœlo minime contentum esse Christũ, vbi est Pater, qui dicitur esse in cœlis, & non super omnes cœlos. Quin etiam ibi Christus esse dicitur collocatus ad dexteram eius in cœlestibus: & non dicitur, supra cœlestia. Quare interdum facere non possum quin quorundam pertinaciam detegam, qui lectis sunt & Magistris addicti, vt nihil tam absurdum tradi possit, ad quod defendendum non sint mox parati. Christum igitur super omnes cœlos ascendisse ea sapientia intelligi debet, vt contineatur in supremo cœlo, sub eius conuexo tamen, & sit super eius (vt ita dixerim) contignationem excelsior omnibus factus: vt & cœlorum vocabulo intelligantur Sanĉti, & illi summi Archãgeli, quibus iple longè supereminet verus illorum Deus & Dominus. Satis ergo sit illuc redisse, vnde dicitur descendisse. Non enim dicitur descẽdisse nisi de cœlo, & non de loco super cœlum, vel de super cœlo (si liceat sic diceret) cum nec locus, nec super, vel supra, sit extra cœlum. In cœlum igitur ascendit, vnde venit, non supra cœlum, vnde non venit.

Quomodo Christus dicatur ascendisse super omnes cœlos.

Superest nunc vt discutiamus, quomodo Christus dicatur venisse de cœlo & descendisse. Nam secundum naturam diuinam nulla datur penitus mutatio. Secundum humanam verò non potuit descendere de cœlo, cum autea nunquam ibi fuerit. Dicunt aliqui descendisse illum non motu locali, sed assumptione humanæ naturæ. Hæc ratio min° fortè satisfaceret ingenio acutiori. Sic enim nunquam ascendisse in cœlum secũdum hanc partem dici posset: qui nunquam dimisit istam naturam inferiorem, & non dimittens, assiduè videtur assumere, & ita sempiternus esset eius descensus. Si dicas: Ascendit, quia intulit illã naturam in cœlum: nondum comperisti eius descensus modum, qui debuit esse è regione huic ascensui oppositus. Vt enim videtur ascendisse, postquam hanc naturam intulit in cœlum: ita quoque dicatur descẽdisse, vbi naturam istam attulit è cœlo: quod videtur manifestè falsum.

Potius igitur dicendum est, ipsum ideo dici descendisse de cœlo: quia eam assumpsit naturam humanam, non quæ sibi debebatur ab initio ratione dignitatis personæ, scilicet immortalem, spiritualem, atque cœlestem, illoque dignam ipso iure (nã nisi peccatum intertur bassset, talis erat decretus vẽturus, & hæc erat forma Dei) Sed assumpsit naturam corruptioni & mortalitati obnoxiam, quę est forma seruũ. Et in hoc maxime consideratur descẽsus ipsius Christi de cœlo propter nos. Ab illo loco rectè descendisse dicitur, cum locus ille deberetur naturæ humanæ, quam suo iure debuit assumere: sed propter peccatum nostrum eandem, quò nos ab illo liberaret, ad tempus dimisit.

Quare quicunque est in Christo in hoc sæculo, similis illi est. Incipit enim deberi illi cœlestis locus, tanquam Christi membro. Verùm sicut Christus Dominus inde descendit vt impleret voluntatem Patris: ita & nos expectare debemus, & ita quodam modo descendere, donec eius exemplo per expectationem ac patiẽtiam locum illum promereamur & possideamus. Quod si (ad rem redeundo) de Christo dixeris: Ergo cùm resurrexit, debuit dici ascendisse etiam antequam ascẽderet, non negauerim: si hoc modo intellexeris, quòd recepit Dei formam, dignam cœlo, & iã terra indignam. Illud breue temporis interuallum quo mãsit in terris, fuit dispensatiuè ordinatum, quò solidius resurrectionem suam probaret. Debita iã inde illi fuit ab initio ascensio, postquam resurrexit in tali forma, licet de facto moram dispensatione (vt diximus) traxerit ad quadragesimum diẽ: qui dies ad vtilitatem nostram cõcessi, suis sunt etiam referti mysteriis. Sicut enim anima illius in inferno detineri non potuit, sed propter alios dispẽsatiuè eò accessit, vt inde illos educeret: sic nec corpus eius gloriosum poterat detineri in terris. Non erat hic mundus dignum illo corpore domicilium. Ideo pari modo dispensatiuè mãsit. 40. dies ob memoratam causam, & alias quas nouit Deus. Ascendit igitur super cœlos, *Vt impleret omnia*. Nam cœlum ipsum sine Christo carebat proprio Domino. Deus quatenus Deus non indiget cœlo: nõ ita se res habet de Christo, vt erat homo & creatura. Indiguit enim cœlo vt impleret illud gloria sua, & omnem creaturam ibi existentem, præsertim hominem, qui sine Christo non habuisset plenitudinem fœlicitatis suæ. Sic implet Christus omnia, & adimpletur ab omnibus.

Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos: quosdam autem Prophetas: alios verò Euangelistas: alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circunuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & cõnexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque mẽbri augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate.

Dominus Iesus vno eodémque spiritu implet ecclesiam quæ est corpus: sed non æqualiter omnes illius spiritus fiunt participes, neque eadem sunt omnium mẽbrorum functiones. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.* Hic euidentissimè probatur Christus Deus, qui eadem operatur quæ Pater, & per eundem Spiritum distribuit officia. Etenim quæcunque ad Corint. dicuntur facta à Patre, hic ipse Christus dicitur facere: vt vnam amborum operationem intelligamus, & eundem Spiritũ ab ambobus procedentem.

Quosdam autem Prophetas, id est, qui spiritu Prophetiæ afflati reuelant scripturarũ arcana. Vnde & interpretes scripturarũ, prophetæ apud B. Paulum dicuntur. Non me latet eos pariter prophetas dici posse, qui eodem spiritu instructi reuelant alia ad hoc periturum sæculũ attinentia, quæ tamen ad spiritualia redigũtur: qualis fuit Agabus, & filiæ Philippi, vt habetur in Actis Apostolorũ. *Alios verò Euangelistas*, fortè scriptores euangeliorum: licet alibi in aliam significationem accipiat, quando ait, Opus fac Euangelistæ: Vbi clarè significatur annuntiator euangelij. B. Ambrosius diaconos fuisse euãgelistas ait, vt fuerunt B. Stephanus, & Philippus. Nam & diaconos posse euangelizare testatur, sed sine cathedra, id est, quasi delegatam habentes ab Episcopo curam. In ecclesia primitiua fuit seruatum in illis spiritus principiis, vt si cui reuelatum esset, alter taceret. Sed desuetudine hoc abolitum est, & meritò. Nam (vt verè hic idem B. Ambrosius) nonnulla erant tunc opportuna, quæ fundata iam & instituta ecclesia obseruari non debuerunt. Hanc temporum discretionem variorum qui non habent, in multis necessario aberrant. *Alios autem Pastores & Doctores.* Rectè B. Hieronymus docet, non diuersas hic personas explicari, qui non ita loquutus est, *alios quidem pastores: alios doctores*, vt intelligat qui pascẽdi curam habet, eundem habere docendi. Doctrina siquidem sub pastura comprehenditur. Hæc autem omnia munera distribuuntur, *Ad consummationem Sanctorum*, id est, vt perficiatur totum Christi corpus in sanctitate. *In opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Hi veri sunt ministri, qui operando perficiunt ædificationem militantis ecclesiæ, quæ est corpus ipsius Christi.

Act. 21.

2. Tim. 4.

Quædam in ecclesia consuetudines mutatæ.

Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei. Hoc talis ministerij opus per hæc officia durabit, donec omnes qui sumus in ecclesia occurramus in vnitatem fidei, hoc est, donec omnes quasi vnus per fidei vnitatem viuentes, quem credimus, etiam agnoscamus filium Dei occurrentes illi ad iudicium veniẽti. Ipse autem veniet, cum hæc ecclesiæ suæ consummatio perficietur, vt sic euadamus, *In virum perfectum.* Nam totum corpus cum capite Christo, quasi vnus censendus est qui assiduè crescit donec perficiatur. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Christus cum desiit seruire terræ vt iret ad Patrẽ suum, erat in ętate perfecta. Iam enim triginta tres annos expleuerat: hic erit corpus eius ecclesia, quando veniet ad recipiẽdam illam. *Vt iam non simus paruuli.* Hoc debet continuatione annecti cum superiore dicto à principio, scilicet: *Obsecro vt digne ambuletis, &c.* vt hic consequentissimè post illud verbum, *In vinculo pacis*, sequatur, *vt iam non simus paruuli.* Cætera quæ interposita sunt, pertinuerunt ad commendãdam illam vnionem, siue vnitatem cõmunem, qua efficitur vt qui in ea maneat crescat assiduè, ne semper paruulus perseueret, fluctuans ad omnem doctrinæ ventum. Tales existunt multi qui non firmiter hærent capiti cum reliquis membris, sed permittunt se ab hominibus asturis errores docentibus abduci. *Fluctuantes omni vento doctrinæ.* Appellat congruè vẽtum doctrinæ, quæ sicut ventus quodam impetu venit exufflans, nec permanens. Ista fuit semper omnium hæreticorum doctrina hãc & illãc perflãs, & mox euanescẽs. Neque verò putes hoc in loco Apostolum se paruulum profiteri, & eum qui circunferatur omni vento doctrinæ. Non est asserentis dictum istud, sed est ostendẽtis desiderium non tam pro se, quàm pro aliis quos instruebat. Hic dulcis est Prælatorum exhortãdi & instruendi mos, cum ita sermonem charitate temperãt. Vellem iam tandem nos esse prudentes, vt non simus perpetuò velut paruuli. *In nequitia hominum:* κυβεία Græcè, quæ vox significat deceptionem, quę est lusorum & veteratorum in ludis. Tales sunt hæretici, sed in ludo pessimo, qui & delusores ab Apostolo vocantur. *In astutia ad circumuentionem erroris*, id est, vt suo congressu atque familiari commercio alios in pestiferum errorem pertrahant.

Veritatem autem sectantes, id est, Christum & verba eius, quę sunt veritas & vita. Latinè legimus. *Veritatem autem facientes*, quæ fit custodiẽdo legem & præcepta Dei: *In charitate.* Potest hoc cum superioribus construi, vt dicas, *Veritatem sectantes*, seu *facientes in charitate*: crescamus in illo. Potest & cum inferioribus non minus aptè, vt dicas. *In charitate crescamus*: quia sic crescimus in charitate, sectãdo veritatem per opera bona in fide facta. *Crescamus autem in illo per omnia*, id est, ex omni parte perfectè. In illo autem crescere nos vult, *qui est caput.* Ipse quidẽ in se perfectus: sed nõdum in ecclesia & membris suis. Ex illo tamen venit omnis opportunus influxus in corpus, quo reliqua membra perficiantur.

Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, &c. Clarus est sensus: Dicit enim de capite Christo manare, vt totum corpus crescat: quoniam corpus quod ex plurimis membris constat, habet compacta membra & conglutinata, vt alterum alteri subministret, & de eo impartiat quod propinquius illi ministratur à capite. Sunt nanque iuncturæ subministrationis, quibus vnum membrum alteri nectitur, ex quo possit præsidium sui recipere. *Secundum operationem*, id est, iuxta id quod placet Deo operari & influere in quodlibet membrum, vt veniat ad certam mẽsuram suam. Omnia enim sapiẽter in pondere, numero, & mensura à Deo cõstituuntur. Sed per augmentum omnia hæc fiunt, donec appareat ædificatio corporis perfecta in veritate. Nam veritas doctrinæ, & veritas vitæ, est illa quæ perficit totum corpus hoc spirituale. Quæ quidem videntur cuncta pertinere ad homines qui crescunt, & non ad Angelos, qui in seipsis incrementum non suscipiunt.

Sap. 11.

Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & Gẽtes ambulãt in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatẽ cordis ipsorum: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamẽ illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desyderia erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum homi-

Universidad de Deusto Biblioteca

nem, qui ſecundum Deum creatus eſt iuſtitia & ſanctitate veritatis.

Hic ſumma totius apoſtolicæ exhortationis colligitur, cuius ſcopus erat vt confirmaret eos in fide fructum bonorum operum. Ex fide enim velut radice omnes virtutes exoriuntur. Ait ergo: *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino*, id eſt, quæ à me ſuperius dicta & teſtificata ſunt de Chriſto, de me ipſo, de vobis, hûc tandem ſpectant. *Vt non ambuletis ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui*, hoc eſt, inſipienter & vanè iuxta ſuas cogitationes, facientes ſibi idola ſua, quæ in ſcripturis vocãtur vanitas. Cum enim propoſitum ſibi ſcopum verum & certum non habeant, in vanum laborãt & ambulant: & ita futurum eſt, vt tandem inueniantur iis rebus deſtituti, quas cæca mente perquirunt, hoc eſt, ſine fœlicitate quam quiſque tamen naturaliter appetit. Inuenire autem non poteſt, quandiu eam in re vbi non inuenitur, inueſtigat. Tales ſunt Gentes, *Tenebris obſcuratum habentes intellectũ*, carnalibus ſcilicet affectionibus. Hæ ſunt denſæ mẽtis tenebræ, quæ intellectui oppoſitę, lucem ei veritatis adimũt. *Alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis*, qui ignorãt illam Dei bonitatem, qua vult omnes homines ſaluos fieri: à qua ſalute, & conſequenter à vera vita, alienati ſunt per ſuam ipſorum ignorantiam: *Propter cæcitatem cordis ipſorum*, eo quòd excæcati ſunt mente cordis ſui, quales ſunt qui intellectum ad appetitũ prauæ voluntatis formãt. Et ne quis putet illud abſque propria eorum culpa contigiſſe, addit:

Culpa Gentium Deũ ignorantium.

Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Ecce cauſa cæcitatis eorum. Etenim cum ex hoc libro creaturarum, qui eſt omnibus in eo ſtudere volentibus in promptu, videre poſſent prouidentiam Dei, & magnam ſapientiam, qui in gratiam ipſius hominis tot & tanta facere dignatus eſt, quæ inſeruirent ſolatio atque vtilitati hominum, debuerunt digniori concluſione inde coniectare, aliquid adhuc melius ſeruari ſibi à Deo in alia vita. Hoc per Angelos illis, Deo ita volente, ſuggerebatur. Si tot ac tanta ſunt propter corpus hominis parata, quomodo non multo excellentiora propter animam? Sed illi deſperantes, repudiatas ſcilicet hac luce, ex qua ſpes æternorum cõcipiebatur, *tradiderunt ſemetipſos impudicitiæ*, fœdantes corpora ſua, vt qui omnem operarentur immundiciam, id eſt, omne vitium carnis, & opus flagitioſum. In eos locum habet illa ſententia: Manifeſta ſunt opera carnis, &c. quæ omnia homines in auaritiam impellunt: qua quiſque habendi cupiditate exardeſcit, quatenus ſuas explere libidines ac deſideria fœdatum voluptatum poſſit.

Gal. 5.

Græcè non legimus, ἀπηλπικότες, quod eſt deſperãtes: ſed, ἀπηλγηκότες, quod ſignificat homines ſine ſenſu & dolore ſui mali. Et iam hoc non eſt tam diſperatorum, quàm eorum qui non amplius dolent ob ea facinora quę admittunt: ſed econtrario iacturam boni quam turpiter viuendo amittunt, non apprehendunt, nec cogitant quidem. Sunt enim velut ſtupida membra vi ſentiendi carentia, qui præcipites ſe dedunt in flagitia, & in mortem more freneticorum, qui furore perciti nihil prouidentes, in omne periculum ruunt. Vtraque lectio verũ continet ſenſum: Lectoris eſt eligere, quæ aptius quadrare ad mẽtem ipſius Apoſtoli videatur.

Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, id eſt, Chriſti legem in eius vita vobis explicatam. Qui vult dicere Chriſti legem, eum pro libro habeat. *Si tamen illum audiſtis*, hoc eſt, ſi audiſtis verba de illo teſtificantia. Alioqui minimè erat dubium, quin illum docentem non audiiſſent. At cum illud, id eſt, audire de Chriſto, non ſatis eſſet, ſubdidit: *Et in ipſo edocti eſtis*, hoc eſt in fide ipſius euangelicam doctrinam didiciſtis. Qui non credit, non eſt in ipſo, nec edoceri poteſt. *Sicut eſt veritas in Ieſu*. Senſus eſt: Si modo audiſtis ac didiciſtis, ſicut ſe habet veritas quæ eſt in illo. Ipſe enim eſt tanquam liber veridicus, in quo cuncta diſtinctè perſpiciuntur, & legi poſſunt quæ faciunt ad æternam ſalutem. Sed quidnam illud eſt, quod Epheſi audierant, & edocti erant, quodque inuenitur in hoc libro Ieſu mandatum eis vt faciant: nempe, *Deponentes vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, &c.* Vetus homo eſt Adam qui eſt in omnibus nobis, & conſpicitur in exteriori homine noſtro, qui & natura ad omne malum procliuis eſt: quia ſuam omnem conuerſationem reflexit in hunc mundum, vbi ſuam fixit fœlicitatem. Eſt verbum Græcum, ἀναστροφή, quo licet ſignificetur conuerſatio, poteſt & inuerſionem quandam ſignificare, cum quid præpoſtero ſit & perturbato ordine: vt conuerſatio inuerſa atque præpoſtera hominis veteris declaretur, tãquam qui ſit abductus à bona conuerſatione ad malam. Ad quem modum abducti fuimus omnes per Adã, cum prius rectiſſimè nos habituri eſſemus ex Dei ſapientia, ſi ſe ille non inuertiſſet. Hoc autem totum diſcimus quaſi in libro, in Chriſto infirmo propter nos, & crucifixo propter peccatum, vt illo de cruce depoſito, & de medio ſublato ac ſepulto, intiligamus etiam nos oportere deponere veterem hominem, & conſequenter veterem conuerſationem. Non enim fas eſt vt ambulemus vlterius in corruptione, quæ ſit à peccatis nos ad interitũ mortis ſempiternæ præcipitãtibus: quia Chriſtus non niſi ſemel moritur. Satis ſit igitur, imò nimium omnino ſit, antè actæ vitæ tẽpus datum corruptioni fuiſſe. Iam iam nos reuocari oportet, ſicut Chriſtus ſurrexit in nouam vitam factus homo nouus, non amplius moriturus. Hæc inculcanda ſunt creberrimè propter hæreticorum dolos, qui non diſtinguunt ſtatus hominis varios: ſed conſtituunt omnes, etiã in Chriſto exiſtentes, peccatores & in ſtatu peccati, non aptãtes ſeipſos in myſterio baptiſmi ipſi Chriſto, cuius repræſentatur hiſtoria mortis, ſepulturæ, ac reſurrectionis æternæ. Vt & mortuum ſimiliter intelligatur peccatum ac ſepultum, & nos renouatos ad viuendum Deo, id eſt, ad operandum quæ Deo placent, quando iam poſſumus & tempus eſt acceptabile. Verùm cum non ſit omnino perfecta renouatio noſtra in hoc tempore, appoſitè ſequitur:

Propter hæreticos hæc ponderanda.

Renouamini, longè melius, *renouari autem ſpiritu mentis veſtræ*, hoc eſt, Non in Chriſto ſolùm didiciſtis deponere veterẽ hominem ſecundũ priſtinam conuerſationem, ſed ſimul renouari ſpiritu mentis veſtræ. Etenim prima hæc renouatio in ſpiritu

eſt, & nondum in corpore velut cadauere tantiſper relicto, dũ finiatur veſtræ peregrinationis curſus, & tunc erunt perfecta omnia. Hæc autem renouatio fit per indumentum noui hominis Chriſti, quem fide ſuſcipiendo induimus, ſuperædificata ſpe & charitate. Hic eſt homo, *qui creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate*, id eſt, per iuſtitiam & ſanctitatem. In hoc eſt hæc creatio noſtra noua, qua Deus ſic veſtit nos donis, vt ſimus per ea iuſti, & ambulemus in iuſtitia & ſanctitate coram illo, non coram hominibus, omnibus vitæ noſtræ diebus. Et hoc eſt quod ait: *Et induere nouum hominẽ qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis*. Nã fide purificantur corda: & ſic fiunt munda per aduentum cœleſtis gratiæ & charitatis.

Propter quod deponẽtes mẽdacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operãdo manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſsitatem patienti. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſiquis bonus eſt ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. Eſtote autẽ inuicem benigni, miſericordes, donãtes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.

Propter quod deponentes mẽdacium, &c. Senſus eſt. Nemo mendacij fraude alterum decipiat, vel per malam doctrinam, vel in contrahẽdo & commercijs: quoniam non eſt rectum in eodem corpore membrum à membro iniuriam pati. In Chriſto autem ſumus omnes & proximi & fratres effecti. *Iraſcimini, & nolite peccare, &c.* Ex Pſal. quarto iuxta Septuaginta. Alij ad Hebraicam veritatem redigentes, interpretati ſunt: Pauete & nolite peccare. Sed vt ait quidã eorum Rabbi, ſignificat & quandam animi perturbationem, quæ non imperatur quidem, ſed quaſi in noſtra hac humana & animali natura permittitur: ac ſi dixerit Propheta, Permitto aliquã iram, hoc eſt, animi perturbationem in fratres, ſed citra peccatum. Hoc verò tunc ſeruatur, cum perturbatio non tendit in cogitationem, & conſenſum vindictæ & nocumenti. Vbi enim proxima ad inferẽdum damnum peruenit ira, iam progredi vlterius non licet. Eſt verò ira bona, cum in peccatorem emẽdationis eius gratia iraſcimur, & in quandam nemeſin (vt Græci vocant) propter iuſtitiam venimus. Omnem tamen iræ noſtræ ſententiam reponentes ſemper in manu Domini, & volentes prius miſericordiam de manu eius, quàm iudicium, donec eſt res integra.

Præceptum aduerſus iram.

Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Pulcher & verus ſenſus eſt, vt intelligamus de ratione & lumine iudicij, quod eſt veluti ſol, qui non debet occidere ſuper iracundiam noſtram, id eſt, non debet eſſe tam acris & implacabilis ira, quæ conſtituat hominem abſque miſericordia & iudicio furioſum, & ſæuam beſtiam. Alioqui ſi de hoc ſole corporeo dictum capiamus, Quid ſi quis ab ortu ſolis iraſceretur, & antequam ſol occideret per iram ſcelus quoduis perageret, nunquid hoc iniquum non eſſet? Et ſi noctu iraſceretur, ferro hunc & illum percutiens aut fuſte, an licitum eſſet, quia ſol non occidit ſuper eius iracundiam? Abſit vt iſta concedamus. Poſſemus etiam fortè intelligere his verbis, quaſi ad modum cuiuſdam prouerbij, quo Philoſophi vti ſolent, affirmantes eam iram meliorem, aut minus vituperabilem eſſe, quæ citò frangitur & recedit. Prior tamen expoſitio verior, cui & fauere articulus videtur, vt de certo quodam ſole dictum intelligas: præſertim cum hic ſit mos loquendi apud ſcripturas. Vnde Amos propheta: *Amos 8.*
Occidit ſol in meridie, & Micheas: Occumbet ſol *Mich. 5.*
ſuper Prophetas.

Nolite locum dare Diabolo. Datur locus Diabolo, quando vel tantillum ceditur illi mala ſuggerenti, vt quum in ſuſpenſo eſt animus hæſitando, aut diſputando de pręcepto: aut quamuis occaſionem præbendo carni: quo ardentius accendatur à Diabolo, quo pacto ſeducta eſt prima mulier. Audiendum eſt potius ſaluberrimum Sapientis cõſilium: *Eccle. 10.* Si ſpiritus (inquit) poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, ne dimittas locum tuum. Poteſt & hic locus aptari ad ſuperius dictum ſpiritualiter: quia locus datur Diabolo, dum in cogitatione exercendę iræ perſiſtitur, quatenus ira creſcat in odium, & trabem inſufflante Diabolo faciat de feſtuca, & ſic animam cupiditate vltionis flagrantem, reddat homicidam.

Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, &c. Attende quomodo non ſatis eſt non facere malum Chriſtiano, ſed oportet etiam facere bonum. Vnde pręcipitur manibus laborarę, vt valeat impartiri patienti, id eſt, habenti neceſſitatem. At quotuſquiſque hodie inter Chriſtianos reperitur, qui huic apoſtolicæ ſanctiſſimæ hortationi obſequatur? O quàm refriguit noſtris miſeris temporibus virtus iſtius charitatis. Vtinam ſaltem qui non tribuunt inopi, ab eo rapaces manus abſtinerent, ſuis facultatibus ſatiati.

Omnis ſermo malus. Græcè, obſcœnus & vitioſus: *ex ore veſtro non procedat. Sed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei*. Loco fidei, Græcè legitur, χρείας, id eſt, vtilitatis, ſeu (vt legit B. Hieronymus) opportunitatis, ad eum ſenſum: Omnis ſermo ſit pro otioſo accipiendus, & de quo reddemus rationem in die iudicij, niſi ſit vtilis & opportunus ad ædificationem. *Vt det gratiam audientibus*, id eſt, vt ſit gratioſus his qui audiunt. *Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*. Non contriſtatur Deus ipſe: quia non poteſt contriſtari. Sic igitur exponendũ eſt: Nolite quicquam agere, quo ſi fieri poſſet, meritò contriſtaretur Spiritus ſanctus. Aut potius in hũc ſenſum: quia dum in corona vbi pij viri interſunt, ſermo incidit obſcœnus, quo illorũ piorum virorum ſpiritus conturbatur & fit triſtis, etiam ipſe Spiritus ſanctus cõturbari videtur. Nam

Universidad de Deusto Biblioteca

qui hæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo.

In quo ſignati eſtis in die redemptionis. Deus ea die qua nobis applicatur redemptio per baptiſmum, ſignat nos Spiritu ſuo characterem imprimens, & gratiæ arrham infundens in corda noſtra. *Omnis amaritudo, & ira, &c.* Loco eius quod legitur, *indignatio.* tumor potius dicitur, id eſt, inflatio: ſed vicinæ ſignificationis ſunt. Nam quicunque indignatur, ex tumore indignatur, pati neſciens.

Eſtote autem inuicem benigni: potius, ſuaues (teſte B. Hieronymo) cōtra amaritudinem, vt fert Græca vox: *miſericordes*, contra tumorem & iram. *Donantes inuicem*, contra clamorem & blaſphemiam. *Sicut Deus in Chriſto donauit vobis.* Vt obligationē agnoſcamus: quoniam ſicut ille miſertus eſt noſtri, condonās nobis omnia, cum debitores illi in immenſum eſſemus: ſic & nos debemus miſereri conſerui noſtri longè minus debentis nobis, in quo eſt Chriſtus ipſe creditor noſter, cui, ſi ad rigorem exigere velit, ſatisfacere non valebimus.

CAP. V.

ESTOTE ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos: & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorē ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immūditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quę ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.

QVI perfectè Deum imitatur, hac in parte pręcipuè imitatur, ſcilicet in donando inimicis. Qui hoc arduum opus exercet, hic verè Dei Patris filius eſt, & illi chariſſimus, ait: *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi.* Filius Dei ita prius fecit in vos, vt & vos ita in proximum faciatis, poſſitiſque tanquam filij Dei hæreditatem accipere.
Matt.5. Beati pacifici (inquit) quoniam filij Dei vocabuntur, & iterum: Diligite inimicos veſtros: Benefacite iis qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt. *Et ambulate in dilectione, &c. Sicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum Deo oblationem, &c.* Ipſe ergo Chriſtus fuit & oblatio & offerens, ſacerdos & hoſtia ſiue ſacrificium. Et eleganter dicit: *In odorem ſuauitatis:* quia odor illius ſacrificij, cū eſſet Agnus immaculatus, impollutus, innocens, & eximia charitate perfectus, per ſeipſum oblatus ſuauiſſimum odorem ſparſit ad nares Patris æterni, qui & vtrumque probauit, videlicet ſacerdotem & ſacrificium, priuſquā ac pluſquam Abel & munera eius. Nam quæ Abel obtulit, iccirco probauit: quia ad hanc hoſtiam veri Agni in cruce immolandi ille aſpexit.

Fornicatio autem. Vide quàm frequentem de fornicatione ſermonem habeat, quò eam omnino vetet: ne ſimus in pari cum Ethnicis & Iudæis carnalibus turpitudine, qui hoc vitium videlicet ſimplicis fornicationis, non referendum inter ea credunt, quæ diſplicēt Deo. Nam ſolum adulterium, vel inceſtus, aut raptus, & qui in alienam iniuriam fiebant concubitus, illicita habebantur. *Immunditia* verò generale nomen eſt ad omnē laſciuiæ carnalis lapſum ſpectans: licet quidam ad voluntariam illam pollutionem, qua ſeipſum aliquis fœdat, reſtringant: quæ res admodum turpis eſt, & prorſus deteſtanda. *Nec nominetur in vobis*, id eſt, inter vos. Quædam vitia non ſolùm continent in ſe turpem operationem, ſed & inſuper ipſorum nominatio turpis, & ſæpenumero non param noxia. Excitatur enim voluptuoſa memoria, ex qua oritur ſenſim periculoſa titillatio. Quamobrem ſanctorum ſermo puriſſimus eſt, abhorrens ab huiuſmodi turpium nominum mentione. *Aut turpitudo*, cuiuſcunque generis illa ſit.

Mirabitur autē aliquis, qua ratione inter turpia poſuerit, Auaritiam, niſi per eam intelligat lucrum turpe, quale eſt quod vſura, aut quod arte meritricia, aut (vt ita dixerim) lenonia comparatur. *Aut ſtultiloquium.* Quod non ſolū vanum eſt, ſed etiam ſtultum: vt cum narrantur ſtultæ fabulæ, & quodvis nihil habens cordati hominis, aut ſalis. *Et ſcurrilitas*, Græcè, εὐτραπελία, quæ tamen apud Ariſtotelem potius virtus æſtimatur pertinens ad animi relaxationem. Et ſignificat quippiam facetè & vrbanè & iucundè dictum: quod tamen Apoſtolus videtur hîc improbare. Et verè improbandum eſt, ſi adiungas quod ſequitur: *Quæ ad rē non pertinet.* Vult enim Apoſtolus vt ea quæ à ſanctis vel dicūtur vel fiunt, omnia cedere debeant ad ædificationē. Hic eſt ſcopus, quem ſemper ob oculos ponere ſibi debent tanquam regulam omnium, qui à Deo ſuas omnes actiones probari ſtudent. Ne autem nimis tetricus eſſe Doctor noſter videri poſſet, adiunxit: *Quæ ad rem non pertinet*, non ignorans aliquod facetè dictum & vrbanè, vnde orietur honeſta recreatio, propter noſtram infirmitatem non eſſe improbandum. Nam ſic ad rem pertinere putatur, vt fortiores ad ſeria reuertamur & lætiores. Sæpenumero tamen & hac parte contingit deceptio: quoniā modū tenere difficile eſt, & ferè ſemper ſumus nimij, nimiſque noſtris ſolatiis indulgentes, vt detur non rarò ad aliquam ruinā Diabolo locus. Adhęc, diſtinguendæ ſunt perſonæ. Nam quæ valeāt concedi laicis & ſæcularibus, profectò non niſi turpia ſunt in ſacerdotibus & religioſis: quantò autē magis in Prælatis, quorum ludi debent, dum alij ludunt, eſſe lachrymæ, & cura, & ſolicitudo ſuarum plebium, laudes diuinæ & orationes & ſacrificia?

De facetiis & vrbanitatibus.

Sed magis gratiarum actio, id eſt, hoc potius, quam illud. Aut ſi fortè quadam indulgentia illud tolere tur: iſtud tamē ſemper ſit abſque vlla dubitatione eligibilius & melius. Non loquitur autem de gratiarum actione quæ fit Deo, vt cum ſuperioribus aptetur congruè (quod & acutè annotauit B. Hieronymus) ſed de ſermone gratiæ, & cuiuſdam ſpiritualis iucunditatis. Nam huiuſmodi ſermones iucundi qui ex ore ſanctorum veniunt, miram pariunt ſpiritus alacritatem. Teſtatur & in Hebraico quodam euangelio memoriæ proditum, Chriſtum diſcipulis dixiſſe: Nunquā læti ſitis, niſi cum videritis fratrem veſtrum in charitate proficere.

Si enim oculis ipſis cernere nobis daretur, quàm acerba manent peccantes aſſiduè, in futuro ſæculo ſupplicia, tenuiſſimam haberemus mundanarum conſolationum occaſionem. Contra verò, ſi firma fide apprehenderemus quanta ſeruantur à Deo in illa beata cœleſti patria omnium bonorum ſolatia in ſocietate tot myriadum Angelorum, ſemper læti eſſemus, cogitantes hæc nobis, ſi charitatem coluerimus, repoſita ſine fine duratura.

Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, &c. Hæc ſententia etſi contra ſenſum carnis faciat, eam tamen intellectus, niſi deſipiat, veriſſimam probat. Certè qui ſpiritualis eſt ita iudicat: quoniam quæ ſunt carnis, aduerſantur ſpiritui. Deus autem cum ſit ſpiritus, facta carnis nulla ratione probare poteſt.

Aut auarus, quis eſt idolorum ſeruitus. Sic melius Græcè legitur: vt auarum intelligas eſſe idoli ſeruum. Nam ſibi ipſi pecuniam Deum ſuum conſtituit, cui contra mandata Dei obtemperat. Meritò ergo qui talis eſt, *non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei:* quod vnum & idem regnum eſt, ſicut Chriſtus & Deus, vnus Dominus ſunt. Notat eleganter B. Hieronymus, hîc non coniunctum eſſe cum fornicatione & immūditia & auaritia: ſtultiloquium & ſcurrilitatem, quoniam non perpetuò hæc peccata à regno Dei excludunt, & ſi pœna nonnulla ſint digna: Vt hinc Purgatorium elicere liceat.

Pro purgatorio, B. Hieronymus.

Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter hæc.n. venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorū. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, probantes quid ſit beneplacitū Deo. Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum: magis autem redarguite. Quę enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur. Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

Nemo vos, &c. Admonet Epheſios ne ſeſe inanibus verbis ſeduci ſinant. Verè enim inania verba effutiunt, qui contra veritates euangelicas obloquuntur, & argumentis vaſris obſtrepere non deſiſtunt: vt magnum ſit tædium vel audire illos propoſitiones ineptas & iniquas iactantes (putà qui defendunt immunditiam, & auaritiam) qui non ſunt capaces ſpiritus ſapientiæ.

Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Ira Dei illa magna venit propter iſtam præputij auerſionem ſeu obtruſionem, quæ neſcit ſuaderi, ſed habet contemptui euāgelicæ veritatis puritatem. Hinc verba blaſphemię, quæ inaniter euomunt auſu temerario & arroganti contra ea quæ reuelauit Deus. Tales vocantur Hebraico tropo, filij diffidentiæ. B. Hieronymus hîc eos particulariter taxat, qui negabant aliam eſſe peccati pœnam præter ipſummet peccatum, quo vno ſatis homo punitur.

Hoc quidam inanis philoſophus noſtro ſæculo defendere molitus eſt, qui mortalitatem animæ ex doctrina Philoſophi, & ex philoſophiæ principiis certam ſe tenere putabat, & vt Sadducæus quidam, nullum credebat eſſe ſpiritum. Sed quàm hæc falſò atque inaniter dixerit, ipſe nunc verè ſentit infœlix. Nulla eſt enim alia conuenientior aut dignior aduerſus iſtos illuſibiles perſuaſio, quàm vt re ipſa id experiantur quod noluerunt credere. Nunc ipſe planè nouit & ſpiritus eſſe, & pro peccatis merita inferri ſupplicia, quæ ſunt aliud ab ipſo peccato. Væ mundo, ſi nulla alia pœna peccatis præter ipſa peccata infligeretur. Quid enim in rerum natura conſiſtere poſſet? Sed hoc nec ciuilis, nec naturalis ratio patitur, quo nihil pernicioſius, & quod magis pariat peccandi licentiam. Nunquid igitur ſapientior erit mundus Deo ipſo, aut iuſtior? Nonne ſcriptum eſt: Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit? &c. Et paulopoſt: Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit Gentes, non arguet? &c. *Nolite ergo fieri participes eorum*, ſcilicet in dogmate, ne ſitis vna ſuppliciorum & peccatorum illorum participes. Eſt enim Apoſtolica doctrina, quòd qui huiuſmodi hominibus dixerit, Aue, communicat eorum operibus malignis.

Innuit Peretinum. *Pſal.93.*

Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. More ſcripturæ vtitur vocibus ſignificantibus formas & qualitates abſque ſubiecto, accipiens tenebras, pro tenebroſis: & lucem, pro illuminatis: ac ſi dixerit, Quòd aliquando fuiſtis tenebræ, non ita erat vobis imputabile: quoniam nunquam in luce fueratis conſtituti. At nunc ſi reuerteremini ad tenebras, cum iam ſitis lux, iudicium in vos pareret iuſtiſſimum tam inſignis prauitas. Etenim in hoc erit iudicium (ait Dominus) quòd venerit lux in mūdum, & dilexerint homines magis tenebras quàm lucē. *Ioan.12.* *Vt filij lucis ambulate.* Qui à luce ſunt, debent ſecundum lucem ambulare, vt à luce digni proueniant fructus illi, quos ipſemet declarat, aiens:

Fructus enim lucis ſunt in omni bonitate, iuſtitia, & veritate. Bonus eſt apud Apoſtolum (vt alibi declarauimus) qui effundit de ſuo. Iuſtus, qui reddit cuique quod ſuum eſt. Verax, qui ſeruat quod promiſit. Hæc tamen omnia pertinent quoque ad iuſtitiam vt partes eius, quatenus iuſtitia generalis eſt & omnis virtus, id eſt, vniuerſa virtus. *Probantes quid ſit beneplacitum Deo*, id eſt, ita ambulate in luce, vt probetis quid ſit beneplacitum Deo: quod quidem beneplacitum lux ipſa oſtendit. Tum autem probat hoc homo, quando conſentit interius iudicio ſuo cum veritate, hoc eſt, quando non eſt prauè affectus, vt quod eſt dulce accipiat pro amaro: vel econuerſo.

Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, laudando illa: aut quouis modo conſentiendo illis, qui ea faciunt: quod maxime in dogmatibus animaduertitur. Nam hæretici propriè te- *2.Ioan.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nebræ sunt,quibus vel si dixerimus,Aue,teste Dilecto,cõmunicamus eorum operibus malis. Non enim esse possunt opera vllius hæretici bona, etsi interdum videantur in specie,cum sit maculata eorum mens & conscientia, & omnia in malum intendant.Sunt & eorum opera si quid boni præ se ferant,sterilia:quoniam non veniunt ex charitate: *Magis autem etiam arguite.* Vos scilicet qui ambulatis in luce potestis ac deberis eos arguere, ne hoc sibi vendicent peccatores cum sint tenebræ,vt velint fugare tenebras:& qui trabem habent in oculo,velint festucam de oculis aliorum,contra Domini præceptum,eiicere.

Sed dicet , aliquis: Qui fieri potest vt simul arguam,& eorum societatem fugiam? In arguendo enim conuersatione opus est,quæ vno die fieri nequit. At mihi periculum imminet , ne fortè dum immundum tango, ab eo polluar. Respondet B. Augustinus:Duobus modis (inquit)non te maculat malus,si ei non consentias,& si redarguas:Hoc est non communicare , non consentire.Quasi dicat Apostolus,Non sitis consentientes malis,vt ea probetis:neque negligẽtes,vt non arguatis:neque superbientes, vt insultanter arguatis. Ad prælatos autem potissimum hoc præceptum pertinet,qui errantes debent in viam veritatis reducere . Magna scio opus esse virtute atque animi magnitudine , si quis legitimè velit suas partes obire , præsertim cum subditi opibus & nobilitate pollẽt, & tamen peccatis assiduè vacant. Verùm audiendus erat Sapiens antequam hanc prouinciam susciperes,Noli,inquit, quærere fieri iudex,nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Eccle.7.*

De moribus hæreticorum. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis , turpe est & dicere.* Loquitur non obscurè Apostolus de hæreticis qui erant hypocritæ , à quibus horribilia facinora in occulto admittebantur, quemadmodum de Manichæis legimus , & aliis huiusmodi , qui Curios simulant , & Bacchanalia viuunt , vt quidam dixit.Sed gratias nunc agimus Deo, qui nostra ætate neminem permittit hypocrisi hæreticorum seduci.Ita manifesto multi perfrictę frontis homines primam fidem irritam faciunt:& eousque manifestis se sacrilegiis inquinant, auaritiæque scelera sectantur,vt possint per se omnem ratione præditum hominem à suo consortio deterrere.Quosdam verò adhuc latere scio, qui egregiè agunt hypocritas . Sed hos Deus (vt spero) etiam manifestabit,sicut & incœpit ex parte: saltem hoc implebitur sua die. *Contra latentes hæreticos.*

Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur,id est,omnia quæ digna sunt vt arguantur,à lumine fiunt manifesta . Non enim potest nisi lux veritatis arguere mendacia & falsitates . Qui ambulat in luce, is potest arguere ambulantem in tenebris, & iudicare eum : quia non possunt coram luce consistere,nec possunt ita latere vt non appareant esse tenebræ . *Omne enim quod manifestatur lumen est*,id est,oportet esse afflatum lumine,vt manifestetur.Lux enim est obiectum visus.Itaq; cum manifestantur tenebræ, lux fiunt, quæ in hoc lucent,vt semetipsas ostendant,& prodant quomodo tenebræ sint.

Propter quod dicit:Surge qui dormis, & exurge à mortuis , & illuminabit te Christus. Non expressit quis hoc dicat.Restat ergo vt hoc Deum in aliqua scriptura dixisse suppleamus. At nulla inuenitur quæ hoc dicat,vt testatur Hieronymus. B.Thomas inducit illam Isaiæ:Surge illuminare Ierusalem,&c. *Isa.60.* Sed verba illa valdè differre ab his videntur . Hic enim manifestè de dormientibus loquitur : & eo in loco Isaiæ manifestè Ierusalem iubetur surgere, & illuminari in aduentu Domini primo. Nisi fortè & ad vltimum aduentum verba illa extendantur:quod non negauerim rectè dici posse.Aut nisi forte quod hic dicitur:Surge qui dormis, & exurge à mortuis , attineat ad eos qui in peccatis dormiũt,& sunt in eis mortui,quibus in aduentu Domini primo vt surgant iubetur : quoniam illuminandi à Christo,id est,à lumine Christi, agnoscẽt sua ipsorum peccata & tenebras , à quibus deinde debeant abstinere. Cognoscent enim peccati fœditatem: & ita eos vitæ prioris pudebit , vt erubescãt ad eadem redire.Hoc ad Rom.scripsit:Quem *Rom.6.* fructum , inquit, habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?

Attamen cum verius verba hæc ad vltimũ diem pertineant,dicendum est tunc verum similiter fore:quia reuelabitur dies ille in igne & lumine, vbi manifestabuntur abscondita tenebrarum,illucente Christo quasi die quodam bonis & malis,sed aliter atque aliter. Nam boni illuminabuntur,non solùm vt cognoscant se lucem esse in Domino, verùm etiam vt de fulgore gloriæ suæ in ipso corpore participent.

In libro Ecclesiastici de ipsa Sapientia , quæ est Christus,hæc verba, ad quæ forsitan aspexit Apostolus,habentur:Penetrabo(inquit) omnes partes *Eccle.24.* terræ,& inspiciam omnes dormientes : & illuminabo omnes sperantes in Domino . Quod ergo ait , Inspiciam omnes dormientes , quid est, rogo, aliud quàm dicere , Surge qui dormis ? Ab aspectu enim Christi veniet vita in nobis. Et quod ait , Illuminabo omnes sperantes in Domino, quid aliud est , quàm illuminabit te Christus ? Ipse est vera sapientia illuminans omnes suos . Cæteri verò tunc quoque illuminabuntur ad cognoscendas proprias tenebras,quibus perpetuò inuoluentur.

Et hæc satis vt probetur , quæ digna sunt argui, ea manifestari à lumine : & quod manifestatur hac parte, lumen est: non quasi ipsum quidem illuceat,sed quia participat luce aliena , qua sic illuminatur , vt cognoscatur . Nihil enim videri potest quod sit in tenebris,& per illas occultum: sed cum aduenit lux,& aliquo modo illustrantur à lumine tenebræ,tunc videntur & clarissimè cognoscitur quales sint . Sic fæx & lutum , dum sunt in obscuro,non videntur.Si autem lumine illustrentur quodam modo lux erunt & cognoscentur, & tamen manebunt fæx & lutum . Lux enim nullo modo immiscebitur eis . Oportebit igitur omnes velint nolint,venire tandem ad lumen,vt manifestentur opera eorum , & referat vnusquisq; prouegessit in corpore.

Est & alia lectio à B. Hieronymo considerata, *B. August. in Psal.3.* quam & si B. Augustinus citans hunc locum probare videatur,cõmuniter tamen alij doctores non sequuntur: nec enim quicquam faceret ad rem propositam . Nam loco , *Et illuminabit te Christus,*

ipsi legunt,& continget te Christus . Testatur ergo Beatus Hieronymus fuisse qui dicerent Christum esse illo in loco crucifixum, vbi fuit Adam sepultus,& ob eam causam ipsi Adæ dictum , quod verificabitur in postrema die,Surge qui dormis, ô Adam,& exurge à mortuis , & continget te Christus. Hoc autem velut commentitium quoddam, nec ad rem præsentem attinens (vt ipsemet attestari videtur)reiiciendum est prorsus.

Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis:nõ quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus,quoniam dies mali sunt.Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino , in quo est luxuria : sed impleamini Spiritu sancto, loquentes nobismetipsis in psalmis,hymnis,& canticis spiritualibus,cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino : gratias agentes semper pro omnibus , in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri:subiecti inuicem in timore Christi.

Videte , &c. quia omnia manifestabuntur à lumine,nec poterunt latere abscondita tenebrarum ait Apostolus,*Videte*, hoc est , considerate attentius : *quomodo cautè ambuletis* , ne offendatis in via mandatorum Dei.*Non quasi insipientes*,qui nõ considerant futura,sed solùm & vix quod est ante pedes.*Sed vt sapientes*,iuxta illud,Vtinam saperent,& intelligerent,ac nouissima prouiderent.*Redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Redimitur tẽpus multis modis.Postquam enim opportunitates benefaciẽdi sciuimus nobis nullis rectè factis elabi,resarcire debemus in posterum.Hoc tum demum præstamus,quando ita deuotè, & ita strictè vtimur tẽpore inseruientes Deo, vt nihil de eo nostris commodis indulgeamus : imò dementes etiam nobis aliquid de necessitatibus nostris.Aliter quoque redimimus tempus,dum quæ possemus impendere commoditatibus corporis , illis vtimur ad animæ lucrum.Est enim quasi redimere illud & commutare , vt demus pro ipso temporis pretio commoda nostra,vt fructus spirituales exigamus. *Deut.28.* *Quomodo redimatur tempus.*

Addit rationem huius redemptionis : *Quoniam dies mali sunt*,hoc est, quoniam dies nostri hanc habent malitiam , vt inferant multas vitæ necessitates.Vnde multum temporis amittitur,& sine vllo fructu effluit.Bene dixit Præceptor veritatis:Noli te cogitare de crastino.Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi:sufficit diei malitia sua. Hic ergo Apostolus idem aliis verbis admonens,ait:Redimite tempus,id est,auferte illud ab vsu vestri corporis,& necessitatum vitæ quantũ potestis,quia dies habent hanc malitiam , vt semper vobis velint de tempore intercipere , retrahentes ab honestis actionibus, propter necessitates & commoda vitæ perituræ,quibus potius studeatis.Sed sufficiat diei malitia sua. *Matth.6.*

Propterea nolite fieri imprudentes. Imprudẽs est qui non sibi prospicit ad fœlicitatem & verum bonũ: *sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* De qua voluntate alibi.Hæc est,ait,voluntas Dei sanctificatio nostra,vt sancti simus animo & corpore.Hic finis in quem debemus intendere.Sancti estote,quoniam ego sanctus sum ait Dominus:ac si dixerit, Si vultis iungi mecum,conueniamus.Ego enim sanctus *1.Thess.4.* *Leuit.11.* sum,& non valeo non esse sanctus.Vos igitur essiciamini sancti,qui hoc potestis,sed per me: Alioqui imprudentes apparebitis , si putetis in vestris immunditiis placẽre Deo,& ita quod est sanctum conuenire cum pollutis,& mittendum canibus.

Et nolite inebriari vino,in quo est luxuria . De vino ad literam possumus intelligere , in quo est luxuria.Non tamen per luxuriam intelligas veneream solùm libidinem: Nam vox Græca ἀσωτία, luxum potius significat. Qui vino sunt dediti , ad omnia flagitia admittenda proni sunt . Possumus & vini appellatione intelligere voluptatem mundanorũ, qua qui inebriantur,prodigi sunt,omnia diuina & spiritualia amittẽntes : nec istis quæ sunt carnalia & temporalia,saluãtur. Filius ille prodigus est omnibus exemplo,qui dissipata tota paterna substantia,in tantam redactus est inopiam,vt pascere porcos in villa sit coactus,id est,Diabolos immundos qui hominibus porcorum in sordibus vitæ simillimis delectantur. *Luc.15.*

Sed impleamini spiritu , Qui est dilectio & amor Dei.Hoc vinum est spirituale,in quo nullus est luxus,& qui eo impletur & inebriatur,beatus. Nullum prodigalitatis potest esse periculum, quantũuis aliis impartiat . Quin potius quò effundit copiosius,eò magis ipse impletur.Ille verò prodigus est,qui spargens nihil sibi relinquit. *Pro dilectione Dei.*

Loquentes vobismetipsis in psalmis,hymnis, & canticis spiritualibus. Homo loquitur sibiipsi in hymnis, psalmis,& canticis,cum per psalmos intelligit medium quo itur ad beatitudinem, & illud sibi applicat . Et per hymnos agnoscit mirabilia Dei omni digna laude Et per cantica enũtiat summa Dei erga eos beneficia,qui Deum diligunt.Et notãdum quod sequitur: *Cantantes & psallantes in cordibus vestris Domino* . O quanta huc meritò possemus cum indignatione congerere in præposterum multarũ ecclesiarum morem,quæ non aliud curant quàm cantus,& vocum reboationes non Domino , sed hominibus,in sacellis principum, & ecclesiis cathedralibus,vt nullam ferè ipso auditu liceat percipere syllabam:sola voluptas aures demulcet , ad eor autem nihil attingit.Et hos magno pretio conducunt,quasi satis sit cecinisse absque mente & spiritu,& alios sui loco suffecisse.Iam enim magnos, qui in ecclesia sunt,prelatos pudet cantare,& malunt audire non Dei verba,sed vocum volubilitatem & symphoniam lasciuarum cantilenarũ imitatricem.O cœcitatem maximè deplorandam.

Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri . De omnibus rebus debemus gratias agere,& hoc , *semper*,id est , assiduè,siue bona sint,siue mala.Mala enim ipsa verti possent in bonum prouidentia Dei,quãdo illa humiliter,& cum gratiarũ actione suscipimus , sicut habemus exẽplum in B.Iob, & aliis gloriosis sanctis qui virtute patientiæ claruerunt.*In nomine Domini,&c.* In hoc nomine gratiosè suscipitur à Deo Patre,quicquid suscipitur: quoniam primò Deus, est Deus Christi, & primò Pater , est ipsius Chri-

sti Pater: noster autem & Deus & Pater est, per ipsum & in eius gratiam.

Subiecti inuicem in timore Christi. B. Hieronymus hoc in loco sic ait: Audiant hæc episcopi, audiant presbyteri, & omnis ordo doctorũ, subiectis suis se esse subiectos. Et hoc facit vera charitas, vt alibi: Per charitatem seruite inuicem, quoniã ad hoc ipsum adegimus Christum, vt seruiret nobis. Non tamen hic locus eò torquendus est, vt faueat Lutheranis, qui ordinem & iurisdictionem destruunt in ecclesia & gradus. At quid est, rogo, aliud quàm destruere corpus Christi, & velle totum corpus vnum duntaxat esse membrum, & frustum carnis? Et iccirco declaratur ista subiectio qualis esse debeat, nimirum, *in timore* Christi, vt intelligamus in eo spiritu, quo Christus subiectum se præbuit omnibus propter Deũ, seruiens nobis in charitate. Vel vt intelligamus nihil fieri, debere timore hominum, sed timore Christi qui timor sit potius in Deum reuerẽtia, quàm timor ille quem foras mittit charitas. Nã in vno quoque debemus agnoscere inhabitantem Christum, & illum reuereri. *Gal.5.*

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniã vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suã vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnũ est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Veruntamen & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, ita vt loco Domini vxor virum suum habeat. Commendatur Sara, quæ vocabat Abraham Dominum suũ. *1.Pet.3.* Et ratio adiungitur cur hoc facere debeant. *Quoniam vir caput est mulieris*. A sententia Domini post peccatum, & adhuc ante peccatum, Adam censebatur vt caput Heuæ. *Sicut Christus caput est Ecclesiæ: & ipse est Saluator corporis eius*. Hoc ideo dicit, quia ad caput pertinet vt reliquum corpus saluet. *Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*. Omnium appellatione in scripturis nunquã venit quod malum est: quia malum vt malũ, defectio est & nihil. Sed arguet quis: Si ita subiecta esse debet vxor viro, quomodo ecclesia Christo non ergo in eis carnalis copula locum habebit. Et tamen ad Corinth. iubet vxori à viro debitum reddendum. Imò suadet, si orationum gratia ad tempus separentur, continuò tamen reuertãtur in illud opus. Quo argumento adeò motus est B. Hieronymus, vt (quod vehemẽter admiratus sum) dixerit, aliud dixisse Corinthiis qui erant imperfecti, aliud Ephesiis. Sed non oportebat, meo quidem iudicio, moueri eiusmodi argumento, quasi concludat: quia inter Christum & ecclesiam minime cogitetur talis secundum carnem copula, pari applicatione non debere inter virum & vxorẽ cogitari. Absit vt hanc doctrinam tradiderit Apostolus: sed voluit proportionaliter ista intelligi. Quemadmodum in coniunctione quæ est secundum spiritum, ecclesia subiicitur Christo in omnibus, ita debet esse in coniunctione quę est secundum carnem inter virum & mulierem, vt vxor in omnibus similiter obediat viro. Dico in omnibus quæ scilicet attinent ad curam domesticam, vt sunt officia mulieris & matrisfam. Sunt enim mulieres adiutorium quoddam viris in seruanda domo, & augendis opibus, sub viris suis tamen, vt dictũ est:

Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, &c. Seruat similitudinem, & ostendit qualem dilectionem habuerit ad ecclesiam Christus, nempe eam, qua maior cogitari non potest: qua *tradidit seipsum*, id est, proprium corpus & vitam *pro illa*, id est, pro sanctificatione ipsius, quæ fit in baptismo, ita vt dederit corpus, quò illi quæreret spiritum sanctificationis, *mũdans illã lauacro aquæ*. Hic magna quęstio inter Scholasticos, quomodo aqua ista elemẽtaris possit attingere maculas & peccata, vt mũdet nos ab eis, & gratiam conferat, vt per aquam hæc fiant velut per instrumentum. Ingredi hunc labyrinthum nõ est animus. Fateor enim primùm, me non posse hæc capere (nisi me ecclesiæ id clarè difinientis compellat authoritas.) Quomodo possit hæc corporalis aqua ad sordes animæ pertingere. Sicut enim quod intrat in os corporeum non potest animã côinquinare, vt ait Dominus. *Matt.5.* Ita quodcunque corporeum extrinsecus adhibeatur ad carnes, non videtur posse quouis modo ad sordes animæ extergendas pertingere. Omnia igitur, breui sententia, dicenda sunt consistere in pactis. Deus enim inuisibiliter facit in anima, quod fieri visibili signo, id est, lauacro aquæ significatur: vt quod in corpore natum est fieri per aquam, intelligas fieri intus per spiritum. Dicitur tamen per aquam hoc fieri, quoniam sine hac humiliatione hominis ad aquæ lauacrum, non faceret Deus. Et hanc virtutem intellige sic datam aquæ: quia Deus alio modo non operaretur in hominem regulariter.

Illud pręterea dicitur, quandoquidem ipsa gratia qua sanctificamur, in scripturis aqua vocatur, *Ioan.4.* & aqua viuens, quam Dominus Samaritanæ se daturum pollicebatur salientem in vitam æternam. Et propheta de illa prædixerat: Effundam super vos aquam mundam, &c. *Ezech.36.* profectò non de elemẽtari aqua intelligebat, sed de illa spirituali quæ per elementarem significatur. Nec est nouum vt de

signo ea sæpe dicantur, quæ signato conueniunt. Et propterea dicitur aqua elementaris abluere corpus: quoniam aqua illa spiritualis, quam elementaris significat, hoc agit interius.

Hæc opinio mihi verior videtur: nec tamen liber contendere, nec placet quicquam tenere mordicus, si aliud ab ecclesia definiretur. Sed non constat hactenus esse definitum, & si quidam hoc obiectent ex concilio Florentino, vbi habetur quòd sacramenta nouæ legis continent gratiã, & conferunt eam. Illa enim verba multipliciter exponi possunt, imò & exponi debent, ne sensus nobis porrigant absurdissimos, & derideamur merito ab huius mundi sapientibus. Nam quomodo continent (quæso) gratiam sacramenta? Nunquid in aqua abluente est gratia, sicut est in corde hominis? De vno tamen sacramento potest sanè & verissime dici, quòd continet gratiam. Cõtinet enim corpus Christi, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & illud verè Eucharistia est.

Quod sequitur est citra controuersiam, *In verbo vitæ*, Ecce quomodo reuera mundatur ecclesia per verbum vitæ. Hic est Christus sermone pronunciatus, & corde susceptus: hæc est fides quæ purificat corda. *Ioan.15.* Quamobrem ipse aiebat, Vos mundi estis propter sermonem meum. Nam homo audiẽs sermonem vitæ, ac recipiens in corde per fidem, absque dubio dispositus est ad recipiendam gratiam & charitatem, donum iustitie, quo corda purificãtur, quod subitò vt synceram fidem videt, infundit Deus: & istud in lauacro isto non solùm significatur, sed etiam re ipsa exhibetur atque efficitur.

Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Hæc perspicuè videntur pertinere ad diem postremum, quando erunt omnia perfectè purgata. Non est enim sine macula aut ruga, quæ interim est in via & militat, & sæpe maculatur in membris suis atque inficitur. Retinet item propter corpus aliquid rugarum veteris hominis. Gloriosam non esse in hoc mundo quis non videt? Nisi fortè velis satis esse, modo verificẽtur hæc verba in eximiis membris, quale fuit beatissima virgo semper immaculata, & ij qui proxime ad illam gratiam accesserunt. Sed nec sic, vt mihi videtur, completur prorsus ista significatio.

Non desunt qui contrahant verba hæc ad ecclesiam Romanam quantum ad dogmata fidei, quia semper permansit illibata sine vlla macula erroris, aut ruga falsi aut superstitiosi cultus. Verùm prior expositio verius quadrat, quam & B. Augustinus probauit, præsertim cum verba illi maxime faueant. Primò enim dixit, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam, &c.* vt per hoc intelligas finem ipsius fidei & baptismi, qui est exhibitio ecclesiæ ipsi Christo in gloria. Porrò tandiu minime fit exhibitio ista, quãdiu sumus in via: potissimum autem cum addatur, & declaretur fieri istam exhibitionem in gloria, vbi reuera nihil erit veteris hominis, sed perfectissima renouatio ac regeneratio sine vlla penitus macula, aut aliquo huiusmodi. *Sed vt sit sancta & immaculata*, quod tunc erit plenissimè, vt frequenter diximus.

Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Perstat in proposita similitudine. Quemadmodũ caput ecclesiæ Christus: ita caput mulieris vir, vnde vnde vnum corpus cum illa efficitur. Et ideo, *Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit*: cum sit pars corporis sui, & vna caro cum illo vinculo tanti matrimonij effecta.

Nemo enim carnem suam vnquàm odio habuit. Videtur tamen hoc posse refelli instantiis. Multi nanque sunt inuenti in corpus suum proprium odia exercentes. Imò Christus precipit vt odio habeamus nosmetipsos, & corpora nostra. B. Paulus corpus castigat, & in seruitutem redigit. Sed reuera vt quis oderit corpus suum non est ex natura, sed per accidens (vt ita loquar) quatenus vel per illud homo affligitur: per illud ab aliqua concupita fœlicitate prohibetur. Sententia ergo Apostoli est secũdum naturam nulla alia habita cõsideratione. Homini enim à natura cõparatum est vt diligat carnem suam: qui si aliter sine causa faciat, improbè agat, & peruersè, & innaturaliter. *Sed nutrit*, scilicet cibo & potu: *& fouet eam*, vestibus & vnguentis vbi opus est: *sicut & Christus Ecclesiam*. Dominus prospexit de cibo ecclesiæ suæ dando seipsum, & de fomentis per alia sacramenta, quæ sunt loco salutarium vnctionum misericorditer nobis relictarum. *Carnẽ amare vel odisse quomodo intelligendum.*

Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Videndum in primis quomodo sumus membra eius, & de carne eius, & de ossibus eius. Hoc certè carnaliter non est intelligendum, sed spiritualiter. Ipse generauit nos in passione suę Crucis, & ad seipsum traxit, vt futurum ecclesiæ corpus exinde tanquam ex carne eius & ossibus eius procederet: quoniam caro ecclesiæ non est iã sub peccato, sicut nec Christus cum in terris ageret fuit sub peccato, licet in carne simili peccatrici carni, in qua tribulationes passus est à peccato, vt sic vinceret peccatum, & destrueret iura peccati, & sic gloriosam redderet carnem suam. Nos igitur regenerando voluit adhuc eam carnem habere, quæ post sublata prorsus peccati iura, esset tamen sub tribulationibus peccati ad imitationem sui & similitudinem, donec in resurrectione generali meritò redderet gloriosam, illam scilicet quæ peccati stimulis nec acquieuerit nec succubuerit.

Et hæc in Lutheranos egregiè concludunt, qui contra Christi gratiam docẽt per baptismum non deleri peccatũ, sed adhuc manere in carne. At hoc in loco dicimur vna caro cum Christo, vt potè educti de carne eius, & ossibus eius. Nunquid igitur caro Christi erit caro peccati? aut potius in similitudinem carnis peccati? Nam & si B. Paulus fomitem, qui manet in nobis, peccatum vocauerit, non ob eam causam ita vocauit, quasi adhuc verè esset peccatum, sed quia venerat à peccato, & ad peccatum extimulat. Verùm supina iam est & crassa eorum inscitia, qui modos dicendi apud scripturam nolunt admittere. Dixit verò carnem ex carne eius, & os ex ossibus eius: quoniam Christus habuit carnem quidem infirmam, sed non sine ossibus, quæ significant fortitudinem spiritus perfectam, qua fortitudine seruos suos maiora ecclesiæ membra armauit. Christi enim fortitudo nunquã in eo fracta est. Et hoc Dei præcepto mysticè in illa sententia intellecto. Os non comminuetis ex eo: *Exod.12.* singulariter enim verũ fuisse in Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto non est dubitandum. Nos alij Adæ latronis filij, qui in latronibus figuramur, habemus comminuta ossa, quia nullus vi suæ naturæ posset sustinere fortiter opprobria crucis, nisi ille iuuaret. Multos igitur fuisse firmissimos inde euenit, quoniam de ossibus Christi per gratiam ipsius participarũt.

Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Verba hæc ex Genesi excerpta sunt, quæ maximum nexum, qui est inter virum, & vxorem, eleganter declarant. In Gen. legitur, Propter hoc, Sed hîc Græcè legitur, ἀντὶ τούτου, id est, pro hoc, seu vice huius, aut è regione huius proportionabiliter, vt ita dixerim: quasi clarius dixisset: Ille futurus est homini cum vxore nexus quo Dominus Iesus Christus cum ecclesia colligari debet, vt sit quasi loco Christi vir, & vxor loco ecclesiæ, videatque quid fecerit Christus propter ecclesiam. Illum enim maximum nexum esse oportet, qui ab alio magno nexu & vinculo separet. At certè inter patrem & filium, & inter matrem similiter & filiũ magni sunt nexus, vt deceat esse vnum & eundem conuictum, & domum vnam.

Et tamen ab hoc nexu, per hunc alium spiritualis matrimonij nexum, vtpote validiorem, distractus est homo Christus, qui tãto amore ecclesiam suam est prosequutus, vt se & à Patre quodam modo segregaret & à Matre, legibus istius sęculi & iuri se summittens. Segregauit enim se à Patre Christus quodam modo propter ecclesiam, quando apparuit in mundo in forma serui. Propterea dixit: Exiui à Patre, & ueni in mundum. Segregauit se & à charissima matre, cùm propter eandem ecclesiam mortuus est in cruce, illa relicta sub discipuli cura. *Et erunt duo in carne vna*, id est, ex duobus fiet vna caro, quę nulla humana potestate separari possit. Sic caro Christi facta est vna cum ecclesiæ carne. Nam in passione & morte sua mirificè hæ nuptię sunt celebratę, & factum est atque expressum vinum bonum. *Sacramentum hoc magnum est.* Quid est, Sacramẽtum hoc magnum est, nisi coniugium inter virũ & vxorem? Illa videlicet carnalis copula magnũ est sacramẽtum. Nam in ea perficitur carnale matrimonium, vt sic fiat omnino indissolubile.

Ioan. 16.

Est quæstio tamen exorta propter hæreticos, An matrimonium sit sacramentum. Cum enim hîc vocetur sacramentum, etiam esse reuera consequenter probari videtur. Respondent, Græcè legitur mysterium, & non sacramentum. Quasi verò Græcè dici potuerit sacramentum, cum sit vox latina recepta: & quasi quod Græcè dicitur mysterium, non dicatur latinè sacramentum. Dicent, At quædam mysteria vocantur in scripturis, quæ tamen non sunt sacramenta, quo sensu capiunt sacramenta Scholastici: qualia sunt illa septem quę ipsi enumerant, & nota sunt. Sed nihil prohibet quin possint vocari sacramenta quælibet mysteria, quãuis non sunt de illis septem. Nonne mysterium incarnationis Christi dicitur etiam sacramentum? Non probant ergo, matrimonium non esse vnũ, videlicet ex illis septem sacramentis, cum interim constet à B. Paulo dici sacramentum, & nihil vetet esse vnum ex septem. Imò ratio & magna doctorũ authoritas contra est: cui sese opponere semper fuit hæreticorum.

Sed videndum quomodo sacramentũ sit, quod docet Apostolus, aiens:

Dico autem in Christo & in Ecclesia. Et est sensus, carnale coniugium ea ratione esse sacramentum: quia signum est spiritualis coniugij inter Christũ & ecclesiam contracti: Conditiones nanque eædem sunt. Et hinc accipe nõ ad similitudinem carnalis coniugij creatum fuisse spirituale: sed contrà potius, ad similitudinem spiritualis decretum fuit carnale, tametsi prius tẽpore fuerit carnale quàm spirituale. Vt enim quò hæreret ecclesiæ sponsæ Christus, quodam modo reliquit Patrem, id est, Deum à quo exiuit exinaniendo seipsum: & Matrem suam Beatissimam virginem secundum carnem, quam permisit periclitari, & ab eius carnali consortio auulsus est, vt acquireret sibi Sponsam suam, & applicaret sibi, eique hæreret in sempiternum (quod perfectè verificatur in illa vnicè Electa & Dilecta, & post illam in cæteris vasibus electioni.) Ita facta est lex in nexu matrimonij carnalis, vt sic obseruet maritus propter vxorem suam, & nunquam eam dimittat. Et in hoc matrimonij vinculo significatur nexus Christi cum ecclesia.

Dimittet homo patrẽ & matrẽ quid.

Alio modo reliquit Christus Patrẽ, & Matrem, idest, Patriarchas & Prophetas, & Synagogam suam, vt hæreret ecclesiæ suæ. Et tertio modo reliquit patrem Adam, & matrem Heuam, secũdum carnem, quos permisit in peccatum labi. At primam sponsam suam ab æterno sibi decretam Mariam virginem semper immaculatam, cui & semper adherere voluit, non permisit nec dimisit in communi sorde hominum pollui, ne pro vllo vnquam quantumuis leui momento esset iræ filia, & diabolo & peccato subiecta, quod iam horrẽdum est vel cogitare nunc piis & deuotis animis.

Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorẽ suam sicut seipsum diligat. Veruntamen, id est, cæterum: & vos singuli, id est, vnusquisque vestrum vxorem suam diligat sicut proprium corpus, & eandẽ carnem, sicut est reuera. Alioqui tenetur homo communi præcepto proximum sicut semetipsum diligere. Sed non additur, sicut corpus suũ, & carnem suam, vt quandam insuper carnalem dilectionem, castam tamen & sanctam, declaret propter finem sanctum ad sobolem gignẽdam Deo. *Vxor autem*, supple ita diligat, vt *timeat*, reuerentiæ timore, *virum suum*, vt caput.

CAP. VI.

FILIOLI, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam (quod est mãdatum primum in promissione) vt bene sit tibi, & sis longæuus super terrã. Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correctione Domini. Serui obedite dominis carnalibus, cũ timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculũ seruientes, quasi hominibus placẽtes: sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei

ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & nõ hominibus: sciẽtes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud Deum.

A Postolus pergit formare Ephesios circa mores. Post præceptum autem viro & mulieri de mutua eorum dilectione datum, sequitur præceptum honoris erga parentes. Porrò quæri potest, quare in lege præceptum de viro & vxore omissum fuerit: & de parentibus tantum traditur. Hoc fortè fuit in causa: quia non debuit sic sanctificari matrimonium ante Christi aduentum, quod fœdatum erat, & propter lasciuiam conculcatum per diuortia, & concubinatus, & per vxorum pluralitatem ad tempus toleratam. Nam hæc lex & dilectio quę hic imperatur est ad exemplum Christi & ecclesiæ. At istud tam excellens sacramentum nondum patebat: & sic non poterant tunc esse verum signum tanti sacramenti, vt inde eliceretur præceptum istud. Ideoque peculiariter est præceptum primis patribus, & noui testamẽti. Et hãc rationem esse veram puto: quare meritò diminuta fuit illa lex, in qua hoc præceptum poterat desiderari. Sed impleta est lex vetus per legem nouam.

Filij obedite parentibus vestris in Domino. Possunt obedire parentibus multi, sed non in Domino: quia non propter Dominum: aut quia non existũt in Domino per fidem & charitatem. Eiusmodi autem obedientia vana est, & vacua merito: quam vel Ethnici exhibent. Potest fortè intelligi de parentibus qui sunt in Christo, vt iis obediatur, non autem infidelibus. *Hoc enim iustum est*, tanquam à lege imperatum, & naturaliter iustum. Et hoc probat ex veteri scriptura. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*: quarum vocum significatio extenditur in scriptura sancta ad omnes parentes superiores, qui & patres similiter & matres dicuntur. *Quod est mandatum primum in promissione.* Non simpliciter primum, sed primum in promissione. Nulli enim priori mandato facta est specialiter repromissio. Illa superior, qua Deus retribuere posteris dicitur, & facturus misericordiam in millia, non est promissio, sed prophetia: nec est propter obseruantiã vnius cuiusliber mandati, sed in genere: ait enim, His qui diligunt me, & custodiunt mandata mea.

Vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Hæc intelligenda sunt non solùm carnaliter, sed multò magis spiritualiter, & de terra cœlesti, quę est Christus. Vnde alibi de hoc pietatis mandato testatur, repositam illi promissionem vitæ præsentis & futuræ, in qua impletur promissio. Hoc tamen interest. Nam vitæ pręsentis promissionem habebat ex Mose, futuræ autem ex Christo. Est autem notandum, hanc mercedem ac retributionem, quæ promittitur in lege morigeris filiis atque parẽtes suos honorantibus, persuasam quoque ipsis Ethnicis fuisse. Quidam enim præclari illorum authores & poetæ hoc docuerant, & fortè ipsi è sacris literis hauserant: aut rei conuenientiam sua ratione & iudicio inuestigati & comprobantes. Illud certum, ab omnibus philosophis naturali ratione edoctis, præcepta de honore parentibus post Deum debito, grauiter & concorditer esse literis mandata.

Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Sicut nimia parentum in filios indulgentia improbatur, ita & nimia seueritas ac duritia hic prohibetur. Nec enim Heli sacerdos indulgens filiis probatus est: nec Saulis in Ionatam tolerata fuit illa nimia asperitas. *Sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Non ergo sit sæcularis disciplina, quæ lædit sæpè pietatem: neque correptio sæcularis, quæ exasperat: sed sit Domini disciplina & correptio lenis & spiritualis (pro modo tamen erratorum) ad scientiam Dei & medicinam, & emendationem morum cum omni moderatione. O si seruaretur hoc præceptum: O patres patres, imò verò O crudeles filiorum & filiarum vestrarum parricidæ, quibus traditis doctrinas lasciuorum poetarum & procorum, verius porcorum. Væ inuolutis huiusmodi sordibus, nisi eos citò misericordia Dei eripiat. Hęc moneo toto corde. Irã enim Dei propter hęc magnam concitari qui non apprehendit, malo suo tandem aliquando miser persentiet.

De educatione liberorum.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore ac tremore. Sed cum timor hic & tremor non tam debeatur homini, quàm Christo, ideo addit. *In simplicitate cordis vestri*, non nequiter, non simulatè: sed *sicut Christo. Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes*, quod plerique ferè omnes faciunt: *sed vt serui Christi*, quem debetis in illis considerare, & illi seruire. Tum proderit & ad luenda peccata si quę adfuerint: vel ad merita cõparãda si peccata defuerint. *Facientes voluntatem Dei ex animo*, non violenter: *cum bona voluntate* (Græcè, beneuolentia) *seruientes sicut Domino*, cui debemus beneuolentiam: *& non hominibus.* Non esset æquum aliquando vt quibusdam hominibus seruiretur ab iis, qui fortè sint multò meliores & sapientiores. Sed Dominus vult hæc tolerari ad vitanda maiora merita. Nihil enim absurdi est, si ex absurdis sequantur absurda. A Patrefam, cuncta ad integritatem redibunt sua die, & restituetur cuiliber suus gradus: vnde multi dominorum apparebunt serui: & multi seruorum liberi.

Scientes quòd vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet, &c. Et si sit in terris hac personarum acceptio, cessabit tamen in cœlis, vbi siue seruus, siue liber, hoc recipiet à Domino quod fecerit. Legant hoc & non fugiant hæretici, qui tanta fronte pro benefactis non reddi mercedem in cœlis audent asserere. Hic manifestè ait B. Paulus, *Vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet.* At nunquid illud ipsummet bonum quod fecit, recipiet? minime, sed præmium eius. Dixit autem doctissimè, *hoc recipiet*, Est enim præmium quodam modo in merito ipso absconditum.

Nota pro meritis.

Et vos domini eadem facite illis. Non intelligas, *eadem*, ita dici, vt etiam ipse dominus debeat seruire seruo suo in eisdem officiis, sed in quibus ille pro conditione status debet, vt in timore & tremore ea faciat erga illum, simpliciter & ex animo beneuolo quæ debet facere, & humanitas exigit, tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quã faciẽs ea Christo, cogitãdo sibi hæc à Christo in illo postulari. Et quænã sunt quę postulat à dño seruus? cibꝰ & disciplina, id est, vtilis castigatio vel instructio, vt possit operari nõ seruiliter, sed ex animo. Quare summopere cauere debet dominus ab opprobriis & cõtumeliis, à verberibus & minis. *Remittentes* (inquit Apostolus) *minas*. Quòd si ista seruis à dominis quibuscunque debentur: quid dicemus de liberis & ecclesiasticis viris, qui imperant, suis curialibus imperiosius & grauius, quàm si essent serui captiui, & pretio redempti? O miserum vtrunque genus, & eorum qui dominantur, & eorum qui tam superbam patiuntur dominationem. Sed non aliam ipsi merentur, qui contra Apostolum fecerunt se seruos hominum. Quanta ego vidi & audiui? Et quanta etiam tolerauì compressio stomacho, non reprehendens vt debui? Audiant quomodo perterrefaciat Apostolus, *Scientes quòd & illorum & vester Dominus est in cœlis.*

Prælati & qui eis seruiunt, notent.

O verbum grauissimi, sed apud quosdam leuissimi ponderis, qui ignorant hoc tempore miseri. At paulo post derepentè experientur & imprudenter ac ne quicquam dicent: Ego non putaram. Quid est non putaram? Nonne iis turpe erit dicere: Non putaram? quorum præcipuè erat officium docere alios, cum essent pastores, & ad eos pertinebat tenere sacram scripturam, & B. Paulum, non autem dare operam delitiis, & ignauis, ventri & carni, & aliis quæ honestè nominari non possunt. Hæc à me dicta sint, obsecro, cum fructu, si quado ad eorum manus ista peruenerint: & sibi certò persuadeant non de stomacho & animo inimico prodire, sed ex imis misericordiæ & charitatis visceribus. *Et non est acceptio personarum apud Deũ.* Ille personas ex propriis meritis iudicabit, & non erit apud eum seruus, aut liber: Prælatus, vel subditus.

De cætero fratres, cõfortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturã Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lũbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euãgelij pacis: in omnibus sumẽtes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.

Hortatur modò vniuersaliter omnes, vt tanquam in militia existentes, vigiles, armisque spiritualibus accincti sint: tempus enim ita esse faciendum postulat. *De cætero fratres, &c.* Reliquum est, ô fratres, vt vires accipiatis in Domino: quoniam nullæ sunt in vobisipsis ex vobis, *Et in potentia virtutis eius*, siue fortitudinis. *Induite vos armaturã Dei.* Armatura Dei est, quam ipse Deus donat, & sunt virtutes cœlitus venientes, & ipsa veritas. Vel armaturam Dei vocat, qua ipse Dominus noster Iesus Christus vsus fuit in dæmonem, quæ fuit patientia & veritas, in qua immotus perstitit. *Vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Nemo etenim suis armis dæmonũ callidissimis artibus, & incredibili fortitudine resistere longo interuallo posset.

Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Fortè de perfectioribus loquitur, quibus, cum iam carnem superauerint, superest vt Diabolicis insidiis resistãt. Aut intellige dictum, *Non est nobis colluctatio, &c.* tanquam hæc quæ cum Dæmonibus suscipitur, sit præcipua conflictatio, & periculis extremis exposita: vt iuxta modum loquendi, illud intelligatur quasi non esse, quod præ alio modicum habet esse, ita vt quodam modo nihil sit æstimandum. Aut supplendum est, *solummodo*, id est, *Non est nobis solummodo colluctatio aduersus carnem.* At iuxta hanc expositionem debuisset dicere cum copula, sed & aduersus principes, & tamen dicit, sed aduersus principes. Quare superiores expositiones magis placent. *Sed aduersus principes & potestates, &c.* Manifestè Angelos præuaricatores qui ceciderunt, his nominibus notat: qui & ipsi in sua militia ad diuersa facinora habent ordines & principatus. Et licet cuncti ad malum tendant diuersi tamen ad diuersa scelera & peccata incitant, quibus consentiunt multi. Et propterea principes dicuntur, quia regunt mundum istum, id est, homines mundanos, quos tenebras vocat Apostolus. *Aduersus spiritualia nequitiæ*, vel potius malitiæ, id est, aduersus quædam illorum arma quæ sunt spiritualia, procedentia ex eorum malitia. *In cœlestibus*, hoc est, in iis quæ pertinent ad cœlestia. Omnis nanque illorum conatus & rabies eò fertur ad decipiendum incautos, vt vnde illi ceciderũt, arceãt ne illuc nos ascendere valeamus. Non admodum curant an nos temporalia abundè possideamus (imo extimulant, vt iis incũbamus auidissimè) modo ab æternis nos abstrahant. Alius sensus est, *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, hoc est, contra spirituales nequitias, quæ sunt, *in cœlestibus*, id est, in aeris regione, quæ cœli appellatione venit. Vnde & Dominus volucres cœli dixit Dæmones, in suà parabola seminis, qui verbum salutis auferunt. *Luc. 8.*

Propterea accipite armaturam Dei: qua necessariò indigetis contra tot & tam excercitatos atque infestos pugnatores. *Vt possitis resistere in die malo.* Vocat diem malum (vt arbitror) iudicij diem, qui est dies vindictæ & iræ, cui tãtũ ij resistũt, in quibus nihil iuris habuerit ipse Diabolus. Hanc diem scripturæ vocant diem malam, diem iræ, & furoris, & tenebrarum, & turbinis, nebulæ, & caliginis: à qua die mala liberet nos Deus per Iesum Christum. *Et in omnibus perfecti stare.* Græcè in hunc modum habetur, Et omnibus perfectis, stare: vt sit talis sensus, Vt possitis resistere in die mala, scilicet calumniantibus Dæmoniis, & repetentibus animas vestras. Et possitis stare cum omnia perfeceritis, id est, cum impleueritis mandata, & fueritis pleni operibus bonis, quæ dant sobriam confidentiam in die illa. Qui enim benè agit, non odit lucem: sed venit confidenter ad lucem, vt manifestẽtur opera *Ioan. 3.*

eius

eius: quoniam in Deo sunt facta. Et hoc cõtra eos qui volunt in tempore illo, neminem secundum iustitiam bonorum operum inueniri securum.

State ergo succincti lumbos in veritate. In lumbis sedes luxuriæ est. Succinguntur autem lumbi ab iis qui veritatem illam Domini capiunt, quùm dixit: *Matt. 19.* Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnũ Dei. *Et induti loricam iustitiæ.* Iustitia est donũ Dei, quo si induti fuerimus, seruit nobis tanquàm lorica aduersus tela Diaboli. Per ipsam enim habemus in promptu mandata Dei saluberrima, à quibus nolumus recedere: quo fit vt omne telum & fallacia Diaboli retundatur. Hanc loricam habebat Dominus cum tela reiiciebat, dicens: Non tentabis Dominum Deum tuum. *Et calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Homo calceatos habet pedes dum ambulat in diebus pœnitentiæ, vt peccata sua penitus deleantur: & sic præparetur vt vt possit abiectis postmodo calceamentis euangelizare. Nam qui in terra sancta sunt, debent extrahere calceamenta, hoc est, iam opera pœnitentiæ perfecisse. Vbi vide quomodo sit præparatio eorum qui aliis prædicare præsumunt. Nam qui adhuc in peccatis est, & in ordine pœnitentium, nundum præparatus est, nisi expleuerit primùm legitimæ satisfactionis tempus.

In omnibus sumentes scutum fidei. Vt opponatis vos tentationibus & persecutionibus. *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Tela ignea esse puto cupiditates, & ardentia ambitionis desideria ad honores huius mundi, & appetitum gloriæ. Hæc tela iaculatur Diabolus, quæ vrunt homines miserabiliter, sed scuto fidei retundunt. Qui enim oculo fidei intentè respicit ad cœlestia, terrenas omnes cogitationes retundit.

Et galeam salutis assumite. Per hanc galeam intelligo spem, quę caput, idest, mentem nostram, à concussionibus tribulationum protegit. Spes intuetur bona æterna, quorum desiderio erecta, facile temporalia incommoda despicit, sciens optimè quàm non sint condignæ passiones huius *Rom. 8.* temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Non solùm arma defensionis, sed offensionis quoque debemus assumere. Et hæc sunt verba Christi, quibus acerbissimè torquetur Diabolus: quale est illud, Nolite timere eos qui occidunt corpus. & illud: Primùm quærite regnum Dei. item: Beati qui lugent. *Matt. 10. Ibid. 5.*

Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tẽpore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cũ fiducia notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt ipse audeam (prout oportet me) loqui. Vt autẽ & vos sciatis quę circa me sunt, quid agã, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratia cũ omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.

Per omnem orationem & deprecationem orantes. Verè sine oratione & deprecatione impossibile esset diabolis resistere. Deprecatio enim necessaria est, qua mala à nobis deprecamur: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Oratio est quà petimus varia, vt occurrerit. Dicit autem, *omnem orationem*, nõ ad diuersa orationum genera spectãs, sed ad perfectionem orationis, quę habeat suas circunstantias, vt quod oportet oremus, & quomodo oportet, attẽtè, fideliter, humiliter. Græca enim vox sæpenumero totalitatem (vt ita dixerim) atq; integritatem sonat. Non est autem oratio integra, cui aliqua necessariarum circunstantiarum deest. Quotusquisque igitur est, qui ea perfectione oret? Et ideo non impetramus miseri. Vt verissima fiat B. Iacobi increpatio. Petitis (inquit) & non accipi- *Iaco. 4.* tis, eò quòd male petatis. Ante tempus orare prouidentia est. Tempore constituto, obedientia. Tempus orandi præterire, negligẽtia. Tantò quippe debet crebrior esse oratio, quantò vtilior. Tunc veraciter homo Christianus orat, quando in corde nihil aliud cogitat. Maxime verò tum iudex ad preces flectitur, si à sua prauitate peccator recedat. Nam oratio ipsa duobus præcipuè modis impeditur, ne quod postulat, à Deo impetret: cum scilicet peccata committere homo perseuerat: aut si peccanti in se ex toto corde non dimittit. Quemadmodum enim non prodest vulneri adhibitum medicamentum, in quo adhuc manet infixum ferrũ: ita nihil eius proficit oratio, qui odium retinet in corde. Quot, rogo, vel ex ipsis religiosis viris existunt, qui ariditatem non sentiant, & stupiditatem mentis in orando, vt solis orantes labiis non attendant neque quid dicant, neque cui loquantur? In causa illud est:

Nos velut ex quadam consuetudine, nulla ferè reuerentia ad Deum accedimus, neque præparamus ante orationem animas nostras. Quid enim aliud cogitare debet homo Christianus dum ad orandum accedit, quàm propheticum illud: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei, vbi Rex regum stellato sedet solio, innumerabili & ineffabili circundatus beatorum spirituum exercitu? Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illũc humilitate accedere debet (ait deuotus Bernardus) à palude sua procedens & repens vilis ranuncula? In cunctis igitur actionibus nostris etsi multa opus sit animi vigilantia, potissimum in oratione. Licet enim semper à Domino videamur, sed tunc etiam presentamus & ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Obsecrare igitur verecundo debemus affectu: Orare puro affectu non dissimulantes peccata nostra, minimeq; nobis blandientes, scientes vnũquenq; citius gratiam apud Deũ inuẽturum, quò fuerit durior iudex in semetipsum. Postulemꝰ insuper amplum ostendentes affectum & fiduciæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

laritudinē. Postulet (inquit B.Iacobus) in fide nihil hæsitans. Et tum ad gratiarum perueniamus actionē, quæ debet esse deuotione plenissima, & delitiis affluēs. Hos orationis modos nos Apostolus breui sententia ad Timotheū scribens docuit: Obsecro primum omniū fieri, ait, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus, &c. Verum, vt paulo antè dixi, quotumquenque reperias ex his qui in communi Christianorum sorte versatur, qui nouerit orandi modum, imò verò qui vel Missam cum aliqua corporis reuerentia nouerit audire? Itaque non mirum si tanta est vitæ spiritualis sterilitas, quam orationis (vt ita dicam) non impinguat debita assiduitas. Hanc tamen diligenter commendat Apostolus noster, subdens: *In omni tempore*, tam prosperitatis, quàm aduersitatis. Sunt enim qui facilius interdum in prosperitatibus corruunt. *In spiritu*, idest, in dilectione Dei existentes: Nam spiritus amor est. *Et in hoc ipsum* vigilātes, idest, in hoc spirituale certamen: *In omni instantia*, vt saltem propter importunitatem exaudiamini, & surgere faciatis Patremfam. è lecto (vt est in euangelica parabola) pro instātia orationis, quò saltem propter improbitatem petentis, expugnetur quāmtumuis auarus. Non est reuera auarus ipse Dominus, sed dum nostra delectatur industria, ad modum auari se habet, exigēs instantiam & importunitatem nostrā: quod clarè apparet in exemplo Cananæ. Hoc autē facit vt vehemētius cupiamus, & digni simus aliquo pacto accipere. *Et obsecratione pro omnibus sanctis*, non tantum pro vobis. Græcè tamen legitur deprecatione, quæ ad ea propriè mala accomodari solita est, quæ oratione petimus amouenda. *Et pro me, vt detur mihi sermo, &c.* Sēsus est clarus. Vbi obiter tamen notandum: Euāgelicum ipsum munus tale esse, vt indigeat ad cursum facilem orationibus ecclesiarum. Vnde & oramus pro Pontificibus. Et ecclesia sine intermissione orabat pro B. Petro dum esset in carcere. Et nos similiter debemus orare pro omnibus, & illis potissimum qui sunt in administratione, & de quorum actionibus ac deliberationibus pendet status, tranquilitas, & vera salus multorum.

1.Ti.2.

Luc.11.

Matt.15.

Acto.12.

Vt autem & vos sciatis, &c. Postremò, cum vnicuique magna sit & anxia cura atque sollicitudo, rescire de absentibus, & amicis, & necessariis & multò magis vbi intercedit nexus charitatis Christi, cogitans Apostolus illo erga seipsum desiderio Ephesios teneri, ait: *Vt autem & vos sciatis* (supple) sicut multi alij sciūt, *quæ circa me sunt*, idest, quæ ab aliis in me inferūtur. *Et quid agam: omnia vobis nota facient Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in Domino.* Cōmendat hominem vt illi habeant fidē. Imò addit: *Quē misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.* Mirabile est: prius ait, *circa me*, & modo ait, *circa nos*, vt ostēdat quæ ad se pertinent, ad illos simul pertinere. Ostēdens autem ea quæ ad se pertinebāt bona esse, addit, *Et consoletur corda vestra*, Hæc autem bona erāt, ipsum videlicet esse in catenis pro Christo, & Christi euangelio ad salutem Gentium. Qua in re nomē Christi celebre reddebatur, & ipsius merita crescebant, & Christiani illi qui sapiebant, in fide fortius ex tanta Apostoli constantia confirmabantur.

Pax fratribus, & charitas cum fide, &c. Vbi pax est, etiam charitas est. Et si charitas adest, etiam fides adest. Et hæc omnia à Patre nostro Deo, & Filio eius Domino Iesu Christo. Potest & fides hoc in loco pro confidentia accipi, seu fiducia. *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrū Iesum Christū in incorruptione. Amen.* Perpende genus salutationis, quo nunc vtitur Apostolus. Optat omnibus iis gratiam, qui diligunt Iesum Christum Dominum nostrum: & non quouis modo, sed, *in incorruptione*, siue in incorruptibilitate. Multi quidē diligunt Christum quandiu est illis bonus in hoc mundo, iuxta illud: Confitebitur tibi, cum beneceeris ei: de cuius sanguine viuunt hic & regnant. Non est hæc vera ac bona dilectio. Tales figurantur in illis, quibus obiiciebat Dominus. Amen Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa: sed quia manducastis, & saturati estis. Potest & alius esse sensus, nimirum: Talis sit gratia vt nulla adsit corruptio, quæ accidere consueuit per trāsgressiones & peccata. Dicere insuper possumus ab Apostolo optari gratiam diligētibus Iesum Christum incorruptibiliter, hoc est, syncerè & simpliciter, non mente corrupta, sed vt perseuerēt vsque in finem sine peccato. *Amen.* Hæc vox desiderij est: cuius vtinam me & omnes impetret fieri verè participes gloriosus Apostolus noster, vt inter Ephesios (quæ vox desideratos significat) connumeremur per Iesum Christum Redemptorem, cui cum Patre & Spiritusancto sit honor & gloria, & omnis gratiarum actio in generationes sæculi sæculorum. Amen.

Psal.48.

Ioan.6.

*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

HANC epistolam nondum vinculis liberatus, è Roma misit B. Paulus per Epaphroditum anno Domini, vt quidam tradunt, quinquagesimo octauo. Argumētum (vt vno verbo absoluam) est adhortatio, vt confirmentur ac permaneant in Euangelio, quod recæperant. Mirificè verò cuncta diluit quæ illos ab Euangelica veritate possent abducere, aut abstrahere: Et illa affert quæ ad retinendam in ea soliditatem veram apprimè conducunt.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD PHILIPPENSES.

*

PAVLVS & Timotheus serui Iesu Christi omnibus Sāctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cū Episcopis & Diaconis: Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.

DE more primum salutationem ponit, *Paulus & Timotheus*. Quemadmodum iam aliās scripsimus, nō dignabatur B. Paulus admittere alios discipulos suos quasi coadiutores (vt ita dicam) epistolæ, ad exemplum humilitatis & charitatis præbendum, cuius est aliis propria cōmunicare. Ideo ait hic, *Paulus & Timotheus*. Mysticè autem, vt intelligamus per duo maximè nos confirmari in euangelio, quæ iis duobus nominibus significātur. *Paulus* videlicet, ac *Timotheus*, hoc est, humilitate, quę in Paulo significatur, & Dei honoratione & cultu, qui in Timotheo significatur. *Serui Iesu Christi.* Verè nullus superbus, & qui syncerè non colit Deum, potest esse seruus Iesu Christi. Et econuersō: Nullus humilis & colens Deum, potest non esse seruus Iesu Christi. Vnde ipse Dominus aiebat: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo processi & veni. Et alibi queritur: Ego honorifico Patrem meum: & vos inhonorastis me. Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes glorificent Filiū, sicut honorificant Patrē. Qui non honorificat Filium, nō honorificat Patrē qui misit illū. Omnes ergo humiliari oportet sub omnipotēti manu Filij, cui' iudiciū est

Hic mirum videri potest, cur (præter morem) facere mētionem de dignitate Apostolatus sui pretermiserit. Aliqui respondent, ita scripsisse: quoniam hac salutatione asciuit socium Timotheum non Apostolum. At hoc perimitur instātiis. Nam in prima ad Corinth. asciuit sibi Sosthenen fratrē, qui nō erat Apostolus, & tamen se vocat Apostolum. Et in secunda ad Corinth. similiter Timotheum sibi adiungit socium, nec prętermittit Apostolatum suum. Alia igitur erat reddenda melior ratio. Videtur itaque hoc omissum, quasi minimè hac in epistola necessarium, cum, vt in epistola apparet, Philippenses fuissent morigeri, nec vllo pacto consentientes Pseudoapostolis, nec scādalum passi propter vincula Pauli, imò & ipsi persecutionem sustinentes. Ideo nomine potestatis expresso non fuit opus. Solùm ergo Philippensibus scribens & Thessalonicensibus hoc nomen supressit, eadē vt mihi videtur de causa. Etenim epistola tota placida est, & plena maternis affectibus & dulcedine. Nulla hic interseritur querela, nulla obiurgatio: sed mera cū summa eorū laude adhortatio. Discant similiter Prælati vbi non est opus, non ostētare potestatē: sed quasi vnum ex multis se exhibere, amabili tamen grauitate semper seruata.

Omnibus sanctis in Christo Iesu, id est, omnibus verè sanctis. Qui enim in Christo Iesu non est, nec esse sanctus potest: & qui in illo est, non nisi sanctus esse potest, id est, mundus per fidē, quę purificat corda. Non intelligas fidē sine charitate, cū talem loquendi morē scripturæ nesciāt, vbi simpliciter & absolutè de fide loquūtur. *Qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Videretur absurdū plures in eadē ciuitate fuisse Episcopos. Sed hæc erat prima ciuitas partis Macedoniæ quæ coloniam, id est, habitatores seu colonos receperat exteros. Et propterea quid mali si quilibet suā, si quam nactus erat, curabat nationē? Addimus itē (& istud est diligēter aduertendū) cū olim Apost. insudarent in acquisitionē Gētium, ordinabant prius quos probāt viros idoneos ad hoc munus obeundum, quos ad manū postmodo haberēt paratos, si quem in locū ad propagandā fidem mittere opportunū esset. Ita mihi intelligendum videtur: vnde & quos creabant sacerdotes, eosdē & ordinabant Episcopos. Nā Presbyteri nomē & ad ipsos Episcopos extendebatur, vt apparet in epistola ad Titum. Postmodo cum dilatata est ecclesia, segregati sunt qui munera episcopalia exercebant, ab iis qui solùm sacerdotis simplicis munere fungebantur: & pro numero ciuitatum constituti sunt episcopi. In hac quoque dignitate constituti sunt sui gradus, vt alij Archiepiscopi, alij Primates, alij Patriarchæ vocētur, qui omnes quomodo distinguātur inter se, & quę sint eorum propria munera, de Canonibus requirendum est. Vtinam verò vnusquisque (quēadmodum par esset) sese intra suos fines contineret, & obseruaretur hic pulcherrimè distinctus ordo in ecclesia. Et ipsa ante omnia probitas vitæ & integritas vigeret: vt quò sublimiore quis dignitate cōstitutus est in ecclesia, eò splendidius reluceret in omni virtutum opere. Sed omnia sunt immutata. Dominus videat, & remedium adhibeat.

Aliud hic annotandū est, apud Caietanū diaconos, de quibus hic loquitur B. Paulus, non altaris, sed solùm mensarū ministros fuisse, seruientes tātūmodo tēporalibus. Quæ opinio vt est singularis Caietani, ita nō digna quę recipiatur, sed magis explodatur. Hunc discutiendam differimus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

epistolam ad Timoth. Reliqua salutationis, cum abundè iam sint alibi exposita, superuacaneum esset inculcare.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Euangelio Christi, à prima die vsque nunc, confidēs hoc ipsum: quia qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet vsque in diem Christi Iesu: sicut est mihi iustũ hoc sentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euãgelij socios gaudij mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis synceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei.

Primùm incipit eos certiores facere suæ erga illos beneuolentiæ & charitatis: quod ad suadendum semper est potissimum. *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri*, id est, quotiens occurrit vestri memoria: occurrit autem semper in omni oratione mea, siue præcatione. Et vt ostendat ipsum animi affectum, adiungit: *Cum gaudio*, Ad orationis autem tenorem indicandum, *deprecationem*, siue orationem, *faciens super communicatione vestra in Euangelio Christi*. Gratias igitur agebat, venisse illos in participationem euangelij: & insuper orabat vt in eo dono confirmarentur, *à prima die*, qua scilicet vocati sunt, & responderunt vocationi. Fuit enim talis apostolica ad illos prædicatio, non ex voluntate propria, sed ex cœlesti reuelatione, vt patet in Act. Apostol. cap. 6. *Vsque nunc*, id est, ad hanc horam. Significat illos semper fuisse morigeros, obsequentes, & constantes in fide.

Confidens, seu persuasum habens, *hoc ipsum: quod is qui cœpit opus bonum in vobis, ipse perficiet vsque ad diem Iesu Christi*. Primùm hac parte nihil sibi arrogat Apostolus, sed cũcta penitus bona quæ illi obtinuerunt à notitia euangelij, refert accepta Deo. Certum autem se de illo ait qui incœpit, nempe de Deo: quoniam etiam perficiet. Non est enim Dei imperfecta relinquere opera sua. Quòd autem Deus incœperit, præter quàm quòd nemo Christianus homo negare potest, (Firma est etenim scripturarum & omnium S. Patrum hæc sententia, Omnis boni initium esse à Deo docente, excitante, atque adiuuante donec perficiatur.) Illud tamen est peculiare de Philippensibus testimonium, quomodo B. Paulo nocte apparuit vir quidam Macedo stans & orans eum, vt transiens per Macedoniam adiuuaret eos. Qua visione tãquam diuino admonitus oraculo factus est certus B. Paulus à Deo sibi mandari, vt apud illos euangelicam legem prædicaret, scilicet Philippis, quæ erat prima partis Macedoniæ ciuitas.

Et hic cõsidera lector, quam tenue fuit initium, & quo pacto cœpit inde latius euangelium manifestari: ait scriptura, Eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes. Die autem sabbatorum egressi sumus foras iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse. Et sedẽtes loquebamur mulieribus, quę conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria, ciuitatis Thyatirorum, colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit aures cordis intendere his quæ dicebantur à Paulo. Lege reliqua, & commentare per te ipsum prudens lector admirabilem & nobis inuestigabilem Dei prouidẽtiam. Et quomodo ipse est qui mouet euangelizantem, & audienti aperit aures: & ex modico fermento totam massam fermentat. Frustra enim laborat lingua exterius docentis (ait Magnus Gregorius) nisi Deus tetigerit cor interius audiẽtis. Ab ipso enim est omnis nostra sufficientia. Act. 16.

Vsque in diem Iesu Christi. Dies Iesu Christi dies iudicij est, quo nullus relinquitur vltetius operandi locus. Omnis fiducia nostra constituenda tunc, ex præcedente vita repeti debet. Misericordiam siquidem tunc nequiquam postulauerit, qui ipse nũc misericordiam non præstiterit. *Sicut est iustum mihi hoc sentire de omnibus vobis, &c.* Sensus & ordo literæ hic est. Ea quæ de vobis sentio, quos ad perfectũ venire faciet Dominus vsque in diem illum postremum, sic sentio, sicut iustum est me sentire, tum ex parte Dei, qui (vt dixi) non incipit vt opus imperfectum deserat: tum verò quoniam ego *habeo vos in corde*. Non leue est diuini amoris signum, quando aliquis sanctus & Deo charus, suscipit alicuius protectionem, & ex corde pro illo supplicationes ad Deum porrigit. Hoc enim modo solet diuina prouidentia operari, quæ vult per aliquos aliquibus salutem dare. Inspirat enim in corda amicorum suorum vt pro illis incercedant, & suspiria atque orationes fundãt. *Et in vinculis meis*: ad corroborationem persuasionis adiecit se eos omnes habere in suis vinculis, & in defensione & confirmatione socios: quoniam illi misericordia erga eius vincula & tribulatione commoti sunt, & participes facti passionum eius, manentes semper in fide & euangelio immobiles. Et licet tanta eis contradictione ab iniquis resisteretur, defensionem tamen & confirmationem ipsius euangelij adiuuabant intrepidè. Vnde & participes meritò efficiebantur gratiæ, qua abundabat beatus Paulus.

Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Deest verbum in Græcis vt videtur, ideo interpres adiecit, *esse*, vt sit sensus: Ad probãdum esse sibi illos verè in corde, testem profert Deum, qui nouit abscondita cordis sui & affectus erga eos, & quomodo eosdem cupiebat inueniri in visceribus Iesu Christi: quod est inueniri misericordiis (vt ita dicam) & miserationibus eius vallatos atque protectos. Quibusdam magis irridet, si quod ait:

In visceribus Iesu Christi, referatur ad suum erga illos desiderium, quasi declarans non humanæ fuisse affectionis desiderium, sed in visceribus Iesu Christi. Prior tamẽ expositio mihi præ ista probatur. Nam imperfectum quoddam redolet, dicere,

Cupio vos, Si cui tamen potior hic sensus videatur, non contendam cum illo: parui modum refert. *Et hoc oro*, videlicet cupiens vos in visceribus esse Iesu Christi, oro insuper: *Vt charitas vestra adhuc magis abundet, &c.* Ecce illius desiderij affectus, vt inuenirentur in visceribus Iesu Christi. Charitas enim inde contrahitur, vberius abundans in dies, magisque ac magis. Sic euenit in via Dei, & ita debet fieri vt crescat homo vsque ad perfectum. Alioquin in via Dei (teste B. Gregorio & verè) non progredi, est retrogradi. Porrò adhuc quiddam aliud desiderabat B. Paulus Philippensibus, qui benè currebant.

In omni scientia, Græcè legitur, *In agnitione*, Charitas nanque ex cognitione procedit: nec enim fertur amor in incognitum, *Et in omni sensu*, seu potius, intelligentia. *Vt probetis potiora*. Homo charitatem Dei habẽs quæ non est absque lumine, etiam intelligentiam consequitur, vt possit probare quæ verius eligenda sunt. Quamobrem ab eodem Apostolo dictum est, spiritualis esse iudicare omnia: quoniam habet legem, & regulam rectam in corde. *Vt sitis synceri*. Ille synceru est, in quo dolus nõ est, nec hypocrisis, sed columbæ simplicitas. *Et sine offensa*, id est, Nullam dantes offendiculi occasionem quantum fieri potest, nisi fuerit Pharisæorum offensa. Cum infirmis autem circa hoc agendum est cautè admodum, ne contristetur Spiritus sanctus. *In diem Christi*, qui dixit, Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis, &c. Matt. 18.

Repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam, & laudem Dei. Vide lector quam clarè B. Apostolus non solùm admittit posse impleri legem per Dei gratiã: verùm etiam hoc fieri debere indicat, vt inueniatur homo in illa die plenus fructibus iustitiæ, quæ sunt opera bona: ac propterea securus, vt possit comparare ante faciem Dei ac Domini nostri Iesu Christi sine querela. Quoniam verò hoc non potest contingere ex nobis, quasi ex nobis, cum ille dixerit: Sine me nihil potestis facere, ideo adiecit, *per Iesum Christum*. Et quia hæc omnia vertũtur in gloriam & laudem ipsius Dei, cum & gloria nostra, & glorię meritum à gratia Dei veniat, *in gloriam* (inquit) *& laudem Dei*. Ipse enim laudabitur & glorificabitur vsque in sempiternũ ab omnibus Sanctis & Electis suis, fructu bonorum operum refertis. Cum Dei gratia posse legem impleri. Ioan. 15.

Scire autẽ volo vos, fratres, quia quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundãtius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem. Quidam autẽ & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non syncerè, existimantes pressurã se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annũtietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Scire autem vos volo, &c. Nulla esse videtur in litera difficultas. Illud in pectore conseruandum, res Christi & nostrę in illum fidei, eius generis esse, vt semper in contradictionibus & persecutionibus illustratæ sint & auctæ. Hoc B. Paulus ad Philippensium confirmationem, volebat eosdem scire, vt intelligerent quæcunque aduersus illum à persecutoribus Iudæis commota fuerant, copiosius ad profectum venisse euangelij, hoc est, conuersa esse in commodum euangelij: quoniam manifesta facta sunt vincula eius *in omni prætorio*, seu potius, *in toto prætorio*. Prætorium hoc in loco significat, quod Augustale Quintilianus vocat, vbi Cæsaris officiales ius dicebant. Nam ad Cæsarem B. Paulus appellauit. Fuit autem manifestatum illa vincula esse in Christo. Attende loquendi modum quo B. Paulus vtitur. Homo existens in Christo, non potest vincula & persecutiones pati, nisi propter iustitiam, & propter Christum ipsum: iccircò hoc totum fuisse manifestatum asseuerat, non solùm in toto prætorio, verùm *& in cæteris omnibus*, hoc est, vniuersa Vrbe Roma, quæ eo tempore erat veluti quidam paruus mundus, cum illũc ex omni genere homines & natione concurrerẽt. Hæc autem tanta manifestatio pertinebat ad clarificationem Christi. Oportuit enim notam esse iudicibus causam, cut esset vinctus illis vinculis. Cumque nihil illum patrasse flagitij ac sceleris cognouissent, laxarunt vincula: cui & permiserũt domum habere conductã, vbi erudiebat annuntians & euangelizans mysteria de verbo Dei. Sed antequam ipse solueretur, quidam perspecta ipsius B. Pauli constantia, animati sunt & ipsi ad prædicandum euangelium.

Et plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, id est, fiduciam capientes de mea patientia. Vocat fratres in Domino, & synceros, *abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui*. Vide quomodo virtus Christi in homine qui confidit, fortior est omni tyrannorũ potentia & persecutione. Verùm quoniam contingebat prædicari Christi verbum variis de causis, & à quibusdam non syncerè: ne existimarent Philippenses, omnes ambulare in veritate, & ne deciperentur, ait: *Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: Quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant*. Sensus clarus est. Quæ autem subsequuntur inuersa sunt ac perturbata, & sic debent legi. *Qui quidem ex contentione Christum annũtiant non syncere, hi putant pressuram* (siue tribulationem) *suscitare vinculis meis*. Declarat eorum malignitatem qui Christũ ex contentione prædicabant. Id enim faciebant putantes B. Paulum esse sibi ipsis similem, inuidum & æmulatorem, ac propterea vehementer angi ac torqueri, cum resciret ab eis euangelium prædicari, sibi verò vinculis impedito idem efficere non

Universidad de Deusto
Biblioteca

fieret, quasi inde iactura aliqua illius existimationi inferretur, qui cessaret aliis laborantibus. Sed talis non est, qui gloriã Dei quærit, non suam propriam.

Qui autem ex charitate, sciunt quòd in defensionem, &c. Ac si expressius dixerit: Illi qui ex charitate annunciant, aliud de me existimãt. Nam ipsi optimè sciunt, quomodo ego non propriam gloriam quæro, sed euãgelium ipsum defendo, & sic innocens patior. Hac commiseratione permoti illi euangelij cursum adiuuare prædicãdo conantur, vt leuiora reddant mea vincula: quemadmodum & ego re uera leuius ea fero tali mihi nũciata pietate: vt consequenter & ipsi efficiãtur gloriæ meæ participes, illius quæ mihi paritur ex vinculis.

Quid enim? Dixerat illos contentiosos arbitrati sua prædicatione pressuram afferri vinculis, quibus ipse Apostolus tenebatur: volens igitur ostendere secus esse, ait: *Quid enim?* nunquid scilicet ob hoc tristor, quoniã illi Christum tametsi per inuidiam prædicant? & respondet: *Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo.* Sensus est clarus: Tãtum abest (inquit) vt vllam huius rei gratia tristitiam sentiam, vt contra gaudeam: modo tamen annuncietur Christus, & ego sim huius boni vel causa vel occasio. Non autẽ me recreat, nisi ex veritate id agant. Magnum hîc exemplum ab Apostolo prędicatoribus datur, ne quid agant ex contentione & æmulatione, sicut accidit multis: vt raros videas ex veritate & charitate prædicare. Ait autem Apostolus non solùm se gaudere, sed in futurum etiam. *Sed & gaudebo* (inquit) cuius etiam futuri gaudij rationes annectit in his quæ subsequuntur:

Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem & submi nistrationem Spiritus Iesu Christi, secun dum expectationẽ & spẽm meam, quòd in nullo confundar: sed in omni fiducia, sicut semper, & nũc magnificabitur Chri stus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere, Christus est: & mori, lucrũ. Quòd si viuere in carne, hic mihi fructus operis est: & quid eligam, ignoro. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autẽ in carne, necessariũ propter vos. Et hoc confidẽs scio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectũ vestrum, & gaudium fidei: vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos.

Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem. Redditur hic ratio futuri gaudij, quæ est notitia, fore tandem vt illa omnia proueniant ei ad salutem: vt verum fiat in ipso, quod alibi dixit, Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, vel ea ipsa quæ videntur mala, præsertim cum adduntur orationes. *Per vestram orationem & subministrationem Spiritus Iesu Christi.* Nam per orationes mouetur Christus ad subministrandum Spiritum abundantius, quo homo in omni pressura inueniatur fortis. Hoc enim pacto mẽbra membris inuicem adiuuantur.

Rom. 8.

Secundum expectationem & spem meam: quia in nullo confundar. Notat Apostolus hæc prouẽtura sibi ad salutem, quoniam id summè expectabat, & sperabat nullo euentu confundi. *Sed in omni fiducia,* seu libertate: *sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo,* id est, p passiones corporis mei, quas illius amore iam multories & variè perpessus sum, & adhuc perpetiar, *Siue per vitam, siue per mortem,* quoniam & vita mea seruitiũ est Christi, & mors mea erit pretiosa in conspectu eius. Ipse enim reddet mihi præmium summum, & superexcedens omne genus passionis & mortis.

Mihi quidem viuere, Christus est, id est, Vita mea est gloria Christi, quatenus ipse glorificetur in omni actione mea & tolerantia. *Et mori lucrum.* Si enim vitam meam illi totam deuoui, istud inde lucrum optatissimum capiam, quoniam ipse econuersò pro morte mea reddet mihi vitam, semetipsum. Ipse est vera vita nostra: & hoc pacto lucrabor illum, quo ille dixerat: Qui perdiderit animã suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Hic est locus, vnde satis probatur, dari statim post mortem præmiũ vitæ æternæ. Si mori est lucrum Christi, proculdubio beatitudinem consequitur qui lucratur illum, qui beatitudo nostra est. *Quòd si viuere in carne, hoc mihi fructus operis est.* Sunt qui exponant, Quòd si viuere in carne, subaudi contingat, hoc, id est, ipsum viuere in carne, fructus est operis, id est, operatur mihi fructum in vita futura. Aliqui exponunt. *Quòd si,* siue, *si autem,* pro quamuis, vel etsi. Sed hoc extorquere est. Equidẽ sermo iste mutilus est, & necessariò est aliquid sub intelligẽdum. Hic fortassis sensus est. Dixerat, Mihi viuere, Christus est, cui ille viuebat: Mori autem erat lucrum ipsius Christi. Et cum vtrumque esset optabile, venit Apostolus in considerationem eo quod è duobus satius esset & optabilius. Ait ergo: *Quòd si viuere in carne,* supple tu, est bonum & eligibile, quia viuo Christo: hoc, id est, mori & ita lucrari Christum, est mihi fructus ipsius operis, ac propterea eligibilius videtur: nam propter fructum est opus. At dum in hac fluctuatione ancipitis electionis non conquiesceret Apostolus, adiunxit:

Luc. 9.

Statim post mortem datur præmium vitæ æternæ.

Et quid eligam, ignoro. Et causam dubitationis exponit. *Coarctor enim è duobus, desiderium habens,* hoc est, Duo sunt quæ me suspensum tenent & ambiguum, cum vtrumque sit optabile. Primum, *in dissolui, & esse cum Christo* (sic habet Græca lectio) *multo magis melius,* hoc est, in hoc euentu dissolutionis meæ, quo fit vt sim cum Christo, absolutè est bonum, & multò magis bonum, quam permanere in carne. *Permanere autem in carne magis necessarium propter vos.* Ex superiore dicto clarè sumitur, post hanc vitam eos qui in Domino moriuntur, continuò beatitudine cœlesti donari. Tum quia hæc duo copulantur, videlicet dissolui, & esse cum Christo: Tum verò cum dicat hoc multò esse melius quam viuere in carne. Falsum autem esset, si beatitudinem non consequeremur statim post mortem.

Postremò huic dicto occurrit dubium. B. Paulus asserens esse pro illis optabile si adhuc permaneret in carne, videtur contradicere nõnullorum sanctorum dictis, qui cum hinc recederent, solari superstites fratres consueuerunt, pollicẽdo se plus illis profuturos orationibus ante Deum præsentes quàm si manerent in vita eosdem curantes. Ad huiusmodi dubitationem responderi potest, illud esse verum, cum iam labor eorum in hac vita perfectus & excursus est, non antea: quæ res sub Dei cognitione posita latet nos. At B. Paulus cui Spiritus à quo dirigebatur, plurima reuelabat, ait:

Et hoc confidens, aut potius persuasus, *scio quòd manebo, & permanebo cum omnibus vobis,* id est, ego vobiscum manebo, *ad profectum vestrum & gaudium fidei, &c.* Manere Apostolum in vita operabatur profectum illorum & gaudium, quod ex fide concipitur, quod soli norunt qui exercentur meditationibus & contemplationibus in puritate vitæ. *Vt gratulatio.* Græca lectio habet, *Gloriatio vestra abundet in Christo Iesu in me per meum aduentum iterũ ad vos.* Gloriabantur Philippenses & meritò de tãto Doctore: quæ gloriatio reflorebat ipso Apostolo iterum redeunte ad illos, quod creditur factum. Nam post biennium quo Romæ egit, recessit inde, & multas visitauit ecclesias. Creditur etiam Hispaniam peragrassè. Certum esse per hæc verba debet, illum ecclesias Asiæ denuò repetiuisse. Quòd autem promittit se iterum illos inuisurum, continet illam tacitè coniunctam admonitionem, que sequitur:

Tantum dignè Euãgelio Christi conuersemini, vt siue cùm venero, & videro vos, siue absens audiã de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij. Et in nullo terreamini ab aduersariis, quę est illis causa perditionis, vobis autẽ salutis: & hoc à Deo, quia vobis donatũ est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiã pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

Tantum dignè Euãgelio Christi conuersamini. Hoc iugulat eos qui negant posse nos dignè conuersari, vt euãgelium requirit: sed satis esse credere. Sed hoc non satis est Apostolo qui ait: *Vt siue cum venero, & videro vos, siue absens, audiam de vobis, quia statis in vno spiritu vnanimes, collaborãtes fidei Euangelij.* Significantius Græcè legitur, *concertantes,* quia militia quædam est vita Christiani hominis super terram. Concertat autem fidei, id est, simul cum fide euangelij, qui fide munitus quasi cum illa certans, diabolo, carni, & mundo insultanti resistit. Aut qui pro ipsa euangelij fide sustinet omnia, si sit opus, etiam quæcunque extrema. *Et in nullo terreamini ab aduersariis.* Istud præstat fides, & spes æternorum cum charitate. Si enim nõ adsit charitas, quid faciet fides, aut spes, quæ vana esset? *Quæ illis est causa perditionis: vobis autẽ salutis.* Verissimum est hoc. Nam vt aduersari euangelio est causa perditionis meritoriè: sic econuersò, est meritoriè causa salutis iis qui sustinent. Hæc ponderent hæretici, qui tanta contentione merita ad salutem auersantur. Græcè tamen legitur: *Quæ illis quidem est ostensio perditionis: vobis autem salutis.* Et hoc item verum est: quia ex causa ostenditur effectus. Valet enim argumentum. Ille fidem persequitur: ergo peribit. Sustinet ille pro fide: ergo regnabit. *Et hoc à Deo.* Quid est à Deo? Salus est à Deo. Item salutis meritum, quod est à cõstantia & patientia vestra, à Deo est. Cuius subdit rationem:

In hæreticos posse in pleri mandata negãti.

Contra negantes merita.

Quia vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. Audiant Pelagiani ac Pharisæi qui iactabant suas vires, & in semetipsis confidebant. Ecce totum ex dono est, & quòd credamus, & quòd sustineamus, & consequenter quòd præmia consequamur æterna. Qui ergo gloriatur, in Domino glorietur. Eleganter hoc in loco B. Ioan. Chrysostomus in hunc modũ scribit: Mentem ipsorum ad modestiam instruit, dum omnia Deo ascribens, gratiam & gratuitum donum esse dicit pati pro Christo, ac maioris admirationis quam sit mortuos suscitare, & signa miranda patrare. Nam illic quidem debitor sum: hic autem debitorem mihi acquiro. O rem admirandam, largitur ille, & debitor mihi obstringitur. Addit etiam idem Doctor egregiè: Hoc donum Dei quo efficitur vt pro illo patiar, non esse totũ Dei, sicut alia dona. Est enim in eo aliquid nostrũ, qui ex voluntate liberè patimur. Verum totum illi ascribitur, cum potior pars eius sit, & vt nos ad modestiã instituat. *Idem certamen habẽtes quod vidistis in me, & nũc audistis,* siue auditis, *de me.* Verum est verbum illud, Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur. Viderant admirabile B. Pauli certamen Philippenses, quod describitur ex Act. cap. 16. Et tũc aliud iterum audiebant nouum, cum esset in vinculis, ex persecutione Iudæorum perpetuò illum & vbique infestantium.

In Pelagianos.

2. Tim. 3.

CAP. II.

SI QVA ergo consolatio in Christo, siquod solatium charitatis, siqua societas Spiritus, siqua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habẽtes, vnanimes, idipsum sentientes. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes: non quæ sua sunt, singuli considerantes: sed & ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super om-

Universidad de Deusto Biblioteca

ne nomen, vt in nomine, Iesu, omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Si qua ergo consolatio, &c. Magna profectò est obsecrationis huius Apostolicæ in his verbis vis & grauitas, & admirabilis iis qui diligunt, & quorum conuersatio seu patria in cœlis est. In Filium enim omnis paternus amor conuertitur, & nullus à summo Patre respicitur, nisi agnoscatur in illo membrum eius. Hæc consolatio est afflictorum maxima: nec vlla potest esse alia tam vera & efficax, quàm quæ est in Christo: quoniam est euidẽs æterne salutis ostensio. Quicunque enim in hac vita compatitur, in futura cum illo glorificabitur. At hanc consolationem nullus potest habere, si nullus potest habere certitudinem suæ gratiæ. Cum verò Sancti omnes in hac vita illiusmodi consolationibus participentur, sequitur illos absque dubitatione habere signum diuinæ erga se dilectionis.

Si quod solatium charitatis. Interpres idem Græcum verbum, ἀγάπης, significans dilectionẽ, modo dilectionẽ, modo charitatẽ reddit. Ego verò maluissem, vnã eandẽmq; vocẽ nobis perpetuò reddidisset. Charitas qua nos inuicẽ in Christo diligimus identidem habet magnum solatium. *Si qua societas*, siue communio, *Spiritus*. Hic vnus ex articulis fidei, Sanctorum communio, quam exigit & facit charitas. Quod enim de amicis dici solet. Amicorum omnia communia, vt quæ vnus habet, singuli habeant: longè est in his verius, quos perfectum charitatis glutinũ & spiritus copulauit, inter quos dum membrum vnum gaudet, etiam congaudet aliud membrum. Idem accidit si lugeat, aut tristetur: quia omnes propter eundem spiritum, vnum sumus, vel vnus, id est, vnum corpus, vna persona cuius caput est Christus.

Si qua viscera miserationis. Græcè, si quis viscera & miserationes, quæ sanè lectio duriuscula est. Significat autem: Si quis est qui tali ac tanto teneatur affectu, vt viscera & miserationes dici possit. Aut si quis est, in quo viscera & miserationes locũ habeant. Per viscera teneritudinem illam charitatis significari non est dubium, vnde miserationes quę sunt effectus misericordiæ, quasi è visceribus effluunt.

Implete gaudium meum, quod de vestra conuersione concepi. Et modum explicat quo implebitur. *Vt idem sapiatis*, siue sentiatis, hoc est, In dogmatibus fidei non sit vlla inter vos dissensio. *Eandem charitatem habentes.* Vt in idem vestra feratur dilectio ne sit scissio inter eiusdem corporis membra. Nam si quis amauerit gloriam Dei, alius gloriam propriam, nõ poterit coalescere in huiusmodi mutuus amor, vbi singuli discrepabunt. *Vnanimes, idipsum* (pro idem) *sentientes*. Exponit fundamẽtum, ex quo eadem conflatur charitas. Et hoc est vnanimiter idem sentire, quasi vno animo idem probare vt verum bonum. *Nihil per contentionẽm, aut per inanem gloriam*, subaudi facientes. Etenim contentiones ab appetitu inanis gloriæ promanant, qua quis videri vult superexcellere ingenio aut doctrina, cuius morbi antidotum subiungit. *Sed in humilitate*, id est, per humilitatem. *Superiores sibi inuicem arbitrantes.* Sensus est per se clarus, quem & Græca lectio lucidius adhuc exprimit, quæ sic habet:

Sed in humilitate alij alios sibi inuicem superiores existimantes. Mouebitur tamen aliquis, & dicet. Qui possum ego superiorem illum existimare, quem omnibus modis inferiorem me esse certò scio, tũ eruditione & doctrina, qua citra vllam dubitationem illum supero: tum probis moribus, cum ipse flagitiosus sit & perditus omnium iudicio, & factis ipsis nimium patentibus? An Apostolus vult nos esse insensatos, vt quæ perspicuè noscimus, stupida simplicitate non noscamus? *Qua rõne debeat quis omnibus inferiorẽ se æstimare.*

Respondeo, Non est istius modi B. Pauli mens: sed longè altius ista, quam tu ipse, considerat. Audi ergo ipsum B. Paulum, hoc ipsum continuò declarantem, ait enim:

Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & quisque quæ aliorum. Subaudi sunt. Attende lector: Vult Apostolus manifestè nos non intellectu sic existimare, sed facto ipso & opere, vt quàtò quis maior sit, tàto magis seipsum summissius gerat ac deprimat propter proximũ, id est, ita se cõponat seruiendo ac ministrãdo, vt minorẽ se esse ostẽdat. Hãc cõpositionẽ perficit charitas atque humilitas simul, quæ nihil aduersus veritatẽ molitur. Sed audi modum: Nunquid rectè diceremus ipsum Christum ita verè de se sensisse, vt existimaret vllã sibi creaturam superiorem? Absit: Ipse verè sciebat quisnam esset. Et tamen hoc pacto, iuxta sensum quem ex B. Paulo volumus colligi, vt placeret Deo, se eousque demisit atque summisit, vt ea omnia faceret propter nos, quæ solent qui minores sunt maioribus exhibere. Ecce ipsemet prius hoc præceptum tradens dixit: Qui maior est vestrum, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nõne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. *Luc.22.* Ecce quomodo ipse Christus Dominus propter excellentissimam humilitatem suam & charitatem, superiores cæteros arbitratus est, nõ intellectus assensu, sed ipso facto præcingens se, seruiens & ministrans illis.

Non ergo docet nos Apostolus vt ignoremus scientiam, aut virtutes si quæ fortè nobis, quibus aliis præcellimus, in sint, dicamusque alios nobis præcellere, quos verè constat & fideli testimonio non præcellere? Tantum vult vt cum omni præcellentia nostra (quam tamen à Deo habemus) perinde nos geramus per humilitatem & charitatem erga proximos, ac si verè illi superiores essent. Imò verò ea consideratione secundum regulam spiritus reuera superiores existunt: quia dum illis seruimus, non illis seruimus, qui proculdubiò maior est omnibus. Cur ille (quæso) ministrauit nobis, & illo se pacto reddidit in terris minorem, nisi quia respexit in nobis Patrem, quem agnouit maiorem se, qua parte homo erat, & seruus ipsius? Ipse Pater de illo: Ecce, inquit, seruus meus suscipiam illum. *Esa.42.* Aut vt quidam significanter exprimunt, nitar in illo: Electus meus, in quo sibi complacuit anima mea.

Mitto hîc deceptiones quibus inuoluuntur multi, qui se præstantiores esse cæteris arbitrãtur. Quidam enim in scientia innituntur quę inflat, & qua

non placemus Deo. Sola charitas est qua placemus illi. Quis autẽ metiri ausit vel suã, vel alterius charitatem? Præterea cum verè quis tantus sit, quãtus est coram Deo, quis seipsum omninò nouit? Et quis etiam alterius causam, qualis sit corã Deo, diiudicare potest? Persequebatur Paulus ecclesiam qui vel eo tempore diligebatur hoc modo à Deo. Etenim Deus non tam respiciebat quæ ille admittebat, quàm quod eidem conseruabat propter prędestinationem. Quamobrem ab hoc iudicio debet homo abstinere, cum sit periculosissimum & solius Dei, cuius expectãda est aperta & firma sententia: tunc verè apparebit quis sit inferior, & quis superior. Hæc quæ prædiximus ipse B. Paulus in typo ipsius Christi quem mox subiunxit manifestissimè declarat.

Hoc tamen in loco monendus est lector, ne ob quorundam manifestè falsam & insanam doctrinam decipiatur, qui ad superandam omnino superbiam opus esse asserunt vt quis credat, & vt certissimum sibi constituat, se non solùm esse reuera omnium scelestissimum, sed esse propriè causam omnium scelerum, quæ commissa sunt ab initio mundi etiam ab ipsis dæmonibus, & quæ prętereà committentur vsque ad extremum iudicij diem. Hoc verò tantum paradoxum, indignum est vt rationibus refellatur, cum seipsum sua absurditate, quam præ se fert, ostenteret abundè atque damnet. Sed prosequamur typum nobis ab Apostolo in Christo propositum, ait:

Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Tãta est in his paucis verbis doctrina, vt ea satis sint ad perficiendum hominem, si in suum vsum & praxim redigeret. *Hoc enim sentite in vobis.* Græcè sentiat: & subintelligitur, quisque: eundem autem sensum porrigit, nimirum, *Quisque in vobis*, id est, quisque vestrum, *sentiat*, id videlicet in semetipso, *quod in Christo Iesu*, subaudi fuit, aut sentit, siue sentire debet. Quidnam est autem istud quod sentire debet homo in Christo Iesu, aut de illo? nempe: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, &c.* Quam huic sententiæ intelligentiam dederint alij communiter, cum sit iam vulgare, non commemorabo. Quę manifestè confundit Arrianos. Mihi tamen (vt verum ingenuè fatear) non facit satis: quoniam minus ad rem propositã facere videtur. Datur enim alius sensus qui itidem Arrianos iugulat, & mihi vehemẽter probatur, vt potè qui ad mẽtem ipsius Apostoli maximè quadret.

Pro cuius faciliori intelligentia cogitandum est Christi formam, quæ dicitur forma Dei, & forma serui, non accipi secundum eam partem qua erat Deus, sed secũdum humanitatem assumptam, quæ modo Dei formam modo serui exprimit. In Dei forma dicitur nũc esse Christus: quoniam vestem humanitatis quam induit, habet nunc sicut decet Deum gloriosam. Et in hoc habitu & hac forma viderunt eum tres illi præclari discipuli transfiguratum in mõte sancto. *Matth. 6.* Propter quod ait Dilectus: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti. *Ioan.1.* In forma autem serui fuit, cùm hãc nostram carnem assumpsit ab initio mortalem, corruptibilem & expositam cunctis huius vitæ necessitatibus ac miseriis. Hoc igitur sumpto, patere incipit Apostoli doctrina de Christo dicẽtis: Qui cùm in forma Dei esset, videlicet secũdum decretum Patris: quia in hoc erat prædestinatus, vt veniret gloriosus in gloriam nostram, secundum quam formam apparebat (sicut & erat) æqualis Patri, nisi peccatum intercessisset. Ipse tamen Christus nõ arbitratus est hanc rapinam, hoc est, summisit voluntatem suam Patris voluntati, qui voluit vt ad modicũ deponeret illas gloriæ suæ sibi debitæ vestes, & ita deponeret quodam modo illam æqualitatem, id est, habitum quo illa æqualitas indicabatur. Nam si aliter fecisset, non conuenienter exsoluisset quæ nos rapuimus. Et tamen ipse dixit: Quæ non rapui, tũc exsoluebam. *Psal.68.* Quid est quod rapuimus nos, nisi diuinitatem quam diabolo excitante patres nostri concupierunt? Et hanc ipse se exsoluisse ait Dominus, & non rapuisse. Verè non rapuit, qui habuit eam summo Dei dono & gratia. Et verè hanc persoluit, quando (vt iam diximus) illam quodam modo secũdum vestem deposuit, & indigno vestimẽto carnis nostræ contexit, cuncta extrema perpessus dum illum persequebantur eius inimici iniustè, & vsque ad infamiam crucis adegerunt. Hoc igitur pacto non rapuit, quin potius exsoluit eam pro nobis. Vt enim nos non habentes diuinitatẽ, & contra Dei voluntatem concupiscentes, illam rapuimus: sic ille cum haberet, & quodammodo deposuerit, non solùm eam non rapuit, sed eã propter nos impendit, quam tamen postmodo recuperauit: quia promeruit, vt eleganter Dilectus dixit: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. *Apoc.5.* Nam hæc omnia propter nos dimisit ipse factus infirmus, & insipiens, & imbecillus & inhonoratus, & inglorius. Et hoc est, quod ait Apostolus. Non est arbitratus hanc rapinam se esse æqualẽ. Fuisset enim rapina, si suimet gratia se ostentasset Deum, & voluisset in illis vestibus sese manifestare, qui habuisset præceptum à Patre, in opus redẽptionis nostræ, quæ hanc illius humilitatem requirebat: vt sicut nos optantes quod non erat nostrũ, amisimus omne donum: ita ille quod erat suum quodammodo abiiciens, & pro nobis exsolueret, & seipsum clarificaret in summum. Quod amplius declarans Apostolus ait:

Sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Exutus enim est forma Dei: quod fuit seipsum exinanire propriè, vt est declaratum. *In similitudinem hominum factus*, Non qui verè non esset homo, si consideretur natura quæ à Deo fuit, & mansit in homine etiam peccatore: sed quod non erat homo secundum naturam, quam homo ex peccato contraxit, sed similis homini secundum infirmitatem, & corruptibilitatẽ, & passiones, quibus propter peccatum subiectus est homo. *Et habitu inuentus vt homo*, id est, vt peccator similis nobis. Sic enim debuit nobis assimilari, vt nos in statum nostrum hac sua deiectione restitueret, qui per superbiam volentes illi similes fieri, statum nostrũ perdidimus. Sic per ea quæ peccauimus, conuerso modo, saluati sumus. Nos existentes in honore, sed non contenti nostra sorte, similes Deo esse voluimus. & cecidimus, & facti sumus iumentis insipiẽtibus similes. Ille autem cum similis esset Altissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo, similem se nobis faciens diluit peccatum nostrum: & hac via semetipsum extulit supra modũ, vt mox dicet:

Humiliauit semetipsum. Multi humiliãtur ab aliis, sed non humiliant semetipsos. Tales sunt Dæmones, & qui inuiti atque nolentes succumbunt potentioribus. Verum Dominus noster semetipsum humiliauit volens: imò etiam desiderãs facere voluntatem Patris: *Factus obediens vsque ad mortem*, inclusiue: quoniam ille nullo modo debebat mori, vt pote qui esset à peccato immunis. Accepit verò mandatum mortis, vt ipse dixit: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc. Ac si dixerit manifestius: Eamus ad mortem, & ego ero primus. *Mortem autem crucis*, Infamem, plenam doloribus, & latronibus ipsis conuenientem: quales eramus omnes nos qui rapuimus sed ipse pro nobis exsoluit.

Ioan.14.

Propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Hoc est illud nomen, Iesus, quod significat Saluatorem. Hoc nomen in absoluta significatione, in qua illud capere oportet, diuinum est, hoc est, nulli in veritate conueniẽs nisi Deo soli. Hoc tamen nomen lucratus est Christus per agonem suum, & mortis celeberrimum triumphum, ita *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, vel se flectat, *cælestium, terrestrium, & infernorum.* Sed quinam sunt cœlestes isti, nisi spiritus illi Angeli beati, quorum patria cœlum est? Ipsi enim in cœlo & simul cum ipso cœlo sunt conditi ante omnem diem. Et ipsi in hoc nomine, Iesu, tenentur genu flectere: tum quia, vt communis sententia est, ipse Iesus est illorum Dominus: Tum verò quia etiam Angeli (vt ego credo) suam salutẽ Christo referunt acceptam. Ipsi nanque vt scripturę sanctæ videntur non obscurè porrigere, mandatum acceperunt ab initio de Christo vt susciperent illum, & adorarent. Quicunque igitur obedientes fuerunt, in hoc nomine etiam genu flectunt: quia Christus est Iesus eorum. Et quicunque respuerũt eum, itidem genu flectunt: quoniam (quod pertinet ad Deum) ipsi quoque in hoc nomine saluati fuissent, si non recusassent.

Angeli per Christũ saluati facti.

Et omnis lingua confiteatur, tam angelica, quam humana: *quòd Dominus Iesus Christus* (subaudi) *est*, id est ipse absolutè ac simpliciter est Dominꝰ. Nec tamen propterea aufert suam Patri Dominationem sed magis statuit. Quod enim Iesus sit Dominus, à Patre habet. Vnde ait Apostolus: *In gloriam Dei patris*, sic habet Græca lectio. Vulgata autem editio habet: *In gloria est Dei Patris.* Et sensus est clarus & verus. Præferendam tamen arbitror Græcam lectionem, vt quæ sensum ministrat longè elegantiorem. Quod scilicet omnis lingua confiteri debet Iesum absolutè Dominum. Hoc autem in gloriam Dei Patris, vnde origo est & principium omnis principatus, & dominationis, & potestatis.

Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis, non vt in præsentia mea tãtùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestrã salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriã meam in diem Christi: quia nõ in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

Quod legimus, *Charissimi mei*, Græcè legitur, ἀγαπητοί μου, id est, dilecti mei. B. Hieronymus tamẽ plus aliquid significare ait vocem hanc Græcam, quàm, *dilecti*, & includere meritum dilectionis, eò quòd sint insuper diligibiles, non solùm dilecti. *Sicut semper obedistis nõ vt in præsentia mea tãtùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum timore ac tremore vestrã salutem operamini.* Magna in præcepto hoc cõcluditur doctrina ad vitam rectè ac sanctè degendam. Inuitat illos primùm vt operentur sibi suam salutem. Quid hic mutire illi possunt, qui negant liberum arbitrium, & opera bona esse nostra: aut nos posse bonum vllum operari, sed sine nobis omnia agere Deum in nobis? Si nihil operamur, sed solùm habemus nos passiuè excipientes in nobis Dei operationem: aut si sumus velut insensata instrumẽta, cur præcipitur nobis vt operemur? Sed hæc hæresis amentium est penitus: & tanta, in qua defendenda nemo queat consistere, quando sibi etiam aduersetur, dicendo multa, & opere faciendo, quæ oppositam veritatem perspicuè supponunt.

Insana hæresis Luth. in liberum arbitrium.

Secundo, modum operandi exponit Apostolus, nimirum, *cum timore ac tremore*, Timor est malorum futurorum, & ad animum pertinet: Tremor ad corpus. Porrò cum innumera sint mala quę possunt hominibus obuenire, videdum est de quibus malis hoc præceptum intelligatur. Primùm sunt mala quæ à mundo nobis inferri possunt, id est, à mundanis hominibus, qualis est mors, exiliũ, proscriptiones, bonorum direptiones, infamia, carceres, & alia huiusmodi. Verùm hæc timenda non sunt, nisi quatenus à Deo veniũt ob culpas & peccata nostra. Iussit enim Dominus in euangelio ne hæc timeremus. Est aliud malũ quod ab ipso Deo potest nobis inferri non tãtùm in hoc sæculo, verùm etiam in futuro: & hoc maximè timendũ est. Vnde Dominus de malis à mundo inquit: Nolite timere eos qui occidũt corpus: animã autem non possunt occidere. Et de malis pœnarum & supplicij cõfestim subditur: Timete eũ qui potest & animam & corpus perdere in gehennem. Vnum autem malum est, & omnium malorum pessimum, & illud est peccare, quia est contra Dei mandatum. Istud est verè summum malum, & summè timendum. Alia mala propter hoc timenda sunt, à quo trahunt originem. Hũc timorẽ exigit B. Paulus à nobis, qui à virtute est & charitate. Alij omnes timores natura proficiscuntur, & possunt esse mali. Certè semper sunt mali timores, si hũc timorem peccandi non habeant comitem, sed excludant. Hic timor est qui seruat hominem à peccato immunem. Ideo B. Paulus alias monebat: Tu qui stas, vide ne cadas. Vbi deest hic timor, cessat oratio: cessãte oratione homo mittitur in tentationem. Deus autem meritò deserit non timẽtem, sed superbè in seipso confidentem, aut stultè confidentem in sola fide. At derelictus à Deo, non potest non succumbere tentationi. Hac succubuit Petrus incauta audacia, qui confisus est in seipso.

Matth.10.

De timore christiano.

Rom.11.

Hoc igitur loco oppugnatur illa nimia hæreticorum confidentia, qua abiiciunt hunc sanctum offensæ Dei timorem. Illi enim in sola fide innitẽtes, & in ea libertate qua confidunt se liberos ab omnibus præceptis legis, non possunt venire in hunc timorem. Vbi lex non est, nec præuaricatio est: quanquam nec in hac positione constantes sunt, nec quidem esse possunt, tam est absurda, & ita pugnat cũ ratione. Id vel ipsemet Lutherus sæpenumero fatetur in suis commentariis ad Galatas. Hoc item in loco probatur contra negantes, nos esse nostræ salutis operarios, sicut alibi Dominus dixit: Operamini vobis cibum qui non perit. Hinc rectè elicitur meritorum ratio. Certum est enim opera nostra non posse nobis, in vinea, ad laborandum conductis, parere salutem, quæ est in manu Dei, nisi per viam meriti.

Contra cõfidẽtem in seipso.

Contra hæreticos pro bonis operibus.

Ioan.16.

Sed reperiuntur qui ad hoc respondent, aiẽtes ab ipsomet Apostolo sententiam declaratam, qui subdidit: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Ecce, inquiunt, quomodo mereris tu pro eo quod facit Dominus? Si enim Dominus operatur in me illud velle, & illud perficere, qua fronte tu & vnde merita tua fingis?

Audi & tu bone vir. Dic, rogo, nobis econtrariò: Si Deus solus operatur in nobis velle & perficere: quid est ergo quod B. Paulus subet vt operemur? An fortè corrigit dictum suum per hoc quod subiunxit: Deus operatur? Absit. Etenim nec verba fauent, nec vmbra veritatis vlla apparet.

Operamur ergo salutem nostram nos, volendo & faciendo quæ sunt nobis præcepta: quamquam Deus operetur in nobis & velle & perficere, hoc est, quanquam ipse Deus operetur vt velimus illuminando, mouendo, trahendo suauiter. Nos tamẽ sumus qui volumus, cum possemus plerunque non velle. Nam esse reuera multos qui nolint & recusent, manifestum est. Vnde per Ezechielem ait Dominus: Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et nos sumus qui facimus & perficimus, sed Deo ipso cooperante & adiuuante tũ per gratiam ipsam internam, quam donauit: tum etiam per externa multa auxilia. Et sic ipse operatur vt nos operemur. Hoc per eundem prophetã dixit: Et auferam cor lapideum de carne vestra: & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Vide igitur quomodo Deus operetur in nobis, vt tamẽ & nos pariter operemur. Operatur enim aliquid ille in nobis sine nobis, vt cum vocat, cum excitat. Nos autem sine illo & gratia eius siue interna, siue externa nihil penitus. Oportet enim cum concurrere saltem generali auxilio: sed ad opus verè bonum etiam auxilio speciali, de meritorio nemo dubitat. Apostolus, Deus (inquit) est qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate. Ac si dixerit: Nemo extollatur, nemo infletur, sed timeat: quoniam non est ipse per se potens, sed à Deo habet non solùm vt valeat operari, verùm etiam vt operetur præueniente gratia & concomitãte. Deus autem superbis, & de se superba præsumentibus resistit, qui contrà humilibus dat gratiam.

Ezech. 18.

Ibid. 36.

Hic tamen Bullingerus ait: Significatur ergo quòd velle & perficere nobis à Deo donẽtur pura Dei gratia, & nullo nostro merito. Non enim nos illum dileximus, sed ille nos dilexit prior, & tradidit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris: hæc ille. Tu verò acutè lector attẽde & distingue. Verum est enim nos primam gratiam nullo nostro opere promereri posse. At postquam illam iam merè gratis obtinuimus, mereri possumus eius augmẽtum, & operum, quæ cum illa nobis donata gratia fecerimus, mercedem. Vide ergo ne decipiaris. Posteriora enim illius verba inania prorsus sunt aduersum nos, qui insolentissimè addit: Miror autem quid ad hæc respondere possint, qui sua vẽdunt merita. Tametsi enim mercedis & meriti voces reperiantur in scriptoribus classicis, attamen ipsum meritum nostrum gratia est. Quid enim habemus quod non acceperimus? Quòd si omnia à Deo bona accepimus, quid gloriamur de quibusdam quasi nostris? Si à Deo illa non sunt, sed à nobis, certè bona non sunt. Si mala sunt, nullum ipsis debetur premium, nisi execratio. Hęc verò est egregium illud meritum de quo gloriantur, qui sine Deo vires humanas prædicant. Hæc istius verba quæ nihil contra nos. Non enim meritum nostrum tollunt, imò statuunt, cum dicant venire à Deo, & Dei gratia. Hoc & nos dicimus. Cur igitur nos tantopere auersantur, qui merita ex gratia Dei facta, ad gratiæ commendationem prædicamus, nisi quòd ipsi inconstanter & confusè loquũtur? quasi homo in Christo, adhuc peccator inueniatur. At hoc Apostolicæ aduersatur doctrinæ, vt superius ad Galatas copiosè annotauimus loco suo. Sed ad rem nostram.

Pro bona voluntate. Sensus est, Deum pro sua bona voluntate, id est, gratiosa voluntate, operari in nobis & velle & perficere. Ipse enim nulli tenetur obligatus. Et dum meritum constituit, gratiosè illud constituit. Meritum enim nostrum tale est, vt eius gratiæ non præiudicet, cum ipsius meriti radix sit gratia. Nam sua se sponte debitorem gratio se constituit, vt cũ meritò viuat gratia, & per gratiam viuat meritum ad gloriam.

Sine murmurationibus & hæsitationibus: melius, discrepationibus. Murmuratio in eam significationem, quam accipiunt frequenter in ipsa scriptura, iniusta, & priuatim hâc illâc effusa querela contra superiores, quæ non secus Deo displicet, ac si directè in ipsum fieret. Moses increpabat populum. Quid obiurgamini, ait, contra me? Cur tẽtatis Dominum? Prohibet autem discrepationes, quia auersantur paci. *Vt sitis sine querela.* Ille enim sine querela est, qui nihil mali agit, & mala sustinet patienter, *Et simplices*, siue synceri, non duplices animo: *Si*

Exod.17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lij Dei, hoc est, pacifici, & benefici erga omnes, sicut dixit Dominus: Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. *Sine reprehensione*, siue irreprehensibiles, *in medio nationis praua, ac peuersa*. Nã quatò hoc difficilius, tantò admirabilius & præclarius. Vnde ait: *Inter quos lucetis tãquam luminaria in mundo*, hoc est, in tenebris. Etenim mundus ipse nisi illustretur lumine, tenebris est per seipsum oppletus. *Verbum vitæ continẽtes*. Hic est Christus lux mũdi, quo authore & largitore prodeunt opera egregiè illustria. Qui verò in se lucem continet, opera ipsius lucis operatur tanquam filius lucis. *Ad gloriam meam in diem Christi*. Expectabam dictum iri ab Apostolo, eo modo quo Dominus dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent (inquit) Patrem vestrum qui in cœlis est. Dicit autem, *ad gloriam meã*, Quærebat ergo gloriam suam B. Paulus? At hoc vituperat Dominus. Respõdeo: Iam de gloria Dei frequentissimè mentionem fecerat, quæ erat omnium finis: hîc tantum gloriam suam quærit non in hoc mundo, sed in die Christi. Hanc nobis omnes quærere ex benefactis deberemus. Nam ad Rom. de retributione in illa die, ait: Qui reddet vnicuique iuxta opera sua: iis quidem qui per patientiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Notandum interim hoc in loco, quàm magni sunt coram Domino futuri, qui alios instruxerint. Hoc pollicitus est ipse Dominus: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Et apud Danielem: Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates: quod post gloriam Dei valdè est in Domino concupiscendũ, atque persanctè æmulandum.

Matth. 5. Ibid. 5. Rom. 2. Dan. 12.

Quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Vbi etiam illud considerare debemus, quod licet omnino B. Paulus de suo cursu & labore esset, remunerandus, tametsi in vacuum quantũ ad duritiem audiẽtium attinet, cucurrisset ac laborasset, fit tamen aliqua gloriæ maioris accessio, cum effectum suum consequitur labor & cursus, qui in die Christi coram omnibus apparebit. Non enim vsque ad illum diem erit definitum, quot animabus ad salutem profuerit. Eadem ratione de flagitiosis hominibus, & hæreticis in primis statuendũ, qui ante illum diem non sunt habituri integrum suorum pestiferorum dogmatum supplicium æternum. Nam omnia damna ac detrimenta quæ propter illos patitur & patietur ecclesia, in eos reuoluentur, quorum luent pœnas in æternis vinculis ac cruciatibus. *Sed etsi æmulor*. Vitio scriptorum, nõ ipsius interpretis, repositum est, *æmulor*, loco, *immolor*, *Super sacrificium & obsequium fidei vestræ*, Græcè, super hostia, siue oblatione fidei vestræ, *Gaudeo & gratulor omnibus vobis*, sensus est: Beatus Paulus hoc suum ministerium prædicationis per quam acquisiuit multas Gentes Christo, & inter illas præcipuè Philippenses qui crediderunt in eum, vocat liturgiam quandam, id est, oblationem & sacrificium. Sacrauit enim illos & obtulit Deo, & vocauit oblationem & sacrificium fidei: quia per fidem mũdificati sunt & sacrati Deo nostro. Et addit: Quòd si præter hoc, aut super hoc sacrificio etiam immolor, id est, mortem oppeto & occumbo, me ipsum Deo offerens & sacrificãs in martyrio, *Gaudeo & congratulor omnibus vobis*: quia propter vestram fidẽ immolabor. *Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi*. Vt gaudium plenum sit: quod tum perficitur, cum gratulatio mutua est, & causa lætitiæ & gratulationis digna adiungitur.

Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos, vt & ego bono animo sim cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui syncera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes.n. quæ sua sunt, quærunt: non quæ sunt Iesu Christi. Experimẽtum autem eius cognoscite: quia sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò. Necessarium autem existimaui, Epaphroditum fratrem & cooperatorẽ & cõmilitonem meum, vestrum autem Apostolũ, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos desiderabat, & mœstus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius. Nõ solùm autem eius, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinãtius ergo misi illum, vt viso eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote: quoniam propter opus Christi, vsque ad mortem accessit, tradẽs animã suam, vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

Facilis est textus. Hoc notandum, ad maximam Timothei laudem pertinere, cui reddit testimonium Apostolus, neminem se habuisse tam vnanimem ad opus euangelij exercendum, & ita erga Philippenses solicitum: & addit rationem,

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Mirum tanti viri de his qui secum erãt testimonium. Id fortè eo tempore accidebat, quum viri strennui non essent cum illo. Testatur enim ipse in suã prima defensione neminem sibi affuisse. 2. Tim. 4.

Illud expositione dignum. Quidnam sit, *quærere quæ sua sunt*, Profectò non aliud quàm diligenter curare propria, & nihil eorum quæ sibi debentur prætermittere. Hoc autem nimium est & malum, cum propter propria, ea quæ sunt Iesu Christi relinquuntur. Erit, exempli causa, subditus qui spernit Principem, aut Præsidem suum. Malè facit, qui quod debet non impẽdit Principi, aut Præsuli suo. Indignatur ergo Princeps, aut Præsul, & ea repetit quæ sibi debentur, honorem, reuerentiam, obedientiam: hactenus quærit quæ sua sunt. Id autem non est iniurium, nisi simul dimittat aut postponat *Quærere quæ sua sunt.*

riat quæ sunt Christi: vt cum debetur Prælato, aut Principi honor, reuerentia, obedientia à subdito: Et ipse debet subdito clementiam, benignitatem, cõmiserationem. Hæc quæ debet subdito, debet Iesu Christo. Si igitur quærit quæ sua sunt, his omissis quæ sunt Iesu Christi, vitiosè agit. Et econuerso cum subditus à Prælato quærit commiserationem, clementiam, benignitatem, & huiusmodi, non paratus reddere quæ inuicem illi debet; quem loco Christi obseruare tenetur, pariter vitiosè agit quærẽs quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Qua enim fronte exigit homo quæ sua sunt, non reddens ipse; aut reddi non curans, quæ sunt Iesu Christi? Quomodo verò istud obseruetur, me dicentur quos hic sermo tangit. *Experimentum autem eius cognoscite: quia sicut patri filius*, aut vt in Græca lectione habetur, sicut cum patre filius, *mecum seruiuit in euangelio*. Non dixit, mihi seruiuit, sed mecum: quia ambo serui Iesu Christi erant. Sed B. Paulus in eo negotio erat vt pater, instructor, atque admonitor illius. Cætera clara sunt. Vnũ tantum aduerte, vbi legimus, *Quoniam & ipse veniam ad vos citò*, Quidam legunt, veniet, sed male & corruptè. Nam Apostolus de seipso loquitur, qui sperat se aliquando, si Domino ita placuerit, redituru ad illos.

Necessarium autem existimaui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, &c. Nulla apparet in littera difficultas, sed clara sunt omnia, vt expositione non egeant. Solùm ex hoc loco admonendi sunt populi & congregationes, vt spectatos viros Dei seruos, ministrosque verbi & sacramentorũ excipiant honorificè, & in pretio habeant, præsertim qui propter opus Christi vitæ dispendium minime curant, vt de hoc Epaphrodito testatur Apostolus noster. Taxat verò obiter quosdam qui negligentiores fuerunt in obsequio, seu officio pio erga seipsum: quorum negligẽtiam suppleuisse illum Epaphroditum testatur. Hoc vitio tenetur hodie totus ferrè populus christianus, qui non æstimat laborem eorum qui in prædicationibus & sacramentorum ministratione assiduè inseruiunt. Sed Deus ipse tandem aliquando seueriorem rationẽ istius ingrati animi exiget. Et eos qui laborauerint cumulatissimo præmio in futura sempiterna quietæ cum beatis illis angelicis Spiritibus donabit.

CAP. III.

DE cętero fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem nõ pigrum, vobis autem necessarium. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circũcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes, quanquam & ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circuncisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus: secundum æmulationem, persequens Ecclesiam Dei: secundum iustitiam quæ in lege est, conuersatus sum sine querela.

BEatus Paulus hactenus hortationibus Philippenses in fide confirmauerat: quasi autem iam nihil scribẽdum superesset, ait. *De cetero fratres mei, gaudete in Domino*. Meo quidem iudicio hæc verba pertinent ad superius caput. Et hinc incipere debuit caput tertium. *Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium*. Græcè ἀσφαλές, id est, tutum & necessarium ad cauendum. Hic locus aduersus eos facit, qui ita delicatas habent aures, vt sit illis graue vel ea audire, vel ea repetere, quę semel aut etiam iterum dicta fuere. At cum necessitas & salutis lucrum compellit, opportunum est citra vllum tædium seu fastidium imò cum aliqua auiditate, capere vel loquendi, vel audiendi curam vel decies repetitam.

Videte canes. Quod ait, *Videte*, positum est pro cauete. Monet enim vt videant ad cauendum. Canes autem vocat hîc Iudæos pseudoapostolos, quos excitauit diabolus contra Christũ, sub eius tamen ficto pallio incedentes.

Quare autem canes, nisi quia quod in Christo erat sanctificatum, pollutum faciebant? Aut enim reuertebantur ad vomitum sicut canes, recedentes à sancto, quod semel receperant, mandato: Aut detrahebant veritati, & hominibus veritatem prædicantibus, vt erat B. Paulus, mordendo ac lacerando. *Videte malos operarios*. Mali operarij sunt, qui nedum ipsi non ædificant, sed etiam destruunt. *Videte concisionem*, id est, schisma & secessionem. Alludit ad veterem circũcisionem, quæ erat causa concisionis illius.

Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu seruimus Deo. Diuersæ sunt ex Græcis codicibus lectiones. Alij legũt, *Spiritui seruimus Deo*, quod significat Spiritum sanctum esse Deum. Alij legunt, *Spiritu Dei*. Alij, *Spiritu Deo seruimus*, Quicquid sit, sensus est certus. Vera circuncisio, quæ est circuncisio spiritualis, seruit Spiritui sancto Deo, & ipso Spiritu mouente qui est Spiritus Dei, seruit ipsi Deo. Potes tamen si legas, *Spiritu Dei*, vel de Spiritu qui est illa tertia persona intelligere, vel simpliciter de Deo, qui spiritus est. Per circuncisionem verò non intelligit carnalem illam, sed spiritualem circuncisionẽ, quæ per Spiritum fit, id est, per infusionem gratiæ, qua aufertur peccatum, & redditur homo habilis & idoneus ad seruiendum Deo. Et quicunque tales sunt, vera circuncisio dicuntur, & semen Abrahæ. Scriptum est enim: Semen Abraham serui eius: *Et gloriamur in Christo Iesu*, non in Abraham & Mose. Nos enim per Christum accepimus spiritum, non autem per Abraham aut Mosen, qui & ipsi Christi gratia eguerunt. Hoc explicat subdens: *Non in carne fiduciam habentes*. Et vt fortius persuadeat, ostendit non se hæc repudiare tanquam ipse non posset confidere in carne, cum esset Iudæus. Verùm loquatur ipsemet potius. *Quãquam*, inquit, *& ego habeam confidentiam in carne*, hoc est, Habeo multa, vnde possem confidere in carne. Psal. 104.

Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, scili-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cet habeo ad cõfidendum. Et explicat rationes gloriationum, *Circuncisus octauo die*, iuxta præceptum Abrahæ datum, & secundum legem Moseos, *Ex genere Israel*, non proselytus. *De tribu Beniamin*, quæ nobilis erat & coniuncta Iudæ: & sancta ciuitas Ierusalem erat sub ea tribu. Nec solum *hebræus* ex patre, sed *ex hebræis*, id est, patre & matre. *Secundum legem Pharisæus*: vt indicaret sectam pharisaicam secũdum legem fuisse probatam. *Secundum æmulationem, persequens ecclesiam*. Vocat æmulationem illum zelum excitatum in illa generatione ex affectu carnis contra Christum & eius ecclesiam, alludens ad Agar & Ismael, qui contemnebant Sara & Isaac. Figura enim erant illius persecutionis Iudæorum, quæ tunc vigebat aduersus ecclesiam: & hoc plurimum attinebat ad gloriationem carnis.

Secundũ iustitiam quæ in lege est, conuersatus sine querela. Caue, lector, putes (licet aliqui ita exposuerit) B. Paulum asseuerare se omnino secundum legem fuisse cõuersatum, qui contra legem persecutus erat Christum in ecclesia sua: sed hoc tantum voluit significare, se non fuisse vnquam sub vlla iudiciorũ legalium querela. Non enim fuit accusatus furti, aut adulterii, seu cæterorum criminum quæ lege puniebantur. Contra autem, caue existimes (vt quidam tamen dixerunt) similiter dictum fuisse de parentibus Ioannis Baptistæ, de quibus ait B. Lucas:
Luc.1. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Nam B. Paulus hic non testificatur se iustum ante Deum, vt qui ambulasset in omnibus mandatis & iustificationibus Domini: Imo de se palam oppositũ prædicauit. Et ad Ephesios se cum Gentibus componens, seruisse quoque cogitationibus carnis in suo Iudaismo confiteetur.

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verũtamen existimo omnia detrimẽtum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam: vt inueniar in illo non habens meã iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius configurati morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Nõ quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim. Sequor autem si quo modo cõprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.

Sed quæ mihi fuerunt lucra, &c. Lucra vocat illas carnis glorias. Sic enim illi videbatur antequam lumen acciperet in baptismo. Nouit autem postmodo ea omnia esse detrimenta, & ita reuera iudicauit: quoniam illa erga carnem affectio aduersabatur Christo, qui præferendus erat omnibus huius sæculi dignitiis & honoribus. Hoc latius explicat, aiens: *Propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei*. Siue, propter eminẽtiam cognitionis Domini mei. Sẽsus est: In notitia quam de Christo habuit, cuncta illi apparuerunt esse damna: quoniam obstabant acquisitioni regni Dei, quod est Christus. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror esse stercora*, quæ putent naribus Angelorum & Sanctorum. *Vt Christum lucrifaciam*. Si enim fallacem propter Christum istam mundi gloriam conculcauerimus, manebit nos vera & sempiterna cœli gloria. *Vt inueniar in illo*. Quicunque lucratur Christũ, inuenitur in illo eius membrum, vt tãdem regnet cum capite.

Non habens meam iustitiam quæ ex lege est, &c. Hoc in loco triumphat & exultat magno verborum apparatu hæreticorum oratio, vt quem iactitent aduersum nos ad stabiliendam illam, quam sibi finxerunt, Christianam iustitiam, non intelligentes, aut longè verius intelligere nolentes, se vel ex hoc loco propriè confutari. Attende pie lector, ne fortè videri possint aliquid ad suasionem dicere. Homo in primis qui inuenitur in Christo vt membrum eius, consideratur factus & insitus in illo per coniunctionem & nexum spiritus. Oportet enim ex eius plenitudine accipere, vt quis inueniatur consors diuinæ naturæ. Consideremus ergo quid sit illud quod accipimus, & per quod inuenimur in illo: profecto non est aliud quàm iustitia. Si enim iusti sumus coram Deo, filij Dei sumus, & hoc per ipsum. Verùm cum duplex sit iustitia, Quædam quę ex viribus nostris & lege monstrante & cogẽte comparatur: Quædam verò non ex lege, sed ex fide, operæpretium est discutere, quænam harum nos coram Deo iustificet, vt Christum lucrifaciamus. Certè illa iustitia quæ est ex propriis viribus & ex lege, non iustificat: nec potest quidem iustificare coram Deo. Quamobrem? Quia non est vera iustitia, sed apparens. Cur nõ vera? Quoniam non renouat intus hominem: sed eundem sinit esse qui prius erat, iniustum & peccatorem, hoc est, pronum ad omne malum. Et propterea non potest placere Deo, qui nõ videt in eo insignia imaginis suæ: aut si illa quidem videt, maculata ac fœdata videt. Ob eam causam siquid facit homo in hoc statu secundum mandatum legis, non facit illud ex fide & charitate: sed vel ex timore, aut ex pudore & amore gloriæ mundi huius. Itaque non est verè coram ipso Deo bonum, sed solùm coram hominibus, qui vident ea quæ apparent: que autem interna sunt, in ea penetrare non possunt. Igitur B. Paulus floccifaciebat hanc humanam iustitiam, & eam quæ erat ex lege. *Non habens meam iustitiam*. Egregiè dixit, *meam*, quæ ex viribus nostris venit. Et adiecit, *quæ est ex lege*, videlicet minitante, aut etiam temporalia præmia pollicente.

Locus in hæreticos quo tamen abutuntur in nos.

Est ergo alia iustitia quæ valet coram Deo: & hæc dicitur esse ex fide, vtpote quæ per fidẽ cõparetur. Hæc iustitia in corde nostro est illiq; inhæret, & mentem renouat: ad cuius aduẽtum recedit peccatum, id est, macula illa, quæ à peccato ex priuatione gratiæ ac iustitiæ resultat, & imaginẽ Dei viuam & pulchram restituit. Hæc iustitia desuper

descẽdit: nec est aliud quàm eximiũ illud donum, quod tantopere extollit Apostolus, & prædicat æmulandum, nempe charitas. Hæc est quæ facit hominem approbare legem Dei, & condelectari in illa secũdum interiorem hominem. Hæc facit hominem operari libenter, strenuè: non timore, non ad oculum, non ex pudore, aut gloriæ humanæ cupiditate more mercenariorum turpium, qui præferunt terrena cœlestibus. Hæc est illa iustitia quam B. Paulus habebat chatissimam, & de qua gloriabatur in Domino. Vnde repudiata illa iustitia quã potest lex externa in nobis producere, quæ meritò stercqri cõparatur & panno menstruatæ, addit:

Sed illam quæ ex fide est Iesu Christi. Non intelligas illam quæ est Christi Iesu, vt hæretici intelligunt, sed illam quæ est ex fide Christi Iesu, id est, ex fide qua creditur in Christum Iesum venit, & inserit tur in corde nostro, reputante Domino Deo illam credentis fidem ad iustitiam. *Quæ ex Deo est*, non humanis viribus comparata, sed è cœlo veniens, iustitia infusa. In fabulis quõdam poetarum latebat nescio quid Theologicæ veritatis ex vetustis (vt facile crediderim) traditionibus profectũ. Dicebãt enim Astream, id est, iustitiam è terris exulasse, & in cœlos euolasse. Verè exulauit, sed ab initio: quam iterum oportuit redire in terras, sicut
Dan.9. ex Prophetis apparet: Daniel dixit, Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populũ tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna. *Iustitiã in fide*, id est, illam iustitiam, cuius fundamẽtum & radix est fides. Nam sine fide iustitia illa esse non potest. Quòd si quis dicat, quid hic agit ipsa fides? Respondet Apostolus, & ait:

Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius. Ecce quid operetur fides, quo incẽdatur charitas, nempe notitiam Christi. Quid est notitia Christi, nisi notitia dilectionis diuinæ ac paternæ? Audi Dilecti testimo-
Ioan.3. nium: Sic Deus dilexit mundum, ait: vt Filiũ suum Vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quis tanta dilectione prouocatus non accẽdatur, si qua in eo fuerit charitatis scintilla? *Et virtutem resurrectionis eius*: quæ patet nunc in suis effectibus. Fecit nos resurgere à peccato, vt possimus persuasam habere virtutem eius perfectam. Nam & nos similiter resurgemus in corpore glorioso, sicut iam resurreximus mente à morte peccati. *Et societatem passionum eius*. Notitia societatis passionũ, est notitia illa qua edocemur: Si compatiamur illi in hac vita, conglorificabimur in futura. Qui igitur habet hãc iustitiam
Luc.24. in hac fide fundatam, iam cõformatur & configuratur ipsi Christo in morte, qui innocẽs passus est: & ita oportuit fieri decreto Dei Patris, vt sic intraret in gloriam suam. Ait ergo B. Paulus se habere illam iustitiam & notitiam fidei, *configuratus morti eius*.
Ioan.12. O fœlicem configurationem, ex qua oritur illa
2.Tim.2. perfecta resurrectio. Granum enim frumenti ante quam fructum faciat, oportet in terram cadere & mori. Hic est fidelis ille sermo: & minime fallax ad consequendam veram salutem doctrina, qua dilectum discipulũ Timotheum instruebat. Fidelis, ait, sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & corregnabimus: si negauerimus & ille negabit nos. Non est enim dignus regnare cum capite, qui labores, afflictiones, opprobria, & mortem denique ipsam, si quãdo res fidei ita postularet, non vult perpeti cum capite. Hanc configurationem rectissimè omnes Sancti intellexerunt, & amauerunt, & ipso vitę tenore in seipsis exprimere studiosissime sunt conati. Hanc hæretici non solùm non æmulãtur, sed delere falsis dogmaribus assiduè niturtur: vt iã rarissima appareant inter Christianos Christi vera membra. Sumus natura ad delitias propensissimi & voluptates, quarũ impetus & veluti ignis dũ rigore vitæ & pœnitentiæ luctu deberet extingui, contrà Lutherani exuscitant, & oleum peccatoris addentes impinguant capur præuaricantium. Non est verorum Christianorum ista configuratio, sed corũ qui volunt huic sæculo (quod vetat Apostolus) cõformari. Elegantissime à B. Bernardo & verissime dictũ est: & hoc in cordibus nostris insculpi deberet, & omnibus locis ad pietatem promouẽtibus literis aureis scri- B. Bernardi aurea sententia.
bi: ait Deuotissimus Abbas, NON DECET SVB CAPITE SPINOSO MEMBRVM FIERI DELICATVM. O fœlicem, inquam, cõfigurationem, nũquam gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Hæc est quæ præparat hominem ad illam fiduciam quam Apostolus subiungit:

Si quomodo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Vtitur proprio verbo, *occurram*, Illa siquidem die veniet Sponsus & Sponsa, & nos oportebit omnes prodire illi obuiam. Quod verò ait, Si quomodo occurram, non est dubitãtis verbũ, sed modestè de se loquentis. Nemini enim dubiũ esse debet, configuratum morti Christi, configuratum iri vitæ eius quæ est æterna. In eo esse dubitatio potest, quandoquidem illa configuratio Christi in hoc stadio & cursu potest cessare per negligẽtiam & ingratitudinem. Res est admodum ardua, vbi iam nõ suscipitur aduersus carnem & sanguinem colluctatio: sed aduersus principatus & potestates, &c. Loquitur ergo de re ardua. *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim*. Ex verbis superioribus absq; dubio nõ poterat accipi illũ esse cõsummatũ, cũ diceret se expectare donec occurreret ad illã resurrectionẽ, qn̄ futura est vltima cõsũmatio.

Sed aduertẽdum est, duplicem esse hominis consummationem. Prima est, quæ fit explero huius vitæ cursu quando anima coronabitur. Altera verò, hic tãtisper manet, dum liceat recipere cõsummationem perfectã in corpore. Quam nondum erat assequutus, & de qua non loquitur Apostolus. Apparebat enim satis illum tunc non hac consummatione fuisse perfectum, qui stigmata assiduè portabat pro Christo plenus doloribus & afflictionib̃. Sed loquitur de priore cursus sui in hac vita cõsummatione, ne quis crederet illum perinde esse perfectũ, ac qui mortui sunt, qui certo certius nihil aliud expectant, quàm glorificationem corporis, secundum animã perfectè iam beati. Poterat enim hoc fortè suspicari quis de B. Paulo, qui tanta operabatur & sustinebat. Ille autẽ ne quis erraret, id prorsus negat. *Non quòd acceperim*, videlicet primã stolã securus de altera, *aut iam perfectus sim*, sicut qui dormierunt. Ego enim sum adhuc in cursu positus, ad coronam per varios sudores & labores aspirans.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequor autem si etiam comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Sequor, inquit. Quem sequeris B.Paule? Illum qui dixit: Qui sequitur me non ambulat in tenebis. Quò autem vadit ille? Va-
Ioan.8. dit Romam iterum pati. Ipse iamdudũ præcessit, nobis relinquens exemplum. Sequor igitur & ego. Sed cur sequeris? Vt comprehendam. Quemnam comprehendas? Ipsum Christum. At quomodo comprehẽditur Christus? Perseuerãtia in cursu vsq; ad finem eius. Tùm demum ab his cõprehenditur qui fideliter eum sectati fuerint. Cursus autem eius finiuit in morte: tunc igitur comprehenditur. At quo pacto? eo scilicet quo ego comprehensus sum ab ipso. Comprehendit Dominus Iesus Paulum, cùm illum persequebatur. Christus sequebatur Paulum, vt eum comprehenderet, & ille fugiebat: cõprehendit tandẽ, & lucratus est eum. Quonam pacto? Patiendo, moriẽdo in cruce. Tũc enim traxit ad se omnia, & cõprehendit Paulum Iesus Nazarenus, quem persequebatur Paulus. Sic igitur debuit comprehendere Christũ Paulus qua si fugientem, & euntem ad mortem duram: & nos omnes similiter, vt cingamur & ducamur quo minimè vellemus. Multi fugiunt, & non comprehendunt: quia non imitantur Dominum nos eo pacto comprehendentem. Multi alij penitus non sunt idonei, qui nedum Christum non sequuntur, sed se
Ioan.8. se illi vocanti opponunt, quãles erant illi Iudæi in quos Dominus: Ego vado, inquit, & quò ego vado, vos non potestis venire. Tales nunquam comprehendent. Alij verò aliquo tempore nõ sunt ad huc ad tantã cõprehensionem idonei. Tales erant discipuli Domini, quibus non dixit simpliciter & absolutè: Quò ego vado nõ potestis venire: sed dixit: Non potestis venire modò, innuẽs eos postea
Ibid.13. venturos. Nam & clarè ipsi Petro declarauit: Sequeris autem postea. Beatus autem Paulus sentiẽs in se diuinam virtutem dixit, *sequor*, seu sector, *autem si comprehendam*, id est, vt cõprehendam. Loquitur enim, vt dixi, tanquam de re ardua, cuius difficilis est comprehensio.

Expositum hactenus habes locum hunc, pie lector, iuxta sensum catholicum alienum à fermento Lutheranorum. Nunc quid illi dicãt, & quibus argumentis expugnentur, videndum est. Primùm ipsi interdum nobiscum verbis conuenire videntur, sed non in veritate. Ecce B.Paulus abiicit iustitiam propriam quę ex lege est. Omnes igitur verè Catholici, & qui se Catholicos arbitrantur, nos conuenire in hoc oportet, vt iustitiam quæ ex lege Mosaica est abiiciamus, tanquam non vtilem ad iustificationem. Verùm quid per iustitiam quæ ex lege est, intelligatur, quæ vt stercus reputanda est, accuratius est considerandũ. Nam hac in parte ne quaquam nos cum Lutheranis consentimus. Illi absolutè intelligũt de lege & iustitia qualibet, per quam operamur opera bona, quoniam omnis nostra iustitia, aiunt, est veluti pannus menstruatæ coram Deo: ita vt & opera facta in fide, eorũ iudicio & estimatione, talia sint. At huic intelligẽtiæ prorsus vniuersa scriptura repugnat, vbi opera quæ ex fide proficiscuntur & charitate, placere Deo, & iis salutem nobis cõparari passim legitur: & hanc sentẽtiam passim testimonia S.Doctorũ confirmant. Ergo B.Paulus non abiicit hanc iustitiam, neque huiusmodi bona opera, quæ non sunt opera veteris legis, sed fidei. Iustitiam enim legis, siue quæ ex lege est, planè opponit iustitiæ fidei, aut iustitiæ quæ ex fide est. Itaque iustitia legis non dicitur ex fide: & similiter opera legis non sunt opera fidei. Istud manifestè ad Gal. declarauit Apostol⁹, quòd lex non est ex fide, sed post legem fides. Iccirco dicimus nos, quicquid iustitiæ habere potest homo absque fide, non prodesse, nec habere vllam apud Deum gloriã: fortè apud homines, vt declaratum est. Ecce primum in quo discrepamus, nimirum dum ab vnaquaque parte accipitur variè, Iustitia quæ ex lege est. Similiter discrepamus accipiendo iustitiam, quæ dicitur esse ex fide. Illi dicunt iustitiam quæ ex fide est, esse Christi iustitiã nobis imputatam, & dono datam, quam apprehendit fides. Et per illam obtinemus, aiũt, iustificationem, qua nos non realiter sumus iusti, sed solùm per imputationem. Pronũciamur enim à Deo iusti coram se, quamuis non simus verè iusti.

Nos Catholici per iustitiam quæ ex fide est, intelligimus iuxta B.Augustini & aliorũ sanctorum doctrinam, donum Dei quoddam inhærẽs nobis, quo verè ac formaliter iusti sumus: & per hoc donũ & fructus eius, quæ sunt opera bona inde proficiscentia, sumus filij eius, & ei placemus: quoniam per illud peccatum expellitur, & omnis macula eriminis, qua contrahitur inimicitia cũ Deo, abstergitur. Hanc omnium esse catholicorũ sententiam & B.Augustini, non est dubiũ: nec ipse Lutherus, nec Melanchton, neque Caluinus, neque Bucerus, Bullingerus & cæteræ eiusmodi bestiæ eunt inficias.

Modo autem vt paucis rem perstringam: Primò statuo contra istorum pertinaciam, concordem omnium doctorum sanctorum sensum. Deinde oppono absurda, quę sequuntur ex eorum positione. Quæro enim ab illis, An ipsi credentes, filij Dei efficiantur reuera? Non dico secundum naturam, sed secundum adoptionem, per aliquod donum mediũ quod nobis inhæreat? Si negant, Protinus confutantur innumerabilium testimonio scripturarũ.
2.Petr.1. Beatus enim Petrus dixit nos, per dona quę nobis donauit Deus, effici consortes diuinæ naturæ, regeneratos in spem viuam. B.Ioannes tanta emphasi
1.Ioan.3. expressit. Videte, ait, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus. Si fatentur (fateri autem eos oportet) quæro ab illis de hac inhærente iustitia quæ non est ex lege, & inhæret & non est floccifacienda, quid statuit Apostolus? Nunquid de ea non loquitur? Cur (rogo) non loquatur, præsertim cum veniat ex fide & sit à Deo? Inueniãt nobis locum vbi ista reiiciatur iustitia ex fide, & ex Deo veniens: quam vocare pannum menstruatæ, blasphemia est. Quomodo igitur exulabit de scripturis? Exulet potius ista istorum iustitia chimerica per diabolum conficta, quanec verè iusti simus, vt fatentur, sed solùm reputamur. An non constituunt mendaces scripturas isti miseri, quæ pronunciant multos fuisse iustos, idq; coram Deo? Sed proprio tractatu hac de re vel ad saturitatem lectoris scripsimus, quæ commentaria non admittebant.

Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quę sunt priora extẽdens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernę vocationis Dei in Christo Iesu. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & siquid aliud sapitis, & hoc vobis Deus reuelauit. Veruntamen ad quod peruenimus vt idem sapiamus, & in eadẽ permaneamus regula. Imitatores mei estote fratres: & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formã nostram. Multi enim ambulãt quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis, interitus: quorum deus, venter est: & gloria in cõfusione ipsorũ, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cœlis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrũ Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundũ operationem qua etiam possit subiicere sibi omnia.

Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Hoc ideo ait, quia nondum expleuerat cursum vitę huius, ac propterea cursum viæ merendi: contra illam hæresim, qua quidam aiebant ita veniri ad perfectum in via posse, vt addi quicquam suprà non posset. *Vnum autem*, subaudi intendo vt scopum, sciens vnum esse necessarium, seu opportunum. Ad plura enim in hoc mũdo distrahit remoratur currẽtem. *Quę quidem retrò sunt obliuiscens*: id est, quæ antecesserunt. Hæc autem quænam sunt, nisi quæ iam respuimus velut stercora, bona videlicet mundi, & glorias terrenorum? Periculosissimum est enim retrò aspicere. Hoc vetuit Dominus noster aiens:
Luc.9. Qui mittit manum suam ad aratrum, & respicit retrò, non est aptus regno Dei. Mementote vxoris Lot. Possumus etiam interpretari, quasi obliuisceretur ea quæ retrò erant & bona & mala quæ gesserat ad illum diem. Hoc enim viri est iam perfecti in via, primùm obliuisci mala & peccata quæ commisit, tãquam omnino verè per Christũ deleta ex misericordia eius, nec dubitare de hac remissione. Alioqui in ea dubitatione hærens, nũquam ad perfectũ veniet. Tum obliuisci etiam bona quę fecit, hoc est, nihili pendere tanquam nihil sint, & non condigna cœlesti præmio, neq; comparanda cũ obligatione, qua debet homo ipsi Deo inseruire, & propterea se ad ea extẽdere quæ sunt priora, hoc est, perfectiora crescẽdo de virtute in virtutẽ.

Ad ea verò quæ priora sunt extendens meipsum. Hic mos est cursorum, qui non metiuntur quantũ iam viæ confecerint, sed quantũ eis restat vt ad metam perueniant. Nã respicere ad ea quæ retrò sunt, siue mala quæ patrauimus nimis ea ponderando, & de remissione eorum dubitãdo: siue ad bona quæ gessimus plurimi faciendo, non est aliud quàm remorari profectum nostrum. *Ad destinatum persequor*, i. ad prefixum scopũ, quem declarat esse *brauium supernæ vocationis Dei*, i. præmium certaminis, aut cursus. Hic erat scopus Apostoli. Vbi ergo sunt isti hypocritę, q respici ad præmiũ in operãdo vituperãt, sed purè & ex mera charitate oportere bene agere? Quasi verò sit impurũ opus, & nõ potius mera charitas, si supernæ mercedis ituitu operemur. Verum quidẽ istud esset, si hic sisteret homo, & non hanc suam spẽ in gloriam & laudem Dei tãdem referret: Alioqui (vt B.Ambrosius & Gregorius testãtur) bonus mercenarius est, qui & propter Dei gloriã & propter suam operatur. Nam veri Christiani gloria in Dei gloriã recidit, quæ est finis omnium. *Pro respectu ad præmium.*

Quicunque ergo perfecti sumus, &c. Quid est in primis quòd B.Paulus se perfectũ vocat, nec se vnum solum, sed alios pariter secum adiungit, cum paulò ante negauerit se perfectum? Facilis est solutio, si (quod non faciunt hæretici) perfectionem distinxeris. Est perfectio quędam viæ. i. quę in via adhuc & in cursu cõsideratur. Et est perfectio exacta iam via secundum animam, non secũdum corpus. Erit autẽ postrema perfectio in patria, cum & carnem hanc nostram illũc detulerimus. At B.Paulus illa perfectione se perfectum ait modo, quæ poterat in via contingere, quæ perfectio ex fide est cõstanti, & charitate non ficta, sed illa quæ expellit timorẽ, quatenus fert hæc nostra, dum viatores sumus, conditio. *Hoc sentiamus.* Sentire apud B.Paulum est experimento probare intus in corde, & externè per opera. Quid est autem quod oportet sentire & probare, nisi veram circuncisionẽ esse spiritus non carnis, ex lege fidei & non ex lege Moseos, & in hanc esse proficiendum vsque ad perfectum? Omnis nanque nostra in hac vita perfectio recipit incrementũ: & qui verè sapit, non debet ea animaduertere quæ retrò sunt, & iam relicta. Hæc sentire, id est, probare in seipsis, perfectorum est.

Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Vertit sermonẽ ad imperfectos, & ait: *Et si quid aliter sapitis*, seu sentitis, cum non sitis perfecti, *etiã hoc vobis Deus reuelabit*, si profeceritis ambulantes obedienter, & sitis patiẽtes. O quanta sunt quæ ab initio cõuersionis nostræ probamus, quæ postmodo cognoscimus non prodesse. *Veruntamen ad quod peruenimus, eadẽ incedamus regula, idem sentiamus.* Hic est sensus: Circa ea quæ in ecclesia iã clara & determinata sunt (ad hæc enim dicimur peruenisse) debemus eodem canone teneri, vt sciamus quæ credere, & quæ agere ad æternã salutem nos oporteat. *Regula seruandi sese in ecclesia.*

Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, &c. Ad imperfectos sermonẽ dirigere perseuerat, quibus duo maximè illis necessaria præcipit. Primũ vt se imitentur: Alterum, vt illos diligenter obseruent, *qui ita ambulant sicut habetis formã nostram.* Græcè significantius, *sicut habetis formã nos*, vt non formam de scriptis aut literis mortuis accipiãt, sed literis viuis, quæ sunt mores & opera lucentia, quæ eos qui spectant, sua dignitate & prestantia excitant ad æmulationẽ. *Multi enim ambulant quos sæpe dicebã, &c.* Sermo hic mutil⁹ est, tanquã illius qui præ rei indignatione cõtineat se, ne effluat quod concepit. Magnũ tamen est quod vocauit eos *inimicos crucis Christi*: quam rem etiã cum fletu expressit. Est autẽ considerãdum eos vocari inimicos crucis Christi, qui vt vitarẽt opprobria crucis, desertores efficiebãtur euangelij ac puritatis eius. Nam vt persecutionem fugerent, milcere volebant cum euangelio legem Mosaicam, & veteris synagogæ cæremonias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nunc autem noui hæretici mirifica techna iactãtes se nolle cum lege euãgelium iungere, euangelium ipsum mutilant, & optimam eius partem tollunt, ac totum eneruant. Attende lector: Ipsi puram omnino promissionem, euãgelium esse docẽt nulla conditione vallatum, nisi de fide, vt solũ credenti promittatur nedum prima iustificatio, sed salus æterna: ita vt de cruce nullum verbũ, obliti vocem Christi dicẽtis: Qui non baiulat crucẽ suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus. Ipsi autem ex fide sola & cõparant & retinent discipulatum. Crucem verò aut aliud quoddã ab euangelio semotum, dissimulãt, & frigidissimè tractãt, si quando præ pudore coacti tractant.

In hæreticos euangelium mutilantes.

Luc. 14.

Nos autem euangelium in duas secamus partes. Prima continet iustificationis promissionem credenti: quod & ipsi dicunt. Secunda verò habet promissionem regni cœlorum operanti per dilectionem iuxta legem fidei & charitatis. Hanc partem ipsi abiiciunt. Aiunt enim hoc non esse aliud, quàm miscere legem cum euangelio, tanquã euangelium totum non sit lex: & quasi B. Paulus cùm legem explodit, absolutè omnẽ legem explodat: quod est infandum dictu. Hoc ad Rom. detestatur aiẽs: Legem ergo destruimus per fidem? Absit: imò & legẽ statuimus. Isti sunt qui destruũt legẽ per fidem. Non est ergo ea fides quã B. Paulus prædicabat: nam per eam lex non destruebatur, sed stabiliebatur. Lex quidem Moseos destruebatur, quatenus erat Moseos. Vnde omnino iudicialia & cæremonialia excludebantur per fidem: non autem ea quæ pertinent ad charitatem erga Deum & proximum: ad quæ duo præcepta omnia redigũtur prophetarum scripta, teste ipso Christo: In his duobus mãdatis vniuersa lex pẽdet, & proph. Et quicũque hæc impleuerint, iis æterna vita ex pacto & conuentione Domini redditur.

Rom. 3.

Matt. 22.

Quorum finis interitus. Audiãt illi si aures habẽt, *Quorum Deus venter est*: qui propterea ieiuniorum præcepta non recipiunt, & delectus ciborum, vt ventri, quem pro Deo sibi elegerunt, inseruiant. Sed quis tandem finis? *Et gloria* (inquit Apostolus) *in confusione illorum qui terrena sapiunt*. O egregium pictorẽ, qui tam graphicè repræsentat nobis istos nouos carnis concionatores. Hi enim posuerunt gloriam suam in confusione illorum, quibus placent terrena. Credere autem istis, quid est aliud quàm in cõfusionem corruere, & in babylonicam captiuitatem? Verè babylonicã captiuitatem meditatus est ab initio Lutherus Spiritu veritatis cogente, quo nomine librum quendam inscripsit verè phialem iræ Dei, & babylonicam captiuitatem, qua irretiuntur qui spiritus puritatem exosi, carnis sordibus volutari delectantur. Apostolus autem quid de se & sui imitatoribus dicat, audiamus: *Nostra autem* (inquit) *conuersatio est in cœlis*. Qui terrena sapiunt, id est, gustant & gustando probant, de terra sunt & de terra loquuntur. At eorum qui verè sapiunt, conuersatio seu ciuilitas, non est in terra, sed in cœlis. Hic est interim via: ibi erit fœlicissima patria. Via quidẽ per se non diligitur, nisi quatenus conducit ad patriam.

Vnde etiam Saluatorem nostrũ expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. Inde enim venturus est ad iudicandum. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum*, siue conforme, *corpori claritatis suæ*. Membra enim debent cum capite suo conuenire. *Secundum operationem*, siue potius, vim & efficaciam, *qua etiam possit subiicere sibi omnia*: ac si dixerit. Nemo miretur hanc Christi potentiam: quoniam non erit Christi, vt absolutè est filius hominis, sed vt hic filius hominis est Dei filius, secundum quam efficaciam omnia potest sibi subiicere, cum sit ipse verus omnium cum Patre conditor creaturarum. Nam & semetipsum à mortuis tertia die sua vnius potentia suscitauit. Hoc apertissimè apud B. Ioannem testatus est, dicens: Sicut enim Pater viuificat mortuos, ita & ipse Filius viuificat.

CAP. IIII.

ITAQVE fratres mei charissimi, & desyderatissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino charissimi. Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. Etiã rogo & te Germane compar, adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio, cum Clemẽte, & cæteris adiutoribus meis, quorũ nomina sunt in libro vitæ. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim propè est. Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.

Itaque fratres mei charissimi. Hic quodam modo videtur voluisse claudere epistolam. Admonitio primum est vniuersalis, vt sic persistant in Domino quales erant, videlicet, illibati à fermento malo pseudoapostolorum. Vocat eos gaudium suum & coronam in die Christi, vt in quibus tũc apparebit fructus laborũ suorum. *Euchodiam*, Græcè *Euodiam rogo & Syntychen deprecor*. Idem verbum Græcũ reddidit diuersis vocibus, modo, *rogo*, modo, *deprecor*, Poterat dicere: Euodiã obsecro: Et Syntychen obsecro, *idipsum sapere*, seu sentire, *in Domino*. Fortè erãt ex Iudæis istæ mulieres, tametsi nomina ipsa sint Græca & Gentilia. Paulatim enim solebant sibi assumere nomina, postquam commisceri cum Gentibus cœperũt. Mirum videri potest de iis duabus nominatim mentionem à B. Paulo factam, tanquã certò dubitaret de huiusmodi ne corrumperẽtur. Sæpe autem in scripturis à nominibus etiam mores cum probi, tum & improbi significati sunt. Verùm nunc aliud ago.

Etiam rogo te Germane compar. Hic locus, vbi nonnulli B. Paulum suam quõdam vxorem admonuisse crediderunt: & legunt, *Germana compar*. Alij contra, miris modis obstiunt, admittere prorsus recũsantes B. Paulum habuisse vxorem. Hac ego de re nolim omnino contendere. Si quis à me quærat quid credam: huic respondeo: Constantissimè

credo, & nullo modo dubito, B. Paulum, si ante cõuersionem non habuit vxorem, nunquam habuisse. Nam habens demandatam euangelizandi per vniuersum orbem prouiciam, fuisset omnino insipientissimus, & contra suam & Christi doctrinam facto ipso militasset, si duxisset vxorem. Et quàm fœlix coniux tali marito fuisset, iniuriis, verberibus, plagis, stigmatibus, instabilitate, summa egestate circundato. Delitiosæ, inquam, eæ nuptiæ futuræ erant. Idem omni contentione defenderem, omninóque euincerem & persuaderem non propteruienti (nam esset admodum facile) neminem Apostolorum & discipulorum Christi qui eum secuti sunt, post conuersionem suam nuptias nedum contraxisse, sed iam contractis renunciasse.

Quod si quis rursum me roget. Quid absolutè putas? Habuit ne vxorem Paulus, an secus? Respondeo primùm, me non ignorare & B. Hieronymũ, & nonnullos ex nostris id negare. Contra autem, antiquos Græcorum nonnullos asserere. Sed cum ea quæ eiusmodi sunt vel de scripturis sanctis, vel de historiis ac traditionibus accipi debeant. Si quẽ ratur, an in scripturis contineatur, Paulo vxorem nullam fuisse. Id non reperiri arbitror. Etsi quidã moueantur ex illa prima ad Corinth. epistola cap. 7. Sin autem econuersò rogent, vtrum existimẽ de scripturis probari posse oppositum. Respõdeo me ita existimare, modo non simus pertinaces, & duri nimis. Nam & in eo cap. 7. & in hoc præsenti loco multò magis suaderi crediderim. Quẽ enim dicemus esse Germanum comparem? Græcè enim legimus, σύζυγε γνήσιε. Quod enim ait, σύζυγε, manifestè id Græcè sonat quod coniux apud nos. Quod autem ista sit mulier, suaderi potest: quia rogat vt adiuuet eas quæ collaborarũt in euangelio. At hoc mandatum spectare videtur ad mulierem, non ad virum, vt se admisceat cum mulieribus in officiis fœminarum: quæ officia innuere videtur cum dicat, vt cum illis laboret. Sed sunt qui putant γνήσιε esse masculini generis, non communis. Nõ ita scribunt in lingua Græca periti: nec ipse B. Chrysostomus. Quare hoc puto verius de scripturis.

Præterea sunt traditiones veterum quæ hoc declarant. B. Ignatius in epistola sua: & (vt ad Rom. citaui.) In reuelationibus B. Brigidę viduæ de Sueuia, huius rei apertum habetur testimonium, nec debet temerè sperni. Denique ego vehemẽter miror nonnullos, qui nimis tenaciter hac de re certãt ne si id concedamus, faueat nouis hæreticis, cum non solùm non faueat eis, verùm etiam illos acriter repercutiat: quoniam manifestè patet ex proprio ipsius Apostoli testimonio, thorũ fuisse omninò inter eos separatum, & se viua vxore inter viduos computasse cap. 7. ad Corinth. Et cap. 9. testatur non circunduxisse illam secum comitem, quẽ admodum alij quidam Apostolorum ducebant. Vocauit autem eam mulierem sororem, vt thori intelligeremus separationem. Nam quas alias sorores circunducebant alij Apostoli, nisi coniuges suas? Et facile esse potest, vt nunquam illam tetigerit. Si quidem adolescens erat, & tunc fortè sponsus nondum maritus quoad thalamum, cum persequebatur ecclesiam. Quicquid sit, & quicquid hæretici de hoc sentiant, non magni faciendum existim: omòdo illud nobis detur, nullo pacto in Apostolatu vsum esse matrimonio, sed ambos, ac si vterque viduus fuisset, seruisse euangelio, vt par erat. Dicit autem mulieres collaborasse, aut potius concertasse in euangelio, aut pro euangelio. *Cum Clemente.* Hic fuit postmodo Pontifex Romanus Christi Vicarius. *Et cæteris adiutoribus meis.* Qui libet enim suo fungebatur proprio officio ad promotionem euangelij.

Quorum nomina sunt in libro vitæ. Ac si dixisset, Etsi omnium nomina expressè non scribam, scripta tamen sunt in libro vitæ. Librum vitæ, librum prædestinatorum intelligunt Scholastici. Dictũ non improbamus, sed addimus in eo libro etiam nomina reliquorum omnium scribi qui ad Christum veniunt: quæ tamen nomina possunt deleri. Nonne oramus vt istorum nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat? Alioquin orare de nominibus prædestinatorum, vt fixa ibi atque rata permaneant, superfluum videtur, cum oratio non fiat, nec fieri de iis debeat quæ iã decreta sunt, & mutari nõ possunt. Stultum enim esset orare sic simpliciter & in vniuersum pro prædestinatis. Particulariter autem, quia de iis certò nescimus, orare licet: & ea oratio ad nos reuertitur, & nobis prodest non illis, quantum ad hanc partem attinet, vt maneant scripti nec deleantur. Adhęc. De quibusdam est oratio, seu potius propheria, quæ ait: Deleantur de libro viuentium, quæ non potest pertinere ad prædestinatos. Et in Apoc. dicitur: Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.

Psal. 68.

Apoc. 3.

Quantum ergo de scripturis colligitur, liber vitæ continet omnes qui dederint nomen, & militiã professi sunt sub duce Christo vita nostra. In eo enim omnes viuemus, si in militia positi ad hostiũ castra non declinauerimus, sed fortiter insidiis eorum resistẽres victoriam reportauerimus. De hoc libro multi deleri possunt: sed in finem seruabitur huiusmodi circunscriptio atque deletio: quoniam iuxta Danielem prophetam: Omnes salui fiẽt, qui in tempore illo extremo inuenti fuerint scripti in illo libro. Inuenientur autẽ omnes qui perseuerauerint. Orat autẽ interim ecclesia, & similiter ab omnibus fidelibus orandum est, vt liber ille ascripta retineat omnium fidelium nomina. Ait, omnium fidelium, non ait, omnium prædestinatorũ: quod manifestè superuacaneum esset. Quid, quæso, aliud esset quàm orare de eo qui iam prædestinatus est, vt prædestinaretur, & sic vt fieret quod iam præordinatum est? Nec est hic locus argutiolis. Vbi rem planam in scripturis video, nõ me præcipitem in inextricabiles quęstiones propter Scholasticos dedo, qui eò se in hoc articulo concluserunt ita laborantes, vt fateantur præclarissimi eorum, inter quos Caietanus, hæc se non capere.

Dan. 12.

Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Dũ geminat bonam imprecationem, ingentis desyderij sui ostensio est. Aut per duo, considerauit & bona præsentia in re, & bona futura in spe: de quibus cupiebat eos gaudere. Qui non sentit bona, quomodo gaudebit? Similiter qui non sperat, in qua spiritus iucunditate potest existere? Est autem modus gaudendi, videlicet in Domino, admixtus timore ac tremore sancto. Non autem more incõsideratorum & hæreticorum, quæ à Dæmonibus lu

Universidad de Deusto
Biblioteca

dificati iactitant se ita comprehendisse, vt iam excidere nequeant.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Modestia magna virtus est, quæ temperat hominem ne in prosperis nimirum exultet: neue in aduersis frãgatur. Efficit enim vt sibi perpetuò constet homo moderans ratione & censura quadam quæcunque occurrunt agenda, vel sustinenda in hac vita. Et vix vlla alia est virtus, quæ perinde illuceat & appareat hominibus, quibus cum est conuersatio, atque hæc, *Modestia*, quę in moderatione actorum ac gestorum consistit, & cõspicitur. *Dominus prope est*. Vt contineantur homines in officio, séque modestè gerant, nihil est tam validum, vt est cogitatione vehementi apprehendere Dominum Iesum Christum esse prope & in ipsis foribus, cuncta exactissimè reuisurum. Quodnam aliud continetur præceptum in ea parabola, quæ est apud Beat. Matth. qua admonemur omnes diligenter vigilare, quam quod subintelligitur in his Apostoli verbis: *Dominus prope est*: & subditur: Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium. Si hæc cogitaremus, essemus longè vigilantiores, & prudentius nos seruaremus in illum tremendum diem, quo audienda erit vltima sententia vel ad fœlicitatem, vel ad ignem sempiternum. Hûc rerũ omnium vertitur cardo. Ad hãc philosophiam hortatur Philippenses, & non omnes pariter, omnia remouens salutis impedimenta noxia, & ait:

Matt. 24.

Nihil soliciti sitis, De temporalibus loquitur: Alioqui solicitudo de spiritualibus laudatur, & est necessaria. *Sed in omni oratione & obsecratione* melius *deprecatione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*. In omni oratione aliqua petitio est. Ea autem quæ petuntur, bona esse oportet & salutaria. Et hæc sunt ipsius orationis materia. Porrò cum insuper bonum sit carere malis ac dãnis, ideo obsecratio vel deprecatio (quam, B. Ambrosio teste, ad deprecanda mala & amouẽda fundimus) est quoddam pertinens ad orationem, & eius quodam modo species. Sed quia nemo dignè noua petit beneficia, qui de acceptis non est memor & gratus, iccircò adiungitur, *cum gratiarum actione*, Quod autem ait: *Innotescant apud Deum*, vel est admonitio, vt petãtur talia quæ sint digna exaudiri: Nam tunc innotescere dicuntur Deo, cum illas respicit & admittit exaudiendo: Vel est adhortatio ad petendum. Quamuis enim Deum nostra indigentia minime lateat, vult tamen (vt æquum est) à nobis rogari, vt nos ipsi nostras miserias recognoscamus, & confiteamur, & humiliemur, & ita impetremus. Alioqui se gerit ad modum nescientis. Quamobrem à Propheta scriptum est: Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet, &c.

Psal. 36.

Et pax Dei, id est, pax quæ à Deo est, & quæ non est peccatorum atque impiorum, sed eorũ qui innocenter viuunt, quos conscientia non reprehendit. *Quæ exuperat omnem sensum*: potius mentem & intellectum. Dicitur autem superare omnem sensum siue intellectum: quãdoquidem nemo potest illam scire, nisi qui accipit. Nec vllus potest eam in hoc mundo sibi vlla cogitatione fabricare: quoniam à Deo est. *Custodiat*, pro custodiet, *corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu*. Ecce effectus diuinæ pacis, quæ non est aliud nisi peccata quædam conscientia & animi tranquillitas, quæ resultat quoties cuncta suo ordine disposita sunt. Tum mens subiecta est Deo, & iam gustum quendam sentire incipit futurorum bonorum. Et ita hac pace ibi constituta seruatur & custoditur cor, id est, affectus & intellectus hominis, vt vix queat labi ac decidere: quoniam custoditur in Christo Iesu, in quo sita est omnis nostra spes. Ipse enim fecit promissa omnia, quæ sunt erga nos, mirè credibilia, quorum & arrham ad securitatem donat.

De cætero fratres, quęcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum. Gauisus sum autem in Domino vehemẽter, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autẽ eratis. Non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari: scio & abũdare. Vbique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

Verba Apostoli sunt vehementer efficacia: & sicut è flagranti corde manant, ita etiam suscipientium corda vehementer permouet: ait ergo: *De cætero fratres*, hoc est, quod reliquum est, *quæcunque sunt vera, &c*. Hic ordo est literæ, *Hæc cogitate quæcũque sunt vera*, id est, quæcunque sunt secundum veritatem Dei. *Quæcunque pudica*, siue honesta & casta. Considerant, hæretici, vtrum hæc ad se pertineant: Et an castè & pudicè viuant cum suis sacrilegis concubinis, qui omnem puritatis euangelicæ sanctimoniam profligarunt. *Quæcũque iusta*. Hactenus ad omnia virtutum genera respexisse videtur. Nam quoad intellectum dixit, *quæcunque vera*, quoad appetitum sensitiuum, *quæcunque pudica*, siue casta: quoad voluntatem, *quæcunque iusta*. Adiecit, *Quæcunque sancta*, Multi legunt, *pura*, quoniam Græcè legimus, ἁγνὰ, id est, casta pura. Interpres fortasse legit, ἁγία, id est, sancta, quod mihi verius videtur, vt addat superioribus sanctitatem, & cuncta referantur in Deum. *Quæcunque amabilia*. Per se amabile est honestum, *Quæcunque bonæ famæ*, id est, quæcunque bonam famam pariunt. Hæc enim cogitanda sunt propter proximum ad ædificationẽ, non ad studium propriæ gloriæ. Potissimum autem magnæ id erat curę Apostolis in ipsis ecclesię initiis, vt non solùm inter se, sed & iis qui foris erant, hoc est, infidelibus fideliũ vita & mores prælucerent. Vnam hanc inter alias requirebat Apostolus ad Timo. scribens, conditionem in eo qui

1. Tim. 3.

in episcopum eligendus erat, vt bonum testimonium apud eos etiam haberet qui foris erant. Princeps Apostolorum eodem modo hortabatur: Cõuersationem vestram inter Gentes habentes bonam, inquit, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

1. Petr. 2.

Si qua virtus, si qua laus disciplinæ. Græcè, si qua virtus, & si qua laus. B. Paulus in hortatione sumit ea ad persuadendum principia, quæ à nemine prorsus negantur. Sunt enim in mentibus omnium hominum impressa, videlicet esse virtutem & virtutis præmium, quod est laus & honor. Ponit autem eiusmodi principia quadam arte, quæ mira dexteritate ad suasionem valet plurimum, cũ quid proponimus quasi dubium, quod est tamen per se euidens, veluti si quis ita proferat: Si qua est Dei iustitia, improbi homines & flagitiosi dabunt dignas suæ impietatis pœnas. Est ergo euidens esse virtutem, & virtutis laudem & præmium. Quamobrẽ hæc omnia superius exposita cogitare seriò debetis, quæ vera, quæ pudica, quæ iusta, quæ sancta vt ea amplexemini, &c.

Quæ & didicistis, & accepistis: didicistis auditu, accepistis imitatione videndo illa in me: propter quod ait: *Et audistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum*. Audiant hæc non surda aure Lutherani, & recto iudicio statuant vnde venit pax. *Hæc agite*, inquit, *& Deus pacis erit vobiscũ*. Qui igitur hæc non egerint, quomodo habere pacem possunt miserrimi mortalium? Audiant & qui volunt iustum dubitare de iustitia sua semper, & impacatas tenere conscientias. Hi enim Deum pacis non noscunt ipsi, & alios nosse dum eam doctrinam tradunt, non sinunt.

Gauisus autem sum in Domino vehementer: quoniam tandem aliquando refloruistis, &c. Sucurrerant tandẽ Philippenses Apostolo, ad quem per Epaphroditum miserunt quæ vitæ necessitas exigebat. Asserit ergo vehementer se hac de re grauisum fuisse, *sed in Domino*. Non est oscitanter prætereundum, cur tam frequenter vtatur hoc appendiculo ad sententias, dicens: Gaudere in Domino, Gloriari in Domino, Mori in Domino: & huiusmodi multis. Significat enim cum hæc in Domino fiunt, ea tum rectè fieri: quoniam à spiritu fiunt iuxta normam veritatis & charitatis sapienter ordinatæ. Deinde rationem huius gaudij sui adiicit: *quoniam refloruistis*, aut potius, *reuiguistis pro me sentire*. Sensus est: Reuiguistis, vigorem accepistis in sentiendo pro me, *sicut & sentiebatis*, Aut, in quo & sentiebatis. Est verbum φρονέω, quod significat cogitare ac sapere & affici, vt iam clara sit sentẽtia. Gauisum enim se propterea fuisse testatur: quòd re ipsa declarare cœperunt non sine affectu & efficacia se cogitare ac sapere in ea re pro Paulo, in qua & prius similiter cogitabant, sed non efficaciter: quia re ipsa non probabant se cogitare de illo. Excusat verò illos, vt viri pij facere solent, subdens:

Occupati enim eratis. Alij ex Græco interpretantur defuisse Philippensibus suppeditandi opportunitatem. Quod autem ait se fuisse subuentione illa recepta gauisum, declarat non accidisse quidẽ propter releuatam penuriam. Non negat tamen se penuria laborasse, sed non inde potissimum esse gauisum, quia subuentum fuerit tali penuriæ: & rationem ponit: *Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse*. Hoc non tam eget expositione, quàm imitatione. Quotumquenque reperias hodie ex Christianis qui sit contentus iis quæ habet, etiam si abundet? Sed reuera nunquam abundat. *Scio & humiliari*. Humiliatur homo tum maximè, cui vix ad sunt ad victum quotidianũ que necessitas ipsa naturæ postulat. *Scio & abundare*. Et hæc non est exigua virtus scire abundare. Plerique enim minime aduertunt illum verè abundare, qui ea quæ sibi superflua sunt, refundit in alios amore Christi. Hoc sensit Apostolus, & est certè scire abundare. Qui enim retinet & reponit, non dicitur is abundare.

Vbique & in omnibus institutus sum. Ait se institutum, hoc est, experiẽtia ipsa edoctum atque instructum in omni loco, & in omnibus. *Et satiari & esurire: & abundare, & penuriam pati*. Iam hęc exposita sunt. *Omnia possum in eo qui me confortat*. Græcè, in Christo *qui me roborat*. Omnia possum, inquit, B. Paulus, sed non ex me, aut in me, sed in eo qui me fortem efficit. Quomodo igitur, adiuuante Deo & confortante, ausint dicere hæretici, Dei præcepta esse impossibilia?

Veruntamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ. Scitis autem & vos Philippẽses, quòd in principio Euangelij quãdo profectus sum à Macedonia nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis. Non quòd quæro datum: sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Habeo autem omnia, & abundo. Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placẽtem Deo. Deus autem meus impleat omne desyderium vestrum secũdum diuitias suas in gloria, in Christo Iesu. Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen. Salutate omnem Sãctum in Christo Iesu. Salutãt vos qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes Sancti: maximè autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

Veruntamen bene fecistis. Ac si dixerit, Et si egorẽ ipsam non magnopere curẽ, qui ita sum compositus vt nouerim penuriam pati: vos tamen benefecistis, *communicantes tribulationi meæ*. Vocat tribulationem, vt solet, perpeti victus penuriam: & verè grauis est tribulatio. Ideo consulens Corinthiis cõmunicare pro ratione facultatum & substantiæ, instruit non ita effusè largiẽdum, vt aliis sit remissio, illis autem remaneat tribulatio: sed ex æqualitate, vt illorum abundantia afflictorum suppleat inopiam.

Scitis autẽ & vos Philippenses, quòd in principio Euã-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm quando profectus, &c. Memorat alias benedictiones, vt illius verbo vtar, seu subuentiones quas ab illis præ cæteris ecclesiis habuit: & tempus ipsum designat, nimirum quando è Macedonia profectus peruenit Thessalonicam, quo tempore semel & iterum se ab eis accepisse in vsum suum fatetur. Et ne ipse debitū exigere videri posset, quasi quadam prescriptione adiungit: *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra*, id est, Hoc vnum requiro vt ipsemet Deus pro me soluat, abundátérque vobis & cumulatissima mercede retribuat. Nam eleemosynam dare est fœnerari Domino. Hæc erat ratio dari & accepti apud B. Paulum: non autem veluti negociatores qui tēporalia pro temporalibus mutuò accipiunt. Ac ipse Apostolus accipiens, gaudio maioti afficiebatur ob creditum, eò quod in rationem eorum & præmium computabatur, quam de persoluto sibi debito. Frequentius cogimur, & ita facere obligamur vbi dignus incidit locus, suggeretæ iis qui aliis præsunt vt cum maximo timore, imò verò cum tenerrimo amore & puro affectu suum munus obirè velint. Si enim semel misericordiæ viscera & desyderij erga salutem animarum indueremus, lucra temporalia nedum sectaremur, sed vel inuiti recipieremus vltrò oblata, quò omnis à nobis turpis lucri suspicio tolleretur. Et cum Apostolo quæreremus non quæ illorum sunt, sed illosmet, hoc est, veram illorum salutem, quorum curam suscepimus. Ac nunc tam ardens vbique flagrat & in omnibus auaritia, tanta ministrantium ecclesiastica sacramēta cupiditas, vt ipsi populi non iam se ad salutem regi, sed ad quæstum possideri persuadeant. Vbi admirabilis animaduertitur Dei prouidentia. Nam & qui auidius ambiunt, vberiorésque ecclesiarum fructus colligunt, ære alieno sunt abundantius obstricti: & in eis maior in dies accenditur, quæ nunquam expletur, cupiditatis sitis. Contra autem longa expetientia obseruatum in iis qui ista lucra sperant, vt non solùm sua sorte viuant in summa lætitia contentissimi, sed ita etiam abundant, vt aliis quoque possint esse auxilio. Apostolus hoc in loco, & ad Corin. istud testatur: Nihil habentes, & omnia possidentes. Semper egentes, multos autē locupletantes. Magnum est sanè depositum habendi affectum, quo exuto non potest homo Christianus non abundare, & pro suo gradu lætari cum B. Apostolo, qui ait:

Eccle. 41.

2. Cor. 6.

Habeo autem omnia, & abundo. Generosus animus, omnia, inquit, qui fortè pauca acceperat, & ita tamen iis abundabat, vt posset & aliis tribuere. *Accepto ab Epaphrodito, &c.* Is fuit qui munus Philippēsium detulit. Epaphroditus autem venustum significat & iucundum. Et reuera ita in largiendis & reddendis muneribus oportet esse hominem. Deus enim qui dat omnia abundanter & non improperat, tristi & quasi coacto animo dantem auersatur & munera eius: qui econuersò mox vbi animum pium videt & voluntarium, præcurrit odorem sacrificij: quemadmodum nobis scriptura de duobus Habel & Cain fratribus tradit. Ea enim quæ vel à ministris nostris præstantur officia, si ægro fiant animo, plus nobis molestiæ quàm solatij afferre solent, à quibus vultum cogimur plerumque auertere. Contra autem, vel solus lætior aspectus nos mirum in modum recreat ac reficit. Vnde addit Apostolus: *In odorem suauitatis, hostiam acceptam placentem Deo.* Quæcunque enim offeruntur ministris Dei, non tam illis offeruntur, quàm ipsimet Deo. Et ob eam gratiam digna sunt, quæ oblationes vocentur & hostiæ Deo gratissimæ, vt spirantes suauissimum coram illo bonæ voluntatis odorem, obsequij ac pietatis ad lucrum & acquisitionem vitæ beatæ cum sanctis omnibus.

Luc. 1.

Deus autem meus impleat. Tanquam illis, Vale, dicens, vt solet in omnibus epistolarum postremis partibus fieri, precatur illis Apostolus bona. Græcè tamen legitur in futurum, *implebit*, aut supplebit, *omne desyderium vestrum*, Aut potius omnem indigentiam vestram, seu necessitatem: *secundum diuitias suas.* Non parca illa quidem & auara manu, veluti homines, sed ad mensuram bonam, confertā, coagitatam, superfluentem: nec id terrenis ac perituris fortunæ & mundi huius bonis, sed in cœlestibus & sempiternis, *in gloria*: Et quia per Christum & propter Christum ab æterno Patre obtinemus omnia, addit Apostolus, In Christo Iesu, Cætera clara sunt: Hoc vnum tamen consideratione dignum, fuisse tunc in domo Cæsaris, qui fidē Christi colerent, dum ait: Salutant vos, maxime qui de Cæsaris domo sunt. Et de Seneca quidem Neronis ipsius præceptore scitum est & creditum. Nā & mutuæ circunferuntur vtriusque ad alterum epistolæ, videlicet B. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad B. Paulum. Erasmus tamen, cui vix quicquam pium placuit, nothas putat. Ego verò Erasmi authoritate parum admodum moueor, quem si recipieremus legitimum censorem, nedum bonam B. Hieronymi, Augustini, Cypriani voluminum partem amitteremus, sed & quædam ex sacris libris dignissima & probatissima. Quis enim iam est ne scius quàm fuerit in ferendis censuris præceps, & parum pius? Non sumus tamen ita simplices, vt quæ huiusmodi sunt nullo delectu suscipiamus, quę vt vera esse vehementer expetimus, ita idoneè esse probata desyderaremus. Et hoc de his epistolis optarim. Non possum autem aliquando existimare, tanta posse impudentia quenquam existere, vt talia effingere (nisi deprehendissem) non vereatur. At hi sunt digno habendi odio, qui fidem nostram probare mēdaciis aut fulcire nituntur. Quasi verò fuerit fides nostra suspecta, nisi Senecam Christianum fuisse asseramus, quæ tot ac tantis ante & post Senecā testimoniis per miracula & sanguinem ostensis, est confirmata. Sed non est omnium huiusmodi meditatio. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu nostro. Amen.

*

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

Colosse ciuitas Phrygiæ, finitima Laodiceæ, ad eius Ecclesiam scripsit B. Paulus hanc epistolam, postquam audisset eos Euangelium recepisse. Cuius rei gratia primùm illos commendat, & vt in eo perstare velint firmis argumentis vtitur, ne à pseudoapostolis sese patiantur decipi, qui de Angelis & quibusdam inanis philosophiæ principiis ea docebāt, quæ integram nostram salutem Christo redemptori acceptam referendam negabant. Hortatur igitur vt permaneant stabiles in ipsa Euangelij puritate. Tum pro consuetudine post traditam doctrinam, ad ea quæ ad probos mores pertinent, descendit, varias in fine ipsius epistolæ subiungens salutationes.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD COLOSSENSES.

*

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatē Dei, & Timotheus frater, iis qui sunt Colossis, Sāctis & fidelibus fratribus in Christo Iesu: Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro.

HAEC præsentis epistolæ salutatio cum superioribus reliquarum epistolarum salutationibus conuenit. Hoc vnum solum annotandum esse videtur contra eorum expositionem, qui propterea ad Philippenses B. Paulū Apostolatus sui mentionem prætermisisse aiebant, quòd Timotheum non apostolum sibi socium adiunxerat. Hic autem perspicuè & Timotheum fratrem nominat, & tamen sui Apostolatus mentionem facit. Item notandum, quòd in latinis codicibus desunt ea verba: *& domino nostro Iesu Christo*, quæ habentur in Græcis.

Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis Euangelij quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mūdo est, & fructificat, & crescit sicut & in vobis, ex ea die qua audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate: sicut didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu: qui etiam manifestauit nobis dilectionē vestram in Spiritu.

Gratias agimus, &c. More suo Apostolus gratias assiduè se agere testatur, & orare pro illis. Gratiarum actionis materia erat in gratiam Colossensiū, vt qui iam fidem Christi viuam, haberent, & consequēter charitatem, *in sanctos omnes*, id est, in omnes Christianos, qui sanctificati erant lauacro sancto, idque, *propter spem*, id est, propter speratum bonum, quod illos manebat in cœlis. Hęc loca hæretici dissimulant, qui negant nos posse bene operādo habere intuitum ad mercedem. Finis enim dilectionis nostræ præmium est in Domino: nam propter coronam certatur. Vnde Dauid: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas inæternū propter retributionem. Non me latet quosdam illorum hunc locum aliò trahere. Sed non propterea elabuntur, qui comprehenduntur per alias innumeras scripturarum sentētias, vt passim licet colligere. Ait autem illos audisse hanc spem, *in verbo veritatis Euāgelij*, hoc est, per verbum veritatis. Hoc autem verbum, Dei est verbum. Quoniā promulgantes euangelium solùm quę à Deo audierant, & Spiritus sanctus suggerebat prædicabant: ita vt nō possent tradere, aut admiscere loco euāgelij vllum mendacium. *Quod peruenit ad vos sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, &c.* Mūdi vniuersi appellatione veniunt solummodo Gentes notæ in hemispherio nostro. Et est quidam modus loquendi. Sic exiisse dicitur iubente Cæsare Augusto, ædictum vt describeretur vniuersus orbis. *Ex ea die qua audistis, & cognouistis gratiā Dei in veritate.* Quomodo cognouerunt gratiam Dei in veritate, nisi experientia interna affectiua? Hęc scripturarum loca cogitent illi qui negant esse posse certitudinem præsentis gratiæ.

Psal. 118.

Sicut didicistis ab Epaphra, &c. Huius apostolici viri nulla alibi in scripturis mentio est, nisi in hac epistola. Quòd autem ait illum Epaphram manifestasse eorum dilectionem in spiritu, potest variū reddere sensum, vel quòd ipse manifestauerit in spiritu: vel quòd ipsa dilectio manifestata, erat dilectio spiritualis. Hactenus locutus est de materia gratiarum actionis: nūc de oratione ipsa loquitur, indicans quid oraret pro eis.

Ideo & nos ex qua die audiuimus, nō cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali: vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patiētia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

trãſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redẽptionem, & remiſſionem peccatorum. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia: ſiue troni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ; qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus primatum tenẽs: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare: & per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem crucis eius ſiue quę in terris, ſiue quæ in cœlis.

Ideò & nos ex qua die audiuimus, &c. Materia orationis erat vt implerentur agnitione diuinæ voluntatis. Si enim homo perfectè noſſet tam benignam Dei erga ſe voluntatem, eamque in ſemetipſo guſtu illo perſentiret, quem Sancti habent, id eſt, vt declarat ipſemet Apoſtolus, *in omni ſapientia & intellectu ſpirituali*, profectò ita ſe componeret, vt expleret ipſam Dei voluntatem ad perfectionẽ ſpei, & futuræ ſanctificationis. Hoc totum explicat B. Paulus ſubdens: *vt ambuletis digne Deo*, ſeu digne Domino, *per omnia placentes*, Quid eſt autem quod iſti dicunt non poſſe quenquam dignè Deo ambulare, nec illi per opera placere: Hæc Apoſtoli verba apertiſſimè oppoſitum docent, qui hoc pro illis orabat. Non oratur autem pro re impoſſibili. *In omni opere bono fructificantes.* Si quæras ab hæreticis fructus boni operis, nullos prorſus inuenies. Catholici autem operis fructum aſſerunt in præſenti vita eſſe incrementum iuſtitiæ, & in alio ſæculo incrementum æternæ fœlicitatis & glorię. *Et creſcentes in ſcientia Dei.* Vera eſt illa Beatiſſimi patris Franciſci aurea ſententia: Tantum quiſque ſcit, quantum operatur. Scientia enim Dei illa qua Deum cognoſcimus, fructus eſt boni operis. Quãtò magis quis propter Deum operatur, tantò magis ſcientia de illo creſcit, & benè intelligit quam vim habeat prophetica illa admiratio. Quàm bonus Iſrael Deus his qui rectò ſunt corde.

In hæreticos.

B. Franciſci dictum egregium.

In omni virtute confortati. Non accipitur hîc virtus, niſi pro potentia & robore. Scientia Dei & dilectio fortes & robuſtos ac ſtrenuos facit homines, vt vel ipſa morte ſint fortiores. *Secũdum potentiam gloriæ eius in omnem patientiam & longanimitatem.* Audiant hæretici quid illud ſit, quo nos in ſubſtinendo patienter fortes efficiamur & robuſti. B. Paulus declarat eſſe potentiam gloriæ eius. Gloria enim eius nobis propoſita in præmium & coronam ita fortis eſt, vt ſpem in nobis excitet admirabilem ad patiendum alacriter, & ſubſtinendum cuncta extrema. Sic & fortes ac generoſi milites accenduntur, & fortitudinem geminant, cum ad propoſita ſibi hoſtium pretiola ſpolia reſpiciunt. Animaduerte autem quid addat Apoſtolus, *Cum gaudio gratias agentes Deo Patri*, ita vt patientia tribulationum ſit cum gaudio coniuncta, nimirum ſpiritus interno, & cum gratiarum actione. Quod dũ accidit, certò noſcit homo & procul vllo dubio, Chriſtum habitare in corde ſuo, vt cum propheta dicat: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo. Hanc ad eſſe certitudinem omnes antiqui Patres vnanimi conſenſu ex ſacra ſcriptura, quæ nimis clara eſt, teſtantur.

Gratiarum autem actio redditur Patri. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.* Quænam eſt, obſecro, ſanctorum ſors, niſi pati cum gaudio pro Chriſto? Verùm quia & hæretici dicunt ſe pati pro Chriſto, & videntur cum gaudio pati, adiecit B. Apoſtolus doctrinam propriam dicens, *In lumine*, Hæretici præ ſuperbia gaudent quidem in tenebris, ſi modo gaudent. Eſt quoddam gaudium phãtaſticum à falſa perſuaſione & animo obſtinato: ſed verum eſſe ac plenum non poteſt. Non enim adeſt verum lumen teſtificans illis. diabolus ipſe qui inſtigat & ſuadet non venit in lumine. Alioqui nullus cognoſcere poſſet differentiam ſpirituum: quod eſſet abſurdiſſimum. Qui autem patiuntur in Chriſto, in lumine patiuntur, & veram habent certitudinem, dicente illis Chriſto in corde intus apertè: Salus tua ego ſum, noli timere: viriliter age, confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum. Hęc alibi proſequutus ſum exactius propter quorundam errorem, qui aliter falſò, & (meo iudicio) periculoſè ſcripſerunt: quemadmodum etiam viri docti ac pij cenſuerunt.

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, id eſt, dæmonum, qui meræ ſunt tenebræ, cum in illis non luceat Chriſtus veritas: & ipſi ſint dilectores & fabricatores mendaciorum, in quorum poteſtate eramus omnes. *Et tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ.* Regnum Filij regnum lucis eſt. Ego ſum lux mundi, inquit, ille. Sic è tenebris in lucem nos trãſtulit. Vocat autem Filium dilectionis ſuæ tropo hæbraico, hoc eſt, Filium ſingulariter dilectum. Et loquitur ſecundum illam partem qua homo erat. Nam de verbo illo æterno ſecundum æternam naturam fortè aliter diceretur, ne prauè quiſquam intelligeret ipſum eſſe filium adoptiuum. Sed hæc ſcholaſtica ad preſentem locum non pertinent. *In quo habemus redemptionem.* Græci codices habent: *per ſanguinem ipſius*, Eramus nos captiui in manu Dei quẽ offenderamus: in manu peccati, & in manu diaboli, à quibus ſuperati ſumus. At Dominus Ieſus exſoluit Patri pro nobis obedientiam illam, è regione ad inobedientiam primi hominis in ſanguinis ſui effuſione: qua vna opera ſatisfactum eſt Deo recipienti pretium ſanguinis, in quo efficacia obedientiæ inuenta eſt vſque ad inhonorationem ſuæ diuiniratis, quam quodammodo proiecit pro nobis ipſe Dominus: quia nos illam rapueramus. Sic ſatisfactum eſt peccato, cui quaſi pro pretio ille ſanguis eſt perſolutus: & ſimili modo diabolo, qui eam ſanguinis effuſionem clãculum procurauit & expetiuit.

Qui eſt imago Dei inuiſibilis. De Chriſto dicitur ſingulariter atque eminenti modo, eſſe illum Dei inuiſibilis imaginem. De nobis autem dicitur nos eſſe ad imaginem Dei conditos. Nec mihi excidit di-

dictum eſſe ſemel à B. Paulo, virum eſſe imaginem & gloriam Dei, atque ideo non debere velare caput ſuum. Sed hîc dicitur de Chriſto, *qui eſt imago Dei inuiſibilis*, vt intelligeremus eundem Dei Patris qui eſt inuiſibilis, perfectam gerere ſimilitudinem, vt quodcunque eſt in Patre poſſet in Chriſto videri. Ipſemet dixit: Qui videt me, videt & Patrem meum. Vir autem poteſt dici imago Dei viſibilis, id eſt, Chriſti. Chriſtus autem quatenus homo non eſt perfecta Dei inuiſibilis imago. *Primogenitus omnis creaturæ.* Primogenitum vocat illum, vt communiter volunt ſancti doctores, ſecundum æternam generationem, non reſpectu poſteriorum, quaſi alij poſt illum geniti fuerint. Attamen iuxta morem ſcripturæ, primogenitus is intelligitur, ante quem nullus ſit procreatus, non autem poſt quem alius. Dum verò ait, *primogenitus omnis creaturæ*, non reſpicit ad creaturam ſecundum generationis modum, ſed eo ſenſu quaſi dixiſſet, Genitus ante omnem creaturã. Nam quod æternum eſt, præcedere dicitur quodcunque creatum.

1. Cor. 11.

Ioan. 14.

Hæc poſſe dici, & vera eſſe non inficior. An verò ad mentem Apoſtoli hoc in loco aptè accommodẽtur, ego quidem ambigo. Cur enim dixiſſet primogenitum iuxta diuinam generationem, cum non ſolùm nullus genitus poſt eum ſit, ſed nec vllus gigni potuerit? Primogenitus autem, vt exiſtimo, ſemper habet reſpectum ad poſteriorem, ſaltem ſecundum poſſibilitatẽ quæ cogitatur in mente. Abſurdum eſt autem omnino hoc cogitare de Deo: nec in hanc cogitationẽ voluit (mea quidem ſententia) Apoſtolus quenquam adducere. Præterea non idem videtur ſignificare, Primogenitus omnis creaturæ, quod ſignificat, Genitus ante omnem creaturã, ſed quòd inter creaturas ipſe ſit primogenitus. Nam & de creaturis dicitur eas eſſe genitas, non ea conſideratione qua creatę ſunt ab initio, ſed qua ſunt adoptatæ. Vnde frater Domini: Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.

Rom. 8.

Quomodo ſint in Chriſto condita vniuerſa.

Apoc. 3.

Omnes per Chriſtum ſanctificati.

Ioan. 1.

Iac. 1.

Quomodo Chriſtus dicatur primogenitus omnis creaturæ.

Quare exiſtimo catholicè ac verè dici poſſe Chriſtum, in eo quod homo eſt, aliquam genituram habere quæ poſſit cum aliis creaturis conferri, & aliquam prærogatiuã primatus obtinere. Ipſe enim in eo quòd homo ſanctificatus dicitur à Patre, ſed eximiè præ cæteris creaturis. Illa autem ſanctificatio quid aliud eſt, quam quædam ſpiritualis generatio per Spiritum ſanctum facta? Nonne reſurrectio eius dicitur generatio? Ita exponit B. Paulus verbum Dei Patris: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sic ergo quatenus homo ſecundum hunc modum generationis, dicitur primogenitus omnis creaturæ. Hæc autem generatio fuit ſanctificatio & collatio plenitudinis Spiritus reſpectu cæterarum, quæ & ipſæ per Spiritum adoptatæ ſunt. Hæc tamen inter illum & creaturas conſtituitur differentia: Ille quidem ſic ſanctificatus non dicitur filius adoptiuus, ſed naturalis: tametſi hoc habuerit ille homo gratioſè vt eſſet naturalis Filius propter vnam hypoſtaſim, in qua ſunt duæ illæ naturæ vnitæ. Filiatio enim conuenit hypoſtaſi: quoniam de perſona dicitur quòd eſt filius non de natura. Non eſt igitur metuendum iuxta hunc intellectũ, quin ipſe Dominus reſpectu noſtri dici potuerit Primogenitus ſecundum omnem ſanctificationem Primogenitus mortuorum indicitur Apocal. Et ad Rom. Vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres. Huius rei veritatem & rationem indicat hîc B. Paulus ſubdens:

Hebr. 1.

Quia in ipſo condita ſunt vniuerſa quæ in cœlis, & quæ in terra. Perpende rationem. Vnus eſt Chriſtus, vna perſona Deus & homo: & de illa perſona verũ eſt in ipſo condita eſſe vniuerſa. Verùm quid hoc ſibi vult. In ipſo condita ſunt vniuerſa? Quidam exponũt, *In ipſo*, id eſt, per ipſum. Sed iſtud refellitur: quoniam ſtatim dicitur, *per ipſum, & in ipſo.* Alij igitur dicunt, *In ipſo*, velut in exemplari: quia in illo ſunt omnium rerum formæ creabiliũ, ad quarum exemplar ſunt condita quæcunque ſunt. Si res ita ſe habet, non erat dicendum in ipſo eſſe condita vniuerſa. Nihil enim dicitur fieri in exemplari, potius quod fit, educitur. Placet igitur mihi vt dicamus, per ipſum facta eſſe omnia: quia cũ Patre Filius omnem cõdidit creaturam. In ipſo autem ſunt condita omnia tãquam decreto illo capite & fundamento, in quo cuncta collocarentur atque conſiſterent. Quamobrem & principium dicitur creaturæ Dei, in hac ſignificatione: quoniam illi annectitur Dei creatura per fidem, & tanquã palmes in vite manet in illo, ex quo omnem neceſſarium ſuccum trahit. Nemo verò turbetur, ſi ipſe venerit ſecundum tẽpus poſt multos ſanctificatos. Nullus enim ſanctificatus eſt, qui non ex eius plenitudine acceperit. Ille nanq; ſecundum diuinam prædeſtinationem ante omnes fuit. Hoc optimè ſciẽs Magnus ille Baptiſta dixit: Qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat: quæ certè verba noſtram intelligentiam eleganter probant. Oportuit ergo ipſum eſſe Primogenitum, cum per eum condita ſint omnia, & vt in ipſo cõſiſtant decreta. Primò ante omnes creaturas decreta eſt illius creatio ſecundum humanam naturam. Et ante cuiuſlibet creaturę ſanctificationem decreta fuit eius ſanctificatio. Et ita inuenitur Primogenitus etiã reſpectu Angelorum. Nam & ipſi in illo conditi ſunt, & ſanctificati, & glorificati. Audi Apoſtolum claris id verbis exprimentẽ, *Quæ in cœlis & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, &c.* Præfert hîc principatus poteſtatibus. Ac dignitate ſuperiores eſſe poteſtates B. Dionyſius teſtatur. Itaque non ſemper ab ordine nominationis valet argumẽtum pro dignitate excellentiori ſumenda.

Primogenitus in ſcripturis quid.

Et ipſe eſt ante omnes: & omnia in ipſo conſtant. Loqui videtur de Chriſto Apoſtolus ſecũdum quod idem erat Deus Dei patris Verbum. Conſiſtere autem omnia non intelligo ſolummodo quoad eorum eſſentiam (quando quidem nihil poteſt conſiſtere per ſe ipſum in eſſe, niſi ſolus Deus) ſed etiã quoad eſſe quodcunque ſuperadditum, dico eſſe gratiæ ac beatitudinis. *Et ipſe eſt caput corporis eccleſiæ.* Ideo caput, quia ex illo tãquam è capite fluunt gratiæ ſpirituales in nos eius membra, *Qui eſt principium*, videlicet vnde proceſſimus, & in quo conſiſtimus. Neceſſe eſt ergo vt ſit & caput influens, vt poſſimus in eo conſiſtere, *Primogenitus ex mortuis*, Vide vt ſemper primogenitus habet relationem ad alios. Sciendum tamen, eſſe primogenitum in ſcripturis, pletumque ſignificare nõ tam ordinem temporis quàm dignitatem. Chriſtus enim qui reſurrexit ex mortuis, non ſolùm primus fuit ordine

Universidad de Deusto
Biblioteca

quantum adhoc, verùm etiam dignitate primus. Resurrexit enim vt caput totius corporis & primarium membrum, vt sit causa resurrectionis totius carnis. *Vt sit in omnibus primatum tenens.* Dicit, *in omnibus*, vt intelligamus in quouis ordine tam in ordine creationis ab initio quam recreationis: & in ordine naturæ, & in ordine gratiæ. & in ordine visibilium creaturarum, & inuisibilium. Vnde per hæc manifestatur, Christum etiam si Adam non peccasset, venturum. Est enim Primogenitus omnis creaturæ, & in omnibus primatum tenens. Et aliud docere omnino præter rationem est: & omnino destruit hoc apostolicum de Glorificatore encomium. Siquidem primatus iste non est ea parte considerandus qua erat Deus, sed qua erat homo: quanquam ratio & causa primatus huius hominis esset ipsa Deitas.

Pro Christi aduentu etiam Adã non peccante.

Quoniam in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Complacuit, beneplaciti verbum est excludẽs omne meritum respectu talis plenitudinis. Nam hac posita plenitudine, exorta sunt eius merita. Et cum dicit, *omnem plenitudinem*, intellige possibilem excogitari: quoniam gratiosè insita est illa humana natura in supposito, & repleta cunctis donis quæ possint excogitari, ita vt nihil addi possibile fuerit. Iccircò ipse est peculiare & dignum Deo templum, in quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, in quo Deus Pater bene sibi complacuit. Dicitur autem diuinitatis plenitudo inhabitare: non quia diuinitas recipiat diuisionem, & possit ex parte inhabitare, & ex parte non: sed quia diuinitas nullum sibi donum seruauit quod non contulerit Christo, de cuius plenitudine nos omnes alij acciperemus. Nihil enim plenius potest excogitari quàm illa eximia vnionis gratia, cui cõsequentissimè omnia dona debebantur, cum per illam ille homo verè esset filius Dei.

Matt.17.

Et per eum reconciliari omnia in ipso. Eo enim modo quo condita sunt per ipsum efficaciter omnia, & in ipso: ita decuit & per ipsum instaurari & reconciliari omnia in ipso, quæ dissoluta erant, & sub ira Dei propter peccatum. Vbi etiam aduerte omnia condita esse per ipsum secũdum quod erat Deus & Verbum Patris. In ipso tamen condita sunt non solùm quatenus Deus, sed etiam secundum quòd homo. Nam designata sunt omnino, vt in eo Christo homine consisterent. Quoniam verò disiecta erant & perturbata omnia post peccatum, secundum esse gratiæ non amplius in ipso consistentia, reconciliari oportuit vt rursum in ipso consisterent. Quare addit: *Pacificans per sanguinem crucis eius.* Græcè additur, *per ipsum*, volens significare oblationem illius sanguinis per summum Sacerdotem factã. Vnde pacificata sunt omnia & quæ in cœlis & quæ in terra. De cœlis haud dubium. Factũ enim est prælium magnum in cœlo. Sciendũ tamen omnia pacificata fuisse in spe regni Christi futuri, per quod omnino reparari debebant Angelorum ruinæ. Hoc post enarratam illam eiectionem & ruinam Dilectus declarat, aiens: Et audiui vocem magnam in cœlo dicẽtem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius.

Apoc.12.

Attamen cum postmodo astu & inuidia diaboli labefactata esset à peccato terra, & corruissemus omnes: non modo turbatum est regnum Christi, quin etiam ita deperditum totum vt nullum iam maneret, nisi ipse denuò (quatenus fieri poterat) illud sibi acquireret & instauraret. Cœlum enim deplorabat suos ciues, dum nec Angelos suos qui ceciderant, videbat: & qui ad reparationem loco illorum instituti erant, exturbatos arte diaboli lugebat. Christus ergo rursum per sanguinem suum pacificauit omnia. Per illum viuificati sunt homines terreni: & multi eorum facti sunt & fiunt in noua pugna cũ illo, victores demonum. Dilectus superioribus verbis istud adiunxit: Quia proiectus est, inquit, accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte: & ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui: & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitabis in eis. Vide quàm apositè & concorditer ad hoc, quòd pacificata sunt omnia in cœlis.

Sed dubium est, quo pacto in terris sint pacificata omnia. Hoc nedum apparet verum, sed falsum omnino videretur, si quorundam opinionem sequuti, sustinere velimus fusum sanguinem pro solis prædestinatis atque electis ab initio: ita vt secundum diuinam dispositionem, de illa humani generis massa ante vlla præuisa noua merita aut de merita quidam, id est, plurimi relicti sint in sua illa perditique. At illud manifestè non fuit pacificare omnia: quoniam ira Dei æterna mansit super illos plurimos, quibuscum pacem minime fecit. Ideoque nulla ratione video posse illud asseri: Imò verò absque horrore audire non valeo. Pacificauit certè omnia omnium Saluator ac Redemptor. Et nisi quid noui accidat: aut nisi quis in nouum crimen sua sponte incidat, nullus non restituitur. Nullus inquam ob illud peccatum vetus æternas pœnas recipiet, Vt sæpius efficaciter & copiosè probauimus.

Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cœlo est. Cuius factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis: & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbũ Dei, mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus. Nunc autem manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in Gẽtibus, quod est Christus, in vobis spes

gloriæ: quem nos annũtiamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu: in quo & laboro certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.

Et vos cum essetis aliquando alienati, &c. Hoc in loco commemorat fructum euangelij in illis secundum efficaciam: & quomodo de potestate tenebrarum trãslati sint in regnum Dei. Vocat illos olim alienatos à Deo: vocat etiam inimicos sensu, aut potius mente in operibus malis: quoniam probabant ea, & consentiebant peccato secundum superiorem hominis partem, quæ est mẽs & voluntas. Et ait eosdem esse reconciliatos Deo, non ex operibus cum mala essent, nec operari bona possent. Reconciliationem ergo factam docet in corpore carnis Filij, in quo Deus posuit peccata nostra, & per eius mortem inueniuntur extincta omnia: modo applicetur nobis mors eius, quod fit per baptismum. Hactenus nobiscum hęretici conuenire videntur. At in iis quæ sequuntur, & in quibus est lucrum nostræ salutis, maxime dissentiunt. Apostolus enim quem recõciliationis finem ponat, attentè & non surda aure audiamus, ait:

Exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. Hic est sensus apertus: Sic reconciliauit vt exhiberet vos sanctos non imputatione, sed veritate, *& immaculatos*, id est, absque macula criminis, *& irreprehensibiles*, id est, nulla dignos reprehẽsione: non coram hominibus qui decipi possunt, & sæpè decipiuntur, sed, *coram ipso*, Deo. Nec tamen sic ad minutum exactio ista irreprehensibilitatis intelligenda est, vt omni penitus vacet culpa, cum id non permittat humana fragilitas: Sed satis est irreprehensibilis habendus, qui abstinet à crimine, nec est præuaricator vel transgressor præcepti: quibus vocibus peccatum mortale significatur. Hoc igitur est quod à nobis exigit Dominus, & non fidem tantum otiosam ac mortuam. Hoc autem præstamus, si amplexamur Mediatorẽ syncerè & absque dolo: tum ipse per gratiam adueniens purificat corda. Illud verò non satis est, sed oportet permanere in fide stabiles. Hoc fatentur etiam hæretici, sed satis esse asserunt. At longè falluntur ipsi, & alios insuper fallunt. Vide quid addat B. Paulus:

Et immobiles à spe euangelij. Non est autem immobilis à spe euangelij, qui destitutus est gratia per culpas & peccata, & vacuus est bonorũ operum. Vera spes euangelij innititur in operibus bonis, vt sit ea spes quæ non confundit, quæ & charitatem, teste Apostolo, secum habet comitem. Hæc hæretici qui à sola fide pendẽre volunt, non põderant: ideo semetipsos primùm, & deinde alios qui illis habent fidem, fide vera & viua spoliant, & miserandis modis occidunt ac perdunt.

Prosequitur B. Paulus de euangelio quod illi audiunt, contestans vel eo tempore esse prædicatum *in vniuersa creatura quæ sub cœlo est.* Non tamen intelligas vbique locorum tum fuisse prędicatum, sed quod illius fama ad omnes iam peruenerat nationes quæ sub cœlo erant: & de notis Gentibus loquitur. Romæ enim, Ierosolimis, & aliis multis celebris famæ locis, vbi iam prædicatum erat euangelium, habitabant cuiusliber nationis viri. Alioqui testatur B. Augustinus nec suo tempore ad omnes orbis partes peruenisse euangelicam prædicationem. Cum autem ie B. Paulus ministrum euangelij dicat, vt hoc probaret, adiecit: *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis.* Hic notanter dixit Caietanus animaduertendum esse, quòd manifestè per hoc gaudium in afflictionibus comprobatur verus euangelij minister: vt inde colligamus certitudinem gratiæ ex tribulationibus patienter toleratis sentiri.

Et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Hæc Apostoli sententia hæreticos prorsus iugulat & confodit: nec habent quod respondeant, nisi fucos, & meros cauillos solitis blasphemiis mixtos. Quocirca prius quàm id istius loci veram expositionem descendã, recitabo verba ex commẽtariis cuiusdam illorum Burlingeri, vt prudẽs & suæ salutis cupidus lector dignoscat, quàm ipsius vi veritatis premãtur, dum sic ad excaudescentiam ad pretexendum falsitatis aliquem colorem confugere compelluntur. Detorserunt (ait) blasphemi quidam homines hunc locum in cõtumeliam absolutę satisfactionis Domini Iesu, quasi illius merito nonnihil desit, quod per nostras vires, per nostras afflictiones, perque egregia nostra opera meritoria suppleri possit. Verum animus horret ad tantam blasphemiam. Peccatur hac expositione in præcipuum dogma fidei Christianæ. Omnis enim scriptura, & Sancti omnes ab exordio mundi testantur pretioso Christi sanguine dilui peccatum totius mũdi. Et idem hic Paulus: alibi nõ reputat afflictiones præsentis temporis quicquam facere ad gloriam futuram, quæ erga nos reuelanda est. Et communis sensus suggerit nullam esse collationem rerum terrenarum & imbecillium ad cœlestes ac perfectissimas. Pudeat ergo vos istius fœdi, blasphemi, sacrilegi atque abominandi commẽti. Vestra ne imbecillitas expleret, quod absolutissima filij Dei perfectio imperfectum reliquisset? O diabolicam præsumptionẽ. Hæc iste infœlix calumniator, & sui erroris frigidissimus defensor. Audi, quæso, quo pacto locum ipsum interpretetur, & qua de re nos, id est, Catholicos reprehendat: continenter etiam subdit: Audite Paulum Græcè planius loquentem, καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ, id est, & suppleo quæ superãt (non quæ desunt) afflictionibus Christi. Nam ὑστερήματα vocant Græci non modo ea quæ desunt, sed posteritatem quoque & reliquias: quo verbo vsus est Ambrosius. Quæ supersunt, & quæ posterius relicta sunt. Christus autem afflictus est pro nobis, ait Petrus, nobis relinquens exemplum vt insectamur vestigia eius. Hasce ergo reliquias explesse se dicit Apostolos. Hæc istius iterum dicam, verè infœlicis hæretici verba. Lector attende. Pauca quædam de vocabulo ipso præmittenda sunt, postquam iste homo nos ad significationem Græcè vocis tanquam perperam transfratæ, prouocat. Et agnosce magnam illius iniquitatem cum pari imperitia coniunctam. Fatetur ipse vocabulum eam significationẽ habere, in quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud vertit noster interpres, cum dicat non modo significare quæ desunt, sed etiam quæ supersunt, & quæ posterius relicta sunt. Qua ergo impudentia interpretem suggillas Burlingere, cum vox ipsa, te iudice, illud significet? imò verò cum omnes Græcæ linguæ peritissimi sic interpretati sint? imò cum nec aliter quisquam, nisi desipiat, interpretari possit? An non dicit Apostolus se supplere? Quid autem suppletur? quod superabundat, an quod deest? Itaque ob id etiam significat quod posterius relinquitur, quia hoc posterius deest priori. Nec tibi tanquam verum damus, vt significet ea quæ supersunt, nisi in hanc significationem, quòd ea quæ supersunt, nōdum sunt, sed posterius sunt ventura. Ipsa eadem prorsus voce vtitur ipse B. Paulus
1. Thess. 3. ad Thess. scribens, vbi ait se complere quæ desunt fidei eorum, in eandem significationem qua nunc vtitur.

Verum te rursum cōuenio homo miser, qui tanquam pro euangelio certans nos blasphemos appellas, qui, si tibi haberetur fides, deterferimus locum hunc in cōtumeliam absolutæ satisfactionis. Quid est ergo illud reliquiarum, quas se supplere hic testificatur B. Paulus? Dic sodes, exue pudorē? Exemplum, ais, quod reliquit Dominus. Sed exemplum quod ille reliquit nō suppletur: nec est quicquam posterius quod ipsum suppleat exemplum tam perfectū, etsi relictum sit posteris sumendum. Oportet ergo fatearis imitationem supplesse Pau-
1. Cor. 2. lum, quæ superat. Nunc audi: Nōne B. Paulus aliâs dicit, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi? At cur non fit iniuria absolutissimo exēplo? Si datus est nobis in exemplum, quid oportuit adiungi Paulū? imò Paulum ipsum se ostētare exemplum? Nunquid tortè exemplum illius imminutum fuit? Absit. Quemadmodum igitur non obstitit perfectissimo Capitis exēplo, si & alij eius excellentiores imitatores valerēt aliis se præbere exemplum: ita perfectissimis eius meritis & satisfactioni non derogat quicquam, dum aliorum merita & satisfactiones pro aliis comparātur & prosunt. Vt enim hoc illi possent, ipse Christus meruit: & vt efficerent ipse voluit, dedit, atque eosdem adiuuit.

Quod vt latius adhuc declaremus, Videamus primò veritatem iuxta sensum ecclesiæ, de satisfactione & meritis Christi, quæ suis afflictionibus pro nobis comparauit. Hæc solida ecclesiæ sanctæ Dei est doctrina. Christum Iesum Redemptorem nostrum sua passione & satisfactione, aut suæ passionis meritis operatū esse omnibus remissionem peccatorum. Verùm hoc non absolutè, sed ordinatè iuxta debitas & opportunas conditiones, videlicet si merita illa applicentur, & gratia donetur, & statuatur homo vt decet in Christo Iesu. Applicatio autem illorum meritorum fit per fidem & sacramentum. Quòd verò quidam ad fidem veniant & suscipiant sacramenta, prodest oratio & merita sanctorum. Quòd autem recipientibus sacramentum primum baptismi tollantur prorsus peccata omnia, sola Christi passio & satisfactio operatur, idq; nemo negat Catholicorum. His autem qui sunt in Christo per fidem, & iam in corpore ecclesiæ membra Christi capitis facta, si iterum peccatis succumbant, sanctorum eis orationes & passiones prodesse vt reuertantur & viuant, & ad satisfactionem peccatorum si modo illi resipiscant, nulla fuit vnquam apud Catholicos dubitatio. Ecce Saluator noster ad orationem & Matt. 9.
fidem aliorum mouetur, vt paralitcū sanet à morbis peccatorum. Hoc manifestè probat euangelica historia. Si orario sanctorum ad hoc prodest, nunquid ergo Christi orationi infertur iniuria orantis pro omnibus, tanquam aliquid ei defuerit? Absit. Non valet ô hæretice, non valet inquam argumentum hoc tuum: quoniam per orationem Christi effectum est vt & orationes sanctorum valerent: vnde cuncta tandem concluduntur in meritis Christi. Et ob hanc gratiam in ecclesia Spiritu sancto rectore, omnis oratio in qua intercessiones Sanctorum implorantur, ita concluditur: per Dominum nostrum Iesum Christum. Haud aliter est in satisfactionibus à reatu pœnarum. Prosunt quidem nobis afflictiones Sanctorum, vt pœnæ nobis debitæ hoc modo per illos persoluantur. At quòd sic nobis prosint, de meritis ipsius Domini processit, vt & merita Sāctorum merita illius censeantur. Nam totum ecclesiæ corpus cum capite, vnus est Christus qui dicitur mysticus, quem totum oportet esse plagatum, vt à vertice capitis vsque ad plantam pedis non sit in eo sanitas, tum ad satisfaciendum, tum ad promerēdum gloriam. Sic ipse & satisfecit pro nobis egenis, & sibiipsi gloriam maximam promeruit.

Redeo nunc ad præsentis loci interpretationem. Primò dixerat eos reconciliatos fuisse Deo, idque per mortem & satisfactionem Domini. Nullus enim alius Sāctorum suis passionibus ad hoc opus concurrit, nisi solo prædicationis ministerio. *Cuius factus sum minister*, Deinde ait, *Nunc*, quando, *nunc?* nisi post eorum reconciliationem, postquam sunt facti membra Redemptoris, & capacia recipere salutiferos influxus per alia potiora membra? Nunc igitur gaudeo in passionibus meis. Quare gaudes Apostole sancte in passionibus tuis? Quid enim boni in his inesse potest: Certè passiones in seipsis nedum bonę non sunt, sed malæ. Ait ergo tāquam respondens, Gaudeo, *pro vobis*: ac si dixerit: Ego ob eam causam lætitia afficior, quoniam passiones istæ vobis prosunt. *Et adimpleo.* Et pro, quia, vsitatū in scripturis: quia adimpleo, aut (vt volūt) quia suppleo quæ desunt, aut quæ addendę supersunt, sic enim desunt: *passionum Christi*, id est, earum passionum quæ ipse pertulit. Suppleo autem illas, *in carne mea*, id est, in exteriori homine: nam interior homo gaudebat. Patiebatur autem pro corpore eius quod est ecclesia. Hic clamat hæreticus quasi zelās contra nos, imò non contra nos, sed aduersus Apostolum, O blasphemi, ô sacrilegi, ô abominādi. Non ergo satis passionum pertulit Christus ad absolutissimam satisfactionē, vt necesse fuerit etiam Paulum pati? Audite, quæso, & intelligite ne tanto zelo inflati ac distenti rumpamini.

Fuit quidem refertus passionibus Dominus pro vniuersa ecclesia redimēda, ad quem finem ille venit, & nihil ei defuit passionum ad recōciliandam illam. At post recōciliationem cum membra sponte sua relabuntur in peccata, variasque infirmitates & reatus, vt iterum instaurentur non habent sicut à principio habuerunt, satisfactionem primariam à passionibus Domini integram. Non quasi

passiones illius & merita exhauriantur, quæ sunt immensa & infinita: sed quia non decet vt sic viliter & tāto contemptu expendantur, & ita non semel, sed bis, & ter, & decies, & centies, & millies, & denique assiduè atque iterū crucifigatur. Quod esset, si postquā semel applicata est cuiquā mors, etiam rursum velit ille sibi applicare, & quodammodo iterum mori pro se, atque ipsum habere o-
Hebr. 6. stentui, vt ait B. Paulus. Ergo post reconciliationem nato nouo peccato, non vult Dominus ex integro pro his satisfieri ex suis passionibus, ita vt omnis pœnarum reatus tollatur: sed æquissimè voluit ipsum membrum quod peccauit, pro se satisfacere. Et cum ipsius ecclesiæ quæ est vnum corpus, multa sint membra, voluit pro decentia vt vnum membrum possit etiam pro alio pari ac satisfacere propter colligationem in vno spiritu: vt quod vnum membrum pro alio persoluit, ipsum persoluisse apud Deum censeatur.

Cum autem maiora Christi & nobiliora membra post recōciliationem suam innocenter viuentes, vt magis conformes essent imagini Capitis, pertulerint passiones supra modum, voluit Deus (& hoc per merita ipsius Primogeniti) vt illæ passiones cederent in bonum & in satisfactionē aliorum membrorum: quod ad maiorem ipsius Ducis gloriam facit. Saluator enim primò solus suo sanguine redemit & acquisiuit ecclesiā. Acquisitam verò non solus vult conseruare & ei prodesse. Sed quò strictius nos amoris vinculo vniret, disposuit vt membrum à membro iuuaretur, & aliud pro alio egente satisfaceret. Non inquam (crebrius propter surdos hereticos dicendum est) quasi sint eius exhausta merita: imò quia eius meritis hic honor est comparatus, & hic datus membris spiritus, vt se inuicem iuuare possent. Et hæc est communio Sanctorum in Apostolico symbolo, quam hæretici non accipiunt: & quod est ad maximam Christi gloriam, calumniosissimè ad illius detrimentum conuertunt. Desunt ergo passiones Christi, non qui minime sit ad summum passus: Vel cuius meritis adsit aliquis defectus, quasi non abundauerit meritis supra omnem modum: sed quia non vult Dominus sic expēdi merita illa sua nisi præscripto modo, vt detur locus Sanctis suis ad supplendum, quod etiam contrahitur de ipsius Christi meritis. Nam Sanctorum merita, Christi sunt merita. Ipse hoc meruit vt illa essent: & iam eiusmodi merita vnum sunt cum Christo. Vnde & ipsum persequitur, quicūque ecclesiam persequitur, vt Paulo fuit à Domino exprobratum.

Pro indulgentiis. Et hinc conflatur thesaurus ille meritorum capitis Christi, & sanctissimæ Virginis Matris, & Sanctorum Dei: cuius credita est dispensatio beatissimo Papæ summo eius in terris Vicario: inde effluunt indulgentiæ. Hunc thesaurum & hanc potestatē dispensandi rident irrisores hæretici, qui paulò pòst & ipsi miseri dabunt irrisionis pœnas, nec ridebunt vlterius, qui defraudant miseras & peccatrices plebes suas tantis bonis atque subsidiis, vt non cōmunicent cum Sanctis, nescientes vnguentum quod descendit in barbam prius, ac deinde in oram vestimentorum Aaron. Ne quis autem falsò putet hæc à nobis Pontificibus assentandi gratia dici, addimus nos minimę negare fuisse in huiusmodi dispensationibus indignos abusus. Non negamus, non defendimus. Verùm quid hoc ad rei veritatem destruendam? Abusus ipsi corrigendi erant, non tollenda potestatis veritas. Sed hæc de re satis. *Cuius factus sum ego minister.* Dicit se ministrū ecclesiæ, qui antea dixit euangelij. Ibi de re quam ministrabat loquebatur: hic de personis pro quibus, aut in quorum gratiam ministrabat, qui erant ecclesia. Potest etiā dici minister ecclesiæ, hoc est, ab ipsa ecclesia ordinatus, & ecclesiæ nomine id agens, id est, capitis ecclesiæ. Sic & nos omnes tales ministri sumus, vt ecclesiæ voce intelligas summū & primarium Prelatum. Eo sensu intellexit Domi nus, cum dixit: Dic ecclesiæ, vt sancti Doctores ex Matt. 18.
ponūt. Hoc autem ministerium se à Deo accepisse non ab ecclesia, quod subiicit declarat. *Secundum dispensationem Dei quæ data est mihi in vos*, id est, erga vos, quia peculiariter ad Gentes erat electus Apostolus. *Vt impleam verbum Dei*, quo pollicitus erat & ad Gentes peruenturum regnum Dei. Hoc Dominus sæpenumero incredulis comminatus est Iu
dæis, qui obiecerunt: Nunquid in dispersionē Gen Ioan. 7.
tium iturus est, & docturus Gentes? In parabola autem vineæ, quando conclusit. Auferetur à vobis re Matt. 21.
gnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, cognouerunt principes, ait Euangelista, quòd de ipsis diceret. *Mysterium quod abscōditum fuit à sæculis.* Iam expositum est ad Ephesios. Vocat mysterium arcanum illud ignoratum à sæculis, hoc est, à filiis sæculi huius. Vel *à sæculis*, id est, ab initio sæculorū. Sed primū verius, cum addat, *Et generationibus*, quæ in sæculis variæ extiterunt. Erat enim Iudæorum generatio: erat & Gentilium qui in plures distribuebantur, in Græcos & Barbaros, & tamen notum fuit multis vtriusque gentis prophetis.

Nunc autem manifestatum est sanctis eius. Quamuis scripturæ id cōtinerent, non tamen cum esset contectum velis, intelligebatur. Ideo ait esse nunc manifestatum à Deo sanctis eius, per quos ipsis sæculis ac generationibus manifestaretur. *Quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ mysterij huius in Gentibus.* Significat apostolicam prædicationem à Deo mandatam, qua mysterium hoc Gentibus patefieret in signis, & prodigiis & portentis admirandis: sicut ex parte in Actis Apostolorum videre licet. *Quod est Christus in vobis spes gloriæ.* Sic Latinè legitur, & ad mysterium referri debet. Græca tamen lectio patitur vt ad diuitias illas gloriæ, quas ait esse Christum in illis, referatur: quoniam arrha Spiritus quæ datur Christianis, non aliud est quam Christus fide receptus ac dilectione, qui solus omnes superat mundi huius diuitias etiam cum persecutionibus. Sed huiusmodi fœlicissimas diuitias nemo probat, nisi prius à perituris liberet prorsus animum, & Christum absolutè sequatur. Tum inuenit pretiosam margaritā, & thesaurum in agro absconditum etiam in hac vita. Audi Euangelistæ testimonium. Respondens Iesus ait: Amen dico Marc. 10.
vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter euangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc, & in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus: & in sæculo futuro vitā æternam. Videtur nūc quidem Christus per speculum

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ænigmate, & ipse est spes gloriæ nostræ perfecta, qui arrham donat quæ certos nos interim facit de futuro, modo maneamus in accepta gratia.

Quem nos annuntiamus, corripientes (aut potius admonentes) *omnem hominem, & docentes.* Et hîc addit tu apud Græcos codices, *omnem hominem*, Nam & doctrina omnibus est necessaria. Scriptũ erat: Omnes erũt docibiles Deo, id est, accipient quę necessaria sunt, vt homo dirigatur ad Deũ. *In omni sapientia*, quæ ad finem respicit, & ad illum conducit. *Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Audi tu quicunque ignoras diuina dona & virtutem Dei, vt dum negligenter operaris, promptissimè te excuses & dicas. Non possumus omnes esse perfecti. Non omnes possumus renunciare omnibus quæ possidemus. At hîc Apostolus omnẽ hominem docebat, vt exhiberet omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Non dixit perfectũ absolutè, sed in Christo Iesu, in quo quilibet existens aliquo modo dicitur perfectus, si manet in charitate. In Chtisto enim Iesu omnis imperfectio per synceram confessionem absorbetur, vt perfectus dicatur qui imperfectionem suam & agnoscit & cõfitetur. Sunt tamen gradus siue status diuersi in ecclesia & regno Christi, quibus inuicem comparatis, alius perfectionis præ alio dicitur, vt Episcoporum status qui exigit charitatis opera summa & perfecta. Item status Regularium, qui ea profitentur quæ ad perfectionem strictiorem facilius conducunt. Cæterum illud non prætereundum est silentio, vt attentè lector consideret, quam crebro B. Paulus non ab re repetit omnem hominem, dicens, se admonere omnem hominem, docere omnem hominem, deniq; exhibere perfectũ omnem hominem in Christo Iesu. Hæc inquam omnino consideranda sunt aduersus dogma illud hac tempestate à quibusdam cum magno populorum scandalo prædicatum de electis & relictis in massa perditionis: quo nihil potest perniciosius in vulgus spargi, vt superius docuimus. *In quo & laboro certando secundum operationẽ eius, quam operatur in me in virtute.* Hic finis omnium laborum & certaminum Christi, & Apostolorum, vt per eos perfecti simus in Christo Iesu ad omne opus bonum instructi. Notabis autem illud, pie lector, quomodo semper Apostolus virtuti Dei in se operantis tribuit omnia, & præsertim opera illa quæ faciebat heroica, & diuinæ fortitudinis ac potentiæ plenissima.

Ierem. 31.

2. Tim. 3.

CAP. II.

VOLO enim vos scire qualẽ solicitudinem habeã pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiceæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne, vt consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitione mysterij Dei & Patris, & Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientię absco̅diti. Hoc autẽ dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum: sed spiritu vobiscum sum, gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quę in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum nostum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & cõfirmati in fide (sicut & didicistis) abũdantes in illo in gratiarum actione.

Volo enim vos scire, &c. Facilis textus. Insinuat desyderium illud quo accendebatur, vt scirent suam sollicitudinem quasi maternam. Græcè legitur, *Agonem*, quem de illis, & iis qui erant Laodiceæ, sentiebat: tametsi de facie non esset illis notus. Laodicea de qua hîc loquitur, erat vrbs Asiæ. Idque vt consolationem caperent in cordibus suis, *Instructi in charitate.* Potius constructi, compacti, seu conglutinati in charitate. Etenim summa consolatio est fratrum in Christo compactorum, cum audiunt prouentum fidei, & Christi gloriam crescere. Hac experientia recreatus Propheta. Ecce quàm bonum, ait: & quàm iucundum habitare fratres in vnum. *Et in omnes diuitias plenitudinis intellectus*, Vox, πληροφορίας, quam interpres reddit, plenitudinis, significat certam notitiam ac persuasionem absque vlla dubitatione in intellectu. *In agnitionem mysterij Dei Patris, & Christi Iesu.* Græcè legitur, *& Patris, & Christi*, In his duabus personis proculdubio cõsistit notitia totius mysterij: quoniam consequenter vtriusque Spiritus subintelligitur. Imo vel in solo Christo, cum dicat ille. Qui videt me, videt & Patrem meum. Et hoc ipsum magis declarat Apostolus, dicens, *In quo*, nimirũ Christo, *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Maximè certè est scientia nosse Christum, vtpote in quo abscondita sit tota Patris sapientia, omniumque notitia scitu desyderabilia ac periucunda: quæ enarrare lõga esset historia, nec nostræ facultatis.

Psal. 132.

Ioan. 14.

Hoc autem dico. Perpẽdens Apostolus humanam miseriam: & nisi verè ac perfectè radicatus sit in Christo, posse facile hominem per tentationes, & tedium aduersus exercitium bonæ vitæ, & per falsos suasores seduci ac decidere, solicitudinẽ suam, & solicitudinis quam de eis habebat, explicat rationem, dicens: *Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.* Græca vox, πιθανολογίᾳ, vna est quæ significat sermonis (vt ita dicam) persuasibilitatem. Sed regnũ Dei non est in sermone, sed in virtute & veritate quę penetrat cor, non quæ aures demulcet. Omnes fermè heresiarchæ diserto sermone & eloquẽtia valuerunt. Adiuuãtur enim (quod multi non credũt) à diabolo, qui rhetor est & sophista egregius. Tales ille nobis hac tẽpestate peperit. Ne autẽ videretur B. Paulus solicitari frustra, ait: *Nã etsi corpore absens sum: sed spiritu vobiscum sum, &c.* solicitudine & affectu dilectionis. Notẽt quibus cura animarum cõmissa est, & potissimum mercenarij qui corpore quidem præsentes plerunque sunt vt emungant crumenas, non vt emũdent conscientias. Charitate autẽ longissimè recedunt, non quidem mutando locum, sed substrahẽdo solatium. At non sic Apostolus, qui etsi spiritu cum gaudio videret ordinem & firmamentum fidei illorum, non tamen ita constabilitum, vt non prospiceret imminere à falsis doctoribus periculum.

Hortatur itaque vt firmi perstare velint.

Sicut ergo accepistis Christum Dominum, id est, quòd ipse est Dominus, qui proprio sanguine nos acquisiuit, & à dominatu Tyranni crudelissimi eripuit, *in hoc ambulate*, proficiendo assiduè per opera bona, *radicati & superædificati.* Melius Græcè, radicamini & superædificamini in ipso, & confirmamini in fide, *Sicut didicistis*, siue edocti estis. Opera bona sunt quæ hanc radicationem & superædificationẽ & confirmationem fidei operantur, sicut Apostolorum Princeps ait: Satagite vt per bona opera vestra certam, seu firmam, vocationem & electionẽ vestram faciatis. Est autem notandum cœlitus particulari dono Apostolum fuisse preditũ, quo propheticè preuidebat quo in statu ecclesiæ versarentur. Curam enim de illis habebat, nec vbique præsens corpore esse poterat. *Abundantes in illo.* Græcè, in illa, videlicet fide, & emendatius. Abundat autem in fide, qui per dilectionem operatur, *In gratiarum actione.* Hęc maximè necessaria est. Quid magis debitum quàm grata memoria? Quid viuacius vt conseruentur & augeãtur dona? Alioqui & quę data sunt, meritò auferuntur.

Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mũdi, & non secũdum Christum. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo & circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circũcisione Christi, consepulti ei in baptismo: in quo & resurrexistis per fidẽ operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Et vos cũ mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donãs vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in semetipso.

Videte ne quis vos decipiat, &c. Postquam monuit ne se per eloquentiam & persuasibiles sermones seduci paterentur: Nũc rursum monet caueant ne decipiãtur, aut ne captiui & præda fiãt per laqueos philosophiæ, & verba ad fallendum composita, *secundum traditionem hominum.* Erãt philosophorum traditiones, quæ in Græciæ gymnasiis regnabant, & obstabant fidei nostræ. Verbi gratia: Ex nihilo nihil: in nihilum nil posse reuerti. Aut: A ptiuatione ad habitum non est regressio. Aut: Accidentis esse est inesse, & alia huiusmodi. Ex quibus nisi sobriè intelligantur, fidei nostræ tolluntur fundamẽta. Ex prima enim tollitur mundi creatio: Ex secunda negantur miracula multa, & ipsa resurrectio mortuorum. Ex tertia, sacrosanctum Altaris sacramentum. Illæ igitur dignitates aut falsæ sunt, & nõ dignitates: aut sunt secundum causas naturales ad mittendæ. Nulla enim, præter Deum, effectrix causa potest quicquam generare aut creare ex nihilo, hoc est, non præsupposito subiecto, & per modũ generationis. Nec potest esse ex naturæ potentia resurrectio mortuorum, nec visus restitutio, nec accidens sine subiecto. At Omnipotenti Deo hæc esse impossibilia, nec vlla est ratio vel apparens. Quare ex qua die cœpi iis studiis vacare, non valui satis demirari nonnullos philosophos, qui ex philosophia se aliter esse persuasos confitebantur, non minus ignorantiam, quàm perfidiam præ se ferentes. Contra hos ergo Apostolus hoc in loco hortatur, & veram tangit eorum erroris causam, qui scilicet è traditione hominum sumunt falsa illa & inania principia.

In Philosophos malos & proteruos.

Quòd si quis obiiceret: Illæ hominum traditiones nonne à sapientibus ratione constitutæ sunt vt essent euidentes? Respondet Doctor noster, illas traditiones esse *secundum elementa mundi*, id est, acceptæ sunt ab elemẽtis mundi, ab ordine & causis quæ conspiciebantur in mundo. Cum enim viderent nihil produci in esse non prius existẽte materia, dixerunt absolutè mundum nõ potuisse produci, sed fuisse ab æterno. Cumque nullum pariter vidissent ad habitũ ab ipsa priuatione regressum, simpliciter id fieri posse inficiebãtur. Similiter dũ contemplati fuissent proprium esse accidentis inesse, crediderunt hoc venire in eius rationẽ, & de essentia eius esse. Sed nõ ita est. Aliud est enim accidens, & aliud substantia. Enimuero licet accidẽs ob imbecillitatem sui esse eius sit naturæ, vt non quæat naturaliter per se consistere: nonne qui dedit esse cunctis, sua virtute poterit etiam inualida substentare? Et qui est Dominus ordinis & causarum nunquid alligauit sibi manus, quo minus valeat præter illum ordinem, & preter illas causas operari? Itaque manifesta est philosophorum fallacia qui ex his elementis constituunt sibi principia quæ iuuant quidem ad intelligentiam virium naturæ, sed non aduersus omnipotentiam, quæ non inde accipienda est, sed ab altiori & longè perfectiori principio, nimirum à Christo. Vnde ait:

Sed secũdum Christum. Est autem istud secundum Christum: Non esse impossibile apud Deum omne verbum: Et illum esse fontem & initium omnium existentium, & vitam omnium viuentium, & resurrectionem cunctorum morientium. Nec tantùm Christo omnia esse possibilia, sed & omni in illum credenti. Hæc autem verissima esse non verbo nudo pronunciauit, sed experimento & re ipsa declarauit, cœcos illuminans, suscitans mortuos & seipsum: & alia innumera nedum faciens ipse, quin etiam dans aliis eadẽ & maiora faciendi potestatem.

Ex hoc loco insipienter intellecto acceperunt quidam stulti & insipientes homines ansam ad errorem. Damnarũt enim propterea scientias & artes quæ naturali lumine constantur: quoniam hîc dãnata ab Apostolo philosophia videtur. Et non aduertunt imprudẽtes, quænam philosophia damnetur. Neque enim vera philosophia ab Apostolo damnatur: sed ea quæ per hominum placita & traditiones conflata est, quæ aduersatur Deo, nec vlla ratione naturali vera & efficaci cõsistit. Alioqui la

Contra dãnantes scientias sæculares.

Universidad de Deusto
Biblioteca

men lumini non aduersatur:imò fauet, imò præsupponitur. Si careremus naturali lumine, quo pacto additi posset supernaturale? Ipsemet Apostolus doctor noster plerunque naturalibus vtitur rationibus,quæ valent apud homines ad ea persuadenda,quæ sunt super ordinem ipsius naturæ.

Detorquent verò hæretici (quo genere hominum nihil captiosius magisque subdolum fingi potest) & hunc locum contra ecclesiastica instituta, quæ quasi traditiones hominum reiiciunt. Quidam ex illis hoc in loco,ita scribit: Hoc autem philosophiæ genus sequebantur Colossenses pseudoapostoli,partim circuncisionem,sacrificia, & legalia vrgentes,quasi ad iustificationem & veram sapientiam parandam Christus solus inefficax sit. Hodie quoque videre est quanta supellectile quidam doceant opus esse ad consequendam vitam beatã. Nec sine probitatis specie, sine rationibus: Adde & sine scripturarum locis,sed detortis, id faciunt. Alius enim vires liberi arbitrij prædicat, alius opera meritoria & satisfactoria iactat, alius monachatus regulas, easque varias & seueras laudat,alius Diuorum,Missarum, & indulgentiarum largissimas gratias amplexandas suadet. Perrarò fit mẽtio Christi & expiationis eius. Scriptæ sunt de his amplissimæ disputationes. Cæterum damnãtur hic omnia à Paulo. Philosophica enim sunt, hoc est,inania ex hominum constitutione prolata, quæ & circa externa versantur,& à Christo abducunt:Hæc illius beluæ verba.

At quàm impiè, ne dicam solummodo falsò & fatuè, vel puero perfacile est videre. Quid enim stultius quàm dicere ex philosophia venisse Monachatum,& Missas,& indulgentias, & Diuorum invocationes?Quid magis falsum, quàm esse traditiones humanas,cum ex ipso euangelij fonte hauriantur?Quid item magis impium,quàm asseuerare per hæc nos abduci à Christo, quibus efficitur vt illi arctissimè adhæreſcamus? Quid denique tã calumniosum quàm nullam in his Christi fieri mentionem obiicere, cum vbique & in omnibus ecclesiæ orationibus & cæremoniis nomen ipsius Christi passim (vt par est) honorificè exprimatur, & adoretur,& imploretur?O impudentiam singularem.Et quid est aliud Missa,quàm oblatio & sacrificium, & illius sacrificij Christi & expiationis memoria?Indulgentiæ ipsæ quid sunt, nisi dispensatio meritorum Christi, ac Sanctorum? Et quid Monachatus, nisi sequela Christi, & euangelicæ vitæ ac puritatis succus,& perfectionis iustitiæ ad imitandum Christum professio?Quid ergo garrit imò blasphemat hic infœlix hæreticus, aiens nullam in his fieri Christi mentionem?Et quod in hũc nebulonem dico, in alios eiusdem farinæ dico qui hæc audent vituperare,& tantis blasphemiis damnare.Sed ad rẽ nostram, ne longius digrediamur.

Quia ergo dixerat Apostolus non debere nos secundum elementa mundi inquirere scientiã, sed secundum Christum,addidit: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*.Mirus & inauditus loquendi modus:quoniam & res ipsa, quæ explicanda erat, mira est super omne miraculum & inauditum.Primum,quod in Christo videlicet inhabiret diuinitas.Non enim consuetum est dici vlla in re secundũ naturam ipsius inhabitare Deũ, aut deitatem.Esse quidem per virtutem, aut potentiam in omni re dicimus. Inhabitare autem nõ est vsitatus scripturæ mos, nisi in his tantum qui templa Dei constituti sunt:vt in Apoc. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. *Apoc.21.*
Et ad Corinthios ex testimoniis scripturarum ait: *2.Cor.6.*
Dicit Deus:Quoniam inhabitabo in illis,& inambulabo inter illos,& ero illorum Deus,&c.At in nullo dicitur deitatis plenitudo inhabitare, nisi de vno Christo.Licet enim de quibusdam dicatur, ipsos esse Deo plenos,plenitudinem tamen Dei esse in illis non legimus.Et quod summum est,ait: *corporaliter*,hoc est,secundum carnem.Nam istud propter vnionem illam naturarum singularissimum Christi est:quia Verbum caro factum est, & ipse habitauit inter nos.

Ex hoc loco accipiebat Nestorius duas in Christo personas, ita formans argumentum: Si deitas inhabitat in Christo,iam aliam oportet esse hypostasim Dei inhabitantis:aliam eius quod inhabitatur,corporis.Sed longè fallebatur.Nam & anima nostra in corpore inhabitare dicitur, nec tamen propriam habet personam:sed vna est eadem persona corporis & animæ. Præterea quod ait Apostolus deitatem corporaliter inhabitare (vt S.Doctores animaduerterũt) satis innuit modum illius diuinitatis quæ est participata à corpore: hoc est enim quod ait,corporaliter.Non propterea desiit esse deitas,neque confusio vlla seu commixtio facta per hoc intelligi potest,quòd dixit inhabitare. Qui enim inhabitat, non confunditur, nec admiscetur rei quam habitat. Verùm tanta res nec sic idoneè explicatur. Nouum est quoddam quod fecit Dominus super terram, dignum potius veneratione atque admiratione, quàm anxia & curiosa conquisitione. *Contra Nestorium.*

Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. Vos igitur qui estis repleti in illo qui est caput omnium, etiam Angelorum, quasi eius membra,per influxum Spiritus sancti,non oportet de recta via deflectere,& dare aures perfidis ac deceptoribus, & recedere à capite. Influxus vitæ confestim cessat, vbi membra non manent sub capite, sed abscinduntur, aut segregant semetipsa. Quoniã verò à pseudoapostolis prædicabatur circuncisio carnis,quæ prædicatio non leuem authoritatem propter Abraham & propter Mosen nanciscebatur:ideo B. Paulus rei veritatem declarans, ne tertio modo decipiantur, subdit: *In quo & circuncisi estis.* Tria tunc erant quæ Christianæ veritati aduersabãtur.Primum,sublimitas seu persuasibilitas sermonis. Secundum, pronunciata philosophorum. Tertium,lex illa Moseos,& illud peculiariter quod attinebat ad cæremonias,& ad illã primam circuncissionis cæremoniam, quæ non erat ex Mose,sed ex Patribus.Prioribus duobus explosis venit ad hoc tertium,& vt doctissimus Theologus tanquam præoccupans quod quidam obiiciebant,& simul respondens, videtur eos interrogare?Quid volunt isti à nobis,nonne vt circũcidamini?At iam circuncisi estis.Quòd si rogant,quo pacto?Respondet,in Christo.Nec adhuc intelligunt multi quid est esse circũcisum in Christo, imò nec quid sit esse circũcisum. Sed cum nihil aliud sit circuncisio,nisi præputij abiectio per cultrum petri- *Quæ adinuicem aduersabantur Christo.*

num,quid sit præputium non intellexerimus, nec quid sit ipsa circuncisio intelligemus.

Est ergo præputium secundum carnem. Et est præputium secundum spiritum. Et secundum carnem præputium quid sit,norum est:sed parum curat hanc circuncisionẽ Deus.Est igitur præputium secundum spiritualem intelligẽtiam obturatio aurium,quæ aures sunt & cordis & corporis. Qui ergo ad mandata Dei aures habent per affectum carnis obductas, obtusas,& obturatas, quales sumus natura omnes propter peccatum,& propter illam primæuæ iustitiæ carentiam, rectè in scripturis vocãtur præputiati ac præputium.Quapropter carnales Iudæos obiurgabat Moses, & Prophetæ,& nouissimè B.Stephanus,qui incircuncisi erant corde & auribus.Ergo verè circũcisi spiritu ij sunt, quibus circuncisum est cor,id est,abiecta carnalis affectio:quæ non potest à nobis auferri aut præscindi, nisi auferatur peccatum quod obstat nobis: & restituatur gratia & iustitia Dei,qua iustificemur coram ipso.Hoc autem opus auferendi peccatum iustitiamque restituendi,solius Dei est,qui per Christum Dominum in professione baptismi istud efficit, in quo morimur & nos cum illo ipsi peccato, & consepelimur cum illo,& resurgimus,& renouamur per iustitiam cœlitus nobis collatam vt viuamus Deo.Sic igitur circuncisi in Christo sumus & inuenimur abiecta carnali cordis concupiscentia grati Deo.Et licet fomes adhuc in carne remaneat,charitas tamen est infusa menti,per quã conlectamur in lege Dei,abiecto mentis per gladiũ petrinum præputio.Hæc est prædicatio euangelica,quæ fide suscepta, & mox infusa charitate amputat carnis affectiones,& purificat corda. Vnde Dominus dixit: Vos mundi estis propter sermonem meum,videlicet fide receptum atque admixtum.Hæc igitur erat circuncisio spiritus quæ placebat Deo, sine qua carnalis illa circuncisio nihil proderat.Hæc autem sine illa semper valuit. Hac circuncisione circuncisos fuisse Colossenses dixit Apostolus,quæ erat in Christo non in Mose. Nã quæ erat Moseos,vt Moseos,carnalis erat,& carnalium Iudæorum. Hæc autem Christi, spiritualis erat in corde, vt confestim amplius declarat, dicens:

De præputio & vera circuncisione in Iudæos.

Act.7.

Ibid.15.
Ioan.15.

Circuncisione non manufacta in expoliatione corporis, &c. id est,ad hunc effectum expoliãdi corpus peccatorum carnis. Vocat Apostolus carnem ipsum hominem qui inuenitur filius veteris Adæ præuaricatoris,dicente Domino:Qui natus est ex carne caro est.Necab re est articulus Græcus, quo certa caro significatur,quæ quondam fructificabat morti.Vocat item corpus peccatorum, quod alibi corpus peccati,quo significantur vires humanæ, quæ simul collectæ ruunt concordes in varias concupiscẽtias.At huiusmodi viribus expoliatur homo per hanc circuncisionem recedente peccato,& adueniente iustitia:quoniam nec ea quæ relinquitur ad meritum in carne concupiscentia, dominatur menti,vt testatur Apostolus,si ambulemus secundum spiritum & legem mentis. *Sed in circuncisione Christi*. Græca lectio omninò germanior absque, *sed*,vt stet appositiuè,& declaretur circuncisio nõ manufacta,quę est circuncisio Christi,hoc est,quã Christus operatus est. Nisi fortè velimus dicere

Ioan.3.

Rom.6.

Ibid.8.

& melius,Christum ipsum fuisse aliquo modo sic circuncisum,cuius circuncisione nobis est hæc circuncisio comparata. Quid ni dicemus circũcisum fuisse in morte sua,cum & ipse dixerit se eo pacto baptizandum?Iam enim caro illius facta est quodam modo caro peccati,cum reatum peccatorum nostrorum in se transtulerit, quam oportuit excidi, vt veniret caro altera incorruptibilis & vitæ sempiternæ.In illa ergo circuncisione Christi,quãdo mortua est caro illa,circuncidimur & nos cum baptizamur: quoniam morimur in baptismo cum illo,& sepelimur vt resurgamus ad veram vitam.

Consepulti ei in baptismo,in quo & resurrexistis. Vide totum mysterium,& admirandam circuncisionem. Vt enim illud Christi corpus mortuum fuit propter peccatum, sic & corpus peccati mori dicitur in nobis: quia secundum mentem vita eius interiit, solùm apparet in carne: quæ quasi cadauer ne graue corã Deo interi oleat,cõdiẽda est aromatibus & sepelienda, vt iã non appareat fœtida ante illum ob peccatum quod in illa residet. Conditur verò deprecationibus & pœnitentia,cõfessione,cõtritione,lachrymis,& aliis macerationibus, quæ veluti aromata conseruant à putore. Operitur & sepelitur insuper charitatis in proximum operibus. Quemadmodum autem & Christus post mortem resurrexit,ita & nos in baptismo resurgimus,& renouamur, vt dictum est.Addit hoc totũ fieri, *per fidem operationis Dei,qui suscitauit eum à mortuis*. Credimus Christum mortuum & sepultum, quod significatur illa sub aquis immersione quæ fit in baptismo. Resurrexisse item tertia die: quod etiam significatur per emersionem ex aquis. Debemus ergo credere illud idem spiritualiter in nobis fieri per baptismum. Peccato enim morimur,& carnis cadauer quod remanet,conditur & sepelitur,& nos resurgimus in nouam vitam,vt vltra non seruiamus peccato.

Et vos cũ mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ,conuiuificauit cum illo. Applicat doctrinã ipsi facto,ostendens totum quod prædixit,fuisse in eis completum.Ponit primùm quomodo erant in delictis mortui & in præputio carnis,qui nunquam fuerant spiritualiter circuncisi. Manebant ergo in morte carentes gratia Dei.Sed Deus conuiuificauit eos cum Christo per baptismum quasi per circuncisionem.*Donans vobis omnia delicta*. Græci codices habent,donãs nobis, Sed minus apertè cum superioribus cohæreret.Nam sermo de illis & eorum circũcisione spirituali institutus erat, per quã volebat ostendere donata esse delicta.Dicendo autem,nobis,qui sermo pertinere ad Iudæos tantum videtur,non cõgrueret:Nisi fortè referatur ad omnes tam Gentiles,quàm Iudæos nullo facto discrimine,vt quę sequuntur ad Iudęos tantum restringantur,sicut expositores conuenire videntur, Donauit cuncta delicta nobis, id est, Iudęis & Gentibus.

Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti. Specialiter aduersus Iudæos.Græcè legitur, *decretis*. Sed quodnam erat hoc chirographum illis aduersarium?Et quid sibi vult quod additur,decretis?Sẽsus quidem videtur clarus.Loquitur enim de lege illa,quo ad illam partem quæ in decretis consistebat.Porrò decreta vocat propriè,quę ex placito de *Nota*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cernentis fiunt, & quorum transgressio peccatum sit, vt pote non quia alioqui de se illa sint peccata, sed quia decreto erant interdicta, quo sublato fiebant licita. Græcè enim vocantur dogmata eiusmodi scita aut placita, & interdicta per sapientes, à δόκειν, quod opinari Græcè & dogmatizare ac decernere est. Loquitur ergo de lege Moseos ea parte, qua diceretur lex positiua Scholasticis, circa quã plurimæ erant transgressiones Iudæorum, ac propterea chirographum stabat aduersus illos ratum & validum. Erat enim scriptura legis quasi chirographum: quandoquidem ambæ partes promiserant seruare cuncta in lege contenta. Audierunt enim Iudæi, & vltrò ac spontanei receperunt dicentes: Omnia faciemus. Et si quid omitterent, subdiderunt se maledicto legis miseri, quas haberent vires ad exequendum ignari. Hoc ergo chirographũ quod inueniebatur aduersum ipsos Iudæos, qui vt transgressores decretorum continebantur sub maledicto, & ipsa simul decreta deleuit Dominus, & ipsum chirographum, *tulit de medio affigens illud cruci, &c.*

Exod. 24.

Ne quid autem dissimilem, licet hanc intelligentiam non improbem, tamen tanquam veritus magis probo vt loquatur de chirographo & decretis seu placitis, quæ ab initio cum Adam patre nostro & consequenter nobiscum eius filiis decreuit. Decreuit enim Dominus: Ne comedes de fructibus illius arboris. Quandocũque enim comederis, morieris. Hæc erant decreta quæ chirographo illo cõprehensa sunt, quæ scripsit Deus in eorum conscientiis. Huiusmodi ergo chirographum erat aduersum nos & Gentiles & Iudæos: quia omnes comedimus in Adam patre nostro, & rei inueniebamur mortis. Et hoc ipse Dominus abscidit de medio & affixit cruci, qui in se solutionem eius debiti recepit, & cruce persoluit, vt cum sua carne crucifixum maneret & mortuum: & nos vitam resumeremus per illius resurrectionem. Hoc fecit Iesus, & consequenter expoliauit principatus, & ab eis prædam tulit, nimirum nos homines, qui sub eorum premebamur tyrannide, & *traduxit illos confidenter palàm*, hoc est, ostentauit eos palam superatos summa confidentia, eaque libertate qua victores facere solent hostibus deuictis, *Triumphans illos in semetipso*, id est, quia semel ipsum Malignum vicit & superauit, in semetipso triumphare eos. Nam dum instigante diabolo irritaretur: Si filius Dei es, descende de cruce. Salua teipsum, qui alios saluos facis. Noluit descendere, noluit saluare seipsum: sed expectauit salutem à Deo, & sic triumphauit de omnibus, & abstulit prædam ab inimicis. Hic sensus placere & recipi debet, quo non est opus restringere hæc Apostoli verba ad Iudæos tantum. Potius enim loquebatur ad Gentes B. Paulus, quarum erat præstitutus doctor: imò verò in quorum gratiam præsens epistola & quæcunque in ea continentur, scribuntur.

Quid Deus cum Adã pepigit.

Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autẽ Christi. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulãs, frustrà inflatus sensu carnis suæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & cõstructum crescit in augmẽtum Dei. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mũdi, quid adhuc tãquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris: quæ sunt omnia in interitu ipso vsu secũdum præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate: & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

De sabbatis Iudæorũ.

Concludit, postquam sunt in Christo spiritualiter circuncisi, & in illo renouati ac perfecti sublato antiquo peccato & cæteris omnibus, eos non debere à Iudæis iudicari, id est, damnari si obseruãtiis legales non receperint. *Nemo ergo* (inquit *vos iudicet in cibo, aut in potu*. Lex enim erat quæ prohibebat multos & varios cibos: Et potum qui ex vase carente operculo sumebatur. *Aut in parte diei festi*, id est, in ea parte quæ ad obseruantiam dierum festorum attinebat. *Aut neomeniæ*, id est, festum nouę lunę, in qua erat mensium eorum exordium. Inibantur enim certa illis diebus sacrificia. *Aut sabbatorum*. Erant sabbata dierum, mensium, & annorum. Erant & festa alia, quæ sabbatorum appellatione veniebant: quia habebant septem dies feriatos. *Quæ sunt vmbra futurorum corpus autem Christi*. Hic redditur ratio quamobrem non sint hæc vltorius obseruanda, nimirum quia erant vmbra futurorum. Corpus autem erat Christi, subaudi corpus: vt sit sensus. Illæ obseruantiæ erant vmbra, cuius vmbræ corpus, erat corpus Christi quod est ecclesia. Qui ergo tenere potest corpus, nonne imprudenter vmbram & vanè sectaretur? In epistola ad Hebræos dixit vmbram futurorum bonorum, nempe cœlestium, quorum interim nos qui sumus in Christo habemus aliquem gustum atque imaginem, non vmbram, quę est remotissima à veritate perfecti corporis, cuius est vmbra. Sed hæc latiorem sermonem requirunt, vt ipsimet exemplis ob oculos ponerentur atque illustrarentur: quod in illa quæ ad Hebræos me facturũ, iuuante Deo, confido.

Hebr. 10.

Nemo vos seducat volens, &c. Vult nunc Apostolus remouere argumenta iudaica, quæ fieri poterant ab ipsius legis authoritate, quæ ministrata est per Angelos: ait ergo: Nemo vos seducat volens, &c. Græcè significantius, *Nemo vos brauio priuet*, Vide vt propriè cuncta & appositè. De facundia & persuasibilitate sermonis dixit: Videte ne quis vos seducat, scilicet paralogismis, quibus Rhetores vtuntur. De philosophia verò dixit: Ne deprædentur. Est enim quodãmodo prędari fidei addictos, quùm nomine sapientiæ quasi per authoritatem trahebant homines ad suas sectas aientes: Hoc eiicit Atistoteles argumentis: hoc Plato. Sed Dominus testatur, Quotquot ante se venerunt, fures fuisse & latrones. Nunc de his qui ad Mosen reducere tentabant, ait quòd à brauio abducebant, tanquam seducentes à cursu, *in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, &c.* Difficilis locus hic: Pro cuius intellectu exemplum tenere memoria debemus, quo Apostolus ad Gal. vsus est, Quanto tempore heres paruulus est, nihil illũ differre à seruo, sed oportere sub tutela & cura, & pædagogo humiliari. Et ideo datæ sunt priscæ obseruantiæ Angelorum ministerio illi populo, quibus supra modum premebatur. Erant enim onera seruilia imposita vsque ad tempus. Sensus ergo & ordo literæ hic videtur: Nemo igitur vos abducat à cursu & cursus præmio volens, ambulans in humilitate, &c. id est, volenter (vt ita dicam) & sponte sua nemine cogente, ambulans in humilitate, hoc est, non dignè Deo, non ingenuè in operibus viuis secundum legem perfectam libertatis: sed in illa depressione data illi populo puero, & in religione seu superstitione Angelorũ. Vox enim Græca vtranque significationem admittit. Erat enim legalium obseruantia iam olim pro tempore religio: deinde facta est superstitio. Nam vt religio esset, efficiebat Angelorum pro tempore authoritas. Per Angelos enim inuenta fuerũt & tradita Mosi illa legalia vsque ad tempus. Quòd verò post transierit in superstitionem, tẽporis progressus in causa fuit, quando iam puer adoleuerat, & factus vir aliam vitam, alios mores, ac propterea aliam legẽ perfectionis ac libertatis deposcebat. Ideo addit hunc qui volens ambulabat in ea humilitate ac religione retinens antiquatos ritus, non ea vidisse. Quid est quod non videbat, nisi suam depressionẽ ac superstitionem? Et quare non videbat, nisi qua erat *frustrà inflatus sensu carnis suæ?* quoniam vt Iudæus tenebatur affectione carnis, sed frustra: quoniam absque vtilitate vlla & in vacuum, quin potius deprimebantur Iudæi. Sic accidit nonnullis, non dico omnibus, non dico multis (sunt enim multi qui persuasi sunt) sed nonnullis ex fratribus meis, quos diligo & obseruo in Domino, qui freti ordinis gloria propter Patres mordicus volunt sustinere contra omnium ecclesiarum morem & sensum in ritu & cultu Dei declaratum, purissimã Dei Matrem de facto vereri subiacuisse delicto: & sub ira Dei, & dominatu diaboli (quod horreo vel cogitare) saltem aliquo temporis momento mancipatam fuisse. Vtinam non & de ipsis hac in parte verè dici posset frustrà eos inflatos sensu carnis suæ, & quod est longè deterius ac perniciosius, *Nõ tenentes caput, ex quo totum corpus per nexus, &c.*

Nõ me tamẽ latet quod hic ait Apostolus, Non tenẽtes caput, posse duobus modis exponi. Et primò quidem ad rem præpositam, significat illos, quisquis is erat siue vnus, siue plures, nõ tenere verum caput. Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratũ & cõstructum, siue compactũ crescit in augmẽtum Dei. Illi enim à Christo redibant ad Mosen. Et Moses ipse mittebat ad Iesum. Qui ergo redibant ad illum post terram repromissionis adeptam, inueniebant Mosen mortuum: & ita vtroque & Iesu & Mose inueniebantur destituti. Quapropter non poterãt esse in corpore Christi. Qui enim non tenet caput, non est mẽbrum, nec illius particeps influxus, quo membra inuicem nectũtur & coalescunt, vt crescat corpus vsque in augmentum Dei, id est, argmentum perfectum conueniens corpori Dei, Christo mystico. Alia expositio est, quòd non tenebant caput ecclesiæ illi pseudoapostoli, cùm recederẽt ea parte ab Apostolica prædicatione: vnde quæ fidei erãt discernere, & obseruare necesse erat. Ipsi enim erant fundamenta, & in eis Petrus erat loco Christi: à quo qui recedit, sciat se cum Christo nõ esse. At hoc non placet hæreticis, quãobrem verò non placet, nisi quia hæretici sunt?

Si ergo mortui estis cũ Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis. Græcè, dogmatizamini, hoc est, decretis implicamini, nempe illis, *ne tetigeris, ne cõtrectaueris*: de quibus in lege moseos diffusè præcipitur in Exod. Leuiti. & Num. & Deut. quæ erant elementa mundi huius, id est, erant priora quibus instituẽdi erant qui adhuc manebant in mundo, vt adducerentur ad Christum, & tollerentur de mundo: quoniam erant conuenientia adhuc viuentibus in hoc mundo. At verò iis qui resurrexerunt cum Christo, qui mortui iam mundo inueniuntur non conueniunt. Nam decreta mundi non congruunt filiis Dei iam adultis.

Quæ sunt omnia in interitu ipso vsu. Rectius Græcè, ipso abusu, Dicit abusum tales obseruantias, propterea quia non substentabantur authoritate Dei. Iam enim lex cessauerat & ipse Moses. Sustentabantur autem tunc sola hominum præceptione ac doctrina, cum ita vellent principes Synagogarum. Pergit de his. Quæ sunt (inquit) *rationem*, aut sermonẽ, & speciẽ, *habentia sapientiæ in superstitione*, Græca vox non est eadem cum illa, quam paulo ante interpres transtulit religionem, tametsi Caietanus aliter dicat. Superius enim legitur, θρησκείας, hic autem ἐθελοθρησκείᾳ, & significat voluntariam religionem seu cultum, quæ superstitio est. Aiunt B. Augustinus & Thomas omnem ritus colendi Deum, qui à Deo non est, nec à Spiritu sancto per ecclesiam traditus, sed arbitrio & voluntate hominum inuentus superstitionem esse. Qua in re profectò multum, vt mihi videtur, erraruntilli, ad quos hæc animaduersio attinebat permitrentes serpere cultus in ecclesias citra cognitionẽ & probationem. Speciem igitur habebat sapientię quod voluntariè suscipiebatur vt cultus ac religio. Tales Essæorum erant) vt existimo) & fortè Brachmanarum, & Pythagoræorum, & huiusmodi hæreticorum sectæ, quæ asperum quendam vitæ ritum & religionis propria voluntate sibi præscripserunt propter humilitatem, aut animi deiectionem: quia seipsos deprimebant, & in seruitutem sine causa redigebant, vt aliquid præ aliis in communi vitæ cursu remanentibus admirandum facere viderentur. Hoc enim est, quod B. Paulus in hoc loco ait: *Et humilitate*: Adiecit,

Et non ad parcendum corpori. Difficile fuit latino reddere sensum Græcè vocis. Significat autem ad verbum in imparcentia corporis. Vulgus enim admirari eos solet, à quibus non parcitur corpori, sed seuera vita affligitur. Vnde & idolatræ sacerdotes cultris & lanceolis incidebant carnes suas, & perfundebantur sanguine, vt legitur in libro Regum. *Non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Dicit religionem illam & cultum fuisse in non parcendo corpori, vt pote cui nihil honoris deferrent ad

3. Reg. 18.

Universidad de Deusto Biblioteca

faturitatem carnis, sed magis affigerent? & ea in re ostentabant se religiosos ac pios, qui se ad illa demittebant humiliantes. Verùm quia importunè propria voluntate faciebant, & vt pertinentia ad religionem, quæ vlterius pertinere non poterant, iccircò frustra fiebant: imò in interitum adducebant obseruatores.

Hic vnus est ex communibus locis vbi hæretici turgidè spaciantur, & suo ore impio blasphemant Romanam ecclesiam, & instituta Monachorum, ieiunia, delectus ciborum, aliaque corporis incōmoda & salutares afflictiones quæ indicuntur ab ecclesia, aut sponte assumuntur, quæ à B. Paulo dānari in Christi lege eis vĩr. Quidam illorum Gygas in hunc modum scripsit: Quid verò, amice lector? An non in mentem veniunt tibi leges Pontificiæ, nugæ Romanenses, & præscriptiones monachorum? Nec aqua aquæ, nec lacti lac, crede mihi, vsquā similius. Doctores, præceptiones, & præceptionum finis vtriusque partis congruunt per omnia. Sed audi nunc quomodo confutentur ab Apostolo. Principia illa, inquit, omnia ipso pereũt abusu. Agit autem de cibo & potu, quæ vsu consumuntur, & in latrinam excernuntur. Nam iis propriè dicimur abuti, quæ vsu absumuntur. Videtur autem allusisse ad illa Domini verba: Non quod ingreditur in os impurat hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc impurũ reddit hominē. Nā quicquid ingreditur in os, in aluum abit & in secessum eiicitur. At ea quæ proficiscũtur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominē. Confutantur his non modo Iudæi epulas sacras iactantes, & lege Dei præscribente impura quędam in cibum non admittentes, sed titulo tenus etiam Christiani, qui & dierum & ciborum discrimine onerarunt colla fidelium. Deinde illa, inquit, aliud non sunt quàm præcepta & doctrinæ hominum. At de iis scribitur ex Isaia Matth. 15. Frustrà me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. hæc iste versutus deceptor, & alia eiusmodi plura effutiens, quibus manifestè ieiunia, & macerationem carnis, vt rē superstitiosam impiè ac proteruè per hanc Apostolicam doctrinam vituperat homo inimicus crucis Christi, & cui Deus venter est, quasi falsam, fallacem, pestiferā, periculosam. Est enim plausibilis carni sermo, qui non dissimilius gratus est, ac manus & vngues qui scabiosorum hominũ prurientem locum attingunt & scalpunt.

Pro delectu ciborum & ieiuniis, in hæreticos.

Vt rem igitur luce reddamus clariorem, rogemus istos eousque acres carnis & ventris patronos. Si afflictio corporis & abstinentia, si luctus reprobatur in statu christiano: Quid iudicij, qua sapientia, imò qua aduersus Christi meritum contumelia Magnus ille Ioannes Baptista venit vestitus pilis camelorum, neque comedens neque bibens? Et non sola tantum voce, sed toto tenore vitæ in deserto agens & prædicans pœnitentiam? Quid est quòd ipse Christus ieiunauit quadraginta dies nihil comedens, & omnem vitam exegit luctuosam? *Marc. 2.* Cur prędixit de discipulis suis, venturum tempus quùm auferretur ab eis Sponsus, & tunc, ait, ieiunabunt? Cur non respondit calumniantibus illis, hunc in modum ieiunia discipulis meis non indico, propterea quòd ea obseruare, & ciborum habere delectũ saperet superstitionē? Quid est quod ipse B. Paulus inter glorias suas, etiam hunc luctũ ponit, qui in vigiliis & ieiuniis multis vitam ducebat? Quum gratiæ de cœlo in nouo & veteri testamento implorabantur, indicebantur ieiunia, & orationibus iungebantur, vt in Act. Apostolorum patet. *2. Cor. 6. & 11.* Quid est quod ait Dominus summa Veritas esse genus dæmoniorum quod non poterat eiici, nisi in ieiunio & oratione? *Marc. 9.* Nunquid hæc sunt cōmenta Romanensium, aut instituta Monachorũ? Dicent fortasse nō se vituperare ieiunia: sed quòd indicantur, quòd præcipiantur, quòd pietati ac religioni admisceantur & preferãtur, denique quòd illis præmia statuantur æterna. Verùm audiant, si possunt, Christi vocem. Ipse dixit: Beati qui lugēt: quoniam ipsi consolabuntur, & : Væ vobis qui ridetis: quoniam flebitis. *Matth. 5.* Ecce quomodo beatificat luctum, qui in ieiuniis & carnis maceratione præcipuè consistit.

Pro quadragesima.

B. Ignatius B. Ioannis Euangelistæ discipulus, ab Apostolis indictam fuisse quadragesimam contestatur. Hanc antiqui omnes vt certam traditionem ab illis susceperunt & comprobarunt, clarissima inquā & doctissima ecclesiæ lumina (ne à simplicibus & idiotis receptā hæretici calumnientur) B. Amb. Hier. August. & alij non solùm Rom. ecclesiæ sacratissimi Antistites, quos isti dedecoris gratia Romanenses appellant, verùm etiam alij aliarum ecclesiarum Episcopi ac doctoris, quorum sempiterna laus fulget in ecclesia. Quòd si ad pietatem nulla ratione attinent ieiunia, cur tanto consensu indicuntur ac prædicantur, si nullum accipiunt à Deo præmium? Cur illa beatificat ipse Dominus? Cur Sancti omnes quò doctiores ac sanctiores, his affligere durius corpora sua studuerũt, si nihil inde expectabant pręmij? Et cur dixit summa Veritas: Quùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Extermināt enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Tu autem quùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri qui est in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Ecce quomodo apertissimè ieiunium nedum non suffert, sed nondum instituti, iam ieiunij, quo obseruari debeat, docet. Et Pater, inquit, reddet tibi mercedem tuam in cœlis: quemadmodum hypocritę suam receperunt in terris.

Et cùm hæc eousque clara sint, non verentur tamen isti hominum impudentissimi ieiunia sancta improbare. At cur ita docuerint, in promptu est ratio, nimirum vt numerosiores ad se & promptiores discipulos attraherent, quibus grata erat futura huiusmodi prædicatio. Erant quidem illi iamdudum parati. Sed sese ad talis cantilenæ numeros, quum deesset qui lyram pulsaret, honestè mouere non audebant. Suscitauit, permittente Deo, diabolus istos tibicines, & ad primum sonum saltare apertè, qui intus gestiebant, & tripudiare ceperunt. Mihi venit in mentem quod sapiēs vir quidam dicere in istos hæresiarchas solebat, esse videlicet eos veluti porcarios, qui sub quercu animaduertētes porcorum famelicorum gregem, arborem conscenderunt, & glandes egregiè excusserunt. Cepit grex comédere & bibere, & sanctorum vitam per ieiunia actam pedibus conculcare. O cœcam ætatem,

tem, & Christiani luctus ignaram. Isti in perpetuis nuptiis ablato Spōso viuere volunt: nec ecclesiam esse interim viduam volunt recognoscere. Audi *Apoc. 18.* quid dicat in Apoc. Dilectus: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in vna die veniēt plagæ eius, mors & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus qui iudicabit illam.

Dicet verò aliquis: At quomodo soluis quæ ab Isaia, & Paulo, imo & ab ipso Christo afferuntur? Frustrà me colunt docentes doctrinas & mandata hominum, &: Non quod intrat in os coinquinat hominem, &: Spiritus manifestè dicit, &c. &: Omnia munda mundis. &: Nihil reiiciēdum quod cum gratiarũ actione percipitur: & quæ huiusmodi sunt. Respondimus iam abundè alibi. Nunc igitur rem paucis perstringēdo dicimus, verè in cibis quatenus ad pietatem spectat, nullam esse differentiam, quatenusue ad immunditiam atque munditiam: *Rom. 14.* quoniam omnia munda mundis. Et omnis creatura Dei bona est: nec cibus ipse per se potest animam inquinare. Qui aliam tuetur sententiam, à B. Paulo & ecclesia, & ipso deniq; Domino damnatur. Neque verò Monachi ac pij viri hac superstitione irretiuntur. Ieiunia ipsa, nisi reprehenda indiscretione, seu temerè fuerint assumpta, quis potest nisi impius improbare? Sola ipsius Saluatoris vita, Apostolorum, & Sanctorum prorsus omnium, an non pro legitima & viua scripturarum interpretatione suscipienda est? Quis vnquam Sanctus nominari potest, qui ieiunia nō coluerit? Sed hæc, vt diximus, nimis clara sunt. Vbi deest voluntas, nulla facilitas.

Porrò quid Apostolus persuadere velit, minime est obscurum. Vituperat enim Iudaicas illas tam multiplices, quàm eo tempore inutiles obseruantias: quas suadebant subdoli Iudæi etiam tum necessarias, nec per legem euangelij antiquatas. Has, inquam, meritò vituperat atque damnat. At quæ ecclesia sancta Spiritu sancto instructa, & S. Patres in regulis, comprobante ecclesia, suis Monachis præscripserunt, non inter hæc computanda sunt, neque sunt (vt iste fascinator calumniatur) similia. Sed ipsemet vt aqua aquæ, & lacti lac: sic est cæterorum hæreticorũ atque schismaticorum simillimus, qui dimittunt legem Matris, ne addatur, *Prou. 1.* sed contra vt auferatur à capite gratia, & torques à collo. Vt iam nihil restare videatur, quàm pro torque honorifico funem eis & laqueum nectat diabolus, quò strangulentur profligati homines, nisi mox (si fieri potest) resipiscant. Non me quidem latet quæ inconstanter postmodo, ne hac in parte priscis philosophis inferiores existimari possint, iactitent, dum ficto ac simulato animo addunt: Non damnamus moderata ieiunia, &c. Interim sermonem protinus corrigentes, hoc est, ea ad pietatem nihil promouere, nec ad auctiorem iustificationem, nec ad vlla apud Deum præmia: quin esse Deũ colere in doctrinis hominum. Nonne perspicis, lector, & dolum persentis? An non est apertè tollere ieiuniorum vim & obseruantiam, eo pacto dogmatizare? At scriptura sancta, & sancta mater ecclesia, & Sancti omnes longè aliter docent, qui ieiuniis sua præmia statuunt & laudem apud Deum. Nonne ecclesia canit in sacrosancto quadragesimæ tempore, & extollit tanto encomio ieiunij fructus, aiens: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia per Christum dominum nostrum. Hoc vnicum testimoniũ omnes pias mentes armare deberet ad execrandos istos epulones, qui verè caro & sanguis dici possunt, ventris patroni & serui carnis. At qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Nam pari semine surgit messis. Nec possunt aliter loqui, quam viuant qui hypocritæ videri nolunt. Et tamen non desunt inter eos vafri homines, qui simulant temperantiæ sibi placere (vt diximus) virtutem nullo præcepto astrictam. Sed hi pauci sunt, & quibus fortasse ad æquales haustus per corporis infirmiorem constitutionem respondere non licet. Non equidem mirum si loquantur tam vehementer pugnantia. Quis enim in tantis mendaciis valeat sibi constare?

CAP. III.

IGITVR si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cũ Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationē, immunditiam, libidinem, concupiscētiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus ambulastis aliquãdo cùm viueretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis: & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum. Vbi non est masculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, Circuncisio & Præputium, Barbarus & Scyta, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.

VVlt tandem concludere rem totam Apostolus, & statum Christiani hominis ostendere: quod est resurrexisse cum Christo. Ex quo datur quadraginta, quibus ille suscitatus in terra mansit, dierum spatium, viuens vita immortali: eosque de regno Dei erudiendis discipulis transegit. Ita & nos qui per illius mortem vitam gratiæ recuperauimus, debemus Deo immortaliter viuere, quod est inculpatè & sine crimine, expectantes

Universidad de Deusto Biblioteca

pariter post actos quadraginta dies (hic est terminus vitæ huius) beatam perfectæ nostræ resurrectionis possessionem per consensum cœlorum. Nihil nobis aliud requirendum superest, qui mortui sumus mundo, & resurreximus cum Domino, nisi vt in posterum Deo viuamus, & non mundo cui sumus mortui. Non enim fas est ad ea quæ retro sunt aspicere, sed ad ea quę antè, vt ad brauium perueniamus æternæ salutis, certantibus legitimè propositum.

Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Sed quo modo quæruntur quæ sursum sunt? An sola fide vt hæretici docent, qui & decepti sunt, & alios quoque decipiunt? Nihil minus. Per opera hoc fieri, & per sanctam in illis perseuerātiam clamat vniuersa scriptura, quemadmodum *Rom.2.* toties declarauimus. Qui reddet vnicuique, ait Apostolus, secundum opera sua. His quidem qui per patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. *Quæ sursum sunt sapite*. O magnum, salutiferum, & beatificans verbum, *sapite*, inquit, *quæ sursum sunt*. Ac si dixerit, gustando probate. Sed quomodo degustantur, cum sursum sint? Et qua ratione probari pos- *1.Cor.2.* sunt, cum nec viderit oculus vnquā, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderint, quæ præparauit Deus diligentibus se? Audi modum: Degustatur interim in ipsa arrha, quàm bonus est Deus rectis corde. Non enim dimisit nos omnino pignoris expertes, imò arrha bonis ad stabiliendam promissionem. Et in hoc est prægustatio: Alioqui nullo cœlesti dulciario, vt ita dicam, allecti crustulo quis operaretur, cum simus natura mali & laborum fugitantes? Ecquis ærumnas huius erumnosæ vitæ posset non succumbens tolerare? *Non quæ super terram*. Hoc certissimum est nostræ gratiæ signum, dum in nobis amorem sentimus cœlestium, & terrenorum contemptum in veritate, vt non decipiat nos latens illa gloriæ cupido. Quòd siquis roget: Si non quæramus terrena nos qui terreni sumus, quomodo possumus viuere? Respondit iamdudum humanæ huic timiditati Dominus: *Matt.6.* Primùm quærite regnum Dei, ait, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Quicunque enim verè regnum Dei quærit, consequenter & ista quæ sunt vitæ necessaria quærit, sine quorū adminiculis cōficere iter nostræ peregrinationis minime possemus.

Mortui enim estis. De morte non secundum carnalem intelligentiam loquitur, sed iuxta spiritualem: qua quidem morte mundo morimur, & his omnibus quæ sunt mundi huius, concupiscentiæ scilicet carnis, oculorum, & superbiæ vitæ, quæ non *1.Joan.2.* sunt ex Patre. *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, id est, vita gloriæ quæ vestra est, sed tantisper vobis seruatur abscondita in Deo cum Filio, qui & ipse absconditus est vobis, qui ambulatis in ænigmate, vt post fruamini facie ad faciem. *Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Dicit absconditum nunc esse nobis Saluatorem nostrum secundum visionem perfectam & comprehensionem. Videtur tamen aliquatenus fidei oculo in lumine gratiæ. Cū ergo ille manifestatus fuerit, tunc & nos cum illo manifestabimur in gloria: siquidē lux erimus. Omne enim quod manifestatur, lux est. Et sicut cogniti sumus, cognoscemus. *Ephe.5.*

Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, &c. Sunt intellectus & mentis organa, id est, partis animæ superioris, quam interiorem hominem vocat Apostolus. Et secundum hæc iam nos oportet esse mortuos, vt non sit opus illa mortificare. Sunt præterea alia nostra mēbra super terram, hoc est, organa corporis & exterioris hominis. Ista autem nec dum sunt mortua: sed necesse est ea mortificari assiduè ne reuiuiscant, & trahant in suas libidines partem superiorem, & fiant iuxta senten- *Matt.12.* tiam Domini, nouissima hominis prioribus deteriora. Quæstionem sibi proponit hoc in loco dulcissimus ille & christianæ eloquentiæ princeps B. Chrysostomus, quam pulcherrimo & accōmodatissimo exemplo diluit, cuius verba hæc sunt. Mortificate, inquit Apostolus, mēbra vestra terrestria. Quid dicis? Non dixisti: Quoniā sepulti estis: quoniam circuncisi estis, quoniam exuistis corpus peccatorum carnis? Quomodo ergo rursus dicis, Mortificate? Non ludis? non aliter loqueris quàm si adhuc ista in nobis essent? Non est sibiipsi contraria ista loquutio. Sed quemadmodum si quis statuam antea squalidam iam expurgatam: imò denuo quoque excussam splendidamque exhibens, dicat quidem extersam esse ac sublatam rubiginem: Admoneat verò rursus vt diligenter collatur rubigo, non is sibiipsi contradicit. Neque enim abstersam iam rubiginem, sed eam quæ postea rursus accedit auferre hortatur. Ita & Paulus hîc non priorem mortificationem dicit, neq; priores fornicationes: sed eas quæ postea succedunt.

Non satis esse domum habere vacantem, scopis mundatam & ornatam testatur Dominus: sed castiganda est caro vigiliis, ieiuniis, orationibus, vt viuat Spiritus & negocietur donec redeat Rex, & *Luc.19.* ponat rationem cum seruis suis. Alioqui otio & torpore solius fidei stertere volentes, sinit Deus in potestatem carnis & membrorum iterum captiuos redire, vt dæmones ibi habitent ea instigantes quæ turpe est & dicere. Quicunque enim subterfugit in vinea Domini laborare, necessario incidit in manus satanæ, qui instruit vt in bonis ducat dies suos: & in puncto ad inferna descendit in- *Iob 21.* fœlix, ait scriptura. Ob eam causam hortatur Colossenses ne carnem caput erigere sinant, quæ operaretur flagitia more eorum qui minime curant mortificationem, & ait:

Fornicationem, immunditiam, libidinem, &c. Hæc facinora vocat membra: quoniam per organa corporis in exteriori homine admittūtur. Quod nos legimus, *libidinem*, Græcè legitur, πάθος, dictio generica ad omnes animæ passiones, quas necesse est reprimere ac mortificare, ne prorūpant in concupiscentiam malam. Deinceps notandum, quomodo auaritiam vocat seruitutem, id est, cultum idolorum. Verè etenim qui auaritiæ & quæstui sunt toti dediti, constituerunt sibi pro Deo argentum & aurum, ita vt cœlestes diuitias nullas iam esse credant, quo efficitur vt vltrò vendant animas suas ad lucra per fas & nefas irruentes. Auaro, inquit Sapiens, nihil scelestius. At propter hæc *venit ira Dei super filios incredulitatis*. Loquitur hîc de ira Dei, quam sæpenumero ostendit in hac vita

& exercet. *In quibus ambulastis, &c*. Hæc illis in memoriam reuocat Apostolus, vt recognoscant prioris vitæ indignos errores, & grati sint ob acceptā euangelicæ puritatis lucem: & vt item omni vigilantia caueant redire ad volutabrum luti. *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, &c*. Lectorem aliâs admonuimus, apud B. Paulum vsitatum esse aduerbium, *Nunc*, ad significandum gratiæ tempus & noui status, in quem euecti debent abs se ea omnia vitia abdicare quæ commemorat, iram, indignationem, & reliquas animi labes & peccata. *Nolite mentiri inuicem*. Mendacium omne, sed potissimum fraudulentum aduersus proximum vetat. *Expoliantes*, verius, *cum exuistis*, nimirum in Baptismatis sacramento, *veterem hominem*, vt sit sensus: Hoc omnino à vobis fieri debere conuenit in hac noua professione, postquam exuistis veterem hominem mendacem illum quidem, & ad peccata & fraudes instigantem.

Et induentes nouum, &c. De interiori homine loquitur, qui per aduenientē Dei gratiam in nouum mutatur, & ad optima quęque deprecatur. Totum hoc mysteriū agnoscitur in baptismo, in quo Dei, vt par est, acquiritur cognitio. Nam cognoscere veluti cognouerunt philosophi, non est verè & absolutè cognoscere. Vnde appellat renouari hominē in agnitionem Dei secundum imaginem eius, à quo est conditus: quoniam homo in baptismo recuperat amissam per peccatum Dei imaginem, & assimilis Deo redditur, vt possit etiam illum tanquam Creatorem ac Glorificatorē agnoscere. Ab hac verò cognitione nullus penitus, nisi propria culpa, excluditur. Christus enim non intra ciuitatis muros pati voluit, sed extra: ad quem nullo discrimine facto possent accedere Gētilis & Iudæus, mas & fœmina, seruus & liber. Cum enim communi omnium carne vestiri dignatus sit, quis ausit communem omnium causam ab eo negare susceptam? Ipse est omnia in omnibus, vt in quo omnis creatura quodammodo consideretur.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem: & donantes vobismetipsis siquis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris: in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundāter in omni sapientia docētes & commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

Induite ergo vos sicut electi Dei, &c. Præsentis contextus verba non tam expositionem, quàm seriam operationem requirunt, vt ita viuamus mutuas inuicem offensas condonantes: quia is qui nobis præcipit ita esse faciendum, longè grauiora nobis & prius relaxauit debita. In cuius gratiam postulātis si dimittere fratribus nostris noluerimus: neque Pater cœlestis dimittet nobis.

Super omnia autem hæc charitatem habete. Græcè desideratur verbum, *habete*, Referunt fortassis sententiam aliâs mutilam ad superius verbum, induite. Nostræ ætatis hæretici fidem super omnia extollūt. At B. Paulus vt hîc perspicuè vides, & ad Cor. longè vberius, charitatem ipsam cæteras omnes virtutes anteire docet. Isti tamen se Paulinos suxisse sensus gloriantur scioli. *Quod est vinculum perfectionis*. Propriissime vocat charitatē vinculum perfectionis: quoniam illa est quæ nos colligat, vt vnum conficiat perfectum corpus sub primario Capite. Quemadmodum enim in naui etiam si magna sint instrumēta & varia, nisi subligacula adfuerint, nihil prosunt: & pariter in domorū edificiis, si desint colligationes ac contignationes: & vt in ipso corpore humano etiam si magna sint & durissima ossa, si vincula nequaquam adfuerint & compagines, nihil proderunt. Ita quæcūque rectè facta quis habuerit, inania erūt omnia nisi sit, qua colligantur, regina virtutum charitas. Peribunt omnia nisi fuerint cum charitate coniuncta. Si charitatem non habuero, inquit, nihil mihi prodest. *1.Cor.13.* Charitas est quæ constringit & complectitur omnia. Mouet me verò aliquantulum, cur dixerit, *super omnia autem hæc*. Videtur enim comparare charitatem cū magnis ipsius charitatis operibus, quæ sunt pati, compati, benignitate vti. Nonne & ipsamet charitas patiens est, benigna est, omnia sufferens, omnia condonans? Dicamus igitur per hæc verba intelligi proprium charitatis actum, quem Theologi actum à charitate ipsa elicitum nominarent: quod est verissimum.

Et pax Christi exultet: Græcè: *& pax Dei palmam obtineat in cordibus vestris*. Fructus spiritus ad Gal. *Gal.5.* ait esse charitatem, gaudium, pacem, &c. Ex charitate enim gignitur gaudium: quoniam dum quod amatur, possidetur, mox excitatur in corde gaudium. Hinc pax, id est, quies cordis & trāquillitas. Alia enim non quærūtur vlterius ab eo qui pacem habet: quoniam pax palmam tenet. Hāc rationem ponderent ij qui gratiæ negant possibilem certitudinem, an possint cum incertitudine pacem constituere, *In qua*, nimirum pace, *& vocati estis in vno corpore*. Non hoc vult tantum Deus, vt quilibet secum pacem habeat, sed & insuper in toto corpore ecclesiæ tranquillum esse statum præcipit, & mutuam animorum concordiam & morum. In hoc enim vocati sumus. In pace autem, ait alio in lo- *1.Cor.7.* co, vocauit nos Deus. *Et grati estote*. Quoniam eruti de potestate tenebrarum & fœditate vitiorum, estis in filios Dei translati, & ad possidendum vna cum ipso Vnigenito fœlicissimū ac sempiternum regnum. O verbum opportunè dictum, & semper in corde ruminandum. Vnusquisque attendat diligenter & cogitet, quàm sit erga Deum ob accepta tanta beneficia gratus, Qui si verbotenus, consideret num imitator illius sit Pharisæi, qui gra- *Luc.18.* tias verbis agens arbitrabatur se omnem absol-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uisse iustitiam: seq; præ cæteris hominibus pium, religiosum, innocentem iudicabat.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter, id est, euangelium & doctrina Redemptoris radices agat in vestris cordibus cum omni plenitudine tam amabilis notitiæ, quæ viam ad fruitionem diuinæ visionis sternit, *in omni sapientia*, qua vestra omnia ad verum finem recto ordine dirigatis, hoc est, ad charitatem quæ est legis consummatio & præceptorum quorumcunq;, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. *Docentes & commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, &c.* Antiquitus etiam canebant Christiani, & horas cultui diuino conuenientes obseruabant, & choros alternos in Dei Patris & Filij & vtriusque Spiritus laudem & gloriã. Et ea in psalmodia mirificas spiritus cõsolationes populus Christianus sentiebat. Suggerebantur enim tum interpretationes variorum in scriptura abditorum mysteriorũ, quibus & fides robustior, & charitas ardentior reddebatur, & spes inualescebat modis incredibilibus. Valet item plurimum si quando ingruunt in ecclesiam tyrannorum, seu hæretricorum crudeles persequutiones. Quo vsus est remedio grauissimus ille & intrepidus Antistes Ambrosius, vt populum suum Arrianorum infestationibus pressum retineret in officio. Instituit enim, vt B. Augustinus in confess. lib. testatur, hymnos pio cantu in communi societate ecclesiæ decantãdos, quibus piorum afflictorum animi tantis molestiis mirum in modum releuabantur. At quanta cantus indignitas in quasdam ecclesias, & eas quidem primarias sensim inualuerit, dissimulare (fateor) non possum. Vbi multorum nedum gratæ Deo sunt voces, sed vehementer displicent. Labiis solis honoratur Deus: imò verò nec labiis quidem (quod vel in tanta re saltem obseruarent) quoniam quid canant, nequaquam exprimunt. Memini me iam hac de re antea scripsisse. At sæpius sunt ista inculcanda vt penetrent tandem aliquando eorum, ad quos eiusmodi animaduersio pertinet, aures: & zelum pro domo Dei, qui cum res agitur, concipiant.

1. Tim. 1.

Nota.

Ephe. 5.

Omne quodcunque facitis, seu feceritis, *in verbo, aut in opere: omnia in nomine Iesu Christi, &c.* Hoc præceptum datur omnibus fidem euãgelicam suscipientibus, vt cuncta dicta & facta ad Dei gloriam referant. Peccant igitur si secus fecerint: quoniam vita Christiani hominis iam non ea esse debet quæ ludicris, iocis, & otiosis verbis effluere debeat. Serui enim sumus pretio tanto redempti, vt promptissimè teneamur & exactissimè Redẽptoris voluntatem exequi. Portate Deum, inquit alibi, & glorificate in corpore vestro. Nam cũ assiduis illius augeamur muneribus & beneficiis, & sine quo esse non possumus, nunquid alienum videri potest, si assiduè gratias agere, & pro modulo nostro referre obligatos nos esse iudicemus? Attamẽ hæc non actualiter omnique momento ob imbecillitatem mentis ac naturæ nostræ requiruntur: sed habitualiter, & vt meliores Theologi docent, virtualiter, vt nulla sit actio nostra, quam non velimus tendere in gloriam Dei & Saluatoris nostri.

1. Cor. 6.

Habet tamen hæc doctrina aliquot ei repugnantes Scholasticos, inter quos extant non leues disputationes, quid statuendum tandem sit. Caietanus hîc negat esse peccatũ homini in mortali peccato existenti, si hoc non seruauerit: tantum carere illum merito operis cõcludit: Ne sit melioris conditionis infidelis qui aliqua faciens virtutum opera, qualia sunt reddere depositum, honorare parentes, non peccat. Ex quo sequi videtur, solos hoc præcepto concludi, qui in gratia existant, vt si non impleant, peccare censeantur. Ergo melioris conditionis erit infidelis, quàm in gratia constitutus: quod est absurdissimum. Quòd si nec peccatum est existenti in gratia, si secus ac monet Apostolus faciat, ruit B. Thomæ doctrina, qui nullum admittit medium in homine in ratione operis, inter meritorium & demeritorium. Quocirca nonnullos existimo minus theologicè hac de re, minusque ad canones scripturarum esse loquutos. Nam pro absurdo illud tenent, cuius oppositum verè legem Dei meditãtibus, videbitur absurdum. Si enim gratiæ esse iubemur: quonam pacto is verè gratus esse poterit, qui non omnes suas vires omni momento saltem virtualiter, vt diximus, intendat in Dei gloriam? Alioqui declaretur nobis præceptum illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua, & fortitudine tua, & viribus tuis. Hæc omnia ab Euangelistis inculcantur. Sed hæc quæstio peculiarem tractatum postularet.

Mat. 22.

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite vxores vestras: & nolite amari esse ad illas. Filij, obedite parẽtibus per omnia: hoc enim placitũ est in Domino. Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, nõ ad oculũ seruientes, quasi hominibus placentes: sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcũque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes quòd à Domino accipietis retributionẽ hæreditatis. Domino Christo seruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

Mulieres, subditæ estote viris, &c. Hæc fermè omnia ad Ephesios iã exposita sunt. Vbi legimus hoc in loco, *Patres, nolite ad iracũdiam*, Græca lectio non habet, *ad iracũdiam*, sed potius, ad indignationem. Et quod sequitur, *vt non pusillo animo fiant*. Græcè, ne tristitia animo concidant, aut, ne animũ desponeant. Interpres tamen à germano sensu non recedit. Quod itẽ legimus de seruis, *Domino Christo seruite*, longè melius Græcè, Domino enim Christo seruitis: & iungitur superiori præcepto. Vbi perpetuo contra hæreticos notãdum, mercedem hîc & retributionẽ hæreditatis seruis obedientibus promitti. Denique quod legimus. *Qui enim iniuriam facit.* Verius Græcè: Qui autem iniustitiam facit, &c. Plerique illud ad dominos referunt. Mihi autem ad seruos verius referendum videtur. Est enim clarum quomodo post hæc verba, sermo de dominis

subsequitur: Vt sit sensus, seruos dominis non obedientes iniustitiam facere. Et ob eam causam recepturi sunt quæcunque egerint: nec seruitutis conditione, vel paupertatis prætextu, & fortè etiã dominorum tyrannide excusabuntur. Nam Deus in iudicio personam non accipit.

CAP. IIII.

DOMINI, quod iustum est & æquũ, seruis præstate, scientes quòd & vos Dominũ habetis in cœlo. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostiũ sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.

Domini, quod iustum est & æquum seruis præstate. Hęc potius cum superioribus iungi conueniret. Porrò æquum est, & ita diuina iustitia exigit, vt seruis suppeditentur quæ sunt illorum conditioni necessaria, vt cibus & vestimenta, quo possint sua implere officia. Attentè enim debent, qui illorum sunt domini, cogitare sese non ita absolutos esse Dominos, vt nullum recognoscant longè excellentiorem & supremum Dominum qui est in cœlo. Sed pauci sunt admodum qui hoc apprehendant: & propterea cum tanto fastu plerique imperant, ac si homines à Deo eorum pedibus traderentur conculcandi. At hoc in seruos exercere est iniquitas. O quàm tremendam tales visuri sunt status atque conditionis, cursu vitæ peracto, commutationem, dum multi serui & abiecti homines computabuntur inter filios Dei, modo patienter tolerauerint & cum gratiarum actione temporariam seruitutem, vitiorum minime facti serui, sed dominis cum omni fidelitate reddentes suas operas debitas. Propterea addidit sapientissimè Apostolus, *Dominis carnalibus*, Quasi diceret: In his quæ ad corporis officia pertinent. In his enim quæ ad Deum & Ecclesiam pertinent, liber est animus: nec sunt tunc obedire obligati, quando aliquid contra Deum & Ecclesiam præciperetur. Contrà autem, qui generis splendore & opibus ac potentia excellunt, non raro (de malis loquor) sunt vitiorum serui, qui tumidi atque inflati legem Dei & timorem obliuiscũtur, & traduntur illi qui princeps est super omnes filios superbiæ, vt sint eius, cui inseruierunt, in æternis suppliciis socij. Quod ab omnibus in sublimitate constitutis auertere dignetur Rex pacificus qui non venit ministrari, sed ministrare.

Mare. 10.

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione. Hæc omnia iam sunt à nobis in superioribus epistolis explicata. Restaret vt quæ clarè patefacta sunt, ea factis & operibus nos scire declararemus. Nam scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. Vera enim proborum morum scientia ea est quæ in actione consistit, non in nuda & mera cognitione. In his autẽ perspicuè cernitur, quàm multi sint qui deficiãt in multis, dum minime cõplent ipso opere, quæ intellectu intelligunt. Illud præter ea rursus animaduertendum, quòd etsi cum omnibus sapiẽter & ad proximi ædificationem sit incedendum, potissimum tamen, *ad eos qui foris sunt*, debet diffundi vitæ Christianæ sanctus odor, nimirũ ad eos qui sunt extra fidem, vt nostram cõsiderantes sapientiam relicta illa, quam sequũtur, insipientia ad verum omnium Deum, & Redẽptorem nostrum Iesum Christum conuertantur & viuant. Qua in re oblatum tempus, id est, occasionẽ atque opportunitatem vel pretio redimẽdam hortatur, ne nobis elabatur è manibus hoc est, aliquo dispẽdio captandum sermonem etiam gratiosum & sale conditum (quod indicat prudentem esse & discretum oportere) quo satisfacere vnicuique valeamus de fidei nostræ professione sciscitanti. Vult enim Apostolus ita eos instituere, vt per efficaciã actionum, & sapientiam sermonis ita se gerant, vt omnibus clarum dent testimonium sese illius esse discipulos, qui cœpit facere & docere: & hoc exemplum omnibus sequuturis reliquit.

Act. 1.

Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chàrissimus frater & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & cõsoletur corda vestra, cũ Onesimo charissimo & fideli fratre, qui ex vobis est: qui omnia quæ hîc aguntur nota facient vobis. Salutat vos Aristarchus cõcaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabę (de quo accepistis mãdata, si venerit ad vos, suscipite illũ) & Iesus qui dicitur Iustus: qui sunt ex circuncisione: hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

Quæ circa me sunt, &c. Nihil est in his verbis difficultatis. Nisi ipsa fortè nomina contineãt aliquid arcani. Nam epistolam per Tychicum & Onesimum fuisse missam manifestum est. Vtrunque autem illis commendat, ostendens Tychicum corda illorum præsenti sermone recreaturum, qui fidelis erat minister & conseruus in promouendo euangelio. Eadem propemodum ad literam scribuntur in epistola ad Ephesios. Onesimum insuper addidit, & vnum ex illis, hoc est, Colossensem indicat. Dignum autem consideratione videtur, quanto affectu de eodem loquatur Apostolus, quem testificatur sibi charissimũ, & fidelem fratrem. In cuius gratiam peculiarem scripsit ad Philemonẽ epistolam paterni amoris plenissimam, licet herum aliquando offendisset. Vt perpendamus quàm sit ingens Dei erga lapsos homines beneficiũ, quùm ad pœnitentiam & meliorem frugem reuocandi, perducuntur ad viros pietate ac discretione præditos. Hũc positus in vinculis lucratus est Apostolus, & ita conuertit vt de fugitiuo & fraudulẽto seruo in sequacẽ & fidelissimum nõ iam hominis, sed Christi vtilem seruum conuerterit. Et ob eam fortassis

Iaco. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

causam efficaciori testimonio Colossensibus commendat, ne vlla prorsus prioris erroris suspitio in eorum mētibus de Onesimo resideret. Hæc enim est admirabilis euangelicæ virtutis præstantia, vt multi publicani & peccatores præcedant in regno eos, qui ita peccatis non videntur onusti. Nam qui syncerè conuertuntur ad Dominum, vbi abundauit delictum, superabundat & gratia.

Rom. 5.

Salutat vos Epaphras qui ex vobis est, seruus Christi Iesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti, & pleni in omni volūtate Dei. Testimoniū enim illi perhibeo, quòd habet multum laborē pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam. Et cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: & ea quæ Laodicensium est, vt vobis legatur. Et dicite Archipo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas. Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

Salutat vos Aristarchus, &c. Quemadmodum in omni fermè epistola, ita hîc quoque salutationes inseruntur. Primùm ipsius Aristarchi qui simul erat cum Apostolo cōcaptiuus, vir è Thessalonica, quem interpretari possumus, optimū principem, Marcum adiungit expolitum ac tersum per tentationes à rubigine. Hic consobrinus est Barnabæ, qui filius consolationis dicitur: de quo ait eos accepisse mandata. Anceps verò sensus est, num de Barnaba hoc dicatur, an verò de ipso Marco potius. Sed nec magni refert hæc scire. Hunc Marcum ex positores esse illum putant, cuius causa tam acris orta fuerat quondam inter B. Paulum & Barnabam contentio, vt separarentur inuicem. At postea reconciliatum cum Apostolo fuisse, hic locus perspicuè probat. Verissimile est enim eundē cum Barnaba maiorem animi fortitudinem cōparauisse, & fortiorem ad subeūda persecutionum pericula euasisse, qui aliquādo formidolosior, teste B. Luca, extiterat & declinauerat. Quapropter Colossenses rogat, si quando veniret ad illos, velint illū cum omni in charitate in Domino excipere.

Addit, & Iesus qui dicitur iustus, Non est vsquequaque certum an sit ille Ioseph, seu Ioses, qui ad sortiēdum Iudæ proditoris locum fuit ab Apostolis cum Matthia compositus. Non defuerunt qui hunc fuisse Gentilem existimarūt. Verum nomen ipsum manifestè Hebraicū reclamat. *Qui mihi fuerunt solatio.* Hos solos sibi solatio fuisse & secū operatores significat. Mirabile est sanè, quomodo relinquit Deus interdū suos omni ferè humano auxilio destituros, vt discant veram humilitatē: & ne in tantis aliis heroicis operibus & miraculorū virtutibus, eleuentur, sed humilientur, quando opus est, coram Deo & hominibus. Epaphram adiūgit consalutātem, cuius & ab initio epistolæ meminerat, quem ait esse Colossensem & vt Onesimū. Addit autē quàm solebat esse pro illis in orationibus & suspiriis solicitus. Nam & natura comparatum est, vt ipsius amor patriæ & ciuium ad maiorem curam vrgeat, vt (cæteris paribus) diligentius erga eorum salutem procurandā nos geramus, qui sunt nobis eiusmodi necessitudine coniuncti. Accedebat ad hunc Epaphræ affectum memoria prædicationis suæ, qua Colossenses instruxerat, ne à recta veritatis via per fallos prophetas, qui nusquam desunt, abducerentur, & sic in vanum cucurrisset. Vbi cōcionatoribus datur exemplum, non deserendos populos quibus verbum Dei ministrauerint, sed orationibus assiduis fouendos, etiam si sermonis cursus interim sit intermissus.

Qui sunt Laodiceæ & Hierapoli. Has ciuitates Colossæ fuisse finitimas ostendit. Salutem quoque illis nomine Lucæ medici charissimi dicit, qui fuit Euangelista, comes B. Pauli indiuiduus. Postremo loco ponit salutātem Demam, qui postea diligens licentiosiorem sæculi vitam ab Apostolo defecit, quemadmodum ad Tim. conqueritur. Non est satis rectam semel viam ingressum esse, sed cogitandum quot structæ sint ab hostibus mundo, carne & dæmonibus insidiæ, quibus irretitur homo qui cum timore ac tremore salutem suam paulatim negligit operari. Certamus enim nō pro leuibus quibusdam rebus, sed pro ea corona quam maligni vident, & tantopere inuident.

Salutate fratres qui sunt Laodiceæ: & Nympham, & quæ in domo eius est, ecclesiam. De hac Nympha nullam legimus alio scripturæ loco factam mentionem. Sed hæc tam honorifica salutatio illam satis superque celebrem reddit, quam religiosam fuisse & honestissimam aliquam matronā accipere debemus, cum & illius domum ac familiam nomine ecclesiæ donet B. Paulus, hoc est, Christianis operibus deditam. Nam & mulieres ipsæ Christum Dominum & Apostolos facultatibus suis plurimum iuuerunt. *Et cum lecta fuerit, &c.* Illud omnino non supprimendum silentiō, epistolas B. Pauli non ad solas, quibus nominatim mittebātur, ecclesias pertinere, sed passim ad omnes: quoniam mores similes vbique esse debent. Quocirca iubet mitti epistolam hanc & legi in ecclesia Laodicensi. Erat autem & alia ex Laodicea, quam vice versa legendam ecclesiæ Colossensiū mandat. Quidam putarunt esse quoque ad Laodicenses epistolam, qua nos caremus. Vnam Iacobus Stapulensis curauit in lucem edi. Ego verò notham & suppositiam arbitror. Neque enim reuera hîc citat Apostolus epistolam à se ad illos scriptam, sed, ex eo loco, vt Græca lectio porrigit. Vbi non legitur, *Et ea quæ Laodicensium est*, quin potius, *ea quæ Laodicea & vos quoque legite.* Quamobrem aliam epistolam insinuat. Fortè priorem (vt quibusdam placet) ad Timotheum. *Et dicite Archippo, &c.* Optima admonitio, vt scilicet ministeriū (non mysterium) impleat. Crediderim de sacerdotio intelligēdum, vel diaconatu, seu etiam de prædicatione. Non enim patefecit quale ministerium illud esset. Sed ordinabātur tunc magno cū delectu in ecclesia, nemini citò manus imponentes. Inde turpem cernimus hodierno

die ecclesiæ faciē, maculis & rugis aspersam, post quam ad sacros ordines irruerunt numerosi & ignari homines citra delectum admissi, qui nedum ministerium per sacerdotij gradum quærunt: sed contrà, vt vitam otio & torpore & crapulis commodius transigere possint. Domine Iesu miserere nobis & illis.

Amen.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

APostolus hanc ad Thessalonicenses epistolam ex Athenis scripsit, quemadmodum patebit inferiùs, & longè antè (vt visum est multis) quàm superiorem ad Colossenses scripsisset, & per Tychicum diaconū, & Onesimum acholytum misit. Thessalonica ciuitas erat Macedoniæ, ad quam reuelatione cœlitus facta, missus fuit Apostolus, vt Euangelium prædicaret. Magnum prædicationis fructum, sicut & vbique locorum & Gentium, apud eos fecit, ita vt fidei & probitatis soliditate cæteras superarent Ecclesias. Perseuerarunt enim in ipsa Euangelij recepta doctrina etiam acerbis persecutionibus afflicti: nec vllo pacto pseudoapostolos audire voluerūt. Hos igitur collaudat, & ad maiorem adhuc bonorum operum faciendum progressum cohortatur. Remouet insuper quorūdam immodicum erga suos mortuos luctum, ea tradens quæ ad resurrectionis spem exigunt. Tum post reprehensam hominum otiosorum & laborare recusantium vitam, subiungit egregias ac salutares sententias, quibus eos in via Dei cautos redat atque instructos.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD THESSALONICENSES.

*

AVLVS & Siluanus & Timothæus ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo gratia vobis & pax.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei domini nostri Iesu Christi ante Deum & Patrem nostrum.

QVAE ad salutationem pertinent, copiosè sunt iam aliis locis exposita. Suppressi autem apostolatus rationem esse existimo, quòd ad eos scriberet, qui promptissimè obsequerē tur monitis, vt iam non tam opus esset authoritatem proponere, quàm humilitatē apponere. Vbi enim non delinquimus, pares omnes hac in parte sumus. Assumit socios Timotheum & Siluanū quasi epistolæ coadiutores, ad magnam nostram eruditionem, qui si quid sapimus vel operemur, nedum socios admittimus gloriæ nostræ, sed imminui eam arbitramur, si extra nos solos deduceretur. Magna profectò & rara virtus est, vt magna licet opereris magnum te nescias: & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Hoc præstat charitas quæ non quærit quæ sua sunt, sed facit omnia communia. Porrò sunt qui tradūt Siluanum hunc esse, qui Silas dictus est in Act. Apost. At cum de scripturis eundem fuisse non euincatur, non admodum refert. Quicunque is fuerit, magnus vir certè fuit, cum illum sibi scribenti adiūgat Apostolus. In latinis codicibus post illa verba. *Gratia vobis & pax*, desunt hæc subsequentia, *à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo*, quæ passim in Græcis exemplaribus habentur.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, &c. A gratiarum actione de more incipit. Homo verè Deo gratus, perpetuò beneficiorum memoriam acceptorum in animo versat. Discamus & nos in reddendis gratiis non esse tardos & segnes, non solùm pro beneficiis quæ nos ipsi accepimus, sed & quæ toti humano generi contulit Deus Pater, pro omnibus vobis, ait Apostolus. Hoc monebat sapiens: Diligenter, inquit: Considera quæ apponuntur tibi, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur non præterita, non præsentia, non promissa, non grandia, non mediocria, non pusilla. Iubemur enim colligere fragmenta ne pereant, id est, nec minima beneficia obliuisci. Ingratitudo, ait deuotus pater Bernardus, *inimica* est animæ, exinanio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Multi quidem numerari possunt, qui vel importunissimè quæ sibi deesse sentiunt, postulant: sed rarissimi qui dignas de acceptis donis gratias agant. Clamabant illi decem leprosi, & omnes sani facti sunt. Vnus tamen solus rediit gloriam Deo daturus. Fœlix qui ad singula gratiæ dona ad eum redit, in quo omnis gratiarū, plenitudo consistit, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum Largitori gratiæ damus, vt maiora adhuc mereamur accipere. Illi autem facillimè à Deo obtinent, qui non iam vtilitatem propriam sectantur: sed salutem aliorum, & euangelicæ veritatis incrementum solicitè studēt promouere, præsertim apud eos qui persequutiones propter euangelium patiuntur, & sustinēt immoti: quales erant strenui isti Thessalonicenses.

Luc. 17.

B. Bernardus.

Memores, inquit, operis fidei vestræ & laboris & charitatis, & sustinentiæ spei, &c. Considera vt distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

età enumerat virtutes Theſſalonicenſium, ad magnam eorum conſolationem & laudem. Tolerabant verò hæc omnia ob ſpem in Chriſto Ieſu ante Patrem repoſitam, ſperantes ſe ſua ipſorum ſubſtinentia illum tandem lucraturos & comprehenſuros, iuxta euangelium illis prædicatum, & rectiſſimè ab eis intellectum: quoniam per multas tribulationes perueniendum eſt, non per otioſam fidē, in regnum cœlorum.

Scientes, fratres dilecti à Deo electionem veſtram, quia Euãgelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti, ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolùm in Macedonia & in Achaia, ſed in omni loco fides veſtra quæ eſt ad Deum, profecta eſt: ita vt non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. Ipſi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo cõuerſi eſtis ad Deum à ſimulachris, ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cœlis (quem ſuſcitauit ex mortuis) Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura.

Scientes, fratres dilecti, à Deo electionem veſtrã, &c. Primùm ait ſe ſcire eorum electionem. Non intelligas illam prædeſtinationis electionem: ſed fuiſſe illos peculiariter ad hoc electos vt auderent verbum euangelij, ſicut narrat hiſtoria Act. 16. Nam cum vellent Bithyniam proficiſci, non permiſit eos ire Spiritus. Vt autem viſum vidit, ſtatim (inquit B. Lucas) quęſiuim⁹ proficiſci in Macedoniã certi facti quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis. Affert autem pro illius electionis argumento efficaciam multam ſuæ prædicationis: quoniam euangelium illis non per ſermonem ſolũ perſuaſit ſed etiam in virtute, ſeu potentia ſignorum, & in Spiritu ſancto, qui mouebat linguam, & aperiebat aures audientium. Vnde plenitudo certitudinis multa. Id enim Græcè, πληροφορίᾳ πολλῇ, ſonat. Poſſumus & illud, *in Spiritu ſancto*, ita intelligere, vt miraculoſè Spiritus deſcenderet ſuper eos, ſicut à principio. Quod ergo ait: *in plenitudine multa*, ſignificat plenitudinem certitudinis ad confirmandam omninò veram eſſe B. Pauli prędicationem, cui tot ac tanta teſtimonia atteſtabantur. Sed illud ſuper omnia quod in corde proprio ſentiebant: ait,

Act. 16.

Sicut ſcitis quales fuerimus in vobis, id eſt, inter vos. Sed hoc non propter me, ſed *propter vos*, in ſalutem veſtram. Hic nempe erat totius prædicationis finis, non Pauli gloria, ſed Dei honor & animarum ſalus. Et commemorans profectum ipſum ſtatim: *Et vos* (inquit) *imitatores noſtri facti eſtis, &c.* Mirabile eſt excipere hoc verbum, & cum verbo ſimul tribulationem: Cum tribulatione autem inſuper & gaudium aduenire. Et ne fallatur hæreticus, qui deceptus putat ſe veritatem amplecti cum gaudio declarauit hîc Apoſtolus quale ſit piorum gaudiũ nimirum gaudium Spiritus ſancti, quod procedit ex illa plenitudine certitudinis. *Ita vt forma facti ſitis omnibus, &c.* Magnã eorum laudẽ his verbis perſtringit, qui tam citò, & ferè eodem tempore diſcipuli extiterint ac ſimul magiſtri. Vnde clarè collitur paratiſſimos eos antea fuiſſe ad recipiendam veritatem, ſi illis prædicaretur: de quibus teſtatur ſcriptura, ſuſcepiſſe eos verbum cum omni auiditate, ita vt vicinas ciuitates & loca admirarẽtur tam repentinam mutationem, & æmularentur ad imitandum eorum prouocati exemplo, qui nullis perſecutionibus à fidei conſtantia recederent.

Pati poſſunt hæretici ſed nõ in Spiritu ſancto.

Ita vt non ſit neceſſe nobis quicquam loqui. Et ideo non ſe vocauit Apoſtolum, ſed quaſi vnum ex illis parem: Vt intelligant Præpoſiti dari nonnunquam tempus & locum non oſtentandi authoritatem. Caietanus docet in his tantũ duabus ad Theſſalonicenſes epiſtolis omiſſam in ſalutatione mentionem apoſtolatus, idque feciſſe propter ſocios quos ſibi adiungit, Timotheum & Siluanum, ne videretur ſe illis præferre, Sed vtrunque meritò non placet. Nõ enim primùm aduertit quòd & ad Philippenſes ſcribens non ſe vocauit Apoſtolum. Et tamen ſcribens ad Corinthios & Coloſſenſes adiungens ſibi Soſthenem & Timotheum, vocat ſe Apoſtolum. Et ſimiliter in ambabus quas ad ipſum Timotheum. Quare inſtantiis facile perimitur id commenti, vt antea indicauimus. Reliqua non egent expoſitione. Solum animaduertendum id quod poſtrema linea in latinis legitur, *Ieſum, qui eripuit nos*, Græcè melius in præſenti ſcribitur, eripit, vt intelligamus effectum crucis ad redemptionem noſtram eſſe aſſiduum, & ſemper fuiſſe ab initio mundi, & ad finem vſque futurum. Notandum item quod ait, eripit nos ab ira ventura, continere ſubintellectam conditionem, ſi perſeuerauerimus ambulantes in luce, & ſecundũ ſpiritũ, non ſecundum carnem, in bonis operibus & via mandatorum Dei. Alioqui veniet tremenda ira, quando dicetur: Neſcio vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.

Luc. 13.

CAP. II.

NAM & ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrũ ad vos, quia non inanis fuit: ſed antè paſſi multa, & contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciã habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Euãgelium Dei, in multa ſolicitudine. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: ſed ſicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriã,

neque à vobis, neque ab aliis: cùm poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrũ, tãquam ſi nutrix foueat filios ſuos: ita deſyderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Euãgeliũ Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſsimi nobis facti eſtis.

NAm & ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, &c. Reuocat illis in memoriam hoc in loco hiſtoriam quæ Act. cap. 16. enarratur & 17. ne obliuiſcantur mirabiliũ quæ acciderunt, & quo pacto è mediis paſſionibus erepti illicò ſe nouis certaminibus expoſuerunt, vt prædicaret eis verbum. Nã quod legitur, *in multa ſolicitudine*, melius redditũ fuiſſet, in multo certamine. Inde probat prædicationem ſuam non de errore, nõ de immunditia, non in dolo factam. Hæc enim tria potiſſimum ſunt, quę dedecent pręconem verbi Dei. Primum decipi intellectu, & non habere veritatis & eorum quæ ſunt prædicanda certam plenitudinem. Alterum, etſi verites, adſit, eam tamen inquinare veritatem per affectum temporalium: vt cum prædicatur amore pecuniæ, aut inanis gloriæ. Hęc eſt enim immunditia, & abominandum ſimoniacum ſcelus. Tertium eſt, quùm delectatur homo animas decipere & lucrari ſibi: quod eſt immane & omnino diabolicum. Audi B. Paulum quàm ab iis vitiis abfuerit remotiſſimus.

Sed ſicut probati ſumus à Deo vt crederetur nobis Euãgelium ita loquimur. Mirum videri poſſet, quomodo dicat ſe à Deo probatum, antequam tamen prædicaret. Nam in ſcripturis tum demum probari aliquis à Deo dicitur, quum ipſo opere ſe declarat. Verùm attende. Non ſe abſolutè probatum fuiſſe ait, ſed probatum hac in re, vt crederetur illi diſpẽſario & prædicatio euangelij. Vidit enim Dominus Deus ſynceram illam Pauli conuerſionem, & cor purificatum & ardens amore Chriſti & zelo. Et in hoc ante Deum probatus fuit vt idoneus ad prędicandum: quod & pręſtitit, & non fefellit hãc primam Dei (vt ita impropriè ac ineptè de diuinis loquamur) deprecationem, qui propriè aliter non poſſumus ita loquimur, Modeſtiæ gratia, nec ſine veritate Siluanum & Timotheum ſibi adiungit in officio prædicationis ſocios. *Non quaſi placentes hominibus, ſed Deo qui probat corda noſtra.* Probat autem Deus corda, cum per varias tentationes, quaſi aurum per fornacem explorans, facit vt innoteſcant nobis qualia ſint. Videãt, quæſo, hunc & alios multos huiuſmodi locos, qui dubitãt an B. Paulus certus eſſet innocentiæ & gratiæ ſuæ, hærentes ſolivni loco vbi dixit: Nõ in hoc iuſtificatus ſum. Probat autem ſuperiora, Primùm quòd non dolo prędicauerit: quoniam non eſt adulatus illis. Tum quòd non immundè, id eſt, prætextu auaritiæ. Cui rei aſſerendæ Deum ſibi teſtem adhibet. Nam vtrum abdita ſit intus cupiditas, aliter probari non poteſt, cum hominibus non pateant cordis arcana, quæ ſolus Deus ſcrutatur. Tertio, quod non appetitu glorię cuidẽs eſt: quia nec ſe geſſerunt vt Apoſtoli Chriſti, qui iure potuiſſent exigere ad victum neceſſaria: ſed nihil ab eis, neque ab aliis, ne eos grauarent, victus gratia quæſiuerunt: vt viderent omnes quàm purè annuntiarent euangeliũ. Cuius rei gratia peculiarem à Deo expectabant & auctiorem mercedem, vt ad Corinth. ipſemet explanat.

1. Cor. 9.

Sed facti ſumus paruuli. Græcè νήπιοι, id eſt, placidi, & lenes. Interpres verò fortè legit, νεπιοι, id eſt, paruuli: quanquam & ſuperior dictio ſignificet etiam paruulos: ſed aptior eſt illa prior ſignificatio, & expreſſior ad mentem Apoſtoli. Quomodo ergo gloriæ popularis auram captare exiſtimari poterant, qui ſe conſque contemptibiles abiecta grauitate præbebant? Ob eam cauſam epiſtolæ ipſius ſeuiores quibuſdam poſt expertam tantam charitatis (vt ita dicam) demiſſionẽ videbãtur. Qua perſpecta abutebantur ſubdoli fratres, vt inde authoritati & nomini illius detraherent, quemadmodum ad Cor. conqueſtus eſt. Tanta eſt enim humana imbecillitas, & ad capienda veræ charitatis præcepta tarditas, vt rudes homines facilius eos ſequantur, admirentur, ſeque illis in prædam dedant, qui vel orationis fucato ſermone, vel propoſitis rebus curioſis & ad ſalutem nihil iuuantibus prędicant, & cum graui apparatu incedunt. Vide autẽ quàm ſuaui & appoſita vtatur ſimilitudine Apoſtolus.

Tanquam ſi nutrix foueat filios. Quãta nutrices & matres tolerẽt interim dum incrementa expectãt puerorum, nemini eſt obſcurum: vt nõ quoſlibet cibos præbere, quin & teneriores adhuc præmanſos inſerere in os cogãtur, puerorum moribus inſeruire, riſum effingere & gemitum, & quæq; grauitatis ſpernere. Ita ſe gerebat Apoſtolus in curſu euangelico: Lac potum dedi vobis, ait quibuſdam, non eſcam: nondum enim poteratis. Erant perfectè Theſſalonicenſes renati, ſed teneri adhuc, non conſummati. Amat mater paruulum nutrire: ſed eum non amat paruulum remanere, ait B. Auguſtinus. In ſinu tener, manibus fouet, blanditiis conſolatur, lacte nutrit. Omnia facit paruulo, ſed optat vt creſcat, ne ſemper talia faciat. Quid bone lector credis in iſtiuſmodi locis dici à noſtris nouis ſapientibus, qui mox vbi aliquem nacti ſunt diſcipulum, ei nullo præeunte magiſtro ſacras literas obtrudũt: non iis ſolùm qui Latinam linguam tenent, ſed paſſim toti imperitæ multitudini, vt neminem habeant paruulum. Nullus inter eos reperitur qui duros & prægrandes & peracutos non miſerit dentes ad ſolidum cibum vorãdum. Piſtores, caupones, lanij, cetarij, tonſores, fabri, publicani & meretrices ad tractandas ſacras literas ſunt per iſtos ſapientes idonei. In hãc iuſtam querimoniam venit olim ardens ille defenſor fidei ſanctiſſimus Hieronymus. Quid ſi nunc reuiuiſceret, & ita auctum numerum cerneret? Conſiderare, quæſo, populi quem in corpore myſtico locum tenetis, & vos more bene natorum puerorum à patribus inſtitui ſinatis. Niſi efficiamini (inquit ſumma Veritas) ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorum. Audite quid B. Auguſtinus de ſuis temporibus teſtetur, quomodo non ſunt omnia populis reſeranda, ſed tantum pro illorum captu & vtilitate ad ſalutem: ait. Hoc à magnis & ſpiritualibus viris eccleſiæ catholicæ alũnis video cautiſſimè prouideri, ne quid populariter agant, quod nondum eſſe temporis vt cum populo agatur, intelligunt.

Hæreticorũ erga populos licentia.

Matth. 18.

B. Aug. in lib. De vera religione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt: validioribus autē cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiā enim loquuntur inter perfectos: carnalibus autem & animalibus, & quamuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim vanis honoribus suis consulunt & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum cū quibus societatem vitæ huius inire meruerūt, &c. At nunc sacri libri in popinis & officinis, hæreticorum licentia, manibus omnium teruntur, vetius pedibus conculcantur. Hæc obiter dicta sint propter malitiam temporum, quando periit vera & christianis populis ac filiis ecclesiæ matris digna simplicitas, regnat vbique arrogantia.

Volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras. O charitas sancta, quantas vires in eorum cordibus, qui abs te possidētur, habes. Nullum potest maius vero euangelicæ gratiæ prædicatori adesse gaudium, & eis qui bene præsunt, quàm dum animaduertūt sibi commissas plebes rectam veritatis viam cum fructibus bonorū operum, ac in Deum pietatis citra offendiculum tenere. Hoc & de se testabatur Dilectus. Maiorem horum, ait, non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare. Contra autem, supra modum affliguntur Sancti, quum eorum ruinam vident & corruptionem cum fidei, tum probrorum morum. Propterea Moses de libro viuentium deleri, & Apostolus anathema fieri optabāt. Quàm optarem & ego vt Antistites omnes, & vebi diuini cōcionatores hæc quotidiana ruminatione tererent, féque ipsos seriò probarent, num tales sibi videantur, qualem se eis Apostolus in exemplum proponit, vt non dubitent animam propriā pro animabus impendere. Si quis ita se paratum sentiat, gaudeat & exultet in Domino. Qui secus, saltem caueat ne errore feratur & ignorantia, ductus humanæ gloriæ cupiditate atque immūditia. Quibus vitiis si tenetur implicatus, maturè cogitet quo suffundendus est pudore, quando coram Deo & Angelis eius minimus censebitur in regno cœlorum.

Ioan. ep. 3.

Memores enim estis, fratres, laboris nostri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem vestrū grauaremus, prædicauimus in vobis Euāgelium Dei. Vos testes estis & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela vobis qui credidistis, affuimus: sicut sciris qualiter vnumquenque vestrum, sicut pater filios suos, deprecantes vos, & consolantes, testificati sumus vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.

Memores enim estis, fratres, laboris, &c. Clarus textus: Solum vitium & mendum in scriptura notandum est. Vbi enim legimus, *Nocte & die*, scribendum est, *Nocte autem & die*, vt appareat superioris dicti ratio, videlicet quòd non fuerit illis sumptui nec oneri. Et præterea vbi legitur, *Qui credidistis*, scribendum est, *Qui creditis*, Similiter quod legitur, *Qui vocauit*, legendum est, *Qui vocat*, temporis præsentis, non elapsi. Nā vocatio Dei assidua est. Nec tamen prætereunda est admonitio illa aliis in epistolis inserta: Vt ambularent dignè Deo, aduersus eorum errorem qui falsò putant non posse hominem ea agere quę conueniunt statui nostro, digna Deo, & quę placeant illi vt respiciat & remuneret. Non quasi sint condignæ passiones comparatæ ad solam mercedem, cum merces sit æterna, passiones verò momentaneæ: sed quoniam sunt tales secundum vigorem & pactum Dei, vt queant maiestatem inclinare diuinam ad remunerandum dignè se & nobis, quos filios fecit: si modo vt eius filij obedierimus illi & Christo Filio eius, quē nobis Dominum & fratrem constituit, vt Dei simus hæredes, Christi autem cohæredes.

Ideo & nos gratias agimus Deo, sine intermissione: quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum: sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas: & nos persequuti sunt, & Deo non placēt, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos Gentibus loqui, vt salui fiant, vt impleant peccata sua semper. Peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem.

Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, &c. Nec opus hic est expositione. Solùm notetur, illos accepisse à B. Paulo euangelium vt Dei non vt hominis verbum, sicut verè erat. Et in hoc Deū esse cooperatum, non solùm in Paulo dicente & prædicante, sed etiam in illis audientibus & accipientibus. Vnde ait, *Qui & operatur in vobis qui creditis*: sic enim Græca lectio habet, & hoc in Pelagianos. Aduertendum item peculiariter laudati Thessalonicensium ecclesiam, vt qui imitati essent ecclesias Dei in Iudæa. Quo in loco ego puto (licet id non clarè exprimat) multos Thessalonicensium semetipsos expeliauisse proprietate omnium bonorum, & vitam regularem propter Christum professos: quemadmodū ab initio fecit ecclesia in Iudæa, vt in Act. Apostolorum legitur. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Vbi memorabile est iudicium in eos qui de pretio fraudare tentarunt, in quos repentina Dei vltio manifestata est. Decuit enim vt forma perfectę euangelicæ vitæ ibi primùm institueretur, vnde primò egressum est verbum, vt fuerat in prophetis prædictum: Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem: quia salus ex Iudæis est.

Nota.

Act. 4.

Quo magis mirādum, qua fronte hæretici, qui se inniti scripturarum testimoniis tanta ostentatione iactitant, hoc vitæ genus adeo impudenter audeant detestari. Comparat verò illos B. Paulus manifestè cum fidelibus veris Iudæis, quantum attinet ad persecutiones à contribulibus illatas. Vbi & notandū quod ait peruenisse in Iudæos irā Dei vsque in finem, id est, vsque ad perfectum & consummationem, vt intelligantur illi persecutores reprobari omnino à Deo. Hoc est enim in eos peruenisse iram Dei vsque in finem. Intellige autem reprobationem non perinde esse atque prædestinationem. Hęc enim sine vllis prorsus meritis: illa verò non sine propriis demeritis. Manet autem similiter ira Dei in eorum filios vsque in finem, id est, vsque in vltima mundi sæcula, quando conuertentur ad Deum, & auferetur velamen, postquam efferbuerit ira eius: quæ eò debet esse diuturnior, quò criminis aduersus Redemptorem admissi culpa fuit grauior.

De reprobatione.

Nos autē, fratres, desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde: abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum, sed impediuit nos satanas. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrū Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Nos autem fratres desolati. Interpres noster vertere elegantius potuisset, *orbati*, Vbi assiduum ostendit affectum quo erga illos totus accendebatur, ita vt cum maximo desiderio tentauerit iterum atque iterum ad illos redire, hoc est, quod latine dicitur, *festinauimus*, Sed aptius dicendum erat, studuimus, seu conati sumus. Cur autem proficisci non potuerit, causam assignat. *Sed impediuit nos satanas.* Vide admirabilem Dei prouidentiam, quomodo permittitur satanas interdum impedire cogitationes sanctorum, nec propterea impediri voluntatem Dei, nec profectum euangelij. Decipitur enim sæpe infœlix satanas dum & obtinet quod ipse vult: quoniam & totum in caput eius reuoluitur. Non sine causa quodam in loco aiebat, non esse sibi aduersus carnem & sanguinem colluctationem: sed aduersus principes tenebrarum & nequitiæ, cursum prædicationis euangelicæ toto furore percitos interturbare laborantes. Denique quod dixit, *Nonne vos*, Rectius, *nonne & vos?* Vt & alias simul ecclesias includeret, quas ipse Christo acquisiuit. Tunc enim in aduentu Domini apparebit: & magnum ex Thessalonicensium procurata salute & parta, gaudium, & corona, & gloria B. Paulo, quasi tunc triumphanti, erit coram Angelis & hominibus. Nam & ipse triumphās & triumphati, & spectatores triumphi gaudebunt, & gloriam Deo decantabūt in sempiterna fœlicitate collocati, vbi iā non erit amplius neque luctus, neque dolor, sed nec vllus æstus: quoniam priora transierunt, quorum memoria maximam iucunditatem afferet per tanta pericula euasisse ad portum tranquillitatis æternæ deuictis mundo, carne, & dæmonibus per gratiam Redemptoris.

CAP. III.

PROPTER quod non sustinētes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis: & misimus Timotheū fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Nā & cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factū est, & scitis. Propterea & ego amplius nō sustinens, misi ad cognoscēdam fidem vestram, ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.

Propter quod non sustinentes amplius, &c. Ostendit crebrò Apostolus suum timore & amore (vt verè amantibus accidere solet) permistum desiderium, qui illis potius quàm sibiipsi consultū volens, maluit consortio priuati clarissimi fratris, nempe Timothei, vt eius præsentia Thessalonicenses confirmarētur in fide, nullisque tentationum, seu persecutionum procellis ab eo qui tentat mouerentur. Nam & eosdem iam inde ab initio commonefecerat: & persequutiones futuras longè antè prædixerat, ne cum excitarentur, quicquam eis nouum appareret. Hac enim prima instructione muniendi sunt, quicunque dant christianæ militiæ nomen, Fili, ait Sapiens, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & in timore Dei, & præpara animam tuam ad tentationem. Data est regula neminem prorsus excludens: Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu persequutionem patientur. *Ne fortè tentauerit vos is qui tentat.* Satanam antiquū serpentem intelligit humanum genus capitali & veteri odio prosequentem, ad fallendas nedum incautas animas ac præcipitandas instructum, quin & sanctos homines interdum: vt maximo sit timore opus ad eludendas eius astutias. Neque enim est potestas super terram quæ valeat ei comparari. Perambulat terram, & circuit quęrens quē deuoret. Sed fide illi resistitur: & per veram humilitatem prosternitur superbus ac vincitur. Perpende autem tropum dicendi, & quo appelletur nomine ab Apostolo, is qui tentat. Propria etenim diaboli est ars tentare, quam multis sæculis exercere non cessat, & semper ad ruinam nostram. Huius Maligni cogitationes minime ignorabat Apostolus, propterea tanta solicitudine tenebatur, ne aliquas oues fur raperet, & mactaret.

Eccl. 2.

2. Tim. 3.

Iob 1. & 41.

Verùm huiusmodi locis abuntuntur hæretici ad leniendas persequutiones, si quando in eas incidunt, quas & plerunque iri suscitatas (quod quidem videre est perfacile) prænuntiāt, mentitoque persequutionum verarum nomine vestiunt. At latissimè patet inter persequutiones, & animaduersiones discrimen. Illæ enim aduersus iustos homines ac pios Dei seruos iniustæ sunt, & crudelitatis plenissimæ per tyrannos contra veritatem. Infontes autem & gregem Domini contaminantes hæreticos, animaduersiones piæ sunt, iustæ & à sancto zelo veritatis, qui Deo est gratissimus, profe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctæ. Alioqui & grassatores viarum ac latrones, & quilibet flagitiosi homines, cum huiusmodi hęreticis sese in persequutionibus, quas meritò patiuntur, solari possent, si causam pro arbitrio fingere licet. Patiuntur itaque ob apostasias hæretici, & veluti perturbatores tranquillitatis catholicæ ecclesiæ, in qua viuere superbi nolunt. Placuit & verba deuoti & cœlitus docti patris Bernardi adiungere, quibus eleganter ostendit quam futilis sit ista tergiuersatio. Exorti sunt enim eo tempore quidã insani homines, in quos populus perspecta illorũ atque cognita impietate irruens truncauit: subsequuntur hæc verba Sancti Abbatis & ea (qui nõ credunt) notent: Mirabantur aliqui quòd non modo patienter, sed & læti, vt videbatur, ducerentur ad mortem. Sed qui minus aduertunt quanta sit potestas diaboli non modo in corpora hominum sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nonne plus est sibimet hominem iniicere manus, quàm id libenter ab alio sustinere? Hoc autẽ in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Nihil ergo simile habent constantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contẽptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. hæc ille. Et verè mundus ignorat quanta Deus permittat ob peccata vulgi, vt quõdam filios & filias immolauerint aliqui dæmoniis.

De persecutionibus quas hæretici patiuntur.

B. Bern. in cãt ser. 66.

Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestrã, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderãtes nos videre, sicut & nos quoque vos: ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem vestram: quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. Quã enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantius orantes, vt videamus faciem vestram, & cõpleamus ea quæ desunt fidei vestræ. Ipse autẽ Deus & Pater noster, & Dominus Iesus Christus dirigat viam nostrã ad vos. Vos autẽ Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestrã in inuicem & in omnes: quẽadmodum & nos in vobis ad confirmãda corda vestra sine querela in sanctitate ante Deum & Patrem nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, cũ omnibus Sanctis eius. Amen.

Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, &c. Singulares indicat Apostolus & admirabiles in illos charitatis affectus: qui digniores consideratione sunt & imitatione, quàm vlla alia expositione. Hos autem nemo ante capere rectè potest, nisi & ipse toto corde passus amando fuerit. Veram ille quidem experiretur sententiam, qua dicitur: Anima plus est vbi amat, quàm vbi animat. Languebat Apostolus, non viuebat, quandiu ignarus erat quo in statu res eorum essent. Ob eam causam adiunxit: *Quoniam nos viuimus, si vos statis in Domino.* quasi diceret: Siquis mihi nũtiaretur vester lapsus, & à sancto ædificio ruina, omni morte acerbius me cruciaret. Propterea nullum tempus intermitto neque diurnum neque nocturnum, quo de vobis non cogitem, quo vos suspiriis ad Deum & orationibus non iuuem, ne quãdo Malignus glorietur & dicat: Præualui aduersus vos.

Ipse autem Deus & Pater noster, & dominus Iesus Christus dirigat, &c. Erumpit tandem in optimas precationes quæ diluciditatem per se, & efficacissimam insuper vim continent ad euertendam falsam illam, & Dei gratiæ inimicam eorum doctrinam, qui dum turpiter viuere volunt ipsi, & peccatorum sordibus sordescere perpetuis, negant quenquam posse inculpatè viuere. Vt frustra Apostolum velint monuisse, & orationibus apud Deum, postulauisse, vt Thessalonicensium charitas abundaret in dies, & corda illorum confirmarentur ante Deum sine querela, hoc est, vt nihil supersit dãnatione, dignum, quando venturus est Dominus cum Sanctis suis ad iudicandum. Nam Sancti ipsi nedum iudicabuntur, sed cum summo Iudice ad iudicandos alios assidebunt. Sicut scriptum est: Iudicabunt sancti nationes. Hoc sequentibus se pollicitus est Dominus aiens: Amen dico vobis quòd vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.

Sap. 3.

Matth. 19.

CAP. IIIII.

DE cætero ergo fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, vt quẽadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, vt abũdetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore: nõ in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorãt Deum. Et nequis supergrediatur, neque circũueniat in negocio fratrẽ suum: quoniam vindex est Dominus de iis omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immũditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hęc spernit, non hominẽ spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

De cætero ergo, fratres, rogamus vos, &c. Hic incipit Beatus Paulus ea tractare quæ ad morum sanctorum instructionem spectant, rogans eos vt velint eam viuendi formam tenere, quam præsens illis tradiderat, nimirum vt in hac peregrinatione sedem stabilem perpetua memoria apprehenderent non esse figendam: sed eos ambulare

bulare alacriter oportere in via mandatorum Dei, vt meritorum magnitudine copiosius & numero abundarent. Idem præceptum dat in Apoc. Dilectus: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Sic Deo grati sumus, præmiumque ac laudem ab eo pro bene factis cumulatissimè referimus.

Apo. vlt.

Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Aut potius, *dederimus*, ac si dixerit: Quæ vobis præcipimus, ea in authoritate quam dedit nobis Dominus, præcepimus, quũ dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Nec pro arbitratu hæc præcepta damus, quasi non sint eum diuina voluntate cohærentia. *Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra*, id est, munditia & puritas corporis & animi, quæ acquiritur & conseruatur obseruata hac conditione, *vt abstineatis vos à fornicatione.* Hoc in errore versãbãtur Gentiles, vt simplicem fornicationem sibi persuaderẽt nullam habere peccati rationem, sed culpa vacare. Hunc perniciosum errorem voluit tollere Apostolus, quo Deus offenditur, cuius voluntas est, *vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore.* Ecce quomodo corpus nostrum veluti vas quoddam considerãdum est, in quo collocatur animus & includitur, cuius est cœlestis origo. Præsertim autem postquam in baptismo ab omnibus sordibus purgatus, est mũdus effectus, à nouo carnis inquinamento abhorrere tenetur. Dicere cum Sponsa in Cant. debet aduersus omnem immundam cogitationem. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Inquinantur verò quando distrahitur homo, & alienum fit mãcipium. At hoc potissimum per fornicationis vitium admittitur. At ne scitis (volens à tanta turpitudine auertere Corinthios Apostolus) nescitis, inquam, quoniã qui adhæret meretrici, vnũ corpus efficitur? Fugite fornicationem, qua corpus redditur meretrici obnoxiũ, & dedecore tanto afficitur: quod tamen possidendum est cum omni sanctificatione & honore propter ipsum animũ, in quo inhabitare, si purus fuerit, Spiritus sanctus dignatur, & addit:

Luc. 10.

Cant. 5.

1. Cor. 6.

Non in passione desiderij, seu concupiscentiæ, quæ si permittatur exire foras, operatur mortem sempiternam. Itaque possidetur vas animi, nempe ipsum corpus cum honore dum in libertate (sub imperio tamen rationis & spiritus) manet, nec sinitur obligari alteri non legitimo membro: quę quidem obligatio per fornicationem contraheretur. Hanc ad Corint. ca. 6. vberius explicauimus. *Sicut & Gentes quæ ignorant Deũ.* Hoc laborabant vitio passim Gentes, non existimantes illud peccatum esse, quod verè peccatum erat apud Deum. Sed in tenebris ambulantes, videre non poterant euãgelicæ puritatis splẽdorem. Non enim considerabant nos esse Dei templum, & Spiritus sancti domiciliũ. At ipse absolutissimæ mũditiæ Spiritus habitare non potest nisi templum sanctificatum ac mundum. Animus autem quomodo mũdus dici potest, si corpus immũdum habiter? Sermo præsens de spirituali non de corporali munditia institutus est. Nam corpus tersum atque nitidum, sordido existente animo atque vitioso, nihil penitus prodest.

Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum. Non desunt qui hoc præceptum ad solum restringant adulterium. At reuera omnõ prorsus iniustitiam prohibet, quæ vel potentia exercetur, seu oppressione (hoc enim supergredi est) Aut etiam dolo, & tunc circunuenire dicitur is qui ita se gerit fraudulenter. *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Quoniam non facile superbi homines, & auari negociatores ab animi elatione, & quæstus auiditate auelluntur, nisi ostenso diuinæ vltionis flagello, quo veluti canes ad cadauera alligati ab huiusmodi ingluuie abigantur, tremendam expressit Apostolus sententiã, vt qui amore iustitiæ proximum iniuria afficere non oderunt, supplicij saltem metu deterreãtur: quoniam vindicem Deum ostẽdit, & illum quidem seuerum in eos futurum, qui antè moniti resipiscere tamen noluerint. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis, ob summam eius & inflexibilem tunc æquitatem, qua de omnibus iudicaturus est, vt nedum fraudes & grauiora quæque peccata damnet, sed nec verbum otiosum impunitate donabit. Nec cuiquam patẽre poterit euadendi locus, cum sit ille supremus Dominus & solus. Nec vllam afferre licebit honestam sese excusandi rationem. Ipsemet primùm commonefecit, & per Apostolos ac prædicatores prædictum nobis insuper fuit: qui hanc benignam Dei erga mentis nostræ integritatem ac sanctificationem esse testificati sunt, & non verbis nudis, sed signis atque virtutibus omnique necessaria miraculorum ostensione ita comprobarunt, vt nullus eis nisi impius refragari potuerit. Nam vel ipsa naturalis ratio, cessantibus miraculis, hanc prædicationem vltrò amplecti debuit: quantò magis confirmatam miraculis?

Hebr. 10.

Matt. 12.

Non enim, inquit, *vocauit nos Deus in immunditiam.* Quid hoc amabilius, & præstantiæ naturæ nostræ magis consentaneum, vt semper ad altiora aspiremus, & iam Dei ciues effecti incipiamus eã comparare & augere munditiam, quam pòst in cœlis adipiscemur ab omni parte perfectissimam? Ad hanc vocauit nos Deus, non in immunditiam: ad quam impellit Spiritus immundus, instigans homines vt passiones carnis & desideria sequantur, quæ animum & corpus impurum reddunt. Deus autem sanctus ipse vult vt nos quoque, si eius filij esse volumus, sancti simus? Sancti estote, ait, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Sanctus illie quidẽ est in seipso & per seipsum, qui non habet quicquam aliunde purius, per quod possit sanctificari. Nos contra immundi per nos ipsos sumus, nec possumus aliter quàm per illũ omnis sanctitatis fontem, & illius munere sanctificari: quod fit per amorem cœlestium nõ terrenorum, quibus opprimitur potius spiritus quàm iuuetur. Nam cui promissa sunt diuina, eidem vilescere debẽt quæcunque fluxa atque caduca. Cõcludit itaque Apostolus qua reuerentia excipienda sint hæc, & qua authoritate innitantur: quoniam Christi ipsius doctrinam referunt qui Deus est verus, & ita censuit. Qui si ita non expressis verbis docuisset, non minoris propterea essent authoritatis apostolica verba: & qui ea sperneret, non hominem sperneret, sed Deum. Cur ita? Audi perspicuam rationem:

Leuit. 19.

Qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis, id est, authoritatem præcipiẽdi ad ecclesiæ ædificationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.10. Quocirca Dominus: Qui vos spernit, inquit, me spernit; Ego enim ipse sum qui misi Spiritum sanctum in vos. In hunc modum: Qui me spernit, non me spernit, sed illum qui me misit. Huius sentētiæ pōdus aliquot ex Christianis non pōderant, quantum sit fidei & reuerentiæ his tribuendum, quos Dominus in ecclesia superiores constituit, & alio tum doctores. Hæretici autē omnes artificio satanę semper hoc primū in introducendis hæresibus moliti sunt, vt traditiones, & Prælatorū præcepta spernerent ipsi, tum populis tanquā doctrinas hominū & mandata spernenda pariter persuaderent. Quo iacto fundamento turrim babylonicam altissimo & superbissimo fastigio erigere potuerunt. Nam sublata traditionū authoritate quid certi inter Christianos potest remanere? Nonne ecclesia ipsa diuturno tempore vixit solis traditionibus Apostolorum & Seniorum? Euangelia siquidem aliquot post Domini ascensionem annos conscripta fuere, & variis temporibus, diuersisque locis. Nec vllam nos habemus scripturā nisi per traditiones, quas qui negat, omnes scripturas in dubiū vertit. Nolunt intelligere praui homines quam tradebāt conuersis ad fidem populis regulā Apostoli. Num vt contemnerentur quæ à maioribus tradebantur, tāquam nullius essent authoritatis, sed vt ad euangelia confugerent? At nondum scripta erant euangelia vt diximus, ab initio. Ad veterem scripturam isti non remittunt suos discipulos, qui eam volunt ad solos Iudæos pertinere. Audi igitur pie lector, quid pro re solida tandem ciuitates lustrantes ipse B. Paulus & socij commendabant: ait scriptura,

Act.16. Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erāt Ierosolimis. Ecce doctrina primitiuæ ecclesiæ, ad quam tamē isti impudentes non verentur nos aliquando prouocare contra traditiones ecclesiasticas & decreta: quarum meliorem partem inde ad nos profectam defendimus. Eas autem omnes floccifaciunt, & mandata hominum vocant. Hanc tergiuersationem præuidit Apostolus in spiritu, & hæretico respondet: Qui hæc spernis, non homines, sed Deum, cuius Spiritus datus est Apostolis & eorum successoribus ad regendam ecclesiam in rectitudine veræ fidei, & sanctorum morum vsque ad consummationem sæculi. Quorum vitam si contingat cum doctrina sana aliquando pugnare, minime te, quò minus obedire tenearis, excusat. Tibi ab ipsomet Domino occursum est, omnia vitia proponente quæ

Matt.23. à reddenda Prælatis obedientia liberare videbantur. Addidit enim clarissimis verbis: Quæcunque ergo dixerint vobis, seruate & facite. Scio enim eorum plerosque docere, & non facere. Nota hæc hæretice, & bona confusione, ne vlterius sis hæreticus, confundere. Non me fugit in quibusdam codicibus legi, *qui dedit Spiritum suum sanctum in vos*, non, *in nobis*, & in eundem sensum exponi potest: ac si dixerit: Qui dedit ad hunc finem nobis spiritum, *in vos*, id est, erga vos vt vestrum in fide progressum procuraremus, & in spe atque charitate ad acquisitionem regni cœlestis.

Pro traditionibus maiorum.

De charitate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia. Rogamus autē vos, fratres, vt abūdetis magis: & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis: & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.

De charitate autem fraternitatis, non necesse habemus scribere vobis. Magna præceptoris fœlicitas, promptos habere, & obtemperantes discipulos. Cum essent sponte sua propensi Thessalonicēses ad proximorum dilectionem fouendam, testatur superuacaneum esse hac de re habere sermonem, quoniam ipsi iam à Deo hoc didicerant tum verbo atque Christi exemplo, tum interna per Spiritum infusa charitate, quam re ipsa declarabant in vniuersa Macedonia. Pergit tamen Apostolus, nec hortari desistit vt in dies fiat semper aliqua maioris lucri

Matt.10. accessio, non ignorans eum qui incœperit & perseuerauerit vsque in finem, non autem qui tantum incœperit, coronatum iri.

Adiungit & alia præcepta cum salutaria, tum etiam ad retinendam mutuam animorum concordiam & voluntatum apprimè necessaria, *Vt quieti sitis*, nullas concitantes rixas inter fratres, nec quicquā mouentes, quo susurrationes inter vos & murmurationes exoriantur. Ad quod præstandum vtilissimum est documentum istud: *Et vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris*, hoc est, ne vos interseratis alienis rebus, nec curiosè ea scrutemini quæ ad vos nihil pertinēt: sed vnusquisq; sibi attendat, solūmodo proximum iuuare consilio &

Notā. facultatibus sit paratus, si quādo charitas postulauerit. Sunt enim plerique ita curiosi vt nihil à quo quā dici aut fieri possit, quod anxiè rescire non studeant, seipsos interim & sua perniciosè negligētes.

Quod verò ait, *operemini manibus vestris*, sanè intelligendum est ob inueteratum hæreticorū in ecclesiasticos viros, & religiosos Patres odium. Neque enim hoc præceptum datur omnibus. Nam digniores qui curam multitudinis, & sacramentorum ministrādorum habebant, ad hunc manuum laborem exercēdum minime erant obligati. Nam his fructuosior laborandi ratio, & item nunc Religiosis viris, præsertim doctoribus & prædicatoribus relinquitur, in studiis, orationibus & aliis spiritus exercitiis, quæ corporalibus præferēda sunt.

Et vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt. Non enim vno tantum modo fideles Gentibus prædicant: Compositio proborum morum, hoc est, honestas amabilis quæ lucem præfert hominibus, loco est viui & efficacis sermonis ad alliciēdum spectantes ad piam æmulationē. Hac vna plus ab initio profecerunt Patres nostri, & omnes nouæ vitę institutores, quā sermonis apparatu. Facilius siquidem legitur in ipso vultu atque conspectu hominum & vitæ integritate, quàm in solis libris mortuarum cartarum, & prædicationum. Illi poterant verè proferre, & populi sentire: Christi bonus odor sumus. At nunc vtinam multi non inficerent gratum odorem Patrum, turpioris vitæ odore: &

quæ Patres tanto labore construxerunt, malo exemplo degeneres filij non destruerent.

Et nullius aliquid desideretis. Vltimum præceptum ponit vt nihil concupiscant rerum alienarum, sed sit vnusquisque propriis contentus. Qui manibus laborare tenetur, & non laborat, mox incipit contemplari aliorum vitam & inuidere, & perpetuo

Prou.21. submurmurare. In desideriis est omnis piger. Desideria autem ipsa, ait scriptura, occidūt pigrum: noluerunt enim manus eius quicquam operari. Tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est tribuet & non cessabit. Omnium malorū radicem esse cupiditatem alibi docet, quæ mergit homines in interitum. Et vtinam non regnaret hodie apud eos qui paupertatis statum profitentur, quod tantò vehementius est abominandum. Nam quam latè in reliquos vulgi homines serpat, nemini est obscurum: vt vel cuiusdā dictum sit verissimum: Fertilior seges est alieno semper in agro. Vicinumque pecus grandius vber habet. Vix vnum videas qui sit sua sorte contentus.

Nolumus autē vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non prēueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archāgeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mortui qui in Christo sunt, resurgēt primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus. Itaque cōsolamini inuicem in verbis istis.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormiētibus, &c. Aggreditur nunc Apostolus eum lenire dolorem qui ob amicorum mortem & necessariorum ita cōmunis esse solet, vt rarissime reperias, quem grauiter talis casus nō angat. Testis esse potest vel vnus ille grauissimus Antistes Ambrosius, qui acerbo luctu prosequebatur sublatos de medio sanctos viros, non quidem de eorum fœlicitate dubitans, quibus congratulabatur, sed considerans quā sit difficile, qui dignè in defunctorum locum succedant, inuenire. Laboratum est autem ab initio non parum ab Apostolis, quò articulum resurrectionis futuræ per necessarium firmiter in cordibus Gentilium stabilirent, potissimum apud philosophos Græciæ, qui suis à natura ductis principiis id fieri non posse asserebant, non apprehendentes summam Omnipotentis Dei potentiam, qui naturæ legibus non est alligatus. Itaque agit de resurrectione futura, & ipsius resurrectionis ordine. Locus sanè subobscurus, & in quem nonnulli impegerunt. Pro cuius veriore intelligentia, videtur supponere Apostolus aliquot maiores in ecclesia desideratos, qui propter confessionem Christi vitam martyrio finiebant. Admonet ergo primùm mœstos Thessalonicenses, aiens:

Articulus resurrectionis admodum necessarius.

Vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Quia non erant existimandi mortui, sed tantum dormientes. Eo enim vtitur scriptura vocabulo ad magnam nostram consolationem. Quasi nihil sit discriminis inter nostrā qui viuimus, & beatorum dormitionem, nisi quòd nostra breuior, & assiduè repetita familiarior: illa autem beatorum nulla interruptione diuturnior, qui tandem facilius excitabūtur à Christo de sepulchro quam nos expergiscamur à nostro quotidiano somno. Quare non est sapientis tristitia affici ex sana, quieta, & secura dormitione. *Sicut cæteri qui spem non habent.* Non prohibet absolutè omnem luctum, sed eorum qui spem non habent resurrectionis & incorruptionis perpetuæ. Non vetat humanam pietatem & aliquod carnis desiderium, quo antiqui Patriarchæ, & Sancti in noua lege præditi fuerūt. Nam B. Stephanum sepelientes viri timorati fecerunt magnum planctum super eum. Et ipse Dominus ad suscitandum Lazarum amicum inuitatus lachrymatus est. Non enim culpatur affectus, nisi cum excedit modum, sed causa. Ille nimirum est naturæ, hæc vanitas & peccatum, vbi plorantur damna rerum, carnis commoda, & gloriæ inanis iactura. Et verè plorandi sunt, qui ita plorant. At sanctis altera causa dissimilisque intentio. Ademptum siquidem dolent in iis quæ Dei sunt & ecclesiæ, fidele auxilium, & salutare consilium. Videat qui velit piissimā B. Bernardi querimoniam, fratris obitum lugentis in Cant. serm. 26. Nam & quidam dogmatizarunt non esse vllo pacto Christianis licitum, fletu mortuos prosequi.

Lugere mortuos licitum.

Act.8.

Ioan.11.

Notādum autem ab Apostolo non esse dictum, *Sicut & cæteri qui fidem*, sed, *qui spem non habēt*, Quoniam non satis est nudam habere fidem vt tollatur tristitia: sed spes ipsa est omnino necessaria, quæ perducit in interiora velaminis. Hęc est enim spes vera & perfecta quæ non confundit. Et cur non debeamus affligi probat exemplo Capitis proposito, & ait: *Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, &c.* Sensus est & ratio manifesta, Quòd si Dominus noster mortuus est & resurrexit (quia scilicet Deus suscitauit eum à mortuis) ita & ipse Deus eos qui dormierūt *per Iesum*, hoc est, propter Iesum, aut cum Iesu & in illo, *adducet cum eo*, id est, proferet suscitatos similiter cum illo. Potest & quod ait, *per Iesum*, cum inferioribus coniungi, vt significet quòd per Iesum adducet eos cum ipso: quia Iesus erit causa & ratio suscitationis ipsorū. Sed prior sensus germanior: & clarè videtur habere sermonem Apostolus de Martyribus, qui pro nomine Christi mortis suppliciis plectebātur, quibus orbati Thessalonicenses tristitia & dolore augebantur.

Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini. Dominus enim istud reuelauit, vt nō sit tam verbum hoc B. Pauli referentis, quàm ipsius Christi prædicentis, *Quòd nos qui viuimus: qui residui sumus in aduentu Domini, &c.* Crediderunt nonnulli vt Caietanus & Erasmus, Dominum, quum ad iudicium veniet, inuenturū multos qui nullā mortē ante gustauerint, nec sint omnino gustaturi, sed mox immutandi:

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui sic rapientur obuiam Christo in aera. At eiusmodi cõmentum repugnat Dei statuto, Omnibus hominibus esse moriendum, & tum demum iudicium. Prostat & innumera alia scripturarum loca, quæ omnes penitus de facto moituros testantur. Occurrunt insuper magna inde absurda, quæ hanc opinionem efficaciter refellunt: de quibus latius in nostro quodam opusculo disputauimus.

Hebr. 9.

Omnes homines morituros.

Nunc quantum ad præsentem locum spectat, satis mirari non possum, quomodo quidam sibi persuadere potuerunt, hæc verba *Nos qui viuimus, qui residui sumus, &c.* ad eos referenda, quos putant viuos in aduentu Domini reperiendos, cum citra vllam prorsus hæsitationem tenẽdum sit B. Paulum vitam martyrio finiuisse: & similiter qui tum cum illo viuebant esse mortuos. Pronomen verò illud, *Nos*, cum sibi cohærente verbo, *qui viuimus*, ad ipsum tempus referri oportet, quo vitæ cursum tenebat Apostolus. Nam velle illud eousque contorquere, vt nec ipsum Apostolũ, nec eorum qui tum vna viuebant, quenquam includat, non est exponere, sed expungere ac destruere literæ sensum, idque nulla prorsus ratione cogẽte & exemplo. Neque habere potest quicquam momenti, si quis afferat ea in expectatione fuisse Apostolũ, vt diem Domini vicinum & instare in ianuis arbitraretur: qualis erat quorundam tunc metus fallò id (teste ipsomet Apostolo) existimantium, qui huius erroris tollendi gratia alteram scripsit epistolam, hortatus ne quis cõmoueretur quasi immineret dies Domini. Præterea, Si de his loquebatur qui in aduentu Domini viuent, vt isti arbitrantur, Quomodo seipsum inter eos reponit qui tunc viui erunt, dicens, *Nos qui viuimus*, cum sui corporis solutionem propinquam esse non ignoraret? Hoc claris verbis ad Timot. expressit: Ego enim iam delibor, ait, & tẽpus meæ resolutionis instat. Iudicij diem non fuisse tunc propinquum, dies qui post vlq; ad nostram ætatẽ fluxerunt, nimis aperte patefaciũt. Quæ rogo extitisset diuinæ prouidentię ratio post suum Redẽptoris sanguinem, ante destruere mundum, quam mũdo (pro quo tam pretiosus sanguis datus est) esset ferè inchoatum prædicari hoc nouum testamentum? At prophetæ aliter vaticinati sunt. Operatus est salutem in medio terræ. &: In medio annorum viuifica illud.

2. Tim. 4.

Psal. 73. Abac. 3.

Quocirca huius loci verior paulò diligentius est sensus perquirendus. De resurrectione enim piorum, & eius ordine tradenda erat doctrina & aperiẽdum mysterium. Primò igitur testatur se in verbo Domini loqui. Quod autem loquutus est, erat istud, *Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini:* Quorum verborum sensum vt assequi valeamus, sciẽdum est, resurrectionem omniũ quantum ad carnem iterum assumendam, fore vniuersalem. Quantũ autem ad plenitudinem gloriæ erit iustorum tantùm: & de hac nunc agitur. Sciũgitur enim in sacris literis iustorũ, ab ea quæ impiorum erit, resurrectio. Hoc habetur disertè in psalmo: Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. Porrò resurrectio iustorum suum obtinebit ordinẽ. Primi enim resurgent Sancti resurrectione perfecta ante inchoatum iudicium: & cum Christo summo Iudice, & beatissima virgine inuenientur in aere, vtpote qui dudum in hac mortali vita iudicium suum pertulerũt, quasi & Christus, per fornacem tribulationum & persequutionum. Quapropter apparebũt cum illo in gloria ad iudicandum segregati ab aliis, qui relinquuntur sub iudicio viuentes, nimirum communi vita gratiæ. Hi sunt in quorum numero se Apostolus præ humilitate ac modestia constituit: & de eiusmodi ait non præuẽturos Sanctos illos qui dormierunt. *Quoniam ipse Dominus in iussu & voce Archangeli*, qui futurus creditur Michael princeps cœlestis militiæ, *& in tuba Dei*. Ipse etenim tuba Dei erit, qui descendet de cœlo. *Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi*, id est, qui peculiariter in Christo pro Christo mortui sunt. Illi Sancti qui non sunt in iudicio sistẽdi, sed iudicaturi cum ipso Domino. Illi primi dignitate & meritis, primi resurgent, & habebunt stolam suam, inuenientur que cum illo in nubibus. Neq; enim de cœlo cum corpore, sed aduenientę Christo confestim suum corpus assumentes, dote resurrectionis fulgebunt, & in aere assistent illi velut Sponsa Sponso. Hoc prædixit Apostolis suis apud B. Matth. in parabola virginum, quæ exeunt obuiam Sponso & Sponsæ. Prosequitur ipsum explicare ordinem, & ait:

Pro ordine resurgentium.

Notãdum diligenter.

Matth. 25.

Deinde nos qui viuimus, id est, qui vita gratiæ sustẽtamur, relicti tamen in illum aduẽtum scilicet iudicandi ac discernendi ab iniustis, sicut oues ab hœdis: *Simul cum illis rapiemur in nubibus*, i. rapiemur obuiam Christo in nubibus sanctis cũ illis insignibus Sanctis. *Et sic semper cum Domino erimus*, qui ascẽdet finito iudicio in cœlum, & nos simul cum illo, vbi manebimus in perpetuum ad glorificandũ Deum, laudandum, & gratias illi agendum in summa & inenarrabili lætitia & gaudio immenso cum omnibus beatorum Spirituum supernis choris.

Pro consolatione fidelium.

Itaque consolamini inuicem in verbis istis. Verè nulla potest esse maior, Apostole sancte, consolatio hac in fragili ac miserabili vita, quàm quæ de resurrectionis futuræ spe percipitur. Hãc qui vel non credunt, vel non sentiũt, verè infœliciores sunt omnibus hominibus, & peioris quàm pecudes cõditionis. Qui verò credũt, & per exercitium bonorum operum certiorẽ adhuc sibi facere assiduè contendunt: quicquid diuitiarum, quicquid delitiarum, honoris, fauoris, eruditionis in hoc mũdo vel gratis, vel labore haberi potest, tanti ea omnia faciũt, quanti æquus æstimator Apostolus æstimãda censuit. Omnia, inquit, detrimentum feci, & arbitror vt stercora, quò Christum lucrifaciã. Ob eam causam vani filij hominum, & duri corde ac tardi ad credendum, resurrectionem non cõsiderantes, sed diligentes hæc stercora miseri, & tanto amore amplexantes, vt regnum cœlorum illis promissum vltrò vendant, & stercora pro pretio accipiant. Accidit hæc cœcitas iis qui de resurrectione non cogitant, ad quam per mortem itur: cuius nomen ita quibusdam est inuisum, vt eo vel memorato horreant. Viris autem Dei seruitio deditis lõgè secus, quibus nulla gratior lectio, nullum potest lætius nũtium quàm resurrectionis dari, quo se inuicem consolentur, quo leuius ferant multiplices huius vitæ ærumnas, expectantes beatã spem per aduentum Saluatoris Regis regum & Domini dominantium. Hæc mihi vertora ad huius loci intelligentiam visa sunt & planiora. Si quibus minus

Phil. 3.

fortè placebunt, proferant meliora, & quæ saltem non ineptè defendi possint. Tantũ ab eis peto ne nostra velint, quia nostra sunt, repudiare: sed potiũ reminiscãtur, si vera sunt, nostra non esse, sed spiritus Dei. Sin autem falsa deprehẽsa fuerint, nec nostra esse volo, qui veritatem in omnibus valere & regnare semper desidero, cui cedat omnis perniciosa opinionum & propriæ laudis defensio.

CAP. V.

DE temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Vos autem, fratres, non estis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri: sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Propter quod cõsolamini inuicẽ, & ædificate alterutrum, sicut & facitis.

De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, &c. Tempora & temporum momenta intelligit qualitates ipsas & occasiones, vel opportunitates, quando vider Deus bonum esse & aptum vt illud vel illud, illo potius tempore vel alio eueniat, aut fieri debeat. exẽpli causa: Decreuit clemẽtissimus Pater mittere ad nos Filium suum Vnigenitum: sed distulit tandiu, donec multa fluerent sæcula, vtpote idonea obseruans tempora atq; momenta mittendi. Sic antiquitus statuerat dare terram Chanaam Iudæis: sed in certum quoddã tempus reiecit, quãdo. s. (vt scriptura ipsa testatur) completæ essent iniquitates terram illam incolẽtium. Et ita in reliquis sapientissimus rerum Moderãtor se gerit, quæ ad illius summam prouidentiam attinent, suo quæque tempori facienda asseruans.

Gen. 15.

Nunc ergo de tempore tractans Apostolus, & illa Dominici aduentus opportunitate, primùm fatetur eos tales esse sicq; edoctos, vt nullam hac in parte deberent aliunde instructionem efflagitare. *Ipsi enim diligenter*, inquit, seu potius, exactè, *scitis*, quia dies Domini comprehensurus est impios, *sicut fur in nocte*, quando solent profundiorem homines somnum capere, *ita veniet*, nimirum repentinus atque improuisus & præter expectationem: imò verò cum vlterius non ventures expectabitur, teste Apostolorum Principe. Sicut in diebus Noe quando fabricabatur arca, cum pacem putabunt vitiosi homines stabilitam ac securam, tum potissimum ruent in interitum, *sicut dolor in vtero habentis, & non effugiẽt.* Mulier enim partus oppressa doloribus nullum potest eosdem vitandi locum reperire, quos secum quocũque se vertat vel fugiat, perpetuos fert & inseparabiles comites. Ecce quãta hinc doctrina capi potest & debet, vt cum maximo timore ac tremore enitamur nostram salutem in vigiliis bonorum operum perquirere, non autem in tenebris peccatorum & nocte dormire: ne mors quæ tanquam fur adoritur, incautos nos comprehendat cum lampadibus quidem, sed oleo misericordiæ & flamma charitatis vacuis. Et quoniam hic sermo ob imbecillitatem multorum nescio quid terroris porrigere videbatur, temperauit sapienter Apostolus, & protinus consolati Thessalonicenses studuit, subiungens:

2. Petr. 3.

Vos autem, fratres, non estis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat, nimirum in nocte. Temperauit, inquam, sermonem alioqui per se tremoris plenum: & eos cõsolatur ne horreant mortem more eorum qui in tenebris peccatorum versantes lucem oderunt. *Omnes enim vos*, inquit, *filij lucis estis, & filij diei*, non noctis neque tenebrarũ. Qui sunt sine Christo, ij verè & propriè sunt tenebrarum filij, qui nesciunt viam per quam ad beatam patriam sit ambulandum. Ipse enim est via, veritas, & vita, cuius lumine lumen videmus in via. *Igitur non dormiamus.* Concludit non esse dormiẽdum negligentia & torpore bonorũ operum, tanquam ij qui non considerant, nec expectant Domini aduentum. Et tales comprehendentur tanquam à fure de improuiso. *Sicut & cæteri*, quibus non illuxit sol iustitiæ Christus. *Sed vigilemus.* Ad hanc vigilantiam tantopere in euangelio hortatus est ipsemet Dominus, innuens cordis præparationem & considerationẽ in ambulando inoffenso pede ad normam mandatorum Dei, progredientes de virtute in virtutem. *Et sobrij simus*, Per sobrietatem intelligit temperantiam, ne occupemur in crapulis & ebrietate, quæ somnum inducunt, & mentem sanctis cogitationibus & exercitio orandi spoliant.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt. Ac si dicere velit expressius: Obseruari istud à filiis huius sæculi solitum est, vt ad eorum prudentiam tempus nocturnum eligãt crapulæ & ebrietati aptum & dormitioni. *Nos autẽ qui dies sumus, sobrij simus.* At nos, inquit, in luce clara positos opus est ab his omnibus ebrietatũ, crapularum, & dormitionum tenebris ac sordibus esse remotissimos, ne quibus dies illuxit, stolidiores simus & imprudẽtiores filiis sæculi, qui saltem hoc obseruant, vt nocte dormiant, non autem interdiu. Alioqui tenebrarum filij erimus & noctis, peruertentes rectum ordinẽ, diem mutantes in noctem, tanto abusi lucis beneficio, quo nos Christus donauit. Possumus enim quantumuis filij lucis simus, per socordiam nostrã dormire in clara die. Modũ igitur vigilantiæ & sobrietatis conseruandæ adiicit: *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* Sunt quædam ignea diaboli tela quæ ad cor perueniunt, vt tentationes de prouidentia Dei, quasi nostra non curet: qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus patientiæ exẽplar Iob per amicos adoriti tentauit diabolus. Et his resistendum est & occurrendum lorica fidei, in eius obsequium captiuãdo intellectum. Sunt & aduersus charitatem fraternam multi impetus, qui hominem extimulant ad vlciscendum, ad maledicendum, ad detrahendum, ad contumelias & iniurias inferendas, & varia detrimenta. Et his occurrendum est lorica charitatis, quæ patiens est, benigna est, nec irritatur, nec perperam agit malum malo reddens.

Verùm cum multi ac repetiti crebrò veniant ictus, quibus animus hominis christiani vehementer opprimitur, & succumbit, nisi adsit præsto galea excipiens, quæ est spes salutis. Ideo hanc Apostolus assumendam hortatur, qua protegimur considerantes hæc temporaria esse quæ patimur: quæ autem expectamus æterna. Hæc verò seruãda sunt per vigilantiam & sobrietatem, quæ duo maxime illustrem reddũt militem gloriæ veræ apud Deum & præmij cupidum.

Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis. Optima ratione ostendit, cur debeamus in luce virtutum omniũ ambulare: quoniam nos ij non sumus, in quos velit Deus iræ suæ testimonium manifestare, quemadmodum in Pharaone & Ægyptiis quondam prouocatus declarauit. Post multam enim ac diuturnam tolerantiam ac substinentiam Deus, tanquã crapulatus à vino obstinatorum hominum, solet euigilare, & eos euomere de ore suo, tanquam nauseam patiens, quo tropo scripturæ ipsæ loquuntur. Acquisitio autem salutis, in qua nos Deus per Saluatorẽ posuit, consistit vt siue vigilemus, siue dormiamus, viuamus sub Capite: & loquitur de vita gratiæ, quæ ducit ad vitam gloriæ. *Propter quod consolamini*, seu potius, *exhortamini inuicem, & ædificate alterutrum.* Quoniam mandauit Dominus vnicuique de proximo suo. Et qui turpiter viuit, destruit malo suo exemplo rectè viuentium ædificium. Hoc etiam idiotis est inculcãdum, qui tanta audacia mãla Prælatorum exempla reprehẽdunt. Quasi verò & ipsi non sint in suo gradu ad spargendum inuicem christianæ vitæ suauem odorem obligati. Equidem dum præsentem rerum statum considero, Deus iustissimè propter peccata populi regnare sinit hypocritas. Quem enim loqui audias ex plebeis nedum non exhortantem proximum & ædificantem, sed blasphemiis, maledicentiis, spurcis verbis ita conspurcantem, vt mirandum sit quomodo terra se non aperiat, & viuentes absorbeat. Sed quod differtur (nisi resipiscant) non auferetur. Non ita Thessalonicenses, de quibus ait Apostolus. *sicut et facitis*, Sed perseuerantia vsque in finem opus est.

Psal. 77.

Eccles. 17.

Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: & pacem habete cum eis. Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte nequis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Spiritũ nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonũ est, tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.

Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis, &c. Quoniam in ea congregatione suo ordine rectè disposita aderãt superiores atque subditi, subditos ipsos primùm monet & obsecrat aiens: *Vt noueritis eos*, notitia videlicet dilectionis, reuerẽtiæ, & subsidij, *qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino.* Magnum est & arduum munus non simpliciter quidẽ præesse, sed præesse in Domino. Qui enim ita præest seruit & ministrat: non torpet otio, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Domini sui ad salutem animarum per admonitiones, consolationes, & cætera eiusmodi opportuna officia. Et qui ita se gerunt vult Apostolus illis maiorem, vt dignum est & æquum, exhiberi honorem. *Vt habeatis illos*, inquit, *abundantius in charitate.* Aut ad veritatem Græcæ lectionis, *in magno pretio per charitatem:* quia charitas suum habet debitum pro varietate personarum ordinem. *Propter opus eorum.* Equidem dignum est omni laude & dilectione opus, quum vigilãter incumbunt in salutem vestram, dirigẽtes vos ad veras & nunquam petituras cœlestes diuitias. *Et pacem habete cum eis.* Alij, inter quos B. Ambrosius, legunt, pacem habete inter vos. Si primam sequeris lectionem, salubre capitur inde documẽtum. Non enim citra magnum discrimen subditus litem cum superiore suo intendit, cui durum est contra stimulum calcitrare. Longè prudentius esset, & hoc cõsilium omnibus semper darem fidele & securum, vt qui desiderat Prælato dominari, eidem obtemperet & pareat, & laudem consequetur ab illo. Neque verò mihi quisquam ita consulenti respondeat, arduum hoc esse & supra vires aliquãdo. Non est, inquam, difficile prudenti ac pio Christiano, qui in Prelato Christum ipsum recognoscere nouit, & illum in Prælato colere & venerari.

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos. Postquàm subditos est aloquutus, nunc ad Prælatos se conuertit, ne suo muneri deesse velint, quorum est diligentem dare operam vt omnia tranquillè inter infirmiores agantur. Græcè legitur, *Admonete inordinatos*, seu incõpositos ἀτάκτους. Et hi verè sunt inquieti, qui nec ipsi in suo ordine stabiles possunt persistere, nec alios quieto animo viuere patiuntur, semper aliquid exuscitantes ad pacem interturbandam. *Consolamini pusillanimes.* Hi sunt qui quasi desperant se posse proficere ob summam illam perfectionem, quæ in nouo statu à nobis requiritur: præsertim dum sæuirent persequutiones in ipsis iaciendis ecclesiæ fundamentis, vbi laboriosius fuit insudandum: nec sunt omnes ad quælibet toleranda accincti. Nam & Apostolus se solum fuisse quodam tempore relictum testatus est ad Timotheum scribens. *Suscipite*, seu subleuate, *infirmos*, qui tentationibus franguntur. *Patientes estote ad omnes.* Græcè, longanimes, hoc est, non

2. Tim. 4.

prompti ad extrudendos delinquẽtes, vbi non est euidens ad peccata cumulanda coniectura. Talis enim est erga vos Deus, patiens, lõganimis, & multum misericors. Hortationibus potius iuuate & orationibus vt conuertantur, & lucremini fratrũ vestrorum pereuntes animas.

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, vt Christum imitemini qui, vt ait B. Petrus, cum maledicereturr, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Vult enim nos esse non amplius imperfectioris legis discipulos, quæ dentem pro dente, oculum pro oculo erui tolerabat. Vos autem non sic, sed semper quod perfectius est sectamini non inter vos solos in charitate recte ambulantes, sed & si inimici vestri esuriunt, præbete illis ad manducandum, & si sitiant, potum: vt voluntatem Patris vestri in primis exequamini, & vt vestros inimicos hac vestra pietate conuertatis infideliores amicos, quàm si nunquam fuissent à vobis alienati reddẽtes bonum pro malo. *In omnibus gratias agite.* In prosperis & aduersis, lætis & tristibus, penuria & abũdantia sani & ægri, morientes & viuentes.

Spiritum nolite extinguere. Hoc accuratius est discutiendum. Plerique in hac sententia fidentes, sed perperam eam intelligentes, in grauissimos lapsi sunt errores, & in hodiernum etiam diem labuntur. Attende lector, & certò teneas non eadẽ omnibus à Spiritu sancto inspirari: sed (quemadmodum alibi docuit Apostolus) pro varietate membrorum mystici corporis sua munera partitur & donat. Hoc & in rerum natura videmus: Quidam ad medicinam, alij ad mathematicas disciplinas, alij ad poesin sunt dispositi, alij ad picturam, alij ad architecturam nati esse videntur: & ita in reliquis naturalibus dispositionibus, vt quidam dixerit. Tu nihil inuita facies dicesue Minerua. Hinc crebrò vsurpata ab illo Oratore sententia. Si naturam ducem sequeremur, nunquam aberraremus, sanè tamen intellecta. Sic accidit in spiritualibus: Reperiuntur enim quos tanto ardore ad abstinentiam accendit Spiritus, vt in ea virtute mirum & singularem in modum præ aliis excellant. Alij ad orationis assiduitatem: nonnulli sunt silentij tenaeissimi obseruatores. Alij zelo charitatis erga proximum feruntur: & idem de aliis peculiaribus charitatis muneribus, ad arbitrium Spiritus sancti distributis, sentiendum.

Doctrina ad cognoscendos spiritus.

Notãdum diligenter.

Horum omnium spiritus primùm est diligenter examinãdus an sit verè bonus, miniméque fallax: quandoquidem simia illa satan transfigurat se in angelum lucis, & inter filios Dei adest, sed ad tẽtandum. Probatur verò spiritus maxime per humilitatem & charitatem, & promptam superioribus in ecclesia parendi summissionem. Si bonus deprehenditur spiritus, non debet à prælato extingui, sed liber relinquendus ad vocationem illam sequendam, si nihil appareat reprehendendæ nouitatis. Et hîc certè loquitur Apostolus ad congregationes Regularium, quæ iam Thessalonicæ erant institutæ, vt superius monuimus. Nam hæc præcepta viris consilia euangelica amplexantibus conuenire propriissimè videntur, quibus penè solis sunt accomodanda. Addit: *Prophetias nolite spernere.* Erant inter primos Christianos prophetæ, qui ad ædificationem ecclesiæ scripturas interpretabantur, & de scripturis arcana ad fidem corroborandam referabant. At nostris sæculis immodica quorundam curiositas fenestram pseudoprophetis aperuit, qui euentus siue prælíorum siue fortunarũ in gratiam principum, aut ad fouendas sectas prædicere tam imprudenter, quàm falsò non reformidantes, sese primùm, & qui illis præbuerunt aures, erroribus inuoluerunt. In his enim comperta sunt nostra ætate multa & perniciosa mendacia. Hoc præuidebat Apostolus, & ideo prouidebat, qui vt falsa à veris citra detrimentum vllum seiungerentur, prudentissimè addidit:

Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Et istud Prælatis scribitur, ne extinguant bonos & probatos spiritus, nec respuant veras prophetias, sed suspectas tantùm & fallas deprehensas. Debẽt enim maturè omnia, antequam radices agant, & exactè probare. Quapropter non est cur inflentur si qui sese tales arbitrantur. Sunt enim & ipsi sub legibus cõstituti, vt probati possint: quoniam spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. Modus autem probandi est, si non aduersentur scripturis primùm, si illis consentiant: si cum traditis per ecclesiam, & ritu perpetuo obseruatis consentanea sint si nihil scandali concitent, nec sectas nouas pariãt & schismata. Si curiosa non loquantur & vana, quę nullam ædificationem proximi promoueant. Si moniti, saltem primario Præsuli acquiescãt vel loquendo, vel silendo cum reuerentia & humilitate folia ineptarum excusationum minime proferentes. Veniunt enim considerandæ eorum personæ qui se huiusmodi spiritibus & prophetis afflatos profitentur. Tentendi cum magna dexteritate cuius deuotionis, humilitatis, obediẽtiæ, vtilitatis, intentionis existant. Nam hæc & quæ sunt eius generis, non obscurè probare solent & prophetas, & prophetarum prophetias, & ipsos denique spiritus latentes.

Modus probandorum spirituum.

Verum non est omnium hæc probatio, sed Episcoporum, vel insignium Sanctorum, qui norunt artem capiẽdi vulpeculas. Qua in parte hodie peccatur grauiter. Omnes enim volunt spiritus probare & iudicare, & qui plerunque proficiendi in viã spiritus strictiorem nondum miserunt pedem.

Ab omni specie mala abstinete vos, id est, ab omni opere mali alicuius colorem habente. Et hoc propter pusillorum scandalum, cuius remouendi causa Apostolus, & ipsemet Saluator grauibus verbis vsi sunt. Nunc autem verè possumus & iure toto corde exclamare. Væ mundo à scandalis. Væ nobis Prælatis, nisi citò resipiscamus. Potentes nonne potenter tormenta patientur? Qui enim obliquam tenemur planam populis, qui sunt veluti in corpore pedes, sternere viam, quodnam iudicium quam sentẽtiam laturi sumus, qui scrupulis & sentibus eam replemus malo deterioris vitæ exemplo? Væ iterum mundo & nobis à scandalis. Expediret suspendi molam asinariam, iuxta verbum Domini, & demergi in profundum maris, quàm scandalizare vnum de pusillis qui credunt in eum. Vbi diligenter notandum quam strictè restringat Apostolus hoc præceptum. Non enim ab ipsis patentibus flagitiis & peccatis iubet abstinendum, sed ab omni specie (inquit) mali, qua infirma proximi cõscientia lædi potest. Et reuera hoc charitas postulat.

Sap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt eiusdem corporis membrum cum membro nedum nocere, sed contrà solicitè, vt prosit, debeat studere. O quàm copiosam nobis hic locus materiam suppediteret in omnes omnium ordinũ gradus exclamandi. Sed præter institutum esset, & fortassis intempestiuum. Qui sapiũt, his pauca innuisse satis est. Qui in viam Gentium ambulare statuetũt, nulla eos mouet salutaris exhortatio: Nec sunt ante porcos mittendæ margaritæ.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus Sanctis fratribus. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

Ipse autem Deus pacis. Deum pacis vocat, vt dilectorem pacis & authorem. Per Christum enim pacificata sunt omnia, non leui aliquo pretio, sed fuso sanguine ipsius Agni immaculati, quo sedata est ira Patris antiqua aduersus nos. Nunc precatur authorem pacis, vt sanctificet illos per omnia, perfectè scilicet & ab omni parte, *Vt integer spiritus vester, & anima & corpus, &c.* Per spiritus integritatem, intellige eius perfectionem quæ est à gratia Domini, per quam perficitur. Doctè autem distinxit spiritum ab anima, tametsi vnicus sit in homine spiritus à Deo inspiratus, qui ad superiora respiciens, dicitur spiritus. Quatenus verò informat corpus & animat, dicitur anima. Precatur ergo seruari spiritus integritatem: & similiter vt anima & corpus ea puritate in aduentu Domini custodiantur, vt nihil prorsus querelæ ad condemnationem illis superfit.

Fidelis Deus qui vocauit vos, qui etiam faciet. Ne desponderent animum, apprehendentes tãtam ab homine, in corrupta hac carne posito, comparari perfectionem nequaquam posse: hũc anxium adimit illis metum à bonitate ipsius Dei in promissis fidelissimi. Non enim talis est clementissimus ille & optimus Pater, vt postquam vocauerit, desertũ hominem patiatur: sed quę inchoauit ad exitum vsque & consummationem perducit. Nam adiuuat ipse quæ nos facimus, sine cuius auxilio vt nulla, ita cum illo possumus omnia. Cætera clara per se sunt, & iam alias exposita. Notanda tantum hæc in hæreticos, sententia, qui in die iudicij posse inueniri mundũ quenquam inficiantur. *Adiuro vos per Dominum.* Vide quomodo adiurat eos, proculdubiò Maiores, vt legatur hæc epistola omnibus sanctis fratribus: & quomodo qui poterat præcipere potuit & adiurare, cum res possit cadere sub præcepto ad ædificationem. Alioqui non est temerè & promptè vsurpanda adiuratio. *Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum.* A gratia incepit, & à gratia pro more definit: quam & nobis donare dignetur per Spiritum suum sanctum dulcissimus Redemptor noster Iesus Christus, cui cum Patre & eodem Spiritu honor & gloria, & gratiarum actio semper. Amen.

ARGVMENTVM IN POSTERIOREM EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

TVrbatos occasione superioris epistolæ Thessalonicenses intelligens Apostolus, qui illius verba minus rectè interpretati, crediderant postremum iudicij diem iam imminere, studuit mox altera epistola hunc eis errorem & metum inde conceptum adimere. Primùm fidem illorum & insignem charitatem commendat, qui nullis persequutionibus cederent. Tum suauiter hortatur vt metum illum deponant, insinuans quæ per ministerium Antichristi prius euenire debeant, quàm immineat dies Domini. Postremò obseruari traditiones, & quosdam otiosè viuentes & curiosè vitari mandat, sanctis precationibus claudens epistolam, ab Athenis per eosdem, quibus priorem, Tychicum & Onesimum, vt volunt, missam.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD THESSALONICENSES.

PAVLVS & Syluanus & Timotheus, Ecclesię Thessalonicensium, in Deo patre nostro & domino Iesu Christo, gratia vobis & pax à Deo patre nostro & domino Iesu Christo.

EAdem cum superiore salutatio, nulla sui Apostolatus mentione facta. *Paulus & Syluanus, &c.* Siluanum Timotheo anteponit, vt maiorem natu, & qui prior fuerat ad Christi fidem conuersus, quique etiam apud Thessalonicenses verbum Dei prędicauerat. Ambos autem consalutantes adiungit, & epistolæ scriptæ socios, ad maiorem authoritatem & consolationem. Magnum enim con gregationibus Sanctorum gaudium, potissimum afflictis, afferri solet, dum se à Maioribus amari, suique curam in Domino suscipi intelligunt. Reliqua salutationis sunt prorsus eadem cum superioribus. Hic tantum expressè additur, *à Deo Patre nostro, & domino Iesu Christo*, quod in prima apud latinos quosdam codices supprimitur. Gratiam illis precatur & pacem. Nam absque gratia nihil boni possemus. Pax autem ipsa est perneceſſaria ad cõseruandam cum priuatam, tum publicam concordiam, & tranquillum rerum omnium statum. Hãc discedens Dominus tanquam firmissimam charitatis custodiam reliquit Discipulis. Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis. Et iam inde ab initio prædicationum eos beatificauit, qui studiosè pacem amarent & colerent. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabũtur. Non enim potest Deus author esse dissensionis, sed pacis, vt alibi Apostolus testatur. Et Propheta: Factus est in pace locus eius. Quandiu inter Christianos regnauit & regnat gratia & pax, tãdiu fidei integritas, & sanctorum operum splendor apparuit. Vbi voluntatum soluitur colligatio, & gratia perit, & interturbantur omnia. Quanto studio conantur fauores principum & gratiam sibi conciliare multi, quæ tamẽ suborta aliqua subindignatiuncula amitti potest. Dei autem obtinere gratiam quis perquirit, quæ vna sola cor hominis quietum reddere potest: Hãc itaque Apostolus tam sedulò, quibus scribebat: optauit: non opes, nõ honores, non delitias, & quæ huiusmodi sunt, sed gratiam à Deo Patre & Filio per Spiritum donatam, qua efficitur vt omnia nostra opera sint grata & digna retributione inconspectu illius, velint nolint bonorum operum osores noui hæretici.

Ioan. 14.
Matth. 5.
1. Cor. 4.
Psal. 75.

Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum est: quoniam supercrescit fides vestra, & abũdat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem: ita vt & nosipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide, in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Si tamen iustũ est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulãt: & vobis qui tribulamini, requiẽ nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo cũ Angelis virtutis eius in flãma ignis, dantis vindictam iis qui nõ nouerũt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi: qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cũ venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditũ est testimonium nostrum super vos in die illo. In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo secundum gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.

Gratias agere debemus, &c. Alibi, Gratias agimus, inquit. Hic etiam agnoscit debitum agẽdarum gratiarum propter magnom fidei illorum augmentũ, & illam fraternæ charitatis abundantiam, quam inuicem omnes exhibebant: quæ ita redundabat in gloriam ipsius Apostoli, vt huius rei gratia gloriaretur apud ecclesias Dei de illorum patientia & fide, ob persecutiones ac tribulationes, quas vtiliter & inuictis animis sustinebant: addit, *in exemplum iusti iudicij Dei.* Græci codices non habent, in, sed absolutè, exemplum, Videtur nanque appositiuè adiectum, & significat ostensionem, tanquam si dixerit: In vobis tanquam in speculo & exemplo apparebit clara Dei iustitia & manifestatio, quòd iustè habebimini digni regno Dei. Sic Græcè legitur, regno Dei. Et non, *in regno Dei: pro quo*, nimirũ obtinendo, *patimini.* Ecce contra hæreticos, qui nolunt nos quicquam aut agere, aut pati pro regno Dei: sed sola sua fide omnia sibi vsurpant, nec per violentiam & crucem placet cœleste regnum penetrare. At regnum cœlorum à diebus Ioannis Baptistæ (ait Dominus) vim patitur, & violẽti rapiũt illud: Nam & qui non baiulat crucem, non dixit, meam, sed suam: & istud quotidie, non potest esse meus discipulus: Pro quo & patimini, ait hic Apostolus. Non sumus nescij in quem sensum possent detorquere, quasi per hoc significetur non quidẽ cœleste regnum Dei vt est præmium, sed vt est res de qua disceptetur aliis negantibus esse: illis verò concedentibus ad sustinendum illud, id est, Christum, vel ipsam ecclesiam, quæ dicitur regnũ Dei. Verùm ex ea quæ sequitur additione omninò confodiuntur scripturarum deprauatores: ait,

Matth. 11.
Luc. 9.

Si tamen, potius, *siquidem iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum.* Dicit nobiscum Apostolos ipsos intelligẽs, & Maiores in ecclesia: quia Apostoli sicut primi fuerunt in passionibus, sic & in beata requie. Nos verò alij cum illis in nostro gradu & ordine. Ecce quomodo secundum iustitiam vult Deus esse huiusmodi retributiones. Nã si iustè retribuat iis qui male, & contra præceptũ suum faciunt: cur non etiam iustè iis qui seruauerint mandata, cum sint eius filij, retribuat? Nonne diuina clementia longè est ad reddendum pro bono bonum, quàm pro malo malum propensior? Quoniam verò hæc iustitia non exercetur in terris, addit: *In reuelatione Domini Iesu de cœlo*, videlicet quando venier de cœlo descendens, & reuelabitur omni carni, id est, iniquis & peccatoribus, *cũ Angelis*, Omnes enim Angeli veniẽt cum illo, *virtutis eius*, Vocat Angelos virtutis, siue potẽtię eius, propterea quòd ipse per Angelos grandia & incredibilis potentię facta operatur, *In flamma ignis*, Græcè legitur, ἐν πυρὶ φλογὸς, In ignè flammæ. Veniet enim primò ignis de cœlo, quo conflagrabunt vniuersa. Hoc scriptũ est in psalmo: Ignis ante ipsum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius, *dantis vindictam.* Aduertendum est hoc participiũ, dantis, debere ad Iesum necessariò referri, non ad flammam ignis. Ipse enim Iesus vindicabit in eos, *qui non nouerunt Deum*, quem noluerunt efficaciter prædicatum noscere. Dilexerunt enim magis tenebras quàm lucem, vt licentiosius peccare possent,

Psal. 69.

Universidad de Deusto Biblioteca

Et qui non obediunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti: quia etſi nouerint quidam Deum, & confitentur verbis: factis tamen negarunt. *Qui pœnas dabũt in interitum æternum.* Hæc eſt omnium ſumma pœnarum, mors æterna: que declaratur per id quod ſequitur, *à facie Domini, & à gloria virtutis eius.* Ipſi in æternum priuati facie Dei, & gloria virtutis eius æternum conſequenter ferent interitum. *Cum venerit glorificari in Sanctis ſuis,* id eſt, quando veniet & glorificabit Sanctos ſuos: quod erit glorificari illum in eis. *Et admirabilis fieri in eis qui crediderunt.* Non Iudæis tantùm, ſed indiſtinctè his qui crediderũt. Quid mirabilius quàm pro fide, & tam momentaneo agone tantam gloriam & illam æternã ab ipſo Domino referre?

Quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. Teſtimonium Apoſtolorum erat quidem rerum præteritarum, ſed in quibus continebantur etiam futura. Teſtificabantur enim Chriſtum veniſſe, & mortuum eſſe ad delenda peccata noſtra, & reſurrexiſſe ad iuſtificationem noſtram, quam vult impleri: vt ſic perfecta fiat per gloriam corporis & animæ reſurrectio in die illa credentibus & obtemperantibus euangelio.

Quia igitur hoc primùm creditum eſt, & fidelis eſt Deus, quin illud ſua die reddat, nullo pacto eſt dubitandum. *In quo.* Non refertur ad, *die,* Nam Grecè habetur, in quod, id eſt, in quem, ſiue in hũc euentum gloriæ ſempiternæ, *etiam oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter.* Abũdat in latinis, ſua, & loquitur de vocatione ad gloriam. Eſt enim Dei duplex vocatio, ad meritum ſcilicet & ad præmium: ſed primum ad agonem & brauium.

Vt impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ, id eſt, illud beneplacitum quod præcedit quum vocat ad gratiam, impleat vocando ad gloriam: *Et opus fidei in virtute:* Opus fidei eſt perfectio iuſtitiæ: quoniã per fidem (viuam tamẽ, nam de hac ſemper eſt ſermo, cum tales effectus illi tribuuntur) per fidem, inquam, fortes ſumus ad ſuſtinenda omnia nobis intentata tormenta, & perſeuerandum vſque in finem ad promerendam coronam.

Vt clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo. Audiat hoc hæreticus quomodo nomen Ieſu clarificatur in nobis: & nos item clarificamur in illo. Clarificamus enim nos Chriſtũ, dum ſuſtinemus pro illo. Et ipſe nos clarificat, cum præmio afficit. Nec id ſolùm, ſed etiam cum & illud in nobis operatur per auxilium gratię ſuę, vt poſſimus ſuſtinere. Hoc dedita opera prudens addo propter quoſdam ſapientiores, qui tanquam blaſphemiam accipiunt, cum audiunt nos: dicentes clarificari Chriſtum per nos: quaſi hoc non apertiſſimè fateantur ſcripturæ. Quem ſi nos clarificamus, quid eſt miraculi ſi nos quoque ipſe clarificet? Vtor verbo, clarificet, pro glorificet, cum eandem ſignificationem habeat, & eo interpres ſit vſus. Scimus autem & libẽter prædicamus omnia redire in gloriam Dei & Chriſti: quia iſtud etiam ipſum quod glorificamus Deum (ſicut ſemper confitemur) per gratiam Dei & Chriſti contingit. Vnde adiecit B. Paulus *ſecundum gratiam Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti:* quæ eſt velut condimẽtum, quo grata ſunt guſtui Patris, quæ operamur. Sanat enim gratia voluntatem, vt ſanata perficiat legem, & perfecta lex ducat ad requiem.

CAP. II.

ROGAMVS autẽ vos, fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu: neque terreamini neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquã per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Nequis vos ſeducat vllo modo: quoniam niſi venerit diſceſsio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in tẽplo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.

Rogamus autem vos fratres per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti. Dignus eſt hic locus qui abũdè tractari debeat, vt caueamus errores tam hæreticorũ, quàm aliorum. Nec enim poſſumus negare quin hac parte ſit à multis erratum. Primò igitur ſciendum eſt, iam tempore B. Pauli de aduentu Domini tumorem fuiſſe ſparſum, quaſi inſtaret eſſẽtque in ianuis. *De tempore aduentu Domini.* Et hoc aſſerebatur à nonnullis tanquam ab ipſo Apoſtolo prænuntiatum. Illud porrigi in ſuperiore epiſtola non ſanè intellecta videbatur, cum ſcripſiſſet: Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur in aduentu Domini, nõ præueniemus eos qui dormierunt, ſed ſimul rapiemur Chriſto in aera, &c. Verùm B. Paulus hoc in loco negat vtrumque, videlicet nec ſe illud ſignificare voluiſſe, neque verum eſſe, quod inſtaret ille aduentus Domini. Quamobrem rogat illos per ipſummet Domini aduentum, & per ipſam eorum congregationẽ, in qua ſe collocare non dedignatur, quæ ordinata erat in ipſum ſcilicet aduẽtũ. Non enim eſt legendũ, *Et noſtræ cõgregationis,* ſicut habet vulgata editio ſed ſicut Gręca fert lectio, *Et noſtrã congregationem.* Rogat inquàm illos, ne tã citò moueãtur à ſuo ſenſu, id eſt, à ſua ipſorũ priore deputatione & ſententia, quæ erat nõ inſtare tunc tẽpora Antichriſti & iudicij ſupremi: quoniam oportebat prius vocari & venire omnes Gentes ad euangelium, ac deinde Iudæos. Et tamen tunc initium erat euangelij Dei, & primus (vt ita dicam) vltimæ ætatis dies. Vix dũ enim erant tunc eiecti Iudæi & reprobati.

Itaque aliud eſt eſſe in vltima ætate, quæ aliquãdo deſignatur per nouiſſimos dies, aliquando per fines ſæculi, aliquando per nouiſſimam horam. Aliud autem inſtare diem illius magni aduentus. Scribebat Dilectus: Filioli nouiſſima hora eſt. *1. Ioan. 2.* Sed longa nobis hæc hora eſt: hora tamen eſt in conſpectu Dei, apud quẽ omne tempus vnus eſt dies, imò vnum momentum. Quocirca ne decipiamur animaduertendum. Metiri ſiquidem neceſſe eſt lõgitudinem ac breuitatem temporis alia menſura quàm noſtra. Dicitur iam olim de diabolo, ſupereſſe illi tempus perbreue, *Apoc. 12.* ſcilicet ad præliandum aduerſus eccleſiam: & iccircò laborat aſſiduè vt emat tẽpus. Dixit & B. Paulus: Nos ſumus in quos *1. Cor. 10* fines ſæculorum deuenerunt. Et tamen ſunt elapſi iam mille & quingẽti anni, ex quo iſta (quibus poterat videri inſtare diem) dicta ſunt. Nam & Dominus interdum ita loqui videtur, perinde ac ſi in illum diem manſuri eſſent Apoſtoli, vt cum diceret: *Luc. 21. Marc. 13.* Attendite ne ſuperueniat in vos repẽtina dies illa. Et iterum: Cũ videritis hæc fieri, ſcitote quòd in proximo ſit in hoſtiis. Hæc & alia quædam in parabolis ab ipſo Domino dicta, videbantur indicare tempore Apoſtolorum venturam illam extremam diem. At hoc falſum eſſe manifeſtum eſt: & ideo procul abeſt à vero ſcriptũrarum ſenſu. Quo in loco etiam cautè plura obſeruanda ſunt: quoniam Dominus admirando quodammodo cõtexuit hanc de illa prophetiam die, admiſcens excidium Ieruſalem: & alia de induſtria ac ſumma ſua ſapientia ita inuoluens, vt ſit maximè difficile rerum ordinem capere.

Illud ergo aduertendum eſt primò, quæ de aduentu illo generali dicuntur, habere analogiam quandam ad aduentum cuiuſque particularem, ita vt ferè omni die ac tempore multa proportionabiliter verificentur in particulari aduentu, quæ de vniuerſali principaliter dicuntur. *Luc. 21.* Etenim præcepta illa, vt attenderent ne grauarentur crapula & ebrietate, ne ſuperueniret in eos repẽtina illa dies etiam ad Apoſtolos pertinebant: quia illa extrema dies comprehendet omnes, qui non ſtuduerint in hac vita ad illum aduentum inueniri parati. Dominus noſter ſapientiſſime ad maximã noſtram vtilitatem voluit ob eam cauſam nobis ignotum eſſe certum aduẽtus illius diem, vt ſimus ſemper: non ſecus parati ac ſi quauis hora poſſit accidere: ſicut verum eſt in particulari cuiuſque iudicio. Nam qui in hoc particulari aduentu deprehẽditur imparatus, etiã in illo generali offendet. Itaque hæc duo iudicia, videlicet particulare cuiuſque, & vniuerſale, cum miſceantur aliquando in propheticis illis Domini dictis & ſcripturis, vt iuxta literam quædam de vno, quædam de altero, quędam verò de vtroque verificentur, non eſt facile niſi cœleſti reuelatione, iſtorum inuolucris contectam intelligentiam explicare.

Præterea, ſciendum, eſſe non pauca in Euangeliſtis, quæ Apoſtolis quidem ſeu diſcipulis videntur dicta, nec tamẽ in eis completur eorum dictorum veritas: ſed in perſonis diſcipulorum intellecti ſunt poſteri, & poſterorum filij. Quamobrem *Mar. 13.* ipſe apud B. Marcum ait, Quod vobis dico, omnibus dico, vigilare. Nihil igitur eſt abſurdi quędam dicta ſuam conſequi in Apõſtolis veritatẽ: & quædam in cæteris, qui in illorum perſona intelligebãtur. Sic B. Paulus ad Cor. & ad Theſſalon. & ad alias eccleſias ſcribens, indefinitè & abſque alia nota ad eos ſermonem dirigit, & multa aut laudans, vel accuſans, aut præcipiens interponit, quæ non ad omnes pertinebant: ſed modo ad maiores, modo ad minores, interdum etiam ad certos quoſdã ac peculiares. Ecce etiam Dominus cum ad Scribas & Phariſæos ſermonem verteret, qui tum præ- *Matth. 23.* ſentes aderant: Væ vobis, inquit, genimina viperarum. Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes & ſcribas, & ex illis occideris, &c. vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Habel iuſti vſque ad ſanguinẽ Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Certè illi qui tunc viuebant, non occiderunt illum filium Barachiæ. Sed Dominus in illis intelligebat omnes ſimiles, quos quaſi vnã generationem deſignat. Quare confeſtim ait: Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam: Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis prophetas.

Concluſio igitur prima ſecundum Apoſtolum eſt. Quòd nec ipſe vnquam ſcripſerat, neque vnquam dixerat inſtare tunc diem aduentus Domini: ſed nec id verum eſſe. Manifeſtè enim ait, quòd non inſtabat, cum non veniſſent ea ſigna, quæ pręcurrere aduentum illum oportebat. Nam & Dominus in ſuis verbis oſtendebat non inſtare illum diem rectè conſiderantibus, qui dum ſigna multa præcedentia aduentum deſcriberet, dixit: Videte *Luc. 21.* ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondũ eſt finis. Conſurget enim gens in gẽtem: & regnũ in regnum: & erunt peſtilentiæ & fames & terremotus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum, &c. Vide vt diligenter cauit ne erraremus, finem ad eſſe credentes quando nõ eſſet finis: imò eſſet initium malorum. Bella, & peſtilentiæ, & fames, & terremotus fuerunt aſſiduè præteritis ſæculis, & noſtra præſenti ætate etiam imminẽt. Addo & de pſeudoprophetis qui ſurrexerunt, & falſis fratribus alium Chriſtum prædicantibus, qui & nunc videntur inualuiſſe. Nondum tamen paruerunt ea alia ſigna quæ oportet præcedere, vt cõiectemus in ianuis eſſe aduentum Chriſti.

Quare non ſolùm falſi ſunt tempore Apoſtolorum qui tum viuentes id putabant, verùm etiam qui poſtmodo ſucceſſerunt. *Decepit multos iudicij dies.* Multi enim & hi quidem magni viri cernentes prælia, peſtilentias, fames, terremotus, excidia vrbium multa, multos itẽ pſeudoprophetas, in eam opinionem venerunt, vt iminere aduentum Domini dicerent. Memini me legiſſe B. Cyprianum in epiſtola ad Demetrianũ ita ſentiẽtem: Neſcio an & alibi hac de re ſcripſerit. Eſt & Magni & ſanctiſſimi Pontificis Gregorij homilia manifeſta, qui diebus ſuis venturũ poſtremum diem expectabat. Legi & B. Bernardum hoc ipſum à ſignis eiuſmodi exiſtimantem. Venit denique B. Vincẽtius ordinis noſtri, qui & prædicauit diem iudicij imminentem: & (vt fertur) epiſtolam circa hoc de Antichriſto iam nato conſcripſit. Quem fuiſſe falſum B. Antoninus noſter Archiepiſcopus Florentinus non diffitetur. Ego autem vix poſſum perſuaderi de viro Dei, vt ea ſcripſerit quaſi in verbo Domini. Attamen falſos fuiſſe ex noſtris nonnullos perſpectis iis ſæculi flagellis & preſſuris, haud dubium eſt.

Venerunt tamen mulieres ſanctæ, & nonnulli etiam viri ſancti qui econuerſo reformationem eccleſiæ, & conuerſionem paganorum ad Chriſtum futuram vaticinati ſunt: quorum ego traditionem hac parte amplector non inuitus tanquam veriſimiliorem, & ſcripturis ſanctiſ magis quadrãtem. Neque imminere nunc illum diem aduentus Domini puto: quoniam hactenus minime ſigna illa oſtenſa ſunt, quæ illum eſſe in ianuis confirment, vt paulò poſt ex parte dicemus. Nec oportet nos eſſe anxios & ſolicitos quò præſciamus certum illũ diem, quem ſcire nec datum eſſe Angelis dixit Dominus, nec Filio hominis: *Marc. 13.* Non quòd Dominus

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum nesciret, sed nesciebat ad reuelandum. Itaque non debemus esse ea de re curiosi, nec citò moueri ob cuiuscunque sermonem.

Redeo ad Apostolum, ait enim ipse: *Vt non citò mouedamini à vestro sensu*, hoc est, à recta sententia quam à nobis accepistis: sed stabiles perstiste, & non imitemini eos qui leuitate ad omnem doctrinæ nouæ ventum circunferuntur. *Nec terreamini*, siue turbemini, *neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam quasi per nos missam, quasi instet dies Domini.* Quod ait, neque per spiritum, videtur subnotare cuiuspiam spiritum, qui nõ poterat esse spiritus verax, dicens falsa. Quod verò ait de sermone & epistola, pertinet ad sermonem suum priuatum. Verisimile enim fit, de huiusmodi Apostolũ sæpius fuisse interrogatum, & ita responsa dedisse vt extenderentur eius verba, aut aliter acciperentur quàm ipse vellet, aut etiam expresserit verbis, sicut de epistola factum est. *Ne quis vos seducat vllo modo.* Grauis illa est seductio, quæ tantam vim obtinet, vt per illam fidei synceritati derogetur. Si de B. Paulo impressa fuisset in mentibus hominum constans opinio & vulgatus rumor, dixisse illum instare tempus aduentus Domini, cum postmodo id verum non appareret, nonne magnum præiudicium fiebat euangelicæ eius prædicationi? Iccircò diligenter cauit ne quid latius serperet. Nec enim parum obfuerunt multis nonnulli, qui quasi ex reuelatione acceptum prædicauerunt, alij etiam scripserunt instare reformationem ecclesiæ, & ipsum paratum esse Pontificem sanctum à Deo electum qui natus erat & grandiusculus. Et tamen sunt ab ea talis vaticinij pronunciatione exacti tot anni, vt facile possimus concludere, falsos illos fuisse. Ipsum certè vaticinium falsum, vnde multi scandalizantur, & pertinaciores ad credenda vera semel delusi redduntur, vt sit vndique metuendum periculum. Et ideo nolebat vt crederent eis, à quibus audiebãt instare diem Domini: ne fortè cum transiret tempus quo eum crediderant esse venturum, & venisse non cernerent, etiam cætera fallaciter sibi promitti arbitrantes, de ipsa mercede fidei desperarent. Non ergo ille diligit aduentum Domini qui eum asserit propinquare: nec ille qui asserit non propinquare. Sed ille qui eum siue propè siue lõgè sit, synceritate fidei, fitmitate spei, ardore charitatis expectat. In quo enim quenque inuenerit suus nouissimus dies: in hoc eum comprehendet mũdi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicatur. Prosequens Apostolus vt ostenderet nondum instare tunc aduentum ipsum, ait:

De reuelationibus falsis.

B. Augu.

Quoniam nisi venerit discessio primum. Ecce notabile signum præcedens aduentum Christi, nimirũ insignis quædam discessio. Græca vox est, *Apostasia*, quæ significat rebellionem ab obedientia, siue à statu & professione aliqua religionis & fidei. Non pauci locum hunc intellexerunt de rebellione Gentium à Romano imperio. Alij de rebellione multarum ecclesiarum ab Episcopo Romano. Nonnulli ad multitudinem populorum à fide recedentium applicarunt, rati à Domino istam significatam quando dixit: Putas quando venerit Filius hominis, inueniet fidẽ in terra? Ego verò etsi priorem expositionem non reprobem, potius tamen probo duas alias quæ se mutuò consequũtur. Quãquis autem non sine gemitu videamus multas ecclesias nostris temporibus ab obedientia sũmi Pontificis defecisse: non ita tamen desperanda res est, vt non sit spes aliqua futuræ resipiscentiæ breui conspiciendæ, si causæ erroris & occasiones tollerẽtur, hoc est, perniciosa dogmata in fide: & nos & illi prauos nostros mores in melius inimutaremus: potissimum si qui debent lux esse mundi, mundo prælucerent. Et fortassis non est plena illa Apostasia de qua B. Paulus hoc in loco. Non enim solùm negabitur in terris Christi Vicarius, sed & ipsemet Christus apertè. Nã ideo reiicietur Vicarius: quia & ipse primarius Dominus, cuius ille vices gerit, non recipietur. Neque id satis illis erit, sed & insuper ita apostatabunt à Christo, vt recipiant aduersarium eius Antichristum Satanæ primogenitum. Et tunc erit perfecta Apostasia & illud signum, quod hic Apostolus ostendit nobis. Vnde subdit:

Luc. 18.

Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. Vocat hominem peccati eum, qui totus peccatorum plenus futurus sit. Aut potius qui summo peccato insigniter tenebitur: quod est aduersati Christo ac Deo summa superbia. Vocat & filiũ perditionis, sicut Dominus Iudam quodã singulari modo nuncupauit: eximio nanque modo talis erit, qui tantum audebit. Vide quàm egregiè describatur: *Qui aduersatur*, inquit. Exurget enim in Christum directo & palam, & non sicut alij qui saltem verbo Christum fatentur, & nomen illius creberrimè inculcant, séque illius prædicare doctrinã simulant. *Et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Græcè habetur, *super omnem qui dicitur Deus*, Tres sunt solummodo personæ quæ dicũtur Deus & sunt verè Deus, quas ille negabit, & se constituet super illas: tantaque dementia homines depranati existent, vt eum tanquam Deum colant, & habeant super omne quod verè dignum est cultu. Hoc apertè declarat, Apostolus. *Ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Græcè ostendens se, quòd sit Deus. Et est quidem loquẽdi tropus, quem fugere studuit noster interpres. Non enim re vera ipse ostendet se Deum (quia quod verè non est, esse ostendi non potest) sed significatur quòd ille sibi vsurpabit cultum diuinum, iubens se adorari & coli tanquam sit Deus in templo Dei. Non exprimitur autem quodnam & vbi templũ sit illud futurum, in quo cultum ipse sibi curabit exhiberi. Putant aliqui hoc in Ierusalem fore, postquam erit restituta illa ciuitas. Alij per templum Dei mẽtes hominum intelligunt. Alij simpliciter aut indefinitè, vt verificetur de quolibet templo. Hic breuiter totus sermo mutilus est & subobscurus, quo subintelligitur aduentus Domini non adfuturus, antequam præcurrerint signa in euangelio, & ab Apostolo indicata, & tandem exoriatur ista insignis apostasia, & manifestatio Antichristi.

In hæreticorũ blasphemiam contra Vicariũ Christi.

Prodierunt è sepulchris nostro tempore hereseiarchæ, & veri Antichristi præcursores, qui cum non ausint palàm negare Christum (quod reseruatur tanquam proprium Antichristo eorum præceptori) ipsi tamen Vicarium eius negant: & ingenti blasphemia ac perfidia illum esse verum Antichristum, de quo hoc in loco narrat Apostolus, videlicet quòd sedeat in templo Dei, & velit coli vt Deus,

Deus, non horrescunt dogmatizare: quod est tam apertè falsum, quàm apertissimè sunt isti Apostatæ ac præuaricatores. Perpetua enim & continua successione ab ipso Christo capite, à B. Petro eius Vicario primo hanc sedem obtinẽt. Hoc vniuersa semper ecclesia prædicauit, & defendit veros esse B. Petri successores. Et ipsimet nedum Christũ non negant, sed supplices adorant, & adorãdum confitentur & præcipiunt vt Deum verum. Et quicquid sibi exhibetur honoris, Christo exhiberi in suis personis recognoscũt. Neque nos Catholici honores eis exhibemus diuinos, sed eum cultum quo veneramur in quibus est aliquid diuinum, diuinitusque sanctificatum. Quid autem in ordinibus sacris sublimius ipso summo Sacerdote cogitari potest, q̃ sanctificatus loco Christi eminet in terris? Quòd si in huiusmodi venerationibus fortassis fines trãsierint aliqui, quid ad rem istud facit? An nõ excedi tur in pane comedẽdo, bibendo vino, in coniugio, in videndo, in reliquis animi & corporis partibus? Nullus igitur conficiatur panis, vites euellantur, eruantur oculi, & reliqua omnia quibus adesse malus vsus potest. Puerilia sunt ista argumenta. Corrigãtur praua: seruetur illæsa iurisdictio. At isti nihil aliud moliuntur calũniando, quàm vt minus odioso prætextu potestatẽ summi Præsulis funditus euertãt. Vnus futurus est iuxta Apostoli doctrinam Antichristus. Hæretici innumeros pariunt. Nã exorto Luthero qui sedẽ apostolicam regũt, omnes sunt eius sentẽtia (quam discipuli sequuntur) Antichristi. Ars est Luciferi vt qui verè sunt, impudentius se esse negent, calũniosum nomen in alios reiciẽtes. Itaq; tot Antichristi fuerunt quot põtifices: & ex istis Põtificibus (quos fuisse Antichristos volunt) pro Christo tamẽ, cui Antichristus aduersari debet, sanguinẽ multi funderũt, & iam regnũ Antichristi durauit per sæcula, & quidẽ in pace. Christi autem regnum interim nusquam apparuit, nisi ꝓ modo tandem resurrexit in illis. O execrandã impietatẽ, & eorum qui hos nebulones sectantur, incredibilẽ vecordiam. Sed redeamus ad Apostolũ.

Num retinetis quòd cũ adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis: vt reueletur in suo tẽpore. Nam mysteriũ iam operatur iniquitatis: tãtùm vt qui tenet nũc, teneat donec de medio fiat. Et tũc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secũdum operationem satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderũt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Quod ait Latinus interpres, *Num retinetis*, Græcè legitur, *num meministis*, & idem significatur. Porrò sensus est apertus. Nam ea de re iam sermonẽ cum illis præsens communicauerat Apostolus, & arcanum detexerat. *Et nunc quid detineat, scitis: vt reueletur in suo tempore.* Huius loci verba multis visa sunt obscuriora, ita vt B. Augustinus ingenuè quodam in loco fateatur se non intelligere. Quod fuit ingenui viri, inanem suam gloriã fallaci scientiæ ostentatione non quærentis. Ego illũ imitatus, fateor quoque me nescire. Occurrit mihi aliquando quædam noua intelligentia, eius tamen generis quæ mihi ipsi non satisfaciat. Itaque cum in ea conquiescere non possim, nec in aliis aliorum expositionibus quas legi, non liber recitare. Satius longè existimo me nescire citra pudorem confiteri, quàm quicquam proferre audacius à synceritate & ipsa veritate sanctissima alienum. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis.* Durum videri potest istud, de eo qui non sit in rerum natura dici, quod mysterium iam operetur iniquitatis. Quapropter crediderim ista quæ de Antichristo prædicuntur, pertinere ad satanam: qui ita totum possidebit cor & corpus illius, vt quodam modo vnum cum Antichristo efficiatur: quemadmodum & qui adhęret Domino vnus spiritus est. Ipse ergo satanas iam tunc inceperat in multis Antichristis id operari, quod insigniter perficiet tandem in illo insigni Antichristo.

Tantum qui tenet, teneat. In Græcis non legitur, *teneat*, sed putauit interpres esse subaudiendum, nec immeritò, *donec de medio fiat*, siue tollatur. Exponat cui datum fuerit. Verè fateor esse profundum mysterium, in quod penetrare non possum. Et nisi reuelatione, non putarem cuique esse peruiũ. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Erit ergo interfectio Antichristi miraculosa, de qua Isaias & Daniel: ille dixit de Domino: Et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Daniel autẽ ita de illo impio vaticinatus est: Et post regnum eorum cum creuerint iniquitates, consurget rex impudẽs facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & suprà quã credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum secundũ voluntatem suam: & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omniũ occidet plurimos. Contra Principem principũ consurget, & sine manu conteretur. hæc ille propheta.

Isa. 11.

Dan. 8.

Et destruet illustratione aduentus sui, &c. Hoc pertinere ad eius sectatores arbitror, in quibus illud regnum destruetur, cũ venerit postmodo Dominus. Non enim continuo post mortem Antichristi erit aduentus Domini: sed præcedent aliqui, aduẽtum illius iustis ac sanctis indicantes, & iis item qui ab Antichristo & mẽbris illius decepti fuerint, si fortè peccatum recognoscere, & per pœnitentiã redire ad salutis viam velint. *Cuius est aduentus secũdum operationem satanæ in omni virtute*, siue potẽtia, nimirum satanæ: cuius quidẽ magna est & tanta potentia, si permittatur à Deo, vt nulla alia (teste B. Iob) valeat ei comparari. Et Dilectus inter alia, de hac potestate ait. Et data est illi potestas in omnem tribum & populum, & linguam, & gentem: & adorauerunt eam omnes qui inhabitabant terrã. Et fecit signa magna, vt etiã faceret ignem de cœlo descendere in terrã in conspectu hominũ. Et seduxit ha-

Iob 41.

Apo. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ. Hoc idem Apostolus ait, licet compendiosius. *Et signis & prodigiis mendacibus*. De his, inquã, signis videtur loqui B. Ioannes. Vocat signa & prodigia mendacia, vel quia erunt præstigia, & apparebunt coram hominibus esse talia, qualia verè non erunt. Aut mendacia dicuntur: quoniam etsi ipsa vera futura sint, tamen falsum erit id quod persuadebunt, & ad quod persuadendum inducta fuerint. Sicut falsum conficitur argumentum, quod etsi constet ex veris, ex eo tamen falsum concluditur.

Erunt ergo illa signa & prodigia non excedentia virtutem creatam, ita vt operentur omnem seductionem iniquitatis, id est, ducentem ad iniquitatem, *sed in iis qui pereunt*, B. Paulus alibi similiter dicit opertum esse euangeliũ, sed in his qui pereunt, id est, in iis qui ita se aptarunt, vt irritatus post longam sustinentiam Deus, tandem concurrat ad eorum interitum, vtpote qui volunt omnino perire. Hi sunt quos in reprobum sensum mittit, non solùm deserendo (quod satis esset ad interitum) sed etiam per oblatas occasiones excitando, ne rectè agant. Qui enim dum poterant, noluerunt, nonne æquum est vt nec possint etiã si quando velint, aut etiam velle vnquam non possint? In hunc modum diabolus homine consentiente operatur omnem seductionem, hoc est, perfectam seductionẽ, quæ tunc est, cum nullus relinquitur pœnitentię locus: propter quod ait scriptura: Considera opera Dei, siue opus Dei, quòd nemo corrigere potest, siue emendare & recõcinnare, quem ille despexerit, seu (vt quidam Hebræam vocem interpretãtur) quem ille deprauauerit. Et huius despectionis datur ratio manifesta, quæ non est antiqua reprobatio in massa, sed ob nouum crimen: audi Apostolum,

2 Cor. 4.

Ecclesi. 7.

Eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent. Grauis est hæc sententia, ac si dixerit: Non dilexerunt illi propriam salutem, recipientes cum dilectione veritatem, quæ ad æternã salutem conducebat. Quid ergo facias illi qui suam salutem non vult, nisi vt ne habeat etiam adiuues: Diligenter autem aduerte quod ait: Non receperunt dilectionem veritatis, ac si expressius dixerit, quòd ea dilectio illis à Deo oblata fuit. Nam quamuis natura impressum habeamus instinctum diligẽdi in vniuersum veritatẽ, non tamen illam vel illam veritatem in particulari, nisi obiiciatur nobis & suadeatur vt bonum nostrũ salutare. Quod cum fecerit Dominus per se ipsum, & per suos Apostolos prædicãdo euangelium per signa & prodigia vera: qui illud noluerũt recipere, nulla eis prorsus relinquitur iusta querimonia, si nõ solùm Deus permittat, sed insuper quibusdam occultis modis quos ignoramus, immittat vt facilius mendacium suscipiant. Hoc est enim quod subdit:

Et ideo mittet eis Deus operationem erroris. Græcè, ἐνέργειαν, id est, vim quandam efficacem ad errãdum, *vt credant mendacio*, quoniam nullo negotio persuadebuntur à diabolo fallaci & Antichristo, qui tamen ipsi certi erunt falsitatis. *Vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Hic est finis quem peccatum eorum consequitur, nempe damnationis suppliciũ, quam sibi quęsiuerunt ipsi nolẽtes prædicatæ & probatæ credere veritati, sed potius consentire iniquitati, siue iniustitiæ: vnde gloriatio Dei in sua iustitia. Iniquitas enim siue iniustitia, quam ipsi vt potiorem spõte sua elegerunt complacentes sibi in illis, vt Græca vox sonat, fuit ratio ne crederent perspicuæ veritati. Alioqui veritas, vtpote per se amabilis, ab omnibus semper reciperetur, nisi prauitate affectus corrumperetur intellectus, cuius obiectum est verum ipsum, quemadmodum voluntas pro obiecto bonum habet. Quocirca instantissimè à Christianis orandus est Dominus, vt intellectum illustrare, & affectu prauo voluntatem purgare dignetur, ne verum nobis ostensum per præposteram volũtatis affectionem respuamus. Nam rectè apprehensa veritas mirabiles in nobis amores excitabit diuinæ sapientiæ ad mandata promptè exequenda.

Nos autẽ debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit nos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis. Ad quod & vocauit vos per Euangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Itaq; fratres, state: & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolã nostram. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus & Deus & Pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

Nos autem debemus gratias agere, &c. Concludit Apostolus educens ex superioribus debitum gratiarum actionis, pro illa electione de qua ab initio. Græcè legitur, *Quòd elegerit vos Deus ab initio in salutem*. Nam ferè primi fuerunt ex Gentibus quibus prædicatum est, reiectis aliis à manifesta reuelatione. Narrat autem effectum electionis: *In sanctificatione spiritus*, quia mẽs per infusam charitatem sanctificatur, *Et in fide veritatis*. Per fidem enim venit purificatio illa spiritus nostri: quia per illam venit charitas, quę est integra iustitia. *In qua*, melius Græcè, *in quod*, vt vniuersum bonum cõplectatur, *vocauit vos Deus per euangelium nostrũ*, id est, per nostram euangelij Dei prædicationem. Vocat euangelium suum: quia sibi creditũ, vt promulgaret illud mundo. *In acquisitionẽ gloriæ domini nostri Iesu Christi*. Hic finis postremus, glorificatio nostra in cœlis, quæ consistet in reddẽda Redemptori nostro gloria & Patri clemẽtissimo in perpetuum, fruendo sanctæ Trinitatis visione lætitia inenarrabili.

Verùm postquam de temporibus & momentis aduentus Domini, & aduẽtus Antichristi nonnulla superius sunt disputata: pauca volo ad instructionem nostram breuiter perstringere ac cõcludere. Primum sit, Otiosum nobis esse ea velle scire tempora & momẽta quæ huiuscemodi sunt. Ratio autem clara est: quoniam hæc posuit Deus in sua potestate, nec voluit scire Angelos suos, nec ipsummet (vt testatur in euangelio) Filium, ad hunc videlicet effectum vt reuelet nobis: ita vt nec interrogantibus discipulis, qui communi hoc intelligẽdi

Mare. 13.

desiderio tenebantur, voluerit hoc eis mysterium reserare. Qui ergo sumus nos qui id velimus scire velit nolit Dominus, qui iam per obturata Apostolorum hac in questione ora, nobis multo magis omne silentium imposuit? Tum verò quia nec prodest quicquam illud scire. Satis est enim scire omnino futurum. Ar quo vel tempore vel loco nihil ad nos (si seruemus præceptum B. Pauli & Domini) perterrefaciendos. Hoc enim pertinet ad nos, ne improuisi ab illo cõprehendamur. Nam si præceptum Domini seruauerimus, nõ obruet nos improuisos. Hoc est autem præceptum vt vigilemus, & expectemus illum perinde obseruantes, ac si omni horarum momento esset adfuturus. Oportet enim manifestari omnes in eo magno aduentu etiã in corpore: quia omnes resurgemus. Sed alios offendet clam in nocte velut fur: alios in die. Eos qui dum fuerunt in hac vita, & non vigilarunt, offendet ex improuiso tanquam fur nocturno tempore veniens. Nam si primus aduentus fuit improuisus & in nocte, etiam secũdus qui veniet, erit improuisus & in nocte ac tenebris. Improuisum dico respectu temporis huius, quando præuisum oportuit & prouisum in die, & ita obseruare ne veluti fur comprehenderet nos in nocte. Quòd si vigilauerimus, & erimus filij lucis, quandocunque venerit aduentus ille, nunquam improuisus veniet: sed expectatus & desideratus, & non quasi fur in nocte. Et tunc bene nobis erit. Hoc est ergo & Domini, & B. Pauli in superiore epistola præceptum: quod si seruemus, nihil oberit illius certæ diei ignorasse momentum, quin proderit potius: quoniam fides de eo & expectatio reddet nos cautiores & vigilantiores: & ita non comprehendet nos vt fur dormientes solet.

Alterum est quod debemus prudentissimè considerare, ne ab iis seducamur, qui instare illam nouissimam diem falsò prædicãt: sicut nunc quidam hæreticorum faciunt (quod ex parte prediximus) non attendentes ad signa quæ præcurrere debent: imo illa peruertentes. Mihi ergo verius videtur, lõgè nos adhuc ab illa die abesse. Non enim completus apparet numerus Sanctorum, & tempus status gratiæ. Quod certè nimis breue & coarctatum esset præ eo tempore quod præcessit aduentum gratiæ primum. Secundò, Non videmus adhuc plenitudinem Gentium intrasse, & prædicatum esse euangelium in vniuerso mundo. Tertiò, Necdum videmus discessionem illam & insignem apostasiam, quam Apostolus hic prædicit. Quartò, Nec videmus conuersionem Iudæorum, quæ debet omnino præcedere, & recuperationem ciuitatis sanctæ Ierusalem. Quintò, Nec dum videmus nostro tẽpore illa signa quæ prædicta sunt, à pseudoprophetis patranda de cœlo, vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Hactenus Dei bonitas & clementia hoc nondum permisit. Nullus enim recentium hæreticorum miraculum vllum edidit. Nam violare fidem Deo datam, & sacrilegas inire nuptias, non sunt signa cœlestia, sed carnis opera, quæ vel canes patrare solent, & vorare & bibere. Nec verustior ille Aper de sylua Mahumetes, vt ipsemet testatur, venit in signis & prodigiis. Sextò, Nec illud quod B. Petrus præmonuit apparet, ait enim: Venient in nouissimis diebus illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ, &c. Repertentur ergo tunc negãtes hunc articulum fidei, videlicet Christi aduentum, & consequenter verba Christi, & Christum ipsum: & ita verè & apparenter erunt multi Antichristi. Hoc autem de his qui nunc sunt non videmus. Neque enim insusurrant isti in aures vulgi, Pax & securitas, tãquam qui negent venturum Christum. Impudẽter quidem dicunt, Pax & securitas, postquam se ab ecclesia segregantes, vt filios Dei & prædestinatos sola fide aiunt Christi iustitiam, & merita eius se certò apprehendere, & irreuocabiliter obtinere: ita vt iam non pertineat ad eos cum timore ac tremore salutem suam operari, sed vehiculo fidei in cœlum ferri: vel in infernum potius præcipitari. Sed ad doctorem nostrum nunc redeuntes, rem nostram suo cursu prosequamur.

signa propinqui aduentus Domini.

2. Petr. 3.

Itaque, fratres, state. Stare ergo illos iubet, videlicet in his quę didicerũt: & tenere traditiones quas receperunt, *siue per sermonem, siue per epistolam*: Hic locus destruit manifestè hæreticorum dogma, qui negant aliquid esse seruandũ, quod non præcipiatur in scripturis sanctis. Ac propterea derogant (vt sæpius dicendum est) traditionibus quorũcunque, non solùm contra communem sanctorum sententiam, & vniuersæ ecclesiæ sanctæ: verùm etiam passim contra doctrinam Apostolicam. Ecce Apostol' nihil discriminis statuit inter traditiones verbo relictas, & literis mandatas. Nec enim dicendę sunt hæ traditiones hominum, & præcepta hominum, sed Dei & Spiritus sancti. Hoc autem quod à me hic dicitur, intelligi de his traditionibus volo, quæ ad fidem & cultum Dei attinent: à quibus diuina prouidentia non permittit errorem in ecclesiam prouenire, cum ipsemet Dominus talia de cernendi potestatem dederit.

Contra hæreticos.

Addo, ita necessarias esse traditiones, vt sine traditionibus inordinatè & incõpositè in multis ambularemus. Imo nec ipsimet hærerici qui nouas ecclesias erigunt, valent suos sine traditionibus continere. Vbi primùm enim (vide peruersitatem pie lector) ab ecclesia deficiunt, quò suam euangelij prædicandi doctrinã tueantur, mox aliquibus nouis traditionibus introductis, imperitam multitudinem vinciũt, ne illis elabatur è manibus: Vt iam sint apud illos numerosiores traditiones, quàm vbiuis Gentium. Ea siquidem docent principia, quę sine constitutionibus ac præceptis nequeunt consistere: sed à dæmone excogitata. At Redemptor noster ac Dominus dixit post resurrectionẽ multa se communicaturum Apostolis, quæ non poterãt tunc portare. Nec post, vllo loco scripta sunt.

Porro illud omnino quàm ridiculum, dum sic argumentantur, & captiosè interrogant: Nonne in scripturis mãdata sunt nobis omnia necessaria ad salutem? Si negauerimus: Ergo, inferunt, defectiuę sunt scripturę. Si abnuerimus: Superfluę ergo, aiũt, sunt traditiones, & alia hominum præcepta. Et nos respondemus, Mandata esse nobis omnia necessaria ad salutem, nec tamen redundant traditiones Pontificum: quia & ipsæ mandantur in scripturis. Continetur nãque, teste Apostolo, in scripturis vt

In hæreticos solos scripturas admittentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.10. seruemus traditiones. Et Christus dixit: Qui vos audit, me audit. Isti sunt propriè qui nolũt audire. Non erat dignum vt minutiora quæ cultum diuinum exornant, & quæ temporis progressu erant vel augenda, vel minuenda, & in melius immutanda, & quæ cotidiano etiam vsu obseruantur, in sacris literis scriberentur. Istud olim factum est per Mosen, quando necesse erat illum rudiorem populum quasi puerum regi ministerio pædagogi, & in elementis erudiri. At quando factus est vir populus Dei per sapientiam, non oportuit postmodo vt erudiretur à pædagogo. Ipse enim in huiusmodi, Spiritu sancto doctore, fuit sufficiens sibi, nec vinculis coercendus, sequitur:

Ipse autem dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster qui dilexit nos. Quod ait, *dilexit nos*, primum ad ipsos Apostolos pertinere arbitror. Vnde ait: *Et dedit consolationem æternam*, quæ nunquã deficiet, cuius certus erat. Certus sum (inquit alibi) q̃ neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, &c. poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu domino nostro, *Et spem bonam in gratia*, non in humanis nostris viribus. Spes enim innititur in operibus, non quasi ex solis viribus nostris procedentibus, sed ex gratia & auxilio Dei, quod nemini denegatur volẽti. *Exhortetur corda vestra*, siue cõsoletur. *Et confirmet in omni sermone & opere bono.* Ecce quomodo per orationes & opera bona potest Deus, & hoc facit seruis suis multis gratia sua bene vtentibus, confirmare illos ne tandem cadent: idque variis modis, tum auferendo tentationes, tum auxilia prestãdo vt eas superent, & faciant cum tentatione prouẽtum. Sermonem cum opere coniungit. Nam qualis quisque est in vita, talis & in sermone: & econtrario, nisi adsit illa hypocritarum ambitio, qui vt honorẽ sibi conquirant aliter loquũtur foris, quàm viuant domi: nisi fortè deprehensos se iri metuant.

Rom.8.

CAP. IVI.

DE cætero, fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium est fides. Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo. Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, quoniam quæ præcipimus & facitis, & facietis. Dominus autẽ dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.

DE cætero, fratres, orate pro nobis, &c. Orari petit in sui gratiã Apostolus pro se, vt *sermo Dei currat*, hoc est, extẽdatur, & liberetur ipse cum suis ab importunis & malis hominibus. De Iudæis intelligendum puto, qui illum vbique acerbis odiis persequebantur. *Non enim omnium est fides.* Hic videtur eorum opinioni attestari, qui aiunt Deũ non velle omnes homines saluos facere. Si enĩ sine fide hoc esse non potest: Fides autem est donum Dei, quod non datur omnibus. Nõ ergo vult omnes fieri salnos. Ita argumentum conficiunt. Et nos respondemus, Deum quidem velle omnibus salutem, qui illã tamen non respuerint, nec indignos se vllo modo constituerint. Quòd ergo non sit omniũ fides, id accidit propter præcedentia demerita. Quidam enim (vt iam diximus) ita elati sunt ac superbiunt, & fastidiunt dona cœlestia, vt quandoque nec dignetur Deus illis offerre. Ipsemet enim primus legem à se datam obseruat, vt non det sanctum canibus: nec mittat margaritas ante porcos, ne eas pedibus conculcent. Ad fidem enim recipiendam & conseruãdam maxima animi humilitate opus est, non disquisitione. Superbus autem animus nihil sapit, nec sese tanquam paruulum summittere, quatenus fiat sapiens, dignatur. Et tamen hæc est sola verè sapientiæ adipiscendæ regula. Matt.7.

Fidelis autem Deus est, qui cõfirmabit vos. Fides Dei est qua quod promisit facit, & quod cœpit perficit, nisi fortè nos ipsi obsistamus: idque in promissis cõsistit, ideo ait, *Confirmabit vos*, videlicet in bono aliquando, *& custodiet à malo*, Græcè ὁ πονηρός: quod ad diabolum optari potest, quemadmodum & illud in oratione Dominica: Sed libera nos à malo. *Confidimus autem de vobis, &c.* confidimus ait, id est, persuasum habemus hoc de vobis, *in Domino*, ac si dixerit: Hæc persuasio mea de vobis fundata est in Domino, qui adiuuabit vos: *quod quæ præcipimus vobis & facitis, & facietis.* Ecce præcipiebat Apostolus quę non inueniebantur expressa in scripturis. Alioquin quid ea oporteret nouo præcepto præcipere, quæ Dominus ipse expressè mandasset: *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Melius Græcè *in charitatem Dei, & in expectationem Christi.* Expectare Christum est bene operari, vigilare secundum sensum spiritus, non corporis. Expecta Dominum (monebat Psalmista) viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Non enim descendendum est de cruce vsque ad finem. Psal.26.

Denũtiamus autẽ vobis, fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundũ traditionem quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis quẽadmodum oporteat imitari nos: quoniam nõ inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & in fatigatione nocte & die operãtes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi nõ habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam siquis non vult operari, nec manducet.

Denũtiamus autẽ vobis, fratres, &c. Quod legimus, *denũtiamus*, melius legeretur, *præcipimus*, Et quoniã hãc potestatem habebat à Christo, adiecit, *In nomine Domini nostri Iesu Christi*, tanquam Christus ipse per illum præcipiat, ne cuiquam hoc præceptũ declinare licitum esset. *Vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulãte inordinatè, & non secundum ordinationem quam acceperũt à nobis.* Vide quãti faciat non seruare *Pro traditionibus apostolicis.*

traditiones apostolicas, & ordinem ab eis præscriptum. Interdicebatur enim conuersatio cum illo, & computabatur non iam inter fratres, sed inter eos qui foris sunt. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos.* Locus hic, ad quem Prælati respicere debẽt, vt vereantur ea imperare quæ ipsi non faciant: sed primi faciant, vt cum fiducia valeãt docere ac imperare. Ita enim fiet vt ij quibus præcipiũt, libẽtius adducantur ad obtemperandũ, qui potius videbuntur imitari, quam parere. Aliàs verificabitur in eos dictum Domini: Dicunt & non faciunt. Alligant onera grauia & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Matt.23.

Commendat ergo Apostolus seipsum huius rei nomine, & collaborantes secum, qui non inquieti inter eos nec apud quosquam, siue inordinati, vixerunt, *neque otiosi & gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione, nocte ac die operãtes, &c.* Ex hoc loco quidam garruli & mundi cẽsores captant occasionem (vt iam attigimus) damnandi fratres mendicantes, & eorum statum, qui panem ab aliis petunt, & mendicãdo viuunt, cum iuxta regulam Apostoli deberent laborando sibi victum quærere, & alios non grauare. Mitto quàm conuitiosè agant & hostiliter, sed iniquè omnino dum statum vituperãt. Quem locum aduersus huiusmodi blaterones egregiè tractarũt duo viri magni, & sanctitate & doctrina cõspicui, B. Thomas noster Aquinas, & B. Bonauentura. Neque propterea defendimus auiditatẽ quæstus immodicam, & quandam procacitatem, non auaritiam, nõ otium, non superuacua ornamenta, & ædificia, quæ non iam pauperum videri possunt tabernacula, sed regum palatia. Fateor esse & in nostris abusus: sed status huius vitæ est propriè peculiariũ Domini discipulorum. Nunc ad Apostolum dicendum est, ab ipso non præcipi vt laborarent manibus omnes Christiani: nec se quidem ipsum ad hoc teneri fatetur. Contrarium potius ex sequentibus verbis clarissimè docet, cum dicat: *Defenditur status mẽdicantium.*

Non quasi non habuerimus potestatem, videlicet gratuandi vos, & non laborãdi manibus. Nam certum est de B. Petro & aliis, quomodo sustentabantur de euangelio, vt Dominus ordinauerat. B. autem Paulus satius arbitratus est, tanquam supererogator magnificus, abstinere ab illa facultate ad vberiorem præmij rationem: tum quo auferret occasionem iis qui occasionem quæritabant, & vt æmulos & pseudoapostolos sic vrgeret. Neque propterea gratis comedit panem quicunque manibus non laborat. Vacat enim aliis operibus quibus indiget mundus, & quæ sunt etiam nobiliora, & ad salutem magis conducibilia. Ministrare enim verbum, & sacramenta, instare laudibus & orationibus, & sanctis studiis magnum est opus, & propemodum angelicum.

Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, præcipiebamus potius, vt superius, *Quòd si quis non vult operari, non manducet.* Hoc præceptũ ab initio datũ est à Domino generi nostro, vt in sudore vultus vesceretur homo pane suo. Iustũ præceptũ omnino, cui & beatitudo assignatur, iuxta illud: Labores manuũ tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Quare & econtrario, otium peccatũ est, vtpote aduersus Dei legem præscriptam. Psal.127.

Sed non cõtinuo quis dicetur nõ operari, qui non ipsis manibus laboret, vt dixi. Est autem valdè credibile alloquutum eos fuisse Apostolũ, qui regulam vitã progressi erant, vt simul habitabant: quos oportebat manibus laborare, cum ob persecutiones & nouę religionis odium non facile aliter sibi possent prouidere. Notãdum tamen quàm circunspectè dixerit, *Siquis non vult operari*, non autem, *Siquis non operatur*, non omnino requirens factum ipsum, sed promptam, quando necesse esset, voluntatem. Quid enim siquis non valeat operari?

Audiuimus enim inter vos quosdam ambulãtes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu, vt cum silẽtio operãtes, suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. Quòd siquis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare: sed corripite vt fratrem. Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: Ita scribo. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, siue inordinatè, non manentes sub ordine præstituto, *Nihil operantes*, Et tamen corpore ad operandum sunt robusti, nec melioribus studiis occupati. Et ideo omnino otiosi: quod est prorsus vituperabile, *sed curiosè agentes.* Qui enim otiosi sunt, eosdem curiosos esse oportet, id est, ea curare quæ nullo pacto ad rem pertinent, & superfluo se ingerere atque inaniter in aliena negotia. Multam enim malitiam docuit otiositas, quæ non solùm à Sanctis vetita fuit, sed & philosophi eam & poetæ semper vituperarunt. Sãctissimè igitur hortabatur B. Hiero. Facito, inquit, semper aliquid, quo te diabolus inueniat occupatum. Singulare enim remediũ est aduersus suggestiones dæmonis, ita bonas horas sanctis operibus collocare, vt nedum redunder, sed desit tempus ad satisfactionem præscriptorum vel studiorũ, orationum, & aliorum tum corporis tum animi exercitiorũ. Quotus verò & quantus sit hodie eorum numerus qui otia sectantur, & laborare oderunt, vtinam non plus satis pateret. Nam & verterunt aliqui vituperio, si viderentur honestis alioqui studiis esse occupati. Mallunt, & honorificum falsa persuasione iudicant, perpetuo otio dies ad salutem concessos cõsumere, & rebus nouis audiendis & spargendis totos accommodare. Missos eos facio qui ludis, iocis scurrilibus, & crapulis vacant, & omni libidinum generi. Nam istorum peccata manifesta sunt præcedentia, vt ait Apostolus ad iudicium. Nec tolerandi essent histriones (si Christianè viuere vellemus) & mimi, atque circunforani nebulones, qui otia otiosorum Eccles.33. *In otiosos & vagos homines.* 1.Tim.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum in publicis plateis alunt mēdaciis & fo
nent; potissimum autem festis diebus. Sunt tales à
dæmone missi, vt tempore vel sacrarum concio-
num, vel Missarum solemniū, suos quoq; habeat,
qui dum seminatur veritatis verbum, spargat & ip
se suum mēdaciorum omnium & otiosorum ver-
borum. Nam lingua istorum nihil præter menda-
cia & scommata nouit. Nec mihi quisquam tan-
quam plus æquo seuetiori in gratiam multitudinis
repugnet. Illum enim ad Apostolum mox remit-
to, qui tam expressè, & adhibito Christi nomine
otiosam vitam prohibet, subiungens:

*His autē qui huiusmodi sunt, præcipimus, & obsecra-
mus in Domino Iesu.* Græcè per dominū Iesum Chri
stum, *vt cum silentio*, siue quietè potius, *panem suum
manducent*. Dicit, *suum*, id est, labore suo partū. Hic
enim verè dicitur suus. i. ipsorum qui eum sibi la-
bore compararunt. Cæteri non suum, sed alienum
comedūt. *Vos autem, fratres, nolite deficere*, seu delassā
ri, *benefacientes*. Haud dubium qui in conuersatione
& familia accidat, vt quum videt alij alios otiosos,
tædeat & ipsos (quod ad se spectat) proficere ac
quodam modo benefacere. Nam ipsi prospecto
aliorum ocio delassantur, & minus libēter cæptos
labores sufferunt. Hoc prohibet Apostolus.

*Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolā, hunc
notare*: sensus est: Si quis nō obedierit præceptis no
stris, & quę per epistolā hanc conscripsimus, hunc
notate, videlicet sententia Anathematis. *Et non com
misceamini cum illo*. Hoc propriè in excōmunicatos
seruatur, *Vt confundatur*, Hic finis excōmunicatio-
nis, confusio salutaris, vt excutiatur inde ob pecca
tum pœnitentia. *Et nolite quasi inimicū existimare: sed
corripite*, seu admonete, *vt fratrem*. Sic enim deberet
per charitatē fieri, vt denuo in Christo lapsi instau
rārētur. Caietanus hoc in loco putat non fuisse ve-
ram excommunicationem, sed eam tantum qua vtu-
ntur Regulares seu claustrales. Sed valido non
vtitur argumento, vt alibi in Ann. scripsimus.

Deus autem pacis, videlicet author & amator, *det
vobis pacem sempiternam in omni loco* (Græcè) *semper o-
mni modo*, id est, sempiternam ac perfectam. Est e-
nim inchoata pax quæ ex fide est, sed nondum per
fecta pax. Erit autem pax in cœlis consummata ex
visione. Et hanc & illam simul precatur illis Apo-
stolus. Cætera clara sunt. Alibi notaui inefficax ar
gumentum Caietani, qui ex eo quod in calce hîc
ait Apostolus, *Quod est signū in omni epistola, ita scri-
bo, &c.* colligit epistolam ad Colossenses esse mu-
tilam, quasi careat isto signo: quod manifestissimè
est falsum. Neque tamen hanc subscriptionem in
omni epistola seruauit ad literam. Sed hæc & quæ
eiusmodi sunt, indigna videntur de quibus scrupu
losius disputetur.

BENEDICTVS DEVS.

ARGVMENTVM IN PRIOREM EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM.

*Beatus Paulus Ecclesiarum omnium curam, vt ipsemet testatur, gerens, earūmque progressum soli-
citè procurans, Timotheum Lystrensem, patre Gentili, matre Hebræa natum, ob raras animi vir-
tutes quibus præditus erat, vnicè dilexit. Hic ab adolescentia diligentem sacris literis operam dederat,
& eruditionem cum vitæ probitate coniunxerat, ita vt omnium testimonio commendaretur. Quo fa
ctum est, vt Ephesiorum Episcopus ab Apostolo crearetur, & licet admodum ætate iuuenis, prudentiæ
tamen & maturitate morū plurimos senes anteibat. Ad illum igitur Ephesi relictum, scripsit præsentē
Epistolā B. Paulus. Vbi primùm iubet vt quosdam inanium quæstionū exuscitatores, & veteris legis
noxios defensores audacter coarguat. Tum orationes pro omnibus siue disceptationibus fieri, verecundū
mulieribus ornatū præscribens, hortatur. Quales esse Episcopi debeant, ac diaconi, cæterique Ecclesiæ mi
nistri docet. Peculiares quarundam hæresum futuros authores prædicit. Timotheo pietatis ante omnia
studium cōmendat, ostendens qua æquitate erga singulos hominum status se gerere debeat. Iuniores vi-
duas fugiendas: qui bene præsunt, cumulatiori honore prosequendos, monet: caueat autem ne quosuis ad
sacros ordines facile admittat. Postremò, seruos fideles infidelibus dominis debitas vult reddi cum omni
honore operas. Auaritiam deinceps detestatus, & diuites ad cōparandas cœlestes diuitias hortatus, Ti-
motheo præcipit sese vt diligenter custodiat, vocum nouitates & falsas scientias omnino declinet. Epi-
stola profectò doctrinæ pernecessariæ plena, & quam Prælati (ad quos potissimum spectat) memoriæ
mandare, & facto ipso implere deberent.*

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD TIMOTHEVM.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi, secūdū imperiū Dei saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ, Timotheo dilecto filio in fide, gratia, & misericordia, & pax à Deo patre, & Christo Iesu dño nostro.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei, &c. Hactenus seipsum de more notum reddit in titulo epistolæ, à nomine & officio apostolatus. *Et secūdum imperiū Dei* dicit hoc fuisse & domini Iesu Christi: quod alias per voluntatē dixit: quia ipse dns Iesus verus Deus

Act. 26. & Dei filius hoc illi sub præcepto iniūxit, quemad
modum ipsemet in Act. Apostol. recitat, qui post-
quam prostrauisset illum, dixit ei: Ad hoc apparui
tibi, vt te constituam ministrum & testem eorum
quæ vidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eri-
piens te de populo & Gentibus, in quas nunc ego
mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur de
tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deū,
vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem
inter sanctos per fidem quæ est in me: hæc ibi. Et
Ibid. 18. alio loco eandem historiam recitans præceptum
sibi factum testatur. Vade, inquit, quoniam ego in
1. Cor. 9. nationes longè mittam te. Et Spiritus sanctus iuſ-
sit vt ille & Barnabas segregarentur in opus, ad
quod eos assumpserat. Non abs re igitur cum hoc
esset ei mandatum quodam loco scripsit: Væ mihi
si non euangelizauero: necessitas enim mihi incū
bit. Quæ enim Christus præcipit, eadem Pater præ
cipere dicitur. Audi proprium ipsius apud B. Ioan
Ioan. 12. nem testimonium: Quæ ego loquor, sicut mihi Pa
ter dixit ego loquor. *Saluatoris nostri*. Vocat Deum
saluatorem, siue ipsum Christum, vt frequentius
legimus in scripturis: siue Patrem qui est author
& fons omnis nostræ salutis. *Et Christi Iesu spei no-
stræ*. Vocat & Iesum Christum spem nostram, siue
quia ipse est ipsamet res quam speramus, videlicet
nostra æterna vita, vt alibi scriptum est: Christus
in vobis spes gloriæ. Siue quod medium est, per
Col. 1. quod habemus accessum in spem istam, vt alibi idē
testatur. Adde, quoniā ipsemet sese nobis reliquit
veluti symbolum, & certum huius spei vobiscum
manentis pignus, & in prouidentia sua & in sacro
sancto Eucharistiæ sacramento, vsque ad consum-
mationem sæculi.

Timotheo dilecto filio in fide. Hic persona ad quem
scribit nomine proprio expresso declaratur. Timo
theus enim honorantem Deum, aut honoratum à
Deo significat, aut pretiosum Deo.

Vocat & dilectum: Græcè, γνήσιον, id est, minime
fucato, non simulato seu adulterino, sed ingenuò
ac germano. Vocat & filium, non qui genuerit il-
lum per baptismum (Nam discipulus erat iam &
fidelis priusquam B. Paulo notus esset) sed quia in
disciplinam se Apostoli dedit, & illum præceptis
alendum suscepit Apostolus, & roborandum in fi
de & sanctis moribus. Quod egregiè præstitit vter
que, Apostolus erudiendo, ille excipiendo, ita vt
testetur neminem sibi adfuisse ex omnibus tam
vnanimen, qui syncera affectione adiuuandas ecc-
lesias esset accensus. Hunc igitur crebrò corrobo
randis ad fidem recens conuersis mittebat, ad Co
rinthios: Ideo misi ad vos (inquit) Timotheū, qui
est filius meus charissimus & fidelis in Domino,
qui vos commonefaciat vias meas. Ad Philippen
ses scribens plurimum illum commendat. Tanto
denique honore dignum iudicauit, vt sibi episto-
las mittenti adiungeret socium, ad Corinthios, ad
Philippenses ad Colossenses ad vtranque Thessa-
lo. ad Philemonem. Magnum certè amoris indi-
cium, & singularis in Timotheo probitatis grauis-
simum testimonium, & ingens Apostolo gaudiū
talem nactum esse discipulum, cuius opera posset
omnibus in rebus ad Dei laudem securè vti. Vide
Thren. 3. quàm verum illud: Bonum est viro cum portaue-
rit iugum ab adolescentia sua. Fuit ergo filius in fi-
de propter alimenta spiritus. Aut dilectus in fide,
quia dilectionis fundamētum erat fides, id est, cō-
municatio æternorum, quæ ex fide per dilectionē
operante firmiter sperantur.

*Gratia, & misericordia, & pax à Deo Patre, & Chri-
sto Iesu Domino nostro*. Verba salutationis consuetæ:
tantummodo præter solitum hîc additur, miseri-
cordia, nimirum (vt mihi persuadeo) propter freq
uentes illius infirmitates, ieiuniis & laborum
tolerantia contractas, quibus assiduè vexabatur.
Vt gratia ad animam, misericordia ad corpus il-
lud imbecillum, pax autem ad vtrumque aptetur.
Vocat autem Dominum Iesum & absolutè, secun
dum illud dominium quod habet cum Patre &
Spiritu sancto in omnem creaturā, vt author omi-
nium & concreator. Et item iuxta particulare do-
minium, quod per redemptionem omnium no-
strum in nos homines vt homo acquisiuit, qui de-
dit in pretium sanguinē suum, vt empti simus pre-
tio hoc magno, & non simus nostri, sed eius qui
nos redemit.

Sicut rogaui te, vt remaneres Ephesi cùm irem in Macedoniam, vt denuntia-
res quibusdam ne aliter docerent: neque intenderent fabulis, & genealogiis inter
minatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ędificationem Dei quæ est in fide.
Finis autem pręcepti est charitas de cor-
de puro, & conscientia bona, & fide non
ficta. A quibus quidam aberrātes conuer
si sunt in vaniloquium, volentes esse le-
gis doctores, non intelligentes neq; quæ
loquuntur, neque de quibus affirmant.
Scimus autem quia bona est lex, siquis
ea legitimè vtatur: scientes hoc quia lex
iusto non est posita, sed iniustis & non
subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis
& contaminatis, patricidis & matrici-
dis, homicidis, fornicariis, masculorū cō
cubitoribus, plagiariis, mēdacibus & per
iuris, & siquid aliud sanæ doctrinæ aduer
satur, quæ est secundum euangelium glo
riæ beati Dei, quod creditum est mihi.

Sicut rogaui te, vt remaneres Ephesi, &c. Non est ab
solutus sermo, sed opus est aliquo supplemēto: ac
si dixerit: Sicut rogaui te, sic exequere: aut sic, Si-
cut antea rogaui te, etiam nunc rogo: aut fortè ve-
rius, sic etiā præcipio. Nō vtitur autē præcipiendi
verbo expresso, volens vt magis ipsemet subintel
ligat, quàm expressum audiat. Poterat enim præci
pere vt Apostolus. Inde sumant exemplum Prela-
ti, non tanta celeritate recurrendum esse ad præce
ptum, vbi paratum vident obsequium, & obedien
tiam subditorum. Græcè tamen quod ait, παρακαλῶν,
imperatiuè potest intelligi, in quo sensu quidam
illud capiunt, vt ista sit constructio. Sicut rogaui
te, scilicet manere Ephesi, manero. Illi enim episco
patus & cura illius ecclesiæ commissa fuit. Credi-
bile verò est Timotheum vt aliquo modo meticu
losum (nam eo tempore adolescens erat) excusas-
se curam illam episcopatus, tanquam suis viribus

Universidad de Deusto Biblioteca

imparem,& sequi maluisse Apostolum vt discipu
lus magistrum:quod & cum lachrymis postulasse
testatur,vbi scripsit:desiderás te videre,memor la-
chrymarum tuarũ . Apostolus ergo rogauit eum,
& id vim pręcepti habuit,vt Ephesi remaneret,v-
bi iam lucratus erat bonam populi partem,& ec-
clesiã constituerat:quia par erat vt Episcopus cum
suo grege maneret, & vnà propter regimen & pa
sturam gregis pręsens adesset.In hunc modum &
Titum instruxit.

Vtinam ita & nũc seruaretur: sed illud primùm
vt pastores, vt patres, quales prisci antistites crea-
rentur:non mercenarij,non auari,non denique lu
pi rapaces mitterentur. Nam istiusmodi pręsentia
nedum necessaria,sed necessaria absentia:qui oues
malo exemplo,& plerunq; falsa doctrina inficiũt.
Istud vidimus diebus nostris, vt vnicum sit repur-
gandæ ecclesiæ remedium,idoneos eligere & prę
ficere repurgatores,& non distendere plus nimio
serpens malum.Sed de his alias.

De residentia Episcoporum.

Mouit autem Caietanus quæstioné, vtrum per-
petua Espiscopi residentia sit de iure diuino . At
quæstio huiusmodi facile meo iudicio potest ex-
plicari , quam hac occasione seorsum volui alibi
tractare . Conclusit enim residentiam perpetuam
omnino esse de iure diuino , arguens hoc pacto:
Cura gregis de iure diuino est . Non potest autem
curari grex absque Episcopi residentia & illa per-
petua:ergo de iure diuino est residentia. Nos ve-
rò illi hanc assumptam minorem minime conce-
dimus.Non enim habet veri euidentiam:imò non
solùm non habet euidentiam,sed contra, euiden-
tem habet falsitatem,etiam iuxta plurimorũ exem
pla qui non residẽt,sed per alios gregem suum cu-
rant:quos non est credibile contra diuinum ius cõ
mittere. Dicet fortè aliquis : Certè ipsi non rectè
faciunt,nec ambulant secundum veritatem Euan-
gelij,quam profitentur . Nam & si Caietanus qui
ea scripsit,videlicet residentiam esse de iure diui-
no,facto ipso non probauit,qui cum esset Episco-
pus Caietanus,Romę tamen degebat:non propte
rea infringitur rei veritas,si quis suo muneri deest.
Et nos dicimus,curari gregem omnino esse neces-
sarium,& præceptum de iure diuino. Non tamen
ita præceptum esse,vt exigatur continua & perpe
tua Episcopi residentia . Existunt enim plerunque
varij casus , quibus non tenetur residere si millies
velit Episcopus,vt dum generale celebratur conci
lium,quemadmodum omnes admittũt. Item cum
eius cura alio loco impensa magis facit in rem &
vtilitaté vniuersalis ecclesiæ. Denique plures pos-
sunt excogitari & dari casus,quibus legitimè excu
saretur à residẽtia Episcopus,qui tamen in iure di-
uino non sunt expressi.Quapropter quæ huiusmo
di sunt oportet à iure canonico determinari, cum
non habeant euidentiam. Et ob eam causam mo-
dus residentiæ non potest dici esse de iure diuino
sed canonico.Cuius moderationé ipsi summi Pon
tifices debẽt præscribere, quibus nõ liceret si assi
dua residẽtia omnino fuerit de iure diuino.Profe
ctò B.Paulus & si constituerit Episcopum Ephesi
Timotheum , plerunque tamen eum ad se accersi
uit,& ad alias ecclesias misit.Videbat enim sic o-
pus esse.Non tamen inficias ire possumus , multũ
& grauiter hac in re à nobis peccari,qui nulla ido-
nea & necessaria causa longè absumus à gregibus
nostris,contra canonum expressa decreta.Quo fit
vt euenire conspiciamus innumera mala:inde per
nitiosæ licentiæ,& vigor hæresum pestilẽs,& cle-
ri relaxatio,& ignorantia Christi vbique in plebi
bus.Non negamus,inquam,residentiæ obligatio-
nem,ne quis sinistrè nostra sententia abutatur.Nã
sunt aliqua hominum ingenia ita plerunque calli-
da,vt dum suos errores volunt & peccata defende
re,nullum qui eis fauere videatur respuant scripto
rem,quem iustis reprehensoribus possint obiice-
re. Clara voce testificamur Episcopos ad residen-
tiam teneri,& grauissimè peccare qui aliter faciũt.
Manus tantum summo Præsuli nõ ligamus, si quã
do ad maiorem totius ecclesiæ vtilitatem aliqui-
bus viris insignibus vti opportunum iudicaret:qui
tamen non sunt leui de causa à suis ouibus euocan
di. Nam eos qui vel fauoribus,vel inanibus causis
& leuibus dispensationes quasi extorquent,& mo
ras non residendi nectunt,quis à peccato excusa-
uerit?Nam & si millies probauerimus de iure di-
uino immediatè non esse , an propterea culpa qui
non resident,vacare defenderemus ? Ius ipsum &
obligationis moderationem qui docemus,obliga
tioni vim suam minime tollimus . Sed hæc quæ-
stio latius patet, & fusioribus verbis esset tra-
ctanda.

Audi nunc ipsius rei grauitatem ob quam mo-
nuit Timotheum Apostolus:quia sicut à bona do
ctrina salus,ita à mala pernicies ac pestis proficis-
citur.*Vt denuntiares quibusdam*,scilicet præcipiẽdo,
ne aliter docerent,aut potius,ne aliud , seu diuersum
docerent.Si tamen legas,ne aliter,nota illud, non
solùm quę quis docet,ea debet animaduertere,sed
quo insuper modo doceat . Non enim eius gene-
ris est Christi veritas,quæ persuaderi obliquis viis
ferat.Nam si quis Vergilij carmina torqueat ad ve
ritatem incarnationis : aut scripturam aliter clarè
dicentem ad alium quiddam quantumuis sit verũ,
hic profectò talis aliter docet quàm debet,& ma-
le facit. Vnde fabulas remouet primum Aposto-
lus:& de iudaicis fabulis eum loqui puto,vt ad Ti
tum Episcopum Cretensem,expressè scribit:quem
similiter iccirco Cretæ reliquit,vt & hoc officium
coarguendi corrigẽdique faceret,imo & durè eos
increpandi,qui attenderent iudaicis fabulis,& in-
uentis hominum. Sũt qui Talmudicas fabulas hîc
notatas esse arbitrentur.Porrò si legis,ne aliud do
cerent,dilucidus est sensus.Nam aliud docere, est
docere omne quod non conuenit cum doctrina
Domini nostri Iesu Christi *Et genealogijs intermina-
tis*.Taxat & genealogias quas vocat interminatas.
Neque est existimandum de vllis genealogiis il-
lum loqui,quę in scripturis habentur:sed alias no-
tat iudaicas quas interminatas vocat, hoc est,lon-
gas & sine fine,aut non certam & definitam à Spi
tu sancto habentes significationem , qualem ha-
bent illæ omnes quæ in scripturis continẽtur, vt
illa B. Matthæi de Christi generatione,nominum
series,quæ siue personas siue numerum , siue ipsa
nomina spectes & diuisionem,pulchris sunt & ad
mirandis referta mysteriis. Et similiter sentiẽdum
de illa apud B.Lucam genealogia . Fecundæ enim
sunt mysteriis,quæ sobriè quærere & inuestigare
non est inutile,nec iniucundum.

Sed non defuerunt qui conceptionem beatissi-
mæ Virginis immaculatam non sunt veriti huius-
modi genealogiis ab Apostolo reprehẽsis assimi-
lem facere.Et comperi tandem huius dicti prima-
rium authorem Erasmum,erga Matrem & Filium
parum pium.Non aliud detegam:Hoc satis esse a-
pud Catholicos opinor, qui nouerunt hominem.
Laudandus ille tamen in posteriore editione, qui
tam curauit amputari blasphemiam suam in Eccle
siam Dei . Ob eam præcipuè causam hæc Iudaica
volebat prorsus tolli Apostolus, quia talia sunt:
quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei.
Quidam *dispensationem* legunt,pro *ædificationem*,fal
so οἰκονομίαν,pro οἰκοδομίαν,accipientes . Dei autem
ædificatio est ecclesia,cuius ita sunt iacta fundamẽ
ta,vt ædificium surgere in cœlum vsque assiduè de
1.Cor.3. beat.Sic ad Corinth.dixit:Dei agricolatio quia ip
se est qui illam ædificat,iuxta illud,Nisi Dominus
Psal. 126. ædificauerit domum.Aut quia etiã ad illum ædifi-
catur.Ecclesia enim templum Dei est : ideo per I-
Isa.66. saiam prophetam aiebat: Quam domum ædifica-
bitis mihi ? Aut quia & ipse Deus ædificetur , ipse
nimirum Christus in corpore suo , cum fideles in
Eph.2. sanctitate vitæ illi cohærent:sicut & B. Paulus qui
busdam dicebat:Iam non estis hospites & aduenę
sed estis ciues sanctorum & domestici Dei , super
ædificati super fundamẽtum Apostolorum & pro
phetarum ipso summo angulari lapide,&c. Quod
si caperent Hebræi,iam intelligerent quòd non in
conuenienter ipsa Ierusalem mater nostra etiam
Tetragrammato nomine honoratur. Et nomen
Ezech.48. ciuitatis (ait Ezechiel) ex die illa Tetragrammatõ
ibi.Et si cõsideratum fuisset,quæstio illa , an liceat
dicere,Credo in sanctam ecclesiam,mox euanuis-
set . Et an liceret ad hoc nomen adorare . Quis e-
nim nisi infidelis dubitaret , perspiciẽs in illa Deũ
nostrum & Dominum Iesum Christum?Et atten-
de ad metaphoras scripturarum . Edificatur enim
interim ecclesia Dei per lapides viuos , qui su-
mus nos,quos oportet expolitos esse virtutum o-
peribus,& mutuò coaptari fide & charitate. Ideo
dicit,*Quæ est in fide*,vt consensum in vnum & idem
intelligamus per Christum Deo inuicem , in vno
corpore applicati.

Finis autem præcepti est charitas. Apostoli intentio
hîc est Iudæorum amouere superstitionem , & re-
tundere improbitatem . Quia enim gloriabantur
in lege & mandatis per Mosen, vno verbo sapien
tissime eorum refellit inscitiam : quoniam lex ad
charitatem præcessit tanquam ad verum suum fi-
nem, vt per legem ad ipsam charitatem perduce-
remur. Qua ratione & via inquies ? Agnoscendo
peccatum,agnoscendo nos sub peccato,vt sic De-
um supplices imploraremus efflagitantes : Libera
nos à corpore mortis huius Benigne Pater, Et ip-
se tandem moueretur ad sanandum per diffusioné
charitatis in corda credentium. Vt ibi superabun-
daret gratia,vbi prius abundauit delictum : vt per
auxilium gratiæ amatores iustitiæ effecti,operare-
mur non ex lege,sed ex fide,id est, non metu , sed
amore:non terrenis præmiis,sed cœlestibus ducti:
quia fides per dilectionem non per timorem serui
lem operatur . Hæc autem dilectio quæ sic opera-
tur,esse debet *de corde puro, & conscientia bona, & fi-
de non ficta*.Nulla dilectio preter illam quæ Dei est
habet corporum.Omnis alia sequitur affectũ ter-
renorum bonorũ, & alicuius quod minus est cor-
de nostro. Solus Deus maior est corde nostro.Dũ *1.Ioan.3.*
ergo reprehendit nos conscientia , Deus in ea re-
prehensione,qui ibi latebat,apparet & conuincit
nos quod maior est corde nostro.Qui enim repre
hendit,maior est.Et quare reprehendit nisi ferens
indignè nos minoribus mergi & longè vilioribus
quam simus ipsi,& illum derelinquimus & man-
data eius,quęrentes cisternas discipatas? *Et conscien
tia bona.* Hæc enim sequitur ad purum cor,quę om
ni thesauro anteponanda est.Et vocat consciẽtiam
notitiam quandam nostri cordis,qui sequitur in-
ditam nobis synderesin,id est,iudicium rectũ bo-
ni & mali , vnde prouenit nostrarum actionum
conscientia. Est enim quoddam in nobis luminis, *Isa.49.*
per quod vel probamus vel improbamus quę faci
mus. Quod lumen si tenebris offundatur à corde
non puro,id est,à voluntate deprauata,& in tene-
bras euadat,ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Et fide non* *Matth.6.*
ficta.Hoc puto propter Iudæos maximè dictũ,qui
fidem simulabãt vt à fide multos ex suis infirmos
abducerent.

A quibus quidam aberrantes, &c. scilicet commẽ-
dantes Mosen, & opponentes illum Christo , &
non ad scopum ipsorum tendentes & finem . *Vo-
lentes esse legis doctores* . Contra Christi præceptum:
Nolite vocari Rabbi . Velle enim vocari peccatũ
est,cum gloria & honor proprius pro fine queri-
tur, & maximè cum idoneę partes tanto muneri
non respõdent.Hoc declarat in proposito, addẽs:
*Non intelligentes quæ loquuntur , neque de quibus affir-
mant* . Aiebant enim seruandam circuncisionem.
Putasne intelligebant quę esset vera circuncisio?
Nihil minus.Sic & nũc illis contingit miseris. Ne
gant Trinitatem,& ad comprobandum proferũt.
Audi Israel,&c . Putas ne intelligant hoc dictum,
quo confodiuntur?Christum venisse negant, quia
oportet primum venire Eliam.Putas ne intelligũt
quid sit Elias , vnde illud afferunt: Putas item eos
scire aduentum Christi?

Apostolus tamen hic eis qui commendabant le
gem Moseos,& eius legis authorem Deum,à quo
non nisi quod bonum est procedere pòtest,respõ
det : *Scimus autem quòd bona est lex, si quis ea legitimè
vtatur*,Quemadmodum dicturus est inferius, Nõ
coronabitur nisi qui legitimè certauerit,id est,iux
ta ipsius legis tenorem & finem. Ita hîc ait : Bona
est lex,si quis ea legitimè vtatur . Consideret autẽ
lector,& perpetua memoria teneat Apostolũ de
lege Moseos loqui,quę iustitiam indicabat tantũ,
non faciebat:non de euãgelica,quę illam implet.
Nam quo in statu inuenirentur Iudæi(non in quo
Christiani) quando profluuio ruentis in omnia
scelera concupiscentiæ consultum oportuit,osten
dit:quibus data est lex vt saltem timore tũc ab ex-
teriori transgressione arcerentur , vt adueniente
charitate etiam interius & exterius reformaren-
tur.Neminem enim iustum prisca lex reperit. No
ua nemini nisi iusto poni potest. Qui enim Chri-
sti fidem non suscipit,extra legem ipsius est . Legi
timè itaque vti lege prisca est rationem & finem
legis considerare,& sic de illa proficere. Non vti-
tur autem legitimè in primis lege quicunque glo-
riatur in ea sola,& præfert se aliis,tametsi minime

Universidad de Deusto
Biblioteca

legem impleat. Sic Christianos quosdã videas gloriari ob baptismum, interim non considerantes quid fecerunt in baptismo, & quid promiserunt. Quis enim tenaciter meminit quomodo renuntiauerit satanæ, & omnibus pompis eius? Non ergo lege vtitur legitimè qui finem legislatoris non vider, qui fuit vt cognosceret homo peccatum, & se peccatorem esse, & impotentem ad legis obseruantiam: vt exinde ad fidem curreret, & gratiam imploraret: & sic per fidem & dilectionem facile ac benignè operaretur, & non per legem, aut per vim legis. Denique lege non vtitur legitimè, qui solum corticem obseruat, non quod est reconditũ intus. Veluti siquis in prælio vteretur pro gladio vagina: aut qui nucis testam pro nucleo ipso interiore comedere vellet.

Sciens hoc quod lex iusto non est posita. Hoc ante omnia Iudæis notum esse oportuit, vt legitimè illa lege vti possent, id est, eius legis beneficio. Hoc inquam scire oportebat, quòd lex præcedit iustitiã. Et non fuit data lex iusto, vt sic operaretur ex lege secundam legem, quod erat illi impossibile facere, sed iniusto, vt sic per eã intelligeret se natura peccatorem, & sub peccato ita pressum, vt operari, quamuis lege cogente, non posset: quia erat lex in lapide scripta, sed indigebat necessario fide & charitate scripta in cordibus carneis. Vt iam non ex lege sit obseruatio eorum quæ sunt in lege, sed ex fide & dilectione. Hæc est maxima differentia inter legem veterem & nouã: quod plerique non animaduertunt, & tamen inde omnia reliqua colligun-
Psal. 18. tur. Illa dicit iustitiam, hæc etiam facit. Lex Domini immaculata conuertens animas. Verùm rogabit aliquis, & dicet: Nunquid modo quando iam fides aduenit, superflua est lex? Cui respondemus, Lex quidem ipsa certè est superflua: sed non scriptura legis, & prophetarum oracula, quæ testificãtur nobis de Christo, & in illis pariter Christum discimus, & inclusum ibi reseramus euangelium, & cum omni gratiarum actione laudamus clemẽtissimi summi Patris miram, quã ibi agnoscimus, prouidentiam. Perpende, quæso, qualem nobis populum illum describat tum, quoniam lex fuit illi pér Mosen posita:

Sciens hoc quòd lex non est iusto posita, sed, inquit, *iniusto, & non subditis*, id est, contumacibus, & qui nolunt subdi. Item, *impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis*, seu prophanis, &c. Illud notandũ, ab Erasmo Carrensem, Liram, & B. Thomam reprehendi. Priores illos reprehendit, qui voce hac *plagiaris*, perperam vtantur pro inferentibus plagas, & non rectè, B. Thomam verò quòd prudens pretermiserit ipsum verbum, nolens expressè fateri ignorantiam, quam tamen silentio innuit. Hæc censura hominis versuti & parum pij in eos qui adeo de sacris literis benemeriti sunt. O hominem
In Erasmum. qui festucam videt in alieno oculo, trabem autẽ & eam lætalem in proprio non videt. Ipse enim statim etiam inter vaniloquia, imo inter impia reponit impius, multas iam olim decisas ab ecclesia sancta sententias, vt est illa: An Spiritus sanctus descẽdat à Patre & Filio tanquam ab vno principio. Quam sanè in dubium reuocare, quid est aliud quã dubitare an sint vnus Deus, Pater & filius? Et illud item vafrè inter quæstiones refert: An papa possit aliquid statuere, quod pugnet cum doctrina euangelica? Et an possit præcipere Angelis? Quasi verò de his sit apud Theologos disputatio. Hæc de industria profert, vt inuidiam excitet & tumultus. Nec subindignetur mihi quisquam ita de Erasmo loquendi. Multos enim ingenio illo versatili decipit, qui ita venenum infundit legentibus, vt maxima ad cauendum dexteritate sit opus. Nam multitudine librorum, & varietate sententiarum, & calliditate dicendi lectorem ita tenet ancipitem, vt si vnum locum velis coarguere, suppeditetur mox alter ad defendendum. Neminem hæreticorum inuenias perniciosiorem. Et hoc obiter notent quibus illius nomen gratum est. Nam apertum hoc dò testimonium. Qui multum Erasmo delectatur, parum esse Catholicum oportere: & qui audẽt nisi ad detestandũ, in pulpitis nominare, grauiter sunt castigandi. Sed ad rem nostram.

Et si quid aliud sane doctrinæ aduersetur. Dicit conditionaliter, si quid, vt fieri ab his in sermonis excursu solet, qui rem ipsam nolunt exactè & ex proposito tractare, complectique omnia. Sanam autem vocat illam doctrinam, *Quæ est secundum euangelium gloriæ beati Dei*, id est, quæ est conueniens annuntiationi & promissioni futuræ gloriæ quãtum potest, cui non sunt condignæ passiones huius tẽporis. Et cum ita se veritas habeat, multi tamẽ sunt qui quæruntur, nobis à Deo data esse præcepta dura. At hi oculo fidei non respiciunt ad præmium ipsum, illam gloriam æternam, cuius si essemus veri amatores, præcepta ipsa quæcunque non solum nõ dura, sed facilia viderẽtur. Vocat autẽ Deũ beatũ, quoniã istud illi iuxta naturã suam cõuenit: nec põt cõgruere vlli creaturæ, nec ipsi Angelo. Nulla enim creatura suapte natura est, tãtum abest vt sit beata. Vel potius sic expone, *secundũ euangeliũ gloriæ beati Dei*, id est, Christi qui per passionem beatificatus est cum esset innocens, cui nos conformare debemus vt volumus in patria, ita in via: sicut in gloria, ita in ignominia: sicut in triumpho, ita in prælio & certamine. Illa ergo sana doctrina est quæ conuenit, & dicit vera de ipso fine, & mediis ad finem perducẽtibus. *Quod creditum est mihi.* Creditum seu concreditum euangelium sibi fuisse dicit, id est, eius dispensationem sibi commissam. Aliquid enim cuipiam credere, est fidei illius committere tanquam dispensatori.

Gratias ago ei qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponẽs in ministerio, qui prius blasphemus fui, & persecutor, & cõtumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide & dilectione quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiã cõsequutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiã ad informationem

eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Hoc præceptum commendo tibi, filij Timothee, secundum præcedẽtes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscietiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerũt. Ex quibus est Hymeneus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

Perpendens Apostolus magnum esse, & indigere auxilio Dei tantum ministerium, ait: *Et gratiam habeo ei qui me cõfortauit Christo Iesu*, videlicet vt possem tantum onus subire, & obire perfectè. Dicit autẽ se conformatũ in Christo Iesu, vt habet vulgata lectio, id est, ad Christi gloriam. Vel melius, *Habeo gratiam ei*, scilicet Christo Iesu *qui me confortauit*: Nam Græci codices non habent, in, Verè cõfortauit Apostolum Dominus, & militem talem effecit, vt ea tolerauerit quæ per se natura longo interuallo non potuisset. Et subdit:

Qui me existimauit fidelem ponens in ministerio. Hoc enim ab iconomo seu dispensatore primùm quæ-
Matth. 14. ritur, vt fidelis inueniatur. Fidelis seruus & prudẽs quem cõstituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mẽsuram. Ab hoc enim exigetur, si quid reliquum habuerit, vt ait B. Paulus. si aliud pro alio impendit, si non tempore opportuno necessitati succurrerit, & sic perierit conseruus sua vnius socordia.

Illud verò considerandum, cur dixerit de Deo, *Qui fidelem me existimauit*, Cur non ait, sciuit, seu præsciuit fidelem fore, quem fecit fidelem? Nimirum vt noscamus aliquid esse nostrum, & aliquid Dei in omni opere bono. Et quod Dei est, certùm esse: quod autem nostrum, incertum propter liberum arbitrium, quod potest contra auxilium Dei, nisi Deus ipse nos ita conuertat, vt nullam nobis renuendi causam, aut rationem, & consequenter potestatem relinquat. Quocirca dixit quòd Deus existimauit, & ob id credidit ei dispensationem. Nam si omne quod facimus ipse penitus faceret, vt nihil sit nostrum, non tam diceretur existimare & putare Deus de nobis bonum, quam certò scire. Quòd si pergas dicere, Nõ igitur certò sciebat? Si potest cum existimatione concurrere certa sciẽtia, etiam certò sciebat. Si non potest, non certò sciebat. At certò sciebat, quia videbat quæ faciebat Paulus, quando faciebat. Ante autem quàm faceret, pro eo tempore non videbat nec eum facere, nec facturum. Ideo nec certò sciebat, sed tanquam qui probabiliter operatur se habebat respectu futuri Nam quæ videt contingentia, non vt futura videt, sed vt præsentia secundum tempus quo sunt, non quo futura sunt, vt B. Thomas docet & rectè. O summe Deus quàm excellis captum nostrum, vt loqui te digna de te loquentes non valeamus. Addit autem quæ faciebant ad magnum cumulum gratiarum actionis.

Qui prius blasphemus fui, &c. Verbo quidem blaspemus erat Christi doctrinam detestans, facto autem persecutor Christi in corpore suo. Hæc est ingens persecutio & absoluta, quam Deus seuerissimè vindicat. Qui vos tangit (inquit ille) tangit pu Zach. 2.
pillam oculi mei, id est, qui tangunt iustum in nomine Iusti, Christianũ in nomine Christiani, Prophetam in nomine Prophetæ, prædicatorẽ in nomine prædicatoris, ista omnia in Dominũ admittunt: etiam si in solius serui personam, quatenus tamen talis domini admittuntur. Et contumeliosus fuit siue violentus in exequutione persecutionis, vt sæpè idem fatetur, & ex historia beati Lucę propriis in locis in Actis Apostolorum accipitur.

Sed & misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Incredulitatem negatiuè intellige, ne perfidiam existimes. Nondum enim in conscientia exactus erat, & conuictus vt crederet, sicut illi in quos obiiciebat Dominus: Nunc vide Ioan. 15.
runt, & oderunt me & Patrem meum. Vnde & in cruce orauit pro his qui nesciren quid facerent: non pro his qui dixerunt. Hic est hæres, venite oc Matt. 21.
cidamus eum, & nostra erit hæreditas. Ignorantiã autem prætendit vt minuentem vim facinoris, nõ vt tollentem omninò, sed vt misericordiam facilius promerentem. Quod tum verum est, quando non fuerit admodum crassa & affectata ignorantia. Alioqui ignorantia cum malitia coniuncta tantum abest vt excuset, vt etiam grauet peccatum. Vt autem rem totam intelligas, cogitare debes in peccato, an & quantum ignorantia tollat de voluntario. Nam & tantum de culpæ pondere auferet. At qui ignorans vult ignorare, aut de ignorantia intus reprehẽsus negligit scire, iam qui eiusmodi est velut sciens peccat. Non ergo ex toto excusabatur B. Paulus, qui ignorantiam illam habebat non sine culpa ob affectum gentis inordinatum, non satiatus communi in discipulos Domini persecutione, sed abundantius æmulator existens paternarum traditionum. Vt autem laudaret superexcellentiam misericordiæ adiecit: *Superabundauit autem gratia Domini, &c.* Verè respectu peccati, & respectu aliorum qui idem peccatum peccauerunt, magna fuit superabundantia hæc misericordiæ erga Paulũ: quoniã rarissimum est exemplum, mox de acerrimo hoste facere ministrum fidelissimum & sanctissimum. Et fortè vocat gratiam excellens donum illud sapientiæ suæ, quæ vnà complectitur fidem & dilectionem quæ est in Christo Iesu.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Hic incipit, vt mihi videtur, instruere Timotheũ in omni munere episcopali. Et cum id maxime ab Episcopo desideretur, vt doctrina pascat populum suum & prædicatione, dignatur primùm ostendere materiam prędicationis, quam debet prędicare Episcopus: & super ea omnem fundare sermonem tanquam fidelem, & omni acceptione dignum. Nam reprobata mala eorum doctrina qui legalia extollebant, conueniens erat vt eam quæ bona esset, introduceret ac monstraret. Vocat autem fidelem sermonem illum qui sit verax, & qui habeat secum multa suæ veritatis testimonia, vt sit fide & omni acceptione dignus. Et iste est, Quod Christus, id est, vnctus oleo cœlestis gratiæ, *& Iesus*, id est, Saluator, *venit in hunc modum*, nimirum

Universidad de Deusto
Biblioteca

de cœlo. Et ob istam causam, *peccatores saluos facere*, id est, quos peccatores inuenit. Non dicit hos & illos, sed absolutè peccatores: omnes autem eramus tales. Non tamen dicit nouo peccato post acceptam gratiam relabentes: non quòd & hoc opus non fuerit Christi, sed primum venit ad illud præcedens peccatum, quo omnes inuoluebamur, & ad cætera illud consequentia tollenda morte sua: quod & facit medio baptismo. Quæ verò postmodo committimus iam sanati ab illo, viuens aufert. Non enim nisi semel moritur, nec relinquitur vltius talis hostia pro peccato, vt ad Hebr. Deo iuuante explicabimus. Nam postquam mortem subiit, & Patris satisfecit pro nobis, iam constitutus est amicus Dei, & sedens ad dexteram eius. Iccircò aufert posteriora peccata, sed per sacramentum pœnitentiæ. Et hoc est Thema prædicationis. O quàm breuè in verbis, sed quàm longum in sensu & fœcundum. Eodẽ modo Dominus proposuit olim Apostolis Thema breue, vt populis prædicarent, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Et postmodo in instructionibus cum surrexisset à mortuis, dixit: Prædicate euangelium omni creaturæ. Istud præceptum non seruat, qui aliena & curiosa pro euangelio tradunt: quantò autem illi minus qui euangelium peruertunt, & tamen gloriantur hoc nomine, & se euangelicos impudentissimè vocant? Sed ad rem.

Heb.11. Luc.24. Marc.vlt.

Quorum primus ego sum. Vocat se peccatorẽ Apostolus (vt videtur) non ea tantum considerans tempora, quùm sub lege esset constitutus, cunque ecclesiam Dei zelo immodico perciius affligeret: sed pro eo item tempore quo iustus erat & gratiosus Deo, in memoriam reuocans qualis per se extitisset (vt omnes facere debent) imò quod etiam tunc erat ex se, non illud quod erat per gratiam ex Dei benignitate. Et primum peccatorem se vocat propter excellentiam proprij peccati: & quia certus erat de seipso, & computabat beneficia Dei erga se quibus erat abusus. Aliorũ autẽ peccata (quod est sanctorum proprium) non põderabat. Ideo inter peccatores se primum ponit, longè dissimilis à fastu illius Pharisæi qui ad peccatores homines respiciens, cunctis se præferebat, & ab aliorum sceleribus concludebat se iustum. Hunc penè imitantur omnes homines, & qui non facit, iam non est homo, id est, filius Adæ, sed filius Dei, qui veteri homine exuto verenda sua ineptis foliis tegere nequaquam studet. Rarissimum enim licet inuenire, qui si quid virtutis habeat, illam comparatione deteriorum non habeat. Nam si demas vitiosos, demis & qui permisti boni videntur, plurimos. Vera autem virtus à se vna pendet: & peccata sua palam prodere, hoc certè est humillimæ, id est, Paulinæ mentis: qui & aliam rationem finalem scilicet consequutionis misericordiæ declarat, subdens:

Luc.18.

Vt in me primò ostenderet, &c. Nam illa ratio quam adfert de ignorantia, est quasi mouens Deum ad misericordiam, hæc autem quasi finis: quanquam finis etiam mouens est, & plures concurrũt fines ad eundem effectum. Vnus tamen est vltimus & summus ipse Deus, & gloria illius, qui omnia propter seipsum operatur. Vnde illi gloria & honor reddendus est: quod semper facit beatus Paulus, vt & mox videbimus.

Potest & verius hic locus intelligi, non vt simpliceter testificetur B. Paulus se peccatorẽ, & pro eo tempore quo loquebatur: sed quòd inter peccatores qui erãt salutem cõsequuti, ipse erat primus, hoc est, præcipuus. Talem enim se existimabat & meritò, quia (vt ipse asseruit) super omnes coætaneos suos expugnauerat ecclesiam Dei, blasphemans, violentus, & spirans plenus minarum & cædis in discipulos Domini.

Gal.1.

Quomodo sancti dicant se primos peccatores.

Non est autem alienum ab hoc loco illud considerare, an hoc attineat ad humilitatis virtutem, si quilibet, quanuis sanctus, existimet se esse deteriorem ac peiorem cunctis hominibus. Leguntur enim virorum Sanctorum testimonia, qui de vita spirituali scripserũt, qui ita faciẽdum docent. Imò & cuiusdam libellus prostat scribentis, neminem posse eradicare penitus à se superbiæ vitium, nisi credat nõ solùm se esse peccatorem super omnes homines, sed (sicut verũ putat) se esse causam, non occasionem, sed causam omnium delictorũ & scelerum quæ commissa sunt etiam à dæmonibus, & à primo homine, & denique ab omnibus hominibus. Nec eorum solùm quæ commissa sunt, verùm etiam quæ committentur vsque ad diem iudicij. Attamen cùm nemo (vt inquit) possit hanc de se existimationem habere, nisi speciali reuelatione Christi, oportet vt homo tantum proficiat, quatenus habere reuelationem mereatur. Hæc autẽ doctrina non solum per manus tradita est, sed etiam scripto credita & publicata, & suos habet defensores. Neque id solum, sed ne quis eam scriptis reprobet, quidam amici nostri miris modis obsistunt, quia author est eiusdem ordinis. Atsi verè saperemus, nos primi sordes & maculas eluere deberemus, ne quid scilicet in nostris ædibus quod oculos spectãtiũ posset offẽdere, reperiretur. Quænã, rogo, potest esse cuiusuis ordinis gloria in toleranda erroribus & vitiis? O tẽpora, ô tenebras ægyptiacis dẽsiores. Verùm ad quæstionẽ ipsa redeamus.

Dixit B. August. egregiè, nullo pacto ponẽdam esse humilitatem in falsitate ac mendacio. Quòd si quis teneatur credere, aut existimare se cæteris esse deteriorem, in plurimis continget opinari mendacium. Impossibile est enim de quolibet verum esse, quòd sit peior cunctis hominibus. Si enim vnus est peior, cæteris, impossibile est reliquos peiore illo esse peiores.

Sed ista positio cum nec habeat in se vllam apparentiam veritatis, eam tamen possent aliqui adductis exemplis, ne eousque absurda videatur, defendere, Primùm exemplo B. Pauli qui se primum ponit inter peccatores, quorũ (inquit) primus ego sum, id est, præcipuus sum. Verùm ad hoc iam respondimus, qua consideratione id dixerit, cogitationem scilicet ad illud tempus referẽs, quum Ecclesiam persequeretur, non secundum quod erat tunc. Id autem patet: quoniam apertè meminit sua peccata præterita, videlicet blasphemias, & persecutionem Ecclesiæ. Et addit se misericordiam consecutum propter ignorantiam, qua præceps ferebatur ad illa flagitia putans se obsequium præstare Deo: quemadmodum de huiusmodi prædixerat Dominus. Zelum enim habebat, sed non moderatum scientia. Et reuera se præcipuum peccatorem dicit non absolutè, sed inter eos qui erant misericordiam consecuti. Non enim dubium quin ipse B. Paulus sciret multos persecutionem in Christum & non ex ignorantia suscitasse, sed conscientia praua, sicut testatur Dominus: Quoniam odio persecuti sunt me gratis, inquit. Nec ipsum Paulũ latebat peccatum prudenter admissum esse omnino maius, & longe grauius peccato per ignorantia patrato, & ita maius vt non esset dignũ misericordia. Si autem misericordiam cõsecutum dicit: quia ignorans fecit in illis incredulitatis tenebris. Non ergo poterat verè existimare se absolutè primum inter omnes peccatores pro tempore quo seruiebat Deo, cum nihil sibi conscius esset, sed fidelis esset minister Iesu Christi. Quo verò pacto poterat de se ipso cõstare ea prædicatio, cum illa existimatione quòd esset inter peccatores præcipuus? Esse enim primum inter peccatores, & ita verè sentire, non conuenit cum innocentia.

Ioan.15.

Adducunt etiam alia exempla sanctorum, vt B. Francisci, & B. Catharinæ Senensis, qui se prædicabant & asserebant deteriores cunctis hominibus. Quibus antequam respõdeam: Quæro ab his qui hæc nobis proponunt, vtrum quæ illi asserebant vera essent, an non? Si non vera: Nonne ergo asserere mẽdacium peccatum est? Docet ergo nos scriptura vt mentiamur? Si autem non erat mendaciũ: sed verè illi erant cæteris hominibus peiores, quomodo erant sancti, & innocentes, & sine mortali peccato? Ergo oporter si vera sunt hæc exempla, aliquo intellectu ea prædicata ad veritatem reducere, vt non ita simpliciter intelligantur vt sonant. Ipsi enim spirituales erãt, & spiritualiter loquebantur iuxta sensum aliquem spiritus, nobis forte ignotum. Certè in scripturis Christus nonnũquam pronuntiatur non solùm peccator, sed ipsummet peccatum & maledictũ. Quod rectè intellectum ad eius gloriam pertinebat, qui in se susceperat omnium peccata luẽda, id est, reatum omnium peccatorum. Quid si & hæ sanctorum pronuntiationes hunc sensum, aut aliquem similem recipiant, quorum interdum & dicta & facta sunt potius admiranda quàm imitanda? Quod si huiusmodi existimationes & sensus, proprij sunt sanctorum, vt prædicant, quomodo qui in hunc sensum veniunt non reputabunt se sanctos? & cum tales se reputabunt, quomodo reputabunt se simul esse eximios peccatores? Ego ingenuè fateor me hæc non capere. Non inficior omnem Christianum solicitè debere conscientiam suam explorare, ac simul Dei dona ac beneficia: & agnoscere etiam si cuncta fecerit quæ debuit facere, se tamen seruum inutilem esse, quia quæ debuit fecit, & nihil inde accreuit Domino suo: & quod ex se est & natura sua malus est, & quicquid boni habet ipse à Deo habet, vt glorietur in Deo non in se ipso, si tamẽ queat gloriari. Vel sic, quoniam accidunt in vita communi multæ imperfectiones, multa ingratitudo, multa negligentia, magnus tepor etiam in his qui videntur spirituales. Est item cauendum occultissimum superbiæ vitium, & cogitandum non esse Dei regnum in sermone: quia multi prudenter loquuntur, sed non vt loquuntur sic agunt. Neque propterea de fratribus iudicandum est: suspicari potius bona quàm mala in omni dubio. Prudentes tamen esse admonemur sicut serpentes, & simplices sicut columbę, id est, cauentes nobis à deceptoribus, & neminem ipsi decipientes.

2.Cor.5.

Matt.10.

Omnem patientiam, id est, totam siue integram patientiam. Nam omnium peccatorum illud maximum, quod in ipsum Deum directè tendit: vnde ait scriptura, Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? Et hic tamen dicit, *ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternã.* Existimo peculiariter propter perfidos Iudæos hoc esse dictũ, quò tacitè illos moneret, vt admirarentur patientiam Dei, & non desperarent quantum ad misericordiam. Facit enim Deus misericordia, & multis facit, non tamen ita copiosè. Et B. Paulus certè ratum exemplum ob dona grandia, quæ per paucorum sunt, non ob misericordiã & indulgentiam solùm à peccato, quæ est multorum. Illud omni diligentia curandum, ne prætextu misericordiæ quisquam peccet. Maledictus est omnis qui peccat in spe. Quia verò omnium finis ipse Deus est, in cuius gloriam & honorem omnia dirigi à nobis debent, & nos ita optare debemus, sequitur:

1.Reg.2.

Regi autem sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo. Est quoddam sæculum æui, & est sæculum temporis. Et adhuc sæculum hoc vnum diuiditur in plures periodos, quæ sæcula multa conficiũt. Quidam enim metiuntur sæculum cẽtum annorum spacio. Vnde & carmen sæculare dictum, quo sacrificia centesimo quoque anno fieri solita describebantur. Quidam ad mille annos extendunt: ad triginta alij. In quancunque accipias significationem, sæcula plura constituuntur, quorum omnium Rex est ipse Deus. Nec tamen intelligas per sæcula, nuda tempora: quin ea potius quæ sæculorum clauduntur terminis, vt sunt creaturæ, sic scriptum est: Fide aprata sunt sæcula verbo Dei. *Immortali*, Deũ immortalem vocat singulariter: quia solus per se habet immortalitatem, quam nulla creatura verè habet, nec Angeli. Propter quod introducitur Deus à Platone in Timæo (vt illius studiosi volũt) ad eos loquens. Vos quidem opera mea natura dissolubilia, &c. non illud quidem ob vllum principium, quod insit intrinsecum, vt sint contraria in eis, aut materia: sed quia non ex se sunt id quod sunt: & nisi Deus assiduè teneret, redigerentur in nihilum, quamuis nõ esset dissolutio in materiam. *Inuisibili.* Similiter & inuisibilẽ Deum asserit, non ex se & suipsius natura, cum nihil sit lucidius, & consequenter nihil visibilius, sed nobis dicitur inuisibilis, quorum acies oculorum est ad tantam lucem debilissima: sicut sensibile excellens corrumpit infirmum sensum. Additur:

Hebr.11.

Soli Deo, Et quidam codices habent, *Soli sapienti Deo honor & gloria.* Vt sit duplex sensus, Quòd soli Deo honor exhibendus, & gloria danda, qui est Rex sæculorum, & immortalis, & inuisibilis & sapiens. Et potest de tota Trinitate intelligi hoc dictum, & verum est. Quæ intelligentia mox quæstionem parit, quomodo soli Deo sit honor & gloria, cum scriptum sit: Gloria hæc est omnibus sanctis eius. & ex aliis eiusmodi sententiis? Respondeo breui, est summa illi gloria & primaria: cæteris autem propter illiũ & in illo, & ita illi in illis. Quando enim duo sunt, & vnum propter aliud, verius vnum est, vt ait Philosophus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est verò alius sensus, qui sic aptetur, vt Deum etiam solum immortalem, & inuisibilem, & sapientem intelligamus. Vt alibi dicitur: Qui solus habet immortalitatem. Et ad Rom. Soli sapienti Deo. Et tunc locus alteri datur quæstioni, si de Patre sit sermo, quomodo ipsi soli ista conueniant, & non similiter cętetis personis? Ad quod facilis est responsio. In diuinis enim si quid dicitur de vna quauis persona, quod & aliis conueniat personis, licet per particulam taxatiuam illud dicatur, non propterea tamen excludit cęteras eiusdem consortij. Sunt tamen & qui hæc Patri maximè tribuant propter originem: quia ipse solus à seipso, sed non propter ea minus cæteræ personæ Filius scilicet & Spiritus sanctus id habent in semetipsis. Addo rectè dici de quauis persona quòd solus sit Deus, vt sit sensus non excludens cæteras à cõsortio Deitatis, sed solummodo hoc innuẽs, quod solitariè etiam considerata quælibet persona Deus est: quod est verissimum. Vnde & de Christo dicitur: Tu solus sanctus, hoc est, tu etiam solitariè consideratus, Sanctus es. Honor igitur & gloria soli Deo (supple tu) de tanta misericordiæ abundantia sit, sicut & de quouis bono ad illum gloria referatur. Istud expримere B. Paulus de sibi collata misericordia voluit, & Deo gratias agere immortales, licet in Deum nihil redundet, sed solum in nostrum lucrum omnia cedunt, scriptum est: Omnia flumina mare intrant, & mare non redundat.

1. Tim. 2.
Rom. vlt.
Eccles. 1.

Hoc præceptum tibi commendo fili Timothee, &c. Præceptum quod commendat filio Timotheo, est huius exhortationis munus, & prædicationis studiũ, videlicet quòd Iesus venit ad hoc vt saluaret omnes nos. Et ipse quidem id fecit quod in se fuit, si modo fecerimus nos quod est in nobis, addit: *Secundum præcedẽtes in te prophetias.* Innuit non obscurè fuisse aliquid boni prophetice dictũ de Timotheo, aut quãdo Christianam professus est fidem: aut quando ordinatus est presbiter & Episcopus, sicut inferius dicet. Noli negligere (inquit) gratiã quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiã cum impositione manuum presbiterij. Hortatur ergo & præcipit vt in illis prophetiis bonam militiam militet. Nam prophetiæ illæ commendantes ei curam atque militiam, exigebant vt re ipsa exerceret ministerium suum. Si enim est vita cuiusuis hominis super terram quædam militia & luctatio, quantò hoc magis locum habere debet in præsidẽtibus & ducibus? Nam si ignaui sint & animo viles, profligatur mox eorum exercitus. Hi ergo maxime tenentur militare in dæmones, à quibus ante omnes impugnãtur. Si enim lupi possunt pastores semel & canes strangulare, quid de ouibus sperandũ est? Hoc metuens Apostolus, aiebat: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, &c. Et quia arma maxime sunt fides, & quæ fidem ipsam consequuntur, ideo ait:

Infr. 4.
Ephe. 6.

Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, &c. Bona conscientia est quæ pura est, & vt oportet, probata: sed tenebris persæpe respergitur, vt dixi, ob affectus prauos. Et tunc nonnunquam & ipsa fides periclitatur, & fit naufragium: quia fides est veluti nauis quæ omnes fert virtutes substans illis. Ad illam siquidem spes sequitur & dilectio, & virtutum omnium societas, quæ has consequuntur, non tamen necessario ad fidem hæc veniunt.

Videat ergo homo Dei ne conscientia ista labefacetur, quod fit quando malum defenditur, aut quod bonum est, quæsitis coloribus arguitur. Probat hoc exemplo duorum quibus id accidit, quia conscientiam non seruarunt bonam. Primus Hymenæus, alter Alexãder, quos tradidit Satanæ. Nota modum magnum & admirabilem punienti & terribilem, sed non sicut Corinthium, quem tradidit vt spiritus saluus fieret. Sic verò isti traduntur, vt discant non blasphemare, id est, in pœnam peccati, vt incipiant gustare arrham inferni.

Sed dicet quis, Quomodo sic discent non blasphemare? Nunquid traditi Satanæ non multo magis blasphemabunt, quando fuerint in potestate eius, qui primus fuit blasphemus, & pater omniũ blasphemantium? Nam horum hæc ars erat. Respondetur, Apostolum vsum esse hic quodam dicendi modo. Homo enim malus dum pœnã subit peccati, dicitur tunc discere non peccare. Quòd si dixeris & dæmones ipsos blasphemos esse & docere blasphemias. Respõdeo, Eorum blasphemiæ nõ verè blasphemiæ sunt, sed laus Dei. Non enim contra voluntatem Dei hoc agunt, quibus in pœnam hoc datur vt blasphement. Pœna autem à Deo est. Non vacat fortè à mysterio hos duos positos, naufragium à fide fecisse, in quibus significatur omnis modus naufragandi. Et primus quidem Hymenæus, in quo studium significatur concupiscentiæ carnis & mundi. Est enim carmen nuptiale, & Deus nuptiarũ Hymenæus. Et rectè conuenit illi homini qui dicebat resurrectionem iam esse factam. Comedamus ergo & bibamus (vt aliâs in persona talium obiiciebat B. Paulus) cras enim moriemur. Et vide quàm congruè alibi datus est ei, socius Philetus, id est, amabilis. Hic est qui amat, vt vicissim ametur à mundo. Iste est qui resurrectionem ignorat cum ipso mundo: & illi arridet & applaudit Hymenæus veluti dulci & amabili. Alter est Alexander qui bellatorem significat, & virum ad contẽtiones & conflictus natum, quique studio aduersandi inflãmatur propter gloriam: quod & rectè illi congruit. Nam de illo sic ait B. Paulus: Quoniã valdè restitit verbis nostris, quem & tu deuita. Tales sunt hodie multi qui sese aliis opponunt & ecclesiæ sanctæ Dei, quò videantur esse aliquid, & ita miserandum patiuntur à fide naufragium præcipitati extra arcam, & præcisi à consortio Catholicorum.

Attende pie lector vt naufragium vitet.

2. Tim. 4.

CAP. II.

OBSECRO igitur primùm omnium fieri obsecrationes orationes, postulationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate cõstituti sunt, vt quietam & tranquillã vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo: qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus

ènim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: cuius testimonium temporibus suis confirmatum est. In quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide & veritate.

Obsecro igitur primùm omniũ fieri obsecrationes, &c. Dum ait, *obsecro igitur*, ostendit hanc instructionem consequi ex dictis. Instruxerat enim de isto prædicationis themate, Quòd Christus Iesus venit peccatores saluos facere. At cum saluos minime faciat nos Deus per Christum sine nobis, quos ex mutuo pẽdere voluit auxilio, vt vehementius nos amaremus veluti eiusdem corporis membra, eo viuidiora, quo sunt inter se arctius coniuncta, cum nullum sit quod ab aliis præcisum viuere possit: hinc communem doctrinam tradit Apostolus, quomodo debeant orationes fieri. Est autem necessarium vt velimus, cupiamus, & oremus pro salute nostra: sicut scriptum est, Oportet sine intermissione orare. Et hoc primum & ante omnia reuoca, quæso, in memoriam quid B. Paulus statim ab initio suæ conuersionis egerit, vbi primum ecclesiam ingressus est. Orans certè ab Anania inuenitur, & rapitur: quia semetipsum totum deuouit Domino. Hic ergo & rectè, ante omnia orandum esse docet tanquam fidei receptæ primum officium. Et ad ipsum præsertim Episcopum pertinet, vt primus purissimè in hoc exercitium incumbat, vt & aliis qui subduntur, ad idem pariter faciendum, confidentius valeat & efficacius indicere. Orationes enim publicæ quas plurimi in vera charitate vniti fundunt, quasi vnius sunt, & multum valent. Multi enim minimi dum congregantur vnanimes, sunt magni (ait B. Ambrosi*) & multorum preces impossibile est contemni. Si pro te rogas tantum, pro te solus rogabis. Si autem pro omnibus rogas, omnes pro te ipso vicissim pariter rogabunt. Vnde & protinus est de cathenis erutus B. Petrus: quoniam oratio fiebat ab ecclesia ad Deum sine intermissione pro eo. Et Apostolus sperat multorum orationibus eripi de manibus aduersatiorum. Est enim gratissimum Deo, qui humilitate nostra delectatur, si quãdo exoratur à multis, vt etiam à multis reddantur ei gratiæ. Et licet non videatur aliquando Deus exaudire ad volũtatem, exaudit tamen semper ad salutem. Ordinat ergo obsecrans & adhortans Apostolus, vt fiant orationes videlicet Episcopi prouisione: quoniã sic magis placent quæ Pontificum fiunt imperio, & celerius exaudit Dominus.

Luc. 18.
Act. 9.
Ibid. 12.

Vt autem huius instructionis sufficientiam capias: Omnis oratio præteritum respicit, aut futurum. Si præteritum, necessario requiritur vt gratiarum actiones, quæ iam facta beneficia respiciunt, contineat. Nam de omnibus Deo gratias agere debemus, etiam de his quæ nobis mala videntur, vt sunt tribulationes & huiusmodi. Nam hæc sæpenumero meliora sunt & vtiliora, quàm quæ videntur ad nutum nostrum fluere. Et nullũ est malum quod non vertat in bonum nostrũ Deus optimus, si patienter quæcunque accidant tolerare parati simus. Si autem respicit oratio futurum, tunc continebit aut depulsionem mali, quod hoc vocabulo, *deprecationis*, significat Apostolus (sic enim Græcè legitur, non obsecrationes, sed deprecationes) aut petitionem alicuius boni & gratię siue spiritualis, siue temporalis, ad spirituale tamen bonum ordinatæ: quod generali hoc vocabulo, *Orationes*, complectitur. Et quia omniũ est orare, non autem omnium intercedere, adiecit: *Et intercessiones*, quæ illorum sunt qui maiore gratia valent apud Deum, vt pro aliis non solùm orare, verùm etiam possint intercedere. Tales erãt Moses, & Samuel, Iob & Daniel, & alij gloriosi viri & insignes Sancti. Et nos habemus Apostolos, & alios sanctos in cœlis apud Deum solicitos pro salute nostra intercessores. Neque assiduè desunt in ecclesia Dei amici qui hoc præstare possunt. Sunt & qui hoc debeant ex officio, vt sacerdotes & Episcopi. Et qui etiam ex ipso statu, vt sunt religiosi qui familiarius domum Dei ingrediuntur, Christum ipsum sequentes vt discipuli propinqui & intimi. Nonne pro Chananea & aliis orabant Dominum illi familiares & domestici? Dimitte illam (inquiũt) quia clamat post nos. Sic instruimur & nos facere. O cum quãta sapientia & charitate ordinauit Deus ecclesiã. Hoc tantum superest vt agnoscamus, & obseruemus.

De intercessionibus Sanctorũ.
Matt. 15.

Additur, *pro omnibus hominibus* istas orationes & supplicationes esse faciendas. *Et pro regibus, & omnibus qui in sublimitate cõstituti sunt.* Hoc specialiter additur tanquam omnino pernecessarium & fructuosum. Nam innumera bona bonis principibus regnantibus proueniunt, & trãquillitas magna in populis, vt liberè possit seruari Dei cultus, & pietas exerceri, & honestè duci vita ab hominib'. Quòd si ipsi reges delirent, horum stoliditas redundat in populum, iuxta illud: Quicquid delirant reges plectuntur Achiui. Habemus & in scripturis exempla vel illud de Dauide, quando iussit numerari populũ. Et quotidianis abundamus. Cui, rogo, ignotum est, quot & quantas afflictiones, quot angustias, quot cruciatus ob Regũ deliria passus est populus Christianus? Et vrinam ærumnarũ finis. Sed & hęc mala permittit Deus summa æquitate. Siquidem quid sit orare ignorat vulgus: & si quãdo ad publicas orationes & cõmunes conueniunt, non solum Deum sibi placabilẽ non reddunt, sed contra acerbius irritãt, tanta superbia & fastu itur, tanta cõfusione & strepitu, vt sint publicæ supplicationes iã ferè cõuersæ mulieribus ad ornatum meretricium ostentandum, & viris ad pascẽdos impudicos oculos & lubricos: vt nusquam maiorem videas superbiam, & frequentiorem mulorum & equorũ concursum, quàm dũ maiori deuotionis puritate orandus est Deus. Quare B. Paulus veræ pietatis finem prospiciens, ait: *Vt quietam & trãquillam vitam agamus in omni pietate & castitate*, siue *honestate*. Græcè enim legimus, σεμνότητι. Vide ergo quomodo sit faciẽda oratio pro omnibus: singulariter quidem & distinctè pro quolibet, si hoc fieri possit: tum potissimum pro rectoribus populi. Qui enim pro rege orat, etiã pro populo orat, qui aliquo modo in rege est, & cuius salus magna ex parte à regis salute pẽdet & religione. Videmus enim corruptis principibus populos labefactari quàm facillimè.

2. Reg. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed contra hoc dictum, videlicet orandum esse pro omnibus, videtur sacra scriptura reclamare, quę nonnullos interdum propter insignia peccata ab orationum fructu excludit: imò ne pro eis fiat oratio prohibet. Nam & Dominus Ieremiæ dixit: Noli orare pro populo hoc, & ne obsistas mihi: quia non exaudiam te. Et iterum: Si steterint Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Et Dilectus: Est peccatũ ad mortem, nõ pro eo dico vt oret quis. Christus dixit esse peccatum quod non dimittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Frustra igitur pro tali peccatore oraretur. Et item ipse Dominus solummodo pro iis qui nesciunt quid faciũt orauit. Apostolus non orat pro Alexandro, sed in eum dicit: Reddat illi Dominus secundum opera eius. Pro quibusdam autem aliis, ait: Non illis imputetur. Est & regula scripturæ: Si vir in virum peccauerit, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? B. Petrus nõ audet Simoni Mago certam vel pœnitenti & oranti promittere indulgentiã ob eximiam sceleris grauitatem, sed ait: Pœnitẽtiam age ab hac nequitia tua, & roga Deũ, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Et pleraque alia adduci possunt.

Ierem.7. *Ibid.15.* *1.Ioan.5.* *Matt.12.* *Luc.23.* *2.Tim.4.* *1.Reg.2.* *Act.8.*

Vt igitur huiusmodi sententiis idoneè possimus satisfacere: fateri debemus ad nos qui pondus peccatorum, & illud Dei iudiciũ ignoramus, quo iam despexisse quosdam dicitur, attinere vt omnium salutem optemus, & sic pro omnibus orare oportet vt ait Apostolus, quousque pareant nobis quæ in contrariũ sunt adducta. Pro omnibus ergo, etiam inimicis orandum est. Est nanque duplex considerandа inimicitia, aut qua parte nos tangit, & dimittere tenemur, quia dimisit nobis Deus cum inimici essemus. Et scriptum est: Dimittite & dimittetur. Et orare iubemur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Aut qua parte Deum tangit. Et cum sit Deus ipse generaliter paratus dimittere, nisi (vt dictum est) in quibusdam, quos ignoramus, ideo vult etiam generaliter pro cunctis orari, vt possit congruentius dimittere. Ipse enim sic iussit: Orate pro persequẽtibus & calumniantibus vos. Non enim volũtatis eius est mors impij, sed magis vt conuertatur & viuat. Non obstant autem quæcunque leguntur vel in psalmis, vel aliis scripturæ locis, vbi videtur sæpe fieri oratio terribilis aduersus inimicos. Intelligẽdum est enim ea propheticè dicta esse enuntiando quod vident fore ipsi prophetæ: vel ex zelo iustitiæ etiam hoc appetendo, quod iustum esse, & iam certo decreto conspiciunt in iudiciis Dei sancitum. Pro excõmunicatis autem priuatim, & priuata oratione licet orare.

Luc.6. *Ibid.*

Illud magis obstare videtur quo minus pro omnibus sit orandum: quoniam vt habet ratio prædestinationis, non sunt omnes homines ordinati ad salutem, sed plurimi (vt quidam volunt) reprobati. Vt quid igitur pro illis oretur, qui adipisci salutem non valeant, cum non sint ad illam ordinati? Mitto ridicula quorundam commenta dicentium reprobatos à Deo posse salutem adipisci: quia scilicet posset, aut potuisset Deus non reprobasse. At nos iam constituimus illum reprobasse: & de reprobato quærimus sic existente, an possit simpliciter saluus fieri. Alioqui & de iam damnatis & in inferno existentibus verum similiter esset, quòd posset, aut potius potuisset Deus non damnasse illos. Orandum ergo esset & pro illis: quod est dementis hominis fateri.

Alij ergo asseuerant ea ratione etiam pro non prædestinatis orandum esse, cum prorsus simus nescij quinam prædestinati sint, & qui reprobati. Nec vana futura est nostra oratio: quãdo quidem si illis non proderit, orãtibus tamen proderit: iuxta illud, In quamcunque domum intraueritis dicite, Pax huic domui, Et si quidem fuerit domus digna, pax vestra veniet super eam. Sin autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. At hæc certè repugnant subsequentibus Apostoli verbis: *Hoc enim* (ait Apostolus) *bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ecce ergo ad quẽ finem Apostolus docet pro omnibus esse orandũ, nimirum: quia vult omnes homines saluos fieri, vt sic omnibus possit prodesse oratio. Non autem dicit: Si non omnes poterunt saluari, oratio vestra reuertetur ad vos. Quamobrẽ apertus est magnis & acribus disceptationibus, iis qui se extricare nolunt, locus.

Matt.10.

Etenim reperiũtur nonnulli qui adduci non possunt, vt admittere velint hanc Apostoli sentẽtiam vniuersaliter esse veram ad ipsorum verborum integritatem. Obiiciunt quippe: Si Deus (inquiunt) ita simpliciter & absolutè vult omnes homines saluos fieri: Ergo omnes homines salui fiũt. Quid enim eius potẽtiæ resistere posset? Sed non omnes salui fiunt: Ergo non vult Deus simpliciter omnes homines saluos fieri. Hoc est argumentum quod tanti faciunt, vt sibi persuaserint insolubile: Quod vehemẽter admiratus sum. Itaque hunc locum sic exponũt: Velle Deum omnes homines saluos fieri, id est, Nemo assequitur salutem, nisi quem ipse velit. At hæc glossa violenta est prorsus, quæ nulla ratione aut exemplo fulcitur, si rectè cogitaueris, nec sit cum proteruis agendũ. Nec eos iuuat quod afferunt: Omnes in Christo viuificabuntur, intelligentes de vita animæ, ac propterea eo pacto exponentes, hoc est, Nemo viuificabitur nisi per Christum. Sed nec est bona intelligentia hæc, nec loci illius propria. Manifestè enĩ de resurrectione corporis erat sermo: & vniuersaliter erit verum quòd omnes resurgẽt. Et illam glossam nullo modo ferre potest litera, quæ similitudinem adhibet: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. In Adam autem vniuersaliter omnes morti addicti sumus. Itaque vt stet æqua lanx ex parte Christi, oportet & in illo omnes ad vitam restitui. Æquantur enim in contrariis illis vitæ & mortis effectibus Christus & Adam.

Quomodo verum sit velle Deũ omnes homines saluos fieri.

Afferunt & alia quædam exempla, quibus istam glossam defendant, quæ sunt à nobis aliàs efficaciter confutata: nec est operæpretium denuo repetere. Aliam ergo glossam afferunt ad hunc textum, aiẽtes: Deus vult omnes homines saluos fieri, hoc est, de omni hominum genere, id est, Iudæis, Græcis, Barbaris, aut maribus, fœminis, adultis, pueris, liberis, seruis, & huiusmodi variis hominum generibus. Sicut dixit Dominus: Decimatis omne olus. Aut sicut dicitur: Omne animal conclusum est in

Luc.11.

arca, id est, omne genus siue species oletis, & omnis species animalis. Sed nec placet hęc expositio: quia in exemplis genericum nomen distribuitur per vniuersalem notam, & ideo non ineptè distribuitur in suas species. Genus enim primùm in species diuiditur. Atqui in proposito sermo est de hominibus, in quos nõ cadit huiusmodi distributio. Cũ enim dicimus, omnes homines, iuxta proprietatem & rigorem sermonis, nullum excludimus. Aut saltem si figurata fuerit locutio, maiorem hominum partem includimus. Quod profectò non esset verum iuxta hanc positionem, qui volunt Dominum Deum velle longè incõparabiliter plures homines in æternum dãnare, quàm saluos facere.

Est igitur & alia expositio: Deus vult omnes homines saluos fieri, id est, vult vt nos velimus quòd omnes homines salui fiant. Sic dicitur Spiritus postulare pro nobis, hoc est, postulare nos facit. At si verũ citra passiones amamus, sic exponere non est exponere, sed destruere. Nec est verũ quòd Deus velit nos velle omnes homines saluos fieri: si verũ hoc sit & nobis exploratum (vt volunt) quòd ipse non vult omnes fieri saluos. Non enim volt Deus nos velle quicquam contra voluntatem & determinationem suam nobis notam. Explodenda igitur hæc est, cum aliis eiusmodi, expositio.

Rom.8.

Vniuersaliter autem contra omnes istas glossas primò istud facit nimirum: Vbi tanta apparet opinionum varietas, potest facile coniectari falsitas. Nam nec ipsi qui has glossas commẽti sunt, in suis illis glossis possunt conquiescere. B. Augustinus in epistola ad Vitalem, postquam quasdam attulit ex supradictis, cum animaduertisset minus aptè congruere, adiecit: Vel si quo alio modo potest intelligi, dum modo non obstet scripturę veritati. Secundo: Quia vanissimo argumẽto ad has glossas agglutinandas mouentur. Ab eo enim quòd non saluantur omnes, deducunt esse falsum, velle Deum omnes homines saluari: quia Dei voluntas non potest frustrari. Et non considerant aliter atque aliter voluntatem Dei debere accipi. Nam qui peccãtũ definit esse dictum, factum, cõcupitum contra legem Dei, oportet vt concedat, si fit peccatum, illud fieri contra voluntatem Dei. Nec enim essent peccata, nisi essent contra voluntatem Dei. Fit ergo aliquid, imò fiunt assiduè multa, cõtra ipsius Dei voluntatem, quibus prouocatus Deus vltionem exercet, & punit contra suam ipsius volũtatem agentes. Nam si ab initio creaturæ repetere scripturam voluerimus: Primus homo contra volũtatem Dei egit. Cain contra voluntatem Dei fratrem trucidauit. Et ita discurrere per scripturam nullo negotio possumus, vbi omnes qui peccauerunt, apertè contra Dei voluntatem egisse monstrantur. In hoc igitur est multorum deceptio, qui (vt dixi) non aduertunt Dei voluntatem aliter esse atque aliter intelligendam. Est enim voluntas Dei quædam deliberata, quam vocant beneplaciti: & contra hanc nulla vis & potentia quicquam potest, quominus fiat quod Deus fieri vult. Sed est alia Dei quædam voluntas, quæ vult nos non peccare: & ideo mandat ne peccemus. Et consequẽter vult nos saluos fieri: sed non immobili ac deliberata voluntate illa, cui resisti non potest. Sed quia ex se præparat omnia ad salutem necessaria, & vnicuique pro tempore opportuna, vt si velit quisque saluari possit, rectè dicitur, Deum velle nos saluari, si tamen & nos ipsi velimus. Et bonam hanc eius voluntatem agnoscimus, dum vocat ad salutem. Nunquid ergo vocat nolens eis conferre salutem? Absit. Conquerebatur ille aduersus Ierusalem quæ salutem vocata recusabat. Quoties volui (inquit) congregare filios tuos sicut gallina sub alis, & noluisti? Et iterum: Deus non vult mortẽ peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Et Apostolus: Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Audi verò in quem reiiciat dãnationis integram culpam. Tu autem secundũ duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, &c.

Matt.23. *Ezech.18.* *Rom.2.*

Adhæc: Quoniam multi authoritate B. Augustini nituntur, ipsemet non constãter illud perpetuo docet: sed longè rectius quibusdam locis scripsit, vt propria disputatione ostendimus. Et omnes alij qui ante B. Augustinum floruerunt in ecclesia, quique post venerunt, in illum benigniorem sensum intellexerunt. B. Ioannes Damascenus, Chrysostomus, Hieronymus, Thomas noster, Caietanus etiam, & multi alij graues doctores.

Denique illud me valdè mouet: quoniam hic locus si velimus præcedentia cum subsequentibus aptè cohærere, destruit prorsus hãc ipsorum opinionem & glossas. Monet etenim pro omnibus hominibus orandum esse: quia hoc est bonum & acceptum coram Deo. Et addit causam: *Quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c.* Expone modo vt isti volũt, & videbis tunc rationem hanc, cur pro omnibus orãdum sit, nihil prorsus habere virium ad hoc probandum. Quin obstabit potius ne pro omnibus oremus: quia nõ omnes possunt fieri salui. Similiter male conueniret quod sequitur, *Vnus enim Deus*, videlicet omnium, sicut alibi declarat: An Iudæorum tantum Deus? Nonne & Gentium? Imò & Gentium, &c. Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Vnus enim Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Et B. Petrus. Non est acceptor personarum Deus, sed in quacunque gente qui timet Deũ, & facit iustitiam, acceptus est illi. Ab vnitate enim Dei colligitur æqua prouidentia super omnia, quę idem sibi postulant atque exigunt. Quod si hæc ratio non esset valida apud aliquem, cum sit tamen robustissima, adiicitur adhuc & alia.

Rom.3. & 10. *Act.10.*

Quia (inquit) *Vnus & Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Nota verba, prudens lector, & quomodo admitti illa intelligentia possit, rogo, sed mota affectione diligenter pondera. *Vnus* (inquit) *Mediator Dei & hominum.* Non dicit horum hominum, aut illorum, sed hominũ: vt omnes hoc inde finito sermone intelligeres. Quod vt expressius ad hoc restificaretur, adiecit, *homo Christus Iesus.* Ac si dixerit: quia homo fuit, ideo suscepit hominũ causam, vt quicunq; sub hac humana appellatione cõprehẽditur, vt sit homo salute indigens, etiam habeat sibi prouisum hominẽ Mediatorem & Saluatorem. Equidem dum hunc verborum cõtextum animaduerto, mihi videtur Apostolus perinde loq; studuisse, ac si tum negotiũ illi ad refellendas istas glossas iam exhibitũ fuisset. Vide iterũ quid addat, si ante dicta non sint satis ad suadendum. *Qui dedit*

redemptionem ſemetipſum pro omnibus, pro omnibus, inquit. Quid poterat dici amplius?

Cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatũ eſt. Ne diceres, quomodo dedit ſe redemptionem pro his qui iam erát defuncti? Ait fuiſſe teſtimonium huius rei quando dedit ſemetipſum temporibus ſuis: quia ſemel mortuus eſt ad exhaurienda omnium

Apoc.13. peccata, In Apoc. dicitur quod Agnus, id eſt, Ieſus occiſus eſt ab origine mundi, quod propter effectum intelligitur: quia ſanguis Chriſti etiam pro illis valuit qui præceſſerunt. Ideo hic dicit temporibus ſuis datum hoc diuinæ voluntatis teſtimonium: quoniam & ſanguis ille etiam pro damnatis in inferno effuſus fuerat, quanquã illis ob pro-

Hebr.10. priam culpam non profuerit, qui ſanguinem teſtamenti conculcauerunt & pollutum duxerunt, non ſibi applicare volentes. Potuit enim & eis prodeſſe, ſi recipere voluiſſent hoc amantiſſimum & certiſſimum teſtimonium & pignus.

Quòd ſiquis pergat aduerſus hanc diuinam bonitatem, & dicat: Cur ergo non omnes ſalui fiunt, ſi vult omnes homines ſaluos fieri? Reſponſio eſt in promptu: quia illud vult non abſolutè, ſed ſi & ipſi velint. Quòd ſi reiiciant oblatum lumen & gratiam, & hanc diuinam voluntatem fruſtrentur: nunquam hoc erit, quia Dominus quod decẽs fuit ſuæ clementiæ ad eorum ſalutem non præſtiterit, ſed quia (vt ſæpius inculcandum eſt) illi feneſtram diuino lumini occluſerunt. Confitendum tamen eſt illum non omnibus par auxilium præſtare & æqualem gratiam: quia in vno corpore diuerſa ſunt membra, & diuerſos habent actus. Ob eam cauſam ſumma Dei prouidentia ſtatuit ab initio quos prædilexit & predeſtinauit, quorũ nullus perire (vt qui eſſent Chriſti indiuidua membra decreta) debuit. De cæteris autem qui ad eum gradum non ſunt euecti, poſſunt quidem perire ac pereunt multi: & ita perſiſtere, vt perſiſtant non pauci. Quid enim magis alienum, & cum immenſa Dei benignitate ſic pugnans, & ratione ipſa nobis à natura impreſſa, quàm ita de Deo ſentire, vt velit tantam creaturarum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatarum multitudinem ob vnius primi parentis crimen in infernum obruere? Hoc ego horrore motus, rem totam particularibus libellis extimulatus ſum efficaciſſimis rationibus pertractare. Et vehementer gauiſus ſum, cum reſciui non paucos excellenti ingenio, ac probitate inſigni præditos viros noſtras rationes mirabili aſſenſu complexos: qui & reuoluentes accuratius libros Antiquorum, ſuggeſſerunt inter alios, hanc noſtram ſententiam probari ab Antiſtite illo, cuius tanta fuit & eſt adhuc in eccleſia authoritas, vt non alio nomiñe quam Theologus vocaretur, nec illius ſententias auderet quiſquam reprehendere. Hic eſt ille magnus Gregorius Nazianzenus, qui Cæſarij fratris epitaphium ſcribens, indicat certò ſe exiſtimare illũm in Domino mortuum fuiſſe, tametſi non eſſet de prælectis ac prædeſtinatis. Iſtud tamen inde colligebat: quia vir ſæculi fuerat & aulicus. Neque propterea eſſe deſperandum tradit, neque illum reprehenſione dignum, quòd excellentiorem vocationem non habuerit, quæ propria erat prædeſtinatorum. Eius verba in ſua lingua hæc ſunt:

οὐκ ἄξιος μέμψεως. φιλοσοφεῖν μὲν γὰρ ὅσῳ μέγιστον τοσούτῳ καὶ χαλεπώτατον. καὶ οὐ πολλῶν τὸ ἐγχείρημα, ἀλλ' ἐκείνων, ἢ τῶν ὑπὸ τῆς θείας προσκεκλημένων μεγαλονοίας, ἢ τοῖς προηρημένοις καλῶς χεῖρα διδούσης. οὐ μικρὸν δέ, εἰ καὶ τὸν δεύτερον προστησάμενος βίον, καλοκἀγαθίας μεταποιοῖτο. καὶ πλείω λόγον ἔχοι θεοῦ καὶ τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας, ἢ τῆς κάτω λαμπρότητος. Greg. Nazianzenus contra miſſam.

Id eſt, non dignus eſt reprehenſione. Sapientiæ enim diuinæ ſtudere vt eſt maximum, ita & difficillimum. Neque multorum eſt hic conatus, neque aliorum, quàm qui à diuina illa magna mẽte ſunt præuocati, quæ pulchrè manum dat his qui prelecti ſunt. Non parum autem eſt, ſiquis ſecundam vitam ſibi proponẽs, probitatis ſit compos: & maiorem Dei & ſuę ſalutis habeat rationem, quàm terreni ſplendoris. Sentis bone lector, huius glorioſiſſimi doctoris claram pro noſtra poſitione ſententiam? Nempe verba clara ſunt, vnde & alij interpretes illas voces, Præuocatorũ & Prælectorum, ad prædeſtinationem referunt, explicatiſſimè ea voce vtẽtes. Et re vera erat mens veterũ Patrum, cui eccleſiæ praxis ſemper eſt atteſtata: imò qui eccleſiam ipſam ita ſentientem ſequebãtur. Sed ſunt qui gratis pugnare & litigare delectantur, quos ego valere iubeo, & ſua frui ſpinoſa opinione.

In quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus, doctor Gentium in fide & veritate. Auxit ſemper ſermonem copioſius. Plus eſt enim eſſe Apoſtolũ, quàm ſolùm prædicatorem. Et plus ſpecialem doctorem Gentium quàm Apoſtolum ſimpliciter: quia hoc aliquid ſpeciale & inſigne ſignificat. Et hanc prærogatiuã ſanctiſſimè & opportunè extulit ad Galatas, dum ſe cum B. Petro cõparans, ait ita ſibi gratiam ſubminiſtratam cœlitus inter Gẽtes ad ſigna & prodigia, ſicut Petro in circunciſione. Interpoſuit autẽ ad huius rei maiorẽ confirmationem iuſiurandum, *Veritatem dico in Chriſto non mẽtior*: quanquam in Latinis deeſt, *in Chriſto*, ſed bene habet. Gal.2.

At hîc ex euangelio dubium occurrit, Nonne B. Paulus videtur contra præceptum Domini vocare ſe magiſtrum & doctorem? Ille enim dixit: Vos autem nolite vocari Rabbi. Sed hæc prohibitio in eos intelligi debet locum habere, qui nouam doctrinam introducentes, principaliter ſibi magiſterium arrogant. Apoſtolus autẽ omnino diſſimilis, qui in fide & veritate prædicabat ea quę acceperat ſub ſummo Magiſtro Chriſto, qui magis in eo docebat. Et ipſe Chriſto gloriam dabat vt ſoli Magiſtro. Ob eam cauſam ſubiecit illa verba, *In fide & veritate*, Et non ſicut illi qui ambiunt gloriã magiſterij, & de ſuo capite loquũtur: quales ſemper fuerunt, & ſunt hæretici noſtri temporis. Hi enim ſibi arrogant magiſterium: quia & propria ingerũt, & à ſemetipſis, & ſpiritu mendacij loquuntur. Nolite vocari Rabbi, quem ſenſum habeat.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuãtes puras manus ſine ira & diſceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Heua. Et Adam nõ eſt ſeductus: mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.

De loco orationis. *Volo ergo viros orare, &c.* Volo, inquit, hoc eſt, iubeo vt ſic fiat, & in omni loco. At hoc videri poſſet minus cum verbis Domini conuenire aientis:

Matth.6. Domus mea domus orationis vocabitur. Imò & locum magis intimum docet alibi, nempe vt intretur in cubiculum, quo clauſo orandus ſit Pater cœleſtis, Quomodo igitur dicit Apoſtolus, in omni loco? Reſpondetur: Vbicunque Deus eſt, ibi locus aptus orationis eſt. At ille vbique eſt: ergo vbique orari poteſt. Et nihiloſecius decentiam ſeruãdam omnino quis negare poteſt? Sũt quædam prophana loca, quorum impuritas prohibet ibi orationẽ, præſertim publicam, fieri. Nã & ipſe locus etiam debet eſſe ſanctus & ſeparatus. Reddit autem locũ prophanum, ſi dicatus ſit Idolis & falſis diis: aut ſi eſſet caupona & proſtibulum: aut locus peccato dicatus & turpitudini, & ludis, ſcenis, nũdinis, &c. Etſi enim B. Agnes in lupanari poſita orauerit nõ obeſt. Nam ſua ſanctitate & martyrij iam cæpti merito ſanctificauit locum. Cui obſcurum eſt, quo modo Dominus ab initio certum elegerat locum ſanctum ad cultum, nempe Ieruſalem? quæ ob iſtã cauſam dicta eſt ciuitas ſancta. Eo nanque tempore totus mundus idolorum cultura prophanatus erat. Nec tamen ob id ſolùm: ſed inſuper ob futurorum ſignificationem: quia in eccleſia tantum futurus erat locus orationi, quæ per Ieruſalem ſignificabatur. At poſtquam venit Redemptor, & extra ciuitatem fudit ſanguinem, mundata ſunt penitus omnia. Et ob eam cauſam Samaritanam eru-

Ioan.4. diens: Veniet hora (inquit) & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Deus ſpiritus eſt, & qui adorat eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quare adorare modo in Ieruſalem potius quàm alibi, cum ſint omnia per Chriſtum ſanctificata, ſuperſtitio eſt. Intrare autem in cubiculum non iubemur propter locũ, ſed vt fugiamus aſpectum vulgi & ſtrepitum, & attentæ orationis impedimenta, & item propter inanem gloriam: quæ omnia in priuatis orationibus locum habent. Alioqui templum Dei eſt publicus orationis locus. Dixit ergo Apoſtolus, *in omni loco*, ad Iudaicam ſuperſtitionem extirpandam, qui nullam vim orationi tribuebant, niſi ei ſoli quæ Ieroſolimis tantum funderetur. Neque tamen ſic laxat facultatem hanc B. Baulus, vt cum fieri poteſt, non ſit longè fructuoſius, & Deo gratius in tẽplis conſecratis orare, quam allis locis. Nam oratio ardentius excitatur, & facilius citiuſque à Domino exauditur. Quis enim vir pius non moueatur tenerius apud ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramẽtum ſupplex orans, quàm ſi domi reſideret à tanto Me-

Act.3. moriali remotior? Nonne & Apoſtoli peculiarem huius exercitij locum habebant? Petrus & Ioannes aſcendebant in templum vt orarent, ait ſcriptura. Et nedum loca, ſed & ipſas horas ſtatas obſerbant. Hæc omnia optimè ſunt ab ipſa Matre eccleſia ordinata: vtinam ita obſeruarent eccleſiæ filij. Melius ſanè nobiſcum ageretur, & ſanctius viueretur.

Leuantes puras manus, vt innocentiam intelligas eſſe comitem orationis. Nam oratio furis, & ſacrilegi, & adulteri, & talium, quantum valeat ſi non ſit cum pœnitentia, facile eſt intelligere conſiderãti an ſit iuſtum vt aliquid impetrare debeat offendens ab offenſo, quandiu in offenſione perſiſtit: niſi velit ab offenſa recedere, & veniam ſupplex implorare. Addit:

Sine ira & diſceptatione. Oratio enim pacatum animũ exigit erga proximum. Vnde exigit dimiſſionem: quia non eſt iuſtum dimitti velle, & dimittere nolle. In oratione Dominica continetur hac conditione petitio: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut dimittimus debitoribus noſtris. Ideo ait, ſine ira, id eſt, ſine appetitu vindictæ: & diſceptatione. Diſceptationem vocat illam in animo altercationem, quam facit qui iniuriam ponderat accuſans alterum, ſéque iuſtificat: vt accidit in his qui animi indignationem ferunt.

Similiter & mulieres in habitu ornato, &c. Apoſtolus vult ſimiliter mulieres in omni loco orare, congruo tamen (vt dictum eſt) ſed in habitu ornato, Græcè κοσμίῳ, id eſt, decenti & mundo. Et hoc pudicè & ſobriè, id eſt, tẽperatè, *non in tortis crinibus*, Falluntur qui hoc B. Pauli præceptum putant ad tempus fuiſſe in primitiua eccleſia: quia tunc mulieres quæ ſe Chriſtianas profitebantur, huiuſmodi lenocinia ad ſe abdicabant tanquam ſuperflua & vana. Non conſideratè dictum eſt: quia hoc ad exigẽtiam Chriſtiani ſtatus requirebat Apoſtolus qui exigitur omni tempore. Et hoc magis præcipi debuit iſto tẽpore, quando non fit, quàm illo quãdo (vt ille dicit) hoc ſua ſponte mulieres faciebãt. Imò aliquid quadam conniuẽtia relaxari debuit de eo quod fieri decebat, ne ſeueritate nimia minus allicerẽtur ad fidem & cultum Dei veri. Nam multa tunc condonabantur ob iſtam gratiam, vt patet circa matrimonia & cibos: quia adhuc multi erant infirmi in fide, ſuauiter ablactandi.

Sed inſtant aliqui, & B. Cæciliam proferunt in medium, quam aiunt aureas geſtaſſe veſtes. Sed quis iſtud tam facile crediderit? Quis vnquam veſtes aureas geſtaſſe legitur? Fortè aliquo modo auratas. Faciebat autem illud inuito animo & nolenti, vt credendum eſt, & ea adhuc ætate quum ſui iuris non eſſet, cũmque tantiſper adhuc erat diſſimulandum, ne fortè ſui vnius occaſione tota familia à perſequutoribus fidei detrimentum magnum pateretur. Cum dies aduenit martyrij, declarauit quãta delectatione ea omnia ferebat. Addo & illam ſanctiſſimam virginem potius ad primitiuam eccleſiam pertinuiſſe in recenti illa Gentilium ad fidem conuerſione, qui ea norma tractandi erant, qua & Chriſtus diſcipulos ſuauiſſime regebat, nõ imponens perfectiora ieiunia, ne aſſutus veteri pãno nouus rumperet indumentum. Multa tolerantur ab initio, quæ homines ſponte ſua reiiciũt, vel remiſſiore vſu diſſuũtur, vt in noxiis amicitiis & inanibus fieri vult prudentia. Et reuera Apoſtolus communem ponebat legem mulieribus, non reginis & ſublimioribus perſonis. Tametſi nec illas

Universidad de Deusto Biblioteca

ab hac lege(ne sibi falsò & perniciosè blandiãtur) excipit, si rectè intelligatur. Præcipit enim mulieribus ea verecundia & honestate indumentorum esse vtendum semper:sed tum potissimum cùm ad ecclesias orandi causa se conferunt,quẽadmodum B. Chrysostomus docet, qui egregiè reprehendit istam mulierum corruptionem. At hodie(proh dolor)nusquam se ad luxum ac superbiam maiori anxietate ornant, quàm dum se coram Deo offerre (si tamen sit offerre) præparant.

Sed ne videamur seueriores,placuit ipsius beati Ioã. Chrysostomi sanctã in hunc mulierum abusum increpationẽ afferre,ait:Quid dicis? Deum oratura pergis,& ornamenta aurea circunfers,flauosque crines,& ipsos auro compositos? An saltatura ad ecclesiam pergis? Nunquid hîc nuptias & lasciuiæ oblectamenta conquiris? Num vt spectaculum tui præbeas aduenisti? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Illîc nempe monilia: illîc ornamenta aurea: illîc ornatus crinium: illîc pretiosa vestis locum aliquando fortassis habeat. At nunc nullo tibi huiusmodi ornatu atque apparatu opus est. Accessisti vt Deum pro peccatis tuis suppliciter depreceris, vt tuis in illũ sceleribus veniam cum gemitu ac lachrymis petas. Accessisti vt Dominum tibi propitium facias:quid teipsam ornari improbo atque intempestiuo studio contendis? Non est iste supplicis habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes ac lachrymas fundere, atque intentissimè(vt decet)orare,quæ eiusmodi ornatu compta procedis? Nam etsi lachrymas fuderis,risum cernentibus huiusmodi lachrymæ mouebunt. Neque enim auro amicta debet incedere, quæ lachrymas pro peccatis profundere intendit. Est enim potius scena quædam atque simulatio, si ex eodem animo ex quo tanta sumptus magnificentia tantaque ambitio prodiit, inde etiam profundi lachrymas viderint. Amputa omnem huiusmodi simulationem: circuncide abs te omnem illum scenæ atque histrionum gestum. Deus profectò non irridetur. Ista mimis & saltatoribus relinquenda sunt. Sobriæ atque ornatæ mulieri nihil eiusmodi congruit, *Cum verecundia*, inquit, *& pudicitia*; Noli igitur eas imitari quæ meretricio feruntur incessu.

Et ita hãc vanitatem persequitur dulcis ille Doctor,& meritò. Nonne prudẽtiores sunt in sua generatione mendici,inopes,& vulneribus, mẽbrorúmque mutilationibus affecti homines calamitosi, qui adhibent ad commiserationem mouendam eiusmodi artem, vt nedum mala contegant, sed importuna voce explicent, quò transeuntium possint opibus iuuari. At nos corã summo Medico
Apoc.3. Deo ita nos gerimus,ac si nulla animæ vulnera,nullas peccatorũ sordes haberemus,sed diuites simus: & non videmus nuditatem nostram. Miror sanè prudentiam maritorum qui ab vxoribus sese,quò illis placeant,ornare fingentibus, tam facile seducuntur, non considerantes quod procorum oculi coniiciantur. Neque enim viris cedunt in concupiscendo mulieres. Nam si qui ieiuniis se affligunt & carnem castigant,& orationibus vacant, occasionesque fugiunt, non possunt tamẽ fugere quin sexus discretionem sentiant,quid de iis iudicandũ quæ oleum igni addunt? Qui mihi non credunt,recurrant ad Isaiam, & ponderẽt quam seuerè Deus immodicum ornatum vlciscatur. Imò verò non erit alienum verba ipsa hûc afferre,vt & concionatores, & qui audiunt confessiones non tam facile istud peccatum dissimulent. Etenim si Deus naturalibus ramis filiabus Sion nõ pepercit,nec ramis quondam oleastri ignoscet,ait Isaias. Et dicit Do- *Isa.3.*
minus:Pro eo quòd elatæ sunt filiæ Sion,& ambulauerunt extento collo: & nutibus oculorum ibãt & plaudebant,ambulabant,& pedibus suis composito gradu incedebãt: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion: & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamẽtum calceamentorum,& lunulas,& torques,& monilia & armillas,& mitras,& discriminalia, & periscelides,& murenulas,& olfactoriola, & inaures: Et anulos,& gemmas in fronte pendentes, & mutatoria,& palliola,& linteamina & acus: Et specula,& sindones,& vittas & teristra. Vide quàm diligenter dignatus est per illum prophetam Dominus exprimere omnem mundum muliebrem, quem ipse auersatur, & seuerè minatur sublatum iri:quod ad magnam ignominiam satis esse videri poterat. Et tamen non sedatur Deus his ablatis superbiæ spoliis,nisi & superbo ornatui succedat maxima turpitudo,addit igitur: Et erit pro suaui odore, fœtor:& pro zona, funiculus: & pro crispanti crine,caluitium:& pro fascia pectorali, cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui in gladio cadent: & fortes tui in prælio. Et mœrebunt atque lugebunt eius portæ,& desolata in terra sedebit. Hæc Dominus per prophetam.

Hæc lectio vanis mulierculis est cantanda,& ea omnia quæ veram humilitatem promouent: non autem tradendi sacri libri,non proponendæ de fide & iustificatione,libero arbitrio,prædestinatione quęstiones. Hæc à nobis scribi debent animose,qui tantam regnare videmus vestium pompam & oculorum lasciuiam,vt sint ecclesiæ theatra(bona pace honestarũ matronarum sit dictum)procorum & luxuriantium. Nam quas preces fundere, quos gemitus potest,quæ ita põposa pergit & ornata,vt non ad ecclesiam, sed ad nuptias & tripudia videatur inuitata? Longè aliter vixerunt sanctę mulieres etiam veteris testamenti,quarum exemplo Princeps Apostolorum vtitur,vt dulciter honestas mulieres ad sanctam æmulationem alliceret,cuius verba hęc sunt: Similiter & mulieres subditę sint viris suis:vt & siqui nõ credunt verbo,per mulierum conuersationem, sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circũdatio auri, aut indumenti vestimẽtorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctę mulieres sperantes in Deo ornabant se,subditæ propriis viris, &c. Summus omnium parens Deus noster post lapsum primi parentis nos nostri status commonefecit:& quæ decerent vestes, quibus se exules tegi deberent,docuit:dum vestes pelliceas confecit primis parentibus,statum indicẽs mortificationis & luctus à nobis assumẽdum, non risus & deliriarum, tantarúmque vanitatum. Audiamus Apostolum quid requirat à sanctis mu-

lieribus post repudiata illa ornatus lenocinia:ait, *Sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* At quæ pietas potest esse absq; luctu? Quid autem sine pietate Deo placebit vnquam? Lugere igitur obligamur si Sponsum verè amamus,eique absenti & nobis sublato fidem seruare velimus illæsam. Stat post parietem volens interim probare Deus absconditus, quos habet veros amatores, & regio tandem thalamo dignas sponsas,& hoc per
Ioan.14. opera bona. Nam qui seruat mandata ille est qui diligit,non qui solùm credit. Et hic locus contra Lutheranos pietatis opera nihili pendentes, quibus sola fides ad iustificationem suppeditat omnia:ita vt eorum mulieres possint liberè se polire, & indui purpura & bysso. Hæc enim non nocebunt modo fidem teneant. At alia est Apostoli doctrina, Per opera bona,inquit,promittentes pietatem. Vt autem nihil relinquamus intacti, Scimus positum esse apud Scholasticos in controuersiam, Sit ne peccatum mortale mulieribus, quæ se plus quam par sit ornant? Quo vitio omnes fermè implicãtur Christiani orbis mulieres. Et si quæ huic vanitati desunt,id non volũtas efficit,sed quia per facultates domesticas non licet. Qui hac de re dubitant,malæ causæ perniciosi mihi videntur patroni. Quotquot enim Sanctorũ libros legerim, omnes magno consensu huiusmodi abusus vehementer insectantur,in quibus non vnum peccatum tãtum viget,sed plurima:inest superfluitas, vanitas, impudicitia,inanis gloria,libidinis incentiuũ,contemptus proximi,interitus pauperum, pessimum à matribus ad filias,& ad filiarum filias trãsfusum exemplum. Inde excrescunt in immensum dotes, vt multis parentibus repentè canos & rugas ante legitimam caniciem hęc cogitatio acceleret. Nam vicinorum æmulatione dum nullus ab alio patitur se superari, multas(alioqui mediocriter fundatas) familias vidimus corruisse.

Mulier in silentio discat cum omni subiectione, &c. Lingua,& qui per linguam habetur sermo, præcipuum est doctrinæ instrumentum. Qui igitur pręest,dicere debet,& docere. Qui verò subditus est, audire,discere,& silere. Mulier ipsa subdita est viro: discat ergo in silentio, nimirum in humilitate. Sic scripturæ hac voce vtuntur. Et in omni subiectione. Nulla enim ratione permittitur ei docere, *aut dominari*, siue authoritatem sibi præsumere, *in virum*. Hic locus manifestè de coniugata intelligitur. In eundem sensum quo aliàs legitur: Mulie-
1.Cor.14. res in ecclesiis taceãt: non enim permittitur eis loqui,sed subditas esse,sicut & lex dicit. Obiter tamen aduertẽdum (ne cuiquam fiat iniuria) Et si nullo modo sit cuiusquam mulieris officium docere, si qua tamen mulier singulari Dei gratia esset dotata(Deus quippe est omni lege solutus) quæ hoc præstare, quando opportunum videretur,valeret, minime esset impedienda, præsertim prophetiæ donum habens,quin liberè loqui ei licitum esset sicut de Oldam legitur & Dabora quę
Iud.4. iudicabat populum Israel, quemadmodum in libro Iudicum clarè habetur. Nonne & Apostolus ipse monet,si cui fuerit reuelatum,prior taceat?

De B. Catharina Senensi. Scimus enim gloriosam illam,& vnam ex Christi sponsis charissimam sponsam B. Catharinã Senensem docuisse olim,& conciones magna cũ laude in etiam publico summi Pontificis cõsistorio habuisse. Hæc tamen non sibi vsurpauit tanquam ex officio ad se pertinerent:sed cum bona venia ipsius Christi Vicarij, qui optimè in illa recognoscebat verum inesse Dei Spiritum,& charitatis ardorem ad ædificationem ecclesiæ datum in illis turbulentis temporibus,quando schisma vigebat. Et Deus optimus & sapientissimus eligere solet infirma mundi,vt fortia quæque confundat. Ista tamen sunt rarissima, & quæ in exemplum trahi minime conuenit. Vnum illud immaculatæ Dei Matris exemplum plus quàm satis omnibus mulieribus esse debet,quæ cum omni sapientia, doctrina, prophetiarum donis cumulatissimè esset (vt pietas Filij erga Matrem postulabat) dotata, nusquam tamen in Euangelistis legitur in ecclesia docuisse,hoc tantum, Maria autem conseruabat omnia hæc conferens in corde suo. Non tamen est vllo modo dubitandum, quin & ipsi Apostoli & Euangelistæ multa didicerint ab ista primaria Sponsa,quæ eisdem reuelauit de toto incarnationis mysterio,quæ Deus per illam tanquam fidelissimam testem manifestari voluit. Quis enim Filij amator non fuisset delectatus omni hora pendere à Matris Dei vberibus,& audire illam quæ Angelos (vt sancti docent) vincit puritate & sapientia & gratia?

Adam enim primus formatus est, deinde Heua. Et Adam non est seductus. Hîc ab Apostolo adiungitur ratio,cur potius in silentio discere, quàm publicè docere teneatur,nimirum à primo antiquo peccato,quando se permisit à serpente seduci. Semel enim loqui voluit,& omnia peruertit. A muliere *Eccl.25.*
(inquit scriptura)initium peccati,& per illam omnes morimur. Vir quidem ipse non fuit seductus, cuius dignitatẽ inde probat, quia scilicet primus formatus est,deinceps mulier. Argumentatur autem merita pœna plecti mulierem,quæ tanta leuitate à dæmone victa est, cui nimium faciles præbuit aures. Virum autem non est ausus adoriri callidus,ne repulsam pateretur, & victoriam optatã amitteret. Itaque mulier quæ perniciosissimè docuit,debuit à viro discere,ne vlterius tanquam vna de stultis mulieribus,vt B.Iob vxori obiecit,loqueretur.

Porrò contra vtramque rationem occurrere,potest huiusmodi quæstio: Colligere nanque aliquã inde dignitatem, quòd prius aliquid creatum sit, non videtur admodum efficax & vrgens argumẽtum. Nõne ipse homo formatus est post reliquas creaturas & omnia animãtia,quibus tamen dignitate longè antecellit? Dicimus igitur aduertẽdum esse, dici aliquid primum duplici consideratione, intentione scilicet & tempore. Quod intentione primum est,dignitate quoque primũ est. At quod primum tempore,non semper:Sed ita demum, si clarè pateat non esse creatum propter illud quod subsequitur. Exẽplo illustremus: Creata sunt prius elementa,& animãtia rationis expertia, quàm homo. Clarissimum autem est propter hominem esse condita,vt inueniret homo ea parata, in quibus consisteret,& quibus præesset. Scriptum est enim Faciamus hominem vt præsit. Prius itaque oportebat esse & locum vbi conderetur,& terram ex qua & cætera quibus præesset. At in his quæ videri pos-

Quomodo ab origine rei liceat dignitatem colligere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſent non habere hunc ordinem,quodcunque primò creatum fuit,dignius fuit. Primò enim creati ſunt Angeli quàm homines:& prius cœlum quàm terra:primùm ſol,quàm luminaria cætera: & primò vir quàm mulier. Quin & illud obſerua,mulierem ex viro tanquam ex principio productam. Quodcũque autem ex alio eſt,ſi vnius ſint ſpeciei, authoritate quadam & originis prerogatiua exceditur,præſertim ſi qua alia ratione differant. Hoc
1.Cor.11. Apoſtolus alibi ponderauit:Non enim vir ex muliere,ait,ſed mulier ex viro. Neque vir propter mulierem creatus eſt,ſed econuertò, mulier propter virum. Vnde conſentaneum optimo ordini, vt virum pro capite recognoſcat mulier, quemadmodum & vir pro capite Chriſtum venerari debet.

Secundò,Mulierem fuiſſe ſeductam,non autem virum quomodo à ſcriptura probabimus? Apparet enim quòd vir comedit ſicut & mulier,licet illa prior. Satis eſſe hoc teſtimonium Apoſtoli de-
2.Cor.11. bet:qui & alibi dixit:Timeo ne ſicut ſerpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua,&c.quãquam de ſeductione mulieris conſtat in ſcriptura, quæ docet Heuã ad ſuaſionem ſerpentis quieuiſſe:& ipſamet ſe coram Deo excuſans fatetur ſe fuiſſe ſeductam, aiẽs:
Gen.3. Serpens decepit me,& comedi. Adam verò non ita reſpondit,ſed in mulierem culpam reiecit,imò in ipſum Deum infœlix:Mulier,inquit, quam dediſti mihi ſociam,dedit mihi,& comedi. Satis ergo colligitur de ſcriptura ſeductio mulieris,& nõ viri. Verùm vlterius quæret aliquis:Nam hoc ipſo poſito, non patet adhuc iure propterea colligi debitam mulieris ad virum ſubiectionem. Seductio enim,quæ errorem parit & ignorantiam,peccatum ſolet nedum grauius exaggerate, ſed extenuare potius, & plurimum ad miſericordiam offenſi animum flectere. Nonne Apoſtolus fatetur ſibi ignotum fuiſſe propter ignorantiam? Iraque vir ipſe vel ex hoc potius ſub muliere conſtitui debebat, à qua erat ſuperatus: ſicut ambo ſunt ſub diabolo conſtituti: quoniam ab eo ſuperati ſunt. Reſpondemus,ſeductionem illam magis culpabilem in illius perfectione ſtatus extitiſſe, vt quæ à maiore concupiſcentiæ affectu, & ſuiipſius amore erupit. Vnde ortus eſt præcepti diuini contemptus:imò & verbo diuino perfidia derogatum eſt. Nam dicenti Domino: Quandocunque comedetis,moriemini,non credidit ſummæ veritati. Credidit autem diabolo ſerpenti mendaciorum patri contra Dei ſententiam dicenti: Nequaquam moriemini. Vir autem velut qui febre æſtuat, amore vxoris pellicientis comedit penè inuitus. Certò enim ſciebat hanc præcepti præuaricationem diſplicere Deo:& culpæ huius ream ſtultiſſimè vxorem conſtituebat, vt poſtmodo expreſſit. Decuit igitur vt mulier ei ſubderetur, à quo ſe auertendo peccauit. Fateor quidem ſecundum peccati meritum debuiſſe virum ob inſignem ſtoliditatem ſub di mulieri,cui paruit. Sed hoc ſi non inſtauraſſet eos Deus,peccatum dimittens in Chriſto, & nouum ſtatum merẽdi non præparaſſet,in quo oportebat rem reducere ad conuenientem ordinẽ. Decet autem & bonum eſt, vt mulier ſubdatur viro. Propterea dum nouum pactũ ſtatuere voluit,hoc dictum eſt in illam:Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Quod igitur prius in antiquo pacto ob viri dignitatem (licet longè fuiſſet minus: quia ſocia erat verius quàm ſubiecta viro mulier) auctum poſtea fuit ob ſuam ſpecialem culpam,& facta eſt ſubdita,non tamen admodũ ancillæ, quæ vt iumentum quodam modo ſeruit. At vxor ad opera carnis,& domus erectionem,& gubernationem domeſticorum ſeruire debet viro,& ad imperium eius miniſtrare illi & domui. Sic & in ſpiritualibus:vir ita in eccleſia debet à prædicatore addiſcere,vt potis ſit & mulierem docere domi.

Nunc velim mihi reſpondeant qui volunt omnes poſſe ſcire & docere ſcripturas. Manifeſte excluſam hîc vides mulierem, quæ tenetur ſub viro diſcere. Dicet quiſpiam: At in Chriſto non eſt maſculus neque fœmina. Vnde videtur omnis differẽtia ſufferri. Reſpondetur paucis,iſtud nimirũ quantum ad finem verũ eſſe,quia neque maſculus fœminæ præponitur, quin poſſit & illa ad fœlicitatẽ in Chriſto contendere:interim tamen quilibet in ſuo ordine & ſtatu,donec illa veniat dies quando neque nubent neque nubentur. Et vt dixeris: Si Deus per Chriſtum illi peccato pepercit, cur adhuc ea pœna mulierem plectit ne ſubiaceat viro? Neque enim ita ſancitum eſt vt ſatisfaciat peccato,quod ſatisfactione Chriſti ſublatum eſt, ſed vt mereretur in ea ſubiectione per humilitatem & taciturnitatem,quæ per animi elationem, & lubricã linguam lapſa eſt:quia & in Chriſto non ſine merito quiſquam obtinere poteſt palmam: ideo ſequitur:

Quomodo mulieres diſcere debent.

Saluabitur autem per filiorum generationem. Verùm mox oritur dubium:quoniam videtur hîc virgo & ſterilis mulier à ſalute præſcindi,cum dicat mulierem fore ſaluam per filiorum generationem. Imo virgo potius ab hac ſentẽtia libera eſſe declaratur. Nam beatus Paulus manifeſtè de his quæ coniugio iunctæ ſunt,loquitur. Vnde non excludit alias à ſalute,quę meliorem vitam elegerunt,vt ſint ſanctæ mente & corpore,& totæ ſeruiant Deo. Sterilis autem quæ non parit, affectu ſaltem meretur: & quia ſe re ipſa ſubdit viro,vt generet Deo quantum in ſe eſt. Verum addit: *Si permanſerint in fide, & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.* Quidam hoc referunt ad filios. Alij ad mulierem & virum. Sed nunquid pendet mulieris ſalus ex viri fide,aut filiorum? B. Auguſtinus myſticè exponit,per filiorum generationem,id eſt,per opera bona. Ego verò exiſtimo Apoſtolũ de ipſa muliere loqui, quæ ſaluabitur ſi tamen permãſerint,videlicet ipſæ mulieres. Nec eſt locutio incongrua:quia ibi vox illa, Mulier,vice collectiui nominis eſt, ſub quo plura indiuidua continentur. Sic enim dicitur, Turba ruunt. Nec eſt nouum Apoſtolo tranſire(non abſque cauſa tamen)de numero in numerum figuraliter. Sic & aliâs dixit, Inſtaurate huiuſmodi in ſpi-
Gal.6. ritu lenitatis,conſiderans teipſum ne & tu tẽteris. Vt quiliber ſibi vni dictum acciperet.

Sed alia quæſtio eſt:Quomodo veniat illi ſalus per filiorum generationem,quod opus eſt natura le? Reſpondendum:quia in huiuſmodi multa patitur,in vtero,in pariendo,in educatione. Quæ omnia ad meritum & ad ſalutem illi proueniunt, ſi tamen in fide faciat: Alioqui quod non eſt fide, immundum eſt, *Et dilectione*, Fidei ſolet communiter adiungere dilectionem. Nã fides per dilectionem

operatur, *Et ſanctificatione*, Addit & ſanctificationem,id eſt, munditiam quandam quæ ex fide eſt, vt ſint aptę ad producendum Dei ſeruitio liberos. Nã filij ex huiuſmodi ſanctificatione mundi ſunt. Cõtrà autem infidelium filios ob paternas ſordes
1.Cor.7. eſſe immundos teſtatur ad Corinth. Addit, *Cum ſobrietate*,id eſt,moderatione in ornatu & moribus, de quibus ſupra copioſè egimus.

CAP. III.

FIDELIS ſermo. Siquis epiſcopatũ deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virũ, ſobrium, prudentem,ornatum,pudicum,hoſpitalem,doctorem,non vinolentum,nõ percuſſorem:ſed modeſtum, nõ litigioſum, non cupidum: ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Siquis autem domui ſuæ præeſſe neſcit,quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum,ne in ſuperbiam elatus,in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonũ ab iis qui foris ſunt, vt non in opprobriũ incidat & laqueum diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos,non bilingues, non multo vino deditos,non turpe lucrum ſectantes:habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probẽtur primùm: & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.

Fidelis ſermo. Hoc deberet aptari ſuperioribus,& ita aptẽdum eſſe docet B. Chryſoſtomus. Hæc enim materia digna eſt quæ perſuaderi omnibus tanquam verax & fidelis debeat. Quoniam verò eccleſia Epiſcopis indigebat,quos iam creati Epiſcopi eligebãt ipſi, vel ſi erant à plebe electi confirmabant, quales ſaltem deberent eligi nunc declarat aiens: *Si quis epiſcopatum deſiderat, bonus opus deſiderat.* Opus,inquit,bonum:quod eſt ſuperintendendi & regendi alios. Ex hoc concludit quidam epiſcopatũ deſiderare ex proprio genere nullum eſſe peccatum:quia eſt deſiderare præclarum opus. Hoc eſt enim ſuperintendere. Sed aliud eſt (inquit) deſiderare gradum,honorem, prouẽtum, & huiuſmodi. Nihil ſiquidem horum eſt opus, nedum vt ſit opus bonum. Sed mirandum eſt, ſi hæc debitè conſequantur opus, & mihi liceat primùm deſiderare,id eſt,opus,cur non & ſecundum,vide licet honorem,prouentum,& alia huiuſmodi conſequenter tamen? Nec verum eſt quod deſiderare opus bonum ex officio,vt ſignificat iſta vox, epiſcopatus,ſit licitum: quia aliud eſt eſſe deſiderium boni,aliud eſt eſſe deſiderium bonum. Nam deſiderium bonum non poteſt eſſe peccatum. Deſiderium autem boni ſæpe eſt peccatum, cum bonum illud quod deſideras,non bene deſideras,non piè, non prudenter. Angelus ille,& primi parẽtes deſiderarunt quidem bonum aliquod appetentes neſcio quid diuinum,ſed non bene. Conſideranda eſt autem hoc in loco intentio Apoſtoli, vtrũ ne hoc dixerit ad animandum homines ad hoc deſiderũ, quod quidam putant:quia tunc erant pauci Chriſtiani qui vellent præeſſe. An potius ad deterrendum,vt pote qui oſtendat epiſcopatum eſſe quidẽ præclarum opus,ſed non leuiter à quouis expetendum,declarans munia eius:quod verius exiſtimo. Voluit ergo docere eos qui hoc deſiderio accenduntur,vt diligenter ponderent quãta ad hoc munus pro dignitate obeundum exigantur. Verùm multi nunc ſunt,qui vt in prouerbium venit, iam non epiſcopatus deſiderãt opus,ſed opes. Et ideo quæ ſubdit Apoſtolus nihil curant. Sed curabit Deus ipſe,& flagellis duriſſimis & ſempiternis onerabit ambitioſos.

Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Dicit oportet, vt quæ valdè neceſſaria ſunt tradat, ſine quibus vix dici Epiſcopus valeat, & non ea quæ omnifariam eum ornarent. Ait,igitur,id eſt, ex eo quod habet Epiſcopus id curæ atque operis ſcilicet intendendi aliis,oportet eum eſſe primùm irreprehenſibilem. Nam hoc maximè decet,vt qui prepoſitus eſt ad reprehendendũ alios,ipſe irreprehẽſibilis ſit. Dominus enim dixit: Eiice prius trabem
Mat.7. de oculo tuo,&c. Quo in loco reprehẽditur(vt alij intelligũt) qui in aliis minora reprehendit,cum ipſe maioribus obnoxius teneatur. Aut fortè ſic loquitur de eodem peccato Dominus, vt declaret idem peccatum quod eſt feſtuca ſubdito, eſſe trabem Prælato, in quem omnes omnium oculi cõiiciuntur,& quem pro ſpeculo & exemplo ſuſpicere debeat plebs. Et verè ita eſt: quia gradus altior & exempla mirum in modum peccatum exaggerant. Illud tamen notandum,ſatis irreprehenſibilẽ eum dici qui non habeat crimina,& vitia notationi patentia. Nam humanis quibuſdam imperfectionibus quis tam ſpiritualis inuenirі poſſit, qui eis careat?

Vnius vxoris virum. Non iubet ſic teipſa eſſe,ita vt non poſſit eſſe Epiſcopus, niſi habeat vnam vxorẽ,vel habuerit: ſed hoc requirit,vt ille qui fuit maritus,non plurium,ſed vnius fuerit. Neque de vxore quam tunc habeat, cùm ſit Epiſcopus: ſed quam habuit ante epiſcopatum loquitur, vt quidam volunt. Poteſt tamen etiam de habente vxore in epiſcopatu loqui. Nam B. Dionyſius cũ Damari vxore baptizatus eſt. Sed perſuaſiſſimum habeo nullam cum ea prorſus commixtionem poſt epiſcopatum habuiſſe. Nec in lege Chriſtiana cuiquam licitum vnquàm fuit,duabus eodem tempore copulari:niſi fortè Iudæis ad cordis duritiam & ad tempus,vt ait B. Chryſoſtomus. Et propter Iudæos id fortè dictum eſt, quò ſaltem digami arcerentur ab epiſcopatu. Verùm hæc licentia ſtatim ſublata eſt,adulta eccleſia. Syricius Papa in Iouinianum in hunc modum interpretatus eſt hunc locum,vt digamia intelligatur prohibita eſſe Epiſcopis,non eodem tempore(quoniam hoc nulli licebat)ſed ſucceſſiuè. Sic & B. Hieronymus & alij multi exiſtimarunt: & ipſe vſus huic interpretationi ſemper fauit,quemadmodum & ratio ipſa, & tanti muneris rectè obeundi decentia per ſe iure optimo vt dignè tractaretur poſtulabat.

Sed hîc quæritur ratio huiuſmodi apoſtolici ſta

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuti. Et quid si ante baptismũ habuerit quis duas vxores, an poterit Episcopus fieri? Hoc maximè defendit B. Hieronymus, & contrà dicentes tanquam hæreticos vehementer impugnat. Beat. Augustinus, cui consentit ecclesia per decreta, contra hanc sententiam concludit. Et ita ratio est: quia licet peccatum collat baptisma, non tamen tollit factum, vnde habentur signa quæ obstant sacerdotio. Digamia enim non gratia peccati, sed signi potius impedit episcopatum & sacros ordines. Nam matrimonium significat copulam Christi, quæ est vnius cum vna. In eo vero qui fuit digamus, hoc signum propter incontinentiam contaminatũ est: quoniam duabus coniũctus fuit, aut vni quæ duobus: quemobrem irregularis factus est. Hanc ego rationem non improbo. Illa tamen longè fortior mihi videtur: quia non est habendus bonus spiritualis sponsus, qui non seruauit in carnali decentiam, & signum maculauit repetitis secundis nuptiis: quod vitium post baptismum etiam manet. Non enim tollitur talis indecentia, quæ sequitur personam ipso baptismo. Nã secundæ nuptiæ vel apud ipsas quoque Gentes odiosè fuerũt semper. Lege paganos authores, & B. Hieronymum in Iouinianum. Sed quidam irreligiosi irridẽt huiusmodi irregularitates, & nihil æstimant, ignorantes sacramenta & speciosam ecclesiæ faciem, quæ requiritur in oculis Dei & Angelorum: vt omnia inueniantur compositè & ornatè se habentia. Potest tamen in huiusmodi Pontifex dispensare, & facilius cum subdiaconis & diaconis. Non enim est ius diuinum quod Apostoli ordinatur, vt nequeat illud Pontifex ex magna causa mutare. Sed longè aliud est (meo iudicio) Pontificem dispensare posse: Aliud hoc totum tollere. Non enim posset hoc postremum. Dispensare autem & in quibusdã, quæ diuini iuris sunt, non putarem Pontificem prohiberi. Nam vt ait: B. Thom. maximè interest etiam inter ea quæ sunt diuini iuris. Quædam sunt quæ tanquam principia oportet esse immutabilia, vt non recipiant vllam dispensationem: quoniam nõ possunt vlla de causa reddi bona & toleranda. At quæ à principiis distant, & ex circunstantiis possunt vel honestate permitti, vel tolerari: hæc sunt quæ recipiunt dispensationem. Proferamus exemplum istud: Non esse honorandos parentes, contra legem quasi cõtra principium pugnat. Et hinc venit vt inter parentes & liberos non valeat vllũ esse matrimonium. Hoc autem extenditur pariter ad alias personas consanguineas. Sed existere causæ possunt & circunstantiæ, quę reddent in his personis coniugij dispensationem rationabilem. At inter liberos & parentes, quæ causa aut quæ ratio potest esse satis, vt naturalis & abominabilis turpitudo honestè tegatur?

Sobrium. Græcè νηφαλιον, id est, vigilem, vt quidã volunt. Hæc affinia sunt. Ex sobrietate enim & abstinentia alitur vigilia. *Prudentem*, siue temperatũ, seu modestum, aut frugi. *Ornatum*, decẽti quadam morum munditia, non sericis aut pomposis vestibus & supellectilibus. B. Augustinus dicere solebat: Fateor de pretiosa veste erubesco, quæ cum datur, vendo eam: vt quoniam vestis communis esse non potest, pretiũ sit commune. *Hospitalem.* Hoc maxime Episcoporum esse debet, vt colligant peregrinos & pauperes sanctos Dei. Sic enim à principio faciebant: quod est eorum proprium qui excellentiorem profitentur charitatem. Est virtus tãta & eousque Deo grata, vt mereatur Angelorum commertium, teste ipso Apostolo ad Hebræos, *Doctorem*, qui sciat docere, non qui indigeat discere: sed qui actu doceat plebeculã suã. *No vinolẽtum*, Quis autem nunc qui vino non studeat? *Non percussorem.* Hoc enim valdè indecens Episcopo, si corporalem percussorem intelligeres. At reuera, vt B. Hieronymus & Chrysostomus annotarunt, de linguaci loquitur, qui lingua percutit: quo sensu Flaccus, Metuentis patruæ verbera linguæ. Eandẽ vim habet inferius posita instructionem, vbi ait: Senio rẽ ne increpaueris, id est, ne verborũ plagis percutias. *Non turpis lucri cupidum*, Turpe lucrum quod ex mercimoniis fit, quantò magis ex vsura? Nihil enim cupido Episcopo & negociatore turpius. *Sed mitem*, id est, æquum benignum, *non litigiosum*, ἀμάχον, id est, non pugnacem: idque similiter de verbis intelligo vt superius, per quæ pugnamus, *Non auarum*, quia auaritia ex opposito contradicit diuitiarum cœlestium desiderio. *Sed suæ domui bene præpositum*, aut rectius, præsidentem, *Filios habentem subditos cum omni castitate*, εὐσχημοσύνης, id est, verecundia, pudicitia, & ingenuis moribus.

Si quis autem domui suæ, &c. Solida ratio & familiaris, ducta à minori ad maius. Nam qui in modico fidelis non est, nec in magno erit. *Non Neophytum*, id est, nouam plantam recens baptizatam, vt aliqui volunt. Sed extẽdi meritò potest ad eos qui citò, & non per gradus euehuntur ad tantum fastigium. Et rationem profert imminentis ruinæ. *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli*, id est, in illud iudicium in quod cecidit diabolus, vt sic meritò iudicaretur ad casum in profundum inferni: quia ascendere præsumpsit in excellum, & super astra Dei. Hoc enim iudicium est in superbos, vt præcipitentur in profundum. *Oportet autem & illũ testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Qui ad alios regendos præponitur, illum oportet esse bonæ existimationis, etiam apud infideles. Hi enim foris esse dicuntur: quia extra ecclesiam sunt. Qui non est in bona apud vulgus opinione, non potest reuerenter obseruari à sua plebe. Qui autem non videt plebis, cui præest, erga se obseruantiam, paterno affectu posito mouetur odio aduersus illam apud quã se conspicit opprobrium esse. Hinc nectitur laqueus à diabolo, quo strangulatur miser, non ferens in sua se dignitate contemni. Non enim potest facile charitatẽ exercere, nec spirituale in eos imperium, à quibus spernitur: qui tamen hunc sibi finem præstituerat ambitione irrepens ad episcopatum, vt à populo veneraretur, à quo sine excidens, in funem incidit suspendij nondum quidem corpore sed animo. O quanti hodie. Sed tempus me deficeret: & tales ipso silentio possunt facillimè intelligere, quænam iustissimo zelo in vtrosque scribi possent & qui ambiunt, & qui eligunt. Vix dum sunt nati, & iam sunt Episcopi. Proh pudor & dolor. Sed reprimamus iam nostrum sermonem.

Diaconos similiter pudicos, σεμνοὺς, id est, reuerentes & moribus ingenuis. Quidam verterunt, compositos. Quoniam autem penes Episcopos Diaconi esse

esse debebant, qui sic per gradus ascenderẽt ad ministerium Dei, vt ex diaconis fierẽt & ipsi aliquando presbyteri atque Episcopi, ideo de illis prosequitur, quos primùm vult esse bene moratos, *Non bilingues.* Quoniam inter Episcopum & ecclesiam medius intercueniebat diaconus, ob id prohibet istam sermonis duplicitatem, ne scãdalum pareret. Omnino autem, vt ignominiosum est esse bilinguem: ita pulchrum & amabile veracẽ esse atque constantem. *Non multo vino deditos: non turpe lucrum sectantes.* Vinum non prohibet nisi multum: & id quod semper est turpe id maximè prohibet, videlicet vino deditum esse. *Habẽtes mysterium fidei in conscientia pura.* Mysterium fidei est calix Domini, cuius erant dispẽsatores. Miror hactenus nullum aduertisse hunc sensum vt sic exponeret, cum tamen hęc verba habeamus in consecratione calicis: imò cum id nos quasi dictum à Domino enarremus, dicẽtes: Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, mysterium fidei, &c. Innocentius Pontifex cum olim responderet hæreticis, qui oppugnabant ritum consecrationis, arguentes ecclesiam in eo vti verbis quasi à Domino dictis, quæ tamen dixisse illum nusquam legimus, vt sunt hæc, Mysterium fidei, Rectè dixit ea ex Apostolica traditione accepta esse. Quod verò adiecit, licet in sacris literis nõ legantur, non valdè mirum. Non enim meminit huius loci, vbi ea verba scripsit Apostolus, proculdubio de hoc mysterio loquens, cuius mãdabatur Diaconis dispensatio: quos persanctè instituit vt illud tam venerabile sacramentum cuius sunt dispensatores, habeant in conscientia pura non solùm fide, sed etiam opere, & voluntate: quia ministrare cum peccato sacrilegium est. *Et ij quidem probentur primum*, id est, probati prius & inuenti nullius esse criminis accusabiles, ad ministerium ordinentur. Quod vtinam nostris temporibus seruaretur. In his profecto exigitur maxima & pernecessaria reformatio & cura, si ecclesiæ sanctæ restitutũ nitorem & decus videre cupimus. Non omittam hoc in loco Caietanum ita commentari, vt dicat Diaconos hos, de quibus Apostolus, nõ fuisse Diaconos ordinis ecclesiastici quales sunt hodie, sed ordinatos ad ministrandũ mensis conuenientium in ecclesia. Quod est absurdum dictu, & contra omnes interpretes, & nulla ratione cogente literis mandatũ. De qua re tamen in annotationibus nostris aduersus eius commentaria satis disseruimus, ad quæ lectorem remittendum esse, breuitati studentes, duximus.

Nota diligenter.

Mulieres similiter pudicas, non detrahẽtes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconos sint vnius vxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Iesu. Hęc tibi scribo sili Timothee, sperans me ad te venire citò. Si autem tardauero: vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et manifestè magnum est pietatis sacramẽtum, quod manifestatum est in carne, iustificatũ est in spiritu, apparuit Angelis, prędicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Mulieres similiter pudicas, &c. seu verecundas, bonorum morũ plenas. Et loquitur de vxoribus Episcoporum & Diaconorum, quę & aliquid ministerij habebant in ecclesiis, non alieni ab illo sexu: & vocabantur presbyteræ & Diaconissæ: de quibus fit etiam in canonibus mẽtio. Et has similiter vult esse, σεμνὰς, id est, moribus bene compositas. *Non detrahẽtes.* Proprium est mulierum, dum otiosæ sunt, detrahendi iis aut illis nullum finem facere: quod valdè displicet Deo. Quare nominatim & primò hoc prohibetur. *Sobriæ*, seu vigilantes. *Fideles in omnibus*, id est, non deceptrices, sed veracẽs.

Diaconi sint vnius vxoris viri, &c. quẽadmodum & de Episcopis dictum est. Ex Diaconis enim creabantur persæpe Episcopi & sacerdotes.

Qui enim bene ministrauerint, &c. Hic locus põderandus, vt sit loco stimuli ad recte ministrandũ nobis adhibiti, si velimus fructum talem non temerè sperare, magnæ scilicet fiduciæ apud Deum ex fide & in Christo Iesu. Nam sicut coram rege seruiens & bene ministrãs, quandam familiarem fiduciam nanciscitur etiam petẽdi pro aliis: sic & bene ministrans corã Domino sancta ministeria, non solùm pro se, sed & pro aliis quæ postulauerit facillime obtinebit. Qui autẽ male ministrauerint, quid nisi væ æternum expectare possunt? *Hæc tibi scribo fili Timothee, sperans, &c.* Clara sunt verba. Illud diligenter notandum domum Dei viui, esse ecclesiam. Viuum ergo quoddam ecclesiam oportet esse. Viuitur autem ex fide & gratia. Et hæc est columna & basis veritatis. Vbi sunt modo hæretici & schismatici, qui tanta impudentia asseuerant penes seipsos esse veritatem? Nũquid ipsi sunt in ecclesia, aut incœpit verbum ab ipsis, vt sint ipsi fundamentũ ecclesię? Ergo antea nõ erat ecclesia Dei? Verùm quis credat istis impostoribus, nisi qui prouidentiã Dei perfidè neget, & simul credat ante eos derelictum fuisse mundum à Deo, & Deum illorum tantum fuisse, Deum atque eorum qui illos sectantur? An Deus tot Martyres, tot insignes Sãctos pietate & doctrina pari illustres, qui nulli rei nisi diuinæ voluntati implendæ studebãt, passus est obuolui tot tenebris, vt nescirent vbi esset fundamẽtum ecclesiæ: istis verò excucullatis reuelare voluerit? Sed nimis supina est hæc ignorantia, prosequamur.

Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est in mundo, assumptus est in gloria. Existimo hoc dixisse vt Episcoporum & Diaconorum officium, quod erat ministrandi verbum & sacramentum, honoraret propter mysterij, cui seruiebant, excellentiam, & iam patentem. Vnde ait: *Et manifestè* ὁμολογουμένως, id est, confessè: quia iam publica confessione credebant totũ hoc mysterium, videlicet, *Deus manifestatus est in carne, &c.* Et vocat mysteriũ: quia in hoc omnis noster cultus fundatur erga Deum & obsequiũ, propter immensam eius benignitatem, qua vsus est erga nos. Et primum (quod est maximum) Deum fuisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

manifestatum nobis in carne. Manifestatum autem fuit per admiranda signa, & verã doctrinam, & vitam innocentissimè actam. Quid potuit homini præstantius dari? Oportet enim hæc tria concurrere ad clarificandum prophetam, & ad ea probãda de quibus testetur, nempe signa, doctrinam & vitam. Sed videtur non aptè dictum, *manifestatus est in carne*, cum potius per carnem fuerit Deus absconditus. Fatemur de eodem vtrumque, diuersis tamen respectibus. Apostolus dicit de euangelio: Quòd si opertum est, ait, euãgelium, in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio euangelij, &c. Ergo per carnem occultabatur: per signa autem & doctrinã & vitam manifestata est in ipsa carne diuina virtus, ac propter ea Deus: sed iis qui oculum habebant. Iustificatum autem vocat illũ: quia fidelis in omnibus viis suis. Aut iustificatum à peccato, *In spiritu*: quia Spiritus suscitans illum ostendit non fuisse propria sua culpa peccatorem, sed assumpsisse peccata nostra & diluisse, & ita nunc merito iustificatum in spiritu, qui fecit voluntatem Patris satisfaciens pro nobis in carne quam similem nostræ accepit, vt obedientia sua faceret illam gloriosam. Quamdudũ enim in carne vixit, habitus est vt peccator & ab omnibus, & à Deo. Verùm aliter atque aliter. Sic & coram hominibus & Deo tandem iustificatus est in spiritu illius sanctificationis & virtutis, qua potuit seipsum excitare.

2. Cor. 4.

Apparuit Angelis, qui certè illum antea multo tẽpore desiderarunt. Apparuit autem illis primùm in vtero, & quidem vitione clarissima. Ideo dicitur Græcè, ὤφθη. id est, visus aut conspectus est. Et primò quidem in vtero Virginis. Nam hoc sanctissimum fœdus Gabriele nuntio & mediatore conciliatum est: & statim aduolarunt omnes illa beati Spiritus & adorarunt. Et postmodo comitati sunt semper à natiuitate vsq; ad mortem, quãdo confortari dignatus est ab Angelo, tanquam afflictus & indigens. O Deus optime, quò in gratiã nostræ salutis teipsum deduxisti? Viderunt autẽ Angeli cuncta, imo & cooperati sunt in omnibus his. Gratias Deo & illis. *Creditus est mundo*, id est, fide susceptus ab hominibus huius mundi, & maiori parte. *Assumptus est in gloria*. Iã enim sedet à dextris Dei gloriosus. Hic admonendum, antiquam lectionem diuersam esse, vt hæc omnia de mysterio dicta sint. Sed quomodo dixerit quis iustificatum mysteriũ, nisi per mysterium illud intelligat, quod erat in ipso inclusum, videlicet Deus ipse in carne absconditus? Hæretici ergo vt est illis in consuetudine positum, deprauarũt hunc locum: quoniam manifestè Christus, Deus prædicabatur: quãquam sagacibus Erasmi naribus (vt ipse inquit) aliud suboluit, videlicet corruptũ hunc locum à Catholicis fuisse aduersus hæreticos. Iam enim Arrianorũ patronum se constituerat veterator.

CAP. IIII.

SPIRITVS autem manifestè dicit, quia in nouissimis tẽporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dęmoniorum, in hypocrisi loquẽtium mẽdatium, & cauteriatam habẽtium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiẽdum cum gratiarũ actione fidelibus, & iis qui cognouerũt veritatẽ. Quòd omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbũ Dei & orationem.

Spiritus autem manifestè dicit, &c. Hoc in loco Apostolus prædixit apertè futuram hæresin Manichæorum & Tacianorũ, quæ latè peruagata est, & qua multi sunt obuoluti, vt sic prouideret futuris temporibus. *Spiritus autem* (ait) *manifestè*, aut potius præscriptè ad verbum, Græcè ῥητῶς. Hoc autem addidit: quia plerunque non est ita manifesta reuelatio, quæ fit sanctis. Et nouissima tempora vocat tempora gratiæ, & nostra hæc quando iam fides viget, & creditus est in mundo Christus. Græcè tamen posteriora, aut sequentia tempora significantur: ac si dixerit, In procedentibus, seu sequentibus temporibus, *discedent quidam à fide*. Certi hæretici designantur, qui nouam sectam condituri erant, elusi ac suasi à spiritibus erroris & seductoribus, id est, in errorem pellicientibus. Sunt enim dispertita aduersus ecclesiam spirituum immundorũ officia, vt quidam omniũ malignissimi & ad decipiendum selecti, omnem suam artem ac neruos intendant ad immittendos (Deo permittente) errores: idque propter homines qui decipi amant & quærunt, vtpote rerum nouarum cupidi, studiose perquirentes huiusmodi nebulones palpantes, ac pro sua libidine diuinantes: iuxta illud, Dicite nobis placentia. Quamobrem Deus soluit habenas spiritibus erroris: sicut docet historia de Achab, qui cũ decerneret cum Iosaphat rege Iuda, & iret aduersus regem Syriæ ad recuperãdam terram Ramoth Galaad, & cum admoneretur cõsulere Dominum circa bellum, congregauit circitẽr quadringentos prophetas, qui omnes annuerunt ad mentem illius, Solus Micheas contra dicens, & veritatem ex oraculo prędicens percutitur. Vocat autem doctrinas dæmoniorũ, id est, miserorum & infœlicium diuinorum & prophetarum, id est, eorum qui seipsos magnos iactitant, & Deo amicos simulant illius sciens volũtatem. Quid enim aliud fuit Manichæus quàm dęmonium, qui se sapientem & Christi Apostolum prædicabat? Talis Arius & cæteri hæresiarchæ. Potest dici doctrina dæmoniorum, quam ipsi dæmones occultè docent. Quantam enim verborum copiam, & facilitatem in scribendo subministret Spiritus nequam iis, quibus veluti instrumentis vtitur contra Christum & ecclesiam, si fusius persequeremur, vereor ne minus nobis fidei tribuerent sapiẽtes mundi: & istud tamen apud viros spirituales est persuasissimum. Vnde mox tantam librorum spargi farraginem cernas, & tam breui temporis spatio, vt celerius ferè scribantur, quàm vel legi possint. Et istud (quod mirandum est) inter pocula & amplexus sacrilegos & curam familiæ. De Luthero testificati sunt viri fide dignissimi, sæpius de lecto hominẽ surrexisse

Isa. 38.

3. Reg. 22.

à dæmone expergefactum, vt vel in summũ Pontificem inueheretur, vel doctrinã pestiferam euomeret. Quid viros graues profero? Imo dialogum conscripsit, vbi Cacodæmonem ipsemet sibi familiariter notum secum colloquutorẽ adhibet. Quis Erasmum credat tanta literis mãdare potuisse, nisi à subtilissimo quodã spiritu adiutus fuisset, qui delectatus est ingenium comperisse gloriæ auidum, per quod velut per fistulam quãdam instillaret lætale venenum, sed partim eruditione, partim facetiis, partim scommatibus ita cõtectum, vt catholicus, hæreticus: Christianus, Christi clãcularius hostis: pietatis studiosus, impius videri possit. Sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Vide q̃ graphicè hoc genus simiarũ depingat Apostolus, aiens: *In hypocrisi loquentium mendatium*, hoc est, simulatè, qui personam exterius induũt proborum virorum, & colentium Deum per quasdam abstinentias patentes, aut dulces sermones in facie pietatem ostendentes, quibus facile irretitur imperita multitudo. Abstinebant enim Manichæi à vino & carnibus. Sed admodum astutè & fictè: quia loco carnium cibaria delicata & pretiosa carpebant. Et ita loco vini, mulso & sicera, & careno passo, & expresso nonnullis pomis succo recreabantur. Dabat autẽ illa hypocrisis fidem verbo mendacij, qui videbãtur religione magna à communi hominum victu abhorrere. Quare additur:

Cauteriatam habentes suam conscientiã, id est, affectu gloriæ, siue cuiusuis alterius rei cupidine tanquam cauterio & stigmate quodam inustam atque notatam, vt per hoc cauteriũ imprimatur mortificatio illius luminis, quo ipsa cõscientia videbãt: tãquam si oculum ferro candenti inureres. Potest simul intelligi cauteriatam cõscientiam esse illã quam diabolus possidet, & in signũ firmissimæ possessionis cauterio proteruiæ & obstinationis obsignat. *Prohibentes nubere*. Hoc primum stultitiæ commẽtum. Nam absolutè vituperabant matrimonium velut rem immundam, & à Deo non bono præceptam.

Et abstinere à cibus quos Deus creauit, &c. Nam ipsi quosdam cibos similiter vt rem immundam abominabantur, propter quasdam eorum confictas de membro Dei fabulas, quod per omnia ingrediebatur purgans omnia. Ego hoc de me vno fateor, qui cum horũ stultitias legerim pluries, nunquam tamen valui memoriæ commendare. Imò vix capere propter immanem eorum insaniam, & ambages, & longas fabulationes nullis humanis inuentis similes: vt sim admiratus quomodo potuerint ipsi vel ea cogitare, vel aliis persuadere. Sed vehementius adhuc & miror & stupeo, qui fieri potuerit vt B. Augustinus tam excellenti ingenio dotatus & claro, potuerit totos nouem annos (vt ipsemet testis est) illis tenebris detineri. O miserum, ô dementem & tenebrosum hominem, quem tu Domine Deus dereliqueris, nec illumineris tua luce veritatis.

Quos Deus creauit ad percipiendum fidelibus. Aduerte bone lector, quòd fidelibus creati sunt cibi. Nõ ergo infidelibus, quibus omnia sunt immunda, eo quòd ipsi immundi sunt & indigni hac vita, qua malè vtuntur aduersus Creatorem suum. Et tamen Deus summa sua bonitate permittit illis vt iis vescantur, qui pluit super bonos & malos, vt vel sic ostendat diuitias bonitatis suæ, & iustificetur ipse cum postmodo iudicabit. Immũditia autem ciborum nõ est à natura, sed à peccato vel libidine propter prohibitionem. Non enim (vt exemplo hæc fiant dilucidiora) immundus erat secundũ sui naturam ille cibus paradisi vetitus, ad inquinãdum animã: & tamen ex eius esu immundi facti sumus omnes. Nam ipse quidem per seipsum nõ inquinauit animam, sed homo à prauitate sua & præuaricatione edẽs inquinatus est. Igitur ex eo quòd exiuit de corde contumaci, & inobediente, non ex eo quod intrauit in ventrem inquinatus est. Ecce etiam Dominus prohibuit Iudęis multa ciborũ genera, quò eos tunc abstinentiam doceret ac temperãtiam, & inde tanquam in figura intelligerẽt vitia à quibus erat abstinẽdum: & vitiosos qui vitandi essent, tanquam corruptores aliorum. Nam sola ruminantia & fissas habentia vngulas de terrestribus animalibus erant in cibum permissa. Id autem quam obrem, nisi vt vel ex ea obseruantia doctrinam fidei atque morum acquirerent? Ruminatio quippe meditationem doctrinæ significat. Fissæ verò vngulæ discretionem boni à malo in moribus. Item quod uis aliud genus ciborum prohibitum, significabat aliquod peccatorum genus vitandum. Nam per vetitos porcos quid aliud conuenientius quàm lutulentos quosdam fugiendos homines, qui vt sues male olente cœno, ita isti obscœnis voluptatibus carnis volutantur? Per pisces autem qui squamas & pennulas haberent, significatur corporis & animi puritas. Contra autem, si non haberent squamas & pennulas. Et similiter dicẽdum de auibus: sicut viderunt acuti diuinæ legis scrutatores. Verùm quoniam istæ figuræ & significationes atque doctrinæ cessarunt post aduentum Domini, quo tempore populus iam è pueritia debuit exire, iccircò significatione à cibis amputata, simul & immunditia sublata fuit: quoniam vt eleganter ait B. Augustinus, immunditia illa non erat naturalis, sed à significatione, Verbi gratia, In istis duabus dictionibus, *bonum* & *malum*, si ex seipsis vt nudæ voces secluſa significatione considerentur, non plus malitiæ est in vna quàm in altera. Nam si barbarus qui nõ intelligit, proferri audierit, nihilo acerbius commouebitur si ei dicas: Tu es malus, quàm si dixeris: Tu es bonus. Qui si vim significationemque vocis intelligat, continuo turbabitur: non quidem à voce tanquam mala de se, sed propter significationem. Sublata igitur significatione in cibis, nihil inest in eis immundum, quodque animam reddat immundam. Itaque fidelibus, & iis qui iam cognouerunt veritatem istam, *Quod omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, nulli cibi immundi esse possunt: quoniam sanctificãtur. i. mundificantur ab illa immũditia priore, quæ ex peccato processit antiquo. Sanctificantur autem per verbum & intercessionem. Oratio enim intercessionis mũdificationem hanc facit: quoniam commemoratur verbum Dei Christus qui cuncta mũdificauit, sicut dictum est B. Petro. Quod Deus purificauit, tu ne dixeris cõmune, vt habetur in Act. cap. 10.

De ciborũ munditia seu immunditia.

Quocirca diligenter est aduertendum: Homini in Adam peccatori omnia remanere immunda, & ipse immundus à seipso est, non à cibo, per inobe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dientiam ſuam. Et cum ipſe factus fuit immũdus, omnis creatura cum illo facta eſt immunda. Male dicta nãque fuit à Domino terra in opere ſuo, ſeu propter illũ: quæ maledictio ſublata eſt per Chriſtum, modo applicetur nobis eius benedictio, & ſimiliter cibis illis ex maledicta terra productis. Hæc non intelligunt idiotæ: dicam quid amplius, imo nec aliquot prælati, & maior pars Dominorũ huius ſæculi, qui abſque vlla inuocatione nominis Chriſti & Dei, more brutorum animantium ad implendum ventrem accumbunt: qui abuſus in Chriſtianitate magnus eſt, & emẽdatione dignus. Apoſtolus igitur vult ſanctificari cibos per orationem, alioqui immũdi ſunt. Hoc debet ſeriò populis prædicari. Non abſtinendum ab Euangeliſtis in cœna Domini expreſſa de ipſa gratiarũ actione fit mentio, & quomodo poſt hymnũ dictum ſurrexerunt diſcipuli. Hæc ergo fuit doctrina & traditio Domini quam obſeruare omnes tenẽtur, qui eſſe gratiarum tantis beneficiis volunt.

Pro conſecratione menſæ.

Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam aſſequutus es. Ineptas autem & aniles fabulas deuita. Exerce autem teipſum ad pietatem. Nã corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autẽ ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habens vitæ quæ nũc eſt, & futuræ. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Præcipe hæc & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiã quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende enim tibi & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.

Hæc proponens fratribus. Miniſterium enim primùm in docendo conſiſtit. Bonus ergo eſt ille miniſtet qui hæc fratribus proponit. Fratres autem vocat omnes fideles. Et ob hanc gratiam dixit hęc eſſe prædicanda populis, vt recognoſcãt tanta Dei beneficia, nec pateant illuſionibus hypocritarum & hæreticorum. Animaduertat prudens lector, quàm calumnioſe hoc loco abutantur hæretici recentiores, quibus vtitur malignus ad impugnandã ſanam doctrinam. Si hac non ſucceſſit, ait intra ſe, alia progrediamur via. Per Manichæos olim conatus eſt matrimonium & thorum immaculatũ damnare, quò ſcilicet omnia fornicationibus, adulteriis, & aliis nephandis concubitus operibus repleret. Extirpata eſt hæreſis eiuſmodi. Suſcitauit iſtos econtrario in aures populi ſibilantes creſcendum eſſe & multiplicãdum, & vitam cœlibem dãnandam: & ita inſurgunt aduerſus eccleſiam, tanquam illa committat in hanc Apoſtolicam doctrinam, dum commendat virginitatem, & probat ſtatum cœlibem eunuchorum qui caſtrauerũt ſe propter regnum Dei: & abſtinentiæ gratia & Chriſtiani luctus certos cibos ſponte ſua ſibi interdicũt. Non enim eccleſia propterea prohibet matrimonium, dum præfert virginitatem & cœlibatum. Nec docet vllos eſſe cibos ſuapte natura immundos, ſicut hæretici illi dicebant. quos ipſemet eccleſia damnauit: ſed quia ſe viduam agnoſcit, luctus tempus ablato ſibi Sponſo obſeruat. Magna eſt profectò nouorum hæreticorum impudentia, qui cùm ſciãt ſe non noua afferre, ſed ea quæ ſunt à patribus olim & doctoribus ſanctis prorſus cõfutata, & iam veruſtate putrida, audent tamen meretricia fronte (vt ſolent) eadem nobis obtrudere, vt abducant miſeras & carnales plebes ab eccleſiæ vnitate ad vanitatem.

Prophanas autem & aniles fabulas deuita: ſcilicet vt nec eas doceas, nec ſcias quidem. Erant in propũtu Iudaicæ quædam fabulæ, de quibus puto eum ſentiſſe. Erant & paganorum, quæ vtinam non ſuprà modum auctæ eſſent hodierno die, quin flammis exuſtæ omnes. De his autem rectè dicitur, prophanas eſſe ac vitandas. Quædam etiam aniles ſunt & delirarum muliercularum, & fortè ne has immiſceret ſermonibus ſuis mandat, ac ſi dicat: Nihil doceas à ſolida veritate alienum.

Exerce autem teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, &c. Pietatem vocat (vt exiſtimo) omne opus miſericordiæ impẽſum proximo propter Deum Patrem, & Ieſum Chriſtum, qui petit ſibi miniſtrari in fratribus. Corporale autem exercitiũ ad quæſtum ſpectat, cum homo corpore ſe exercet laborando vt victum quæriret. Et ideo ait hoc ad modicum eſſe vtile: quoniã ad rem temporalem duntaxat. Non me latet hunc locum torqueri à nonnullis contra præceptũ ieiunii, quaſi ad modicum ſit vtile: ſed hanc intelligentiã meritò Theophylactus reprobat: imò ante illum B. Chryſoſtomus, cuius verba hęc ſunt: Quidam hoc Apoſtolum dixiſſe de ieiunio aiunt, ſed profectò errant. Neque enim eſt corporalis exercitatio ieiunium, ſed ſpiritualis. Scio & per corporalem exercitationem ab aliis intellectũ corporis exercitum ad ſanitatem aut vegetationem. At hæc non erat à B. Paulo tradenda inſtructio, ſed à medicis. In ea itaque ſum ſententia, vt voluerit inſtruere Timotheum, quem iam docuerat operari propriis manibus, & laborare ad victũ, hoc non eſſe præponendum pietatis exercitio: quoniam in iſto eſt exigua, in pietate autem maxima vtilitas ad cœleſte præmium reponitur. Vnde ait:

Pietas autem ad omnia, id eſt, non ſolùm ad temporalia, ſed & multomagis ad comparanda cœleſtia, vt quæ promiſſionem conſequatur à Deo vitę vtriuſque. Illud enim præceptũ: Honora parentes, in quo concluditur omne opus miſericordiæ & pietatis in veritate, ſi rectè & plenè intelligatur, habet promiſſionem carnalis vitæ, iuxta corticem literæ Exodi 20. vbi legis: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram,

&c. Habet & aliam promiſſionem ſpiritualis vitæ iuxta ſpiritum, in lege ſecunda Deut. 5. vbi legitur: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo tempore viuas, & bene ſit tibi in terra, quã Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Hic vtraque eſt promiſſio bene intelligenti.

Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, videlicet de pietate: & eam extollit. Nam pietas eſt quæ fecit Chriſtum meritò chariſſimum Patri vt exaudiretur. Pietas eſt, quæ ſi exerceatur in Chriſto, dabit nobis vitam, & non fides tãtum, vt ſtulti & iniqui garriunt. Nam B. Paulus ait ſe in ea laborare, *In hoc enim laboramus & maledicimur*, Magnũ eſt, ſubeuntes piæ actionis laborẽ nedum agnoſci, ſed contra maledictis exponi. At quid ita Paule? *Quia ſperamus* (inquit) *in Deum viuum, qui eſt ſaluator omnium hominum maximè fidelium.* Ac ſi expreſſius dixerit: Non eſt ſita noſtra ſpes in pręſentibus, ſed eam fiximus in Deum viuum, qui habet vitam in ſemetipſo, & cuius eſt viuificare. Addit Saluatorem omniũ hominum, quantum ex ſe eſt, vt qui omnibus remedium comparauerit ad ſalutem. Sed quia ij ſoli potientur, qui erunt fideles, & exercuerint pietatem, ideo ait: *Et maximè fidelium.* Locus certus contra quorundam prædicationẽ crudelem, qui volunt Chriſtum non veniſſe ad omnium comparandam ſalutem, ſed certorum & prędeſtinatorũ tantum, quos ipſi eligunt, id eſt, ſeipſos, & qui ea credũt quæ ipſi docent: vt ipſi, non Deus, creent electos.

B. Ambr. admirãda ſententia.

Non hic tamẽ omittam B. Ambroſij expoſitionem, qui ita liberaliter hũc locum exponit, vt multi valeant admirari, non obſcurè volens ſalutem poſſe obtinere etiam infideles. Hęc enim ſunt eius verba: Elaboratum eſt enim quantum Dominus adiuuit, vt non ſolùm in nouiſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retrò ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus affuiſſe prouidentia qui dem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere diuerſaque menſura. Quoniam ſiue occultè, ſiue manifeſte, ipſe eſt (vt Apoſtolus ait) Saluator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ breuitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo cõſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controuerſiã dirimit. Dicendo enim, Qui eſt ſaluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei ſuper omnes homines eſſe generalem. Adiiciendo autem, maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quę merito fidei diuinitus inſpirata ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis prouehatur. Quod vtique nulla iniqtate agitur iuſtiſſimi & miſericordiſſimi Dei, cuius iuſticium in his diſpenſationibus non cũ arrogantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudandum eſt. Siquidem in ipſis quoque fidelium populis, quod iam ſuperius oſtenſum eſt, non eadẽ omnibus nec paria conferantur, & ante illa humanorum pondera meritorum, diſſimillima diuinorum menſura & munerum. Si enim de parentum carnalium iudiciis conqueri non audemus, cum aliquos filios ſuos ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obſequia indulgentiore amplectũtur affectu. In dominis quoque erga famulos libera eſt diſpoſitio: nec iuſtè à quoq; reprehenditur qui de vnius conditionis familia quoſdam ſibi, quos beneficiis honeſtaret, & quos liberius eruditet eligit. Nũquid de ſummi Patris & veri Domini beneuolẽtiſſima æquitate cauſandum eſt, quòd in magna domo eius innumeris differentiis vniuerſa variantur? Cumq; nemo aliquid boni habeat quod non ille donauerit, non omnes tamen iiſdẽ virtutibus micant, aut eadem chariſmatum dote ditãtur. Nec poſſumus hãc diuerſitatem graduum cauſis aptare meritorum, cũ totius boni meriti principalis cauſa ſit gratia, de cuius opibus ſumitur, quicquid in ſingulis probabile reperitur. Sicut ergo de iis quæ intra eccleſiã multiformiter Spiritus ſanctus operatur, impium eſt vllam querelam corde cõcipere: ita etiam de illa prouidentia quæ infidelibus præſidet, nullatenus murmurãdum eſt. Quoniam & iuſtus & bonus arbiter nec volũtatis iniquæ eſt, nec diſcretionis incertæ: vt ſub immenſa omnipotẽtis Dei miſericordia abſque iuſtitia putemus q̃ quiſquã pereat, qui perire non debeat. Nulla pars mundi ab euangelio vacat Chriſti. Et licet illa generalis vocatio non quieſcat, tamen etiam iſta ſpecialis iam vniuerſis eſt, & facta communis. Ex omni gente, ex omni cõditione adaptantur quotidie millia ſenum, millia iuuenum, millia paruulorum. Et effectibus gratiæ Chriſtianæ etiã ipſa, quibus mundus atteritur, arma ſamulantur.

Hæc B. Ambroſij admirabilis ſentẽtia, quæ illud clarè videtur porrigere, quod primo auditu videtur neſcio quid horroris, propter loca quædã ſcripturæ ſanctæ, continere. Et tamen ſi ad immẽſam Dei clementiam (qui omnium eſt Creator) reſpexerimus, non temerè eſt explodenda. Dico horribile propter ſcripturas: quoniam ſcriptum eſt: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Hæc autẽ doctrina videtur ad infidelium quoque ſalutem extendi. Qui igitur ad clementiam Dei (vt oportet) ſpectare voluerint, non debẽt hanc opinionem reiicere, ſed conſiderare ſubtiliter & intelligere: nec eam prius (quod eſt arrogantium & ſuperborum, vel etiam ſciolorum quorundam hominum) carpere quàm capere. Nos per hanc nullo pacto infidelibus ſalutis poſſibilitatem concedimus, ſed non fidelibus. Datur enim inter fideles & infideles medium, videlicet nõ fideles. Omnis infidelis eſt non fidelis: ſed non ecõuerſo, omnis non fidelis eſt infidelis. Declarentur hæc apertius. Dicebat Dominus: Si non veniſſem & locutus eis nõ fuiſſem, peccatum non haberẽt, ſcilicet infidelitatis, & ita non fuiſſent infideles: ſed nec fideles quidem, quod de fide plena de Chriſto intelligitur. Nec propterea defendimus poſſe aliquem ſine fide ingredi regnũ cœlorum. Nam ſic apertiſſime contra B. Pauli doctrinam doceremus, ſed quod ſine explicita fide de Chriſto non ſit impoſſibile: quemadmodum nec olim erat impoſſibile, vt eleganter docet B. Thomas. Et ſatis erãt duo ij articuli, quos Apoſtolus vt neceſſarios ibidem declarat, ſi ſuſcipiantur, nimirum. Quòd Deus eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit: ſatis inquam ſunt iis tamen ſolis, quibus alij non fuerunt reuelati & cogniti. Iſta interpoſuiſſe non mihi viſum eſt alienum, vt prudẽs lector poſſit hæc omnia quieto animo ſecum conſiderare: nec vllum patiatur ſcandalum vel ab vna vel ab altera opinione. Quod eſt certiſſimum ſemper teneat, videlicet: Sine fide impoſſibile eſſe

Hebr. 11.

Ioan. 15.

Hebr. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quenquam placere Deo: Et Deum ipsum velle ex parte sua omnes homines saluos fieri, & illius benignam prouidentiam non esse erga omnes æqualem. Etsi enim omnes de eius bonitate participēt, alij tamen plus, & alij minus absque vlla iniquitate, qui nulli obligatur, & nulla sub lege tenetur. Et tamē ita facit vt omnes obligatos sibi reddat: quia omnibus idoneè prouidet ad salutem, neminem penitus deserens. *Præcipe hæc & doce.* Præcipere possunt multi, & cum fastu magno præcipiunt: sed legitimè præcipere atque docere nequaquā qui non didicerunt, possunt.

Nemo adolescentiam tuam contemnat, seu iuuentutem. Noli quicquam agere quo te contemnēdum præbeas & ridiculum, quasi iuuenem, ac si dicat: Ostēde te moribus & grauitate maturū ac senem. Ad illum enim præceptū hoc dirigit, non ad alios: vnde sequitur: *sed esto exemplum fidelium, &c.* Maxima est cacophonia, quando pugnat cum sermone bono improba vita. Fit enim sermo tunc contemptibilis, & insuper blasphematur Dominus. Sicut & quando sermo est malus & vita bona, saltem apparens. Siquidem fieri nulla ratione potest, vt sit verè bona vita cum sermone malo: quia sermo ex corde prodit. Scita est illa B. Gregorij sentētia: Cuius vita despicitur, quid iā restat nisi vt illius prædicatio contemnatur? Itaque simul debent ista duo coniūgi. Et ait primò, *in verbo*, aut potius sermone.
Iaco.3. Nam qui verbo non offendit, hic perfectus est, *In cōuersatione.* Magna laus est & digna omni premio, cōuersari sanctè cum hominibus, *In charitate*, Charitas sola istud efficit: charitas enim neminem lædit, non queritur, non irascitur, non est procax, omnia suffert, omnia sustinet. Et hæc sunt amabilia quæ societatem mirè conseruant, *In spiritu*, homo enim spiritualis semper quæ sunt Spiritus tractās, de sæcularibus non se implicat, *In fide*, quoniā multum prodest exemplum fidei. Qui enim videt hominem firmum, & nullo modo in fide nutantem, & ipse ad credendum inducitur, *In castitate*, aut potius puritate. Hæc est munditia quædam cordis & animi simplicitas. Quare stultè quidam & mendaciter dixit: Lasciua est nobis pagina, vita proba. Et alius similiter dixit: Castum decet esse poetam, nō tamen eius versiculos. Quæ vt redolent argutias pueriles ita hæc omnia manifestā falsitatem continent. Dominus enim nos docet hominē de thesauro suo bono proferre bona, non mala: non impudica, & lasciuiarum plena, & scurrilia.

Dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, &c. Tria hæc se mutuo comitantur, lectio, exhortatio, doctrina. Ex lectione efficitur vt valeamus exhortari & docere. Et hoc contra multos qui tentantes Deum negligunt lectionem, putātes de improuiso Spiritum sanctum iti succursum. Succurrit quidem Spiritus & valdè, si nos tamen nostris partibus non defuerimus. Non enim miraculo decet ea fieri, quę in nostra sita sunt potestate. Quod
Matt.11. verò legimus: Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, &c. locum habet in summis viris, & extremis periculis, quum iam humana sapientia ac vires nihil iuuant.

Noli negligere gratiam quæ in te est, &c. Quidam se stultè arbitrantur esse innocētes, si non quidpiam committant sceleris: & non vident quantum est mali omittere gratiam Dei: vt si sacerdos non sacrificet, si prædicator non prædicet, si Episcopus non intendat, cui hoc ex officio incumbit, si religiosus progredi in via Dei nō curet. Hoc est enim negligere gratiam iam à Deo acceptā. Timotheus autem acceperat eam gratiam episcopatus per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Nam plures presbyteri, id est, Episcopi consecrarunt eum, vt mos est. Et B. Paulus fuit vnus, sicut expressè dicit sequenti epistola.

Hæc meditare, aut potius ista exerce, *In his esto*, hoc est, totum his teipsum impende. Quod verò sequitur, *vt profectus tuus manifestus sit omnibus*, consecutiuè intelligēdum est. Non enim suadet vt ob hoc faciat, vt manifestetur: sed vt illud faciat, ex quo hoc sequatur in laudem Dei. Sicut Christus dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant *Ibid.5.* opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, &c. Græcè enim legitur, *vt profectus tuus manifestus sit in omnibus.* Quemadmodum enim signum sciētis est posse docere: ita virtus Magistri patet in discipulis. Et hæc est Episcopi gloria, videlicet sanctitas sibi commissi populi, & pax in Christo. *Attende enim tibi & doctrinæ, &c.* Vide (quæso) lector, quàm instanter Apostolus monet, vt ista omni studio ac solicitudine curet. Loco nō ita remoto dixerat: Hæc proponens frattibus bonus eris minister Christi Iesu. Tum adiecit: Præcipe hæc & doce. Item sub hæc: Attende lectioni & doctrinæ. Tū addit: Hæc meditare, in his esto. Denique in hoc claudit, *Insta in illis*, non in altero tantum. Sunt non pauci qui ita attendunt soli lectioni vt se ipsos deserant omnem sui curam abiicientes. Quibus quid stultius dici aut fingi potest? Ediuerso reperiuntur qui sibi solis volunt sine lectione attendere. Et tales sæpenumero errant: quia nesciunt quid sit hominem verè spiritualem esse. Porrò alios quosdam videas vtrunq; sapienter coniungere. Sed isti valdè rari sunt: ideo & maiorem commendationem merentur. Vide igitur in illa ecclesia primitiuorum quando Spiritus erat in summo, quomodo etiā viri magni, qualis erat Timotheus, vt ad hoc scripturarum studium omnino intenderent, ab Apostolo inuitabantur: Alioqui è cœlo oporteret assiduè doctrinā expectare, ac valdè perfectum esse, quod paucorum est, vt B. Ioannis Baptistæ, & Apostolorum quibus dictum fuit: Cum *Matt.5.* steteritis ante reges & præsides nolite cogitare quid aut quomodo loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Quę prudēter sunt intelligenda. Ita enim poscebat necessitas, & conditio personarum quæ mittebantur ad euāgelium prædicandum. Imo summa Dei virtus & potentia, quæ in hominibus ignaris & imbecillioribus eo excellentius reluceret, quo illi in seipsis considerati abiectiores erant. Quæ, rogo, prudentia extitisset, ab initio ipsius Alphabeti instituere piscatores & rudes homines, iamque ætate prouectos? Certè vel plures anni abiissent antequā Petrus legendi promptitudinem cōparare potuisset. Quando igitur ad subtiles legis quæstiones intelligēdas & explicandas peruenisset? Qui igitur cōtra carnis prudentiam tales elegit, secundum suam summam sapientiam nullo alio doctore à seipso doctos reddidit. Hæc fuerunt illorum propria, non omnium.

Vide perspicuè quomodo B. Paulus Timotheum hortatur vt diligenter studiis attendat, neque alia via Spiritum expectet. Adiuuabit quidē Spiritus, sine quo nulla vera eruditio acquiri potest, sed nostrum laborem iuuabit, nō fouebit inertiam. Sunt ergo copulanda hæc duo, videlicet attendere sibi, & doctrinæ, quorum fructum indicat, aiens: *Hoc enim faciens, & teipsum saluum faciet, & eos qui te audiunt.* Te, inquit, saluabis si tibi attenderis: & eos qui te audiunt, si doctrinę, qua illos pascere valeas, dederis operam. Qui enim aliis præficitur, vitæ suę tenorem sic temperare debet, vt dum saluti suę consulit, communem ouium non deserat: & item communem omnium sibi creditorum salutis curam sic suscipiat, vt suæ quoque promouendę meminerit. Quæ duo Prælatus implet sibi attendens, & doctrinæ. Istud est facere & docere, vt tandem
Matth.5. vberrimum sui laboris fructum percipiat in regno cœlorum, vbi qui fecerit & docuerit, iuxta pollicitationem Domini, magnus vocabitur.

CAP. V.

SENIOREM ne increpaueris, sed obsecra vt patrem: iuuenes, vt fratres: anus, vt matres: iuuenculas, vt sorores, in omni castitate. Viduas honora, quę verè viduæ sunt. Siqua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primū domum suam regere, & mutuā vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die. Nam quæ in delitiis est, viuens mortua est. Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint. Siquis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

EXplicat nunc Apostolus qua moderatione se se erga varios hominum status gerere debeat Timotheus, ne salutaris doctrina alieno vel tēpore vel modo tradita suum finem non consequatur. Neque enim sunt omnes eodē genere sermonis ad virtutes sectandas, vel ad peccatorum satisfactionem alliciendi. Ait igitur primùm:

Seniorem ne increpaueris, Græcè, ἐπιπλήξῃς, id est, ne plagis affeceris. Haud dubium quin verborum plagas (vt iam præmonuimus) intelligere oporteat, *Seniorem*, seu presbyterum. Presbyter nomen est & ætatis & dignitatis. Hic videtur ad ætatem referendum, vt possit aptè cum sequentibus cohęrere, dum ait, *iuuenes vt fratres*, Senectus ipsa etiam apud paganos, semper æstimata est digna quam reuerentur natu minores: quoniam in antiquis, ait B.
Iob 12. Iob, sapientia, & in multo tempore prudentia.

Iuuenculas (seu iuniores) *vt sorores in omni castitate*, seu puritate, vt nec ipse oculus, nec gestus, nec verbum quicquam indicet aliud, quàm puritatem quandam angelicam, & eius violandæ horrorem. Pudicitia enim virtus est non solùm impetum libidinis coercens, sed & signa cohibens.

Viduas honora quæ verè viduæ sunt. Honorem intelligit qui cum subsidio bonorū terrenorum impenditur. Honoris autē & mercedis ista est differētia, vt omnis honor sit honorabile debitum, quod redditur nō habita ratione operis & laboris, sed potius inspecta ipsius personæ dignitate. Merces verò operi & labori ex ipsa iustitia redditur. Vnde honoratia vocantur quæ sublimibus viris tribuuntur ob ea opera quæ non cadunt sub æstimationē mercenariorum. Cum igitur magnus olim fidelium esset concursus, opus fuit vberioribus charitatis officiis abundare, quæ inter se à conditione status seruare ordinem debent. Erat autem olim status in coniugatis, viduis, & virginibus. Porrò viduarum ac virginum status, cum ad eius puritatē natura non euehat, voto ab institutione Christi & præstantiæ euangelicæ instituebatur: nec absque voto admittebatur talis status. Bona autem ecclesiæ in huiusmodi personas desolatas & inopes distribuebantur. De his ergo sermonem habet Apostolus, quibus vult honorem exhiberi. Sed primùm vult eas esse verè viduas, quod est, illum statum voto esse professas, & ad tenorem illius vioētes. Non enim verè vidua censeri illa debet, quæ non certò deliberauerit abstinere à secundis nuptiis. Sicut non est verè virgo sine virginitatis voto.

Honoris & mercedis differentia.

Si qua autē vidua filios, aut nepotes habet, discat, &c. Quidam pro, discat, reposuerunt, discant, illud referentes ad liberos, vt sit sensus: Vidua quæ habet liberos non facile est admittenda in ecclesiæ ministerium nisi primùm liberi sciant regere domū, & vicem reddere parentibus. Loquebatur ergo de votis quæ sanciebantur in facie ecclesiæ (vt dixi) quæ faciebant mutationem status. Hæc enim vota non admittebantur passim, nec omnium prorsus. Vnde nec talis vidua recipiebatur, quæ poterat permanere domi cū liberis in viduitate, & ab iis sustentari, ne grauaretur ecclesia. Et hoc liberi eius debent scire ipso facto, mutuā scilicet vicem parentibus esse reddendam. Sed melius, discat, vt B. Ambr. & Chrys. legunt. Nam sic mutuam vicē reddunt dum nutriti nutriunt, & mutuam vicem reddunt vel parentibus, vel parentum filiis.

Hoc enim acceptum est coram Deo. Acceptum, pro acceptius. Hebraicè enim comparatiuus pro positiuo ponitur. Melius ergo erat talibus viduis permanere domi & familiam regere, quam seruire ecclesiæ. In huiusmodi autē solent decipi viduæ, quæ discretionem Spiritus non habent.

Quæ autem verè vidua est & desolata, &c. Ecce qualis est vera vidua, nimirum tota mancipata Deo, & ab eo sperans omnia, etiam annonam, sicut ab Imperatore milites expediti. Nam bona que sunt ecclesiæ & Dei, quibus seruirēt nisi huiusmodi personis? *Quæ in delitiis est, viuens mortua est.* Vidua illa in delitiis esse dicitur, quę non seruat luctū perpetuū sed mundi blanditias adhuc sequitur. Hæc veram vitam ignorat: & viuens corpore, mortua est spiritu & anima. *Et hoc præcipe vt irreprehensibiles sint.* Reprehensio est de aliquo indecente: quod variè sumitur in multis propter statum. Sunt enim quædam indecentia senibus: iuuenibus autem non ita. Et sic in reliquis.

Si qua autem suorum, & maxime domesticorum su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fidem non habet, fidem negauit, &c. Mirabile istud est visum quibusdam, quòd talis fidem iccirco negauerit, quia nõ agat curam suorũ: imò etiam quòd maius sit & grauius peccatũ suos negligere, quàm derogare Deo fidem, quod est infidelitũ. Respondetur: Illa satis fidẽ dicitur factis negare, quæ contra fidei iussa aliquid agit: maximè verò si quę agit prætendat ex fide esse, velut præsenti loco (ni fallor) necesse est intelligere. Ea parte autem est infideli detetior: quãdoquidem infidelis, quatenus talis, non violat iura naturæ. At qui talia agit, contra naturæ instinctum agit.

Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sãctorum pedes lauit, si tribulationem patiẽtibus subministrauit, si omne opus bonũ subsecuta est. Adolescentiores autem viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otiosæ discunt circuire domos, non solùm otiosę, sed & verbosæ, & curiosę, loquentes quæ non oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt retrò post satanam. Siquis fidelis habet viduas, subministret illis, vt non grauetur Ecclesia, vt iis quæ verè viduæ sunt, sufficiat.

Quæ exigãtur in verè viduis. *Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, &c.* Considera quænam sint ea quæ in vidua oporteat concurrere, prius quàm ad vidualem statum valeat admitti. Tria hic à Beato Apostolo exiguntur, vt solidè persistere in ea vocatione & statu possit. Primum est ætas, quæ est annorum sexaginta. Nam tunc ætas deserbuit. Secundum, Quòd fuerit vnius viri vxor. Nam quæ plurium fuerit, irregularis (quo ad hoc attinet) efficitur. Sed cur nõ in viro religionem profitente idem attenditur? Debere attendi crederem, non propter signum vllũ, sed propter indecentiam: quanquam non ita vt in fœminis. Sẽper enim in mulieribus magis quàm in viris notatur impudicitia, & digamia. Et propriè viduitas est fœminarum, non virorum: qui non ita vxoribus indigent, vt propterea dicantur vidui, sicut fœminæ viris. Vnde & propter signum in mulieribus hoc consideratum est ab Apostolo. Nam ecclesiam per viduam significari manifestè in scriptura constat. Significatur enim ecclesia in Anna vidua quæ obsecrationibus, & ieiuniis nocte & die vitam ducebat. In alia item vidua, cuius vnicũ filium Iesus à mortuis excitauit. Significata est & quondam in illa, ad quam missus est Helias vt ab ea famem fugaret. Et de his meritò solus B. Lucas meminit, ad quem maxime pertinuit Sponsũ mortuum exhibere Christum, hostiam nostram. Item & in illa paupercula vidua significatur, quæ misit duo æra in gazophylacium, id est, quicquid habuit & temporalis & spiritualis boni tribuit Christo, non inflata more pharisaico de propria iustitia, sed se pauperculam respiciens. Huius meminit & B. Marcus. Tertium quod exigitur est, vt habet bonum testimonium non in fide tantùm, sed & in operibus bonis. Quæ sint autem hæc bona opera declarat:

Luc. 2. *ibid. 7.* *4. Reg. 4.* *Luc. 21.*

Si filios educauit. Nam paruulorum educatio est propriè mulierum: nec cibum tãtum præbere corporis, sed & integritate sanctorum morum mentem instituere debẽt & timore Domini. Sic enim deberent parentes pro conditione status viuere, vt semper verius essent patres mẽtis, quàm carnis.

Si hospitio recepit, scilicet pauperes & aduenas, fideles tamen. *Si sanctorum pedes lauit.* Hoc erat vetustissimi moris. Obseruatur in hodiernum diẽ apud religiones reformatas, vbi primum ex itinere recipiuntur hospites. *Si tribulationem patientibus subministrauit.* Hoc valdè necessarium, & pertinet ad misericordiæ opera. Nudus fui, ait Dominus, & cooperuistis me. In carcere, & visitastis. Eruiui, & pauistis, &c. *Si omne opus bonum*, id est, charitatis & officij prosequuta est. *Matth. 25.*

Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint, &c. Quasdam fugiendas præcipit viduas propter earum insolentiam & instabile ingenium. Erant enim aliquæ pauperes, quæ rerum penuria pressæ, cibi gratia profitebantur. At cum pabulum accepissent, & carni vires suas restituissent, tentationibus illius resistere nolentes recalcitrabant. Nam fræni impatientes, iugum Iesu Christi abiiciebant, & nuptiarum expertas delitias repetebant, De iis dicitur:

Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id est, promissionem qua Deo promiserãt se contentas esse primis nuptiis, nec ad secundas redire velle. Et hoc dicitur prima fides, scilicet quam post viri obitum voto astrinxerãt. Et hic locus aduersus hæreticos potentissimus, qui negant in sacris scripturis haberi vota. Et itẽ aduersus eos qui paris meriti esse docere audent, & non minus gratum & acceptum quod fit citra notũ, quàm quod voto promissum & solutum: quod est contra euidentissimam rationem. Qui enim vouet & reddit, est (vt dicitur) veluti qui ipsam integram arborem cum fructibus donat. Qui autem sponte sua absque voto reddit, fructus quidem donat, sed arborem arborisque possessionem sibi retinet. *Simul autem & otiosæ discunt circuire domos, &c.* Harum iuuẽcularum viduarũ mores non bonos describit, quę discunt simul otiosę circuire domos, videlicet officij prętextu & visitationis, non negotij causa & officij necessarij, sed nugandi gratia. Otium enim negotium parere debet, sed tale negotium quod ad rem pertineat: alioqui otium est non negotiũ. Vnde ait, *non solùm otiosæ, sed & verbosæ*, aut potius nugaces & curiosę. Peccatum magnũ & plurimorum etiam virorum, ad cognoscenda aliena facta promptissimorum, & ad vitam proptiã rectè traducendam negligentissimorum. Nullum enim certum habent scopum & finem sibi propositum, ad quem dirigant omnem suam vitam, cogitationes verba & facta. Ideo isti loquuntur quę non oportet, id est, quę non faciunt ad rem, & dissipati sunt

Pro votis, contra hæreticos.

nec vniti, non intelligentes illam Domini sententiam: Porrò vnum est necessarium, hoc est, vt vniãtur quæ sunt in nobis animæ porẽtiæ, videlicet ad diligendum, & puro corde seruiendum Deo, per dilectionem cuncta ad illam ordinando.

Volo ergo iuniores nubere. Quia non sunt idoneæ, quæ in tam sublimi statu cœlibatus proficiant. Et hoc ex consilio, non autem secundum imperium: alioqui intellige de iunioribus non solũ ætate, sed & moribus. At si in ætate non ita prouecta appareat senilis prudentia, & mores integri, nõ est existimanda ea mens Apostoli, vt repellere eas vellet ab hoc sancto proposito. Multa sunt quæ lege vniuersali non possunt comprehendi, sed indigent temperamento. Meminerit fortè aliquis verborum Apostoli superius ad Corinth. & obiiciet: Cur igitur ita loquitur? Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut & ego. Et in fine sic concludit: Beatior erit si sic permanserit, secundum meum consilium. Hoc autem in loco videtur potius ad contrahendas nuptias consulere. Sed hoc adolescẽtioribus, & de quibus non est pudicitiæ ob iuuentutem securitas, & semel gustatas carnis illecebras. At hoc ad virgines trahi nec potest, nec debet: alioqui esset dãnare omnem Christianorum consuetudinem rectissimam, & probatissimam à sanctis viris. Quod tamen Caietanus non est veritus, vt in annotationibus nostris ostẽdimus. Illud iam sæpius attigimus, quod mirum in modum fuit semper in consideratione, videlicet vt prospiceretur famæ, & nulla daretur iusta occasio, saltem probabilis, maledicis. Accipiebãt enim occasionem plerique ex eo quòd quædam cõuersę erant, & defluxerant retrò post satanam. Qui enim apostatat à Christo, necessariò sequitur apostatarum principem satanam: quod iam nunc multi pro ludo habent. Sed breui iunt lusuri. Fuit semper & erit in omni statu corruptio: nec propterea deserenda sunt castra Dei, si qui perfidi milites ab his ad hostilia deficiunt. Et in Christi collegio omnium optimo & perfectissimo inuentus est vnus omnium pessimus. B. Augustinus & omnes sancti animaduerterunt quæcunque poterant in contrarium ab iis adduci, qui vt turpiter agant, peccantiũ exemplis se vestiunt. Conuersæ sunt quædam viduæ retrò post satanam. Non sunt igitur seruanda vota? Imo immutanda est fallax cõclusio. Sunt ergo seruanda, nec abeundum post satanam. Sed B. Augustini verba postquam isti fingunt se illius authoritatem non detrectare, afferamus. Nemo vos fallat. Si non vultis falli & vultis amare, fratres, scitote omnem professionem in ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. Sũt Christiani mali: sed sunt & boni. Quasi plures malos vides: quia paleæ sunt, nec te ad granum peruenire permittunt. Sunt ibi & grana: accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium, inuenis moniales indisciplinatas. Nunquid ideo sanctimonium reprehendendum est? Multę non stant in domibus suis: circumeunt domos alienas curiosę agentes, loquẽtes quæ nõ oportet, superbæ, linguatæ, ebriosæ. Sed si virgines sunt, quid prodest integra caro mente corrupta? Melius est humile coniugium, quàm superba virginitas. Si enim nuberet, non haberet nomen vnde extolleretur, & haberet frænum quo regeretur. Sed nunquid propter virgines malas damnaturi sumus & sanctas corpore & spiritu? Aut propter istas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? Vtique vnus assumetur, & alter relinquetur.

1. Cor. 7. *Extract. Psal. 99.* *Nota*

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Nõ alligabis os boui trituranti. Et dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterũ accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes, coram hominibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias sine præiudicio nihil faciens in alterã partem declinando. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere: sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quorũdam autem & subsequũtur. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habẽt, abscõdi nõ possunt.

Qui bene præsunt presbyteri, &c. Presbyteros hoc in loco manifestè sacerdotes & Episcopos vocat, quos præesse supponit. Et honorem duplicem intelligit, qui est reuerentiæ & subsidij: quoniã mente & corpore laborant. Vt sapiẽs igitur dignus est honore. Vt verò docens & vtilitatem afferens, meretur vt non militet suis stipendiis.

Possumus insuper dicere duplicem honorem, alterum qui est ab hominibus, & alterum qui erit à Deo, quando dicet: Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Illud hic notandum, presbyteros vocari Episcopos, & eos quidem qui bene præsunt. Quòd si roges: Nũquid ergo iis qui non bene præsunt, debebuntur decimæ & fructus ecclesiarum, & alij honores: Apostolus eos qui bene præsunt dignos esse docet. Tibi non licet iudicare an ille bene præsit, an secus. Et ob eã causam perinde date teneris ac si bene præsit. Si instes: Res ipsa, inquiens, per se nota est & omnibus euidens. Vides enim non iam dispensatorem, sed dissipatorem rerum ecclesiasticarum, scortatorem, cõcubinarum educatorem & cinædorum, canum: vnde fraudantur bonis ecclesiæ pauperes, & ipsius ecclesiæ ornamenta lacera, parietes, tecta, & omnis diuinus cultus pessum eunt. Mores Episcopi sequitur clerus, licentia vitiorum impunitate donatur, & quæ sunt eius generis innumera. Vera hæc esse minime inficiamur, ne dicamus malum bonũ, & bonum malum, iisdémque tenebris inuoluamur. Verum quid hic agas? Nunquid tu lucri quicquam ex alieno peccato facere debes? Nõ tibi propterea permittitur, te vt ab obligatione soluas, & dispensatorem teipsum constituas, etiam si mille

Matt. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

egenos inde pascerès? Quis dubitat hunc indignũ honore suo? Sed cum reuerentia & honestis modis debet, qui eiusmodi est, admoneri. Qui si corre
Matth.18. ptionem non admittit, in promptu habemus quid agendum sit. Dominus ipse regulam dedit: Dic (inquit) ecclesiæ. Adire enim oportet superiorem, ad quem spectat hæc animaduersio. Tum manus lauisti, & quæ tuarum sunt partium implens, non obe rit ad meritum quoruncunque superiorum improbitas. Deus propter peccata populi multa sinit irrepere ad punitionem malorum, & ad probationem bonorum. Secus est si hæretica doceret, quo tempore neminem oportet esse patientem. Temporalium dissipatio non tanti faciẽda est, vt te ab vnitate separes ecclesiæ. Obseruatum est enim breui tempore tales regnare solere, quos vel gula aufert de medio, vel gladius, & secreta diuinæ iustitiæ vltio.

Affert autem Apostolus scripturam veteram ad probandum laborantibus dãdam mercedem, quæ ait: *Non alligabas os bouis triturantí*, Ibi legitur: Non li gabis os bouis triturantis in area fruges tuas. Et ne de boue crasso illo animali putes hoc præcisè debere intelligi, ipsemet Apostolus alibi proprium
1.Cor.9. sensum aperit aiẽs: Nunquid de bobus cura Deo? Nunquid propter nos potius hæc dicit? Nam propter nos hæc scripta sunt: quoniã debet in spe qui arat arare: & qui triturat in spe fructus præcipiendi. Sed vide congruentiam. Bouem vocat triturantem fruges in area, id est, doctorem scripturas terentem & discutientem in ecclesia. Nam scripturę frumentum continent absconditum sub tudibus verbis, quasi sub spicis & paleis contectum, vt iis sepositis nudum granum excipiatur & conficiatur animæ panis. Terit autem bos pedibus fortiter: quoniã conatus illi affectúsque laboriosi, quibus insudant in scripturis doctores, de spicis exire triticum bonum faciunt. Ad hunc laborem excitabat Apostolus. Hæc meditare, in his esto. Attende tibi & lectioni, insta in illis. Quid est hoc aliud, nisi dicere: Fige pedes tuos, & neruos omnes intẽde? Adiecit & aliam scripturam noui testamenti, *Dignus est operarius mercede sua*, Aperta est hæc, quã ipsa humana ratio per se suadet. Illa vetus ex ipsa similitudine qua vestitur, habet nescio quid maioris delectationis: licet idem in vtraque contineatur sensus. Operarium vocat hominẽ in agro Domini laborantem, cui etiam duplex honor assignatur pro mercede.

Sed hic magna exoritur quæstio: Nunquid hæc liceat exigere, & super huiusmodi pacisci? Et quo modo mercedis nomine huiusmodi honor vocari valeat, cum pro spirituali non sit digna atque congrua merces temporalis, sed ipsum mercedis nomen simoniam constituere videatur? Verùm hac de re super ea quæ ad Corinthios, satis videor mihi disseruisse, & libello item particulari de simonia. Longus autem sermo exigeretur ad hæc componenda, & satisfaciendum docto & pio lectori. Prosequamur igitur.

Adiuersus presbyterum noli accusationem recipere nisi sub duobus, aut tribus testibus. Sed hoc quod accusatio non admittatur nisi duobus aut tribus testibus suffulta fuerit, videtur non solùm in presbyteros, verùm etiam in omnes regulariter legitimum esse. Quidam propterea notant, quod ait, recipere, vt hoc sit specialis in presbyteri gratiam prerogatiua, vt non recipiatur accusatio, nisi prius idonei testes appareant: in aliis verò recipiatur, sed nullũ habeat effectum, nisi dum testimonium liquet. Mihi hoc commentum non quadrat. Sunt ergo codices in quibus hæc exceptio non ponitur, sed simpliciter prohibetur accipere accusationem in presbyterum, siue Episcopum, tanquam vnam de grauioribus causis. Et hoc puto verum ex Cap. Maiores de Bap. Ita vt inter apostolica decreta, hoc memoretur inter causas ad sedem apostolicam reseruandas, videlicet Episcopi accusatio. Quòd si hic non loquatur de Episcopo, sed de simplici sacerdote, adhuc nõ est mirum, si hoc fortè Apostolus voluit prohibere propter adolescentiam Timothei, sed sibi cognoscendam reseruare. Vel etiam vt ab accusando deterreret quosdam improbos homines, quorum fuit semper in sacerdotes Dei odium ne tam facile pateret & passim omnibus accusatoribus locus. Placet ergo vt hic locus legatur absque illo adiuncto, Nisi sub duobus, aut tribus testibus, ad quæstiones tollendas.

Peccantes, subintellige, in manifesto, *coram omnibus argue*, Et hoc ad presbyteros pertinere potest, *vt & cæteri timorem habeant*, Nam vnius correptio est admonitio atque exemplum multorum. *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.* Vel hoc de omnibus Angelis dixit, quos electos dicere possumus præ iis qui ceciderunt: Vel (quod magis placet) de certis illis septem Spiritibus qui ante Deũ
Apoc.1. astant, vt testatur Dilectus, inter quos primi sunt Michael, Gabriel, Raphael: aliorum quatuor nomina certò è scripturis non habemus. *Vt hæc custodias sine præiudicio*, id est, sine præcipitatione tumultuaria, declinando ad dexteram vel ad sinistram.

Manum citò nemini imposueris, videlicet in ordinibus conferendis. In Diaconis, & Sacerdotibus, & Episcopis manus impositio seruabatur, & seruatur adhuc. vt patet Act. 6. & alibi. Etiam illa gratia Spiritus sancti, quæ tunc sensibiliter veniebat, per manuum impositionem dabatur, vt patet in eo libro. c. 8 & 9 & alibi. Ergo quoties vel ordine, vel extra ordinem venire oportebat gratiã ad aliorum illuminationem, purgationem, perfectionem, inter cætera solemnia hoc seruabatur, videlicet manuum impositio, vt virtus Dei per ministrorum manus in eos videretur quodam modo effundi. Hæc ergo manuum impositio non citò erat imponenda, sed cum sale & pondere. At nunc, ô bone Deus, quid fit? Hic nec verbis quæ deficerent, nec exclamationibus quæ fortè non iuuarent abundabimus. Satis superque sit denuntiare quod venturum est. Væ illis & qui imponunt: Væ illis & quibus imponitur. Inde enim totius Christiani orbis venit corruptio, & religionis nostræ contẽ-
Matt.5. ptus. Nam si sal fatuum, quid erit terra? Si quæritur ecclesiæ reformatio, in hoc certè maxima & potior reformationis pars consistit.

Neque communicaueris peccatis alienis. Quod facile episcopus facit, dum tolerat minime toleranda, dũ non corripit corripienda, dum vituperanda non vituperat, dum non probanda probat siue hominẽ, siue rem, siue quemliber actum: & præcipuè si malam doctrinam non corripiat, si cũ hæreticis communicet, & cum infamibus & peccatoribus conuersetur, nisi fortè vt dominus ad correctionem, & presentibus viris grauibus & minimè suspectis.

Teipsum castum custodi, ab omni malo & peccato, & contaminatione tam mentis quàm corporis. *Noli post hæc aquam bibere, &c.* Hic apparet abstinentiam non prohiberi à cibis, nisi quando est nimis aduersa valetudini, & propter infirmitatẽ, quæ per se patienter tolerata, satis est magnus luctus.

Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, &c. Hic Apostolus notitiam vtilem tradit, qua sciamus circa homines iudiciũ rectum. Nam tunc rectè iudicamus, cum iuxta notitiam illam procedimus, quę à nobis haberi potest. Diuiduntur enim homines in bonos & malos. Et mali quidem, aut sunt in manifesto eousque mali, vt ante iudiciũ sint manifesti: aut oportet eos per iudicium manifestari. Similiter & boni, aut sunt adeò boni vt manifesti sint & probati coram oculis ecclesiæ aut adhuc latent. Quòd si tales fuerint, non poterunt sua die latere. Ergo de manifestè malis, & manifestè bonis loquitur: quoniam illi latere ob insignia flagitia & scelera, & hi tanquam lucernæ abscondi ob splendorem virtutum non possunt. Vt igitur est manifesta notitia, ita est regula vt illi vitentur, hi autem cum veneratione suscipiãtur. De aliis verò qui nec se per manifestam malitiam publicè ostendunt, nec per opera charitatis præclara sui certam notitiam exhibuerunt, expectandum est verum iudicium: quia nihil occultum quod non oporteat aliquando reuelari.

CAP. VI.

QVICVNQVE sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contẽnant quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est nihil sciens: sed lãguens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaspemiæ, suspiciones malæ, cõflictationes hominum mẽte corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Est autẽ quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hũc mũdum: haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, iis contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergũt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorũ est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Quicunque sunt sub iugo serui, &c. Vide quã occasionem accipiebãt ad seditionẽ homines secundũ carnẽ prudẽtes. Prædicabatur ab Apost. & aliis fidelibus prædicatoribus Christi legẽ esse legẽ libertatis. Accidebat ergo vt qui antea serui erant, post datum Christianæ religioni nomen, indignũ censerent si vlterius sub iugo scilicet infideliũ dominorum remanerent. Nam cum simpliciter libertas opponatur seruituri, putabant carnalẽ seruitutem repugnare Christianæ libertati. non intelligentes libertatem in quam per Christum vocati erant: & quòd tali libertati hæc humana seruitus, aut potius seruitium non repugnat. Non est enim Deus noster, dissensionis Deus, sed pacis. Quare per hæc dissidia dabatur occasio blasphemandi Christianum nomen & doctrinam apud infideles qui tanquam hoc esset secundum Christi doctrinam accipiebant, & murmurabant. Huiusmodi ergo seruis dicitur, vt arbitrentur dominos suos omni honore dignos. Non dicit arbitrẽtur ita pro certo censentes, si fortè iniqui fuerint & maligni, & digni omni malo, sed ait, Arbitrentur, hoc est, sic se gerant erga illos tanquam si tales essent, quia tales decet esse seruos, vt respiciant dominos suos vt dominos, id est, vt omni honore dignos esse etsi non sint. Ita quidam dixit de mulieribus, quibus debet videri vir proprius pulchrior omnibus, sapientior omnibus: quod non est aliud quàm contentas illo esse debere.

Rursum etiam videbatur inconueniens, mancipium Christianum esse sub Christiano aliquo & fideli domino: quod tamen similiter non est verũ. Quapropter subiecit Apostolus noster, *Qui autem fideles habent Dominos, &c.* Dominus noster non solùm quæ sunt iuris naturalis, verùm etiam quæ iuris Gentium sunt non tollit lege sua euangelica. Nam seruitus de qua loquitur, quã custodiri vult, non secundum naturam est, quæ facit omnes liberos. Nõ enim est illa seruitus de qua Philosophus in politicis, qui ait natura minus sapientes, magnis sapiẽtium seruos esse. Sed aliud est despostica hæc dominatio, de qua hic loquitur Apostolus. Merè enim iuris Gentium est hæc seruitus: nec tamen contra naturalem rationem. Nam cum tripliciter *Triplex genus seruitutis.* seruus quispiam fiat, aut bello captus, aut vernaculos, aut si se vendiderit cum conditione pretij participandi. Hæc omnia videntur non sine ratione: quia & bellum supposita legitima causa iustũ est: Ergo & quod sequitur ex iure belli. Hæc autem est radix seruitutis, & captiuorum, & vernaculorum. Non est enim absurdum posito inconuenienti cõtra legem sequi aliud, sed legitimè. Verbi gratia, Quòd sit bellum, est ex iniustitia alicuius partis, quod est inconueniens. Hoc autem posito multa conuenienter sequuntur, quæ alioqui simpliciter & absolutè considerata essent supra modum incõuenientia. Contingit enim sæpenumero vt sapientiores, serui sint dementiorum. Et tamen hæc iure postmodo contingunt suppositaliqua iniuria.

Hæc doce & exhortare, propter publicam videlicet pacem. Sed hæc nouí & miseri hæretici non vi

Universidad de Deusto
Biblioteca

derunt decertantes, & in ferrum pro serua & insana libertate ruentes. Non est enim vera libertas omnium segregare se à pastoribus.

Siquis aliter docet, &c. Vocat sanos Domini sermones, quia veritate pleni sunt, cui omnia consonant. Infirmi autem sermones sunt quos mendacium facit, & inualidos & reprobos. Vocat & doctrinam secundum pietatem non solùm quę est religiosa, sed quæ nullam occasionem contra ipsam religionem & pietatem præbet. At dare occasionē blasphemiæ, non id habet vt sit secundum pietatem: quod tamen ex eo procederet, si quis doceret in lege Christi iura Gētium violari, vt nullus Christianus homo seruus esse possit. Quisquis autē talis est, vt id, aut quid simile doceat, superbus est, seu superbiuit & nihil sciens, ait Apostolus: Multi videntur docti & non sunt seuera. Credo ego in rebus theologicis, quicunque contra Christum & eius sanam doctrinam loquitur, aut non ex animo loquitur, aut si ex animo loquatur, nihil scit: quia errat circa fundamenta. B. autem Apostolus ait quòd homo huiusmodi languet circa quæstiones & pugnas verborum, id est, sequitur verba magis quàm rem: verbis magis quàm rationi attendit. Et hoc est languere, non substineri in neruis & fundamentis fidei. Verbi gratia: scriptum est, Oportet semper orare: hinc Euchitæ hæretici occasionem sui erroris superbè sumpserunt, mordicus defendē tes semper esse orandum. Alibi de Ioseph & sanctissima Virgine dicitur, Antequam conuenirēt. Et non cognoscebat eā, hinc Heluidiani. Alibi: Omnia munda mundis. Et omnis creatura Dei bona est. Et nihil reiiciendum est, &c. Hinc Iouinianus. Et ita de hæreticis antiquis. Sic & nunc neoterici: quia legunt de fide multa, quòd illa iustificat & nō legis opera, solam fidem commendant, ita vt seuera excludant & charitatem & opera: quanquā hoc ipsi negent, quia secum constare non possunt. Nā Christi promissionem factam credenti, non operanti dicunt: imo credenti & non operanti, cum tamen tam clarè redditurum se pronuntiet Christus vnicuique iuxta opera sua. Ex his autem quæstionibus & verborum pugnis oriri ait Apostolus inuidias, contentiones (Græcè legitur in singulari inuidia, contētio) blasphemias, suspiciones malas, conflictationes hominum mente corruptorum. Vocat homines mente corruptos, qui descendunt in hæc vitia repugnante conscientia, & accipiente cauterium. Dominus enim permittit tunc obscurari lumen, & venire regnum tenebrarū: vnde veritate priuantur & errant. Adiecit:

Existimantium quæstum esse pietatem. Hinc etiam nata est peruersa hominis doctrina dicentis ipsum dominum nunquam docuisse quæstum, nūquam ordinauisse religiosis vt quererent, & mēdicarent, & ita viuerent de alieno. Et hoc, quia non est res pietatis. Et verè quæstus non potest dici pietas in veritate, aut pietatis res, quia verbum, Quæstus, significat aliquid auaritiæ, & quod supra necessitatem quæritur: hoc enim est quæstus, qui non est pietas, neque sub pietate. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* Ostendit quisnam sit verus quæstus, scilicet pietas, cui debetur cœlum, nimirum ipsa religio, qua homo Deum honorat, & colit per charitatem & obsequia quælibet. Hic enim quæstus est longè vberrimus. Sed quoniam opus est viuere (nō enim omnes exercere possumus pietatis opera absque victu) ideo adiecit comitē pietatis sufficiētiam. Quid est sufficiētia, nisi tantum quantum sufficit, & non vltrà quicquam? Ergo quod hanc excedit sufficientiam, quæstus est, & non pietas, & pietatem violat. Quod verò nō excedit, cum pietate est, imò ex pietate est: sic enim dictat pietas, & non est quæstus. Et cùm id quod sufficiens est, habetur per humilitatem & abiectionem mendicitatis, certè magis ex pietate est, cùm hoc sit humilitatis, quando homo propter Deum, se subiicit huic sorti vilissimæ, quæ est ex mendicato viuere. Postremò ridiculum est quod cōcedit Caietanus posse quidem alium pro alio mendicare, pro se ipso autem non posse. Nam si mēdicitas malum est propter rapinam, quantò magis prohibenda ne pro alio fiat? Etsi bonum est propter humiliationem, quantò id eriam melius pro se agetur? Et præter hæc: Quid quæso interest, vt quid fiat per se, an per alium, modo idem resultet vel boni vel mali ex facto? Si enim solus quæstus attenditur, & tanquam non ex pietate proficiscens vituperatur, semper vituperio dignus erit. Sed nō opus immorari in his, quæ manifestè contra ipsam pietatem pugnant.

Abstine teipsum à talibus. Hoc in Græcis legitur: interpositum tamen est ante hanc sententiam, *Est autē quæstus, &c.* Et significat quod alibi interpres expressit, Deuita eos qui huiusmodi sunt, vt etiam deuitentur ab aliis velut impij. Non enim tolerandi sunt qui contra veritatem legis fidei docent. Et quos deuitat episcopus, suo facto signat vitandos quoque esse ab ipsa plebe. Quid ergo merētur miseri Episcopi qui communicant & conuersantur cum hæreticis: imò ipsi hæretici sunt, hoc est, lupi quibus crediтę sunt oues Christi? *Nihil enim intulimus in hunc mundum, &c.* Alius idem dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Hoc verbo significans non esse naturale intendere bonis quæ nec nobis natura insunt, nec nos hinc abeuntes comitantur. Quid igitur frustra laboramus & congregamus, ignorantes quibus congregemus? Thesaurizat, inquit propheta, & ignorat cui congregabit ea. Longè esset satius relinquere liberos & affines aliqua penuria laborantes, quàm diuitiis affluentes. Intrāt in labores aliorum, qui cum non sint experti quanto sudore acquirantur facultates, conuiuiis, luxuriis & aleis breui tempore consumunt omnia. Quibus si relicta fuisset à parentibus solicitudo victus quæritandi, fortè nec ista amisissent, nec æterna. *Habentes autē alimenta, &c.* & meritò. Quicquid enim amplius est, superfluum est. O vani filij hominum & duri corde qui tanti faciunt vestium apparatum. At proprio nomine non dignatus est Apostolus, sed quibus tegamur, ait: Verè satis est vel vilibus carnem tegi mox terram futuram, & vermium escam.

Nam qui volunt diuites fieri. Volētes ditari notat, non qui diuites sunt, sed qui hūc animi nerues tē dūt, *Incidunt in tentationē & in laqueū diaboli.* Tēratio non mala est, nisi in eam nostra culpa incidamus, & imparati inueniamur ad resistendum: alioqui bona est & magni meriti tētatio. Nam qui nō est tentatus quid scit? Ipse igitur homo est qui sua culpa

Luc. 18.

Iob 1.

Eccl. 34.

culpa dat locum tentationibus otio torpens, vel negotio malo deditus: vt siquis curiosè agat, nec ea curet quę suarum sunt partium. Diabolus enim diligenter obseruat nos, & cum non inuenit hominem occupatum in operibus bonis, aggreditur & obruit. Item si in tribulationibus constitutus non deprecatur, intrat facile in tentationem. Ideo dixit Dominus in tempore persequutionis magnæ: Orate, vigilate, ne intretis in tentationem. Si etiam in prosperis non agit gratias, nec se tāto magis humiliat, incidit in tentationem superbiæ, elationis, & huiusmodi. Si habet scandalum ab oculo & non fugit, & non amputat sibi oculum, & ita manum, & ita pedem, & si quid aliud quod obstat veritati, intrat in tentationem. Sic homo qui vult fieri diues intrat in tentationem furandi, rapiendi, iniustè agendi, aduocatione, procuratione, mercimoniis, authoritate & potestate tyrannica: Vnde sequuntur mendacia, periuria, fraudes, iniurię, violentia, quibus omnibus homo dat locum volens fieri diues. Id verò quamobrem? Quia id vult quod nocet, quod est plenum insidiis & laqueis. Vnde sequitur, *& in laqueum diaboli.* Hic enim laqueos strictos tēdit, quibus ita comprehendit pedes vt nequeant abire, aut collum vt strangulentur, *& desideria multa, inutilia, & noxia.* Certè homo qui ad diuitiarum cumulum tendit, incipit habere oculum ad domum proximi sui, aut ad vineam, aut ad oliueta & agros, & vult illos siue vi seu iniuria, aiens intra se: Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere. Tu verò audi quam seuerè in eos propheta inuehatur: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agro agrum copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Memento Iezabel quæ significat insulam sterquilinij: aut væ sterquilinio. Verè enim sterquilinium est diuitiarū cupido, quod per Iezabel significatur, quæ suadet Achab malum contra Dominum: lege libros Regum. Dicit autem, *desideria multa*, quia: Crescit amor nūmi, quantum ipsa pecunia crescit. Dicit, *inutilia*, quia quod superfluum est, inutile est. In Græcis tamen legitur, ἀνόητα, id est, irrationabilia. Nam ratio repugnat vt ea quæ sub nobis sunt, nobis imperent. Dicit, *& noxia*, quæ etiam quoad mundum ferunt secum difficultates, labores, anxietates, lites, inuidias, & innumera mala, *quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Vide quàm aptè dicat, mergunt. Dominus dixit: Et suffocant verbum. Sicut enim suffocant veritatem verbi, ita & homines mergunt, vt non valeant euadere propter ipsum peccatorum pondus quod secum ferunt, & affectus terrenos: quia curuatus est homo, nec potest sursum conspicere. Aurum est materia laborum, periculum possidentium, virtutum exilium. Aurum malus dominus, proditor seruus. Aurum plus cruciat apud quem copiosius fuerit. Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis cupidæ angustiis. Illæ eleuant ad superbiam: hæ incitant ad querelam. Laqueus sunt in securitate, laqueus in timore. Nec interest vtrum animus qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur an curis, cum par morbus sit vel sub vna delectatione languere, vel sub anxia solicitudine laborare. Auri custos securitatem non habet, nescit quietem: & cui deest securitas, quomodo potest adesse quies? Hæc melius norunt qui diuitias perditè amant. Et licet sentiant verum esse quod Apostolus subiunxit, non tamen hanc pestem fugere volunt. *Radix enim* (inquit) *omnium malorum est cupiditas.* Facile enim esset vim huius radicis videre, si consideraremus in multa exempla, & quomodo multi eam cupiditatem appetentes, id est, ea quæ ista cupiditas monstrat corruerunt. Sic & spes pro rebus sperātis, & cupiditas pro rebus concupitis accipitur. *Errauerunt à fide, & inseruerūt se doloribus multis.* Non opus est ad hoc probandum multis historiis. Assiduè enim hoc in humana vita contemplari licet, & ante ipsos oculos exempla conspicere: quamobrem velut rem pestiferam & pernitiosissimam vult à Timotheo vitari. Est enim in Episcopo præcipuè execranda.

Tu autem, ô homo Dei, hęc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen: apprehende vitam æternam in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi corā Deo qui viuificat omnia: & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula irreprehēsibile vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi: quē suis temporibus ostendet beatus & solus potēs, Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatē, & lucem inhabitat inaccessibilē, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperiū sempiternum. Amen. Diuitibus huius sęculi pręcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge, ab iis longissimè recede. Certè homo Dei non potest esse in iis quæ à Deo multum distrahunt: quale est auaritiæ peccatum, quo si mens semel infecta fuerit, ita grauem reddere solet, vt ad sublimia appetenda attolli non possit. Vnde quidam rectè: Nihil tam angusti animi quàm amare pecuniam. Quanto igitur pudore suffundi debent inter alios quidē prælati, quos hæc teterrima cupiditas ita possidet, vt sæculi hominibus auidius congerendis numis inhient? Et tamen fugienda sunt hæc omnia, & ad

Marc. 14.

Isa. 5.

Marc. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veras diuitias aspirandum, quas ostendit Apostolus, addens: *Sectare vero iustitiam, &c.* Notæ sunt virtutes quas enumerat, & alibi explanatæ. Fidei certamẽ dicitur omnis conatus & pugna quę propter cœlestia suscipitur, *Apprehẽde vitam æternam*, id est, regnum cœlorum quod vim patitur, & à violentis rapitur, non à desidibus & tepidis, *in quam & vocatus es, & confessus bonam confessionem*, Melius, bonam professionem. Ego puto Timotheum renuntiasse omnibus bonis mundi huius solemniter. Id enim fiebat à plurimis, vt de huiusmodi confessione, seu professione loquatur hic Apostolus. Aut fortè episcopalem professionem dicit: *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia*, id est, cuius est viuificare omnia, cum sit ipse vita: Et viuificat quæ digna sunt vita, *& Christo Iesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, &c.* Testimonium profectò reddidit veritati, quod ipse confessus est verbo primùm, dum Pilato interroganti respondens, ait: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Et facto, dùm ob veritatis prædicationem mortem est acerbissimam perpessus, & mortem crucis. Vnde Iudæos increpabat: Si veritatem dico vobis, quare nõ creditis mihi? *Vt serues mandatum*: Fortè mandatum prædicationis intelligit, quod accepit in episcopatus professione, quod omnino seruandum est. Aut absolutè mandatum vocat omne quod Christo tenemur seruare. Nam mandatum nostrum Christus est, & charitas, vt diligamus nos inuicẽ, sicut ipse dilexit nos, *sine macula irreprehensibile*, seruat autem mandatum hoc sine macula irreprehensibile, qui & pietatẽ in Deum, & iustitiam in proximum, & moderationem in seipso custodit, *vsque in aduentum Domini*, siue apparitione, quando tibi apparebit iudex. Nam perseuerantiam desiderat Apostolus, & opportunè quidem ac merito. Opus enim erat maxima animi magnitudine vt posset Timotheus ætate iuuenis, & fortassis natura meticulosior, in illa ciuitate intrepidè euangelicam fidem tueri, vbi tot erant inuidi & maligni homines, qui vel auaritię dediti, vel falsorum Deorum cultum acerrimè defendentes, negotium facessere Præsuli non desistebant. Nam legitur in Act. quantam seditionem concitauerint artifices ob sublatum quæstum, qui ex templo magnæ Diianæ proueniebat. Et licet sedata fuerint post omnia: non propterea dormit antiquus hostis, quin nouas semper moliatur insidias, præsertim cum animaduertit regnare inculpatæ vitæ superiorem. Propterea adhibet hic Apostolus ad Timotheum tantam adiurationis efficaciam, vt intelligens rei grauitatem & obligationem non torpeat: & item proposito apud Deum æterno præmio, laboris & periculorum magnitudinem maiori alacritate subeat. Non enim deerit promissis Deus, qui & hic adiuuabit, & in futura vita coronabit. Et hinc potest elici, quòd Dominus Iesus apparebit vnicuique, cum non erit amplius tempus operandi, & seruandi mandatum, *quem suis temporibus ostendet*. Christum ostendendum à Patre dicit. Et hoc suis temporibus, id est, quando opportunum erit in oculis suis, tunc apparebit. *Beatus & solus potens*. Honorat autem Patris authoritatem: quia ab ipso prò cedunt omnia, & ipsemet Filius & eius confessio,

Ioan.18.

Ibid.8.

Act.19.

& quicquid est habet authorem Patrem. Ipse enim Pater dixit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Clarificauit enim iam illum in persona eius. Clarificabit præterea in toto corpore suo quod est ecclesia, dum præmio bonos afficiet, malos autem male perdet. Vocat & beatum: vt cui naturaliter & per se competat beatitudo. Vocat solum potentem, vt superius dictum est. *Rex regum, & Dominus dominantium*. Vocat Regem regnantium, & Dominum dominantium: quia ipse est rex verus & dominus, qui à nullo regitur, & sine quo nullus regit. Nam per illum regit & dominatur quicunque regit & dominatur, vt scriptum est: Per me reges regnant: & conditores legum iusta decernunt. *Qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem*: quam & nos per gratiam habituri sumus. Ille solus habere dicitur immortalitatem: quia ex seipso habet, non aliunde: Et lucem habitare inaccessibilem, quia nullus ad eam suis viribus potest accedere. Nam quum accedemus, assumemur & trahemur ab illo, non nostris viribus, sed illius muneribus. *Quem nullus hominum vidit*. Qui enim vidit, iam non est homo, sed supra hominem, *sed nec videre potest*, quia hoc repugnat homini in conditione humana existenti. Illi igitur merito reddendus est ab omni creatura honor & imperium sempiternum. Amen.

Ioan.13.

Prou.8.

Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere. Superius admonuit ac deterruit volentes fieri diuites. Nunc opportunissimum præceptum diuitibus huius sæculi adiungit, primum, *non sublime sapere*, id est, non alta meditari ad dominationem & superbiam vitæ. Nam diuites per diuitias suas discernuntur ab aliis: & quibus sunt numi in arca, facillime tales inflantur, & reliquos spernunt: & generosus est animus qui inter diuitias morbo superbiæ non laborat. Contra quos vehementer exclamat, & merito B. Iacobus: quoniam iudicium hoc malum est & contra Deum, qui potius elegit pauperes. Non enim ex terrena substantia homo est æstimandus, sed animi virtutibus, Addit: *Neque sperare in incerto diuitiarum*, Vocat diuitiarum incertum eleganter: quia non sunt stabiles. Modo enim ad hunc, modo ad alterum deuoluntur, *sed in Deo viuo*, in quo, & à quo est verum bonũ sperandum, *qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*, id est qui omnia nobis abundè præstat quæ faciunt ad fœlicitatem, qua sola fruimur, *bene agere*, Græcè legitur, καὶ ἀγαθοεργεῖν, id est, operari bonum. Et hoc iungitur cum eo quod prædictum erat: Præcipe diuitibus, inter quæ & hoc est, bonum scilicet operari, nimirum vitam æternam, quam bonis operibus nobis operamur: vnde adiungit, *diuites fieri in operibus bonis*. Non in sola fide, in qua non consistunt diuitiæ integræ, *Facile tribuere*, Hilarem enim datorem diligit Deus, *communicare*, Propriissimè dictum. Nam reuera nihil est cuiquam proprium, sed communia omnia putanda sunt vero Christiano.

Iac.5.

Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, æternam vitam, vt habent nonnulli Græci codices. Christus ipse Dominus noster est qui postulat, quasi ita diuitibus loquens: Da mihi ex iis quæ prior tibi dedi. De meo quæro: da, & redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem, habeã te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi

Ex B. Augustino.

restituam. Si vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, vt recipias, quod iam nõ poteris amittere. Da modicum, vt recipias centuplum. Da temporalem possessionem, vt accipias hæreditatẽ æternam. Hoc est thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum. Nam quæ maior stultitia excogitari potest, quam illic diuitias suas relinquere, vnde mox exiturus es: & illuc non præmittere, vbi perpetuo mãsurus es? Ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam sempiternam habes. Et hic locus penitus iugulat hæreticos, qui tanta impudentia contra omnes passim scripturas non verẽtur negare vitam æternam bonis operibus reddi.

O Timothee, depositum custodi, id est, talẽtum quod tibi creditum est, vt reddas de eo rationem. Aut fortè depositum vocat donum iustitiæ, quod exercere debemus vt fructificet Deo, *Deuitans prophanas vocum nouitates*, seu vanitates. Nam Græci codices hac in parte variãt. Et certè in nouitate vocum circa theologiam est sæpe scandalum, & perniciosa contentio. Quare & loquendi modus ab hæreticis nouis introductus de imputata iustitia, de historica fide, cum sint nouæ voces & prophanę, quibus sacri Theologi nusquam vtuntur, vitandæ omnino sunt, atque reprobandæ, Addit: *Et oppositiones falsi nominis scientiæ*, seu falso nominatas scientias. Erant qui scientiam quandam profitebantur, quam opponebant in Christum. Putant verò quidam Apostolum de Cabalistica loqui. Nam alia non occurrit quæ falsum nomen haberet scientiæ, & militet in Christum, *quam quidem promittentes* (seu profitentes) *erraueruntà fide*. Facile erratur à veritate fidei, sequendo falsam scientiam. Proposuit olim Ioan. Picus Comes Mirandulanus inter plurimas conclusiones, quas exercitij gratia disputandas in vniuersitatibus publicauit, hanc à Criticis subnotatam. Nulla est scientia quæ nos magis certificet de diuinitate Christi, quàm Magia & Cabala. Quæ conclusio iam multis modis vt falsa & scandalosa ac reprobabilis, à doctis doctè est reprobata, etiam post eiusdem viri Apologiam, ita vt non sit opus amplius disputare. Illud tamen vehementer sano iudicio illi obstat, quòd nullus Apostolorum, nullus doctorum quos commendat ecclesia, hanc nobis scientiam vel tradidit, vel commendauit, vel quicquam de illa innuit: vt sit mirabile, si esset ad tantam notitiam adeo vtilis, fuisse silentio sepultam. Quare curiosè & non satis sobriè ab illo viro alioqui literato, & admirabiliter pro ætate perito, hæc & alia quædam iuuenili ardore prolata sunt. Quin etiam (vt ipsius Nepos testatur in suis libris) ipsemet Picus hanc conclusionem damnauit postmodo saniore ac meliore iudicio. Qua in re dignus est egregia laude. Nã pauci sunt qui velint à semel positis resilire & recantare. *Gratia tecum*. Hæc salutatio creditur manu ipsius B. Pauli. Benedictus Deus semper. Amen.

ARGVMENTVM IN POSTERIOREM EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM.

ROmæ vinctus catenis Apostolus redire ad Timotheum, vt sperauerat, non potuit. Alteram igitur scripsit epistolam qua illum ad se accersiuit, cùm esset imminentis suæ passionis certus. Ostendit primùm tenerum erga charissimum discipulum affectum, rogans ne vllis frangatur aduersis rebus, quin potius paret se veluti strenuus Christi miles ad coronam martirio obtinendam. Vitanda omnino vaniloquia & stultas quæstiones, sed ante omnia hæreticos, iubet. Conditionem futurorum temporum prædicit: quare hortatur vt sana prædicatione opportunè seu importunè instet, & falsis fratribus hominum libidini & aurium pruritui inseruientibus resistat. Persecutionum suarum meminit tantarum, vt ab omnibus derelictus fuerit: sed non ab ipso Deo, à quo de Neronis manibus est ereptus. Vt igitur se mox det in viam, mandat: salutationibus vltrò citróque adhibitis epistolam tandem concludens.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD TIMOTHEVM.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionẽ vitę quę est in Christo Iesu, Timotheo charissimo filio, gratia & misericordia, & pax à Deo Patre nostro, & Christo Iesu Domino nostro.

APOSTOLVM se creatum testatur non propria electione & arbitrio, sed, *per voluntatem Dei*, Elegit enim Deus quos voluit, & per Spiritum suum sanctum quos ad tanti muneris functionem elegit, omni gratiarum genere opportunarũ dignos fecit & repleuit. Spiritus enim liberè sua dona prout vult, citra cuiusquam iniuriam, distribuit. *Secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Iesu*. In hoc enim Apostolus est institutus, vt hanc fœlicissimam vitam, & illius certam

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissionem in vniuersum mundum spargeret, quæ nobis in Christo Iesu credẽtibus, & eius mandata exequentibus reposita est, interim abscondita, reuelãda cum apparuerit in gloria. *Timotheo charissimo filio.* Vide quanta dulcedine amplexabatur suum Timotheũ B. Paulus: erat iuuenis, erat discipulus, erat ab illo consecratus, & tamen videtur omnium obliuisci, sola materna viscera offerẽs, *charissimo filio*, inquit. Magna sanè Maioribus nostri temporis instructio, ne tot ac tantis titulis ita salutari delectentur, vt post vereantur verbum emittere, quod minus grauitatem maiestatemque redoleat. Nam dulcis ille & charitate conditus Maiorũ ac Seniorum sermo, mirum in modum acuit ingenuos adolescentium animos ad veram laudem, & ad grauiora quæcunque subeunda pericula. Hoc vnum verbũ satis (vt ego arbitror) Timotheo fuit, vt ei excuterentur lachrymæ: & vt leuius ferret labores, & sibi demandatam tantam in illa ætate Ephesiorum curam, cum legeret insigne Apostolici erga se amoris eousque charum testimonium, fundati in Christo Iesu, nó in rebus fluxis & breui perituris. Magnum laborantibus solatium, nosse suas operas sub illo Domino reddi, qui quod promisit præstat cum mensura coagitata, conserta, superfluente in sinum eorum, qui in illius gratiam strenuè in militia se vsque ad finem gesserint.

Luc. 22.

Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura, quòd sine intermissione habeam tui memoriã in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quòd & in te. Propter quam causam admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus Spiritũ timoris: sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.

Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis, &c. De more B. Pauli est semp gratias agere: quia semper nouis à Deo & cumulatioribus beneficiis expetiebatur se à Deo augeri. Vocat & peculiariter Deum suum, ad eam intelligẽtiam quam superioribus epistolis, potissimum ad Rom. attulimus. In Græcis tamen desideratur, *meo*, Adiungit modũ quo seruiebat, nimirum, *in conscientia pura*, id est, non maculata per propriam aliquam affectionem malam. Et nihilominus sunt qui putant B. Paulum ignorasse suam innocentiam. Dicit à primogenitoribus, id est (vt ego puto) ab ea die qua genitus fuit in Christo, licet aliqui aliter dicant. Et materiam gratiarum actionis exponens, ait: *Quòd sine intermissione habeam tui memoriam, &c.* Et hoc maxime notandum, quomodo gratias agebat ob illam Timothei memoriam, quæ dum orationibus vacabat, redibat illi in mentem, ex qua colligebat benignum Dei erga Timothei salutem beneplacitum. Frustra siquidem non fiebat, vt orans semper illius memoriam haberet, Deo sic ordinante & certo volente salutem dare, addit: *Nocte & die*, quod potest annecti superiori dicto, aut ei quod sequitur, sed aptius superioribus. *Desiderans te videre, &c.* Desiderium videndi eum exprimit magnum vt gaudio impleretur, eo quòd memor esset lachrymarum ipsius, videlicet quando diuisi sunt corpore: & quòd recordaretur eius fidei quæ erat in illo syncera, sicut fuerat in auia Loide, & in matre Eunice, cuius rei certam habebat persuasionem. Fœlix Timotheus tantum patronum apud Deum nactus, quantus erat B. Paulus, cuius precibus quid potuisset diuina bonitas denegare? In magna item fœlicitatis parte debent reponere liberi, si piis ac probis sint nati parentibus. Deus enim in gratiam parentum multa filiis peculiaria dona largitur, quę ob vitiosos retinere solet. Vnde toties scriptura meminit, propter Abraham, propter Iacob, propter Dauid. Hoc carnales patres non cõsiderant, mirum in modum anxij vt relinquant multam filiis per fas & nefas supellectilem: quantum verò vel ipsi in Dei timore, vel filij proficiant, nulla cura. Satis est ad vanitates & luxum mundanum omni conatu & cogitationibus contendere, postpositis quę ad pietatem, & veram fidei & charitatis integritatem pertinẽt. Inde oriri videmus corruptionem ciuitatum, quãdo periit paterna erga filios institutio, & matrum ad filias pudicitiæ exemplum. Vide quantũ Timotheo cõtulerit auiam habuisse & matrem fide non ficta præditas. Tam breui tempore cura parentum profecit, vt mereretur adolescens prouehi ad tantam dignitatẽ, & tam arduam prouinciam regendi Ephesianam ecclesiam: & tum demum post varios labores, & singularem abstinentiæ obseruantiam, ad cœleste regnum per martyrium fœlicissimè conscendere. Sequitur:

Propter quam causam, &c. Admonet ne donũ Dei sopitum & otiosum teneat, sed & exuscitet & exerceat. Græcè enim legitur, ἀναζωπυρεῖν. Et rationem profert: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis* (siue ignauiæ) *sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Potentiam seu virtutem dixit. Græcè enim legimus δυνάμεως, vt potestatem intelligas operandi datam à Deo. Et dilectionem adiunxit, vt in actum illam potentiam adduceremus: quoniam qui diligit operatur. Charitas enim otiosa esse non potest, sed semper quærit aliquid agere quod sit gratum dilecto. Adiecit, *& sobrietatis*, vt etiam excessum prohiberet, ne quid supra mensurã fidei audeamus. Sunt enim qui tendunt quò non pertingunt, qui plus sapere volũt quàm oporteat sapere, & non sapere ad sobrietatem. Si pro suis viribus infans alatur, fiet vt crescendo plus capiat. Si autem vires sui captus excedere voluerit, deficiet antequã crescat. At sobrietas temperat omnia, ne quid nimis.

Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra: sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tẽpora sæcularia. Manifestata est autem nunc per illuminationẽ Saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium: in quo positus sum ego prædicator & Apostolus, & magister Gentium. Ob quam causam etiam hæc patior: sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illũ diem. Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide, & in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Scis enim hoc, quòd auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt: ex quib⁹ est Phygellus & Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.

Noli itaque erubescere testimoniũ Domini nostri, neque me vinctum eius, &c. Admonet igitur ne erubescat testimonium Domini Iesu, id est, ne vereatur testificari de veritate crucis, videlicet patiendo opprobria, infamiã, & omnem crucem, vbi opus fuerit. Et vt simul testificetur de Apostolo, catenis propter Christum constricto: sed vt simul cum illo laboret in euangelio, videlicet, prædicãdo verbo, & patientia, & virtute simul testificãdo eius veritati, iuxta potentiam sibi à Deo datam, qui saluos eos fecit, & vocauit non quauis vocatione, sed illa sancta, id est, mũda & firma: non communi aliorum, sed quadam speciali vocatione qua vocãtur electi. Et ne credat quisquam hoc propter præcedentia opera contigisse, id Apostolus excludit, dicens:

Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia. i. ante mundi constitutionẽ. Et in Christo Iesu sublimiter: quia in Christo quidã excellenter aptati sunt & prædestinati, vt essent conformes illi in gloria. Tẽpora ergo sæcularia vocat tempora huius sæculi, quæ cœperunt à primo die quando facta est lux, & motus cœlorum incœpit. Sæcula enim erãt antè non sæcularia, sed intelligibilia. Erat enim æuum tantũ cum essent Angeli, & cœlum illorũ: sicut & nos alibi suo loco declarauimus. Et tunc etiam promisit illis Deus sese daturũ nobis, vt ad Titũ scribit, dicens de vita æterna Christo Iesu, quòd promisit illam Deus ante tẽpora sæcularia. Si enim promisit, certè alicui aut aliquib⁹ promisit. Sed ante hęc tẽpora non erant nisi Angeli: illis ergo promisit. *Manifestata est autem nunc per illuminationẽ* (siue apparitionem) *saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, &c.* Vtrãque mortẽ destruxit Christus in meritis. Nam corporalis quidem mors destruetur nouissime in effectu per resurrectionem vniuersalẽ. Porrò mors animę iam destructa est: quoniã recipientibus euangeliũ dedit vitã, & illã illuminauit, vt appareret ex cruce sua, & resurrectiõe, & cęteris fidei nostrę misteriis.

Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, &c. Ob euangelium pati se asserit, sed minime confundi: quia nouit cui credidit, id est, cui commisit seipsum & sua, id est, corpus & animam velut in depositum, vt aliquando recipiat sibi, id est, ad fruendum voluntate sua: iuxta quod scriptum est: Qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. *Formam habe sanorum verborum, &c.* In mysteriis fidei non solum considerandum est quid dicas, verùm etiam quomodo dicas, vt verba sint ordinata & sana in fide & dilectione in Christo Iesu: quia in illo omnia radices agunt, vt coalescant. *Bonum depositum custodi, &c.* Talẽta Dei nobis credita exercere debemus, ne amittãtur. Seruanda sunt enim non secus ac depositum quod est à nobis custodiendum, vt suo tempore repetenti Deo reddatur, idque cum fœnore. Custodimus autem hoc depositum (vt dictum est) exercẽdo illud per opera bona. Bonum ergo depositũ vocat gratiam & dona quæ per Spiritum sanctum sunt nobis collata, habitantem in nobis: quod bonis operibus seruatur, augetur, & perficitur, iuxta quod scriptum est: Omni habenti, id est, bene vtenti dabitur & abundabit. Contra autem habenti & non exercẽti euenier, à quo auferetur quod videbatur habere, postquam neglexit augere.

Ioan. 12.

Luc. 19.

Scie hoc quod auersi sunt, &c. Phygellus fugitiuum significat. Hermogenes, mercurij genitum, id est, loquacem, mendacem, vt mercimoniis intentum, aut facundiæ: vt sit illi virtus magis in sermone, quàm in opere. Hi sunt qui doctrinæ B. Pauli obstant, & ab illa auertunt seipsos, primùm fugitiui qui ab ecclesia fugiunt, & relinquunt baptismi votum: aut etiam vota insuper quæ vouerunt, Deo vitam regularem profitentes, & se castrãtes propter verbum Dei & regnum, ac deinde facti apostatæ, quorum numerus hodie vix numerari potest. Et vtinam omnes ficti abirẽt, qui alios inficiunt simul versantes, & ita perniciosius contaminantes. Satis est enim vnius scabies ad corrumpendum totum ouile. Vel si non inficiunt, molestia tamen multa superiores afficiũt, quibus plus exhibet negotij custodia vnius, quàm totius rectè viuentis societatis gubernatio. Propterea Apostolus ad Gal. perpendens quorũdam nequitiam & plurimum dolens, tanto spiritu aiebat: Vtinam & abscindantur qui vos conturbant. Si enim abscisi essent à radice, noxios humores non transfunderẽt in teneriores ramusculos per mala vitæ exẽpla, & peiora doctrinę falsæ dogmata. Nulli enim sunt iutet omnes cautius obseruãdi, quàm ij qui sub Christi pallio operationes satanæ exercent. Nã & satanas versipellis non vna tantum arte quieto atq; tranquillo bonorum & piorum statui insidiatur. Circuit vndique, nec est locus vbi decipulas non tendat ad ruinam nostram. Cum quo omnes heretici semper fœdus inierunt, vt sæculo potiantur isto, & sanctos homines affligant. Et tales conqueritur Apostolus fuisse à sua societate auersos. *Det misericordiam Deus Onesiphori domui, &c.* Vide vt hoc in loco Apostolus docet quid deceat seruos Dei, qui amore Christi

Gal. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hospicio recipiuntur, videlicet implorare pro eis misericordiam illam Domini, & beatitudinis pro
Matt.5. missionem. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sic facit B. Paulus, qui nō solùm pro eo id rogat, sed pro tota eius domo, à qua benignè fuerat tractatus. Ingens illius Onesiphori laus, & magnum apud Deum meritū, qui suis facultatibus, & corporis præsentia animum Apostoli refocillauit, non erubescēs crucis ignominiam: sed anxiè inuestigauit Romæ vbinam Apostolus esset, & tanto amore inuisit & recreauit.

CAP. II.

TV ergo fili mi, confortare in gratia quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectū. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cœlesti.

TV ergo fili mi confortare, seu inualesce. Hortatur vt fiat robustior in gratia: quod potissimū fit, dum qui gratiam à Domino accepit, non sinit languescere, sed excolit solicitè ad maius semper incrementum. Gratiam in Christo Iesu esse sitam frequenter commemorat, ne nos in nobis ipsis gloriemur, sed recognoscamus fontem, vnde haurimus quicquid in nobis est virtutis. Subdit, *per multos testes*, audiuisse illum quæ erant Dei: quoniam quæ Apostolus dicebat, multis testibus comprobabat, videlicet patientia & tolerantia passionum, vita bona & sancta, item signis atque doctrinis. *Hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei, &c.* Iubet commēdari doctrinam. *fidelibus*, id est, iis qui rem Domini fideliter acturi sunt, iuxta illud: Fidelis seruus & prudens. Hoc enim benigna
Luc.12. Dei sit prouidētia, vt nonnulli discant non solùm propter se, sed ad aliorum quoque doctrinam. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Militia est vita hominis super terram, præsertim eorum qui vt aliis intendant, & ab hostium incursu protegant, electi sunt. Oportet igitur bonos esse & strenuos milites, qui non simplices sunt milites, sed & militum & totius exercitus duces, & id aduersus insensissimos hostes. Fortium itaque militum est variis affligi laboribus, & innumera mala sufferre ac pati. Item instanter incumbere iis quæ ad militiam attinent & ad victoriam, abiecta omni cura circa corporis & vitæ anxias necessitates. ideo ait:

Nemo militans Deo: Ita legitur in vulgata editione. At emendatius in Græcis simpliciter & absolutè legitur, *Nemo militans*, ac si dixerit. Si miles huius sæculi istud obseruat, ne se implicet negotiis sæcularibus, vt ei placeat qui delectum ipsius habuit, id est, Imperatori suo ac duci, quanto id magis cauere debet miles summi Imperatoris Dei? Adiecit & aliam similitudinem in agone certantis. *Nam & qui certat in agone non coronabitur, &c.* Vt enim propositam coronam obtineat, legitimam oportet præcedere concertationem, id est, eam quæ est iuxta pacti conditiones. Non satis enim est certasse, nisi secundum indictas & præscriptas leges certatum sit. Addit & aliam similitudinem: *Laborantem agricolam oportet primum, de fructibus accipere.* Sensus est: Oportet agricolam percipere de fructibus, laborantem tamen primùm, id est, si modo prius laborauerit, vt sit in spe labor, & labor præcedat fructuum collectionem. Non me latet alios aliter intelligere. Sed si parumper subtilius aduertatur, illorum sensus est parum illustris, nec ad propositas comparationes & accommodationem satisfacit. Et Græca lectio huic nostro verius astipulatur.

Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus. In Græcis non legitur, *dabit*, sed, *det*. Modus tamen est loquendi quasi propheticus. Imperat enim vt intelligat, ac simul prænuntiat ita fore, vt daturus sit illi Deus intellectum. Non enim est precari vt det (licet hoc Græca lectio innuat potius) sed hocomnino futurum probatur ex desiderio, atque prædicitur. Rectè igitur vertit interpres noster, dicens, *Dabit enim tibi Dominus*, & non, *det*. Nam hic precandi modus fauorem potius atque expressionem continet in futurum inclinantem.

Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis. Articulum fidei nostræ valdè necessarium, & quem tunc Hymenæus & alij impugnabant, cōfirmat de resurrectione Christi: vnde omnium resurrectio probatur, *Secundum euangelium meum*, Vocat euangelium suum iam comprobatum ab Apostolis vt verum. Erant autem & alij qui suum habebant euāgelium, sed falsum. Nam plura tunc euangelia prædicabantur, cum tamen vnicum esset: sic & modo faciunt noui Euangelistæ. *Ex semine Dauid*, Inducit Iesum natum secundum carnem, vt astruat resurrectionem eius possibilem ea parte qua homo erat. Dicit se laborare in hoc euangelio: quia de huius resurrectionis prædicatione ipse criminationem patiebatur à Iudæis & Gentibus. Et laborare pro affligi assiduè ponit. Et quod legimus, *Quasi male operans*, Græcè significantius, κακοῦργος, id est, scelestus & facinorosus. Sed quantumuis esset catenis vinctus, linguam tamen solutam possidebat ad promouendum euangelium.

Sed verbum Dei non est alligatum. Quidam stulti ad præsumptionē suam tutandam detorquēt istud Apostoli dictū, omnino volentes (etiam si missi non fuerint) prædicare tamen, in suam perniciē hoc loco abutētes, quòd verbum Dei non est alligatum, nescientes non esse verbum Dei, quod per ora impia & prophana, & contumacia profertur. Omnia enim ordinatè fieri debent in ecclesia, vt ait Apo-

1.Cor.14. stolus. Et Christus silentium imposuit diabolo, ne
Luc.4. loqueretur verbum Dei. Quis vnquam legatione fungi pro Rege auderet sine magno scelere & grauissima punitione, si ab eo missus non fuerit? Eleganter autem dixit Apostolus verbum Dei non esse alligatum ex parte suipsius, cui data fuit ab initio prædicandi authoritas, cum tamen ipse esset alligatus: vt in hoc Dei operationem agnosceremus, intendentis ad aliorum fructum, & maius ad huc prædicationis eius testimonium, cui ipsa etiā B. Pauli vincula attestabantur. Nam fortius est verbum quod prædicatur in vinculis, & vsque ad extremum vitæ spiritum. Si igitur consideretur huius loci germanus sensus, nec apparenter quidem fauet iis, qui propria authoritate sibi arrogant prædicandi officium.

Ideo omnia sustineo propter electos, &c. Apostolus non iam pro se tātum laborare, sed etiam propter electos se id facere testatur, & eorum salutem quę est in Christo cum omnium beatorum communione. Et vocat electos illos, quos segregare Deus dignabatur à iam reprobis, qui seipsos euangelio indignos constituebant: quales erant Iudæi, & plerique ex Gentibus, de quibus iam actum erat, & Dominus ipse iudicarat eos indignos notitia veritatis propter ipsorum superbiam & contemptum. Non ergo per electos hoc in loco intelligit prædestinatos, vt & alibi superius annotauimus.

Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Hęc commone, testificans coram Domino: Noli contēdere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionē audiētium. Solicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium incōfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Prophana autem & vaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habēs signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt sui: & discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomē Domini. In magna autem domo nō solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in cōtumeliam. Si quis ergo emūdauerit se ab istis, erit vas in honorē sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.

Fidelis sermo, Nam si cummortui sumus, & conuiuemus, &c. Verissimus sermo, & omni fide dignus, vt si commoriamur cum Christo, videlicet morientes peccato, sicut illud corpus ipsius mortuum est semel peccato, etiam conuiuemus cum illo. Et si vnà cum illo patiemur, cum illo quoque conregnabimus. Et si negauerimus eum, & ipse negabit nos, iuxta conditionem à se expressam. Qui me e-
Luc.9. rubuerit & sermones meos coram hominibus, & hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. In hoc autem est differentia: quia si non credimus, ille erit fidelis in verbis suis, qui non potest seipsum negare. Negaret autem seipsum si verax non esset. Est enim ipsamet Veritas quæ non fallit. Reddet ergo quę promisit incredulis. *Hæc commone testificās coram Domino*, videlicet verbo, tanquam maximè vtilia testificans, id est, communiens confirmando vita & moribus, & omni alio testimonio non apparenti coram hominibus tātùm, sed cora Deo. *Noli contendere verbis, &c.* Contēditur verbis, quando dicacitatibus & conuitiis tota res agitur, in quibus nulla est prorsus vtilitas. Nedum enim altercationibus apparet & elucescit veritas: sed contra, magis inuoluitur, & plerunque amittitur cum gaui audientium scandalo. Quocirca prudenter docent, qui cum hęreticis verborum apparatu & copia semper supereffluentibus, publicè verant suscipi disputationes. Nam imperita multitudo facillime decipitur, quæ rationum momenta apprehendere non valens, vbi maiorem verborum multitudinem animaduertit, & linguæ volubilitatem admiratur, & victoriam clamori tribuit non veritati. At inter seruos Dei nulla vigere debet contentio & pugna verborum, sed sententiarum difficilium modesta ad inuestigandam veritatem collatio. Vt semper quæratur veritas, non laus propria.

Solicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, &c. Homo probatus Deo, magnum quid est? Probari hominem ab hominibus etiam difficile est. Prauum enim (vt ait propheta) est cor hominis &
Ierem.17. inscrutabile, & quis cognoscet illud? Sed non est vera probatio ab hominibus: quia iudicium hominum sæpe mendax est, & de occultis non iudicat. Operatius incōfusibilis ille est, qui nihil quod merito offendat, profert siue falsum, siue importunè dictum & non commodè, sed verè omnia, & tempestiuè, & prudenter. Secare autem verbum euangelicæ veritatis nihil est aliud quam rectè frangere, ac diuisim porrigere. Nam pani assimilatur verbum Dei, quod frangi & diuidi, seu secari à tractatore oportet, vt sic manducari valeat. Scriptum est
Ibid.c.1. enim: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

Prophana autem & vaniloquia deuita, &c. aut præscinde Rescindenda vaniloquia admonet, quæ præsertim sunt prophana. Corrumpunt enim mentē & mores colloquia mala, & proficiunt ad impietatem: quia sermo talium est veluti cācer, qui grassatur & serpit in carnem corrodendo assiduè. Sūt autem carnales homines multi, qui sunt quasi horum colloquiorum pabulum, & deuorantur ab impietate. *Ex quibus est Hymenæus & Philetus.* Hymenæum nominat & Philetum admodum opportunè ex nominibus. Prior significat Deum nuptiarū, commendans crapulam, & nuptias, & impudicitias. Alter significat amabilem, id est, mundanum. Mundanus siquidem est ipsi mundo amabilis. At eos qui piè volunt viuere in Christo, odiosos esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundo oportet, & ab illo pati persequutionem, per quam meliorem sperant resurrectionem. Illis autem qui diligunt mundum & carnem, iam facta est resurrectio, qui nihil sperant de vita futura. Et in has tenebras inducit diabolus primum quos à fide catholica per superbiam separat. Hoc tamen ea astutia, vt qui nihil iam credunt, de futura tamẽ vita impudentius loquantur. Norũt enim viri prudentes, & qui Lutheranorum hæresiarchas scrutati sunt diligentius, eos immortalitatem animæ nõ credere, tametsi astutissimè hoc in scriptis supprimant, ne reliquis dogmatibus ob manifestam falsitatem officiat. Inde venerationum Sanctorum repudiant, & quæcunque faciũt ad societatem vitæ cœlestis. Vnde Christi nomen inculcant, quò suam impietatem honestius tegant, ostẽdentes se capitis defensores. Sed & ipsum corde negarunt, & foris negant operibus. Qui mores hæreticorũ norunt, meam sententiam libenter recognoscent veram. Nam & si Deus excœcauit quosdam sui populi Iudæos ob perfidiam: putamus illum in istos orbis Christiani perturbatores, & tot scelerum in Christum, & Mattẽ, & sanctos omnes & blasphemiarum authores persistere in lumine aliquo futuræ vitæ? Et subuersi sunt ipsi, & fidem penitus amiserunt, & aliorum fidem sequentium corrumpunt. Quid enim rectè intellecta aliud sonat hæreticorum prędicatio, quàm & illorum in quos Apostolus: Comedamus & bibamus: cras enim moriemur? Hanc persuasionem facere mirificè conatur Malignus. Tum vtitur homine ad quæcunque impia euomenda, & ad eligẽdum pro paradiso istud sæculum. Et tales suo pessimo exemplo, vt ait Apostolus, fidem nonnullorum subuertunt.

Sed firmum Dei fundamentum stat, &c. Ne terreretur Timotheus, tanquã posset ecclesiæ fides desicere, primò asserit fundamentum Dei firmum esse id est, eos qui sunt verè electionis vasa omnino nõ posse subuerti. *Habens hoc signaculum, Cognouit Dominus*, id est, dilexit eos, *qui sunt sui*. Ista electionis vasa, sunt peculiariter adoptata à Domino, qui nouit illa notitia singularis gratiæ & dilectionis, vt subuerti nequeant. At cum non omnes tales sint, additur: *Et discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini &c.* ac si dixerit: Nouit aliquos Deus, qui stabunt omnino: cæteros relinquit in manu sui liberi arbitrij, vt saluari possint, si velint, licet non tantis præsidiis muniti. Timeant ergo & caueant, ne libertate abutantur ad extremam ruinã sibi malis operibus accersendam. *Et discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*, id est, Omnis qui se Christianum profitetur, caueat ne suum locum deserat, & coronam propositam amittat, sicque veniat in iudicium quod tunc fiet. Non venient autem si discesserit ab iniquitate, & mandatorum viam alacriter cucurrerit. Et ne quis Deũ tanquam acceptorem personarum in hoc argueret, quòd alios quosdam tam impensè diligat, alios verò non pari amore prosequatur, adiecit:

In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, &c. Ostendit appositissima admodum similitudine amabilem Dei ordinem. Quemadmodum enim pulchrum est & honorificum in domibus regum & principum esse vasa nõ omnia vnius generis & pretij, ita in ecclesia varios esse hominũ gradum pulchrum est, & conueniens, & amplitudinem atque splendorem cœlestis Regis demonstrans. Nam in magna domo non omnia vasa sunt argenta, & aurea: sed & nonnulla, quin potius numerosiora, sunt lignea & fictilia propter varios vsus: & omnia tamen bona sunt. Ita & in domo Domini Dei hanc ipsam copiam & varietatem saluãdorum esse requirebatur decentissimè. Itaque si nullo iure licet vt lutum figulo dicat: Quare me fecisti sic? Quã id ratione aulit homo in rebus optimè & sapientissimè dispositis contra Deũ? Quodcunque enim facit Deus, bonum est: quamuis nõ æquali bonitate sint omnia, sed vnum melius altero. Nonne iniquissima eius esset querela, qui nihil esse vellet minus bonũ altero, sed æquè in vniuerso bona omnia? At iam desineret esse illud vniuersum, quod non compleretur omnibus bonis, & istis graduum varietatibus. Sed illud quod additur ponderandum, *Et quædam quidem in honorem: quædã autem in contumeliam*, Molestum sanè si ita applicetur, vt intelligas Deum ab initio absque vllo demerito fecisse vas aliquod in contumeliam. Absit hoc à diuina bonitate. Est igitur intelligẽdum omnino, vt istud potius tum faciat Deus, nimirũ postquam aliquis se talem reddidit contra ipsius volũtatem peccatis inuolutus, & diabolo tentatori succumbens, & carni, id est, vas contumelia dignum. Tum demum, inquam, post diuturnam sustinentiam vtitur ad hoc bonum, vt ostendat in illo iustitiam suam, qui iam promeruit suo proprio peccato & duritia. Poterat enim facere se vas honoris si voluisset. Vide quàm mirificè textus iste insequens pro hac veritate quam nos defendimus, faciat: subdit,

Si quis ergo emũdauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, &c. Clarè ostendit in potestate nostra id esse si velimus, videlicet mundare nos ab inquinamentis (quibus efficimur vasa contumeliæ) iuuante Dei auxilio, qui stat ad ostium & pulsat, vt auertatur impius ab impietate sua, & viuat. Alioqui quomodo dixisset: Si emundauerit, si nequeat se emundare? Sed cum sine gratia non possit, certò indicatur Deum nemini subtrahere gratiã, nisi tantum nolenti. Et sicut hinc de isto sumitur, si emundauerit se ab illis inquinamentis futurum illum vas Domino vtile & in honorem: ita & econuerso pariter hinc sumitur, si quis contra fecerit, id est, se non emundauerit, fiet vas contumeliæ. In potestate igitur eius erit alterum è duobus euenturum. Dicimus, inquam, de salute quod in potestate eius sit, cum gratia tamen & auxilio Dei. Sic enim data est nobis potestas filios Dei fieri. Quo in loco iugulantur Lutherani, & quicunque absque demerito introducunt æternam reprobationem.

Nullũ vas contumeliæ, nisi propria culpa.

Iuuenilia autem desideria fuge: sectare verò iustitiam, fidem, spem, & charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patiẽtem, cum modestia corripientem eos qui resistũt veritati: nequãdo Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

Iuuenilia autem desideria fuge, &c. Varia sunt iuuenũ desideria, venari, piscati, aucupari, variis recreari ludis, iocis, cauillis, & huiusmodi. Sed hæc omninò fugienda sunt homini Dei, & et potissimum qui alios pascere vitæ maturitate, & alimentis sacræ doctrinæ tenetur ad æternam vitam consequẽdam. Vnde ea quæ sunt sectanda opponens, subdit: *Sectare vero iustitiam, fidem, spem, &c.* Quæ sunt virtutes omnes Deo gratissimæ, & quibus vult præ aliis Prælatos esse ornatos, vt luceat eorum vita coram hominibus ad glorificandum Deum. At hodie quot numerari possent, qui potius sequuntur quæ mox vetat Apostolus dum ait:

Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, &c. Stultas vocat quæstiones quæ non procedunt ex principiis fidei, vt siquis negans resurrectionem, quærat cuius erit vxor in cœlis, quæ pluribus in hac vita nupserit: qua vsi sunt captione Sadducæi putantes se Christo illusuros. Aut qui quærit illud monstrari sibi quod difficile potest capi: quales illi Iudæi qui submurmurabant, obiicientes: Quomodo potest nobis dare carnem suam ad manducandum? Et qui nunc dicunt: Quomodo in sacrosancto Eucharistiæ sacramento sit realiter corpus Christi, & in qualibet sacramẽti particula. Et quo pacto fiat illa transuſtantiatio. Item, quomodo resurgunt mortui. Sunt & quædam sine disciplina quæstiones à re seria alienæ, & multa huius generis quæ vitare Christianus debet. *Sciens quia generãt lites*, seu pugnas aut rixas. *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, &c.* etiam contumeliosos. Quod verò addit, *docilem*, intellige doctorem seu paratum promptumque ad docendum, *patientem*, mansuetudine, aut potius tolerantem mala. Græcè enim ἀνεξίκακον. *Corripientem eos qui resistunt veritati*. Hic aduertendum valdè in quod se periculum coniiciunt, qui non hortent veritati resistere ignari an fortè Deus det illis pœnitentiã. Nam de peccatis aliis videtur certa pœnitentia oblata à Deo multi modis. At iis qui sese illi opponunt, & veritati perspicuæ, cum iam sint permissi diaboli laqueis & voluntati, plerunque negatur remedium pœnitentiæ. Caueant ergo qui hæc audiunt. Deus tamen qui scrutatur corda, videt qui digni & qui indigni misericordia fuerint, & quæ sit ignorantia quæ excuset. Nam affectata ignorantia est omnium periculosissima. Sũt enim in quos locum habet illa prophetæ increpatio. Noluit intelligere vt bene ageret.

Luc. 12.

Ioan. 6.

CAP. III.

HOC autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tẽpora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducũt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mãbres restiterunt Moysi, ita & hi resistũt veritati, homines corrupti mẽte, reprobi circa fidem: sed vltrà non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit in omnibus, sicut & illorum fuit.

HOC autem scito, quia in nouissimis diebus, &c. Prophetico spiritu quid futurum esset nouissimis temporibus, in quibus nos versamur, prædicit Timotheo. Et primum aperit forè tempora admodum periculosa: quæ certè hodierno die (si vnquã antea) regnãt. Inualescit enim eousque hominum malitia, & potestas malignorum spirituum, quæ impunè peruagari permittitur, vt iratum esse Deũ & omnia dissimulantem videamus, donec vitia in immensum crescant, flagellum interim conficientem vltionem ad itam. *Erunt homines seipsos amantes.* Hoc proprium est amantium seipsos, propter seipsos tantum agere quæcunque agãt, nulla in re ad Deum respicientes, aut proximum. Sic propriè accipitur seipsum amare, videlicet prætermisso Deo & proximo finem omnium seipsum constituere: quod est vera radix omnium malorum, & regni diaboli, qui tali amore ardens perdidit seipsum. Nam in hoc primum fundatur cupiditas & auaritia. Vnde ait, cupidi, scilicet pecuniæ. Deinde, elati, vide vt suo cursu cõsequitur superbia & blasphemia & parentum inobedientia, & ingratitudo erga beneficia, & impietas in Deum & parentes. Quod interpres noster significauit ea voce, *scelesti*, Græcè legimus ἀνόσιοι, id est, impij. Sic & omnis sui amator est absque affectione ad suos & domesticos, & redditur infideli deterior. Et ad alios extraneos sine fœdere, aut quia non contrahit cũ fœdus: vel si contrahit, contractum frangit. Sunt incontinentes quia in nullo vel dicto vel facto tẽperatè agunt, sed incontinẽter omnia & immodestè. Sunt crudeles, sunt amicis non boni, sed proditores. Sunt effusi, id est, temerarij, præcipites, amãtes voluptatum carnis obscænarum. Nam in multis ipsius animi perturbationibus hac via recreationem quærunt, indulgentes lasciuiis carnis, fugientes quæ sunt à Deo, veras consolationes, vel ex ipsa pœnitentia peccatorum & lachrymis, quæ cum excitantur à Spiritu, verè sunt dulces.

Habentes quidem speciem pietatis, quia profitentur Christianitatem, aut fortè regularem vitam, & sacerdotium, & quoduis ministerium in cultu diuino. *Virtutem autem eius abnegantes*. Quæ vis seu virtus est in operibus, non in signis. Hos igitur deuitari iubet Apostolus. Sed videtur hìc tẽpore Timothei iam extitisse illa tempora nouissima, quæ tamen prędicebat Apostolus futura: alioqui quomo

Universidad de Deusto
Biblioteca

do præcipit illi vt huiusmodi homines deuitet, qui nondum erant in lucem editi? Itaque Apostoli prophetiam sic interpretari debemus, vt in temporibus nouissimis dicat futuros in vniuerso tales, quales suo tempore nonnulli iam reperiebantur, velut semen & fomentum futurorũ. Nam si tales tunc reperiebantur cum fides purior traderetur & crescere, esset que in feruore multo, omnino credibilius est futuros in nouissimis temporibus deteriores & numero auctiores, in quib⁹ nos inuenimur. Nullum tempus vnquam caruit, aut carebit huiusmodi flagitiis: licet in vltimis diebus longè execrabiliora expectanda sint, quando Filius hominis veniens nihil fidei inueniet in terra.

Luc. 18.

Ex his enim sunt qui penetrãt domos, &c. Illud quod ait, qui penetrant domos, mirè exprimit eorum curiositatem, qui vsque ad secretissima & interna muliercularum explorant, vt captiuas habeant illas, iã in occulta eorum peccata penetrãtes, & correctionem minime quærentes: quin potius fouẽtes peccata, vt arctiori vinculo sibi retinerent obnoxias. *Et captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Et vt earum instabilitatem ostendat, subdit: *Quæ ducuntur variis desideriis*, scilicet ad diuersa habentes distractum animum, vt si velint nequeant ea discere quæ sunt veræ fidei, & bonorum morum, nec peruenire ad agnitionem veritatis. *Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Et hoc multis nedum mulieribus, sed & viris contingit nostri sæculi, qui volunt simul vina gustare & sacras literas: probare numos simul & fidei dogmata: sectari honores, & verbotenus contẽptum gloriæ prædicare: collaudare præclara Christi & sanctorum gesta atque certamina, & interim mundi pacem mirum in modum diligere ac studiosè sectari.

Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, &c. Æquat tales impostores antiquis illis Magis Pharaonis, qui suis magicis artibus vehementer restiterunt Moysi, quorum hîc nomina exprimit, licet in canonicis scripturis alias non habeantur expressa. Vnde quidam impij occasionem acceperunt hanc epistolam calumniandi, quasi non esset B. Pauli qui ex apocryphis aliquid afferat. Quasi verò quæcũque habentur in apocryphis, continuò iudicanda sint apocrypha & reipuenda. Stulta omnino huiusmodi ratio, & eorum qui parum sunt versati in regulis intelligendi scripturas. *Homines mente corrupti:* Vocat mente corruptos, quibus lux quæ erat in illis, obtenebrata est. Nam tunc ipsæ tenebræ quãtæ? *Reprobi circa fidem,* Vocat & reprobos circa fidẽ: quoniam non consentiebant cum Apostolis & ecclesia. *Sed vltra non proficient, &c.* Istud non videtur ad tempus referri, sed ad personas, vt sit sensus: Quòd solum mulierculas & imperitos decipient, & non proficient vltrà. Nam mulierculis quidam sunt admodum similes, quos & hac nota Apostolus vult intelligi. Qui enim ab iis seducuntur, iam non cum viris, sed cum mulierculis sunt componendi. Quo ad seipsos ergo, & huiusmodi mulierculas proficient semper in peius errantes, & in errorem mittentes (vt inferius dicet) non autem apud sapientes, qui facilè agnoscunt eorum insipiẽtiam. Sic & Magorum illorum nota fuit ludificatio, qui defecerunt in quarto signo, dum confessi sunt digitum Dei ibi esse. At quærenda est similitudo: quoniam isti deficiunt sicut illi in tertia plaga, & quarto signo. Vbi notandum est, posse quædã ab improbis fieri quæ videntur mira, & miracula, vt non sit facile interdum iudicare de spiritibus. Nam Simoni Mago auscultabant à maximo vsque ad minimum omnes ciuitatis Samariæ, vt testatur scriptura, dicentes: Hic, est virtus Dei quę dicitur magna. Attendebant autem eum propterea quod multo tempore dementasset eos. Iccircò dedit ecclesiæ Deus donum discretionis spirituum, ne fallerentur nisi falli volentes. Non enim decipiunt nisi aut superbos, qui sibi arrogant quod nõ sunt: aut desideriis carnalibus deditos & implicatos, qui libenter audiunt quicquid lasciuè faciunt: aut curiosos qui terrena sapiunt, & spiritualia terreno oculo inquirunt.

Act. 8.

Tu autem assequutus es meã doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionẽ, patientiam, persequutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Anthiochiæ, Iconij, Lystris, quales persecutiones sustinui: & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persequutionem patientur. Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes. Tu verò permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quòd ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutẽ, per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendũ, ad arguẽdum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Tu autem assequutus es meam doctrinam. Ostendit Apostolus Timotheo omnem adesse iustam vitandi malos illos & malignos causam, & longissimè sanctis moribus ab illis diffidendi, vt qui assequutus, vel affectatus esset doctrinam veram, quo ad intellectum, & ipsam, *institutionem*, quoad mores, & ipsum *propositum* habens finem, quò est tendendum, ad quod dirigitur omnis institutio & doctrina: neque vllo pacto declinandum est ad dextram, vel ad sinistram. Similiter fidem, id est, fiduciam, quæ regit propositum ipsum quanquam arduum: & parit *longanimitatẽ*, quæ habet secũ *dilectionem* parientem patientiam & tolerantiam persequutionum & passionum, sicut de se commemorat Apostolus ipse non ad propriam gloriam, sed ad aliorum exemplum, vt illos institueret & animaret. Legitur enim in Act. Apostolorum de huiusmodi persequutionibus, quas passus est in locis hîc memoratis. Et dicit, *Antiochiæ*, non eam significans quæ est in Syria, sed in Pisydia. *Et ex omnibus eripuit me Dominus.* Ne quis animum desponderet, dum ad persequutiones tolerandas inuitatur, memorat auxilium Dei, quo ereptus ab illis fuit,

vt animentur alij ad sustinendum, cum videãt Deũ tandem liberatorem, atque etiã si opus, vindicem. Illud etiam addit quod magnum est iniustè patientibus solatium: *Et omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu persequutionem patientur.* Hoc imprimendum est cordi, & inculcandum cunctis qui recta incedunt ambulantes ad euangelicam regulam, ne delassentur, sed viriliter pergant, confortentur in Domino, & præmia æterna præ oculis semper habeant. Nullus seruus Christi sine persequutionibus est. Quòd si quis nondum est vllam perpessus, nondum cœpit esse Christianus. Neque enim si quando diabolus per reges non sæuit, & principũ dissidia & tyrannorum, desinunt persequutionum occasiones, quibus veri Christiani homines affliguntur. Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persequutiones. Si autem ille aduersarius noster viuit vnde non tẽtationes suggerit? Vnde non sæuit? Vnde non minas, & scandala non procurat? O si incipias piè viuere, verum esse certo probabis quod hîc ait Apostolus: Omnes qui piè volunt viuere in Christo, passuros persequutionem. Pugnandũ est cum infidelibus, cum hæreticis, cũ falsis Christianis turpis vitæ exemplo alios corrumpẽtibus. Pugnandum est cum carne propria & illecebris eius, cum domesticis, cum mundo, & (quod omnium maximum est & periculosissimum) cum diabolo mille nocendi artibus instructissimo. Vbique pugnatur adhuc, præsertim in ipso conuersionis initio. Sed vide quàm prouidè Apostolus præmisit se liberatum auxilio Domini, vt & nos nedũ deficiamur animo, sed erigamur potius. Nam vbi primùm dicitur: Expecta tentationes huius sæculi, mox additur: Sed de omnibus eruet te Dominus, & faciet cum tentationẽ prouentum.

Mali autem homines & seductores proficient, &c. Intellige malos homines proficere semper in peius, nimirum circa seipsos, & discipulos illis dignos, id est, mulierculas ipsas, & homines in specie virorum muliercularum similimis mentibus prædictos & leuitate. *Tu verò permane in iis quæ didicisti.* Moner ergo illum ad permanẽdum in iis quæ didicit, non solùm vt sciret sibi, sed etiam aliis, *& credita sunt tibi*, scilicet vt valeas effundere in alios & impartiri, *Sciens à quo didiceris*, Magnum est talem nactum esse præceptorem, ex quo hauritur doctrinæ certitudo, *Et quòd ab infantia sacras literas nosti.* Adiecit & comprobationem propter scientiam scripturarum, quas ipse Timotheus ab infantia didicerat, vnde poterat comprobare doctrinam verã, & in illa confirmari.

Quæ te possint instruere. Græcè legitur, σοφίσαι, id est, sapientem reddere. Hæc est enim vera sapientia homini, scilicet propriæ salutis eruditio, & sapida notitia, quæ eruditionem illam cum gustu probat. Et hanc qui norunt, beati habentur: quoniam tenent arrham beatitudinis suæ. Cum autem non satis sit ad salutis instructionem, versatum esse in sacris literis (siquidem & Iudæi huiusmodi studio dant operam, & tamen minimè proficiunt) opportunè, adiecit per fidẽ, quod valdè considerandũ est tãquam proprium scripturarũ, vt syncerè præstanti fidem se faciles præbeant, quantum fas est, & familiares ad cognitionem sui. At perfido & nolenti ecclesiæ acquiescere, nulla est alia scriptura quæ tot habeat laqueos & offensiones, quot habet sacra & diuina, quæ reuelatur paruulis. Propterea aiebat Dominus: Vobis datum est nosse mysteriũ regni cœlorum: cæteris autem loquebatur in parabolis. *Quæ est in Christo Iesu*, vt sit sensus: In Christo Iesu continetur quicquid nobis credendum est, sicut alibi declarauit. Fides enim apud B. Paulũ, pro re de qua est fides, sicut spes pro re quæ speratur, poni frequentissimè soler.

Matth. 13.

Omnis scriptura diuinitus inspirata, &c. Duo hîc de scriptura notanda sunt, primò quòd illa à Spiritu sancto est vt authore, qui inspirauit eam prophetis, vt non possit, inesse quicquam vel falsum, vel quauis ratione reprehensibile, contra mundi sapientes. Hoc abundè in libr. cui titulum dedimus, Claues ad intelligandas scripturas, persuasimus. Et illud præterea notandũ quomodo Apostolus non dignatur hoc nomine scripturæ, vllam aliam scripturam quæ non sit sacra: vnde ait simpliciter, omnem scripturam diuinitus esse inspiratã, atque ob eam causam vtilem: quoniã scriptum est, Ego Dominus docens te vtilia. Vnde secundo loco mirificè explicat quatuor scripturæ vtilitates. Prima est quia docet. Secunda quia arguit. Hæ duæ pertinẽt ad eos qui profiteri volunt se aliquid sapere. Si enim velint humiliari & doceri, continger eis per scripturæ doctrinam quod Sapiens protulit verissimè, & necessariò. Audiens sapiens sapientior erit. Et sic veniet prima vtilitas. Sin autem non velint humiliari, sed rationibus agere & contendere: tunc scriptura subministrat argumenta etiã ad conuincendum. Et hæc est secunda vtilitas.

Isa. 48.

Prou. 1.

Verùm quia est aliquod genus hominum ineruditum & imperitum, in hos quoque potest prodesse scriptura. Nam si fuerint arrogantes, poterunt corripi. Sin verò cupientes euangelizari, facile erudientur: quoniam docilitas Christiani non tam ab ingenio bono, quàm ab humili fide, & obsequio scripturarum prouenit. *Vt perfectus sit homo Dei in iustitia, ad omne opus bonum instructus.* Ecce finis totius scripturæ, vt sit homo Dei perfectus in iustitia, ad omne opus bonum instructus. Quid afferri posset his verbis clarius & fortius contra istos, qui tantoperè aduersantur bonis operibus, solam extollentes fidem? Nonne finis fidei sunt opera, quæ hominem perfectum reddunt, ac per hoc placentem & gratum Deo? Sed hæc iam trita sunt, & id quidem occasione hæreticorũ, qui excitarunt pias mentes in re necessaria defendenda iam ita instructas, vt vel pueri nunc diluere objectiones eorum possint. Imò & venturum tempus confido, quando vehementer mirabuntur docti, extare potuisse vnquam tantam hominum impudentiam, qui negare bonorum operum apud Deum præmia non sint veriti, postquam viderint loca scripturarum paulò obscuriora beneficio scriptorũ sic illustrata, vt nihil scrupuli relictum sit. Porrò aduertendũ, esse quandam iustitiæ in hac vita perfectionem, ad quam peruenire possumus & debemus, licet non sit illa perfectio patriæ: nec illa perfectio quæ exacta fuisset in statu innocentiæ. Hæc quoniam Lutherani non distinguunt, nec nouerunt discernere peccata venialia à mortalibus, fit vt non intelligãt per venialia non amitti iustitiam Dei, siue charitatem & gratiam. Itaque ipsi confusè loquuntur, &

Pro iustitia bonorum operum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fallunt, & alios fallunt.

CAP. IIII.

TESTIFICOR corã Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos per aduentum ipsius, & regnum eius, predica verbũ, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabũt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertẽt, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui: in reliquo, reposita est mihi corona iustitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.

Testificor coram Deo & Christo Iesu, &c. Hæc pendent à superioribus, quasi expressius diceret: Ob eam causam, quia futuri erant hæretici, & scripturæ sanctæ tantam vim habẽt, & facultatem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ipse Timotheus per illas esse poterat, & per magistrum suum B. Paulum egregiè instructus, ob eam causam, inquam, testificatur coram Deo, &c. Et est quædam abiuratio, vt ipsemet Timotheus per se prædicaret verbum fidei, quod erat Episcopi munus. Idque vult cum magna instantia fieri: non opportunè tantum, id est, cum sese occasio & opportunitas offert: verùm & importunè, hoc est, cum non adest ex parte audientium promptitudo. At huic monitioni videtur illa reclamare Sapientis
Eccle.32. sententia aientis: Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Quæ intelligenda est cum homines prorsus audire recusant, qui iam effecti sunt reprobi. Argue contradicentes, increpa irrisores, obsecra infirmos *in omni patientia & doctrina.* Sunt sæpe qui docent: sed dum animaduertunt se immeritò derideri, mox subirascuntur, nec sunt potentes vt vel patientia franganta animos irrisorum, quãdo res poscit absque Dei contumelia. Ideo nullũ faciunt fructum in terra contumaci, quæ sola vincitur (si quando tamen vinci potest) docentis mã-
Prou.15. suetudine ac patientia. Ira enim molli responsione frangitur, vt Sapiens optimè docet.

Erit enim tempus, Prophetia est, quam modo in oculis nostris impleri conspicimus, *quum sanam doctrinam non sustinebunt*, Quænam est sana doctrina quam non sustinebunt? Certè hæc: Quòd operibus in gratia factis perficimus iustificationem: Quòd vita æterna bonis operibus redditur: Quòd peccator indiget sacramento pœnitentiæ, vt sit cõtritus, vt cõfiteatur, vt satisfaciat. Hæc & huiusmodi alia quæ sunt sanæ doctrinæ, quia saluant animam, iam nequeunt sustinere qui sunt seducti: & ideo de his dicitur. *Sed ad sua desideria*, quæ sunt cõcupiscentiæ prauæ & effrænes, quæ nolunt subiici legi Dei, sed licentiosam vitam amant, *coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus*, hoc est: Illi quibusvoluptas titillat prutitum aurium, & vellent audire placentia: illi, inquam, sunt quos Apostolus vidit coaceruantes sibi magistros. Quod si vnquam apparuit, ad cumulum certè nostra ætate manifestè apparet. Nam quantam nobis magistrorum colluuiem peperit exorta tempestas per Martinum Lutherum & Erasmum? Exurge bone Deus & misericors, & dissipentur inimici tui, & sponsæ tuæ ecclesiæ sanctæ: quia magistri sunt docentes quæ carni placent & sanguini. Equidem non tam verbis hîc quàm lachrymis opus est, si quid zeli haberemus. Nec tam expositionem, quàm animaduersionem prophetia Apostoli efflagitat, vt extirpentur tot perniciosorum dogmatum magistri, præcipuè qui se pios fingunt & non sunt. Ignorant enim miseri quàm sapienter eos frater Domini admonuerat dicens: Nolite fieri plures magistri, sciẽtes quo Iac.3.
niam maius iudicium accipitis.

Et à veritate quidem auditum auertent. Ecce, si quis frequentem auditorum concursum desiderat, affert sermonem hæreticum pro carnis libertate, & implebitur ecclesia, & omnis locus vbi talis habebitur concio. Quis hoc nesciat? Neque enim isti discipulos sibi & sectatores parãt doctrinæ suæ veritate, & rationum momẽtis, sed calumniarum in ecclesiam & Prælatos multitudine & magnitudine iam factos & persuasos solummodo confirmãt atque corroborant. *Ad fabulas autem conuertentur.* Fabula hîc pro quouis fallaci cõmento ab ipsa veritate alieno capitur.

Tu verò vigila. Videtur hic sermo peculiariter dirigi ad illum Timotheum: sed Spiritus Dei qui semper loquitur, & habet ante oculos omne tempus, in Timotheo illo cunctos alloquitur, qui Dei honorẽ suo proprio præponunt. Hoc enim significat Timotheus, id est, honorans Deum. Ait ergo, Tu verò vigila, siue esto sobrius in omnibus. Græcè enim, νῆφε, quod est vigila, & sobrius esto: Quanquam de sobrietate postmodo dicunt latini codices, quod in Græcis desideratur.

In omnibus labora, Græcè significantius κακοπάθησον, hoc est, mala patere, & dura in malis & afflictionibus. Nam hæc est via ad saluandum seipsum & alios. *Opus fac Euangelistæ* prędicando euangeliũ. Opus enim huiusmodi est durare in confessione & prædicatione veritatis, nec opprimi persecutionibus, nec aura populari extolli. Vnde & hoc idẽ aliis verbis significat, vt ista sermonis repetitione ostendat quam erat illi cordi euangelica prædicatio, & hæreticorum expugnatio, ait:

Ministerium tuum imple: quodnam est illud ministerium quod ait, nisi Euangelistæ? Quod est Episcopi munus, nisi prędicare? Quotus verò est hodie eorum numerus qui impleant? Hoc autem impletur, dum verbo veritatis consonat tenor vitæ. Græcè legitur, πληροφόρησον, id est, redde hoc certum & persuasum, te scilicet Dei esse ministrũ. Istud tunc persuadebis quando ostendes te nolle hîc habere mercedem, sed expectare ab eo qui tibi illud mandauit.

Ego enim iam delibor. Græcè, σπενδομαι, id est, immolor.

molor. Et est vox quę (teste B. Chrysostomo) significat perfectam hostiam, quæ tota absorbetur, *& tempus meæ resolutionis instat.* Hoc ex reuelatione accepérat. *Bonum certamen certaui.* Græcè significanter τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν, quod est certum quoddam, & præclarum certamen. Et verè tale fuit illud B. Pauli, quod & Angeli spectauerunt cum gaudio, *cursum consummaui*, id est, absolui & perfeci. Est enim vita nostra quasi agõ, quo pro corona certatur: & quasi cursus, quo curritur pro brauio. *Fidẽ seruaui*, Non loquitur hîc de fidei veritate, sed de fidelitate quæ
1.Cor.4. exigebatur in dispensatore, vt ipse aiebat: A dispensatore quæritur vt sit fidelis. *In reliquo*, seu cęterum, aut: quod superest. Ac si dicat: Post hæc facta non aliud restat, nisi quòd *reposita est mihi corona iustitiæ.* Hic locus manifestè infringit hæreticos, & detestanda eorum dogmata, qui negant hominem posse mandatis Dei ita obtemperare, vt mereatur coronam. Hic distinctè Apostolus de seipso longè aliter testatur. Nam & certasse bonum certamen, & perfecisse cursum, & fidelem fuisse dispensatorem, & perstitisse vsque in finem asseuerat. Quod non valuisset dicere, si conscientia illum redarguisset de peccato lethali. Expugnantur etiam negantes merita: & asserentes coronam paradisi non redi operibus bonis, cum vocetur corona iustitiæ, & non tantum corona gratię, seu misericordiæ. Licet & hoc quoque dici possit: quoniam radix huius iustitiæ à gratia est & misericordia. Non enim meruisset Apostolus coronam iustitiæ, nisi (vt elegan ter ait D. Augustinus) prius fuisset à peccato ereptus, & iustificatus ex gratia. Est igitur corona iustitiæ quæ datur iusto, & propter iustitiæ opera. Iustus autem quilibet effectus est per gratiam & misericordiam, ita vt semper vincat gratia & misericordia, cum ex illa procedat iustitia, per quam veniunt & opera & merita. Vnde sequitur:

Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non autem redderet illi Dominus iustus iudex quasi debitam, ad vim illius verbi (*redder*) nisi prius illum iustificasset misericors Pater, non ex debito, sed ex misericordia: ita vt non ex iustitia, sed ex mera gratia veniat prima iustificatio. Ex iustitia verò iam gratis accepta venit debitum præmij & illius redditio, quæ tamen ad gratiam pertinet (vt dictum est) ex radice. Ipsa enim gratia qua iusta voluntas informatur, per quam voluntatem opera fiunt, est radix meriti. Hæc ita se habere ad veritatem norunt omnes pij: & ego quidem non dubito inter hæreticos inueniri qui ita quoque intelligũt, & aliter intelligi non debere sciunt: sed vt custodiant semel emissum dogma, ex pertinacia illud defendere, non ab ignorantia student. Quod autem dicit Apostolus, *in illa die*, ad extremum magni iudicij diem videtur aspicere. Nam de perfecto præmio loquitur, quãdo anima cum corpore proprio potietur perfecta beatitudine. Non quòd interim anima corpore exuta careat Dei visione, qua statim potitur, nisi indigeat aliqua purgatione, sed quod solius animæ beatitudo non est totius compositi, & per hoc non est interim absolutè Pauli. At Paulus hîc de sua corona loquitur, quę sibi Paulo, non ipsius tantum animæ debebatur, *Non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius*, id est, iis qui bene sperant. Bene autem sperant, qui bene & perseueranter operantur. Et tales verè diligunt aduentum eius, diligentes suum bonũ quod est in Domino, & à Domino in illo aduentu, quando veniet retributurus vnicuique secundum opera sua prout gessit in corpore, siue bonum, siue ma 2. Cor.5.
lum, vt aliãs docuit.

Festina ad me venire citò. Demas enim me reliquit diligens hoc sęculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc mecum: est enim mihi vtilis in ministerio. Tychicum autẽ misi Ephesum. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem mẽbranas. Alexander ęrarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secũdum opera eius, quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerũt: non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cœleste: cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Saluta Priscillam & Aquillam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutãt te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia, & fratres omnes. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

Festina ad me venire citò, &c. Ex hoc loco accipitur, Episcopos non ita alligari suæ ecclesiæ personaliter, quin eis aliquando sit licitum ex grauioribus causis euocati, ad tempus per alios inseruire, vt & ipsi interim quæ sunt maioris muneris implere possint ad superioris imperiũ. Sed nulla alia excusatione sese à culpa tutari valẽt, nisi hæc duo coniungantur, nimirum & quòd superior euocet: & quòd maior & publica vtilitas inde acquiratur. Itaque videat quisque ne seipsum decipiat. Nã Deum ipsum fallere non possunt, apud quem excusationum sterilia folia non valent, quin potius peccatum produnt, non contegunt. *Demas enim me dereliquit.* Ecce necessitas. Destitutus B. Paulus indigebat sociis ad opera maxima, & iam derelictus erat à quibusdam, inter quos erat iste Demas nomine, *diligens hoc sęculum.* Cõuenit nomen. Nam Demas idẽ est quòd popularis, vel plebeius. Vox est Græca quæ potest etiam significare pinguedinem, & vinculũ. Nam plebei sunt, & vinculo huius mundi irretiti, qui commutant apostolicam veritatem cum pinguedine terræ, Esau prophani imitatores, qui pro vili lenticulæ offa supernæ ciuitatis hæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

reditatem vendunt. Significat & molles, qui in medio cursu fracti difficultate itineris redeũt ad propria. Istius enim meminit alio loco Apostolus qui bene currebat, sed non perstitit. Vbi ad doctrinam nostram considerandum, constantia magna opus esse in via Dei, maxime quando persequutiones ingruunt. *Et abiit Thessalonicã.* Ciuitas est Macedoniẽ, & significat positionẽ alterius victoriæ, & id quidem mitum in modum quadrat. Tales enim minime persistunt in primo agone, sed constituunt sibi præmia mundi pro suis laboribus. *Crescens in Galatiam.* Potest mysticè significare hominem, qui cum crescere, & iam solido cibo vesci deberet, ad lac tamen quod est paruulorum, reuertitur. Et ij sunt qui in tentationibus magnis & periculis durare nequeunt.

Titus in Dalmatiam. Titus honorabilem significat. Et Dalmatia lampadem frustratoriam: aut fulgur vanitatis. Vnde significantur qui honorem huius mundi amantes, quasi vanam quandam & inutilem lampadem sequuntur, quæ vt fulgur subita celeritate transit, & mox euanescit.

Lucas est mecum solus. Magnus & fidus socius Lucas, qui B. Paulo etiam vinculis alligato assistit, vt meritò & cũ magna illius laude appellatus sit tanti Apostoli comes indiuiduus. Significat enim lucem veritatis, qua firmatur homo & non vagatur, sed fixus manet suspiciens cœlum, & benignã Dei voluntatem, quæ non deserit sperantes in se. *Marcum assume, & adduc tecum: Est enim mihi vtilis in ministerio.* Hic est ille Marcus propter quem nata fuerat contentio inter B. Paulum & Barnabam, vt habetur in Act. Marcus autẽ significat tersum & politum. Et tali socio egebat Apostolus: quoniam in persequutionibus perpolitur Dei seruus, & tersus redditur. Et verè per illam tentationem ab initio politus est, ex qua tantũ profecit, vt qui antea subterfugiebat, esset postea inter primos, quorum ministeria requirebat Apostolus. *Tychicum autem misi Ephesum.* Per Tychicum fortunę amatorem & amicum intelligit. Hunc vir fortis emittit Ephesum in sua scilicet desideria. Nam qui fortunam diligit, & quo illa ducit sequitur, seruire Christo qui talia damnat, non potest.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, &c. Penula genus est vestis densæ ac vilis, qua loco pallij ad repellendã pluuiæ iniuriam & frigoris vtuntur viatores. Vbi considera miram Apostoli solicitudinem erga Discipulum. Hoc significare voluit futuram Timotheo magno vsui in ipso itinere. Mysticè quoque eleganter significat oportere virũ herentem ei qui persequutionem patitur, armari, ne imbribus tribulationum cedat. De illo Carpo facit mẽtionem honorificam B. Dionysius Areopagita epist. 8. Cum aliquando, ait, in Cretam venissem, sanctº Carpus me hospitio suscepit, vir si quis alius ob eximiam mentis munditiã ad Dei speculationem aptissimus. *Et libros, maxime autem membranas.* Verè libri sancti ad consolationẽ faciunt: quia
Rom. 16. omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, vt per patientiam & consolationẽ scripturarum spem habeamus. Quare summus Sacerdos, & seniores, & reliquus Iudæorũ populus ad Spar-
1. Mac. 12. tiatas scribentes, dixerunt in epistola: Nos enim cum nullo horum indigeremus, habentes sanctos libros in manibus nostris, &c. Quod verò ait, *Maxime autem membranas*, particularia quædam scripta significat, in quibus ea continebantur quæ ad rem magis faciebant. Et mysticè significat scripta quæ in corio mortuo exarata sunt, quod corium mortuum nostra est conscientia, quæ pœnitentiæ baptismum recepit, & luctum Christianum toto vitæ huius tempore profiteri debet.

Alexãder ærarius multa mala mihi ostendit. Non dixit, *intulit*, sed, *ostendit*, quia qui libenter excipit persequutiones, non mala, sed bona excipit: quanquã ex parte inferentis mala sint. Ærarium autem vocat, quia erat faber æris, vt Græca vox ostendit. Et in eo significatur mundi huius fortitudo, quę fidei aduersatur. Isti statuas sibi fabricant, quæ contra Deũ stare nullo pacto possunt. *Reddat illi Dominus secundum opera eius.* Volunt plures interpretes hoc dictum enũciatiuum esse futuri temporis, & ideo legunt, *reddet*, Græcè tamẽ legitur, ἀποδώῃ, hoc est, reddat. Quæ vox non est tam optantis, quàm permittentis, & concordantis cum diuina sententia, quæ iã habet istiusmodi homines veritati resistentes pro reprobis. Vnde addit: *quem & tu deuita*, vt pestem, & venenum lætiferum omnino detestandum. Nam tales illi sunt: quanquã addit aliam causam, dicens: *Valdè enim restitit verbis nostris*, & consequenter ipsi Christo, eiusque sanctissimæ veritati. Hinc ingens capitur doctrina, si quando viri magni, & pro veritate catholica laborantes intelligãt sibi vel clanculum, vel palam à nescio quibus sordidis hominibus & ignaris obsisti. Magna sanè & grauis ob rei indignitatẽ tentatio, dum confligendum est cum sartoribus, & fabris, & tonsoribus: quemadmodum nobis nũc per Lutheranorum laxatas populis habenas contigit, sed verius per diabolum operationũ diuinarum æmulum. Animaduertit summa Dei sapientia electos rudes & ignaros homines ad euangelium prædicandum, & sanguine defendendum, vt esset illustrior Dei virtus & maiestas. Ipse quoque liuidus suscitat istos opifices, & tabernarios, & qui vix notũt, quot sunt (vt dici solet) in manu digiti numerare, vt negotium facessant ecclesię, & Prelatis atque insignibus concionatoribus tanta ignorantia ac temeritate obsistant. Sed hoc B. Pauli exẽplum ad maximum nostrum solatium positum est, vt nõ miremur artem diaboli, sed prouidẽtiam Dei ad lucrum nostrum. Sunt enim isti veluti folles, quibus vtitur Deus in fornace ecclesiæ, vbi probantur electi, vt autũ reddatur purissimum. Nam si hanc tam indignam tentationem illius artificis in B. Paulũ permisit, quid in nos expectandum est?

In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt. Loquitur de prima sua apud Cæsarem defensione, apud quem tanquam seductor fuit accusatus: licet ea de re non constet clara historia in sacris literis. *Non illis imputetur.* Hinc apparet aliud fuisse peccatum horum, qui eum dereliquerunt propter infirmitatem, & aliud Alexandri, qui vt perfidus dedita opera restitit verbis Apostoli. Pro illis enim orat ne eis imputetur hoc peccatũ, de hoc verò ait: Reddat illi Dominus iuxta opera eius. *Dominus autem mihi astitit, & confortauit me*, hoc est, Deus pius & misericors tum demũ consueuit adiuuare suos fortiter, cum ab aliis sine auxilio

derelinquũtur, *vt per me prædicatio impleatur.* Loquitur de prima prædicatione enunciationis euangelij, quæ debuit primò fieri ad vniuersas Gentes. *Et liberatus sum de ore leonis.* Neronem innuit, qui erat ferocia summa crudelis, quasi hominum deuorator, & præcipuè piorum Christianorum.

Liberauit me Dominus ab omni opere malo. In magna miseria & persequutione difficillimum est se continere à peccato. Et tamen Apostolus ab omni opere malo dicit se fuisse liberatum à Deo, non in quod incurrit, sed ne illud cõmitteret adiutus. *Et saluum faciet in regnum suum cœleste.* Ita loquitur ex multa fiducia de misericordiæ Dei concepta: quam & certam sperare possunt, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam: & item quia propinquus erat excessus eius, *cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.* More suo de omnibus suis bonis reddit gloriam Deo per, Amen, id est, per Iesum Christum Redemptorem.

Salutat Priscillam & Aquillam. Hi erant coniuges & Iudæi, vt est in Act. cap. 18. qui pro anima
Rom. 16. Apostoli (vt ad Rom. testatur) ceruices suas supposuerunt. Hos igitur meritò iubet primos salutari, qui & ipsi erant Gẽtis Iudeæ, & verè Iudæorum Christiani. Nam & familiares fuerant aliquando eodem tecto & mensa viuentes, maxime cum essent eiusdem artis, quæ dicitur scenofactoria. *Et Onesiphori domum.* Hunc Onesiphorum honorificè superius iam nominauit. cap. 1. cuius facultatibus fuerat sæpe recreatus, & ab illo Romæ diligentẽr inuestigatus & visitatus, *Erastus remansit Corinthi.* Erastus amabilem significat, quem Corinthi remansisse indicat. Corinthus vox est quæ significat locum scortationis ac lenocinij: nec absque significatione dicitur. Subnotantur enim qui amari declarant, & scorta fiunt. *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Trophimum significat educatum, seu nutritum. Qui enim vel plus, vel minus nutrire corpus student, facile infirmantur. *Festina ante hyemem venire*, id est, antequam cor frigidum fiat. *Salutant te Eubulus*, bonus consiliator, *& Pudens*, quidam legunt: Prudens: sed Græca lectio habet, πούδης, pro Pudẽs, vt intelligatur pudor sanctus qui adest omnibus Deum metuentibus. *Et Linus, & Claudia, & fratres omnes.* Linus est rete & vinculũ: sed rete Christi & charitatis. Et Claudia à claudendo, vt significaretur claudendam esse portam cordis omnibus rebus à Iesu Christo alienis, vt solùm qui fratres sunt admittantur. Hunc Linum puto illum fuisse qui Petro in pontificatu successit. *Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum, Amen:* at si dixerit, Spiritus Domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu tuo, qui in omnibus & prosperis & aduersis te dirigat & illæsum seruet in via mandatorum suorum, vt tandem percipere possis æternam vitæ incorruptibilis coronam: quam nobis omnibus largiri dignetur qui cum Patre & Filio regnat in sæculis sempiternis. Amen.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD TITVM.

TITVM Cretensibus à se præfectum Archiepiscopum instruit Apostolus de iis quæ ad eius officium pertinent. Ostendit quales Ecclesiæ ministros ordinare debeat, qui & possint seductoribus, potissimùm quibusdam proteruis, Iudæis resistere, & durè increpare. Proponit exhortationes vnicuique hominum statui proprias, vt omnes gratiæ Saluatoris respondentes efficiantur vnus populus Deo, per bonorum operum studium, gratus & acceptus. Magistratibus ipsis obtemperandum præcipit. Hæreticos insuper omnino tanquam putrida membra fugiendos, & stultas legis genealogias. Postremò mandat vt veniente Tychico, properet ad se Nicopolim, hortatus iterum vt solicitè fideles bonis operibus studeant abundare. Epistolæ superscriptio in hunc modum Græcè habetur: Ad Titum Ecclesiæ Cretensium primum delectum Episcopum, scripta Nicopoli Macedoniæ.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PAVLI AD TITVM.

PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, secũdum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quę secũdum pietatem est in spẽ vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia. Manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione quæ credita est mihi, secundum præceptũ Saluatoris nostri Dei: Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro.

VOCAT se prius seruũ Dei in hoc salutationis principio, quàm Apostolum, vt iustum erat. Deus enim Dominus est omnium, cui omnia seruire iuxta suam cõditionem debent. Homo ergo volũtariè seruire tenetur: & hoc seruitium libertas est illi vera & amabilis. Qui enim bona libertate promptè seruit Deo, liber est ab omni creatura: aliòqui multipliciter seruit & ignominiosè. *Apostolus autem Iesu Christi.* Declarat peculiare quoddam suum erga Deum seruitium, nimirum in munere apostolatus: ita vt tanquam Apostolus hãc epistolam se scribere insinuet, quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

grauior vigeat in præceptis & maior authoritas: *secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis*. Etsi alij prædicatores aliquo modo vocari possent Apostoli: ipse tamen asserit se Apostolum secũdum fidem electorum Dei, id est, eum cui Deus impartiuit talem fidem, & eam veritatis agnitionem, quæ dari solet electis. Hæc siquidem longo interuallo excedit communem reliquorum Christianorum gratiam. Sicut enim non est omnium fides: ita nec eorum qui sunt fideles, est æqualis fides. Electi illi præcipui (quales erant Apostoli) vt æquum erat, & vt ipsum Apostolatus munus poscebat, longè alios in lumine & mensura fidei, & in cognitione veritatis præcellebant. Voluit ergo Apostolus hoc primum proponere Tito, vt intelligeret ea præcepta quæ scribebat, non ab homine quasi à fratre, sed ab insigni Apostolo proficisci, vt magis intenderet diligẽtiusque seruaret: & quæ etiam posset obiicere duris illis è circuncisione Iudæis, & pigris quibusdam Cretensibus, ne possent sancta veritatis mãdata spernere. Declarat autem quodnam genus veritatis esset, ad quam prædicandam erat constitutus & electus à Deo Apostolus, & ait:

Quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ. Pietas virtus est ex charitate procedens, qua inclinamur ad honorandum & colendum Deum, non solùm vt Creatorem & Dominum, sed vt Patrem, reddendo quæ illi à nobis debentur pietatis, obsequij, cultus, honoris officia: & quæ illi impendere nõ valensus (ipse enim bonorum nostrorum non indiget) impendamus, vt iubet, proximo: & perinde ac si sibi impensum fuerit, accipiet. Fides ergo Apostoli consistebat in agnitione huius veritatis, quæ habebat præceptum pietatis cum promissione. Vnde concipiebatur spes vitæ æternæ, quæ promittebatur pio & pietatem exercenti. Vnde rectè sequitur: *Quam promisit qui non mentitur Deus*. Ipse enim verax est, & non (sicut homo) mendax. Deus ipse non solùm non mentitur, sed nec potest mentiri, qui summa est Veritas. Quid est enim mentiri, nisi aliquid proferendo significare, quod non ita se habeat? Deus autem nihil profert nisi vnum Verbum, quo seipsum exprimit, qui summa est Veritas. Per illud Verbum facta sunt omnia, quæ & ipsa veritatem habent, quatenus ab ea prima Veritate procedunt.

Ante tempora sæcularia. Quæstio hoc in loco exoritur, quo pacto verum fiat, Deum promisisse hanc æternam vitam ante tempora sæcularia. Et primò, Quæ (rogo) est hæc æterna vita? Audi ipsummet,
Ioan.17. qui interrogas, tibi respondentem: Hęc autem est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Visio ergo Dei & Iesu Christi est nobis vita æterna: & hanc testatur esse promissam ante tẽpora sæcularia. Sed cui, aut quibus promissa fuit ante tempora sæcularia, cum nulla adhuc extaret creatura? Dicunt aliqui Deum sibiipsi promisisse. At certè inter promissorem, & eum cui promittitur, debet cogitari personarum differentia, vt Iurisconsulti volunt. Si enim Deus est qui promittit, omnes personę promittũt Pater & Filius & Spiritus sanctus. Quomodo ergo eædem personæ erunt & promittentes, & quibus promittatur? Aliud ergo voluit Apostolus significare, nimirũ (vt ego credo, imò de quo etiam dubitare non valeo) quòd Deus Pater qui ab æterno cogitauit cõdere creaturam, decreuit illam honorare per Filium suum per mysterium nuptiarũ, *Diligenter notanda.* & illam sanctissimam diuinæ & humanæ creaturæ in Verbo coniunctionem. Condidit ergo prius Angelos cum eorum cœlo & paradiso: idque fuit ante omne tempus. Non enim erat dies & mane, nec motus vllus, cum visibilis hìc mundus nondũ creatus esset. Tunc suum hoc cõsilium futurarum nuptiarũ reuelauit Deus Angelis, & promisit suo tempore se id facturum. Receperunt plurimi Angelorum & libenter, & nostrum genus vehementer cœperunt diligere atq; expetere nobilitandum tanto Sponso ac Capite. Contra verò Lucifer ille superbus cum multis inuidere, contradicere, & vt iniquum Dei consilium, ac talem deliberationem cœpit arguere. Hoc volebant veteres Patres cum tradiderunt diabolũ propter inuidiam, qua in hominem vrebatur, cecidisse de cœlo, & huius rei gratia pugnam illam factam in cœlis, de qua B. Ioannes in Apocalypsi. Sed nos proprio tractatu vberius hac de re disseruimus. *Apoc.12.*

Manifestauit autem temporibus suis, conuenientibus scilicet ac præstitutis. Manifestauit autẽ illam vitam æternam, *Verbum suum*, appositiuè. Verbum enim summi Patris vita nostra æterna est. *In prædicatione*, id est, per prædicationem, *Quæ credita est mihi*, Commissa fuit prædicatio B. Paulo magna ex parte, præsertim ad Gentes, *Secundum præceptum Saluatoris nostri Dei*. Hoc enim præcepit illi Christus Saluator noster, vt sæpius iam explicauimus, vt nõ immerito dixerit, Væ enim mihi est si non euangelizauero, *Tito Dilecto filio secundum communem fidem*, Potes exponere quod ait, *secundum cõmunem fidem*, vt determinet filiationem: perinde ac si dixerit, Voco te filium meum: quia per euangelium te genui communicans tibi fidem, qua quisque quasi noua generatione nascitur Deo. Vel, vt determinet dilectionis qualitatem ac si dixerit: Dilectum te voco secundum communem fidem: quoniam dilectio mea fundatur in communicatione æternorum bonorum, quæ ipsa fides nobis ostẽdit. *Gratia & pax, &c.* In Græcis legitur, *Gratia, misericordia & pax*. Notandum, quomodo hìc ad Titum, & superius ad Timotheum scribens, salutat imprecando misericordiam: quod in aliis epistolis non legimus. Et fortè ob eam causam, quoniam ij qui prętecti sunt aliis, digni sunt præ aliis commiseratione, & indigentes misericordia ob põdus grauissimum quod sustinent: & beati illi qui minime succũbunt. Succumbunt autem omnes qui misericordiam Dei, & auxilium supplices non implorant assiduè. Est enim nimis tremendum officium, curam suscipere animarum.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quę desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Siquis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignũ, sobrium, iustum, sanctum, continẽtem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas. B. Paulus ostendit Tito Archiepiscopo seu primati, primum & maximũ opus, quod erat supplere quæ deerant in illis ecclesiis, & eligere presbyteros, & ordinare idoneos ob ingruentem necessitatem. Iam enim dilabi incipiebãt vix surgentia fundamenta: cuius rei gratia ait se reliquisse illum Cretæ: vt intelligas in hoc magnam curam esse debere Episcopi, videlicet ordinationes facere dignarum personarum. In quo quantum ab omnibus ferè nostro tempore peccetur, optimum esset animaduertere & emendare, ne ira Dei grauissima irruat super nos. Ordinantur passim nedum viri ad corrigendum apti, sed qui omnino econuerso, ad deprauandos rectos mores sunt aptissimi. Dominus videat, & prouideat. Presbyterorum autem appellatione hoc in loco Episcopos debere intelligi manifestum est. Nonnulli aliter opinantes ansam acceperunt erroris, nolentes quicquam interesse inter Episcopum & presbyterum, qua voce intelligunt sacerdotem. Ita vt omnis sacerdos, eorum iudicio, sit Episcopus habẽs à Deo potestatem & iurisdictionem. At re vera hoc dogma falsum est omnino, ac valdè pernitiosum. Quantò magis illud nouorum hæreticorum, qui sacramentum ordinis funditus tollunt? Docent enim factiosi hypocritę, parem esse apud Christianos omnes in verbo & sacramento potestatem, & attinere ad magistratus tantum ac plebem secernere qui debeant ministrare. Quæ insana hæresis habet manifestè sibi aduersantes & scripturas, & traditiones patrũ à primordiis ipsius ecclesiæ in hunc vsque diem. Verè per se est absurdissima, & luce clarius patet in ipsis primordiis. Licet enim discipuli Domini essent Christiani, nunquam tamen habuerũt potestatem consecrandi, nisi postquam Dominus illa verba protu-
Luc.22. lit: Hoc facite in meam commemorationem: quibus verbis contulit eis illam potestatẽ. Et similiter quanuis per ea verba sacerdotes essent constituti, nunquam tamen habuissent potestatẽ absoluendi à peccatis, & alia quæ sunt episcopalis iurisdictionis, nisi Dominus dedisset postmodo illis Spiritũ sanctum, per quem hanc potestatẽ acciperẽt, sicut
Ioan.20. est apud B. Ioãnem, vbi ait: Sicut misit me viuẽs Pater, & ego mitto vos. Et cum hæc dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritũ sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ecce quàm manifestè apparet non eis datũ à Domino vt exercerent potestatem quam prius haberent, sed ipsam potestatem eis dedit, quam postmodo exercere possent.

Nihil autem obstat quod ex B. Petri epistola accipiunt hęretici, vt hoc peruersum dogma statuãt,
1.Petr.2. vbi ait: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c. Ecce, inquiũt, Petrus vniuersum populum Christianum vocat sacerdotium: & hinc educunt omnes esse sacerdotes. Et cur non item concludunt omnes esse reges, cum pariter dictum sit à B. Petro, & eodem prorsus contextu, Regale sacerdotium? Et Dominus ipse de populo Hebræo per Mosen dixit: Vos *Exod.19.* eritis mihi in regnum sacerdotale. Nunquid propterea omnes erant reges, aut omnes erant sacerdotes? Quæ, rogo, est hæc consequentia, quam ipsa rei veritas manifestat esse falsissimam? Docet ergo B. Petrus in vniuersitate Christianorum esse sacerdotium, in quo & regia esset potestas: sicut de illo populo Dei dixit Moses esse regnum, in quo sacerdotalis esset ordo. Simili modo soluitur quod à B. Ioanne dictum est in Apo. Fecit nos Deo regnum *Apoc.1.* & sacerdotes. Loquitur enim non de singulis, sed de ipso vniuerso, in quo inuenitur vtraq; potestas, regia scilicet & sacerdotalis. Nam si lectionẽ Græcam sequi volumus, sic habet litera: Fecit nos Deo reges & sacerdotes. Et videtur loqui de se & sui similibus, id est, de ordine Apostolorum, qui constituti sunt à Deo principes orbis terrarum, & verè sacerdotes. Alioqui dicant nobis quomodo omnes Christiani sint reges? Non me primo latet aliquo modo posse dici omnes Christianos & sacerdotes simul & reges, sed largè admodum extenso vocabulo, vt nonnulli dicunt, ac per hoc diluunt quæ ab hæreticis obiiciuntur. Non reprobo dictum: continet enim in se veritatem. Siquidem seruire Deo, regnare est: & offerre Deo seipsum quasi hostiam sanctam, quodammodo sacrificare est. Verùm quod aptius videtur sensui illarum scripturarum congruere, & quod vehementius confutat aduersariorum argumentum, in medium adduxi. Concludimus ergo esse quidem sacerdotalem or- *De sacerdotali & episcopali iurisdictione.* dinem in ecclesia, & ab episcopali differre. Oportet quidem Episcopum omnino esse sacerdotem, non autem econuerso. Credimus etiam olim ab initio cum esset messis multa, & operarij pauci, in eandem personam concurrisse vtranque potestatem, vt qui essent presbyteri siue sacerdotes, ipsi quoque essent Episcopi. In eadem autem ciuitate plures inueniebantur Episcopi, vt patet in Act. capite vigesimo vbi legimus B. Paulum vocasse presbyteros eius ecclesiæ, ad quos sermonem habens mox Episcopos vocat, quos Spiritus sanctus elegerat ad regendam ecclesiam. Et in hac epistola quos presbyteros manifestè vocat, confestim Episcopos appellat. Hinc ille error exortus est, vt multi ordinem episcopalem à sacerdotali non distinguerent. Sed non valet quouis modo, ordines iccirco non esse inter se distinctos, quia in eãdem personam concurrerent, scilicet vt qui essent illo tempore sacerdotes, etiam Episcopi simul ordinarentur. Quanquam re vera presbyteri tum vocabantur, non qui essent solùm sacerdotes, sed & qui Episcopi munere fungerentur. Quicquid autẽ sit, omnino illud vt certum tenendum est (quod vsus ecclesiæ semper comprobauit) ordine differre Episcopum à sacerdote: neque continuo esse Episcopum qui sit sacerdos. Habet enim potestatem ordinis Episcopus, non tantum iurisdictionis, qua excellit sacerdotem, vt ipso vetustissimo vsu notissimum est in ecclesia. Plura enim sacrat Episcopus, quæ simplex sacerdos sacrare non potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& à multis casib⁹ absoluit, & quæ huiusmodi sunt. Pergit autem Apostolus conditiones illius declarans, qui sit ad episcopatum promouendus. Primùm vt sit, *sine crimine*, Non dixit sine peccato, sed *sine crimine*, quod scilicet meritò venire possit in iudicium: *Vnius vxoris vir*, propter sacramenti sanctitatem, non in nuptiarum reprehensionem. Sicut si fœmina etiã si catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurdè visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod cõmisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum. Hoc explicatum est superius ad Timotheum, *Filios habens fideles*. Quia turpe iudicatur in Episcopo vel habuisse plures vxores, vel etiam non habere filios fideles. Quomodo enim fiet credibile, posse alios ab eo in fide instrui, qui proprios secundum carnem filios non instruxerit? *Non in accusatione luxuriæ*, Luxus filiorum patrem reddit incapacem episcopatus, & merito: quia dilapidare bona ecclesiæ facile possent, & ita pauperes Christi defraudari contingeret. Quod etiam nunc (heu heu) nimis nostris oculis perspicimus, *aut non subditos*, Qui enim suam familiam rectè non potest regere, quomodo ecclesiam Dei regere poterit? *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*, Ecce, quem vocauit presbyterum, nunc vocat Episcopum, quem esse oportet ab omni crimine immunem. *sicut Dei dispensatorem*, à quo exigitur fidelitas in dispensatione verbi, & sacramentorum. Hanc autem fidelitatem præstare non potest homo criminosus, *Non superbum*, alij interpretãtur Græcam vocem, non præfractum, vel proteruum, *Non iracundum*, Non omnis qui aliquãdo irascitur, iracundus est: sed qui facile & frequenter exardescit in iram, ille propriè iracũdus dicendus est. *Non vinolentum*, id est, vini amantem, seu vinosum, *non percussorem*, Credo Apostolum (vt alibi declaraui) linguam maledicã, qua percutitur proximus conuitiis & maledictis, voluisse hoc loquendi genere notare. Alioqui illud facinus nimiæ erat insolẽtiæ, nec erat memorãdum. *Non turpis lucri cupidum*, Potest duobus modis intelligi. Primo, vt lucrum illud demum quod turpe est deuitet: quale est lucrum per vsuras quæsitum, aut quodcunque aliud illicitum ac cunctis prohibitum. Altero modo potest intelligi, vt cuiusuis lucri pecuniarij cupiditatem prohibeat: quoniam & hoc Episcopo turpe est mercatorem esse, & rebus ad lucrum spectantibus animum intendere, qui totus debet in spiritualibus occupari. Qua enim prædicationis fiducia posset mundi homines hanc in partem lucrandi ruentes retrahere, si in idem præcipirium laberetur? Nonne vel pueri obiicerent sentẽtiam illam: Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum? Virum sanè catholicum (ait magnus ille Leo Pontifex) & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore, ita nulla oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ auida, nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Cui cupiditas dominatur, quo pacto conditionem subsequentem exequi studuerit, qui nedum largiri propria, sed & aliena sibi vsurpare contẽdit? Non igitur lucri cupidum oportet esse Episcopum, *sed hospitalem*, Hospitalitatem omnibus scriptura, & frequenter Apostolus plurimum commendat: in Episcopo autem est necessaria, ne viri religiosi ac pij honesto hospitio carentes, necessitate cogantur diuertere ad tabernas & stabularios, vbi sunt plena spurcitiarum omnia & impudicitię. Si enim regulares decẽtissime habent monasteria propria quo diuertãt, nec citra iustam reprehẽsionem licet eis publica adire hospitia, cur non & reliqui Prelati ecclesiastici pariter habebũt pro suo hospitio Episcopi domum, ne cogatur ipse Episcopus peregrinus in ciuitatibus, vbi sit episcopalis domus, diuertere ad hospitia mercenaria, & plerunque impudica? O quàm refriguit charitas. Possent forte Episcopi pauperes se excusare: verum nescio an Deus excusationem probet. Si enim diues esset Episcopus bonis moribus & fama, certè pauper in bonis Deo prouidẽte esse non posset. Et ideo absolutè dixit Apostolus, *sed hospitalem*, non distinguens esset ne diues an pauper. Imò verò quas existimamus tum adfuisse Episcopis diuitias & fructus annuos, quando ista præcepta dabat Apostolus? Nullus esset tam ferreus in ciuitate, qui si pastorem suum bonis operibus lucere videret, non inflammaretur ad iuuandum. Recolamus quid B. Ambrosius de suis testetur temporibus. Vbi enim populus considerabat bona ecclesiæ in pauperes tanta cura ac pietate à Prælatis dispertiri, ad eosdem suas ipsi eleemosynas deferebant, vt per manus illorum fidelius distribuerentur, tanquam qui inopiam afflictorum diligentius nouissent. Scio plerosque sacerdotes (ait grauissimus ille Antistes) quo plus cõtulerunt, plus abundasse: quoniam quicunque bonum operarium videt, ipsi confert quod suo officio dispenset, securus quod ad pauperem sua perueniet misericordia. Nemo enim vult nisi pauperi suam proficere collationem. Nam si quem aut immoderatum, aut nimis tenacem dispensatorem viderit, vtrunque despiciet, si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat sacculis: hæc ille Sanctus, & verè.

B. Ambr. li. 2. off. ca. 16.

Benignum, Græca vox significat amatorem probitatis. *Sobrium*, id est, moderatum circa seipsum: quod pertinet ad cohibẽdum luxum & lasciuiam in pompa, & supellectili, & vestitu, & quę sunt Cereris, Bacchi, & Veneris irritamenta. *Iustum*, erga alios, vt reddat & distribuat cunctis, & vnicuique quod suum est. *Sanctum*, id est, pium erga Deum, *Continentem*, seu fortem ad continendum, & temperatè viuendum. Magna enim fortitudine opus est ad vincendum seipsum, & concupiscẽtias suas. *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem*. Sensus est, vt sit tenax eius sermonis custos qui est fidelis, & secundum rectam doctrinam: quam arbitror ab illo certam significari per articulum, illam nimirum doctrinam, quam Christus & eius Apostoli tradiderunt, ita vt nolit Episcopum ab ea doctrina habere differentem sermonem. Hoc enim esset omnino peruersum. *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Hæc duo ad Episcopum pertinent, docere scilicet atque exhortari secũdum sanam doctrinam, quæ ad mentis sanitatem perducit. Et præterea (quod ferè equè est necessarium) eos qui contradicunt reuincere. Alioqui vnus ædificans, & alter destruens, quæ vtilitas nisi labor? ait Sapiens. Huius rei necessitatem affert, subiungens:

Sunt enim multi etiam inobediẽtes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de Circuncisione sunt, quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verũ est. Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide: non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium se à veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negãt, cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Sunt enim multi inobedientes. Græca vox significat intractabiles & eos qui in ordinem redigi nõ possunt, vaniloqui, id est, ea loquentes quæ ad fidem veramque salutem non promouent, & finem bonum, seductores. Græcè significantur illi qui seducunt mentem (vt ita dixerimus) dementando, & à veritate ipsa abducendo, *Maximè qui sunt ex circuncisione*. Iudæos pseudoprophetas, aut pseudoapostolos notat, *quos oportet redargui*, id est, quibus oportet os obturare, vt Græca vox innuit. Hoc autem fit doctrina primum: deinde si non acquiescant, authoritate apostolica.

Qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ nõ oportet, scilicet familiari & priuata doctrina non publicè, imitatores illius qui clanculum consueuit serere zizania. Non enim publicè audent, quandoquidem lucem qui male agunt, fugere solent. Docebant autem quæ non oportebat, de lege videlicet, quæ iam antiquata erant. At in doctrina Christi sactilegium est ea admiscere quæ non oportet. Quæcunque autem vana sunt, si in cultu Dei habeantur vt necessaria, noxia sunt. Et omnino superstitiosum est quicquid agitur cum eo, non ex illius regula, & ecclesiæ eius sanctæ.

Turpis lucri gratia, Hoc etiam addit ad impietatẽ: quoniam nefas erat venditare scientiam diuinorum. Vnde turpe est omne lucrum quod exigitur quasi merces doctrinæ. Sapienter quidam Iurisconsultus de ciuili sapientia dixit: Non esse illam pretio numario æstimandam, ac dehonestandam.

Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta. Epimenidem intelligit, qui fuit paganus vates. Vocat autem quendam ex illis. Erat enim Cretensis ille poeta: ita vt nõ ad Iudæos specialiter pertineat hîc sermo, nisi fortè & ille Epimenides fuerit ex stirpe ac genere Iudæus, quòd non constat apertius. Et præterea hic vt Cretensis ab Apostolo citatur, non vt Iudæus: & in ipsos Cretenses vaticinatur, nõ in Iudæos. Appellat & proprium ipsorum prophetam. Proprium ait: quia eius gẽtis erat. Aut melius dicit Epimenidem fuisse proprium vatem ipsorum, non generaliter Cretensium, sed eorũ Cretensium qui talia faciebant. Ita vt velit esse verum Epimenidis vaticinium quasi prophetiam, in illis Cretensibus qui tales erant, quales ipse superius designauit. Tria autem in Cretenses obiicit. Primum, eos esse mendaces: & ideo vaniloqui & loquentes quæ non oportear. Secundum, malas bestias: & ob eam causam seductores mentium, atque animarum interfectores. Tertium, ventres pigros: ex quo reddebantur otiosi, & sic malis artibus cibum quærere coacti per linguam mendacẽ & adulantem, vt gnatonum more possent ventri satisfacere.

Quam authoritatem paganis scriptis det Apostolus

Sunt qui mirantur primùm, cur B. Paulus in authoritatem euexerit poetam ethnicum quasi prophetam. Nec intelligunt (quod tamen facile erat) non poetam, sed illud dictum poetæ hoc in loco probari. Quid enim prohibet mendaces poetas aliquando prædicare quod verum est? Nonne & dęmones aliquando vera loquuntur? Memini etiam quendam virum magnum & ecclesiasticum, qui illud potius admirabatur, quomodo tantus Apostolus tanto vituperio vniuersam illam prouinciam tãta ignominiæ nota inusserit. Aiebat enim sibi nõ videri esse viri prudentis, vniuersaliter taxare aliquam nationem, ac illius vniuersæ gentis animos propterea in se acerbius concitare. Verùm B. Paulum excusare primum potest ipsa rei clara veritas. Deinde, non fuit eius sententiæ author, sed poetã illiusmet gentis profert: quanquam illud dictum quasi vaticinium videatur probare. Tertio, quia scribebat Apostolus ad priuatum virum. Multa enim priuatim prudenter dicuntur & scribuntur, quæ minus prudenter in aures vulgi publicè dicerentur. Et quanuis publicata postmodo fuerit hęc epistola, hoc tamen tum non intendebat Apostolus. Quarto, si cõcideretur quid Apostolus dixerit, videtur potius mitigasse dictũ illius poetæ in Cretenses, dum quasi prophetiam accipit, quę ad illud tempus & ad illos seductores respiciebat. Denique ipsa B. Pauli authoritas excusat, qui tanquam Apostolus Dei loquebatur, nec animo conuicianti, sed potius vt emendarentur, nec iis humanis (vt ita dicam) respectibus astringebatur. Est item verus saltem spiritualis sensus de Cretensibus, in quibus carnales homines significantur, vt vox ipsa sonat. Qui autem carnales sunt, & vẽtres pigri sunt, & malæ bestię, & facile mentiuntur. Si quis ab his conditionibus immunis fuerit, nec erit Cretensis secundum Spiritum, sed eò maiori laude dignus, quò in medio bestiarum apparet homo ratione se & iudicio gubernans.

Quam ob causam increpa illos durè. Merentur profectò duram increpationem, qui non sunt sani in fide, id est, non sanè sentiunt de his quæ sunt fidei: quantò verò magis etiam qui alios peruertunt per inanes hominum traditiones? Increpare autem iubet ad hunc finem, *Vt sani sint in fide*. Hic ergo finis increpationis, videlicet sanitas fidei, vt eam rectã & sanam sequantur: non solùm in illis, verùm ne etiam alij corrumpantur. Vnde & pergit:

Non attendentes Iudaicis fabulis. Nam vel tunc erat doctrina illa pessima quam vocant Thalmut, fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bulis ſcatens non quibuſcunque,ſed iudaicis: non ſolùm mendacibus, verum etiam & ſuperſtitioſis & ridiculis. Addit, *Et mandatis hominum auerſentium ſe à veritate*, Græcè auerſantium ſe,& odiētium veritatem, illam nimirum quæ erat in Chriſtiana lege. Et quia de cibis magna vigebat queſtio ſub prętextu decretorum Moſeos, adiecit:

Omnia munda mundis. Hæc Apoſtolica ſententia ratione ſumma nititur: quoniam rerum munditia vel immunditia non ex ipſarum rerum natura eſt, vt putabant impij. Omne enim à Deo creatum bonum eſt & mundum. Itaque non quia aliquid ſit immundum, ſi illud edamus, coinquinamur. Sed cum accidat hominem eſſe immundū propter peccatum, iccircò & omnia illi fiunt immunda. Quia enim in primo homine omnes peccauimus, ideo immunda facta ſunt nobis omnia, vt potè quæ nō ſeruiant, nec proſint ad ſeruitium Dei, cū nos, quibus iſta ſeruire debebant, à Deo eſſemus alieni. Igitur immunda nobiſcum facta ſunt, quamdudum permanſuri eramus immundi. Tandiu autem erat illud futurum, quandiu peccatum regnaret. Poſtquam verò Dominus Ieſus ſua cruce deleuit peccatum, & ita mundificauit nos quicunque in illū ingreſſi ſumus, iccirco nobis facta ſunt mūda omnia. Doctè igitur dixit omnia eſſe munda mundis per Chriſtum redditis.

Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mūdum, id eſt, non ea ſolùm quæ tanquam immunda reſpuuntur à Iudæis, ſed etiam quæ munda eſſe exiſtimant, immunda ſunt: quia immūdus eſt factus homo coram Deo: nec iuſtè, nec dignè, nec mundū poteſt comedere, aut quicquam agere donec talis perſtiterit. Nulla enim decētia patitur, vt qui ſummo bono ingratus fuerit, veſcatur illius bonis. Quod ſi facit, non iuſtè facit.

Sed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. Inquinatur mens errore cum obfirmatur, & non eſt parata informari luce veritatis. Et conſcientia inquinatur, quando contra rectæ rationis inſtinctū agit. *Confitentur ſe noſſe Deum*, Ore ſcilicet & fortè ſcriptis, ſicut nūc hęretici faciunt, qui aſſiduè Chriſtum ingeminant: *Factis autem negant*, quia docent contraria veritati, & ipſimet Chriſto, & licentioſam viuendi viam ſine vllo Chriſtiano luctu ſternunt hominibus. Sed minime illud mirum. Quis enim conſque malus qui non velit bona loqui? At vbi opera loquuntur, non eſt requirendus elegans verborum apparatus. Nonne hypocritæ illi & Phariſæi quos Dominus durè coarguit, Moſaicæ legis tam acres ſe profitebantur defenſores, vt vel ferre non poſſent debiles, & claudos, & cæcos ad Chriſtum ſabbati die accedentes? Et tamen nullus eorum legem implebat: verbis & exteriori cultu tantum Moſen confitebantur, factis negabant. Si diſcutiamus omnes hæreſes, teſte B. Auguſtino, inuenimus eas negare Chriſtum. Etiam omnes mali Chriſtiani verbis confitentur Chriſtum, ſed factis negant. Nolite, inquit, eſſe de fide ſola ſecuri. Adiungite fidei rectæ vitam rectam, vt Chriſtum cōfiteamini in carne veniſſe & verbis vera dicendo, & factis bene viuendo. Nam ſi confiteamini verbis, & factis negatis, fides talium morum propè eſt fides dæmoniorum. Et iſti tamen hanc fidem prædicant, *Cum ſint abominati, & incredibiles*, Melius abominabiles & increduli, *Et ad omne opus bonum reprobi*, Ita vt nihil queāt operari quod verè bonum ſit, & Deo gratum.

Ioan. 7.

Reperiuntur tamen aliqui ſuſtinentes, poſſe hominem prauum & infidelem ex ſe, & ſolummodo generali illo diuino influxu qui eſt omnis creaturæ, operari aliqua bona moraliter. Quibus dū hic locus, & aliæ ſcripturarum ſententiæ obiiciuntur, quæ oppoſitum non obſcurè videntur porrigere: Reſpondent loqui ſcripturas de eo opere bono quod eſt meritorium, vt pote à Dei gratia proficiſcens. Ego verò demiror, nec video quo pacto infidelis & prauus poſſit opus vllum operari verè bonum etiam morale, cum nullum eorum opus habere valeat circunſtantiam illam maximam, vt fiat amore ipſius Dei: quod & lex naturalis requirit, non ſolum lex gratiæ. Iſti autem bonum eſſe morale opinantur, quod eſt bonum ex genere (vt verbis Scholaſticorum vtar) ſed decipiuntur. Si enim inquinata eſt mens iſtorum & conſcientia, quid inde, quæſo, boni moralis produci poteſt?

CAP. II.

TV autem loquere quæ decēt ſanam doctrinā. Senes vt ſobrij ſint, pudici, prudētes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. Anus ſimiliter, in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſeruientes, bene docentes, vt prudētiam doceant. Adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, vt non blaſpemetur verbū Dei. Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil habēs malum dicere de nobis. Seruos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placētes, non contradicentes, non fraudentes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus.

TV autem loquere quæ decent ſanam doctrinam, &c. Eorum quæ à Tito tradenda ſunt populis, generaliter primùm oſtendit, nimirum vt repudiata omni falſa doctrina, ſanā docere ſtudeat, per quā fides firmatur, & per dilectionem operatur ad conſequēda cœleſtia præmia. Tum ad particularia deſcendit, ſubdens ea quæ ſunt ſanæ doctrinæ. Specialiter autem quod ſequitur: Senes vt ſobrij ſint. Nihil enim turpius ſenectute quæ delectationibus corporis eſt adhuc dedita, cum in ea ætate vigere debeat ſapientiæ amor, & rerum fluxarum contēptus, & ſenſuū mortificatio: vt ſint verè ſobrij ſeu vigilantes, & quò ad exitum vitæ ſunt viciniores, eò ſint ad palmam arripiendam auidiores, Pudici, ſeu graues, prudentes, ſeu modeſti, vt & eorum

exemplo poſſint iuuenes proficere, *ſani in fide, in dilectione, in patientia*, Ille non eſt ſanus in fide, qui nō innititur ſolido fundamēto, ſed nutat: Et iſtud maxime reprehenſione dignum in ſenibus qui progreſſu temporis egiſſe radices debuerant, & non fluctuare ad omnem doctrinæ ventum. Similiter in dilectione infirmus eſt, qui leuiter amare nouit. Hinc venit vt ſæpe non tolerentur patienter quæ accidunt mala. *Anus ſimiliter in habitu ſancto*, conueniente pietati ac religioni, & illi ætati iam decrepitæ, non criminatrices, quod eſt ferè mulierum proprium, maxime vetularum, quæ ſunt curioſæ in alienis moribus explorandis, & taxandis.

Non multo vino ſeruientes. Opportunè admodum poſita eſt hæc cautio. Nam illa ætas vini eſt appetentior: & quemadmodum pueri lacte, ita ſenes vino delectantur, & facilius in ebrietatem labuntur in magnum ætatis dedecus, vbi amittitur grauitas & perſonæ authoritas, ne errores iuniorum emendare iam audeant, cum tamen deberent eſſe omnium virtutum exempla tum viuendo, tum docendo. Vide quid requirat ab eis Apoſtolus ad iuniorum vtilitatem, ait:

Bene docentes, potius bona docentes & honeſta, *vt prudentiam doceant adoleſcentulas*, Græcè vt poſſint reddere modeſtas adoleſcentulas, vxores diſcentes ab earum verbo & exemplo, *vt viros ſuos amēt, &c.* Hæc ſunt quæ anus adoleſcentulas docere debent. Nam ſi ſemel viros ſuos minus amare ceperint, extimulantur in noua concupiſcentiæ deſideria, & non rarò violatur matrimonij fides, & quotidianis iurgiis tota repletur domus. At B. Paulus eas vult eſſe prudentes, caſtas, & domus curam habentes, vt ſint adiutorio viris & ſolatio, non autē moleſtiæ & afflictioni, *vt non blaſphemetur verbum Dei*. Verè à malis Chriſtianorum moribus, & præſertim ſacerdotum, & religioſorum accidit vt blaſphemetur euangelium Dei, & doctrina ſana ab infidelibus & hæreticis. Hāc autem occaſionem præbere his qui foris ſunt, diſplicet vehementer Deo. De qua re etiam per prophetas conqueritur, vt alibi ipſemet Apoſtolus docuit. *Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint*, ſiue continentes & modeſti. Nam vicina eſt lapſibus iuuentus, quæ variarum æſtu cupiditatum ob ebullientem ætatem inflammatur. Honor autem adoleſcentium eſt (teſte B. Ambroſio) timorem Dei habere, parentibus deferre, honorem habere ſenioribus, caſtitatem tueri, humilitatem non aſpernari, diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta ſunt iuuenilis ætatis.

Rom. 2.

In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operū, &c. Interponit Apoſtolus quod maxime eſt neceſſarium ei qui præeſt, & alios monet, vt in omnibus præſtet ſe exemplum. Efficacius nanque mouere ſolent rectè facta, quàm verba. Omnes enim ferè loqui poſſunt, ſed ſecundum virtutem operari perpaucorum eſt. Vnde quaſi hoc declarans, ſubiunxit, in doctrina, in integritate, vt non corrumpatur docens, neque præmio, neque metu moueatur quominus vera doceat: nec ſit leuitas in operatione, ſed conſtans quædam ſancta & veneranda grauitas, *verbum ſanum & irreprehenſibile*. Vt qui euangelio contradicere paratus eſt, vereatur & pudore confundatur, *nihil habens malum dicere de nobis*, nec in vita nec in doctrina. Admiſcet ſeipſum: quoniam doctrina diſcipuli eſt doctrina magiſtri. Et ſi vnus eorum vituperetur, etiam in alterum redundat vituperium. *Seruos dominis ſuis, &c.* hæc iam alibi expoſita ſunt. *Vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus*. Vide quomodo ornatur doctrina Chriſti, cum oſtenditur pacifica, & conſentiens etiam cum legibus Gentium ſalua pietate. Ornatur etiam tunc cum id quod ore aſſeritur, factis confirmatur, vt per eam nulli fiat iniuria, ſed reddatur vnicuique ab vnoquoque quod ſuum eſt, ſiue à ſeruo, ſiue à libero, iuuene & ſene.

Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiēs nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemet ipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Apparuit enim gratia Dei ſaluatoris noſtri, &c. Gratia quidem videri poterat, & propemodū æquum, vt qui in Chriſto eſſent per gratiam conſtituti, reciperent libertatem. Occurrit igitur B. Paulus, oppoſitum docens, & exponēs ipſum ſtatum, in quē per gratiam Chriſti euectus eſt homo, non ad tollendam carnis ſeruitutem, quę nihil ad ſalutem officit, ſed ad veram ſpiritus libertatem, quæ ſola valet, & ait: *Apparuit enim gratia Saluatoris noſtri, &c.* Salutifera legitur in Græcis, *omnibus hominibus*, vt nulli prorſus excipiantur cuiuſuis conditionis & ſtatus, ſiue ſerui ſint, ſiue liberi. Sed hoc videtur falſum: quia multis hominibus non illuxit euangeliū Chriſti, vt teſtatur ipſemet Apoſtolus. Facilis ſolutio: Apparet omnibus hominibus, ſed non illuxit iis qui ſuis peccatorum tenebris delectati, ſe indignos tam amabili luce reddiderunt. Gratia autem Dei quæ apparuit, eſt donum illud quod nobis gratioſè largitus eſt, quo grati facti ſumus ipſi Deo. Et vt eius gratię efficaciam ſingularem agnoſcas, addit:

2. Cor. 4.

Erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria. Quoniam gratia hæc non venit abſque lumine & doctrina, per illam ad hunc finem erudimur, vt abnegantes impietatem, ſeu potius abnegata impietate, & ſæcularibus concupiſcentiis ſobriè viuamus. Quæ autem eſt impietas, niſi relinquere verum Deum & Patrem omnium, & hærere ſatanæ & pompis eius? At hoc eſt primum in Chriſtianæ vitæ eruditione, quod & in ſancto baptiſmi ſacramento deteſtamur. Abrenuntiamus enim conceptis verbis ſatanæ, quod eſt abnegare impietatem: & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius: quod eſt abnegare ſæcularia deſideria, id eſt, cupiditates, quas facile excitant obiecta huius mundi. Hoc ergo facit gratia ſuo lumine, vt abnegemus primùm impietatē, ac ſimul mūdanas concupiſcentias, & conuertamur ad Domi

Universidad de Deusto
Biblioteca

num Deum nostrum, vt illi seruiamus in iustitia & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ.

Nunc audi quo pacto, ait: *sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Quã doctè Apostolus tribus verbis omnem vitæ perfectionem perstringit. Perfectio enim hominis est vt rectè se habeat erga se, erga proximum, erga Deum. Primum facit sobrietas, quę est moderatio & temperantia in omnibus à desideriis mundi huius, & carnis. Secundum facit iustitia, quæ est ad alterum: vt vnicuique retribuatur suum eius. Tertium efficit pietas, quæ est ad Deum. Audiat ergo quicunque dominum habet in hoc mundo, quoniam per Christi gratiam non liberatur à seruitio domini sui, cui ipse iustè obligatur. Et si enim naturaliter non sit quisquam homo seruus: iure tamen gentium introducta est seruitus, nec irrationabiliter. Et ideo iniustè quis se ab hoc iugo eximeret: quia contra ius gentium ageret. Non autem venit Dominus iura gentium violare, aut soluere. Sed vt de malis seruis bonos faceret, & pœnam in meritum in iis conuerteret, qui dominis tanquam ipsi Christo fideliter seruiunt, quẽadmodum ait Alibi Apostolus: Si quid iniustè actum fuerit à principibus & dominis, ipse suo tempore vindicabit. Nõ enim est iudicium Christi in hoc tempore, qui venit hactenus non ad iudicandum, sed ad saluandum. Ergo pariẽs interim esse debet homo qui premitur, qui meretur in hac sua sorte & patientia. Nonne clariorem reddidit Ioseph & illustriorem seruitus, quàm si domi liber & in deliciis remansisset? Nam & ipse Dominus noster Patris & omnium nostrum seruum se constituit, vt nullus horreat statum, in quem viderit Dominum suum fuisse redactũ. Breui enim finiunt seruitutis labores, & hos sequitur æternæ libertatis iucunditas: propter quod ait,

Expectantes beatam spem, id est, speratam beatitudinẽ futuri sæculi, vbi non erit vlla seruitus, sed summa libertas. *Et aduentum*, siue apparitionem, *gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Loquitur manifestè de aduentu Filij, quando apparebit gloriosus cum Angelis & Sanctis suis in maiestate verè magnus Deus. Nam hic aduentus peculiariter tribuitur Christo: vnde & Deum vocat & Saluatorem. Sunt qui istud, magni Dei, ad Patrem restringant: quod sine ratione dicitur. Alij volunt absolutè dictum esse, vt fiat abstractio à personis: quod minime est necesse. Etenim hæc, de qua sermo, apparitio est propriè Christi ipsius, cuius persona aduenier & conspicietur in sua carne gloriosa, & hãc gloriam ipse meruit per crucem. *Qui dedit* (inquit) *semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Hic est effectus mortis eius voluntariè pro nobis oblatæ, nimirum redemptio ab iniquitatibus nostris. *Vt mundaret sibi populum acceptabilem*, Græcè peculiarem. Hic est finis sui operis, vt nos emundaremur, & efficeremur populus eius peculiaris. Sed audi qualem nos vult esse populum: *sectatorẽ bonorum operum.* Hæc loca hæretici subterfugiunt, nolentes intelligere nõ satis esse hominem esse redemptum a peccatis veteribus, sed oportet post redemptionem sectari opera bona ad acquisitionẽ regni cœlestis. Nullus quippe coronatur, nisi qui nedum certauerit, sed & nisi legitimè certauerit. Hæc est lex gratiæ minime fallax, vt & si gratis instauremur in Christum, non sine meritis tamen prouehamur in cœlum, postquam iam sumus iustificati.

Eph. 6.

Hæc loquere & exhortare. Ac si dixerit: Hæc sit doctrina tua ad exhortationem, vt homines excitentur ad sectandum & amplectandum illam. *Et arguè* proteruos & contradicentes, *cum omni imperio*, quia potestas est à Deo. *Nemo te contemnat*, id est, sa tage, & ita te gere vt non sis contẽptibilis, ne imperiũ ac potestas tibi à Deo data despiciatur: quod prestabis si & irreprehensibilis eris, & præter hoc si grauitatem serues & authoritatem. Norent Prælati quid est, quod eorum imperium seruet. O vtinam tales essemus: profectò silerent serpentes reguli, qui suis non fidunt dogmatibus, sed fortes nos illos reddimus malis moribus. Nam imperiũ silet, vbi linguæ potestas cum moribus integris pugnat.

CAP. III.

ADMONE illos principib' & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonũ paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos: omnem ostendẽtes mansuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autẽ benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abũdè per Iesum Christum Saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, &c. Hic generale præceptũ tradit ad omnes pertinens siue liberos, siue seruos cuiuscunque ætatis & sexus, quod est vt potestatibus & principatibus subditi sint, vt magistratibus obediant, & denique vt ad omne opus bonum parati sint. Hinc manifestè confutantur, qui prætextu religionis ac pietatis negant obedientiam superioribus sub excusatione Tyrannidis, cuius rei iudicium & cognitio non est priuatorum. *Neminem blasphemare*, intelligẽdum est de principibus & potestatibus existentibus in honore magistratus, quos etiam scriptura deos vocat. Præceptum particulare est de his, vt non blasphementur, id est, nõ maledicantur: sicut scriptum erat, Principi populi tui non maledices. Diis non detrahes. Blasphemia enim propriè, ad eam intelligentiam qua semper vti solet scriptura, est in Deum ipsum, aut in eos in quibus Dei gratia & potestas illucet.

Exod. 22.

Non litigiosos esse, sed modestos, Loqui videtur de litigiis verborum, quæ parere solet otium & pigritia: quibus vitiis laborabant illi Cretenses, & homines maior pars Christianorum, non considerantes peccati grauitatem. Leuis quidem sermo est qui leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter trãsit, sed grauiter vrit: leuiter animum penetrat, sed non leuiter exit: leuiter profertur, sed non leuiter reuocatur. Facile volat, iccirco facile charitatem violat. Tenerum membrum lingua, attamẽ vix teneri potest. Substãtia quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum & validum inuenitur. Nihil sæuius, nihil violentius amaris & litigiosis sermonibus, quorum vulnera tantò difficilius curantur, quantò proferuntur facilius. Vt enim rectè ait: B. Gregorius: Peruersæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, siue prauum, siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersis hoc responsionibus impugnant: quia dum persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit, placent. Sicut enim nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis: ita nihil est desiderabilius diabolo extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius seruit. Quare Apostolus sanctissimè instituit quomodo se gerere debeant, litigia magnopere fugientes & verborum pugnas & subdit:

Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Hoc enim humanum est, quod gratia non destruit, sed confirmat & roborat. *Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, &c.* Vide rationem elationi quorundam aduersantem, qui cum acceperint gratiam & beneficia diuina, inde supercilium & nasum contrahunt ad subsannandum alios, immemores quid ipsi aliquando fuerint, aut quid fuissent, si Deus optimus non fuisset in eos misericors, benignus & clemens. Magna est hæc consideratio ad frænandam animi elationem, & ad formandam mansuetudinem erga omnes, & humanitatem ac pietatem. Et considera vitia omnium Gentium communia, in quibus se ponit Apostolus. Insipiẽtia primum, deinde incredulitas, aberratio, seruire concupiscentiis & variis voluptatibus, in malitia & in inuidia agere, vt digni sint odio, & ipsi se inuicem oderint. Quicunque ergo tales extiterũt, & à Domino sunt liberati gratis, quo pacto veniam promereri possunt, si nõ didicerint misereri aliis & condonare? Nam quòd hanc liberationem gratis acceperint, ecce quam clarè ostendit.

Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei. Græcè φιλανθρωπία, quæ vox significat dilectionẽ erga genus humanũ, qua Deus Saluator noster tenebatur à principio. Apparuit autem maximè in mysterio & aduentu Christi, quãdo exinanitus & humiliatus, & factus obediens vsque ad mortem crucis, redemptionem mundi operatus est. Et sic ait Apostolus, quòd saluos nos fecit, *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, &c.* Sed omninò misericorditer per lauacrum spiritualis regenerationis, ac renouationis Spiritus sancti, quod baptismi in sensibili lauacro designatur. Sicut enim foris baptismo lauamur & emundamur secundum corpus, ita fit intus secundum mẽtem: quia spiritus qui infunditur, est veluti aqua viua quæ sordes abstergit. Comparatus est enim à Domino spiritus, quod est donum Dei quo mundamur, aquæ viuæ salienti in vitam æternam. Dicit autem de Spiritu, *Quem effudit in nos abundè.* Et verè magna tunc fuit abundantia, sicut oportebat ab initio, *Per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Hæc ergo Spiritus effusio per Iesum facta est: quia & ipse cum Patre misit eum, sicut vnà cum illo æternaliter ipsum produxit.

Ioan. 4.

Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Audiat hæreticus quid hic loquatur B. Paulus, & quàm paucis verbis absoluit iustificationis doctrinam. De prima enim iustificatione per baptismum loquens, qua primum à peccatis saluos nos fecit, & ita iustificauit per lauacrũ vitæ, clarè dicit eam misericorditer, non ex operibus factam esse, sed ex mera gratia & misericordia sua. Hoc & nos gratis fatemur, sed non hic finem, sistimus. Agnoscimus enim quòd iustificati gratiæ illius, hæredes sumus nondum secundum rem, sed secundum spem, vitæ æternæ. Speramus interim eam vitam æternam, nondum habemus. Spes autem illa sobria, vera & viua est, quæ innititur operibus bonis. Hæc est quæ non confundit. Spes enim est arduorum. Oportet ergo vt innitatur operibus, gratia tamen Dei factis, & auxilio eius. Aliàs erit spes vana quæ accipiet confusionem illam, quam pertulit homo qui ingressus cum aliis ad nuptias, ausus est recumbere non habens vestẽ nuptialẽ. Spe igitur interim salui facti sumus, quæ per charitatem & charitatis opera viuit, nutritur, & crescit. Hæc est magna euangelij pars, quam isti noui illusores in æternam suam ipsorum perditionem amputant sua nuda fide delectati, pares in ea parte dæmonibus, vel etiam deteriores. Nã hi contremiscunt saltem, illi verò iubilant & exultant, ac si essent secura prorsus omnia.

Matt. 22.

Fidelis sermo est: & de iis volo te confirmare, vt curẽt bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæstiones & genealogias, & contẽtiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Cũ misero ad te Arteman aut Tychicũ, festina ad me venire Nicopolim. Ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitum & Apollo solicitè præmitte, vt nihil illis desit. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

Fidelis sermo est. Cõmendat Apostolus doctrinã, quam mox tradidit: & vocat fidelem sermonem, id est, dignũ qui & prædicetur, & cui citra vllam prorsus hæsitationem, fides habeatur.

Et de his volo te confirmare, id est, volo te esse de huiusmodi firmum & persuasissimum. Qui enim nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

est persuasus ipse, quonam modo poterit aliis suadere? Debet enim tractator diuinarum scripturarum, doctor fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, & hoc opere & sermone conciliare aduersos, remissos erigere, nescientibus quid expectare debeant, intimare. Non minoris siquidem est pietatis tradere animo sapientiam, quàm ventri escam. Et vbi adest vera & clara cognitio, acriores adhibentur ad operandum stimuli. Quemadmodum & viatoribus vsu venire solet. Illi enim longè maturius & facilius, quò tendunt, peruenium, quibus sunt notæ viæ, quàm ij qui in biuiis & triuiis ob inscitiam coguntur hæsitare, & quos habent obuios semper de recto itinere interrogare. Qui enim optimè nouit, est veluti qui clara luce ambulat: qui autem tenetur ignorantia, in nocte ambulat, & crebrò offendit. Est igitur admodum necessarium vt ipse dux itineris firmus sit in fide & notitia omnis veritatis, vt alios securè possit deducere, & ad sancta opera accendere, ait Apostolus, *Vt curent bonis operibus præesse qui credunt Deo*. Auditis ne, obsecro Lutherani, quæ hîc ait Apostolus? Num postquam crediderint, fidem satis sibi esse credãt, & opera negligant?

In hæreticos.

Nunquam hæc loca citant, nisi ad ea corrumpenda. Ait igitur vt qui crediderint Deo, curent bonis operibus præesse. Quid est præesse bonis operibus nisi liberaliter seu Christiana libertate operari bona, ex bona voluntate, non ex metu & ad oculum? Hic verè est dominus suorum operum, & illis præest. *Hæc sunt bona & vtilia hominibus*. Verè bona sunt & vtilia, quæ stabiliunt hominem strenuè operantem, vt non solùm extremum iudicij diem non horreat, sed auidè expectet: velut agricola messem post hyemem & agriculturæ labores desiderans, vt colligat manipulos cum lætitia & exultatione. Et non illud quod isti obtrudunt desidibus hominibus, si tantum credideritis, apprehendistis iustitiam Christi, & vestra est per imputationem, & quicquid sit de operibus salui eritis.

Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ. Hæc in priore ad Timotheum iam exposita sunt. Vbi & annotauimus quàm ineptè & subdolè Erasmus insultat, admiscens inter stultas quæstiones nõnulla quæ decisa sunt, & ad fidem attinent: præter ea quæ etiam calumniosè cõmentus est in sacros doctores. Caueat sibi pius lector, ne fortè possit Erasmo artificium, quo solet quædam vera falsis immiscere. Eo enim artificio id egit, vt simul falsa prætextu verorum recipiantur, tanquam aureo poculo venenum porrigens. Nam tale est opus diaboli ad fallendum, à quo instruuntur isti præcursores Antichristi, homines reprobi circa fidem, vera falsis permiscentes, vt facilius seducere possint. Venena enim non dantur nisi melle circumlita, vt testatur B. Ambrosius: & vitia non decipiũt nisi sub specie vmbraque virtutum.

Erasmus.

Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem, deuita. Necessarium hic præceptum tradit Apostolus, & efficacem assignat præcepti rationem. Præceptum est, vt homo hæreticus post primam & secundam correctionem, siue admonitionem deuitetur. Videndum est diligenter primùm, cui hoc præceptum fiat, & qua de re. Præcipit nimirum Apostolus Tito, nõ vt homini priuato, sed vt Episcopo: ita vt in persona Titi omnis Episcopus intelligatur, qui hoc præceptũ Apostolica authoritate factũ intelligat quoque ad se pertinere. Non ergo priuatorũ admonitio siue correctio valere tantum debet, vt propterea etiam hæreticus homo deuitandus sit, si fortè post factam à priuatis correctionem non se velit mutare: sed hoc tantum, si ad correctionem episcopalem in errore obfirmetur animus & obdurescat. Præcipitur ergo omnibus Episcopis vt admoneant, & correctione fraterna compellare hæreticum hominem curẽt, vt mox resipiscat, & errorem suum agnoscat, atque ecclesiæ sanctæ cum reliquis membris consentiat, neque velit plus solus ipse sapere quam Apostoli, quã cõcilia, quã sancti Patres, quàm perpetuus ecclesiæ consensus & vsus, post sepultas iam tot hæreses, & infœlici exitu cum suis authoribus in infernum præcipitatas. Quòd si quædam minus intelligat, aut capax ad ea intelligenda non sit (neque enim peribit, si non nouerit omnia) vtatur salubrimo Apostoli consilio & securo, plus semper ecclesiæ quàm proprio iudicio credẽs, quę est columna & firmamentum veritatis, captiuans, si oporteat intellectum suũ in obsequium fidei. Hoc primum continetur tacitè sub hoc correctionis præcepto.

At quisnam sit hæreticus homo qui debeat admoneri considerandum. Hæreticus homo est, qui errore pernitioso tenetur implicatus, non credens aliquem articulum ab vniuersa ecclesia receptum atque probatum, & mandatum cunctis expressè vt recipiatur: vel si etiam aliquem articulum pertinaciter recipiat & credat, qui expressè reprobatus sit ab ipsa ecclesia. Hic tamen hæreticus dicitur materialiter. Formaliter autem is erit hęreticus, qui articulum non recipit, quem tamen planè nouit esse inter eos quos recipit ecclesia, & mandat esse recipiendum: Et similiter quem recipit, nouit esse ab ecclesia reprobatum. Loquitur autem Apostolus de hæretico materialiter in cõspectu ecclesiæ. Hic enim est primo admonendus, seu verè & formaliter hæreticus existat, siue non. De manifestis siquidem ipsa ecclesia iudicat, non autem de internis & occultis. Siquis autem expressè profiteretur se contra ecclesiam sentire ac dogmatizare, nulla iã dignus esset admonitione seu correctione, sed durissima potius increpatione, & à reliquis membris abiectione. Etenim iam esset à semetipso separatus: & hęreticum eum velle, qui insanabiliter egrotat, curare, extremæ esset dementiæ: imò non sine aliquo contagionis periculo tentaretur ista correctio. Sunt enim longè paratiores ad submergendum adiuuare studentes, quam ipsi ad emergendum. Resecãdæ protinus putridæ carnes (vt sapientissimè fidei defensor Hieronymus monebat) & scabiosa ouis ab ouili extrudenda, ne tota corporis massa ardeat & putrescat, & totum corrumpatur ouile, & miserè pereat. Notum est quãtum ob fuerit sumnolentia in Arium, qui in Alexandria fuit vna scintilla: sed quia non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. Ita accidit inclytæ Germanicæ nationi, quam Aper ille ferus de sylua vastauit: qui si mox abscissus fuisset, non

non tot peperisset viperas & basiliscos, quibus per hosce triginta annos ludificata est, ad magnũ malorum spirituum gaudium, & ingẽtem eorum, quos Deus in illis partibus sibi seruauit, luctum & gemitum. Sunt enim non pauci qui non curuarunt genua sua ante Baal, sed fidei constantia, & scriptis piè & doctè, istis nebulonibus restiterunt. Neminem verò inter eos esse puto, siue agricola sit, seu ciuis, qui non requirat priorum temporum statum, quando regnabat fides catholica, & cultus diuinus cum reliquis ecclesiis catholicis consentiens. Putabant per Martinum nouam lucem ab initio exortam. At nunc nisi iam in sordibus sordescere perpetuo delectentur, cum dolore fateri coguntur, de clarissima & amabili luce in tenebras densissimas se esse præcipitatos. Istud in libr. de confid. temporum abundè ostendimus.

Dicimus igitur de hæretico contra ecclesiam aperto Marte (quod aiunt) dogmatizante, nullam aliam mereri correctionem, sed solam abscissionem, vt fugiatur ab omnibus tanquam anathema & maledictum. At siquis errore pernitioso captus atque implicatus deprehenditur, debet cum omni cura ab Episcopo admoneri, vt ad rectam viam redire festinet, & diaboli laqueos excutiat: cuius admonitionem atque salutiferum consilium si recipiat, bene sese res habet. Siquidem spes magna fructus apparet ad resipiscendum, & recuperandam animam in præcipitium ruẽtem. Quòd si obstinato animo & diabolica pertinacia se in suo errore obfirmauerit, superioris monitionem contemnens, talem debet Episcopus omnino deuitare tanquam pestem, & lepram incurabilem. Græca enim vox, παραιτοῦ significat reiice, expelle, abdica, deuita. Et istud proprium est Episcopi, nimirum excommunicare, & segregare morbidam ouem à communi reliquarum ouium minime infectarum consortio. Nam rectus in ecclesia ordo, & mira Dei prouidentia requirit, vt quem Episcopus ipse deuitat, etiam reliqui omnes eius sententiam comprobantes, & authoritatem citra aliam discussionem sequuti, deuitare teneantur. Alioqui Deus ipse irascitur, & tradit repugnantes Maiorum mandato, in eosdem laqueos diaboli, quibus astricti tenentur hæretici.

Porrò non est hîc prætermittendum quid illi ad hunc locum Apostoli afferunt. Nam omnes hæretici cum veteres, tum & recentiores magnopere adversum nos eo abutuntur sub prætextu cuiusdam pietatis & commiserationis. Constanter enim negant, hæreticos, hoc est seipsos, pœna ignis (qua norunt hæreses promptius quàm verbis extingui) seu quouis alio supplicio debere puniri. Ecce, inquiunt, Paulus nullam aliam exigit seueriorem pœnam, quàm eiectionis & abdicationis à reliquo fidelium consortio. At vos crudeles, & crudeliter agentes, igni nos & flammis traditis conflagrandos. Astutè id quidem, & ad prudentiam carnis hoc ab eis dicitur. Defensores nanque sunt causæ propriæ, & mirum cur non sint adhuc hac in parte longè instructiores. Sed hæc excusatio est omnino indocta, quæ ad mentem Apostoli nihil habet prorsus virium, nisi apud eos solos qui eiusdem sunt carnis, quique volunt non cum viris Catholicis sapere, sed cum hæreticis desipere. Erasmus quodam in loco Lutheranis erroribus, quemadmodum & in plerisque aliis facere solitus est, fauere studens, recitat cuiusdam Magistri nostri (sic ad contemptum appellat) interpretationem, qui ex his apostolicis verbis probare voluit pœna capitali plectendos hęreticos: quoniam iubebat hominem de vita. Legebat enim diuisam syllabam, *de*, in hunc modum, de vita, vt verbum in nomen commutaret, suppleretque aliud verbum, puta, *tolle*, vt esset sensus: Tolle hominem hæreticum de hac vita. Ego verò qui sæpenumero Erasmum mendacem & scommaticum deprehendi, arbitror illius esse peculiare commentum, & fictam calumniam, quò in cæteros Theologos odium atque inuidiam concitaret, quibus ille fuit mirum in modum infensus. Et congruè id quidem: Nam & Theologi meliores, & Theologorum vniuersitates celebriores, & omnes viri pietatis amantes vnum Erasmum, & eius lucubrationes tam multas quàm pestilentiores, præ aliis ob insignem hypocrisim & perfidiã maiori odio prosequendas censuerunt. Vide, quæso, bonè lector, hominis astum. Voluit legentibus hanc vnius Magistri ineptam expositionem quasi puluerem in oculos iniicere, ne vera apostolici sensus intelligentia à Theologis peteretur, quasi diceret: Ab vnius inscitia disce omnes. Poterat enim & debebat, si catholicus esse & videri cupiebat, partes iuuare Catholicorum aduersus hæreticorum pestes decertantium, & non clanculum & apertè impugnare, potissimum hoc infœlici sæculo, quando cernebat vtrinque instructas acies. Quis enim dux sagacior toleraret vnquam militem mox ab vno exercitu ad alterum, & ab altero ad priorem transfugientem? At hoc Erasmi est proprium: ita vt ab initio hæsitauerint aliqui, vtri parti astaret. Sed tandem deprehensa est vulpeculæ astutia, & sic deprehensa, vt quem respuerunt Catholici, nec in suum numerum velint referre Lutherani. Hac tamen arte putabat sibi paratum iri gloriosum nomen, qui dissidentium partium esset amabilis conciliator: quasi verò lux cum tenebris, & mendacium possit cum ipsa veritate conuenire. Sed ad rem nostram.

Erasmi dolus.

Quid si daremus hoc Erasmo de illo Magistro verum fuisse, nũquid propterea tales ineptias probaremus? Dicimus ergo iuxta veram theologiam, non esse ex lege euangelij, vt quisquam pœna capitali plectatur. Adiungimus verò minime sequi, si non sit ex lege euangelica, vt protinus contra euangelium esse censeri debeat. Dominus enim ac Redemptor noster iuxta euangelium suum ad excommunicationem vsque & non vlterius aduersus quoscunque delinquentes procedi voluit. Hoc idem faciendum monet hîc Apostolus.

Sed miseri & imperiti hæretici hanc sentẽtiam, sicut & innumeras omnes alias, quibus hæreses extirpantur, deprauant. Sibi enim persuaserunt, quodcunque non est ex euangelio, prorsus esse superstitiosum, minimeq; licitum. Quod si ita se res haberet, non solùm hæreticos in corpus punire non liceret, sed nec vllos prorsus alios flagitiosos homines, latrones, viarũ grassatores, incendiarios, & cæteros huiusmodi scelestos homines: quandoquidem nullo in loco apud Euangelistas hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euãgelium ciuiles leges non tollit, sed probat.

legitur expressum. Et non aduertunt, seu potius animaduertere nolunt, tantum abesse ab euãgelio, vt ciuilium legum vim atque exequutionem tollat, vt contra omnino probet atque commendet. Cum ergo hæreticus sit publicæ tranquillitatis seditiosus perturbator, & longè deterior quam alij criminosi homines, meritissimè ciuili potestati, ciuiliumq; legum animaduersationi subiacet & punitioni. Ipsa quidem causæ cognitio de hæresi ad solos Ecclesiasticos spectat: quoniam de fidei veritate cognoscere non est sęcularis iudicij, cui suum est assignatum tribunal, & quàm longè progredi debeat, ter minus præscriptus.

Hactenus B. Pauli præceptum tractauimus: nũc restat vt ipsius simul prącepti rationem accuratius quoque perpendamus. Videri nanque prima facie posset sententiæ euangelicæ minus consentanea præsens hæc ratio: quia Christus Dominus noster præcepit Petro, quoties peccãtibus esset ignoscendum requirenti, vt non semel aut bis parceret, vel
Matt.18. tertiò & septies, sed vsque septuagies septies inquit; quod exponitur perinde esse ac si clarè dixisset, toties quoties quis peccauerit. Verùm peruia est ad huiusmodi obiectionẽ satisfactio. Primum quidem, quoniam constat Dominum illo in loco de remissione peccatorum esse loquutum, quæ fieri solet & debet in sacramento pœnitentiæ. Tum etiam de remissione ipsius iniuriæ & offensæ aduersus quempiam priuatũ admissæ. Data est enim
Ibid.6. lex æqua & iusta, vt si nobis à Patre cœlesti velimus, quoties peccamus, ignosci: ignoscamus & fratri (quoties postulauerit) in nos delinquenti. At in punitione hæreticorum longè dissimilis est ratio. Nam animaduersores ad cõmunem omnium vtilitatem respiciunt & salutem, ne morbida ouis & pestilens sua vnius contagione cæteros inficiat & perdat. Quocirca huius præcepti rationem reddẽs Apostolus, cur scilicet vitandus sit homo hæreticus, subdit:

Sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, videlicet qui nec vna, nec altera Episcopali monitione resipuit, subuersus est, seu euersus. Quid autem aliud est euersum esse, nisi auulsum ab ipsa radice Christo? Vt iam nihil spiritualis in eum influxus, nihil donorum deriuet, sed est palmes aridus soli incendio destinatus. Fidem enim amisit summotus per seipsum à solido fundamento, & in peccato maximo assiduè viuens. Quisnã autem huius ruinæ extiterit author, aperit: *Et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*, Græcè, *Et peccat per seipsum damnatus*, Si enim sese contra ecclesiã obstirmauit, vt nolit eius salutiferis monitionibus credere, causam sibi ipse cur ab eadẽ ecclesia separetur, inde accersiuit, quòd credere noluit ecclesiæ, dum spõte proprioque iudicio peccatum tale admisit, & in eo obstinatus persistit, propter quod necessario cogitur ecclesia iudiciũ illud ab illomet aduersus seipsum factum comprobare. Ecclesia siquidem iudicat illum esse extra cõmunem fidelium Catholicorum societatem. Hoc similiter ipse suo peccato facit. Qua etenim ratione potest verè dicere, se in ecclesiæ gremio esse, qui fidem ipsius ecclesiæ minimè sequitur? Quicunque in vno articulo peccat non credendo, in omnes peccare cõuincitur: quoniam qui vnum asserit esse credẽdum & tradit, reliquos pariter omnes credendos asseruit & tradidit. Et licet sibi videatur alios credere, eos tamen in veritate & ex fide diuina non credit. Nam si vnum crederet ex fide, omnes similiter crederet: quoniam ecclesiæ sese subderet, quæ Spiritu sancto ductore citra vllum penitus errorem in recta fide regitur. Quia enim nobis dicit ecclesia, ideo credimus: cuius iudicium accipimus tanquam Dei iudicium. Quòd si in vno spernitur articulo, in reliquis quoque spernitur articulis, quos tradit recipiendos, cũ par sit & æqualis in omnibus credendi ratio.

Crediderim insuper vnunquenque eorum qui ab ecclesia per infidelitatem recedunt, si semel atque iterum fuerit admonitus, nec acquieuerit, hoc ipso pertinacem effici, & intus conscientia tactum damnare semetipsum: quemadmodum proditori Iudæ euenit, qui post admissum summũ omnium crimen dixit: Peccaui tradens sanguinem iustum, & venditionis pretium ad emptores nefarios retulit. Vnde & in eam cogitationem veniunt perditi isti & insignes peccatores, qua agitatus est ille pessimus fratricida Cain ab initio, dũ vltrice conscię-
tiæ flamma in illam desperationis vocem erupit: *Gen.4.*
Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Et item vsurpant isti tacitis in corde sermonibus, Vna salus victis nullam sperare salutem. Iacta est alea. Ad restim res rediit. Et ita iustissima Dei permissione traduntur satanæ, quem elegerunt relicta vera salutis via, deficientes ab ecclesia sancta, quæ est columna & firmamẽtum veritatis, extra quam non est salus, sed æterna damnatio.

Hæc autem potissimum de ipsis hæresiarchis, id est hæresum authoribus dicimus. Nam hi iuxta ipsius vim vocis atque significationẽ propriè sunt hæretici, qui opinionem certam præter alios sibi eligunt, & eam mordicus tenent ac defendũt, nec patiuntur vllis rationibus se ab illa auelli. Alij potius talium hæresiarcharum sequaces appellandi sunt eiusdẽ tamen criminis participes. Etenim hæretici quoque illi dicuntur, quibus hæresis placet, cùm perinde probent & ea delectentur, ac si ipsimet inuenissent: quoniam ita superbè hęresiarchis hærendo ac fouendo eam faciunt propriam. Vt igitur rem totam concludamus: nemini dubiũ esse debet, iustissimè fieri à magistratibus ciuilium legum, qui non sine causa gladium portant, dùm capitali supplicio plectunt huiusmodi sontes homines, longè perniciosiores aduersum tranquillũ rerumpub. statũ, quàm vllum aliud genus maleficorum, siue grassatorum, siue homicidarum, incẽdiariorũ, saltatiorum, & reliquorum facinorosorum, quos nulla reprehẽsione, imò cum maxima laude, de medio pro qualitate criminis tollũt. Nam si hi quorum manus solam corporum vitam, seu facultates inuadunt, merentur (ipsa iustitia ita exigẽte) mortis suppliciũ: qua ratione effugere debent obstinati hęretici, qui & plerũque in corpus & bona externa insurgũt. ipsas autẽ ouium Christi animas semper petunt, vt mactent & perdant? Iam enim scriptura hominis vocabulo istos non dignatur, sed vel infirmatum contagiosarum, quales sunt lepra, cancer: vel ferarum nomine. Appellãtur enim vulpeculæ, rabidi canes, lupi rapaces, viperæ, serpentes reguli, aspides, basilisci, & præterea, inimici crucis Christi, satanæ ministri, Antichristi.

Qui sunt propriè hæretici.

Hæretici iusti igni traduntur.

Quibus nominibus hæreticos vocet scriptura.

Siquis enim piè velit calamitates reuocare in memoriam, quas pia mater ecclesia per hæc Luciferi instrumẽta perpessa est, non solum ignem non iudicabit graué esse in hæreticos perfidos pœnam, sed leuem & benignam habita ratione dãnorum, in quæ incurrunt regna, prouinciæ, nationes, ciuitates, vbi impunè hoc malum grassatur. Neque solùm terrã inficiunt, sed & in cœlum blasphemum os erigẽtes, nec ipsi Christo Redemptori, nec sanctissimæ Virgini Matri parcunt, Sanctos spernunt omnes, sacramenta ecclesiæ conculcant: & quid sceleris non admittitur per huiusmodi verè pestes ac faces orbis? Hęc à nobis dicta sint ex zelo, & ob necessitatem, in qua cernimus constitutam ecclesiam. Sunt enim aliqui paulo frigidiores, qui mites videri volunt: nec apprehendunt eorum malignitatem, qui nihil aliud moliuntur, quàm euertere hierarchiam ecclesiasticã tanta sapientia, si eam (vt par esset) excoleremus, à Deo dispositam.

Nec erit alienum, dum pericula ex hæreticorum pestilentibus cisternis manantia detegimus, duo hominum genera solicitè admonere. Reperiũtur
In eos qui libros vetitos legunt. quippe non pauci qui libros istorum, etiam cum grauissima anathematis cẽsura vetitos, legere non reformidant, quasi fiat eis iniuria, priuẽturque aliquo beneficio magno, quibus hæc legẽdi facultas interdicitur. Isti iusta Dei sententia permittuntur ob superbiam & præsumptionem iisdem inuolui erroribus, qui Maioribus obsequi nolunt, nec credunt inesse tantum veneni, quantũ eis prædicitur: ex quo fit vt illud sensim bibant, & pereant. Qui
Eccl.3. amat periculum, incidet in illud, & iterum: Quis
Ibid.12. miserebitur incantatori, si mordeatur à serpente? Nam primùm sermonis facundiam admirari incipiunt, tum sentẽtias scripturarum productas, quas dum vel explicare, vel conciliare nequeunt, arbitrantur ab hęreticis non perperam intelligi. Quòd si pateat semel (quemadmodum in Hæua accidit) Serpenti aditus ad extorquendum primum cõsensum, post probatum vnum & alterum locum, solet & author placere & commendabilis reddi, potissimum apud sæculi sapientes, qui & Episcopos, & Clerum, & Monachos leuissimo amore prosequuntur. Tum grata est prædicatio, quæ sordidas conscientias liberat ab obligatione confitẽdi peccata, ieiunia tollit, operibus salutem comparari negat, sed fidei omnia tribuit. Si nullũ aliud esset periculum (quod tamen inest maximum & lethale) duritia illa non obtẽperandi ecclesiæ, prouocat Deũ vt dignam exerceat in eos punitionem, qui nolũt effici paruuli, & veri filij Matris ecclesiæ, quæ ĩ tot vasis, quot sunt hęreticorum libri, animaduertit infusum venenum, & pia pro filiorum salute ac solicita prohibet, ne quis haurire inde audeat. Itaque siquis secus agat, quid mirũ si mordeatur à serpentibus? Missos facio eos qui domi & libros asseruant, & viuos quosdam Lutheranũculos alunt, qui portabunt durissimum iudicium quicunq; sint illi.

Notãdum. Sunt & alij boni quidem viri & Catholici, qui mira auiditate tenentur videre quid ab istis beluis dicatur, ne sint, quando res ita posceret, ad respondendum illorũ obiectionibus minus parati: & instantissimè solicitant fieri sibi legẽdi potestatem. Ego certè arbitror fallax esse tale desiderium, & plerisq; noxium. Non enim est omniũ de latebrosis, vt B. Hieronymus ait, hæreticorum libris, quasi de foueis serpẽtes extrahere. Si doctrinam quæras, nihil inuenies quod à nostris non sint suffurati, sed aliis verbis quasi vestibus ita ornant, vt nostrorum esse vix recognoscatur. Si demas cõuitia, maledicentiarum colluuiem, mendaciorũ, calumniarum atque blasphemiarum monstra, quod reliquum erit, ferè nihil erit. Quantò satius sacris nostris doctoribus integras horas tribuere, qui sanũ porrigũt cibum, & animæ potum fidelem, qui nec elegantia dicendi vllis hæreticis cedunt, & apud quos inuenitur quicquid facit ad refellẽda omnia istorum dogmata pestifera. Vel saltem legant Catholicos, qui antidotum cum veneno appositurũt. Alioqui Deus curiosos animos, & perniciosorum ciborum importunos exactores in infirmitatem sinit prolabi. Hoc vnum vera laude dignum esset, si quem audias aliam doctrinam afferentem, & sanas Christi oues labefactare laborantem, deferre, accusare, persequi citra vllam commiserationem, vbi admonitus non cessat peruertere vias Domini
rectas. Ad hoc pietatis studium hortabatur popu- *Hæreticos detegere, pietas est.*
lũ verè magnus ille Leo Papa aduersus Manichęos suo tempore vigentes. Vt autem in omnibus (inquit) dilectissimi, placeat Domino vestra deuotio, etiam ad hanc vos hortamur industriam, vt Manichæos vbicunque latentes vestris presbyteris publicetis. Magna est enim pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui seruiunt, diabolum debellare. Contra istos omnem terrarum orbem, & totam vbique ecclesiam licet fidei arma arripere. Cauendi sunt ne cuiquam noceant: prodendi sunt, ne in aliqua ciuitatis nostrę parte consistant. Vobis, dilectissimi, ante tribunal Domini proderit quod indicimus, qeod rogamus. hæc ille: Prosequamur iam Apostoli verba.

Cùm misero ad te Arteman, aut Tychicum, festina venire ad me Nicopolim. Hic considera, quomodo Titus, quẽ omnes interpretes volunt fuisse Creten-
sium Episcopum, auocatur à residẽtia per superioris mandatum. Poterat enim integra conscientia, postquã necessaria eo in loco ordinauerat, ad tempus abesse ad inseruiẽdum aliis rebus vniuersalem ecclesiam concernentibus accersitus (vt diximus) superioris mandato. Nullus tamen, obsecro, existimare hoc à me dictum ea ratione velit, vt studeam malæ non residentium Episcoporum causę patrociniũ suscipere, quod iam superius ad Timotheum à me reieci, propterea quod libello edito conscripsi, residentiæ modum iure diuino minime esse determinatũ, sed relictum ab ipsa ecclesia moderandum. Neque enim inficiatus sum, nec vnquam negabo, ouium curam esse de iure diuino debitã à pastore: quam si non præstat residendo, dum tenetur residere, seuerissimè requiretur sanguis ouium de manu eius. Solum dixi dari posse casus aliquos, & contingere, quibus excusabitur à residẽtia Episcopus: cuius rei arbitriũ penes Pontificem summum esse repositum explicaui. Non enim tam arcto vinculo sunt vni ecclesiæ alligati Episcopi, vt ab vniuersali ecclesia eximãtur. Itaq; modus hic residentiæ sub prudẽtia & determinatione ecclesiæ relinquitur. Si cui placet rem vberius explicatam videre, legat libellum nostrũ, De necessaria Episcoporum residentia. Hoc tamen obiter iterũ iterũque

Universidad de Deusto
Biblioteca

commemoro, interitum ecclesiarum venire à prelatis non residentibus: sed quos in primis probos esse, & doctos, & verè catholicos esse oporteat, alioqui vndique pericula.

Zenam legisperitum. Hic Iudæus natione fuisse creditur, qui ante adeptum baptismi sacramentũ erat in numero legisperitorũ apud Iudæos. *Et Apollo.* Hic quoque Iudæus erat vir magnus & celebris, & in scripturis exercitatissimus, miraq; valens facundia. Nam hunc plurimum commendat B. Lucas in Act. qui profectus Achaiam contulit multum iis qui crediderant. Vehementer enim Iudęos reuincebat publicè, ostendens per scripturas esse Christum Iesum, *solicitè præmitte*, aut deducito honoris gratia, *vt nihil illis desit*: Nam digni erãt quos nedum aduenientes honorificè Titus exciperet, sed vt abeuntes quoque, & ad B. Paulum præcurrentes pari reuerentia dimitterẽtur, & prouideret quoad fieri poterat, ne quid illis in via vel viatici, vel societatis deesset. Erant enim isti ex numero laborantium verbo & doctrina, quos duplici honore dignos volebat Apostolus. Confert enim non parum ad euãgelicam prædicationem promouendam, animandosque ministros, vbi apparet fideliũ erga illos pietas, & præsertim dum ab Episcopis honorifice tractantur.

Act.18.

Discant autem & nostri, id est, qui ad fidem sunt ex Gentibus conuersi. Nostri, ait: quoniam Apostolus erat Gentium, quemadmodum & B. Petrus circuncisionis: vterque sancta æmulatione partem sibi commissam prosequens. Vnde ait quid ab eis requirat, nimirum, *bonis operibus preesse ad vsus necessarios*. Vbi videtur exhortari suos, ne piis operum studiis sese patiantur à Iudæis superari. Vt quemadmodum Iudęi fideles apparebant mirum in modum soliciti vt inter se conuenirent, & egentes atque afflictionibus pressos eleemosynis, & aliis solatiis iuuarent. Ad eundem modum animarentur fideles ex Gentibus, vt & ipsi sedulò erga suos afficerentur, & facultatibus succurrerent, propter vsus necessarios. Magnus enim & suauissimus odor vel apud infideles spargitur, dũ charitas inter Christianos promptè exercetur.

Vt non sint infructuosi. Otium nullo modo probare poterat Apostolus, sicut nec probari potest: quoniam à Sapiente nouerat scriptum: Multam malitiam docuit otiositas. Propterea tam sæpè ad bona opera extimulat, ne influctuosa arbor frustra terram occupans succidatur, & in ignem mittatur ad comburendum. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorũ: nec otio & desidia torpentibus beatitudo æternitatis redditur, sed iis qui bonum certamen certant, cursum alacriter percurrunt. Et qui non curauerit bonis operibus præesse in hoc sęculo, egestate replebitur in futuro. Reliqua epistolæ per se clara sunt. Gratia Dei cum omnibus nobis. Amen.

Eccl.33.

COMMENTARIA IN EPISTOLAM B. PAVLI AD PHILEMONEM.

PAVLVS vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo cõmilitoni nostro, & Ecclesiæ quæ in domo tua est: gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

PAVLVS hanc ab vrbe Roma scripsit epistolã cum esset vinctus pro Christo prima profectione, quãdo appellauit ad Cæsarem: quo tempore secum habebat Timotheũ, & Demam illum, qui post defecit ab ea sanctissima societate, diligẽs (vt ipsius Apostoli verbis vtar) hoc sæculũ. Familiaris & priuata pro Onesimo seruo ad Philemonem illius dominũ epistola, quem remittebat cum presenti epistola, & insuper cum illa quæ ad Colossenses, sicut scholia Græca fidem faciunt, vt eundem reciperet Philemon sui gratia, tametsi quondam fraudulenter egisset, seseque clam subduxisset. Romæ autem ab Apostolo ad meliorem frugem reuocatus, & ad Christi fidem cõuersus, tanta commutatione facta, vt referri merito in eorum numerum possit, de quibus Dominus aiebat: Amen dico vobis, quoniam multi peccatores & meretrices precedent vos in regnum Dei. Tales enim emundati, reddũtur veluti vasa vtilia (vt Apostolus testatur) sanctificata, & ad omne opus bonũ parata. Siquidem nullus, siue seruus, siue liber, barbarus aut Scytha, vir seu fœmina, excluditur à regno Dei, modo velit syncerè pœnitere, & præceptis euãgelicis obtemperare. Peculiaris autem fuit diuinæ prouidentiæ erga Onesimum istum fauor, qui perductus est ad tantum Apostolum instituendus in recta via inseruiendi vero Domino, cuius seruitium reddit hominem liberrimum, & quietissimum: vt tantò sit quisque liberior, quo fuerit arctius Dei seruitio mancipatus. Hoc est illud vnum necessarium, quod nunquam auferetur. Nam & in fœlici patria seruiemus illi, sed cum lætitia inenarrabili & exultatione, omni malorum timore sublato. Sicut & Angelorũ millia millium illi assistunt, & decies centena millia ministrant ei. Commendatia, inquam, est & Apostolico spiritu digna epistola, affectibus misericordiæ & singularis cuiusdam charitatis eousq; referta, vt mirum sit, si quid ad extorquendum quod volebat, ne dicam ad persuadẽdum, addi potuisset. Omnia enim affert quæ vel hominem ferreum emollire poterant, nedum Philemonem pium virum, & charitatis operibus deditum, cuius domus non tam domus honorati ciuis, quàm portus & refugium pauperum erat. Nam & hanc vocat honorifico ecclesiæ nomine Apostolus.

Matt.21.

2.Tim.2.

Et Timotheus frater, In salutatione adiungit dilectum suum Timotheum consalutantem: quemadmodum & in plerisque aliis obseruauit. Et licet ad

vnum solum Philemonem sermo pertineat, nõ est tamen alienum, si & aliis quibusdam in ipso exordio salutẽ dicat, & Dei gratiam precetur. Nam Appiam illam expositores aiunt fuisse Philemonis vxorem, & Archippum eorum filium, & præterea Colossensium Episcopum, quibus scribens Apostolus mandauit, vt Archippo dicerent: Vide ministeriũ quod accepisti à Domino, vt illud impleas. Et hoc in loco eundem vocat cõmilitonem: quod ad persuasionem facit, cum illum inter Episcopos annumeret. Vocat & Appiam charissimam, nempe in Domino. Sumus enim in Christo omnes fratres, qui debemus mutuã nobisipsis & synceram dilectionem. Vniuersam denique domum appellat honorifico illo nomine, *ecclesiæ*, Philemonem etiam Colossensem fuisse non opinor dubitandũ, virum honoratum & locupletem, sed rectè facultates sibi à Deo datas dispensantem: non in mimos & saltatores, & profusas epulas, & luxum atque fastum sęculi profundentem: sed in pios Christi pauperum vsus & afflictorũ. Vtinam & hunc imitarentur nostræ ætatis viri diuitiarum, qui tanto sudore contẽdunt sibi in hac fallaci vita thesaurizare, & domos domibus, agris agros, numis numos addere, ad fouẽdam filiorum atque hęredum inertiam & superbiam. At vbi dormierint, excitati somno, nihil inuenient in manibus suis, qui neglexerunt thesaurizare sibi, non in præsens, sed in futurum veram vitam. Et tamen nulla relinquitur tutior diuitibus ad salutẽ via, quàm pauperes Christi eleemosynarũ subsidiis iuuando, quas non tam istis porrigunt, quàm Christo quod suum est reddunt, qui sese in pauperum personis constituit. Et ita quodam modo in terris adhuc remãsit, quò omnem prorsus adimeret excusationem diuitibus, & facilitatem pręberet veram salutẽ, & nonquam perituras diuitias acquirẽdi. Vult enim seipsum in pauperibus, infirmis, famelicis, incarceratis, peregrinis respici, non cõditionem illorũ attendi. Quã diu, ait, vni ex his fecistis, mihi fecistis. Hæc sunt crebrò inculcanda & passim: quia vbiq; regnat auaritia, & quędam in pauperes crudelitas. Quosdam enim videas tanto supercilio istas terrenas diuitias possidere, ac si vel eas creassent, vel nunquam essent relicturi. In quos placuit adducere iustissimam Magni illius Basilij increpationem. Dic mihi, inquit, quæ tua? Vnde ea sumens in vitam intulisti? Sicut qui præueniens ad spectaculum prohiberet aduenientes, vsurpando sibi quæ ad communem vsum disponuntur. Similes sunt diuites, qui communia quæ præoccupauerunt, æstimant esse sua. Si enim quiliber suæ necessitatis sufficientiam recipiens, relinqueret superfluum indigenti, iam nec diues esset nec pauper. Cæterum si fateris ea tibi diuinitus prouenisse, an iniustus est Deus inæqualiter nobis ipsas rerum facultates distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt tu bonę dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur? At tu nõne spoliator es, quæ dispensanda suscepisti, propria reputãdo? Est panis famelici quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclaui conseruas: discalceati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot furaris, quot dare vales, & non das. Quòd si hæc meritò in sæculares obiiciuntur, quid cogitare debent Prælati, quos esse decet tẽplum Spiritus sancti, & familiam totam esse ecclesiam? Surget in iudicio Philemon iste vir sæcularis, & condemnabit nos: qui domum suã conuerterat in ecclesiam, & illam sanctissimè regebat, visceribus Sanctorum patentem.

Col.4.

Matt.25.

B. Basilij sententia in diuites.

Gratias ago Deo meo semper memoriam vestri faciens in orationibus meis, audiẽs charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Iesu, & in omnes Sanctos: vt communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni in Iesu Christo. Gaudium enim magnum habui, & cõsolationem in charitate tua: quia viscera Sanctorũ requieuerunt per te frater. Propter quod multã fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi: obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remisi tibi. Tu autem illum vt mea viscera suscipe: quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij. Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

Gratias ago Deo meo, &c. Volens impetrare à Philemone gratiã pro Onesimo ipsius seruo, prudenter beneuolẽtiam prius sibi conciliare sancto quodam artificio studet, cum laudãdo illius pietatem, tum declarando suam perpetuam erga illum charitatem. Ait ergo primùm se Deo gratias agere. Nam gratus animus semper cogitat quæ beneficia acceperit, & pro acceptis assiduas agit gratias Creatori: & ita meretur vberiora adhuc accipere. Et cum vera charitas faciat omnia communia, excitans de bono alterius gaudium, Apostolus reponebat inter beneficia tam bene institutam Philemonis mentem, qui spargebat suauissimum bonorum operũ odorem, ita vt dum orationes ad Deũ offerret, semper memoriam illius faceret, cuius audiebat tãtam charitatem & fidem ad Christum Iesum. Sic Græcè legitur emendatius, & ita re vera est legendum. *Et in omnes sanctos*, Vide quid de Philemone dicat, quomodo habebat dilectionem & fidem ad Iesum Christum. At non pari & æquali deuotione. In Sãctos enim propter Dominum: & in ipsum Dominum propter semetipsum, qui verè Deus erat.

Mera nanque est hæreticorum calumnia, idololatriæ nos insimulãtium, qui Sanctos colimus, qui eis & fidimus, & beneficia ab eisdem poscimus. Mera, inquam, calumnia ex diabolico inuidiæ fonte manans. Nos enim minime eodẽ cultu eos, quo Deum ipsum, colimus: sed illis in suo debito gradu sapienter fidimus, tãquam amicis & dilectis Chri-

Pro veneratione Sanctorum.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſto,quem ſunt per ſtrictiorem Crucis viam in hac vita imitati,vt iuxta illius pollicitationem,conformes fierent in futura . Et hos ſe honorificaturum promiſit conſtituendos ſuper populos, nationes,
Luc.19. & ciuitates.Quid igitur iniurium,ſi tam chara Saluatoris veneremur membra, tanquã dilectis Sanctis fidamus,qui facilius quàm nos,ipſi valeãt impetrare quæ cupimus? Si auxilium potuerunt viri Deo chari præſtare in terris,nonne poterunt longè potentius præſtare in cœlis ante faciem Domini ſui?ait deuotus Bernardus . Nam ſi dum adhuc viuerent miſerti ſunt peccatoribus,& pro eis orarunt : Nunc tantò amplius,quantò verius agnoſcunt miſerias noſtras, interpellant Patrem pro nobis.Illa enim fœlix & beata patria Sanctorum charitatem non mutauit nec minuit , ſed cumulatius auxit.Imò potius permouentur viſcera pietatis & miſericordiæ, cum ante fontem miſericordiæ aſſiſtũt. Summopere igitur quicquid iſti impoſtores, & elatione diabolica tumidi vociferentur,à nobis imploranda ſunt Sanctorũ ſuffragia, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet,eorum nobis interceſſione & meritis à Patre cœleſti clementiſſimo & optimo donetur.

Nec propterea arbitramur(vt iſti calũnioſè obiiciunt)eſſe Sanctos Redemptore noſtro clementiores,& ad miſericordiam propenſiores: ſed ſummam Dei prouidentiam vt non ignoramus, ſic & veneramur & amplectimur,qui vna & eadem opera voluit præſtare miſericordiam,& eo modo præſtare,vt ſanctis ſuis reddat quem meruerũt(gratia tamen illius & benignitate)iuſtitiæ & gratiæ fructum,volens per illos ad eorum laudem exercere miſericordiam: & item deprimere colla ſublimiũ & ſuperborum hominum,vt vereantur ita immediatè ad Deum ipſum aduolare,niſi prius per iſtos interiectos gradus. Alioqui Redẽptor noſter quatenus homo, nunquid miſericordiæ abundãtia & promptitudine Deum ſuperat?Abſit.Et tamen nobis illum hominem prouidit Deus Mediatorem, per quem haberemus ad illum acceſſum.

In hæreticos. Quid eſt cauſæ , imò quid non ineſt malitiæ in iſtis hæreticis,qui nullam vnquam faciunt mẽtionem verbi Domini amicos Iob increpantis, quos ad eundẽ remiſit,vt ſacrificia offerrent in gratiam Iob ſuſcipienda, quibus pollicetur ſe ipſius orationibus iri placatũ?At nos proferamus tam inexpugnabile teſtimonium,poſtquam iſti callidè ſupprimunt,
Iob 42. ait ſcriptura: Poſtquam autem loquutus eſt Dominus verba hęc,dixit ad Eliphaz Themanitẽ. Iratus eſt furor meus in te,& in duos amicos tuos: quoniam non eſtis loquuti coram me rectum,ſicut ſeruus meus Iob.Sumite ergo vobis ſeptem tauros,& ſeptem arietes,& ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtũ pro vobis.Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis:faciem eius ſuſcipiã vt non imputetur vobis ſtultitia. Neque enim loquuti eſtis coram me rectum,ſicut ſeruus meus Iob. Abierũt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut loquutus fuerat Dominus ad eos : & ſuſcepit Dominus faciem Iob.Dominus quoque cõuerſus eſt ad pœnitentiam Iob,cum oraret ille pro amicis ſuis.hęc ibi.Nunquid ergo Iob erat Deo benignior & clementior, vt opus fuerit eius interceſſione? Abſit: Sed voluit poſt tam inſignem admirabilis tolerantiæ ac patiẽtiæ victoriam ſuum honorare militem. Pleni itaque ſunt iſti nebulones calumniis & ignorantia,qui talia audent contra eccleſiam euomere, & ſanctos omnes.

Vt communicatio fidei tuæ euidens fiat , Græcè legitur, ἐνεργὴς γένηται, id eſt,efficax fiat,*in agnitione omnis boni*,Deſiderantur hæc ſubſequentia verba in Latinis codicibus , nempe, *quod eſt in vobis in Chriſtum Ieſum*, Senſus autem horum verborum hic eſſe videtur : Orationes meæ in hunc finem tendunt, vt communicatio fidei tuæ,qua nobiſcum communicas,euidẽs fiat,ſeu efficax per fructus eius,qui ſunt bona opera . Tum enim fides apparet & eſt euidens , quum ex operibus oſtenditur.Tum eſt efficax,quum per charitatem operatur,*In agnitione omnis boni quod eſt in vobis* , ſiue vt alia lectio habet, & fortè verior,*quod eſt in nobis*,videlicet, Chriſtianis,*in Chriſtum Ieſum*, hoc eſt, in Chriſti Ieſu gloriam,vt hoc odore alij attrahantur. Nam ex famulorum moribus relucet Patrisfamil. diſciplina & probitas,quæ rectè factis incumbens & ſanctis operibus,trahit in admirationem ſpectantes , & ad imitationem plerunque pertrahit. Vnde ſcriptura
nobis ſtuporem exprimit reginæ Sabæ,quæ tanto *2.Par.9.*
encomio & Salomonem, & Salomoni miniſtrantes extulit . Non ſecus accidit ex probis Chriſtianorum & honeſtis moribus,quibus efficitur vt & ipſi infideles Deum laudare compellantur , cuius ſeruos ac domeſticos animaduertunt tantis virtutum dotibus ornatos.

Gaudium enim magnum habui,In Græcis loco,*gaudij*, legimus, *gratiam*. Potior tamen videtur lectio Latina,quæ habet,*gaudium*, Et facillimè potuit lapſus irrepere ob maximam Gręcarum dictionum affinitatem,vna litera commutata , nimirum pro χαρὰν legere χάριν. Præterea melius diceretur , *habemus*,quam, *habui*. *Et conſolationem in charitate tua*, ſeu ſuper charitate ſiue dilectione.Quę autem fuerit illius tanti gaudij & conſolationis cauſa explicat,ſubiungens:*Quia viſcera Sanctorum requieuerunt*, ſeu refocillata ſunt,*per te frater*, Eleemoſynas illas pias ſignificat,quas Philemon prompto animo in Sanctos largiebatur.

Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi:Sẽſus per ſe clarus. Aſſeuerat ſibi datam per hæc dilectionis opera quæ Philemon exercebat , fiduciam plurimam nõ abſolutè quidem illi imperandi,ſed in Chriſto Ieſu , *quod ad rem magis attinet*.Græcam lectionem,τὸ ἀνῆκον,alij interpretantur, *quod conuenit*, aut, *quod oportebat*, & quod erat eius officij . Et tamen maluit propter dilectionem obſecrare illum.Charitatis nanque eſt maxime proprium, refugere ab omni parte vſum imperandi,& merito. Nam qui verè diligit, non libenter imperat,ſed potius rogat.Et ipſa quidem eſt in promptu ratio.Quid enim,rogo, opus eſt diligenti præcipere, qui ſponte omnia facturus eſt?Videtur ergo charitatem Philemonis intelligere, & illam vehementius adhuc rogando accẽdere, quàm ſi fuiſſet aliquo vſus imperio.Vnde adiecit:

Cum ſis talis vt Paulus ſenex , Melius, *cum ſit talis*, quaſi dicat modeſtius.Sum & ego ipſe pariter dignus , cui propter charitatem aliquid concedi debeat.Declarat autem ſeipſum à nomine,qualis ſit,

Paulus ,id eſt,humilis & modicus. Tum ab ætate, ſenex,annos attingens ſexaginta , aut eò amplius. Annus quippe certus de ſcripturis determinari nõ poteſt.Deinde à labore, vinctus , non vllius meæ culpæ cauſa,ſed in gratiam ſummi omnium imperatoris Chriſti.Per hæc igitur omnia , prætermiſſis aliis honorificis titulis,& authoritatem oſtentantibus,*obſecro te pro meo filio,quem genui in vinculis, Oneſimo*,Apud viros modeſtos,& charitatem profitentes plus momenti humilis petitio,quàm quoduis aliud imperium. Nam & plerunque flectit humilitas,quem nec potentia ſuperare potuit,nec ratio. Vocat autem filium ſuum,quò facilius exoraret:cum patris pro filio preces debeant eſſe multò efficaciores & æquiores, vt promptius exaudiantur. Erat verò filius in Chriſto: quia illum genuerat poſitus in vinculis per orationes,& prædicationem euangelicam. Verbum enim Dei non erat alligatum . Vt hic admirari conueniat inuictum Apoſtoli animum,& flagrans deſiderium,qui nullo vnquam tempore neque loco , ſolutus vel vinctus deſiſtebat , quin aliquas ſemper animas velut granum colligeret,& inferret in horreũ Domini ſui.

Videtur autem peculiari quodam affectu complecti ſuum Oneſimum,vt quem in ſenectute genuerat , exemplo illius quondam magni patriar-
Gen.37. chæ Iacob,qui(teſte ſcriptura) teneriori amore ſuper omnes reliquos filios,proſequebatur Ioſeph, eo quòd in ſenectute genuiſſet eum . Vnde & B. Ambroſius ad ſuos dicere ſolebat : Nõ minus vos diligo,quos genui ex euangelio, quàm ſi ſuſcepiſſem coniugio:quoniam gratia vehementior eſt ad diligendum,quàm natura . Ne autem poſſet excipere Philemõ, & iuſtè obiicere ſuum eſſe ſeruum Oneſimum,& grauiter deliquiſſe,qui & fugitiuus fuerat & contumax, & fortaſſe furti (vt plerique volunt)reus,ſicque nulla ratione dignus qui tanta facillitate atque indulgentia recipi mereretur,præoccupat id miro artificio Apoſtolus, non factum quidem excuſans , ſed leni illud verbo mitigans, & ait:

Qui tibi aliquando inutilis fuit:nunc autem & mihi & tibi vtilis.Vide quanto fœnore compenſat priſtinam inutilitatem . Vni tantum prius vtilis erat, cui poſtmodum inutilis factus eſt. At tunc non iã vni ſolummodo & alteri redditus eſt vtilis, ſed & pluribus . Vbi tacitè alluſit & gratioſè ad ipſammet vocem.Oneſimus enim id eſt quod vtilis. Verũ pro Oneſimo reſtituit Apoſtolus εὔχρηστον, quod eſt pluſquam vtilis.Significat enim vtilem , commodum,placidum,probum,beneuolum: vt nullo pacto repudiandus ſit ſeruus egregia illa conuerſione ad longè meliorem frugem commutatus.

Quem remiſi tibi , Cupiebat Apoſtolus opera illius,qua neceſſariò indigebat,diutius adhuc vti:& nihiloſecius ad herum proprium optima ratione remiſit,tanquam nouum in Chriſto militem,non iam illum ſeruum inutilem,vt vel loco pretioſi muneris exciperetur, quem gratia Dei fratrem reddiderat,qui ſine iniuria Redemptoris ſperni nõ poſſet,potiſſimũ data pro illo fide à tãto ipſius Chriſti Apoſtolo. Vnde ſubiunxit:

Tu autem illum,vt mea viſcera ſuſcipe,Teneritudinem rariſſimi in illum ſui amoris declarat , quaſi commendans ſui quoddam eoúſque intimum, vt profundius penetrari non poſſit. Nullam certè aliam hic locus veriorem expoſitionem exigit,quã vt mandetur memoriæ,& exerceatur opere. Didicerũt enim veri Saluatoris noſtri imitatores nõ lingua tantum & verbo diligere, ſed opere & veritate:Et eos quaſi maiori cura fouere , quibus ignobilior conditio obſtare poſſet, qualis erat iſte O-
neſimus. Nam & ignobiliora noſtra (vt alibi teſta *1.Cor.12.*
tur)abundantiore circumdamus honore:quoniam in Chriſto Ieſu ille verè eſt nobilis , qui illius voluntati obtemperat:& contrà, qui illum contemnunt quantumuis auro fulgeant & poteſtate in ſæ-
culo,ſunt verè ignobiles, vt nos ſcriptura ſancta *1.Reg.2.*
docet.

Quem ego volueram mecũ detinere,&c. Quam prudenter egerit Apoſtolus,& quàm ſapienter loquatur,conſideremus. Volueram,inquit,eum detinere,vt mihi miniſtraret in vinculis euangelij . Hoc dixit vt exprimeret miniſterij dignitatem,& quãti erat meriti inſeruire Apoſtolo in vinculis non quibuſcunque,ſed in eum ob prædicationem euãgelij & defenſionẽ iniectis. Huiuſmodi enim vincula maximam pariunt ea ſuſtinenti gloriam , tantum abeſt vt ſint dedecori vel pudori: quin etiam ſunt beatis illis Spiritibus admirationi , dum ſpectant tam ardua à ſtrenuis Chriſti militibus, & tãtos labores in carne fragili tolerari . Et non dixit ſimpliciter,vt mihi miniſtraret,ſed addidit,pro te, vt ipſe Philemon intelligeret ſe nullo ex abſentia ſerui ſui fructu fruſtratum,ſi penes ſe retinere voluiſſet B.Paulus , qui vicem Domini miniſtrando ſuppleret , quò poſſet præmium ſuæ pietatis apud Deum expectare. Sed vide generoſum animum.

Sine conſilio autem tuo,ſiue potius ſententia , *nihil volui facere,ne velut ex neceſſitate,&c.* Quaſi diceret: Nolo à quoquam beneficium vllum quantumuis mihi perneceſſarium conferri , niſi illud demum quod ſpontanea voluntate & hylari animo proficiſcitur. Quod mihi abs te venturum non dubito, qui tanto affectu ſoles Sanctorum viſcera reficere ac recreare.

Forſitan enim ideo diſceſsit ad horam à te , vt in æternum illum reciperes, iam non vt ſeruũ:ſed pro ſeruo chariſsimum fratrẽ,maximè mihi. Quantò autem magis tibi & in carne, & in Domino ? Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. Si autem aliquid nocuit tibi,aut debet,hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu . Ego reddam: vt non dicam tibi quòd & teipſum mihi debes.Ita frater ego te fruar in Domino:refice viſcera mea in Chriſto. Cõfidens in obedientia tua ſcripſi tibi, ſciens quoniam & ſuper id quod dico,facies. Simul & para mihi hoſpitiũ. Nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis . Salutat te Epaphras cõcaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus,Ariſtarchus, Demas,& Lucas adiutores mei . Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

Universidad de Deusto Biblioteca

Forsitan enim ideo discessit ad horam, &c. Ad mitigādam ex fuga serui conceptam iram, B. Paulus admiscere tacitè videtur diuinam prouidentiam, ante cuius conspectum nihil agitur casu. Noli igitur, inquit, subindignari, si à te seruus iste tuus recesserit: quandoquidem recessit ad horam, id est, ad breuissimum temporis interuallum. Neque vt recederet hoc factum est, si ad Dei prouidentiam attendere voluerimus, *sed vt in æternū illum reciperes.* Qui enim paulò antè nutabat instabilis, nunc solidus permanebit & firmus. Quocirca recipies eundē, *iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem,* Græcè, sed supra seruum, dilectum fratrem, id est, Christianum. Fratres enim tum appellabātur, qui nunc Christiani vocantur. Et ita se gerere deberēt Domini erga seruos fideles, potissimum quando probi sunt. Et si fortè status non patitur, ne contemnantur ex illa humilitate, in præparatione saltem animi & syncero coram Deo affectu facere debent.

Maximè mihi: quantò autē magis tibi & in carne, & in Domino? Sēsus est: Maximè quidem mihiipsi est frater dilectus, quantumuis illum in Christo per euangelium genuerim, cui pater potius esse deberem: quantò ergo magis (supple) iustum est vt tibi sit frater? Nam & coniunctus es illi carne, cum sitis ambo Gentiles, & eiusdem patriæ. Et in Domino estis pariter coniūcti, cum ambos vos ego per euangelium genuerim. Patet enim ex epistola ad Colossenses, Onesimum fuisse Colossensem: & similiter Philemonem fuisse existimo, vt iam superius dictum est.

Si ergo habes me consortem: Quanta summissione loquitur Apostolus: quasi dixerit apertius, Non quæro quę possem meo iure exigere, vt me scilicet veluti patrem contempleris, sed hoc tantum peto, vt consortem me tecum, & eiusdem hæreditatis designatum hæredem intueri in Christo velis. *Suscipe illum sicut me,* quia factus est iam mihi alter ego. O charitas quantum ardoris habes. Quid potuisset dici viuacius ad permouēdum? Neque hoc tamen illi satis: nam perpende quanto studio atque industria rursus occurrit omnibus, quæ afferri poterant, rationibus. Nam breui conclusione in se transfert quodcunque serui debitum. Et verè ita decebat tantum Apostolum, vt omnem impleret iustitiam, aliena debita sibi propria facientē: ait, *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu.* Et hoc addidit tanquam fidelissimum testimonium, quo declararet istam gratiæ reconciliationem sibi esse mirum in modū cordi, ita vt omnia damna paratus sit resarcire. *Ego reddam.* At quomodo poterat reddere, qui nihil habebat? Vtinam tantundē haberem, si tamen optare fas est. Non est enim dubitādum quin Philemō optimè intellexerit, qua se obligatione astringebat B. Paulus. Pollicebatur quippe pro temporalibus bona spiritualia, quæ citra comparationem antecellunt temporalia. Et illis refertus erat Apostolus. *Vt non dicam tibi quòd & teipsum mihi debes,* quē per euangelium genui, & de periculosa seruitute eripui. Quidam hinc frigido argumento colligunt Philemonem minimè fuisse patria Colossensem: quoniam Apostolus nō fuerat in ea ciuitate, vt potuisset ad fidem Christi illum conuertere. Quasi verò necesse fuerit virum Colossensem perpetuò ibi degisse, & nulla alia in ciuitate aliquando vitæ cursum tenuisse. Sed hæ quæstiones eius sunt generis, quæ ad rem nihil faciant. *Ita frater ego te fruar in Domino: refice viscera mea in Christo,* Viscera hîc intelligit Onesimum, quem remittebat, & tanquam se ipsum commendabat, sibi vni impensum ferens, quicquid Onesimo faceret: & hac ratione cupiebat illo frui in Domino.

Confidens in obedientia tua scripsi tibi. Quo pacto nunc obedientia fieri postulat, qui paulò antè negauerat se imperare velle, sed solùm obsecrare? Verū ostendit tacitè in tam efficaci obsecratione iussionem quoque & imperium contineri. Vt autem expressum ipse nolebat imperiū, sed amicam quādam obsecrationem, sic cōfidebat in eam partem à Philemone acceptam iri, vt non quasi obsecrationem interpretaretur, sed verum pręceptum, cui eò obsequeretur promptius, quò amabiliorem Superioris præ se ferebat charitatē atq; modestiam. Maiorum etenim monita vim imperij apud veros obedientes obtinent, qui non amant flagellis semper vrgeri & stimulis, sed nutibus & verbis simplicibus. Duræ ceruicis est nihil velle, nisi adhibito mandato, agere. Vnde ait: *Sciens quoniam & super id quod dico, facies.* Neque hîc imperādi verbo vtitur, sed, *dico*, ostendens se nequaquam dubitare quin sit obtemperaturus. *Simul & para mihi hospitium.* O fœlicem quem tantus hospes inuitat. Hoc magnā habuit vim ne Philemon resistere posset precibus. Multa siquidem absentibus negari possunt, quæ præsentibus necessariò conceduntur. Voluit iniicere metum quēdam sanctum, vt si per literas non impetrauisset, futurum vt præsenti sermone coargueret paulò duriorem animum: quasi dicat, Ita te præpara, vt me hospitē lætum excipias, non autem reprehensorem iustum experiare. *Nam spero per orationes vestras donari me vobis.* Quemadmodum & factum est: sed peragratis prius variis regionibus. Et tum demum Romam rediit, vbi beatissimum vitæ cursum martyrio absoluit. *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu.* Hic Epaphras Colossensis erat, quem illa ciuitas doctorem fidei habuit, vt in ea epistola constat: sed eo tempore vnà cum Apostolo captiuus Romæ asseruabatur. Cætera clara sunt: Tota epistola ad solum Philemonem dirigitur. Salutatio tantum, & optima illa precatio quæ postremo loco solet adiungi, ad alios in salutatione expressos attinet, quæ est, Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

BENEDICTVS DEVS.

PRAEFATIO IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD HEBRAEOS.

QVIDAM hæreticorum olim, quemadmodum B. Hieronymus in argumento epistolæ ad Titum testatur, suadere conari sunt hanc ad Hebræos epistolam non esse B. Pauli Apostoli. Quos & quidam ex nostris hac infœlici tempestate sectati sunt. Duo autem pręcipue afferebant, quæ facere suasionem videbantur. Primum, quòd huic epistolæ nō est nomen authoris præscriptum. Alterum, quoniam stylus huius non conuenit cum cæterarum epistolarum stylo. Sed primum eleganter B. Hieronymi responso retunditur. Nam si ob hoc non est B. Pauli, quia eius nomine non inscribitur, nec vllius pariter erit: quia nullius habet nomen præscriptum. Quod verò sit potius credenda B. Pauli, vel hoc ipsum facit, quòd cum esset Hebræis infensus, noluit præfixione odiosi sui apud eos nominis vtilitatem excludere lectionis. Quòd verò addebant, non conuenire hanc epistolam eloquio & stylo cum cæteris, & esse longè illis superiorem, ob id esse, quia hanc solam B. Paulus lingua hebraica scripsit, nimirum propria: cæteras verò Græca. Vnde non mirum si hæc eloquio præstat: quanquam si stylum expendimus, cuius erit stylo similis? Aiunt, Clementis. Parcat illis Deus, cum nec stylus, nec reliquorum quicquam illi conueniat. Nam & huius epistolæ author se genere Hebræum esse (vt suis locis annotabimus) quàm manifestissimè insinuauit. Sunt verò tot, tantæque authoritates & Pontificum, & grauissimorum authorum, taliáque argumenta, eam B. Pauli esse asseuerantia, vt vehementissimè sim miratus, quanam fronte quisquam audere potuerit (qui Christianus videri volebat) aduersus tanta præiudicia quicquam comminisci. De qua re & in Caietanū, & alio proprio libello copiosè scripsi, vbi multa concilia, & decreta Pontificum, & tot patrum, & Sanctorum testimonia produxi, præter diuturnum omnium ecclesiarum vsum, vt qui contra tantam nubem testium velit contendere, haud dubium proterui, & contumacis, atque hæretici animi seipsum perspicuè prodiderit, & sic indignum cum quo disputetur.

Quæri autem maiori cum ratione posset, cur hæc epistola grauitate sententiarum & tanta doctrina referta, postremum tamen nacta sit in ordine locum. Huic quæstioni iam respondimus in ea quæ ad Rom. Spreuerunt enim Hebræi apostolicam, & præsertim B. Pauli, prædicationem. Et ideo tanquam spreti à Deo vt interim cedant Gentibus, æquum fuit & iustum eos postremum obtinere locum, sicut & postremo tandem tempore venient, quum intrauerit plenitudo Gentium: ita vt Apostolus Philemonem priuatum hominem ipsis prætulerit, quemadmodum fuerunt digni. Quia ergo in nouissimis conuertuntur, nouissimum hîc eos locum tenere oportuit. Et tūc agnoscent B. Paulum veracem, & diligenter suo officio ac munere pro nouissimis, qui tunc inuenientur, fuisse functum.

EPISTOLÆ ARGVMENTVM.

Congruentissimè hæc epistola, & opportunissimè ostendit Apostolus Hebræis eminentiā Christi præ Angelis & Mose: ac propterea eminentiam Euangelicæ gratiæ præ lege, siue testamenti noui præ vetere: & eminentiam sacerdotij Christi, præ sacerdotio Leuitico, quod mādatur in lege. Et hinc docet superuenientem legis inutilitatem, & sacerdotij antiqui, & idcircò eius cessationem, vtpotè quæ legitimè functa erat suo officio, adueniente vtilitate ac sempiternitate noui testamenti, & euangelij æterni. Et iis patefactis hortatur eos ad fidem, vt fundamentum totius ædificij, & ad opera charitatis cum tolerantia passionum in spe mercedis magnæ, & immortalis.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM BEATI PAVLI AD HEBRAEOS.

MVLTIFARIAM, multísque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio, quē constituit hęredem vniuersorū, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationē peccatorum faciens, sedet ad dexterā maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus: & ministros suos, flāmam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatē: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et, Tu in principio Do

Universidad de Deusto
Biblioteca

mine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribũt, tu autem permanebis: & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ? Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hęreditatem capiunt salutis?

Multifariũ, &c. Elegans profectò & magnificum doctoris nostri B. Pauli pro Iesu Christo, & pro humano genere exordium. Ad cuius euidentiam illud est præmittendum, quo modo Deus Pater optimus & clementissimus ab initio gratiosè, ac de benigna prouidentia sua dignatus est condere hominem, & multis eundem honestare donis, atque in spem æternę glorię euehere per eximium excellentis suæ gratiæ donum, & in gratiam Filij sui domini nostri Iesu Christi, quem prædestinauit in gloriam nostram, vt in illo consisteremus, & viueremus in æternum omnes, qui inueniremur fuisse dicto obedientes, & obtemperantes Dei mandato. Quæ cuncta dona in patre nostro Adam fuere posita, deriuanda quoque in nos postea, si mansisset ille in accepta iustitia. Non mansit autem, sed præuaricatus est, & (heu) cecidimus sicut folia vniuersi.

De prouidentia Dei erga hominem.

Isa. 64.

Verum non continuit in ira sua misericordias suas Deus, sed cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis, & volens instaurare diruta & collapsa decreuit dare nobis vnigenitum Filium suum Redemptorem, ac Mediatorem ad reconciliationem & suo tempore illum ad nos mittere, qui istud opus perficeret. Hoc autem magnum & clementissimum animi sui consilium decreuit manifestare hominibus, sine cuius notitia, & susceptione per fidem, non poterat nobis obuenire salus. Et ob eã causam eloquutus est Deus ab initio de huiusmodi redemptione, & reconciliatione ad præparandos nos, vt suo tẽpore venientem dignè illum susciperemus. Hoc autẽ potissimum cum priscis Hebræorum patribus fecit ab Adam vsque ad ipsum Christum. Quod in primis manifestat Apostolus his verbis:

Ierem. 29.

Multifariam, Græcè, πολυμερῶς, id est, multocies, seu per multas partes. Et potest referri tum ad tẽpus, tum ad rem quam eloquutus est Deus. Si ad tẽpus ipsum voluerimus referre, intelligimus Deum variis, ac tanquam particulatim diuisis tẽporibus quasi mundi ætatibus, significauisse nobis de sua benigna erga nos voluntate, qui incepit in Adam, Habel, Seth, & Henoch vsque ad Noe: & deinceps in Abraham, & in Mose, & Dauid, cæterisque prophetis vsque ad Ioannem magnum illum Præcursorem. Si verò intelligamus, Multifariam, referentes ad rem ipsam (nam & hoc modo potest intelligi) sensus erit, à Domino Deo admirandum hoc & iam grande mysterium, quod multa continet, fuisse per partes reuelatum. Non enim omnia singulis reuelauit. Alius nanque particularia quędam vidit de conceptu Virginis: Alius de ortu ipsius Christi Saluatoris: Alius de fuga in AEgyptum, de cruce & illius passione: Alius de miraculis, & resurrectione. Imò etsi fortè quidam de multis simul informatus fuerit, attamen alij quædam particularia limpidius perspexerũt. Dixit enim Dominus Mosi de patribus: Nomen meum Adonai non indicaui eis.

Exod. 6.

Multisque modis, Non enim vno modo (vt ipse testatur) alloquebatur prophetas, sed aliquos per somnia, ac phãtasmata, & visiones, & per ænigmata, & figuras: alios per sensibiles voces, & angelicas apparitiones claras: alios per intelligibiles species, & siquis alius fuerit diuina mysteria reuelandi modus, quem nouit ipse. Quoniam verò etiam diaboli erat per somnia & fantasiam decipere, sciẽdum est veros prophetas fuisse internè de veritate somniorum ac signorum plenè instructos, & certiores redditos modis Deo & Angelis eius cognitis. Olim, id est, ab Adam vsque ad Christi aduentum, *Loquutus est Patribus,* Patrum appellatione veniunt maiores eiusdem Gentis. Et quia in hebraica Gente hoc verificabatur, hic author tacitè innuit se Hebręum esse: & caprat beneuolentiam cõmemorando ipsorum dignitatem, quam habebãt propter Patres suos, cũ quibus tam particulare habebat commercium Deus, vt dignaretur eos sic alloqui, & de seipso, ac de ipsorum salute docere.

Author huius epistolæ Hebræus, in hæreticos.

Vndè idem Apostolus ad Rom. multò amplius datum esse Iudæis, quàm Gentibus ait, vel hoc vno solo, quòd eis credita sunt eloquia Dei. Quare & in Psalmo gloriabantur dicentes: Non fecit taliter omni nationi, id est, nulli nationi, & alibi: Non est alia natio tam grandis, quę habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obseruationibus nostris. Simul etiam eorum animos hoc tanto beneficio excitat ad gratitudinem, præsertim cum ad cumulum beneficentiæ erga illos, Deus sit non solùm per prophetas loquutus illis, verùm etiam per proprium Filium. Vnde sequitur: *Nouissimè autem.* Ecce, totum præsentis sæculi tempus partitur in duas partes designatas per, Olim & Nouissimè, vt per id quod ait, Olim, intelligatur totum tempus ab origine mundi elapsum vsque ad sanctissimum præcursorem Ioannem, qui fuit quasi horizon disterminans à prioribus tempora posteriora, sicut ait Dominus: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Tempora ergo posteriora, quę à B. Ioanne & ipso Christo fluxerunt, & fluent, nouissima vocantur, & nouissimi dies, imo & nouissima hora: quia hoc residuum annorum vna est ætas, videlicet mundi senectus, quæ quandiu sit duratura, nescitur. Decepti sunt enim non pauci hactenus à nonnullis sæculis, qui putarunt instare diem Domini, cum in scripturis legerent aduenisse nouissimos dies, parum considerantes ætatem vltimam (sicut egregiè docet B. Thomas) quę est senectus, posse æquare annorum numero omnes præcedentium ætatum dies elapso, sicut accidit aliquando in homine. Ego vlterius arbitror etiam nos esse nescios, quantum iam duraturum mundus. Siquidem Hebræi nobiscũ hac in re minimè cõsentiunt: & item nostri inter se discrepant. Nos enim multò plures annos ponimus.

Rom. 3.

Psal. 147.

Deut. 4.

Matthæ.

Incertum quod fluxerint anni à creatione

B. Cyprianus sex millia annorum (inquit) plenè complẽtur ex quo diabolus hominem impugnat. Idem B. Hieronymus super ea quæ ad Titum inscribitur. Ego verò certo scio esse & incomputandis annis ex ipsa serie generationũ nonnullam deceptionem: de qua re alibi.

mundi. In lib. exhort. ad marty.

Si ergo quantum durauerit mundus, nescimus (nam & scriptura dicit: Dies sæculi quis enumerauit? quod videtur ad præteritũ referri: de futuro enim quis enumeret quod nondum est?) quantò minus cõiectare possumus futurorum dierum numerum? Qua in re plurimi falsi sunt, etiam magni & sancti viri, vt ad Thessal. docuimus. Sed non ea certò se rescire, sed opinari aiebant, vt non sit mirum si falsi fuerunt opinione. Aliud esset si certò affirmassent, & quasi ex reuelatione prophetiam.

In diebus istis. Declarat quod dixerat nouissimè, hoc est, in illis diebus quando cœpit nouissima ętas, & sæculum nouum & valde fœlix illustratum præsentia tanti Solis. *Loquutus est nobis in Filio.* Ait, nobis, manifestè ponens se in numero Gentis, & illius Gentis, ad quam vnam Dominus venit. Non sum, inquit, missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Et ait, Loquutus est in Filio, id est, per Filium, nõ iam per homines prophetas, sed per os Filij sui, sicut & ipse testatus est voce elapsa de cœlis in nube. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui: ipsum audite. Est autem hic tropus hebraicus & frequens, vt, In, loco, Per, accipiatur, vt cùm dicitur: Omnia in sapientia fecisti. Et, In manu potenti, & brachio excelso. Et hoc est aliud argumentum, quo suadetur istius epistolæ authorem fuisse Hebræum, qui tropis illius linguæ propriis vtitur. Est item cõsequens, & omnino verisimile hebraicè illum scripsisse, vt qui Hebræus esset, & ad Hebræos scriberet: licet nouitij dæmonum Apostoli sola propriæ præsumptionis authoritate freti, aliter blaterent. Notandum autem B. Paulum more scripturæ ad significandum verum & naturalem Filium Christum, qui singulari modo est Filius, singulari vsum numero dixisse. In Filio. Nam vt idẽ alio loco testatur, etsi sint dij multi, & domini multi, vnus tamen verè & excellẽter est Deus, & Dominus Iesus Christus. Potest insuper quod ait, In Filio, esse nomen proprium, ad significandam illam secundam personam, quæ in diuinis proprio nomine Filius dicitur, sicut prima dicitur Pater. Et hoc notandum, quòd cùm dixit, In Filio, Deũ esse loquutum, non dixit: Multifariam, multisque modis, quoniam vno tantummodo, videlicet apertè & palam, in signis & prodigiis manifestis, in authoritate multa, ac potestate. Aiebat enim: Audistis quia dictum est. Ego autem dico vobis, &c. Et alius Euangelista de illo: Sermo eius erat in potestate, inquit. Vt ergo ostenderet & differentiam temporum & loquutionum Dei, quæ antea facta sunt per prophetas, & postea per Filium, excellentiam Filij præ aliis subindicauit, dicens:

Matth. 15.

Ibid. 17.

Psal. 105.

Ibid. 115.

1. Cor. 8.

Matth. 5. Luc. 4.

Quem constituit hæredem vniuersorum. Si hæres vniuersorum ergo Dominus ergo Vnigenitus: alioqui non vniuersorum esset hæres constitutus, sed ex parte. Dicet aliquis: Cur ergo alibi ipse Apostolus nos Christi cohæredes appellat? Qui enim habet cohæredem, non est Dominus in solidum, nec hæres vniuersorum, vt dicerent Iurisconsulti. Nos autem dicimus, solum ipsum Dominum Iesum factum esse hæredem vniuersorum, id est, totius mũdi: quia ipse solus lucratus est illum iam perditum per peccatum, propter quod ipse solus dicitur illũ hæreditasse. Vnde illi dicitur: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Et in hoc lucro vt neminem habet adiutorem, ita nec cohæredem: nisi quòd Mater eius fortissima mulierũ (quia in hoc illi cooperata est) nonnullum sibi conuenientem locum vendicat. Vnde & ipsa Domina meritò vocatur: quod nolunt qui sunt ex semine Serpentis. Sed est alia hæreditas, nimirum beatitudo cœli, & acquisitio æternæ gloriæ. Et in hac nos dicimur cohæredes Christi, eò quòd cum illo fruemur Deo, vidẽtes illum facie ad faciem. Et tamen hanc beatitudinem & gloriam illi referimus acceptam, vt ipse sit verè hæres etiam nostræ gloriæ, qui nobis eam promeruit, & illi donatur in nobis. Et hoc modo ipse est etiam hæres vniuersorum: quoniam quæcunque nos vel habemus, vel habituri sumus vt hæredes Dei, per ipsum acquisitum est, & propter ipsum nobis donatum.

Rom. 8.

Psal. 2.

Ergo differentia magna est inter aliòs prophetas & Filium consideranda, tam etsi ipsi quoque prophetæ dicãtur filij, & ipse Christus dicatur propheta. Nam de his ad quos factus est sermo Dei, dicitur: Ego dixi dij estis, & filij Excelsi omnes. Et de Christo est Samaritanæ professio, & cæci nati, & aliorum, quòd propheta esset. Et tamẽ Christus iis nominibus à prophetis distinguitur. Illi enim erant prophetæ, & ipse Filius est. Et verè sic distinguitur: quia ipse est Filius (vt iam dictum est) naturalis, vnigenitus, verus Deus: licet hoc ipsum quod esset natura filius, ea parte qua homo erat per gratiam esset assequutus: dico per gratiam vnionis singularem. Et ideo de nullo alio filio Adam dici potest, eum esse isto modo filium: sed omnes filij sumus per adoptionem tantum ex dono gratiæ superadditæ. Cum ergo fit collatio & cõparatio prophetarum cum ipso vero Filio, non appellantur illi filij, sed serui. Ipse autem Filius dicitur. Istud expresse in parabola vineæ habetur, vbi legimus mississe Patrem familias primùm seruos, deinde filiũ suum. Porrò minime conuenire illum Filium vocari prophetam, tanquam vnum de grege illorum certissimum est: quia ipse longè excessit in ratione prophetiæ omnes prophetas, vt non deputetur in eo ordine & gradu cũ illis, sed supereminеat supra modum. Vnde sicut singulariter Filius dicitur, ita & singulariter Propheta. Et hæc fuit professio Samaritanæ, & cæci nati. Ambo enim prophetam illum dixere absolutè. Nam vnum singulariter prophetam expectabat illa gens: & hic erat Messias. In hoc autem erat singularis propheta: quia cum propheta dicatur videns, ipse summo & excellentissimo modo ea videbat quę erant in arcanis Patris: quia videbat ipsum sicut est, & ab ipso audiebat immediatè, & accipiebat dignus veras (vt ita dicam) audire & reddere voces. Vnde Baptista dixit, Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Dei filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et ipsemet: Ego quod audio apud Patrem loquor. Quod de nullo mortalium fas est dicere. Iccirco summus

Differentia immensa inter Dominum & cæteros prophetas.

Psal. 81.

Io. 4. & 9.

Matth. 21.

Ioan. 1.

Ibid. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

fuit & eximius omnium prophetarum,& non dignus in corũ numerum agregari, qui per somnia, & visus,& Angelorũ illustrationes, & si qui sunt alij modi hominibus conuenientes, oracula accipiebant. Præterea alij de Christo ipso venturo prophetæ fuerunt: at ipse Christus semetipsum enarrauit,& palam, oculos tamen habentibus.

Itaque iam sit hoc expositum, ipsum Dominum Iesum non secundum quod erat Deus, fuisse constitutum hæredem à Patre, sic enim ab æterno fuit Dominus cum Patre,& non via successionis: nec illud quòd esset Filius, etiam per gratiam vnionis hæreditario iure accepit. Nam hæreditas est quid extrinsecum extra substantiam illius qui hęres est, quod illi superadiungitur. Ergo hæreditatis nomine vniuersum Dei patrimonium, quod est extra ipsum Deum, intelligitur scilicet hic mundus & omnis creatura, quæ subiecta fuit Christo, & illi hęreditario nomine acquisita, quanquam non sine lachrymis,& sudore,& sanguine: quoniam ita fuit disposita paterno testamento. Viderunt autem & considerarunt Agricolæ illum, & hoc nomine agnouerunt dicentes: Hic est hęres. Et repleti tamẽ insipientia dixerũt: Occidamus illum, videlicet ne potiatur hęreditate, ignorãtes miseri, quod illo pacto ipse sibi vendicabat hereditatem, qui nõ pepercit animę suę vt obediret Patri (sicut ait Isaias) ad redimendum genus humanum.

Quomodo hæres Dominus. — *Matth. 21.*

Dubitatio.

Dubitabit aliquis: Si Iesus filius Dei erat, nonne ipso iure ad eum pertinebat hęreditas, absque eo quòd Pater instituerit illum hęredẽ,& ipse postularet sibi hęreditatem: & multò magis absque eo quòd pateretur,& sic illam sibi acquireret? Respõdeo: Verè sic erat,& sic fuisset si mundus non peccasset. Nam ipse venisset sua die gloriosus tanquã Vnigenitus ad hęreditatem suam, id est, filios hominum, ad adducendum illos in gloriam, gradiẽns in decore,& potẽs in multitudine fortitudinis suę ex omni parte. Verùm quia intercessit peccatum, oportuit mutari conditionem eius. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, hoc est, iuberet eum se abstinere à gloria sua, & ab hæreditate sua: vt sic exsolueret debita nostra,& sic ipse admitteretur ad iura sua, & obtineret obedientia hæreditatem. Quare quæ iure filiationis illi debebatur, cœpit ei deberi iure acquisitionis: vnde & nos à B. Petro populus acquisitionis dicimur. Sic enim illi fuit dispositum à Deo regnum, vt interim hæres esset institutus ac designatus, sub conditione tamen, cum obedientiam perficeret: adeo vt tunc videatur accepisse diuinitatẽ suam quando perfecto munere redemptionis nostræ instauratus est ipse, & dignas Vnigenito vestes accepit. Tunc enim visus est induere diuinitatem, cum induit vestes gloriosas,& Deo dignas. Ideo illi post absolutum redemptionis nostræ munus, dictum est: Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem,& diuinitatem,&c. Nam tunc quodammodo etiã genitus à Patre dicitur, vt paulò post videbimus. Illa enim prior generatio, qua genitus fuit in infirmitate, corruptibilis, & mortalis, tanquam illo indigna & mox dissoluenda, non computatur quasi generatio Dei, quæ solùm inseruiuit peccato,& à peccato talis processit, quanquã sine peccato, sicut declaratum est. Ne quis autem miraretur vnum hominem fuisse adeo sublimatũ, vt fuerit hæres vniuersorum, mox ad hanc admirationem tollendam adiecit Apostolus:

Nota. — *1. Pet. 2.* — *Apoca. 3.*

Per quem fecit & sæcula. Ac si expressius dixerit: Quid miraris hunc fuisse constitutum hæredem vniuersorum, cum hic sit ille per quem etiam fecit sæcula ipsa? quoniam Christus verbum est illud æternum, per quod omnia Pater operatur, & nihil non cum illo, aut per illum producit, nisi ipsummet Filium, quem generat solus. Reliqua omnis creatura (mitto hîc Spiritum sanctum qui cum illis operatur) per ipsum verbum facta est. Quod ergo hîc dicit, Sæcula, significauit vniuersam creaturam quæ sæculis continetur, & quodammodo quasi certis durationibus comprehenditur. Et fortè dixit, Sæcula, vt non solum tempus significaret, sed etiam æuum. Nam neque tempus, nec æuum æternum est: sed cum suis creaturis sunt concreata, sicut distinctè declaro loco suo. Sed quidam aiũt hîc dici sæcula facta per ipsum, vt intelligeremus tempus non esse æternum, quemadmodum plerique ex philosophis existimarunt: quod non admodum placet. Non enim erat opus mentionem particulariter facere de tẽpore, an fuerit creatũ, cùm si non erat vlla creatura permanens, non poterat fingi fuisse tempus, quod accessorium est creaturæ,& absque motu non potest intelligi. Ergo sæculorum appellatione magis veniunt creaturæ, quæ sęculis, id est, æuo, aut tempore cõtinentur, quam ipsum tempus, more scripturæ. Sic enim dicitur quòd Demas dilexit hoc sæculum, id est, creaturas huius sæculi: & quòd Deus iudicabit sæculum per ignem. Et nota conuenientiam: quia per illum decens fuit sæcula instaurari, per quem facta sunt prius & condita ab initio.

Author in com. Genes. — *2. Tim. 4.*

Verùm istud forsitan ac meritò mouebit aliquẽ, quo pacto dici potuit Christus hæres Patris, si propriè hîc agitur de hæreditate quæ venit ex testamento. Oportet enim vel ipso Apostolo teste, ad hoc vt firmum sit testamentum, intercedere mortem testatoris: sed Pater non moritur: Quomodo ergo ad Filium iure hæreditario venit hæreditas? Respondeo, Multa dici in scripturis sanctis metaphoricè, nec ita propriè: quemadmodum & in humanis solet accidere. Pro huius autẽ quæstionis intellectu, primò illud cõstare debet, Deum Patrem ideo esse omnium Deum, quia est ipse qui creauit cuncta: sed non minus est Dominus Filius,& amborum Spiritus, quoniam & ipsi cum Deo Patre crearunt. Itaque Christus qua parte erat Deus, id est, secundum diuinam naturam non iure hęreditario siue successionis, habet omnium dominium, sed qua parte fuit homo. Hoc autem dominium non semper habuit, quia quo tempore venit ministrare, & non ministrari, abiectus & miser, ipse potius subiectus fuit omnibus, quàm haberet sibi subiecta omnia. Imò propter hoc meruit subiecta sibi habere omnia, quia ipse prius ex volũtate Dei omnibus se subiecit, & interim quasi condito testamento à Patre, illi sic hæreditatem procurante, fuit institutus hęres vniuersorũ, vt ipse Filius postmodo suo officio & munere functus acciperet hęreditatem vt suam, quasi defuncto Patre, qui omne iudiciũ dedit Filio: & sic Patris loco illud perindè tenet ac si mortuus esset Pater, qui quodãmodo videtur mortuus filio moriente, quo excitato dicitur viuere in illo, cui commisit omnia. Non ergo hæc ita sunt accipienda vt in nobis mortalibus. Nã in nobis, reuera qui succedit alteri ita est dominus, vt ille cui successerit, nõ sit amplius dominus. At Deus non potest desinere Dominus esse,& tamen cum associauerit sibi Filium, quem dominij sui fecit participem,& iura administrationis ei dedit, interim similiter ipse videtur silere ac cessare, & tãquam habere ipsum quasi successorem & hæredem. Veluti siquis pater in vita cõmitteret filio vt omnia gereret ad libitũ se silente, iam diceretur hæredem habere,& successorem in vita, donec finiatur administratio. Sic & Christus qui aliquãdo ei restituet regnum, quando non erit necessaria administratio hæc, sed apparebit ipse Pater Domin⁹, omnia in omnibus. Nõ enim erimus in via,& militia, sed in patria: & apparebit nobis manifestè omnipotens Pater, & cessabit doctrina: quia verè tunc à maiore ad minorem omnes cognoscẽt Dominum, & cognoscentur à Domino: & sicut cognoscentur, ita & ipsi cognoscent.

Quomodo hæres Patris Christus ex testamento viuo Patre.

Hic Christus probatur Deus.

Ex hoc loco manifestè apparet, quod Christus est Deus, per quem sæcula facta esse dicũtur. Nam ex hoc palàm fit, fuisse illũ ante sæcula, per quem facta sunt sæcula. Sed quis ante sæcula, nisi Deus? Et quis potest cum Deo componi ad faciendum sæcula, nisi qui & ipse fuerit Deus, qui & hoc de se testatur: Cum eo eram cuncta componens? Et ideo hic Filius dicitur Ars, & Sapientia Patris, per quem operatur: ita vt quæcunque operatur Pater, operetur similiter & Filius cum illo, vt ipse dixit. Et hoc etiam latius ostẽdens Apostolus & doctor noster, ait:

Prou. 8.

Qui cum sit splendor gloriæ, & character substantiæ eius. Vt hunc Filium esse Deum alio quoque modo, non ab effectu creationis tantum ostenderet, sed à natura ipsa, hæc verba adiecit. De persona enim illa quæ Filius est, rectè dicitur, illũ esse splendorem gloriæ, id est, refulgentiam paternæ lucis. In libro Sapientiæ appellatur candor lucis æternæ,& speculum sine macula: quia in eo relucet omnis gloria Patris & refulget. Hoc autem de nulla alia creatura fas est dicere. Nam si creatura illustraretur à diuina gloria, secundum hunc statum quidem obtenebraretur, & opprimeretur potius ab ipsa Maiestatis gloria. At in futuro statu erit quidem fortis ad recipiendam diuinæ lucis virtutem, pro suo modo tamen. Non enim diuinam prorsus gloriam in se ita recipiet vlla creatura, vt in ea splendere & refulgere possit suscepta ipsa diuina gloria, sed quædam erit participatio pro captu cuiusque creaturæ gloria illustratæ. Quocirca siquis videret animam beatam, non esset propterea beatus: quia non videret lucem illam quæ beatum efficit. Solus Filius totam in se paternam lucem recipit, vt sit expressa & perfecta imago illius diuinæ substantiæ, referens illam, vt sit per illam Patri perfectè similis.

Sap. 7.

Nota.

Quo in loco istud aduertere debemus: Licet ex hoc B. Pauli dicto plures in diuinis hypostases poni videantur: quia si Filius est character paternæ hypostasis, & character ipse similiter hypostasis est, sic verè dici possent tres hypostases, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Tamen quia Ariani per has voces non solùm volebant distinguere personas ab inuicem, sed etiam naturam siue substantiã: ideo à Catholicis hic dicendi modus tanquam suspectus meritò reiectus fuit, de quo D. Hieronymus Damasum Papam cõsuluit. Propter hęreticos enim vel quæ sensum habent bonum à communi sermone reiiciuntur, si in malum detorqueãtur. Et illud insuper nota: quia nescio quomodo Spiritus sanctus dici posset character hypostasium (vt Caietanus ait) quia procedit à Patre & Filio. Primò enĩ iuxta doctrinam B. Thomæ, non propriè dicitur Spiritus sanctus character, siue imago. Hoc enim singulariter Filio competit in diuinis, vt scriptura testatur. Secundò, quoniam non procedit à Patre & Filio vt sunt duo, vel duæ hypostases: sed vt sunt vnum principium. Ideo nec facilè admittitur, esse duos spiratores, sed duos spirãtes. Cum igitur istæ nouæ loquutiones in scripturis non probentur,& à doctoribus sacris non recipiantur, periculosè introducuntur. Hoc siquis alius dixisset minoris authoritatis, silentio obuolui potuisset. At in Caietano non est dissimulandum, vt caueant qui illius doctrinæ sunt dediti, ne in perniciosos imprudenter labantur errores.

In Arianos. — *Notatur Caietanus.*

Portansque omnia verbo virtutis suæ. Portans inquit, cum ipse sustineat & regat, seu moderetur omnia scilicet quæ simul cum Patre condidit verbo virtutis suæ, seu potentiæ, aut potius omnipotentiæ suæ. Nisi enim sua virtute cuncta portaret, protinus & dilaberentur, & mox soluerentur in nihilum. Hoc tamen verbum quo portare dicitur omnia, cum non natura, sed voluntariè proferatur, commune est toti Trinitati. Sicut enim Pater volens dicit, vt quid fiat ab extra, & fit quod dicit propter omnipotentiam suam, quæ est in verbo voluntatis suæ, ita ipse Filius Patri internus eodem verbo dicit, vt quid fiat ab extra, & fit quod dicit propter omnipotẽtiam eiusdem verbi, quod simul profert etiam ipse Spiritus sanctus.

Dicere Dei, variũ esse.

Vbi considerandum diligenter, ipsum dicere Dei internè esse, non ab impulsu voluntatis. Licet enim dicat volens, non tamen per voluntatem dicit. Et si hoc dicto perfecto, & à toto diuinæ potentiæ conatu procedente, sempiternum generat Pater & exprimit Verbum, quod est Filius: & hoc solius est Patris, videlicet sic dicere vt generet. Tum ipse Pater iam Filio æternaliter genito, simul cum illo per voluntatem spirans internè & toto conatu, reddit sibi Spiritum sanctum aliam personam: & ita iam sunt tres personæ, in quibus adhuc est potestas dicendi vt producant ab extra, non internè, quod semel est factum & expletum: quia totam æternitatem illa expressio complexa est.

Quod ergo ita dicitur, vt aliquid exprimatur & producatur, seu emittatur foras, ab omnibus personis dicitur, idque per voluntatem tribus communem. Nam eadem est voluntas per quam dicunt: & idem verbum quo dicunt. Hoc ergo communi verbo, quod est vniuscuiusque personæ in solidum, ipse Filius portat omnia, dum cuncta conseruat, & omnibus suam tribuit virtutem & operationem. Nam eiusdem est conseruare, cuius fuit creare: & eodem modo conseruat quo creauit, nimirum verbo. Ecce ergo radix paternæ

Universidad de Deusto Biblioteca

diſpoſitionis & ratio, cur hunc hominem hæredem ſuum conſtituerit, nimirum quia ipſe idem Deus erat de Deo, lumen de lumine, verbum æternum cõceptum atque expreſſum de mente illa æterna, ſubſiſtens, & ſubſiſtentiam primam referẽs tanquam imago expreſſa paternæ ſubſtantiæ, per quem & facta ſunt, & portantur, & reguntur ſecula. Quid poterat altius dicere, vt oſtenderet illum per omnia ſimilem & æqualem Deo Patri? Similitudo enim in charactere & refulgẽtia paternę gloriæ agnoſcitur: æqualitas verò in poteſtate creandi, & ſuſtinendi, regendique creata. Quare meritò illi homini, quãdo talis erat, & tantus per gratiam, etiam per gratiam communicatum fuit (quaſi hæreditas) paternum dominium vniuerſorum.

Et ne quis diceret: Qua igitur de cauſa non habuit ſtatim ab initio, cùm venit in hunc mundum hæreditatem iſtam, ſed ſolùm deſignatus eſt hæres? Huic tacitæ obiectioni reſpõdens Apoſtolus, rationem huius facti interpoſuit ſubiungens: *Purgatione peccatorum* (Græcè additur, per ſemetipſum) *facta, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*, ac ſi dixiſſet apertius: Arduum interim negotium habuit, quod non compatiebatur ſecum hãc dignitatem, & poteſtatem: imò exigebat, vt interim deponeretur ab illo dominio ſuo, quantumuis ad illum iure ipſo citra vllum aliud teſtamentum pertineret, donec expleret hoc perneceſſarium noſtræ redemptionis opus. Rectè ergo dicitur per ſemetipſum feciſſe peccatorum noſtrorum purgationem. Hac etiam via obtinuit quod alioqui ei debitum erat, imo quod & illo opere acquiſiuit: vt duplici iure illud habeat. Et iſtud eſt ſedere ad dexteram in excelſis.

Nec eſt verum quod hîc ait Caietanus, nõdum accepiſſe Chriſtum poteſtatem omnium vt exequatur, ſed eorum tantùm quæ in cœlis ſunt. Propter quod (inquit ille) dicit Apoſtolus, quòd ſedet ad dexteram Dei in excelſis, & non dixit in terra. Hoc enim eſt contra ipſum Domini verbum poſt

Matt. vlt.

reſurrectionem aientis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ad quid, rogo, data eſſet poteſtas, ſi non ſimul datum fuiſſet ei exequi? Imò hæc fuit eius hæreditas, vniuerſorum ſcilicet, vt ait Apoſtolus. Cum autem Vniuerſum dicitur, nihil excluditur: ergo etiam executio concluditur. Licet autem multi exiſtant qui non credunt euangelio: & item multi Chriſto non ſubdantur præuaricantes præcepta, non tamen eximuntur propterea à poteſtate eius & regimine. Daturi ſunt enim ei meritas pœnas ſuo tempore, & non effugient. Nam & in iudicio reprobi non ſubdentur illi per volũtatem. Imò amplius quid addo, hoc dominium (de quo nunc loquimur) pertinens ad gubernationem eccleſiæ militantis, ceſſaturum poſt

1. Cor. 15.

iudicium. Et hoc voluit ad Corinth. Apoſtolus dum ait de Chriſto: Cum reſtituet regnum Deo & Patri, tanquam qui iam conſummauerit omne negotium. Ita enim oportet eum regnare, donec ſub pedibus eius poſuerit inimicos ſuos: ſicut latius à nobis declaratum eſt in ea epiſtola. Nec obſtat

Luc. 1.

illud Angeli verbum dicentis, Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Poteſt quippe facilè intelligi, quòd non erit huius regni finis in hoc ſæculo. Sic dicitur ſacerdotium eius in æternũ, cui ſacerdotio etiam regnum coniunctum fuit: & tamen in cœlis non vltra erit officium illius ſacerdotii.

Tantò melior Angelis effectus, quantò differẽtius præ illis nomen hæreditauit. Hic Apoſtolus ob iſtam gratiam cõparat Angelis ipſum Dominum, & in comparatione eminentiam, & incomparabilem eminentiam oſtẽdit à nomine quod hæreditauit. Hoc autem nomen eſt Filius. Ait ergo: Ipſe Filius effectus eſt tantò melior, ſeu præſtãtior Angelis, quanto differentius, & pręſtantius nomen hæreditauit, vt Filius diceretur. Quo in loco in memoriam reuoca quæ paulò ante diximus, quomodo non videtur Filij nomen (videlicet cum effectu) accepiſſe, antequam hæreditatem conſequeretur, vt eſſet hæres omnium: quod fuit in reſurrectione. Et certè ſecundum primam ſanctificationem, per quam facta eſt vnio naturarum in diuina hypoſtaſi, verè Ieſus ab initio & in primo conceptionis ſuæ inſtanti erat Filius Dei, & Deus. Quia tamẽ perfectam, & Filio Dei conueniẽtem gloriam non habuit quantum ad corpus, quouſque tandem cõſummatus eſt per paſſionem & reſurrectionẽ, cum antea corpus haberet ignobile & corruptibile, & ipſe omni ex parte tẽtationibus ſubiectus eſſet, infirmus carne, mœrens & lugens propter ſponſam. Ideo non in ſua perfectione Filius Dei dici poterat, nec ſuper Angelos omnino gloriari, qui & illis aliquo modo (teſte B. Dionyſio) quantùm ad regimen in hac vita mortali ſubiectus fuit, & indiguit à quodam illorum cõfortari in tædio, & agõne ſuo, vt teſtatur

Luc. 22.

Euangeliſta. Quid mirum cum & Matri ſuæ ſubditus fuerit, & nutritio ſuo Ioſeph? Cum verò à mortuis reſurrexit, & accepit gloriam ſuam ſanctificatus perfectè, tunc & diuinitatem viſus eſt accepiſſe, & Dei formam, & (vt ita dicam) filiationẽ. Nam tunc à Patre genitum fuiſſe, & ſic filium factum, & ſic hoc diuinum nomen hæreditaſſe dicunt ſcripturæ, vt ipſe Apoſtolus docuit, & alij Apoſtoli illo pſalmi teſtimonio: Ego hodie genui te, ſicut iã diximus, & ſuo loco poſt videbimus.

Cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu, Ego hodie genui te? Hoc ſcripturę loco intẽdit probare Apoſtolus quæ induxerat de præſtantiſſimo nomine, Filius, quod hæreditauit, nulli prorſus Angelorum donatũ. Et ea ratione probat: quoniam in ſcripturis nuſquam inuenitur cuiquam Angelorum hoc dictum. Verùm iſtud quidem argumentum ſatis debile prima facie videtur: imo hæreticorum proprium, qui nihil prorſus volũt admittere, quod non à ſcripturis probetur. At tu pie lector claram agnoſce differentiam: Hæretici ipſi ita volunt omnia expreſſa eſſe in ſcripturis, vt quæ ex illis colliguntur vehemẽtiſſima argumenta non ſuſcipiant, ſed reſpuant. Et præterea, hæretici etiam illa negant, & de iis contendunt, quæ ſancta tradidit ac recipit Eccleſia: & conſequenter quæ à Spiritu ſancto fuerunt inducta, quanquam in ſcripturis non reperirentur. Quis enim ſcripturas tradidit niſi Spiritus ſanctus? Cum hoc igitur ex ſcripturis acceperimus, ductore Spiritu ſancto ita regi eccleſiam in quibuſdam vt errare non poſſit, vbi quid in eccleſia traditum ac receptum videmus ad fidem pertinẽs, & Dei cultum, omnes ſilere debemus, & cum veneratione ſuſcipere, tametſi

Pro traditionibus & obſeruationibus in eccleſia, contra hæreticos.

non euidenter appareat in ſcripturis: ſicut veri Catholici ſemper fecerunt. Tertiò tandem dicimus

Nota diligenter.

ad rem noſtram, argumentum hoc, Non habetur in ſcripturis, ergo non eſt, tunc rectum eſſe, & vim ſuam obtinere, quando illud quod negatur in ſcripturis haberi, tale eſt ac tãtum, vt dignum eſſet ibi haberi ſi verum eſſet: quemadmodum in re propoſita accidit. Si enim tanta eſſet eminentia alicuius Angeli, vt verè filius Dei vocaretur & eſſet, minime debuerat in ſcripturis taceri, ne ſuus illi debitus honos à mortalibus denegaretur, ſed tribueretur. Quã ob rem rectè arguitur non eſſe: quoniam ſi eſſet, omnino commendatum fuiſſet ſcripturis, aut ſaltem aliquo modo in eccleſia receptũ, quam Spiritus ſanctus tanta ſapientia regit, & omnia in illa ſic moderatur, vt nihil velit omnino ad conſolationem fidelium deeſſe, nedum in neceſſariis magnis myſteriis, ſed etiam in iis quæ ad cultum diuinum illuſtrandum atq; augendum pertinẽt. Quanta enim videmus progreſſu & beneficio temporis in eccleſia acquiſita, quæ tamen ſi conferãtur cum ea dignitate talis Angeli (ſi is fuiſſet) minima videri poſſint? Non igitur fit vlla ratione (vt diximus) credibile, Deum nos ea cognitione carere voluiſſe, quæ erat ſe digna, & nobis vtiliſſima, vt noſceremus præfectum cœleſtis exercitus ducem, & veneraremur, & illius opem imploraremus.

Verùm hîc denuo obiiciet aliquis de Angelis, quos in ſcriptura habemus apud Iob, filios Dei ap

Iob 1.

pellatos. Quomodo ergo hoc in loco dicitur, nullum eorum ita vocatum eſſe, cum nedum eorum aliquis, verùm etiã omnes filij Dei ſint dicti? Imò

Pſal. 81.

& hoc de hominibus habemus: Ego dixi dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Et ipſe Dominus docet nos,

Matt. 6.

vt orantes dicamus: Pater noſter qui es in cœlis, &c. Ad quæ omnia reſpondetur, ſubtiliter loquutum eſſe Apoſtolũ, ac ſi expreſſius dixiſſet: Quanquam & multi Domini, & dij multi ſint, & ſic in ſcripturis vocentur propter adoptionem & participationem gratiæ, attamẽ ille ſingulariter vnicus eſt & verus Filius propter eminentem, ſingularem, & conſummatam ſanctificationem. Ideo nulli Angelorum ſingulariter datum fuit hoc nomen, vt Filius diceretur: nec vllus ſingulariter ſic vocatus à Deo Patre in ſcripturis legitur.

Imò verò cum audimus dictum ſingulariter vni, Filius meus es tu, iam niſi hebetes prorſus ſimus, facile accipimus non de communi filiatione hoc dictum fuiſſe: quoniã aliquid ſingulare huiuſmodi ſermo ſignificat, ad ſingularem perſonam ſingulariter directus. Nam in eo pſalmo iuxta Hebraicam veritatem ſic legitur: Narrabo ſtatutũ, ſiue decre-

Pro intellectu pſalmi ſecundi.

tum. Sunt enim verba Filij volentis Dei cõſilium, & prædeſtinationem, ſiue ſtatutum aut decretum de ſeipſo manifeſtare. Et exprimens decretum illud, ait: Dominus dixit ad me, non ad alium quenquam, ſed ad me ſingulariter. Filius meus es tu: ego hodie genui te. Hodie (inquit) eam diem ſingulariter ſignificans, quam fecit Dominus, quando Filiũ ſuum Spiritu ſancto perfectè genuit. Genuit autẽ eum quodã modo, cum eundem ſuſcitauit, & illi gloriam ſuam reſtituit, gloriam quaſi Vnigeniti, & ſic apparuit quomodo erat Filius Dei verus.

Quid ſignificat, hodie, in ſcripturis.

Quod ergo dixit, *hodie*, ſignificat illum Dominicum diem, quando à mortuis ſurrexit Dominus: qui dies ſanctificatus eſt nobis, & merito illum in hoc toto mortali noſtro ſæculo celebramus. Eſt enim illud, *hodie*, de quo in alio pſalmo: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Eſt inquam illud, *hodie*, in quo ipſe intrauit in requiem ſuam, vt eam nobis daret ſimiliter laborantibus & ſudantibus, vt qui boni æmulatores fuerimus, quò in nobis compleatur ſanctificatio, ſicut in illo, *hodie*, decretum illud, & prædeſtinatio Patris de Filio, quam ipſemet enarrauit, cõpleta fuit. Tum enim (vt ſæpe diximus) accepit dona quæ erant Vnigeniti propria, & ſic fuit conſummatus. Hunc locum nobis ad iſtum ſenſum expoſuit ipſemet Apoſtolus in Actis Apoſt. dicens: Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres noſtros facta eſt, repromiſſionem: quoniam hãc Deus adimpleuit filiis eorum reſuſcitãs Ieſum, ſicut & in pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Act. 13.* Vide quàm manifeſtè hunc locum ad reſurrectionem, quæ eſt quædam generatio, aptauit Apoſtolus. Nam & nos regenerari tunc dicemur cum reſurgemus, vt ait Dominus: In regeneratione cum venerit filius hominis, &c. Et eorum verborum ſenſus eſt, quaſi manifeſtius dixerit Pater: Hactenus non apparuiſti Filius, nec vſque adhuc Angeli mei viderunt in te ſpeciem Filij glorioſam qua ad tempus caruiſti, & ego te illa priuaui volentem & obedientem, tuis te ac tantis ſpolians dotibus tanto Filio conuenientibus, vt fratrum redemptionem impleres: at ego hodie genui te. Hodie, inquam, qui eſt dies requietionis meæ & tuę ab opere mundi nouo quod patrauimus, non iam condendo, quem olim condidimus, ſed reſtituendo, & reparando quod erat collapſum. Hodie ergo cũ excitaris à mortuis, genui te: vt ſis Primogenitus in multis fratribus, & primitiæ reſurrectionis, quæ eſt quædam generatio. Etenim illud nunc verè fit perfectè, quod dum in terris agere, de te ſum teſtificatus in nube. Hic eſt Filius meus dilectus, in *Matt. 17.* quo bene mihi complacui. Ea enim quæ perdita erant, mihi omnia tua opera ſunt reſtituta. Et quod tuum erat, tuæ obedientiæ proprio merito conquiſiuiſti, vt & tibi duplici iure reſtituatur gloria tua. Poſtula igitur à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.

Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium. Caietanus ex hoc loco authorem huius epiſtolæ auſus eſt reprehendere: vnde & ſimul colligit non fuiſſe B. Paulum, qui locum illum de Salomone loquentem torqueat, ſiue trahat ad Chriſtũ. Cuius audacia in reprehendendo tantum, & tantæ epiſtolæ authorem, quàm ſit reprehenſibilis viderint alij. Quàm verò indoctè reprehenderit, facilè eſt demonſtrare. Verus enim & eximius huius loci ſenſus de Chriſto eſt, qui in Salomone illo intelligitur. Nam Chriſtus verus rex, & verus Salomon, id eſt, rex pacificus fuit, & non ille, in cuius perſona hæc dicebãtur, quæ perſona alium ſignificabat. Nam quomodo illi Salomoni poterãt quæ ibidem ſubiiciebantur, ad literam conuenire? Dicitur enim ipſi Dauid à Domino: Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, *2. Reg. 17.* ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtere tuo, & firmabo regnũ eius. Ipſe ędificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronũ regni eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsque in sempiternum. Et ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.

Quomodo, inquam, conueniunt hæc Salomoni, qui suscitatus est in diebus Dauid, & egressus erat de vtero eius? Pollicitatio autem Domini implenda post obitum Dauidis exprimitur: Et cùm dormieris, inquit. Et quomodo item conuenit Salomoni quod sequitur: Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum? Hæc vni & soli Christo cõueniunt, teste Archãgelo Gabriele, qui Beatissimę Virgini dixit: Et dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Vide vt per sedem Dauid intellexit Angelus id, & nuntiauit, quod illis verbis promissum fuit ipsi Dauid, id est, illud quod in eius sede, & regno figuraliter intelligebatur. Erat enim typus regni Christi: & in hunc modum intelliguntur scripturæ. Non enim Salomon ædificauit domum Deo, sicut testatur Propheta: Quam domum ædificabitis mihi? Adhuc & nos ita sumus pueri necdum ablactati, vt putemus Deum in manufactis templis habitare? Hunc errorem Athenienſibus sufferre voluit beatus Apostolus: Deus, inquit, qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habibitat, &c. Christus ipse ædificauit Deo veram domum, ecclesiam suam. Nos enim regenerati, verum & viuum Dei templum & dicimur & sumus.

Luc.1. *Isa.vlt.* *Act.17.*

Quæstio. Sed rogabunt: Nunquid illud Christo attribui potest, quod subditur in Salomonem: Si iniquè aliquid gesserit, arguã eum in virga virorum? Christus enim nec peccauit vnquã, sed nec peccare poterat. Imò & hoc inquirere, & solutionẽ ignorare, nihil est aliud, quàm se prorsus imperitum in scripturis ostendere. Satis nanque & hoc competit in Christum, quem debemus mysticum cogitare, & in quo vniuersa contineatur ecclesia, quæ est corpus eius: & tamen per eum parcitur delinquẽtibus in illo existentibus. Vnde statim sequitur: Misericordiã autem meam non auferã ab eo, &c. Quod vt intelligeremus, ipse Dauid in Psal. hoc idem oraculum enuntians, in hunc modũ introducit Deum tanquam de se loquentem, in quo tamen Christus intelligitur. Ipse inuocabit me: Pater meus es tu, Deus meus susceptor salutis meæ. Et ego Primogenitũ ponam illum excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli. Si autem dereliquerint filij eius legẽ meam, & in iudiciis meis non ambulauerint. Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, &c. Vbi vides quod in libris Regũ dicitur, Si iniquè aliquid gesserit arguam eum, in eo psalmo, quatenus hoc refertur ad Christum, exponitur sic, Si dereliquerint filij eius legem meam, &c. Et in reliquis idem prorsus est oraculum, vt videre licet: quia promittitur ipsi Dauid Christus, & regnum eius in æternum (vt ipse Angelus Gabriel declarauit) quàm manifestissimè.

Solutio. *Psal.88.*

Quamobrem facere non possum quin ægrè feram & doleam, huiusmodi argumenta quæ non sunt noua, sed olim ab hæreticis nobis obiecta, iterum excitari à nostris. Sic & Iulianus apostata arguit in B. Matthæum ex eo loco, vbi enarrat Christum eiectum fuisse in Ægyptum per Herodem, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. Nam eum locum ad literam loqui de populo Israel, & non de Christo contendit. Et non vidit infœlix in eo Christum, & qui sunt in Christo intelligendos esse mysticè, & iuxta verum sensum & principalem. Non secus autem in proposito. Totum enim quod ibi de Salomone legitur, applicatur ad Christum, iuxta intellectum Spiritus, qui vsus est illa persona, & illo nomine Salomon tanquam quodam tenui velamine & inuolucro, vt intus Christus abditus, & corpus eius ecclesia sancta Dei, à fidelibus & beatis oculis mira cum voluptate cerneretur. Et rectè dixit:

Ego ero illi in Patrem, &c. Verba sunt promissionis ista pro eo tempore, quo introducitur primùm à Patre in orbem terræ, qui ad mysterium redemptionis respiciebat: vt tum demum eiusmodi impleretur promissio, cum perfectum illud redderet opus, quod mandatum ei fuit vt faceret. Nam autea cum nõ fuerit quodam modo Deus, sed minoratus ab illo, non habuit illum in Filium, quem dereliquit vsque ad mortem velut peccatorẽ. Neque Christus ipse ausus est vti iure filiationis, vt exoraret eum pro sua salute: sed quasi peccator & reus delicti patienter subiit furorem Patris velut exranei & hostis, quo eum nobis placatum tanta patientia redderet.

Et cum iterum introduxit Primogenitum in orbem terræ, &c. Dum ergo dicit, *Et cum iterum*, significat eundem bis introductum esse in orbem terræ: Primum vt peccato satisfacturus, & quasi vnus ex nobis, qui posset super se ponere iniquitates omniũ nostrum, vt illas deleret in carne sua. Sic enim decuit vt ille fieret sicut vnus ex nobis, accipiens formam serui cum Deus esset, & in forma Dei, iuxta prædestinationem suam: quia primus noster parẽs in eo peccauit, qui malo suo & nostro damno concupiuit fieri quasi vnus ex diis, quemadmodũ Dominus meritò exprobrauit ei: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, &c. Considera, piè lector, antidotum. *Gen.3.*

Primò, vetus Adã fieri voluit quasi vnus ex diis, & ita peccauit, & factus est caro peccati: & in illo cõstituti sumus omnes peccatores. Venit vnus ex diis veris, & ipse verus Dei Filius, & factus est quasi vnus ex nobis, non caro peccati, sed similis carni peccati propter passiones & miserias vitæ huius, & sanctificauit nos in seipso delens peccatum, & iustificans nos. Sic enim factus est ille redẽptio nostra, & sanctificatio nostra. Secundò ergo post consummatũ hoc opus introducitur tanquam verus Filius, sicut reuera erat, & Vnigenitus in decore, & fortitudine: qui & paratus accinctusque est ad iudicium, vt appareat illa persona vnus ex Tribus, cui regnum & iudicium est demandatum. Vnde Psalmista: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Et iterum: Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Christi ad peccatum Adæ antidotum. *1.Cor.1.* *Psal.96. & 98.*

Aliæ huiusmodi sententiæ leguntur in scripturis, quæ nobis Christum repræsentant in gloria sua accinctum ad iudiciũ, quando cutuabitur ante illum omne genu, & omnes Angeli eius adorabũt eum. In Hebræis tamẽ non legitur, *Angeli eius*, sed simpliciter, *omnes Elohim*, Apostolus dicit, *omnes Angeli Dei*, vt ostenderet de quibus Angelis loqueretur psalmus: quoniam non de Angelis satanę, sed Dei. Angeli enim satanæ subiiciẽtur velint nolint, non autem adorabunt. Nam minus essent miseri, si adorare possent: sed retrorsum cadent, & ruent in combustionem sempiternam. Vocauit, *Primogenitum*, quoniam ipse prior resurrexit perfecta resurrectione: vt & Primogenitus & primitiæ mortuorum resurgentium sit, & iure optimo dicatur.

De Angelorum dignitate. *Et ad Angelos quidem dicit*, scilicet scriptura, non Pater: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Ecce in quo est dignitas Angelorũ, qui licet sint spiritus, eos tamen facit Angelos, id est, nuntios suos. Et cum sint flamma ignis (quibus verbis natura & vis illorum maximè actiua significatur) facit suos ministros. Sed dignior est qui recumbit, quam qui ministrat. Recumbit autẽ Christus in dextera Patris, & illi assistunt ministrantes. Legimus enim vel statim ab initio post peccatum, fuisse iussu Dei ad locum paradisi Angelum Cherubim collocatum, & flammeum gladium atque versatilem. Per quæ opinor eorum virtutem intelligi fortẽ atque agilem in hanc materiam nostram corpoream. Puto insuper significari naturam illorum spiritualem valdè similem diuinæ naturæ, & ex qua ipsi producti sunt quodam modo, sicut ex igne flamma. Non tamen qui ex substãtia Dei processerint, sicut ipse Filius ex substantia Dei processit: sed ad ideam nobiliorem quàm nos alij homines sunt formati. Eorum igitur dignitas quantum ad nos attinet, finitur in ministerio: per illos enim dirigimur in salutem. Nec tamen sunt propterea nostri domini: aut tali suo ministerio id merentur, vt acquirant super nos dominiũ. Nam nos erimus cum illis velut socij & conciues in paradiso. Illud ergo proprium Filij fuit, scilicet exaltari vt recumberet, qui humiliauit semetipsum vt ministraret. Vnde opportunè sequitur:

De natura Angelorũ, & gratia.

Ad Filiũ autem (inquit, videlicet scriptura) *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*, & sic construitur, O Deus, thronus tuus est in sæculum sæculi, id est, sempiternus. Minime dubium est in hoc veteris scripturæ loco Christum vocari Deum. *Virga æquitatis, virga regni tui*, Per virgam, seu sceptrum æquitatis, regalem intellige potestatem atq; iudicium, quo & in malos infertur vindicta, & bonis redditur præmium: hoc enim habet æquitas. Vnde rectè ipsemet ad Thessalonicenses ait se gloriari in illis de patientia eorum & fide in omnibus persequutionibus, & tribulationibus, quas sustinebant ad exemplum iusti iudicij Dei, vt digni haberentur in regno Dei, &c. Tunc enim in ea virga tandem maximè apparebit hæc æquitas, cum ipse veniet per semetipsum iudicaturus, & redditurus vnicuique iuxta opera sua prout gessit in corpore bonum vel malum.

Christus Deus. *2.Thess.1.*

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Si iustitiæ est tribuere ius suum vnicuique: & maximè quę ipsi Deo debentur honor, & gloria, & gratiarum actio: Et ex aduerso, iniquitatis est contra facere. Illud quidem Christus eminentissimè fecit, qui dilexit iustitiam tribuendo Patri suo honorem, & gloriam in omnibus & obediendo illi: qui consequenter summo odio habuit iniquitatem, quando videbat inhonorari Dominũ Deum suum, & propter hoc etiam exaltari meruit ad regiam coronam.

Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis. Quid est vngi? Idẽ enim est Christus quod vnctus. Itaq; cum ad ipsos reges pertineret vnctio, ob eã causam significatur, vnctũ illum fuisse in Regem, vt esset Rex noster. Ita construatur litera. Propter ea ô Deus (manifeste Christũ Deum vocat) Deus tuus Pater vnxit te per Spiritũ suum sanctum: vnxit autem oleo. Sed quidnam est hoc oleum? Declarat exultationis oleum esse & gaudij. De quanam re? De bello, de victoria, de triumpho in diabolum, in mundum, in carnem, in mortem, de spoliorum ereptione à manu hostis, de inferorum traductione, de apertione cœlorum, de ingressũ cum triumpho in gloriam. Et benè dicit, *Præ participibus tuis*, seu præ consortibus tuis, hoc est, ante omnes qui de tuo Spiritu ac donis participarunt. Nam alij omnes longè post eum, & ex eo, eiusque plenitudine & exundantia acceperunt, vt ait Præcursor magnus Ioannes Baptista. *Christus vocatur Deus.* *Ioan.1.*

Et tu in principio Domine terram fundasti, Hæc verba ad Christum pertinere, & de Christo dici tradit Apostolus. Quo in loco illa coniunctio, *Et*, est nota consequentiæ, & accipitur pro, *Quia*, vt sit sensus. Meritò tu vnctus es, & super omnia constitutus: quia tu ab initio Domine, terram fundasti. Et propriè dictum est, *fundasti terram*, videlicet vt staret, & non inclinaretur in sæculum, sed super eam cætera stabilirentur. Et hoc in principio factum dicit, videlicet in principio temporis, quando fuit lux: tunc omnia elementa facta sunt ex illa prima inuisa materia. *Hoc explicat fusius Author in cõ. Gen.*

Et opera manuum tuarum sunt cœli. Per manus Dei, potentia ipsius quæ ad praxim redacta est, significatur. In manib' enim residet artis exequutio, quę sunt propria operationum instrumenta.

Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes vt vestimentum veterascent. Quomodo peribunt cœli? Dicunt plerique quantum ad motum localem.

At hoc non est perire, neque veterascere, quod ad interitũ tendit, vt ait Apostolus inferius: Quod veterascit, prope interitum est. Præterea B. Petrus epist. 2. cap. 3. de cœlis hoc testimonium reliquit: Aduenient dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient: elementa verò calore soluentur. Terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, accelerantes aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos verò cœlos, & nouam terram iuxtam promissum ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Adhæc, Dilectus in Apoc. Vidi nouum cœlum, & terram nouam. Primum enim cœlũ, & prima terra abiit. Et Isaias: Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam. Et ipsemet Dominus noster, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Ex his ergo scripturarum testimoniis, nisi prorsus velimus verbis

De dissolutione cœlorũ, & terræ combustione. *Apoc.2.* *Isa.65.* *Mat.24.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quis cœlorum vsus post iudicium.

vim afferre, cogimur fateri futuram verè aliquam magnam cœlorum alterationē per ignem, & non tantum solam motus cessationem, per quam alterationem noui quodammodo fundentur cœli, & longè fient pulchriores, quàm nunc existãt. Quòd si rogas: In quem tandem vsum? Hoc certè diutur niore eget inquisitione, aut verius specialiori reuelatione. Nisi verò piè dicere velimus, futuros esse quosdam homines super hanc nouam & amœnissimam terram, qui nec cœlo, nec inferno digni inuenientur: quemadmodum quidam non abiti; magnis rationibus tradunt, & ego quidem recepi, & credo non inuitus.

Et velut amictum mutabis eos (seu circumuolues) *& mutabuntur*, Non potest hoc de solo motu locali intelligi. Non enim verè mutari, nec alia fieri vlla res dicitur, ea solummodo ratione quòd cesset à motu. Græcè ἑλίξεις, id est, volues.

Tu autem idem ipse es, Christus post vitæ mortalis cursum iam idem manet, & omnino manebit, nō amplius passurus vllam corruptionem, aut mutationem. Vnde & sequitur: *Et anni tui non deficient*, Per annos istos metaphoricè perpetua eius duratio intelligitur. Et de illo loquitur secundum eam partem qua homo erat: quia etiam sic nō amplius subiectus est morti vel vlli mutationi, sed in sua carne immortali iudicaturus omnia, qui perfectè fuit sanctificatus à Patre, vt perpetuo esset gloriosus. Quanquam & ab initio caro illa corruptioni obnoxia & mortalitati, speciali priuilegio sic sustē tata est, vt nullam videret corruptionem. Intelligo autē cum illis carne etiam illam Benedictæ Matris carnē: Ipsi enim erant vna caro. Nimis quippe duri sunt & increduli, quicunque de Matris Dei perfecta glorificatione adhuc dubitant, post testimonia tanta, & tot doctorum, & communem sanctæ ecclesiæ sensum, ac spiritum piorum.

Priuilegiū carnis Christi, & Matris.

Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, &c. Non ergo sedent Angeli à dextris Domini in potestate super omnia, sicut Christus, cui datum est regimen totius ecclesiæ sanctæ. Neque sancti Angeli dominantur ecclesiæ, sed ministrant ad nutum ipsius Domini nostri. Hæc autem sessio erit vsque ad tempus postremi iudicij, quando restituet Iesus regnum Deo Patri, vt aliàs testatur Apostolus, & iam ex parte diximus. Obiiciet fortè aliquis & dicet, alios quoque homines eandem dignitatem & potestatem habituros. Nam B. Paulus ait: Et conresuscitauit nos, & consedere fecit in cœlestibus.

1. Cor. 15.

Ephe. 2.

Verùm facilis est obiectionis huius dilutio. Alter est enim Christi gradus, alter cæterorum: quos vt manifestissime Apostolus ostenderet, in illa ad Ephe. epistola in hunc modum scripsit: Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus (domini nostri Iesu Christi Pater) gloriæ det vobis spiritū sapientiæ & reuelationis in agnitionē eius, illuminatos oculos mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. Vide reliqua vsque ad finem primi capitis, vbi multifariam, multisque modis animaduertere potes eminētiam Iesu per fortissimam Dei operationē, qui suscitauit eum à mortuis, & gloriosum constituit & potentem supra omnem principatum, & potestatem, & dominationē. Ecce igitur quot nomenclaturis (vt ita dicam) extollit eum, vt agnoscamus quæcunque talia dicūtur de aliis, non cum ea eminentia debere intelligi. Sumus quidē filij Dei, sumus dij, dicimur lux, & huiusmodi multa: sed longo post illum interuallo. Hæc singulariter, & eminenter, & principaliter de illo dicuntur: de nobis autem gradatim & posterius, & participatione propter illum. Quamobrem neq; Angelorum est hęc dignitas interim, vt subiiciantur eis inimici eorum diabolus, mundus, peccatum, mors, sed soli Christo. Vnde subdit de ipsis Angelis:

Nonne omnes sunt administratorij spiritus, &c. Ecce quomodo Angeli nihil habēt in nos potestatis & dignitatis, nisi vt ministrēt nobis, id est, iis quibus salus est disposita in hæreditatem. Porrò aduertendum, non deesse qui per hos volunt tantùm prędestinatos esse intelligendos, vt propter illos solos administrarent. Nos autem & de aliis quoq; præter prædestinatos, dicimus obuenire omnibus pos se hæreditatem. Ministri nanque salutis sunt facti Angeli propter omnes, etiam eos qui re ipsa non capient: modo ad hoc ordinati fuerint, & propria culpa non exciderint. Omnes enim ordinati sunt in Christo, nisi nouo peccato mereantur ab eius prouidentia subtrahi. Et propterea B. Thomas rectè, & cōmunis schola, & antiqua Patrum traditio docet, vnicuique hominum datum esse Angelum custodem, qui adiuuet ad æternam salutem.

Nota.

Illud nunc in quæstionem venit: Quomodo dicat omnes spiritus missos, cum de solis quinq; ordinibus inferioribus mittantur, vt quidam volunt. At ea consideratione dicuntur omnes mitti, quoniam qui adueniunt, ab aliis superioribus mittuntur, vt de illo Seraphim ad Isaiam misso habemus, ex B. Dionysio.

De missione Angelorum, & varia eorum dignitate.

Nec tamen est inconueniēs, si illi summi Angeli in summis diuinarum operationum tractatibus etiam ipsimet proprij mittātur, vt (quod fœlix faustumque mihi obiecro sit) de Gabriele, quem inficiari vnū de summis nefas esse arbitror, qui venit in propria persona ad annuntiandum summum euāgelium immaculatæ Virgini: quo mysterio nullum maius potuit excogitari, vt vel illius annūcian di celsitudo potuerit à maximis Angelorum desiderari, & (si fieri posset) etiam ambitiosè, & inuidia quadam sancta æmulari atque solicitari.

Gabriel vnus ex primis Principibus.

Non possum igitur in eorum conuenire sententiam, qui Angelum Gabrielem in secundo ordine tertiæ hierarchiæ collocant. Idem & de Michaele censendum, quem omnino primum omnium Angelorum natura, & gratia existimo. Sic enim ab ecclesia ferè expressim in cultu ipso diuino traditur. Inuocatur enim primus post Beatissimam Virginē in litaniis. Secundus verò ipse Gabriel, post quem sequitur Raphael. Hos autem tres esse opinor primarios principes ante omnes Angelos, postquam nobis colendos nominatim tradidit ecclesia, quæ in huiusmodi à Spiritu sancto nullo prorsus errore dirigitur. Et reuera nullo pacto est rationi consentaneum, si essent alij superiores, quin Deus non reuelasset, vt ipsi prius nominatim colerentur: præsertim postquam reuelauit Filiū suum. Imo & credo istos Angelos Michael, Gabriel, Raphael, tres esse de illis septem, quos B. Ioannes in sua Apoc.

Apoc. 1.

septem Spiritus vocat, & prēcipuos testatur, vtpote qui proprius assistant in circu throni Dei. Certè Raphael dixit Thobiæ: Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem qui astamus ante Dominū. Et Beatissimus Gabriel: Ego, inquit, sum Gabriel, qui asto ante Deum, peculiarem quandam proculdubio assistentiam innuēs: alioqui nihil dixisset. Sed Raphaelis verba clara sunt. Vnde interpretes demiror, qui extraneè exponunt, & literam gratis destruunt.

Tho. 12.

Luc. 1.

CAP. II.

PROPTEREA abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè perefluamus. Si enim qui p Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prēuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tātam neglexerimus salutē? Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portētis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens: Quid est homo quòd memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eū paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autē necdum videmus omnia subiecta ei.

Propterea abundātius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus. B. Paulus cum eminentiam testamenti noui & sancti ex industria declarauerit ab eius authore Christo, quem cœpit conferre cū Angelis, & ostendere longè esse præstantiorem: nūc explicat finem ipsum ad quem intendebat. Voluit enim Hebræos ita erudire, vt longè magis etiam attendere deberent ad hoc testamentum, propter ipsius authoris excellentiam, & eius obseruare verba & præcepta, quàm sermonem Angelorum, per quos data fuit lex in manu mediatoris Moseos. Qua in re si aliter facerent, subindicare eis magnū periculum studuit, addens: Ne fortè perefluamus aut perfluamus, id est, ne veluti aqua dilabamur nō manentes in Christo solidi. Et in hunc modum à maiori ad minus argumentatur:

Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, quoniam Dominus Deus nihil eius legis prætermisit absque implemento veritatis abire, siue illud spectaret ad promissiones, siue comminationes contineret, *ita quod omnis prēuaricatio accepit iustam mercedis retributionem, &c.* Vide quo modo nūc confert prēuaricationem cum prēuaricatione, nō solum respectu authoris promissionum, verùm etiam respectu ipsarum met promissionum. Nam in veteri testamento fuit promissio terræ illius: quā promissionem qui spreuerunt per incredulitatem, meritò illam amiserunt. Ob id enim sic exacerbatus est Dominus vt non sit eis relictus pœnitentiæ locus: quæ latè patēt Nume. xiij. & xiiij. Nam quicunque murmurarunt, & noluerunt ascendere in terram illam, mortui sunt & prostrati in deserto, nec introierunt: imo ducti pœnitentia, & volētes postmodo ascendere, ne ascenderent sunt prohibiti. Cum ergo in nouo testamento contineatur regni cœlorum promissio, æterna salus, & vita fœlicissima, nonne multò magis merentur qui illam spernunt, vt & ipsi amittant, & spernantur, & rideantur, & subsannētur? Id proculdubiò est æquissimum. Ideo ait: Quomodo effugiemus, si nos tantam neglexerimus, & tanto pretio sanguinis Iesu nobis comparatam & oblatam salutem? At ne ali qui dicere possent: Nos minimè audiuimus prædicationem Domini ad huius salutis beneficiū participandum nos vocantis, Apostolus respondens occurrit:

Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, &c, id est, cum non ab Angelis inchoata sit enarrari ista salus, sed à Domino, cuius ore cōfirmata est, & postmodo ab eis qui loquentem illum audierunt tradita, & communicata nobis.

Quòd si fortè obiicias: At vnde mihi constare istud potest, illos ex ore Domini enarrauisse: Respondet inde certissime sciri posse: quoniam Dominus Deus contestatus est eorum sermoni, signis, & portentis: ita vt rectè possimus & verè dicere etiam nos audisse eundem loquētem, qui verbis & doctrinæ Apostolicæ testimonium de cœlo dabat. Quo in loco aduerte: Si vetus testamentum ministratum est in signis per Mosen, multò magis decuisse ministrari testamentum nouum in omni virtutum & signorum ostensione. Nam ipse Dominus ea se fecisse, quæ antea nemo alius vnquam fecit, testatus est. Et de Apostolis quid putandum est, cum dixerit illis Dominus. Amen amen dico vobis, qui credit in me, quæ ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet: In Actis Apostolorum varia signa, & portenta narrantur, quæ Apostoli & alij faciebant, vnde sermo eorum confirmabatur.

Ioan. 15.

Ibid. 14.

Porrò dubium hic oritur, Quonā pacto B. Paulus se inter eos ponere voluerit qui non à Domino euangelium acceperint, sed ab iis qui audierūt ab eo, cum tamē ipse in principio epistolæ ad Gal. tanto spiritu dicat se neque ab homine, neque per hominem didicisse, sed per Iesum Christum, &c. Caietanus ista coniectura, imo argumento super omnem coniecturam (vt ipse ait) adductus est, vt hanc epistolam indubie crederet nō fuisse à B. Paulo scriptam. Ad hoc autem respondet Theophylactus, B. Paulum humilitatis gratia sic loquutum, qui seipsum quodam modo cū aliis de vulgo admiscere non dedignatur, cum non esset hic locus de seipso enarrandi, ad Hebræos præsertim scribens, ne excitaret quorundam aduersum se inuidiam. Neque hęc sic dicuntur mendaciter, quoniā charitas facit omnia communia. Licet ita absque scrupulo dici posset, appositius tamen, & iuxta B.

Caietanus.

Theophylactus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pauli verba congruentius dici arbitror, non eam esse Apostoli hoc in loco mentem, vt significare voluerit se esse edoctum ab iis qui à Domino audierunt (hoc enim fuisset falsum) sed ait in se confirmatam fuisse salutē per eos qui audierunt: quod verum fuit. In primis enim vt confirmationē suæ salutis acciperet, ad Ananiam ire iussus est, vnum ex discipulis Domini: quem ipse Dominus de Paulo admonuerat, & ab eo audiuit quid vellet Dominus, & ab eo baptismum simul recepit & visum, vt B. Lucas testatur. Ecce signa & portenta. Quāquam non omnia, sed ex innumerabilibus pauca enarrat nobis scriptura: quæ tamen abundè sunt satis, vt locum viro prudenti faciant ad coniectanda alia longè maiora & excellentiora.

Act. 9.

Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurū, de quo loquimur. Apostolus probans Christi excellētiam præ Angelis (quoniam Angelis non subiecit orbem terræ futurum) dicit orbem terræ futurum respectu prioris orbis terræ, non quasi in substantia sint plures mundi, & orbes terræ, vt fatui quidam suspicati sunt, sed respectu conditionis. Nam prior mundus, seu prior orbis, intelligitur respectu primi pacti violati, cuius mundi princeps inuenebatur diabolus. Futurus autem mundus intelligitur posterior, qui restitutus est in gratiā, ereptus de manu diaboli, & conciliatus Deo, quātum fuit in Christo, cuius orbis pater dicitur ipse Christus. Nam & Isaias vocat illum patrem futuri sæculi, & pacis principem. Hic orbis terræ traditus est Christo & subiectus, vt quem redemit de manu diaboli, & lucratus est. Et primò quidē traditus illi fuit, vt redimeret. Hoc ipsemet antequam pateretur testatus est, dicens: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et, Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis, &c.

De futuro orbe.

Isa. 9.

Luc. 10.

Ecce quomodo omnia illi tunc erant tradita, videlicet ad redimendum ac saluandum. At postmodo vbi iam ea redemit, data sunt illi omnia vt hæreditaret. Quam ob causam dictum est illi: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Et ipsemet post resurrectionem ait: Data est mihi omnis potestas & in cœlo, & in terra. Itaque alius orbis meritò is dicitur, qui alium Patrem, & alium Dominū habet. Primi orbis pater erat primus Adam: secundi secundus Adam Christus. Primi orbis princeps diabolus, qui primum patrem superauit. Secūdi orbis princeps Dominus Christus, qui diabolum victoria insigni vicit, & ab eo prædam eripuit. Vnde & ipsemet testatus est: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicitur foras, ab illo scilicet fortiore qui superuenit, & eripuit vniuersa arma eius in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Et istud est quod superius dixit, fuisse hæredem vniuersorum constitutum. Quare opportunè subdit: *De quo loquimur.* Nam de hoc orbe est sermo, cuius & Dominus & Pater factus est Christus Redēptor omnium ac Saluator. Aliud quoque scripturę profert testimoniū, aiens:

Mat. vlti.

Ioan. 12.

Luc. 11.

Testatus est autem quodam in loco quis, dicens. Confirmat authoritate ipsius scripturæ quæ de orbe futuro dixerat, qui Filio subiectus est, vnde ait:

Locus psalmi difficilis.

Testatus est autem quodam in loco quis, Mirum videtur cur nominatim non citaueric librum Psalmorum, sed indefinitè dicit, quodam in loco. Nec itē nominauerit authorē psalmi, sed ait, quis, seu quidam. Nonnulli ea ratione factum existimant, quoniam loquebatur cum doctis, quibus peruia sunt scripturarum loca, potissimum psalmorū, qui omnium fermè terunrur manibus.

Alij autem dicunt, vt ostendet nihil referre in scriptura quis, aut qualis sit scriptor, cum primarius scripturæ author sit Spiritus sanctus. Hanc rationem affert D. Gregorius, & rectè, de libro Iob: quicquid dixerit Caietanus, qui aliter circa præsentem epistolam docuit, inferens consequi, si nescia tur esse B. Pauli, eam non esse canonicam. Cuius errorem cum pleriſque aliis nos alibi (vt illa nimia audacia merebatur) confutauimus. Sed ad rem nostram.

D. Gregorius.

Fortè igitur nec authorem, nec locum scripturę quem citat, & vnde testimonium sumit voluit nominare Apostolus, vt excusationem mihi ac meis similibus in hoc cōpararet, qui magis rem & sententias, quàm loca ipsa, & authorum expressa nomina plerunque solemus attendere. Alius quidā exponit, B. Paulum ita loquutum, vt innueret Angelum ipsi Dauidi reuelantem: quia Dauid ex reuelatione loquebatur: ac si dixerit. Quidam Angelus dixit, illud scilicet quod Dauid ab Angelo reuelatum expressit: qui sensus nequaquam displicet. Quicquid tādem sit, locus è psalmo notus est, & psalmus est Dauid. Nam Christus ex eodē psalmo illud adduxit: Ex ore infantium, & lactētium perfecisti laudem, citans Dauid. Sed longè præstat locum ipsum intelligere & sensum Spiritus, quàm his quæstiunculis implicari. Ait ergo Psaltes egregius:

Quid est homo quòd memor es eius? Digna sanè de ipso homine admiratio, cum sit inter spirituales creaturas quatenus mēte pollet, in vltimo gradu. Quatenus autem caro, nihil est aliud quam belua: & eò etiam deterior, quo caro naturaliter superiorē partem ad se inclinat. Vnde pronus redditur homo ad malum ab adolescentia sua. Nam scienti bonum subito lis exoritur: & quod non vult, cogitur operari malum, vtpote cui in tali statu caro dominatur. Qui si ignoret bonum, & ipsa lux tenebræ sint, in ipsum profectò malum præcipitanter fertur. Cum ergo sit homo talis naturę, idque sua propria culpa & delicto, non videbatur diuinæ Maiestatis esse, vt aliquam Deus curam atque solicitudinem vlterius de illo susciperet, nec amplius post delictum illud & summam ingratitudinem recordaretur eius, cum multo tempore videretur traditus obliuioni. At cum misit Filium suum, tunc verè recordatus est, vt ait Zacharias: Et memorari testamenti sui sancti. Et Beatissima Virgo: Recordatus misericordiæ suæ. Et apud Isaiam: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non miseretur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui. Id ergo cum in spiritu cerneret propheta, admiratur, & ait:

Miseria & calamitas hominis.

Luc. 1.

Isa. 49.

Quid est homo quòd memor es eius? Et addit: *Et Filius hominis quoniam reputas eum?* Hunc hominis filium vocat Iesum. Vbi videtur esse admiratio de Christo, qui sic esset Filius Dei dilectus. Dicunt ergo aliqui, fuisse in hoc admirationem quomodo filius hominis ita esset vsitatus à Deo, vt fieret Filius Dei

& Deus, per beneficium incarnationis. Sed hoc non placet: quandoquidem per Filium hominis intelligitur ipse Christus, & sic iam Deus incarnatus. Quare super eum non cadit hæc visitatio per incarnationem, quæ in ipso iam præsupponitur. Melius est ergo vt intelligatur de visitatione, qua ipse indiguit, scilicet vt visitaretur à Deo in miseriis & necessitatibus, & eriperetur tandem à morte. Quam obrem nō in hoc erat admiratio, videlicet vt post quam talis esset, visitaretur à Deo: sed in hoc quòd talis existens, eò redactus esset vt indigeret huiusmodi visitatione. Nam Christus ita debuit esse à principio, vt non opus esset ei visitari. Filius autē hominis singulariter esse dicitur, non (vt putauit quidam) quoniam natus erat ex sola Matre, non habens Patrem, & sic ex homine, non ex hominibus: ad differentiam eorum qui in scripturis dicuntur filij hominum. Nam & alij in scripturis, iuxta hebræam veritatem, dicuntur filii hominis, & non hominum. Siquidem, Filij Adam, singulari numero, non plurali in hebræis codicibus legitur. Nec perperam interpretatum est, Filij hominum, quia in Adā mas & fœmina intelligitur Præterea, Christus filius τοῦ ἀνθρώπου, legitur in Græcis: quod significat hominem marem (vt articulus perspicuè indicat) non fœminam. Dico igitur potius in eum sensum esse intelligendum, vt quemadmodum Christus est filius Dei modo quodam singulari, non aliorum cōmuni: & ideò singulariter filius Dei vocatur, vt singularis indicetur filiatio: alij autem plurali numero filij Dei, vt cōmunis generatio significetur: Sic, inquam, & ipse singulariter Filius hominis vocatur, vt cogitetur singularis modus filiationis. Non enim ex vi seminis conceptus fuit, sed de Spiritu sancto. Neque carnem accepit peccati, sed similem carni peccati innocentissimus, & idoneus ad expiandum peccatum. Prosequitur ergo tāquā huic respondens admirationi Apostolus:

Quomodo filius hominis dicatur Christus.

Minuisti eum paulominus ab Angelis. Hic primùm quæri solet, Quonam modo Christus paulominus est ab ipsis Angelis imminutus? Si respondeamus, natura: quoniam secundum naturam humanā paulò inferior est Angelis, cū natura humana sit contigua superiori naturæ, quæ est Angelica. Contra hanc intelligentiam occurrunt duo: Primum est, Non videri ob istam causam propriè dici de Christo esse illum ab Angelis imminutum. Non enim imminutus, seu minoratus quis verè dici ideo debet, quia eius conditio minor sit quam altera natura: sed tum demum, si ab eius natura, & conditione aliquid sit subtractum. Aliud quod occurrit, istud est: Licet hoc concedamus, intellectum humanum paululum à natura cæterorum intellectuum spiritualium declinare, quid sentiendum secūdum carnis passionem: Etenim non solùm parum, sed valde multum declinat homo à conditione Angelorum. Homo autem non est solùm intellectus siue anima intellectiua, sed etiam caro. Vnde & caro dicitur & dicimus: Verbum caro factum est. Ergo secundum hanc partem, quam potissimum venire in considerationem oportuit, cum mirum in modum attrahat ad se animam indignis rebus ob plurimas ipsius carnis necessitates mancipandam non modico minor Angelis dici potest homo, sed admodum minor.

Difficilis locus exponitur.

Mitto non esse apud scripturas vsitatum, neque secundum sapientiam Spiritus, vt doceant nos naturales rerum conditiones: quænam scilicet maior sit, quæ minor: quin potius dignitates personales. Quamobrum hæc expositio mihi iam quadrare nullo pacto potest.

Sunt pleræque aliorum diuersæ expositiones qui aliter & variè hunc locum interpretantur. Ego verò in qua nunc intelligentia magis cōquiescam, breuiter absoluam. Puto enim propriè Christum minoratum, seu minutum dici ab Angelis respectu suæ dignitatis, à qua minoratus fuit. Dignitatis dico, quæ illi debebatur cùm esset Filius Dei. Cuius rei gratia debuit gloria & omni honore statim à principio coronari. Verū cùm opus redemptionis nostræ necessariò efflagitaret, vt ad modicum differretur debita illi hæc gloria sua, interim minoratus, siue imminutus, & exinanitus inuentus est, vt pote accepta serui forma, qui in decretis diuinis futurus erat in forma Dei speciosus, sicut Vnigenitus summi Patris. Itaque dispensatione quadam hoc illi accidit, vt sic minoratus existeret: sed istud quidem ad modicum (videlicet) tempus. Et hoc non obscurè dicitur Græca lectione, βραχύ, id est quiddam modicum: quod cum & ad tempus ipsum referri possit (vt eruditi, qui Græcam linguam norunt, non ignorant) nos etiam ad tempus liberter referimus: & omnia plane & citra vllum scrupulum incedunt. Nam si illud, in quo fuit minor Angelis, consideretur, id certè magnum, non paruum fuit. Attamen ipsum integrum malum, habita temporis modici & breuis ratione quo duraui, parum fuisse censeri potest.

Quomodo Christus minoratus ab Angelis.

Est autem alia lectio, quæ habet, Paulominus à Deo, quoniam, Elohim, Deum significat. Quade re multæ & acres concitatæ sunt turbæ, & rumores. Exclamauit enim valdè ob istam causam Iacobus Faber, contendens mala consuetudine in templis fieri, quæ aliam lectionem obseruant, videlicet? Minoratum ab Angelis, & non potius, à Deo. Contra hunc Erasmus multis agit. Caietanus Fabro potius adhæret. postquam B. Hieronymus in eum modum vertisse legitur, videlicet à Deo, non ab Angelis. Nos verò vt nec hanc lectionem abiicimus: ita nec priorē, quæ B. Lucæ authoritate fulcitur, ducimus prætermittēdam, qui fermè ab omnibus hanc epistolem in Græcum sermonem vertisse creditur. Et, Elohim, vox hebræa sæpe Angelos, & eximias quasdam personas significat. Non tamen rem absonam, & hæreticam sequimur, quā commentus est Caietanus, videlicet Christū ideo esse imminutum à Deo, quia fuerit Deus personaliter, non natura, siue essentialiter. Hanc positionē vt execrādam meritò reiicimus. Quomodo enim qui Deus est personaliter, non sit natura, siue essentialiter Deus? Et quomodo qui minor est Deo, potest dici paulò minus minoratus ab illo, cū quodcunque sit minus Deo, in immensum sit illo minus? Noua hæc sunt, prophana, & vel primo audi tu absurda.

Iacobus faber.

Erasmus.

Caietanus.

Caietani grauissimus error.

Dicimus ergo Christum à Deo, id est, à diuina, & sua cōditione minoratum secundum naturam humanam, paruo tempore, id est, eo tempore quo mansit in terris absque gloria sua, vt perficeret redemptionem nostram. Nam dum esset mortalis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& corruptibilis,& patiens infirmitates hominum diuinitati suæ atque maiestati incõgruas atque indecẽtes,videbatur à sua Deitate minoratus: sed ad modicum,quia pro modico tẽpore. Hunc sensum nobis & aperit,& probat scriptura apud Isaiam c. 54.vbi legimus:Ad punctum in modico dereliqui te,& in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscõdi faciem meam paululum à te,& in misericordia sempiterna misertus sum tui, dicit Dominus Redemptor tuus. Et quanquam de membris ibi loqui Prophetam obiicere valeas,si tamen idem de ipso Capite intelligamus, quod ad modicum derelictum est spinosum,nihil repugnabit. Imo nos ad ipsum Caput conformati in hoc ipso sumus.Nam paulopost vera sunt facta de Christo ea quæ subsequuntur:

Isaiæ pulchrum oraculum.

Gloria & honore coronasti eum. Hæc,inquam, vera post resurrectionem facta sunt:quo tempore coronatus est gloria. Intrauit enim in gloriam suam dotes corporis recipiens.Tũc honorem verum & perfectum accepit ab Angelis, super quos exaltatus,ab eisdem adoratus est,sicut præscriptum erat: Adorent eum omnes Angeli Dei.Tunc & constitutus est super omnia & tanquam Domino subiecta sunt ei omnia,qui accepit quodammodo diuinitatem suam, ea omnia recipiens quæ diuinitati conueniebant.Hoc autem erat tandem (vt sæpius dicendum est)gloria corporis,sine qua videbatur nõ Deus,sed quasi vnus ex nobis.Item accepit potestatem,omnium,quos sibi propterea meruit habere subditos: quoniam ipse cum esset natura super omnes,semetipsum subiecit omnibus.Pari similitudine diceremus illum non esse Regem, qui vestibus non indueretur regalibus:nec vteretur regia potestate vt præesset,quin potius subderetur, videlicet mundi regimini,& carnis miseriis,& diaboli tentationibus,& mortis stimulis & imperio. Atqui omnia hæc longissimè abesse debebant ab eo decoro & splendore,qui tantæ (quanta est diuina) conueniebat maiestati:Nam regia dignitas sic imminuitur.

psal.96.

In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. His verbis B.Paulus Apostolus doctor noster probare voluit, ipsos Angelos Christi imperio ac ditioni fuisse subiectos, cum dicat nihil dimissum non ei subiectum. Ad Corinthios autem hoc declarans ait, cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Nam Pater non subiecit semetipsum illi. Hoc enim nimis est absonum vel audire.

1.Cor.15.

Quid iam Christo,& quid nondum subiectum.

Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. Verè subiiciuntur ei cœlestia, & inferna. Cœlestia enim & inferna parent ad nutum & tremunt: aliter tamen lõgè atque aliter.Illa enim amore & reuerentia:hæc verò cum horrore,& insania. Sed restare adhuc videtur aliquid nondum plenè ei subiectum,homo videlicet terrestris,qui non seruat eius mandata,& tamen viuit, & prosperatur in via sua faciens iniquitates. At talis non euadet tandem quin sit daturus illi suo tempore pœnas, quem sic oportet regere suauiter ecclesiam & sapienter.Nõdum enim adest tempus,quo sunt auferenda zizania:ne fortè,vt ipsemet præmonuit, eradicetur simul & triticum.Adiuuat enim plerunque malorũ hominum improbitas viros bonos ad perfectionem, qui tanquam aurum per ignem examinantur atque probantur.Nondum insuper (cum minimè in filiis præuaricatoris fieri conueniret) eradicatum est prorsus in nobis peccatum,id est,concupiscentia illa ad malum alliciens. Nec item adhuc ei subiecta est mors ipsa,quæ videtur assiduè potestatem suã in nos exercere.Sed veniet tempus,quũ videbimus hæc omnia subiici ei,quando curuabitur ante illum omne genu.Vt autem intelligamus hæc fore quæ non videmus,arguit per ea quæ perfecta esse & impleta videmus.Vndè sequitur:

Matth. 13.

Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum,vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.Decebat enim eum propter quem omnia,& per quẽ omnia,qui multos filios in gloriã adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari.Qui enim sanctificat,& qui sanctificantur,ex vno omnes. Propter quã causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis:in medio Ecclesiæ laudabo te.Et iterum:Ego ero fidẽs in eum. Et iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.Quia ergo pueri cõmunicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperiũ, id est, Diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquã enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret,& fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.In eo enim in quo passus est ipse & tentatus,potens est & eis qui tentantur,auxiliari.

Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, &c. Hoc igitur est quod videmus,Iesum,id est,Saluatorem illum verum qui salutem mundo attulit, quique minoratus fuit paululum ab Angelis propter passionem mortis accerbissimæ decoratũ omni gloria.Propterea enim in hanc horam venit vt pateretur:& ob eã causam minoratus est (βραχύτι) ab eis,vt paulo antè explicauimus.Nam passio illius cum ipso vite incepit exordio: sicuti & nobis quoque accidit,qui vbi primum nascimur, statim mori incipimꝰ. Videmus,inquã,eũ Iesum gloria & honore coronatũ. Istud enim in sua resurrectione apparuit,quã resurrexit gloriosus,nõ omnino vlterius moriturus:que viderũt Apost.&multi discipulorũ& fratrũ.Visus est enim plusquã quingẽtis fratribus simul(vt alibi B. Paulus testatur) quem & ipse quoque postmodo vidit.Sed toti mundo postea apparuit in prodigiis,portentis,& signis,&(vt hîc dicitur) variis Spiritus sancti distributionibus.

1.Cor.15.

Possumus & aliter interpretari,& sic textum aptare vt istud, *propter passionem mortis*, cum sequentibus in hunc sensum coniungatur, fuisse illum scilicet propter passionem mortis honore coronatum & gloria:quoniam per hoc quod est passus Iesus,id est, Saluator & Redẽptor noster, illa honoris & gloriæ corona donatus est. Quapropter meritò de hoc vno dicitur, datum illi esse nomen quod est super omne nomen, in quo omne genu flecti oporteat.Et ob eam causam fortissimo Spiritus sancti decreto fuit in cruce superscriptũ, nec postulantibus tamen inuidis & vrgentibus,circunscriptũ,*Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*:quo tempore maximè ei conuenit.Aduerte autem: Licet de Christo homine dicatur propter communicationem idiomatum,id est, proprietatum ratione vnitatis personæ,esse per ipsum facta omnia, hoc tamen secundum diuinam naturam intelligendum, non modo vllo secundum humanam, cum non esset ille homo tunc,qui quantumuis fuisset, quatenus sic, non fuisset Creator. At in ipsius mundi instauratione hoc illi conuenit etiam secundum humanam naturam,vt dicatur Pater per ipsum Redẽptor,imò & ipse Saluator, atque Redemptor per seipsum,qui sanguinem proprium fundendum dedit,& carnem in mortem pro mundi vita. Qua in re acquisiuit sibi gloriam & honorẽ, quem aliter non habuisset quatenus homo, nisi passus fuisset. cum minime fuisset Redemptor. Quo factum est vt duplici nos iure habeat subditos.Primo quatenus est Deus:quia creator,& glorificator.Tũ quatenus homo:quia mediator,instaurator,& acquisitor nostri,tanquam strenuus pugnator in bello,victor,& magnificus triũphator.Rectè itaque adiicitur causa, quamobrem fuerit ab ipsis Angelis pro modico tempore minoratus, nimirum ista subsequẽs:

Vt gratia Dei pro omnibus, siue pro Vniuerso, vt Græca vox indicat, *gustaret mortem*, Et hic accipe, Vniuersi appellatione, visibilem hunc mundum, qui est homo:cuius gratia cætera omnia facta sũt. Vt ergo gustaret mortem pro nobis, sic minoratus est,idque gratia Dei.Vel quia Deus non necessario,sed gratiosè illud ita ordinauit,scilicet in gratiam nostri.Imò & in gratiam Filij sui,cui cessit in maximam gloriam,vt quæ suo iure possidet, adhuc ampliori iure eadẽ possideat. Et nihilo secius totum pertinet ad Patris gloriam, qui sic ordinauit cum Filio & Spiritu sancto. Vel dicamus illum Dei gratia mortem gustasse:quoniam ipse Dominus qui gustauit mortem,Dei gratia principaliter gustauit,& fecit.Hoc enim sponte elegit,primum quidem vt obediret Patri:deinde vt illo pacto sibi gloriam suo conflictu & victoria acquireret saluãdo nos:in quo fuit excellens gloria & honor, quẽ ad alium neminem peruenire voluit. Honorem meum (inquit) nemini dabo. Et Isaias in persona Domini rogatus.Quem mittam? respondit: Ecce ego,mitte me.Sic ergo Dominus gratia & feruenti charitate plenus,libentissimè suscepit hoc patern̄um mandatum. Et quomodo coarctabatur donec perficeret illud?Diligenter autem hîc considera, quomodo Christus non gustauit mortem pro quibusdam certis tantummodo, sed pro vniuerso. Et prosequitur Apostolus, vt hac in re decentiam manifestaret:

Isaias 42.
Ibi.6.
Luc.12.

Decebat enim eum propter quem omnia, &c. Græcè legitur,*consummare*,non *consummari*:quanquam & aliter lectum fuerit antiquitus. Testãtur hoc aliqui Græcorum,qui hunc locum sic citarũt, inter quos B.Alexander in Arium, vt habetur in historia tripertita.Sensus ergo iuxta nostram literam est: *decebat consummari*, id est, perfici mediantibus passionibus, *eum*, nempe Christum, propter quem fecit omnia,& per quem sunt omnia.Ratio ergo huius decentiæ est hæc:quia per illum erant omnia, & propter eũ erant condita:quæ cum essent perdita,per illum instaurari debuerunt. *Qui multos filios in gloriam adduxerat*. De ipsis Angelis loqui Apostolum existimo,quibus & pactũ de Christo causa fuit salutis:sicut proprio tractatu enarrauì.Locus sane considerandus omnino,velut sermo fidelis & omni acceptione dignus. Nondum ergo plena erat ciuitas magna Ierusalem ciuibus suis, cum cecidissent homines in ruina illius primi parentis, vt non esset perfectus Christus omnium caput, non habens perfectionem sui corporis, & membrorum:Cecidimus enim (teste Isaia propheta) vt folia vniuersi.

Locus difficilis.

Isa.64.

Potest tamen intelligi de prædestinatis quibusdam,qui cum Christo,post eum tamen,à Deo Patre electi sunt,quos ipse Filius adduceret in gloriã. Nam Græcè reuera non legitur adduxerat,temporis elapsi, sed adduceret. Sic enim legitur:πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα. Hæc igitur erat decentia. Cum secum quosdam ex prædestinatis deberet adducere,nec posset id agere iustè cum essent peccatores iccircò oportuit eum qui esset eorum salutis author,sic perfici, vt pro illis qui soluendo non essent,& tamen erant debitores,ipse qui nihil prorsus debebat,& poterat abundantissime satisfacere,omnia exsolueret:quemadmodum & fecit.Nã in hoc consummatio totius iustitiæ consistit. Quę expositio mirificè quadrat si legatur, consummari.Sin autem legitur,consummare,potest sic defendi lectio,vt quod ait, *Decebat enim*, stet absolutè, quasi dicat.Hoc decens erat nimirum quod sequitur,*Eum propter quem omnia,& per quẽ omnia,qui multos filios in gloriam adduceret*,cum, inquam, authorẽ salutis eorum,*consummare*,id est,perficere(subintelige)hoc ipsum opus,sicut & fecit moriens, & absolutum esse opus,testificans,quùm ipse dixit:Cõsummatum est.Vel hæc sunt ad Patrem referenda ad quem spectabat consummare Filium suũ.Quæ uis harum expositionum vera est,& vix sensu inter se differre videntur.

Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes. Explicatur huius decentiæ ratio:quia Christus sanctificans cum ipsis qui sanctificantur arctissimam habet cognationẽ,quæ cogebat eis esse succurrendum.Omnes quippe tam ille, quàm & nos alij,ex vno prodiuimus,id est,ex Adã.Et licet nullo pacto communicauerit peccato Christus,cõmunicauit tamẽ ipsi carni: & ideo idoneus fuit minister,qui meritoriè pro nobis pateretur. Nam patiiustè ex peccato proprio non est meritorium, vt ait:B.Petrus.In hoc enim meruit, dum iniustè est passus.Potest etiam dici, nos omnes ex vno Deo esse,id est,Christum sanctificantem, & nos sanctificatos,cum & ipse quoque fuerit à Deo sanctificatus. Nam & in terris positus dicebat se ex Deo

1.Pet. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ioan.8. esse,& de sursum,& à Patre sanctificatum. Aposto
&.10. lus vocat eum alibi cœlestem hominem,tanquam
1.Cor.15. de cœlo venientem . Nos etiam tales sumus dum
sanctificamur :quia desuper nascimur similiter ex
Deo per Spiritum sanctum, quemadmodum ipse
Ioan.3. Christus Nicodemum docuit. Vnde aliquo modo
Deus sit Pater communis,vt sit & Christi, & no-
Ibid.20. ster. Ascendo (inquit) ad Patrem meum,& Patrem
vestrum:licet longè ille nobis præstet ob gradum
sanctificationis excellentissimum,qui tantus est vt
Ibid.10. valeat & ipse sāctificare alios. Quapropter aiebat
increpans Iudęos:Si ad quos sermo Dei factus est,
deos dicit scriptura, quem Pater sanctificauit:sci-
licet singulariter per vnionis gratiam , & misit in
mundum,ad sanctificandum alios,vos dicitis eum
blasphemare? Possumus(quod & fortius est,ac ve
rius,& mihi plenius satisfacit) vtranque intelligē-
tiam simul copulare,& vnā efficere. Ex vno enim
primum sumus omnes , videlicet ex Deo Patre:
& adhuc ex homine vno omnes , nimirum ex
Adam patre, ex quo prodiimus eiusdem carnis cū
Christo, excepto peccato : vt ex ista cognatione
quoquo versum accipiatur,rectè sumatur decentia
passionis eius propter fratres suos, quos deseri &
periri non decuit.

Non enim confunditur,id est,non eum pudet, aut
non erubescit,*fratres illos vocare,dicens:Nuntiabo no-
men tuum fratribus meis*.Christus loquitur per Pro
phetam prædicens quod futurum erat , & nos fa-
ctum videmus. Ipse enim illud nomen Dei Patris
annuntiauit discipulis suis : quos ob eam gratiam
fratres vocat , cū ex vno Deo (vt iā explicauimus)
& ex vno homine omnes sumus: vt quos iam fra-
tres secundum carnem habebat, eosdem similiter
secundum spiritum fratres efficeret, & ita absolu-
tè & perfectè fratres. Vnde & B.Magdalenę dixit,
Ioan.20. Vade dic fratribus meis. Et illo modo, *In medio Ec-
clesiæ*,id est, in conspicuis ecclesiæ suæ laudauit Pa
trem gratias illi agens,& ita honorem illi tribuēs,
vt ipse dignus esset in omnibus exaudiri pro hac
sua in Patrem reuerentia,seu pietate. Vocat autem
ecclesiam,vt illam spiritualem coniunctionem in
telliegeremus,de qua alibi: Viri diligite vxores ve
Eph.5. stras,sicut & Christus dilexit ecclesiam,& semet-
ipsum exposuit pro ea. Et paulò post:Sic viri debēt
diligere vxores suas , vt sua ipsorum corpora. Qui
suam vxorem diligit,seipsum diligit. Tū conclusit:
Mysterium hoc magnum est : ego dico in Christū
& in ecclesiam. Sequitur:

Et rursum:Ego ero fidēs in eum. Ista sunt Christi ver
ba,pro nobis apud Patrem interpellantis & signi-
ficantis quanta ageret fiducia in nostrum benefi-
cium,minimè metuens pati repulsam, vtpote no-
bis ea ratione consultum volens , vt suam pariter
causam procuraret , cui non poterat negari quic-
quam.

Etenim tanta eramus cū illo coniunctione colli-
gati, vt dum pro nobis peteret, tota fide excitare-
tur tanquam pro seipso:ac si diceret, Mihi hoc prę
sta,ô Pater:quia ego,& illa pro qua rogo ecclesia,
vnus mecū est spiritus, & vna caro ex ossibus meis
& carne mea. Perpēde fiduciam , & agnosce illam
Ioan.17. qua in oratione vsus est. Pater,inquit,quos dedisti
mihi,volo vt vbi sum ego,& illi sint mecum. Vo-
lo , inquit . Cuius(rogo) est hæc oratio quæ dicit,
Volo,nisi fiducialiter agentis, & ob summam gra
tiam certò,quod velit obtinere, valentis ? In hanc
ergo fiduciam ipse pro nobis venit cum inimici es
semus. Sciendum tamen,à quibusdam existimatū,
hæc verba fuisse olim per Isaiam pronunciata in
co Cant. Confitebor tibi Domine , quoniam ira- Isa.12.
tus es mihi,conuersus est furor tuus,& consolatus
es me. Ecce Deus saluator meus,fiducialiter agam
& non timebo. Si igitur hic locus citetur à B. Pau
lo,videntur verba esse Christi,vt exponuntur com
muniter. Et Theophylactus quidem audacter ne- Theophylactus.
gat esse alterius verba,quam ipsius Christi . Et ta-
men in ipso Cantico quasi alicuius fidelis verba
proferuntur,sicut B.Hieronymus illud enarrās ex B. Hieronymus.
ponit,& benè. Ego verò puto ab Apostolo hūc lo
cum afferri,quò & hic agnoscatur ipsa coniunctio
quę nobis intercedit cum Christo. Qui enim Chri
sti sunt , tales maximoperè fidunt in ipso & auda-
cter, quem veluti Sponsum recognoscūt qui cum
possint fiducialiter agere,& nulla in re iusta time-
re. Quid enim negare valeat dulcissimus Sponsus
dilectissimæ suæ sponsæ?

Et iterū:Ecce ego & pueri mei,quos dedit mihi Deus.
Hæc item sunt verba Christi, qui se quasi Patrem
dicit eorum qui dati sunt illi à Deo , quos faceret
saluos. Nam & sponsa illa prima Heua de ipso A-
dam,vt de quodam Patre,processit . Sic & nos si-
mili forma genuit de costa sua Christus . Et bene
pueros vocat,id est,filios,& adhuc quasi recēs na-
tos. Eodem nomine vocauit eos post resurrectio-
nem suam,dicens:Pueri,habetis hîc pulmentum? Ioan.21.
Oportet enim nos omnes coram Deo fieri noua
natiuitate pueros,vt simus veri Israelitæ sine dolo.
Ad quam nouæ generationis formam ac puritatē
respiciens B. Petrus,hortabatur:Quasi modo geni 1.Pet.2.
ti infantes lac rationabile & sine dolo concupisci
te,vt in ipso crescatis in salutem. Ait autem, *Quos de
dit mihi Deus* , Deus Pater dedit quosdā præcipuos
Christo vt fratres, & amicos peculiares , quibus
omnino salutem cōpararet,& per eos faceret sal-
uos alios multos. De ipsis sic electis & ei datis,ip-
semet dixit:Manifestaui nomen tuum hominibus, Ioan.17.
quos dedisti mihi de mundo. Tui erant: quia ab i-
nitio elegisti eos, non quidem de massa perditio-
nis(vt quidam volunt) sed de massa creationis. Cū
enim & ipsi quoque iam perditi essent , oportuit
eos redimi. Ideo & mihi dedisti,vt scilicet redime
rem & saluarem,docens eos peculiari modo (quē
admodum & feci) qui & sermonem meum serua-
uerunt. Et inferius:Quos dedisti mihi, ego custo-
diui:& nemo ex eis periit,nisi filius perditionis,vt
scriptura impleretur. Noluit enim Deus omnes eo
dem modo per omnipotentiam seruare , sicut eos
de quibus ait:Nemo rapiet eos de manu mea.

Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini.
Quid est caro & sanguis, nisi homo corruptus ip-
se Adam in quo omnes natura sumus? Huic parti-
ciparunt pueri Christi,etiam qui prædestinati erāt
ante mundi constitutionem cum Christo,& in ip
so. Ceciderunt enim omnes , & facti sunt caro &
sanguis,in peccato communicantes, sed vt per Ie-
sum Christum resurgerent,& euherentur in cœ-
lum. Ideo subiunxit , *Et ipse similiter participauit eis-
dē*, Verè & circunspectè ait,participauit illis, non
autem,communicauit carni & sanguini,qui nullo
modo

modo fuit ipse peccator. Non enim carnem pec-
cati accepit,sed solùm pœnas ob peccatum incur-
sas,& per eum luendas. Quocirca naturam huma
nam cum sua corruptione accepit, vnà cum mise-
riis ipsam naturam consequentibus, sine peccato
tamen, vt dictum est. Sic autem factum oportuit,
ob eam rationem quam subdit Apostolus, aiens:
De victoria Christi aduersus diabolum. *Vt per mortem destrueret illum,qui habebat mortis im-
perium,id est, diabolum.* Agnosce diuinū consilium,
& summam Dei atque benignā prouidentiam, &
quàm decēter aptauerit omnia. Diabolus vicerat
hominem , & consequenter princeps eius, quem
superauit in campo,factus erat. Vnde factus est ę-
tiam omnium pœnarum dominus,quę meritò de-
bebātur illi peccato:inter quas erat mors,imò ipsa
sola , quā cæteræ pœnæ cōsequebantur:si de vtra-
que morte,sicut oportet intelligi, carnali & spiri-
tuali intellexerimus. Itaque habebat & mortis im-
perium . Sed venit Christus vt cum diabolo pu-
gnaret, & vinceret eum:& sic illū, & omne illius
imperium destrueret. Et considera,quæso, extre-
mam tandē pugnam. Diabolus Christum ad mor
tem pellexit, excitans membra sua in illum furio-
sissimè. Christus excepit hoc mortis iaculum, &
gustauit illud. Quare in diabolo inuēta est iniqui-
tas, qui voluit illum tanquam mortis reum morti
subiicere(quemadmodum exclamauerunt eius or
gana:Reus est mortis) At nullam Christus mere-
batur mortem , nedum illam ignominiosam. In
Christo ergo inuenta est iustitia,qui Deo prōptis-
simè obtemperauit, nō declinans hoc inimici ia-
culum. Quamobrem ad mortem per diaboli con-
silium,& ad iniustissimam mortem adactus, dum
illā gratanter,& libenter excepit propter gloriam
Patris,cui sic honorem suum per inobedientiam à
nobis illi sublatum, per obediētiam restitueret, &
hoc facto soluens nostrum debitum nos liberaret
à diabolo & morte : merito ipsum diabolū, id est,
eius dominatum destruxit,eripiēs ab eo omne ius
mortis & imperium,& in seipsum transferens.

*Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam ob-
noxij erant seruituti* . Verè homo moriturus seruus
est ipsius mortis,id est, in conditione seruili, quæ
timorem parit. Semper enim expauescit ac refugit
mortem,vt iniquam dominam:& tamen ab ea fla
gellatur assiduè. Nec potest vllus homo ab hoc ser
Quo eripuit nos Christus à timore mortis. uitio eripi: nec est vllus vnquam ereptus, nisi per
Iesum Christum ob certam meliorum bonorum
expectationem,& fidei scientiam , qua nouit ini-
micam tandem destructam iri mortē. Et hinc cer-
tum licet colligere indicium,homines plus nimio
mortem secundum partem superiorem horrētes,
nōdū eos esse sub Christo,sed adhuc sub diabolo.
Vis igitur mortē non pertimescere? Esto sub Chri-
sto,& liberaberis : non quidem vt secundum car-
nem minime doleas,sed ne metuas secundum spi-
ritum. Eris autem sub Christo , si manseris in eo.
Manebis verò,si quæ ille mādauit,implorato eius
auxilio perfeceris. Sed quotusquisque inueniri po
terit qui hæc audiat ? Numerosiores etenim sunt,
qui amore sæculi huius implicantur.

*Nusquam enim Angelos apprehēdit sed semen Abra-
hæ apprehendit.* Audi primum quid dicat,deinde ad
quid dixerit. Dicit ergo:Ipse Christus,diuinū Ver-
bum,secunda illa Persona,*nusquam*,id est, in nullo
scripturarum loco,*apprehendit*,id est,assumit,*An-
gelos*, Est enim præsentis temporis, *apprehendit*, vt
ex Græco verbo ἐπιλαμβάνεται clarè patet. Sēsus ita-
que est,In nullo scripturæ loco habetur , diuinum
Verbum apprehendisse, seu assumpsisse Angelos,
id est,vllum Angelorum,aut cuiusuis Angeli na-
turam, illam scilicet vniens cum sua natura diui-
na in semetipso, tanquam insititio admirabili , &
peritissimi ac maximi artificis: Vnde & ipse meri-
tò admirabilis vocatur. *Sed semen Abrahæ.* Hoc ip-
sum passim inuenitur in scripturis, quomodo ap-
prehenderit,seu assumpserit semen Abrahæ.

Verum quæri potest, cur hic non dixit, Appre-
hendit homines,vt etiam intelligeremus humanā
naturam , sicut supra dixit, *Apprehendit Angelos?*
Respondemus,vnam esse speciem tātum hanc na- *Nota hæc subtilia, & pulchra*
turam humanam: Angelorum autem cum plures
sint species,declarari oportuit,illū non apprehen-
disse vllam Angelorum speciem. Si enim vna tan-
tum species esset Angelorum,dixisset:Non appre-
hendit Angelū. Si ita se res habet,inquies,cur ergo
non dixit, Sed hominem apprehendit, qui potius
dixit,semen Abrahæ? Et nos itidem respondemus,
Idem esse per semen Abrahæ,quod per hominem,
intelligendum. Significat enim illum hominem as
sumptum. Cum autem semen nō dicat personam
(nō enim Verbum assumpsit personam hominis)
ideo quod assumpsit, ita expressit dicens ab eo se-
men Abrahæ apprehensum . Porrò vt significaret
Hebræis maximum Dei erga illos donum,& sum
mam gratiam,prærogatiuamq; singularē,quo ma-
gis viros bonos ad gratam tanti beneficij memo-
riam inflāmaret,& malos atque ingratos homines
ad iustam confusionem induceret:declarauit illud
semen esse Abrahæ,id est,ab Abraham per carnis
venisse propaginē,cui fuit repromissum, & cuius
ipsi Iudæi secūdum carnem erant filij. Vocatur au-
tem semen Christus,vt in quo inesset virtus propa
gandi secundum plenitudinem Spiritus. In eo ve-
rò quod ait:*Non apprehendit Angelos*, prærogatiuā
nostræ naturæ præstantissimam præ illis commen
dat,quatenus nos vehemētius prouocaret ad amo
rem,quos in tanto dono tantis (quanti sunt Ange-
li) prætulit creaturis. Egregiè ergo sequitur:

Vnde,seu quare,aut quocirca,*debuit per omnia fra-
tribus assimilari.* Dictum istud, *per omnia*,minime in
cludit peccatū,quod nihil est,sed boni tantum est
priuatio. Fratribus etenim factus est similis quoad
naturam secundum mala pœnæ: quandoquidem
de eisdem humanæ conditionis pœnis & ęrumnis
præter delictum participauit,& præter errorem at
que insipientiam,quæ ad hoc redēptionis opus ne
dū conducebant,sed contra illi potius aduersaban
tur. Non enim valuisset litare pro nobis peccator
existens,quantascunq; sustulisset pœnas. Sed opor
tuit vt talem carnem passibilem sumeret , *vt fieret
misericors*,id est,misericorditer erga nos afficeretur,
& sic pro nobis ad sustinendū induceretur,*Et simul
fieret fidelis Pontifex ad Deū* i.fidelis expiator pro no
bis,causam nostrā agens corā Deo,semetipsum sa
crificās pro nobis. *Vt repropitiaret delicta populi.* Hic
videtur de populo Iudęorum particulariter loqui,
pro quo primùm ac peculiarius venit,sicut ipse di-
xit : Non veni nisi ad oues quæ perierunt domus Matt.15.
Israel. Aut verius de certo loquitur populo,i. de iis

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui ſuam ipſorum ſalutem non neglexerint. Dicit autem repropitiari peccata, non quaſi peccata vllam mereantur repropitiationē, aut fiat eorum repropitiatio: ſed potius deletio, vt ſic Deo repropitietur homo peccato extincto. Et illum vocat, *fidelem Pontificem*, qui fidē in eo opere fideliter impleno ſeruauit Deo Patri, ad quod illum miſit. Quem admodum enim Moſes dicitur fidelis in ſuo miniſterio: ita & Chriſtus, vt mox viſuri ſumus: ſi modo componenda ſunt cum paruis maxima.

In eo enim in quo paſſus eſt & tentatus, potens eſt & his qui tentantur auxiliari. Dices: Ecquid inde nobis commodi, quidue vtilitatis eſt noſtræ, ſi Chriſtus ipſe paſſus fuerit, ac tētatus? Multum per omnem modum. Ex hoc enim factus eſt miſericors ad cōpatiendum, & promptus ad auxiliandum ſua gratia, cum perſpectas atque cognitas habeat noſtras tentationes, multiplicesque miſerias. Similiter & ij qui nihil ſunt malorum experti, tum demū cum perpetiuntur, facto periculo verè diſcūt miſereri, ac ſuccurere ſociis. Hic locus patere poſſet quæſtionibus, quaſnam tentationes paſſus fuerit Chriſtus Dominus & Redemptor noſter: & quomodo miſericors factus eſt à tentationibus illis. Nunquid poteſt eſſe aliquis Deo ipſo magis miſericors? An verò redditur miſericors ipſe Deus expertus miſerias? Abſit. Quo in loco fatendum eſt, etſi multa ſint quæ miſericordiam inducere ſoleant, prima tamen eſt, & magna prouocandæ commiſerationis cauſa, ipſius miſeriæ notitia. Si enim dolere quēpiam ſim neſcius, non miſerebor dolentis. Nos ergo notitiam miſeriarum efficacius ſenſu & experientia, quàm ratione acquirimus. Non enim facile ſine experientiis in nobis ipſis, rerum naturas, & conuenientia quæque ac repugnantia apprehendimus, vnde & lætitia, & dolor ſuam ducunt originem. Itaque per huiuſmodi experientias à nobis eſt comparanda notitia. At Deus rerum naturæ conditor (licet non experiatur dolores noſtros) omnia tamē magis nouit, quàm noſ ipſi. Scit enim perfectiſſime quantū à naturæ conuenientia quodlibet diſtet, qui ipſius naturæ eſt author. Vnde ipſas rerum exiſtentias quæ ex ipſo fluunt, & conſequenter defectus, ad lineam & ad minutum perſpicit: ideoque poteſt miſereri valdè, abſque paſſione tamen. Verùm decuit Chriſtum vt hominem, per dolorum experientiam viſcera miſericordię ſibi parere, vt & ipſe quatenus homo erga nos afficeretur viuacius, vtpote qui experiētia ipſa ſenſiſſet quæ nos, & quàm acerba mala circunſtent, & (niſi adiuuet) premunt, & opprimunt: & iſta via etiam magis apud Patrem meruit.

CAP. III.

VNDE fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, cōſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſsionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei qui fecit illum: ſicut & Moyſes in omni domo eius. Amplioris enim glorię iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam. Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo, qui autē omnia creauit: Deus eſt. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant. Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua: quæ domus, ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem, firmam retineamus.

Vnde fratres ſancti. Primùm fratres vocat Hæbræos: nam ſic ſe mutuò vocabant Iudæi. Fratris enim vocabulum ex etymo Græcanico cōiunctionem ſonat, & contubernium. Nam Græcè cōuenticulum, vel ſodalitium ſignificat. Et cū omnis coniunctio vel carne conciliāte ſit vel ſpiritu, efficitur vt & fratres appellentur iuxta duplicem hāc conſiderationem. Vtroque ergo intellectu erant. B. Paulo fratres Hebræi, & iuxta carnem, cum ipſe ex Hebræis eſſet: & iuxta ſpiritum, quos eiuſdem religionis vinculum erga Deum colligabat. Sanctos item vocat, hoc eſt, mundos. Sanctus enim idem eſt quod mundus. Reſpectu autem noſtri, id eſt, Gentium, mundi vocabantur & erant ipſi Hebræi. Vnde reliquas omnes Gentes ab eis vocabantur immundæ, & ita erant, donec venit ſanctificator omnium, qui fecit vtraque vnum, vt ſanctificaret omnes. Quapropter multò verius de omnibus Chriſtianis ſanctis dici poteſt, eos eſſe mundos, qui per Agni ſanguinem fuſum purgati ſunt à ſorde peccati, vt mundi perſeuerare poſſint, niſi iterum inquinauerint ſemetipſos. Et hunc intellectum habet hæc litera. Interdum tamen ſancti appellatio ad eos pertinet, qui firmi ſunt, & excellentius mundi, & peculiariter Deo dilecti, vt nō rarò in ipſius ſcripturis accipimus, veluti cum dicitur: Laudate Dominum in ſanctis eius. Et iterum: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Eminentiſſime autem Deus ita ſanctus eſt, vt præ illo quodcunque eſt, ſit immundum. Scriptum eſt enim: Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. Vnde & Seraphin ſumma veneratione ac ſtupore ob immenſam ſanctiſſimę Trinitatis munditiam clamabāt alter ad alterum, Sanctus, Sāctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.

Fratres Hebræi inuicē dicebātur.

Sanctus quid propriè ſignificet.

Ephe. 2.

Nullus præ ipſo Deo ſanctus.

Iob 25.

Iſa. 6.

Vocationis cœleſtis participes. Dicit participes vocationis. Vocatione enim collecta eſt Chriſtianorum multitudo, quæ ob eam cauſam Græca voce vocatur eccleſia, quæ ſignificat collectionem euocatam. Iudæorum erat propriè ſynagoga, quæ vox non aliud indicat quam cōgregationem: non autem includit vocationem vllam. Hæc autem vocatio dicitur cœleſtis, nimirum quæ & de cœlo venit, & quæ eſt cœleſtium bonorū. Nam ad ea expetenda & obtinenda vocamur. Dicit huius vocationis Hebræos eſſe participes: ne fortè propter multas ſcripturas, vbi clariſſime eorum prædicebatur reprobatio, que vel tunc apparebat ex parte, putarent prorſus ſe, & in vniuerſum reprobatos. Neque verò omnes tales erant, ſed ij ſolùm qui in eiuſmodi excœcationē venire ſua culpa iā meruerant. Vnde ad Romanos hoc myſteriū aperiēs dixit: Cœcitas ex parte cōtingit in Iſrael. Vide ergo quot modis, & quā blādè allicit eos, cū fratres vocat, cū ſanctos, cū vocationis cœleſtis ptcipes. Et

Rom. 11.

iterum ſuauiter exhortatur, aiens:

Aduerſus inconſideratos.

Conſiderate Apoſtolum & Pontificem. Ex inconſideratione omne malū. Nam primus noſter parens Adam, dum minime cōſiderauit quid ageret, non ponens ſibi ante oculos mandatum Dei & veritatem, ſeipſum perdidit, & mundum vniuerſum deſtruxit. Item Eſau dum non cōſiderauit quid pro lentis edulio perderet, ad ſeram atque inutilē pœnitentiam ſe redegit. Similiter & omnis peccator delinquit non conſiderans: quia nemo ad malum aduertens, illud vnquam admitteret. Qua conſideratione permotus deuotiſſimus & doctiſſimus Abbas diuus Bernardus ſcripſit egregium librum ad Eug. Papam de conſideratione, non ignorans quantum vel ab ipſis Maioribus hac in parte peccetur. Non deſunt tamen etiam aliqui ita profligatæ mentis homines, vt cogitantes ac volentes animum à conſideratione auertant. Nolunt quippe intelligere, vt benè agant. Ideo Apoſtolus noſter ſedulo monet, *conſiderate Apoſtolum*, Hæc vox, *Apoſtolus*, ſimpliciter ex ſui origine miſſum ſignificat: ſed reſtricta eſt ad peculiarem ſignificationem pro certa quadam miſſione à Deo Patre, vt quippiam eius nomine cum creaturis agatur.

D. Bernardus.

Excellentia apoſtolatus Chriſti.

At cum varia ſint negotia, ſunt etiam miſſiones variæ. Nam quædam ſunt miſſiones à Deo Patre immediatè: & quædā mediatè. Chriſtus ſolus inter homines immediatè miſſus eſt à Deo Patre. Ideo ſæpiſſimè mentionem facit ſe à Deo Patre in mundum eſſe miſſum. Et quemadmodum ſecundum modum miſſionis digniſſima fuit illa miſſio, ita & officiū ad quod miſſus eſt, omnium fuit digniſſimum. Etenim miſſus eſt vt ſibi regnum compararet, & illud lege data inſtrueret. Poſt hāc miſſionem eximiam ſubſequitur illa Apoſtolorū miſſio à Chriſto. At hi non ſunt ad accipiendam ſpōſam miſſi, nec ad condendam ei nouam aliquam legem, ſicut Chriſtus, ſed ad promulgādam illam à Chriſto iam traditā. Ob iſtam gratiam dixit ſanctiſſimus Ioannes Baptiſta, Qui habet ſponſam, Sponſus eſt. Amicus autem Sponſi qui ſtat & audit eum, gaudet propter vocem Sponſi. Ecce igitur miſſi ſunt Apoſtoli ad promulgandam legem iam conditam. Fuit tamen & iſtorum egregia præ aliis miſſio, qui fuerunt ab ipſo Chriſto immediatè miſſi, & ad miniſterium digniſſimum, legē ſcilicet euangelicam promulgandi. Ideoque inſigniter, Apoſtoli, nomine donantur. Aliæ verò miſſiones, quæ fuere poſteriores, & non immediatè à Deo, nec ad euangelium promulgandum, ſed iam promulgatum exponendum atque enarrandum, hæ quidem non meruerunt vt hoc, Apoſtoli, nomine celebres redderentur.

Luc. 19.

Ioan. 2.

Chriſtus ſolus fuit Apoſtolus eminentiſſimè ad parandam ſibi atque erudiēdam eccleſiam. Illum ergo optimo iure & Apoſtolum, & Pontificē confeſſionis noſtrę appellat B. Paulus. Hanc enim cōfeſſionem fundauit Pontificatu ſuo & Apoſtolatu, redimens nos vt ſummus Pontifex à ſeruitute peccati & Diaboli, & concilians Deo: tum inſuper docens nos vt Apoſtolus veritatē de lege ſua, cui & teſtimonium perhibuit.

Qui fidelis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Moyſes in tota domo eius, Zelantibus pro Moſe Hebræis vult oſtēdere Apoſtolus longè maiorē ipſo Moſe fuiſſe Chriſtum. Accipit autem pro Moſe teſtimonium Dei excelſius in eius magnam laudem, & commēdationem ſingularē, vt ſi in eo ſuperetur, nihil iam reſtrare poſſit, quod amplius valeāt pro illo afferre. Ait ergo: Licet de Moſeos fidelitate ſit Deus ipſe teſtificatus, quem ſyncerum in tota domo ſua, id eſt, in ſynagoga tanquam fidelem famulū prædicat: quia fideliter exequutus eſt omnia quecunque illi mandata ſunt. Attamen hoc ipſum multò aliter dicitur de Chriſto, qui & Filius fuit, & vt verus Dominus domus appellatus eſt, non ipſe Moſes. Vt autē non citat Apoſtolus ſcripturā de Moſe, ita nec de Chriſto: oportet tamen de vtroque ſubaudiri. Loquebatur nanque ad Hebræos, quos ponebat eſſe in ſcripturis eruditos & prompros. Et de Moſe quidem teſtimonium Dei eſt, Nume. cap. 12. De Criſto verò ſunt multa egregia loca, quæ poſſemus huic rei cōprobandæ afferre. Specialiter autē vaticinium illud admirandum, quod Moſes ipſe Deut. 18. in hunc modum tradidit. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb, quādo concio congregata eſt, atque dixiſti: Vltrà nō audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximū amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia loquuti ſunt: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetur que ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius que loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam: hæc ibi. Egregium profectò de Chriſto Domino ac Redemptore noſtro teſtimonium, ad excutiendum ſudorem obtuſis auribus perfidorum Iudæorum.

Chriſtus aſſeritur Deus.

Egregia prophetia de Chriſto.

Nam quatenus ad rem præſentem attinet, Chriſtum videlicet in tota domo fuiſſe fidelem, eo probatur teſtimonio Dei, quādo ait. Loquetur ad eos omnia quæcunq; præcepero. Fidelis ergo iudicandus eſt, qui mādatum illud fideliter expleuerit. Intelligere autem ſic oportet, vt loqui nō ſolùm verbo debuerit, verùm etiam virtute ſignorum, & inculpatæ vitæ exemplo, vt eſſet verè fidelis. Sic fecit Chriſtus, qui cœpit prius facere, tum docere. Sic fecit & B. Paulus imitator Chriſti egregius, ſciens quid à ſe requireret Deus, ſcilicet vt eſſet fidelis. Tales extiterūt cæteri, qui nec vitæ propriæ pepercerunt, vt vel ſanguine fuſo euangelium probaretur. In eo autem errore quidā verſantur, vt ſe abundè ſatisfeciſſe glorientur ſi oretenus bene loquantur, & labiis benedicāt, quanuis pugnent cū ſermone mores. Sed hi falſo ſibi & perniciosè blandiuntur. Hoc certè minime eſt eſſe fidelem, ſed eſt eos imitari velle qui ſimul vt ædificare ceperint, mox deſtruunt. Nec enim tātum ædificatur verborum, apparatu, quantum deſtruitur malo exemplo.

Quis verè ſit Apoſtolus fidelis.

Ex eo verò loco obiter eliciendum eſt, finem & antiquationem, prioris teſtamēti, & miniſtri eius, qui fuit Moſes, fuiſſe ab Hebræis tandem aliquando expectandam. Si enim ſatis erat audire Moſen, nunquam deſignatus fuiſſet alter propheta, quem audire poſtmodo oporteret, & eius ſub tanta intermination custodire mandata.

Iſa. 49.

Quòd ſi dicāt ad Ioſue hoc pertinere, ex eo prorſus refelluntur: quoniam de Ioſue iam explicitè

Universidad de Deusto
Biblioteca

dictum fuit quid esset ille facturus. Et B.Paulus in ferius probat nequaquam eis à Iosue datam fuisse requiem. Sunt autem & aliæ multæ scripturarum sententiæ, quibus passim ostenditur Christus fidelis, & ex fructu omnium Gentium, multiplicatio benedictionum eius. Vnde & per Isaiam Dominus: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Vt autem perspicua & lata agnoscatur inter ministrum Mosen, & ministrum Christum differentia, adiecit:

Isa.49.

Amplioris enim gloriæ iste præ Mose dignus est habitus, &c. Hic manifestè Moses inter eos, ponitur, qui connumerãtur cum iis qui sunt in domo, quasi vnus ex familia. At ipse Christus est ille qui ædificauit domum. Et si quidem intelligamus de prima ædificatione, quæ fuit rerum creatio, & perfectus rerum creaturarum ornatus, vera est hæc sententia, à Christo eam domũ esse fabricatam. Deus etenim est, & Patris Verbum, per quod facta sunt omnia. Si autem de redemptione eius domus per sanguinem, & de noua ipsius constitutione, haud dubium quin Dominus ipse Christus Iesus etiam qua parte fuit homo, generator fuerit ecclesiæ, redimẽs eam proprio sanguine, & suis infinitis meritis obtinens illi sanctificationis spiritum. Quare omnifariam factus est ipse Dominus domus Dei, & vt fabricator ab initio, & interum vt constitutor & restitutor eiusdem post ruinam. Quantò ergo honorabilior est Dominus domus, quàm ipsa domus: tantò Christus præstat ipsi Mosi, qui inuenitur vnus de domo non fabricator, sed cum cęteris fabricatus. Iterũ pergit arguere, vberius adhuc hæc declarans, & veluti rem constantem sumit sequentem propositionem.

Omnis nanque domus fabricatur ab aliquo: Verissima est hæc propositio, & nemini non nota. Domus enim cum sit res artis, nõ sua sponte, aut casu, vel natura fit seu nascitur, sed vt fabricatorem habeat, est necesse. Porrò ista domus de qua loquimur, domus Dei est, de qua scriptum est: Domũ tuam decet sanctitudo. Hanc autẽ domũ, cum ex viuis constet lapidibus, hoc est, hominibus sanctificatis, nõ potuit alius eam fabricare, nisi ipsemet Deus. Eiusmodi siquidem opus nõ est nisi Dei creatoris. Vnde & hoc sumit B.Paulus, vt concludat Christum esse Deum. Ait enim, *Qui autem omnia creauit, Deus est*: vt similiter & is Deus intelligatur, qui fuit domus Dei fabricator Christus Iesus.

Psal.92.

O miseros Hebræos, qui in suo templo gloriabantur ex mortuis constructo lapidibus, tanto zelo accensi pro illo ne destrueretur: & interim ipsi, quantùm ex seipsis erat, destruebant verũ Dei viuẽtis templum. Sed quid ait Dominus per seruos suos scribas, & prophetas, & Apostolos, quos noluerunt increduli & duræ ceruicis audire? Nũquid Salomon ædificauit domum, ille scilicet Salomon filius Dauid, qui dementatus fuit à mulieribus alienigenis? Absit. Excelsus enim non in manufactis habitat. Cœlum enim mihi, ait, sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? Et quis est iste locus requietionis meę? Omnia hęc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum, & trementem sermones meos? Quis autem iste, nisi Iesus Christus mitis & humilis corde? Et ipse quidem Dominus de templo isto, cuius reædificandi nullam vlterius curam gerit, admirãtibus discipulis, atque rogantibus: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ? ea paruipendens respondit: Videtis has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur, & sine vlla spe iterum restituendi.

In Hebræos.

Isa.vlt.

Mar.13.

De templo autem suo vero, ad cuius similitudinem & nos reparandi sumus, quid ipse dicat audi: Soluite, ait: templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Vtinã verò nunc non vigeret humanus ille spiritus & carnalis in multis, qui pl° æquo sunt de templis mortuis, & structuris lapideis soliciti. Putant se honorare Deum, quantò vastiora fecerint & pulchriora templa, quæ vt perficiantur sæculum exigunt, cum interim cor eorum quàm longissimè ablit à vero templo. Nam ipsi templũ Dei verum, quod erat ipsum eorum cor carneum, sua duritia & frigiditate verterunt in lapideũ. Et perniciosum hoc exemplum aliis reliquerunt imitandum. O bone Deus miserere aliquando cæcitatis nostræ. Non desunt tamẽ qui spiritu pollẽt, & iudicare possũt de omnibus, vtpotè spirituales, sicut ait Apostolus noster ad Corithios, Prosequamur:

Ioan.2.

Nota.

1.Cor.2.

Et Moses quidem fidelis erat in tota domo eius tãquam famulus. Non intelligas, *eius*, id est, ipsius Moseos, sed Dei. Nam & synagoga illa in qua concludebatur Ecclesia, opus Dei & domus Dei erat: quia à Domino cõposita, & disposita per Angelos. Ipse autem Moses erat seruus Dei, & famulus in ea domo. Ipsemet hoc cõfitetur iis verbis: Cur afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnẽ hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulũ, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorũ? Vnde mihi carnes vt dem tãtæ multitudini? Flent contra me dicentes: Da nobis carnes, vt comedamus. Nõ possum solus sustinere omnem hunc populũ: quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniã gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis: hæc ille. Ecce quàm clarè confiteatur se non esse genitorem illius populi, & succumbere in eius regimine, & gubernatione.

Num.11.

Et ne quis fortè dicere posset: Ad quem ergo finem præcessit Moses? Occurrit obiectioni Apostolus, & ait: *In testimonium eorum quæ dicenda erant.* Itaque velut pædagogus quidam fuit Moses erudiens, & ad Christum tanquam ad verum doctorem mittens. Nam Christi gratia testificata est à lege & prophetis, vt ipsemet Apostolus ad Romanos docet. *Christus verò tãquam filius in domo sua.* Si filius, ergo Dominus. Et addidit: *In domo sua*, Ipsius videlicet Christi, quæ non est synagoga tantùm, sed est ecclesia vndequaq; collecta, *Quæ domus* (inquit) *sumus nos*, Qui, *Nos*, nisi Christiani? Sponsa enim sumus illius de carne eius, & ossibus eius regenerati in spẽ viuam. Sed audi (quicunq; legis) quid sequatur, & time. *Si fiduciam & gloriationẽ spei.* (Sic enim rectius legitur in Græcis) *Vsque in finẽ firmam retineamus*, Exorti sunt enim & hac tẽpestate noui

Rom.3.

Ephe.5.

In hæreticos.

hæretici fiduciarij, & qui valdè gloriãtur in Deum de spiritu quodam Christiano, quo pollent (vt ipsi aiunt) perinde gloriantes quasi iam possideant, sintque prorsus ita securi, vt nec valeant amittere. Et tamen Doctor noster sub cõditione nobis hoc concedit: Si nimirũ retinuerimus ipsam fiduciam, & gloriationem spei firmam vsque in finem. Istud autem per passiones, & opera bona in fide comparatur, & non per præsumptam arrogãtiam, quam ipsi fiduciam vocant abiectis bonis operibus, aut sine bonorum operum adminiculo: quibus tamen innititur vera spes, vt alibi probatum est. Decidere ergo ab hac spe possumus vel si à fide recedimus, vel si ab operibus charitatis cessamus, sine quibus nullus videbit Deum. Nullus, inquam, eorum scilicet qui valuerunt operari per vlum proprij ac liberi arbitrij. Nostrũ itaque est retinere hãc spem, quæ innititur diuino auxilio, quod nulli deest, nisi iis qui primùm sibiipsis desunt.

Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto. Vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic & dixi: Semper hi errant corde. Ipsi autẽ non cognouerunt vias meas: quibus iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

Videte, fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo: Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt nõ obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Quapropter, &c. Ostensa eminentia legis gratiæ & sermonis Christi præ lege Moseos & literis eius, venit in exhortationis sermonem, non propria verba proponens, sed Spiritus sancti & ait, *Hodie si vocẽ, &c.* Illud ante omnia primùm est aduertendũ hæc verba non esse Moseos neq; Pauli, neq; Angelorũ: sed Spiritus sancti verba, qui testificatur Christo non solum in signis & prodigiis, verùm etiam in cõscientiis nostris, quòd filij Dei facti sumus: & ipse nos exhortatur dicẽs: *Hodie si vocem eius audieritis*, Per istud, *Hodie*, designat nobis certum quoddam tẽpus sanctificatum ad seruiendum Deo, tãquam in eo ipso die requieuerit ab operibus suis: vt nos similiter operaremur, & inueniremus inde requiẽ ab operibus nostris. Hæc enim est illa dies quam fecit Dominus ad exultationẽ & lætitiam nostram, in qua resurrexit Christus, in qua & effecit vt nos quoque resurgeremus à peccatis nostris, ad ambulandum in vita noua & incorrupta sicut ille non amplius moriturus resurrexit.

Pro operibus bonis.

Hæc est dies, cuius operatio & efficacia durat vsque in finem sæculi huius. Nam de hac die Dominus se in exemplum proponens, aiebat: Operamini dum dies est: veniet nox quando nemo poterit operari. Dum lucem habetis, ambulate in luce vt filij lucis sitis. De hac Isaias Propheta: Ecce nũc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Ab hac ergo die cognominatũ est totum tempus vitæ nostræ: quoniam in ea nouus est acquisitionis status, & resurrectionis, & expectatio Dei, vt interim videat & probet eos, qui merebũtur rectè factis consequi salutem. Et contrà, vt eos qui recusauerint, pro meritis iustè ab se reiiciat. Quisquis audit, attendat diligẽtissime. Nam qui non audit, nõ illud requiretur ab eo quod non audierit. Qui autẽ audit loquentẽ Christum (ipse enim semper ad persuasionem loquitur) nõ debet obdurare cor suum, videlicet vt nolit credere: At istud erat Iudæorum proprium. Propterea ad eosdem loquitur particulariter Spiritus sanctus, & insuper ad quameũque aliam huic similem generationẽ, quæ fuerit duræ ceruicis, & difficilis ad hauriendum & recipiendũ sermonem fidei, quod à duritia cordis contingit, hoc est, à volũtate prauè affecta per hæc bona huius mũdi, & illecebras carnis. Vnde fit obduratio, & ex tali obduratione magna Dei concitatur indignatio, & tandem incurritur ingnis æternus.

Ioan.9.

Isa.49.

Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, &c. Hic meminisse debemus, quomodo alibi dixerit Apostolus, quæ contigerunt illis ambulantibus in deserto, ea omnia fuisse à Domino Deo ad doctrinam nostram ordinata, & cõmonitionem. Illud verò omninò pertimescendum: quoniam & multis aptata sunt tãquàm figura futurorum, quæ Deus in suã præscientia vidit. Fuerunt enim multis calamitati atque miserãdo exitio, qui prostrati sunt in deserto. Quocirca admonet instanter Apostolus vt sibi caueant, *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione*, siue irritatione, aut cõtradictione, vel cõtentione, aut disceptatione. Sic enim variè interpretantur varij interpretes. Sed idem est sensus. Et addit:

1.Cor.10.

Secundum diem tentationis in deserto, Iuxta Hebraicam literam legitur, *Sicut in die tentationis in deserto*, Quidam ex nouis tam sine causa, quàm audacter, vel ob hanc rationem contendunt hãc epistolam non esse B. Pauli, qui non afferat scripturã ad Hebraicam veritatẽ. Quasi verò non sit frequens Apostolo iuxta Septuaginta producere scripturarũ testimonia: & quasi officiat vero sensui scripturæ legere, *Secundum*, loco, *sicut*, Verè non sunt hæc digna quæ nos debeant remorari.

Caietanus.

Est autem historia manifesta de contradictionibus illis Choræ, & Dathan, & Abiron. Denique rota illius populi peregrinatio, nõ aliud fuit quàm tẽtatio Dei. Non enim crediderunt verbis eius: & sic tẽtabant, vt ostẽderet tãtus ne esset, qui hæc cognosceret, & posset vlcisci. Quod magno cum suo ipsorũ malo experti sunt. *Probauerunt & viderunt opera mea*: Probauerunt certè ipsum Dominum, & experientia cognouerunt eum esse potentẽ, idque quadraginta annis. Hic enim punctus est figẽdus, iuxta lectionẽ Græcã: quod & si potest quidẽ defendi, tamẽ melius est vt iunguntur quod ait, *Quadraginta annis*, cũ sequẽtibus, sicut & ipsemet Apostolus declarat inferius dicẽs: Quibus autẽ infensus est quadraginta annis? & sic etiã habet Hebraica lectio. Vnde sequitur: *Quadraginta annis propter quod infensus fui generationi illi*, Dicitur quis infẽsus alteri, quãdo capit ex illius iniuriis molestiã & in

Universidad de Deusto
Biblioteca

odium accéditur ac vindictam. *Et dixi: Semper hi errant corde*, Est error mentis, qui à solo procedit intellectu male ratiocinanti, qui licet sit malũ quoddam, & infirmitas animi, non tamẽ imputatur ad culpam. Sed est alius error, qui est error cordis, qui procedit à volũtate prohibente ne consensum intellectus præbet veritati persuasæ. Et hic meritò est imputabilis error, quo tenebatur ille populus: sicut sæpenumerò Dominus Deus per Mosen conqueritur, & populo exprobrat, vt qui duræ ceruicis esset, & incircuncisus corde & auribus. Est & alia interpretatio quæ habet, *Quadraginta annis proximus fui generationi huic*, Et idem sensus elicitur. Deus enim fit nobis proximus, dum aliquo modo inclinatur vt curet de nobis, siue benefaciẽdo, siue puniendo, quemadmodum hîc intelligitur. *Ipsi autem non cognouerunt vias meas*, Quæ sunt misericordia, & veritas. O quot falluntur misericordia Dei & longanimitate, dieu expectantis peccatores ad pœnitentiam? Ipsi autem non conuertuntur, sibi persuadẽtes Deum nõ videre, neq; curare, qui non statim vbi deliquerunt, punit illos: *&* ita non cognoscunt viã misericordiæ. Quapropter Deus illis misericordia sua abutentibus, eam conuertit in iram & damnationem, & ostendit se veracem inferens mala, quæ in incredulos & cõtumaces comminatur. Vt semper sit victrix misericordia in iudicio. Qui enim iniuriam facit oblatæ sibi misericordię illam recusans, merito illa indignum se constituit. Et dum talis punitur, iniuria aduersus misericordiam illam facta vindicatur.

A patientia Dei multi decipiuntur.

Quibus iurauí in ira mea: Si introibunt in requiem meam, Græcè legitur, *Sicut iurauí*, Sed melius, *Quibus iurauí*, Additur hîc articulus, quo significatur certa quædam & magna, id est, illa Domini extrema ira, *Si introibunt in requiem meam*, Irati sermo est hic, qui mutilus esse solet, & subaudiri aliquid oportet, ac si dixerit: Si hoc erit vt intrẽt in requiem meam, dicant (supple) me non esse Deum.

Requiem autem suam vocat beatitudinem qua ipse fruitur, cuius participes facit obtemperantes sibi. Obdurantes autem corda auditui euangelij facit expertes. Ea verò æterna requie priuati, summũ est malum. Quod indocti & inconsiderati homines non apprehendunt. Quin & stultè aiunt quidam: Si non est aliud malum in inferno, quàm priuari visione Dei, nihil curamus.

Videte fratres ne quando sit in aliquo vestrum, &c. Magna hæc verba sunt, & Hebræis conuenientia, qui difficilè veniunt ad Christũ. Et si qui veniunt, facilè admodum recedunt, vixque permanent. Iccircò primùm admonet, ne sit in eis cor malum incredulitatis, vt propterea discedant à Deo viuo. Commemorat autem Deum viuum, vt significet & potentiam Dei, & vigilantiam. Sentit enim offensas qui viuit. Et cum ipse solus eminenter viuat, in manu illius est vita nostra, & mors. Ipse mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.

Deut. 32.

Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, Græce legitur, καθ' ἡμέραν, id est, vocatur. Hoc autem est in toto vitæ nostræ cursu. Quamdudum enim sumus in hac via constituti, viget nobis illud hodie Dominicæ resurrectionis. Hic dies est sponsor salutis nostræ, & perfectæ resurrectionis futuræ. Resurrectio siquidem Christi quasi sponsor est prioris resurrectionis, quæ est à dominatu peccati, si fide recipimus illius resurrectionem. Et proinde resurrectio à peccatis, quę est hîc per gratiam Dei, & charitatem infusam in cordibus nostris, est quasi sponsor futuræ resurrectionis perfectæ & æternæ. Et multum quidem prosunt exhortationes, quæ de his rebus fiũt inuicem & assiduè. Sed vbi iam hoc seruatur? O nos miseros, qui Prælati dicimur ac pastores non exhortantes, sed exhortationibus indigentes. Et vtinam earum capaces: ne verum in plerisq; sit verbum Domini, Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? *Vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*, id est, concupiscentiæ malæ. Concupiscẽtiam enim quæ nobis inest natura, more suo vocat peccatum, vtpote quæ à peccato venit, & ad peccatum exuscitat & impellit. Malam itaque iure appellat eam, quæ fallit, & à veris bonis abducit, à gratia scilicet, & tandem à gloria Dei. Omnis enim qui peccat, errat: quia male ratiocinatur: Sed in primis obduratio excidere facit hominem à fidei veritate.

Matt. 5.

Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substãtiæ eius vsque ad finem firmum retineamus, dum dicitur: Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidã enim audientes, exacerbauerũt: sed non vniuersi qui profecti sunt ab Ægypto per Mosen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerũt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autẽ iurauit nõ introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerũt introire in requiem ipsius propter incredulitatem.

Participes enim Christi effecti, &c. Vult nunc probare Apostolus, magnum initiatis periculum esse in retrocedendo, idque ex typo & exemplo Patrũ, qui licet ex Ægypto vocati essent, & baptizati per fidem in transitu maris rubri, ad terram tamen illam promissionis non peruenerunt. Et interim tacitam præoccupat obiectionem, ne quis diceret: Nonne qui initiatus est in Christo, nãcisciturcontinuo salutem, sicut ait ipsemet? Salui (inquit) facti estis per lauachrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Respondet, inquam, huic quæstioni, confirmans verè nos factos esse Christi participes, hac tamen adhibita conditione: *Si tamen* (ait) *initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus, dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis*, ac si expressius dixerit: Spe interim salui facti sumus per fidem, qua initiamur in Christo, qui gratiam infundit & charitatem, siue iustitiam in corde nostro. Verùm oportet hoc initium substantiæ eius retinere vsque in finem. At quodnam est initium istud substantiæ eius? Græce legitur, *hypostasis*, quæ vox significat fidem. Eodem quippe vocabulo ipse Apostolus declarat nobis fidem inferius, aiens: Est autem fides hypostasis, seu substantia, id est, susceptio sperandarum rerum. Nam fide recipimus, & assentimur promissionibus Dei circa ea bona

Tit. 1.

quę non videntur, sed sperantur, & æterna sunt nõ circa temporalia quæ cernuntur oculis.

Per hanc ergo fidem, id est, diuinæ promissionis susceptionem, initiamur in Christo, id est, accipimus donũ gratiæ & iustitiæ, & charitatis, quod vnum est, vt certò credo, etiam ex B. Augustini doctrina, vt alibi ostendi fusioribus verbis. Cum autem à nobis susceptum hoc initium non fit quid perfectum (propterea enim initium vocat Apostolus: & B. Augustinus vocauit inchoatam iustitiam) iccircò necesse est vt assiduè augeatur, & crescat in dies, donec ad perfectum tandem veniat. Et sic oportet retinere firmum hoc initium, donec dicitur Hodie, si id velimus quod interim habemus in spe, re ipsa integrum possidere securè, nullo vnquàm amittendi metu. Cantatur autem hoc Hodie, in tota hac vita nostra mortali, Nec sine sancti Spiritus nutu omnium prorsus ecclesiarum cõtue tudo inualuit, vt in matutinis officiis intonetur (vt ita dicam) hic psalmus quasi inuitatorium. Est enim vox Spiritus sancti, cui omnino est auscultandum præsertim cum nobis scripturæ testimonio ostendat Apostolus, quid fecerit illis, qui non paruerũt vocibus Angelorum: *Quemadmodum in illa exacerbatione*, quando tanta illa cordis duritia & rebellione maiores eorum irritauerunt Spiritum Dei, & grauem illius manum sunt (vt merebantur) experti.

B. Aug.

Quidam enim audientes, exacerbauerunt, scilicet Dominum ob duritiam cordis, & incredulitatem. Et subdit, *sed non vniuersi qui profecti sunt ex Ægypto per Mosen*, id est, non illi penitus omnes ad iracundiam Deum prouocarũt, qui ex Ægypto sunt profecti: quoniam eorum aliquot non exacerbauerunt. Possumus item intelligere, non eos omnes qui ex Ægypto per Mosen ingressi sunt in desertũ ingressos in terram promissionis. Vbi notandum est, quòd ex omnibus simpliciter qui erant de populo illo, pars educta est de Ægypto, & pars in deserto nata est: Quæ ex Ægypto educta est, ea non venit in terram promissionis, sed vniuersa interiit in ipso deserto, præter Iosue, & Caleb. Horum autem aliqui partim sua morte decesserunt: partim verò vltore Deo, aut peste, aut gladio, siue à Mose, siue ab hostibus prostrati sunt. Quosdam etiam absorbuit terra viuos, & deuorauit dehiscens. His autem malis obrutisunt illi, qui peccauerunt resistentes Deo, & Moysi. Illis ergo infensus fuit Deus, & cæteris qui murmurauerunt tentantes eum, cum essent increduli. Rectè igitur concludit Apostolus. *Quibus aũt infensus est quadraginta annis? Nõne illis qui peccauerunt?* Ecce manifesta causa exitij eorum, & Dei in eos odij: quia scilicet peccauerunt, non autem quoniã non essent prædestinati. *Quorũ cadauera prostrata sunt in deserto.* Trita est historia, *Quibus autẽ iurauit non introire in requiẽ ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia nõ potuerũt introire propter incredulitatẽ.* Iterũ animaduerte verã causam fuisse incredulitatẽ. Quãobrẽ nõ solùm nõ introierũt, sed nec introire (iusta Dei vltione) potuerunt.

CAP. IIII.

TIMEAMVS ergo, ne fortè relicta pollicitatione introeũdi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis. Sed non profuit illis sermo auditus nõ admixtus fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem eius qui credidimus, quẽadmodum dixit: Sicut iurauí in ira mea: Si introibũt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim quodam loco de die septima sic: Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibũt in requiẽ meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij quibus prioribus annuntiatum est, non introierũt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam, hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictũ est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiẽ præstitisset, nũquam de alia loqueretur posthac die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiã ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus.

Timeamus ergo, &c. Exhortatur Hebræos suos Apostolus ad timorem, vt caueant ne aliquando inueniantur amisisse pollicitationem diuinam, quæ est de introitu in verã requiẽ. Itaq; in manu eorũ positũ hoc esse declarat, vtrũ è duob° malit, vel tenere pollicitationẽ vel eandẽ relinquere. Contra fatuos quosdã dictũ sit, qui negãt liberũ in homine arbitrium, & merita ac demerita. Aut in eos etiam qui fatuum constituunt, quod fermè tãtumdem est. Ait, Timeamus, Modus blãdus & humilis exhortandi, quando is qui exhortantis persona suscipit, seipsum inter eos reponit, quibus exhortatione opus est. Quamobrem modestè dixit, Timeamus, & non dixit, Timete. *Ne fortè*, potius, ne quando, *relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis deesse*, id est, ne cum numerabuntur qui dederunt nomen, & intrarunt in viam & cursum, inueniatur aliquis ex nobis deesse, & in postremis constitutus, ita vt nihil habebat iuris ad brauium, quod est requies illa fœlicissima ac sempiterna. Vrget iterum exemplo illo ac typo, & addit:

Etenim & nobis annuntiatum est quemadmodum & illis, Ecce quomodo ea exequitur quæ attinent ad initium. Illis annuntiatum fuit, & nobis etiam annuntiatum est. Illis quidem de bona erga illos voluntate, & promissione illius terræ. Nobis autem annũtiatum est de melioribus bonis in vera viuentium terra reconditis. *Sed non profuit illis sermo auditus, &c.* Ab euentu periculum ostendit: quoniam sermo auditus illis nequaquam profuit. Et cũ narratione huius infœlicis euentus, exponit causam: quia scilicet sermo non fuit admixtus fide. Ex quo conflatur ista conclusio: Increduli non ingredientur in requiem Dei, sicut & illi increduli non intra

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerunt in terram illam prioris promissionis, sed prostrati fuerũt in deserto. Et huic opposita sequitur melior conclusio, quam ipsemet Apostolus ex primit, aiens:

Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, Nos, inquit, qui credidimus, ingrediemur (vt subintelligas) & non illi qui non crediderint. Est enim expressum aduersus tales Dei iusiurandum. *Sicut scriptum est: si introibunt in requiem meam*, Hoc iure iurãdo sine vlla pœnitentia esse intelligitur, & firmissima est hęc Dei sententia: Non intraturos istos in cœlestem requiem. Contra stultos, qui omnes aliquando salutem cõsequuturos dogmatizant. Ex hoc autem Apostoli loco, cum declarauerit Spiritum sanctũ esse illum qui in eo Psalmo loquitur: Hodie si vocẽ eius, nimirũ Christi audieritis, &c. Satis apertè aduersus hæreticos probatur Spiritus sanctus Deus.

Spiritus sanctus probatur Deus

Et quidẽ operibus à constitutione mundi perfectis, &c. Vult hoc in loco B. Paulus declarare, quidnã per requiẽ suam intelligat Spiritus sanctus. Equidem non aliud quàm illam requiem, de qua Moses testatus est in principio Geneseos, quando perfectis à constitutione mundi operibus, ait: Et requieuit die septimo ab omnibus operibus suis. Pro cuius loci pleniore declaratione notandum est mentiq; omnino figendum quod subiicimus, Deum in sua maiestate perfectissime & plenissime beatum, cũ facere creaturam cogitauit & fecit, existimari posse quodammodo semetipsum à dignitate deiecisse, qui non sibi, sed nobis qui nihil præ illo sumus, operatus fuerit, & quasi laborauerit. Nam illo scripturæ testimonio, quo requieuisse illum die septima ab operibus dicitur, antea laborauisse videtur. Sed non sic accipiendum est, quasi ipse verè aliquid laboris subierit: propter nos ista dicuntur, qui eius naturæ sumus, vt cum non nobis, sed aliis operamur, laboremus, hoc est, laborem sentimus. Sic Deus condens vniuersa, & in quem nulla redundabat inde vtilitas, quodammodo laborasse, & à sua quiete apud scripturas dicitur diuertisse.

Locus intellectu difficilis & pulcher.

Nota de mandato sabbati.

Quapropter & nos secundum gratitudinis iura, perinde debemus hæc diuina opera accipere, ac si verè pro nobis laborasset, à sua propter nos quiete distractus illis sex diebus, quando è mediis tenebris lucem eduxit, & constituit cœlos, & fundauit terram, & extendit firmamẽtum diuidens inferiora à superioribus, & segregauit aquas ab arida, & fecit germinare terram, & constituit luminaria in cœlis, & iussit vt producerentur ex aquis & de terra animantia, pisces maris, volucres cœli, bestię terę, iumenta, & pecora. Et denique plasmauit hominem, cuius causa cætera fecerat. Deus ergo qui hęc omnia sex diebus operatus est, & die septima quieuit, obligauit nos gratitudinis obligatione, vt similiter operaremur, videlicet sex diebus, vt deinceps possemus iure accipere requiem ad similitudinem suam. Per hos autem sex dies intelligere nos oportet vniuersum sæculi tempus, quod sex ætatibus distribuitur, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentute, virilitate, & tandem senectute. In hac igitur vita laborare debemus colligentes nobis manna, vt quequo veniat sabbatum illud, quando nemo poterit iam vlterius quiequam colligere, vt est illo loco in figura Mannæ significatum.

Pro operibus bonis.

Et hæc fuit prima & perpetua lex, & obligatio creaturæ secũdum gratitudinis naturalissimam legẽ. Sicut enim Dominus laborauit pro nobis sex diebus, suę dignitati non parcens propter bonitatem suã: vt sic postmodo intraret in requiẽ suam: Ita & nos eius amore, vt simus grati, similiter facere debemus. Prius laborare propter illum oportet, ac deinde quiescere, vt ille primus ad exẽplum nostrum fecit. Et hoc eo lubentius ac promptius, quò quicquid nos in eius gratiã & propter illum agimus, totum id ad nos ipsos redit, & cum fœnore magno. Bonorum enim nostrorum ille non indiget. Imo propter nimiam abundantiam incapax est augmẽti bonorum, cum sit ipse summum bonum.

Hoc igitur præmisso: Videamus nunc quomodo Apostolus duo scripturæ loca, vt hoc agnosceremus, inducat. Primus est ex Genesi, quòd à constitutione mundi requieuit Dominus ab omnibus operibus suis, id est, postquam omnia perfecit, requieuit, ac si dixerit: Expleto hoc munere creandi, reuersus est quodam modo ad seipsum & ad suam beatitudinem, vt seipso frueretur, relinquens interim nobis legem vt quilibet similiter operaretur, quò posset intrare in illud gaudium, & illam requiem. Cumque huius rei initium sit fides, ob eam causam non potest in hoc pactum intrare nisi fidelis. Et ad hoc inducitur alius locus ex psalmo. *Si introibunt in requiem meam*, Quo de loco primùm accipimus, quòd aliqua requies manet quosdam, idque ad similitudinem Dei. Hi autem sunt, qui operati fuerint: sicut Dominus Deus post opera cõdita legitur quieuisse. Deinde iusiurandum habemus aduersus incredulos & peccatores, qui non introibunt in requiem Domini. Non enim possunt esse veri operatores, qui non sunt fideles. Vide igitur vt suis verbis Apostolus ipse egregiè hæc declarat, eliciens quæ dicta sunt, & ait:

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, nimirum requiem. Dicit, Superest, quoniam non erat consummatum pactũ in anterioribus illis qui fuerunt sub veteri testamento, & sub die septima. Superuenire enim oportebat nouum testamẽtum quod alteram sibi diem vendicauit, qua requieuit Dominus ab operibus suis. Et hæc fuit dies Dominica, dies octaua, dies resurrectionis, qua recreatus est homo. Superest introire quosdam. Ait, quosdã, non certos designans, sed illos qui pendent ex cõditione, si crediderint, si laborauerint, & operati fuerint, vt sic similiter valeant obtinere requiem. Vbi satis indicat posse mereri hominem introitũ in illam requiẽ, & item posse demereri. Quo fit vt omnes qui supersunt, & possunt ingredi, debeant diligenter attendere ad priores qui non introierunt, & cognoscere quamobrem non introierint: & ne similiter illis contingat fieri alieno periculo cauti, & suæ salutis vigilantissimi cultores.

Et ij quibus prioribus annuntiatum est non introierunt propter incredulitatem. Hic taxat anteriores Iudæos incredulos non solùm verbis Dei de spe futurorum, sed etiam literis Mosei, quæ spem terrenorum complectebãtur. Excludi itaque meruerũt nõ solùm à terra illa promissionis terrena, verùm etiam à cœlesti terra viuentium, quæ in illa terrena tanquam in vmbra significabatur & figura, &

annũtiabatur illis per Mosen & prophetas. Cum igitur ita sese res habuerit, *iterum terminat diẽ quendam, Hodie in Dauid, &c.* Non iam septimum diem sed octauum, id est, non iam priscum diem quando requieuit ab operibus creationis, illum videlicet septimum diem sabbati: quoniam illum diem violauimus omnes, & destruximus opera Dei. Sed alium diem Dominicum, in quo cessauit rursus ab operibus suis Deus & Redemptor noster. Non dico ab operibus creationis, sed reparationis & instaurationis, vt in hoc die de vtroque beneficio laudetur, scilicet creationis & reparationis. Nam & de sabbato hîc dies participat: & hoc fecit denuò Deus per Christum. Quod enim creatum erat, instauratum fuit, vt in instauratione creatio intelligatur.

Nota.

Vt igitur cessauit ab operibus instaurationis huius Dominus, reliquit similiter nobis aliud sabbatismum, id est, legem operandi sex diebus, sicut dictum est, vt & nos pariter possemus quiescere ab operibus nostris, & intrare in eius requiem per verum Iesum nostrum, non illum Naue. Requiẽ autem eam dicimus, in quam ipse cum Patre operando intrauit. Hæc est summa & sine otio otiosa beatitudo. Et nota quomodo hanc diem terminauit propheticè in Dauid, dicendo post tãtum temporis, sicut supra dictum est:

Hodie si vocem eius audieritis, &c. Quo in loco prohibet B. Paulus falsam Iudæorum opinationem, si fortè putassent se requiem promissam consequutos à terra illa promissionis, in quam iam intrauerant. Ne enim eo sensu debeat intelligi prohibet status temporis: quoniam Dauid qui illud propheticè admonuit pro futuro tempore, regnauit multos annos post adeptam iam illam terram promissionis excursos. Frustra omnino ad illam cohortaretur adipiscendã, si iam requiem Hebræi veteres in ea terra inuenissent. O miseros prorsus & excœcatos Iudæos, qui requiem quærunt, & non inueniunt, nec sunt quidem vbi eam perquirunt, inuenturi. Vnde egregiè subdit:

Nam si eis Iesus requiem præstitisset, &c. Argumentum ita conficito. Quicunque finem assequitur, in eo quiescit, nec quærit vltra requiẽ. Non ergo post ingressum illum in terram promissionis per Iesue factum, prædiceretur alia requies alterius diei, si finem & requiem fuissent adepti. Sed prædicitur alia requies per Dauid prophetam: ex quo sequitur id quod concludit Apostolus, aiens:

Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei, id est, relinquitur via ad sabbatum celebrandum, quod est ad requiescendum, nec vltrà operandum, quæ requies est post opera. Opera igitur requiem nobis illam parant, iuxta hanc positam legem, vt qui ingressus est in requiem, cesset ab operibus suis, quẽ admodum à suis cessauit Deus. At cum post ingressum in eam terram prædiceretur adhuc promissio requiei, ad quam hortabatur propheta ne obdurarent corda sua: hinc satis superesse patet aliam veram requiem, quam per opera bona oportet lucrari, & in eam intrare quæ est operum præmium. Quod accuratè est notandum contra nouos & miseros nostræ ætatis hæreticos, qui negant ex operibus cõtingere requiem, sed solùm ex fide. At fidei finis sunt ipsa opera bona: & finis operũ, requies: & illius requiei, Deus.

In hæreticos pro operibus.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum: & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Põtificem magnum qui penetrauit cœlos Iesum Filium Dei, teneamus spei nostræ confessionẽ. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Festinemus ergo ingredi, &c. Hic auget exhortationem Apostolus. Ille enim verè festinat, qui alio non diuertit, nec moratur in via: sed directo intendit & assiduè ad terminum, *Festinemus ergo*, ait, hoc est, absque mora vlla & interruptione magno studio & assiduè contendamus per opera charitatis, *ingredi in illam requiem*, quæ est vera requies. *Vt ne quis incidat in idem incredulitatis exemplum*, id est, ne sicut veteres illi duræ ceruicis, & Aegypti amatores, puniti sunt ĩ deserto illo: ita iustè puniatur qui tale sequitur exemplum. Et ne quis dicere posset: Illud tunc quidem cõtingit antiquis illis Hebræis, & iam impleta est scriptura in his qui præcesserunt, Anteuertit hanc tergiuersationem B. Paulus, dicens:

Viuus est enim sermo Dei, & efficax. Significat autem sermonem Dei (qui est lex nostra, & est ipsemet Christus spiritu suo loquens ore & opere) nũquam mori, sed perpetuò viuere, vt assiduè imperet, & non olim tantum. Christus enim heri & hodie, & in sæculum. Et sicut viuit ad imperandum sic viuens est ad iudicandum. Propterea incredulis comminabatur, aiens: Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Meritò inquam iudicabit, cum sit sermo viuus & efficax, & potentiam ad suadendum habens, & potestatem ad iudicandum. Scriptum est enim de illo: Sermo illius potestate plenus est. Et item Euãgelista, Sermo erat in potestate. Quapropter & Isaias: Verbũ quod egredietur de ore meo non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunq; volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

Ioan. 12.

Eccl. 8.
Luc. 4.
Isa. 55.

Et penetrabilior omni gladio ancipiti, siue bicipiti. Assimilem docet ea ratione sermonem Dei gladio bicipiti, quãdoquidem altero duorum modorum penetrat, vel via misericordiæ dum inuitat, & eam pollicetur: vel via veritatis ac iudicij, dum vel præmiis afficit, vel suppliciis. Fieri siquidem non po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

test, vt possit euadere quisquam alteram istarum duarum viarum, quin in eum penetret gladius Domini. In Apocalypsi de illo dicitur: Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Mirabitur fortassis aliquis, cur vocetur gladius sermo Dei incedens per viam misericordiæ. Hoc ipse B. Paulus expertus fuit, quando prostratus dedit manus dicēs: Domine, quid me vis facere? Magnas quidē vires habet hæc prima misericordiæ Dei via in eos qui non desperant, sed eam supplices implorant.

Apoc. 1. & 19.

Act. 9.

Et pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Vna & eadem res est anima, & spiritus: & tamen diuersis rationibus perinde consideratur ac si duæ res essent. Nam anima dicitur ea consideratione: quoniam officium facit animandi corpus, & illi afficitur. Quæ si diiungitur à corpore, vt sanctioris amoris vinculo iungatur Deo, spiritus dicitur. Sermo autem Dei hanc separationem facit, dum hominem ex animali efficit spiritualem, osorem terrenorum, & amatorem cœlestium, qui noscat tamē quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddere. Necesse enim est ratione compescere atque regere vires partis sensitiuæ, id est, regere ac domare carnem, cui nec nimia laxetur, indulgentia: nec tristitia atque asperitate interficiatur immoderata.

Compagum quoque & medullarum. Per compages (vt mihi videtur) variæ in nobis significantur affectiones, quarum vna pendet ex altera. Verbi gratia: Pater tenerè diligit Filium. Huic amori & affectioni protinus adiungitur cupido habendi, vt illi relinquat bona sua. Ex hoc & variæ sequuntur affectiones cogitationū, & varia consilia vel decipiendi, vel fraudandi proximum. Et has omnes velut compagines nouit, & ad harum diuisionem perspicaciter sermo Dei potentissimus est, qui velut gladius acutus possit ista soluere. Dixit enim per Isaiam Dominus: Dissolue colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes. Penetrat quoque ad medulas vsque, quantumuis ossibus includantur, vt eas inspiciat & scrutetur ad accusandum, vel probandū. Per ossa appositissime intelligimus virtures. Medullæ verò ossium sunt ipsæ intentiones finiū. Reperietur aliquis (vt à nobis hominibus certi potest) cōtinens, & misericors, & in alia præstāti virtutis imagine probus apparēs: attamē non & verè & coram Deo virtute præditus, propter occultam medullam, id est, sinistram & malam intentionem, vel vanæ & inanis gloriæ, vel cuiuscunque ambitionis. Plerunque enim existunt quidam lusoribus callidis non dissimiles, qui primùm de industria quarundam faciunt rerum propriarum iactura, qua veluti esca alliciant, vt post longè maiora lucrentur. Tales eos existimare licet, quicunque largitione aliqua summas facultatum sibi parare copias, & opes, atque honores moliuntur: quod ipse finis clarè ostendit. Possemus istud quàm plurimis illustrare exemplis: sed præstat vt qui legit, si se videt argui & manifestari, respiscat. Has enim cogitationes, atque obliquas intentiones & penetrat sermo Dei, & recto iudicio discernit. Vnde ait: *Et discretor cogitationum & intentionum cordis*, seu iudex: Græcè κριτικὸς. Et significat eum qui iudicium proferre valeat, & vindictam exercere, vt merito sit metuendus.

Isa. 58.

Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, &c. Sensus planus est, & contra eorum dementiam, qui putarunt Deum ad singularia non pertingere, sed solam habere vniuersaliū cognitionem. In quos & Psaltes egregius obiiciebat: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet: Aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit Gentes non arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus nouit cogitationes hominum. *Omnia autem nuda sunt & aperta oculis eius.* Cum igitur sermo Dei sit plenus oculis quasi Sol lucidissimus, qui & illuminat cuncta: & cum ad Deum sit nobis sermo habendus, id est, ita sit illi reddēda nostrorum factorum ratio, vt nequeamus negando effugere (Hoc est enim quod subiunxit: *Ad quem nobis sermo*, siue ratio, causa, siue negotium cum illo agendum qui videt, & falli non potest) Profecto debemus potius aliam veritatis viā recipere, & festinare ad requietis ingressum per opera bona, à quibus post toleratos labores fetiabimur, & perpetua requie fruemur. Ita se gessit ab initio post creationem Deus, & Christus post recreationem, qui huiusmodi exemplum nobis dedit iam ingressus per obseruantiam paterni mandati in æternam requiem suam.

In negātes prouidētiā Dei circa particularia.

Psal. 93.

Habentes ergo Pontificem magnum. Hoc in loco incipit indicare efficaciam sacrificij nouæ legis, & illud summopere præ illo antiquo extollere, ostendens magnis rationibus quanta inter vtrunque cōstituenda sit differentia. Postquam ergo hortatus est Habræos vt contenderent, ac festinarent intrare in eam requiem retinentes inuiolatam fidem: Ne ipsi hanc rem impossibilem existimarent, propter peccata assidua quæ per infirmitatem carnis nostræ committimus, subiecit habere nos Pontificem magnum non iam in terris, vbi sunt alij, sed in cœlis, qui scilicet propositus est populo ad imitandum, & datus primò fuit ad conciliandum in tempore carnis suæ: & nunc ingressus est cœlos, vt tanquam Aduocatus interpellet pro nobis ad iuuandum. Vnde ait:

Qui penetrauit cœlos, nimirum per merita humilitionis ac passionis suæ, *Iesum Filium Dei*, Duo hic magna coniungit, vt spem inde magnam in nobis generet. Primò, Iesum, Idem enim est Iesus quod Saluator ex re ipsa: quia saluos nos fecit, & perpetuò potest saluos facere. Quòd si non valeat ad suadendum ex nomine, illud certè valere debet ex re. Est enim Filius Dei, valens apud Patrem gratia, qui & sedet à dextris eius. Quocirca concludit. *Teneamus spei nostræ confessionem*, siue professionē. Appellatur professio spei, quæ est professio fidei. Etenim fides nostra de his est quæ sperātur: nec enim sperari possent, nisi crederentur. Quæ autem sperātur, æterna sunt, sed & ardua: quoniam soli ad illa pertingunt, qui cum violentia, cum multo labore ac difficultate quasi rapuerint, præsertim in tanta carnis, qua circūdamur, infirmitate. Cum ergo potuisset quis dicere, imò hodie inueniantur nō paucі qui proferant (Hæretici autem apertè asseuerāt) aiēntes: Dura sunt Dei præcepta quę sunt spiritualia, nec à nobis impleri possunt in his carnis infirmitatibus. His querimoniis occurrit Apostolus, tanquam respondens imbecillitati nostræ, nosque

consolans, & ait: *Non enim habemus Pontificem qui nō possit compati infirmitatibus nostris.* Si autem compatitur, etiā succurrit. Nemo enim verè compatitur, qui & idem (modo possit) non succurrat patienti.

Quòd autem nobis prospicere talis tantusque Pontifex possit, nullo pacto est dubitandum, cum sit & Iesus, & Filius Dei. Quòd verò compatiatur, abundè probat. Ipse nanque testatus est se infirmitates nostras, præter peccatū, sua sponte suscepisse. Audi qualem nobis proponat Pontificem Apostolus, subiungit enim: *Tentatum autem per omnia secundum similitudinem.* Fuit similis nobis, mortalis & passibilis, qui & passus est æstum, frigus, famen, sitim, labores, dolores, & quæ huiusmodi sunt, *absque peccato tamen*, id est, absque concupiscentia mala, quam B. Paulus appellare solet peccatum, qua tentaretur. Non enim habuit illam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quam nos alij habemus. Siquidem tanta pollebat gratia, vt in carnem redundaret ad plenissimam hac parte illius sanctificationem. Ipse, inquam, tentatus, & per omnia nobis (excepto peccato) factus similis succurrit tentatis, prohibens ne supra vires tentetur quisquam: quin etiam ita adiuuat, vt faciāt, qui tentantur, cum ipsa tentatione prouentum. At cū minime sit æquum vt ille nobis succurrat, nisi & nos instanter imploremus eius auxiliū, recognoscentes & humiliter indigentiam nostram, & confitentes fideliter benignitatem suā, iccirco addit:

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius (Græcè desideratur, eius) *vt misericordiam consequamur.* Duplex est Dei misericordia. Vna est quæ nō debetur: qualis est illa quæ confertur in peccatorem, & antea nondum vnquam iustificatum. Est & altera quæ debetur propter promissionem. Et hæc iustis debetur, & misericordiam facientibus, & implorantibus eam: de qua hic loquitur Apostolus. Vnde non semper opponitur iustitia misericordiæ, sed conueniunt.

Et gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Ad Græcam lectionē legeretur emēdatius, & melius. *Ad auxilium opportunum*, id est, vt inueniamus in nobis inesse gratiam auxilium in tempore promerentē. Tunc enim impetratur auxilium, quando petitur ab homine qui est in gratia. Nam habitualis & inhærens gratia non est satis ad superandas tentationes, nisi adiungatur assiduum auxilium: quod tunc demū adiungitur, quando suppliciter imploratur.

Assiduum Dei auxilium necessarium.

CAP. V.

OMNIS nanque Pōtifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cōstituitur in iis quæ sunt ad Deum vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorē: sed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos inæternum secūdum ordinē Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationēsque ad eum qui posit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

AD confirmanda superiora B. Paulus doctè & opportunè conditiones ipsius Pontificis declarat, aiens: *Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus, &c.* Prima ergo cōditio est, vt sit homo: secunda autem, vt ex hominibus assumatur, id est, electione & vocatione erigatur, & ordinetur ad pontificatus officium, hoc est, vt sit mediator apud Deum. Et tertia est, vt pro hominibus constituatur, id est, hominum in se causam transferat, & pro illis agat. Conuenientissimum enim fuit vt pro hominibus ageret non extraneus, sed verus homo aliquis, qui esset os nostrum, & caro nostra. Nam id Pontifex est quòd homo, & summus sacerdos, qui, *in iis*, seu circa ea debet intendere & se exercere, *quæ sunt ad Deum*, id est, in his quæ inter Deum & hominem componenda sunt, quorum ipse mediator intercedat & conciliator. *Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Cum igitur tale sit Pontificis munus: vt eo perfectè defungatur sub infert quæ tale munus obeunti conueniunt, *qui condolere possit, &c.* Cum, inquam, sit pontificis proprium munus mediatorem & intercessorem agere, ita vt oporteat eum pro quibus intercedit, iisdem misereri: idoneè tunc illud faciet, cum fuerit & ipse aliquando miseriis, & variis tētationibus circūdatus, sicut iam expositum est superius.

Nec quisquam sumit sibi honorem, &c. Nunc tradit rectam sacerdotis institutionem. Venire enim primùm debet à Deo, non per misertimam illam ambitionem, quæ nunc vbique grassatur, & arrogantiam: sed per vocationem, cui debet humiliter & solo charitatis instinctu, is qui vocatur, obtemperare. Talis fuit Aaron. Quo in loco habes sacerdotij gradum inter reliquos esse honorabiliorem. Sed fœdarunt quodammodo illum turba eorum plurima, qui vel ambitiosè vsurpāt, vel indignè tractāt. Hæc autem dicit Apostolus, vt Christum collaudaret tanquam Pontificem perfectum à Deo institutum, & iam omnes prædictas conditiones habentem. Vnde ait: *Sic & Christus non semetipsum clarificauit*, vt mereretur æternum pontificatum. De eo enim pontificatu loquitur, qui est gloriosus & æternus, vtpote testamenti noui & æterni ad expiandā peccata, quæ sub hoc testamento nouo admittuntur. Non, inquam, seipsum clarificauit pontificatum ambiens, sed à Patre accepit: quia & ipse prius acquisiuit. Porrò aduertendum, sermonem hic esse de Christo secundum eam partem, quæ indiguit clarificatione, & secundum quod homo. Alioqui qua parte Deus erat, ab æterno semper gloriosus cum Patre fuit, nec vlla noua glorificatione egere potuit.

Nota.

Sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu. Ille igitur qui loquutus est ad eum, nimirum Pater. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui dixit ei:Filius meus es tu,ſecundum veritatem & naturam,ille clarificauit eum, *Ego hodie genui te.* Per hodie, vt iam declarauimus, intellexit diem clariſicationis, qui fuit dies Reſurrectionis eius, quæ fuit quædam generatio ſecundũ carnem.Per hanc enim apparuit eſſe FiliusDei verus,cum tunc induerit fortitudinem,& decorem. Quamobrem videtur illum quodam modo tũc genuiſſe, cum ei gloriam Vnigenito dignam donauit.Sed quid hoc facit ad ſacerdotium Chriſti?Vt ſcilicet probetur, quomodo nõ ſemetipſum clarificauit vt pontifex fieret. Imo hoc ipſo quòd accepit eum vt Filium apud ſe, & à dextris ſuis clarificauit, conſtituens æternum nobis Pontificem, vt non habeat opus nouas offerre hoſtias:quoniam ſemel vnam obtulit,quæ ante oculos ſummi Patris inæternum durat.Et hęc eſt clarificatio illa,quam paulò ante obitum rogabat à Patre,qui reſpondit: Et clarificaui, & iterum clarificabo.Clarificaui quidem primum
Ioan.12. oſtendendo per opera te eſſe à me miſſum in mũdum,vt illum ſaluum facias. Clarificabo item, vt poſtquam hoc munus expleueris,ſedeas ad dexteram meam, manens pro reſtituto mundo Pontifex in æternum,id eſt,vſque ad iudicium æternũ. Proſequitur Apoſtolus:

Quemadmodum & in alia loco dixit:Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech. De ipſo Chriſto hæc verba eſſe dicta nemo dubitat.Et ſunt verba ipſius Patris ad Filium extollentis ſacerdotium ipſius nouum. Et hac ratione primum commendat,quòd fuerit verus ſacerdos in æternum. Non enim conueniebat duos eſſe ſacerdotes in æternũ, quorum vnus non dependeret ab altero:nec ritus diuerſos,& diuerſas offerri hoſtias oportuit.Chriſtus autem cum ſit ſacerdos inæternum, eſt ſacerdos non ſecundum ordinem Leuiticum,ſed ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdotis,qui fuit figura Saluatoris noſtri benedicti. Sacrificauit enĩ & obtulit panem & vinum:quæ duo ſignificarunt carnem illius & ſanguinẽm. Nam & in his duabus panis & vini ſpeciebus ipſe Dominus inſtituit hoc eximium & magnificentiſſimum ſacrificium & ſacramentum:ſicut dudum in Melchiſedech ſacrificio deſignauerat. In hoc enim ſacrificio panis & vini, in quo caro & ſanguis diſtinctè ſignificatur, repræſentatur illa ſemel facta in cruce oblatio,vbi ſeparatus eſt ſanguis à corpore.

Caietani error non ferendus. Quamobrem deteſtanda eſt omnino illa Caietani doctrina,negantis ſacrificium fuiſſe illã Melchiſedech oblationem, quam fecit panis & vini. Nam & Lutheri prius fuit hoc commentum, qui negat ſacrificium in eccleſia Chriſti. Quod ego tunc cum in Caietanum Annotationes conſcripſi, ignorabam.Porrò hoc inter Lutherum & Caietanũ in re propoſita intereſt.Lutherus quippe coactus erat negare figuram illius ſacrificij,cum negaret veritatem ipſius.Caietanus verò qui ſacrificiũ fatebatur,quo ſpiritu inductus eſt vt figuram eius negauerit, quæ manifeſtè fuit in Melchiſedech? Nonne hanc declarat manifeſtè Apoſtolus? Sed qualis,rogo,fuiſſet figura in Melchiſedech,niſi obtuliſſet panem & vinum?Itaque vtrunque acriter percutit hic pſalmi locus.Nullus enim poteſt docere quonam pacto eſſet Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, cuius ritum vel ordinem aliunde non poſſumus accipere, aut coniectare,quàm ex eo quòd panem ille & vinum ſacrificauit,& obtulit. In eum modũ Chriſtus fecit in die cœnæ,in illo Melchiſedech tanquam in figura deſignatus.

Hæc doctrina adeo clara eſt,& eouſque ex antiqua traditione fidelibus perſuaſa, vt indigniſſimũ ſit eam in contentionem adducere, aut in vllã dubitationem propter hos factioſos, & nouitatum ſectatores,& ipſos hæreſum excitatores,& fautores perfidorum Rabbinorum ad obſcuranda Chriſti myſteria.Et tamen nonnulli eorum vi veritatis coacti, ſyncerè locum illum ſicut nos expoſuere. Nam Rabbi Samuel,quem citat Rabbi Moſe Hadarſan,ſic ait.Hic Melchiſedech myſteria ſacrificij tradidit:Erat enim ipſe ſacrificans Deo Patri ſancto & benedicto panem & vinum, ſicut dictũ eſt ibidẽ. Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſſimi:hæc ille. Et Rabbi Pinhas filius Iair longè clarius ac latius. Tempore(inquit) Meſſiæ cuncta ſacrificia ceſſabunt. Sacrificium autem panis & vini nunquam ceſſabit,ſicut dictum eſt Gen.14.Et Melchiſedech rex Salẽ excepit panem & vinũ:Melchiſedech(inquit)hoc eſt,rex Meſſias.Dicitur autem Melchiſedech,id eſt,rex,quoniã rex eſt totius mundi:porro Sedech eſt iuſtitia.Et ipſe mittet iuſtitiam ſuã, & pacem ſuper vniuerſum orbem. Et poſtea ſubdit: Rex Salem,hoc eſt,Ieruſalem ſuperhę excepit panem,hoc eſt, ſeparabit à ceſſatione ſacrificiorum ſacrificium panis & vini, vt dictũ eſt pſalmo 109. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.Hæc ille Rabbi, ſicut citat doctus ille & ſanctus Martyr Epiſcopus Roſſenſis,qui noſtra ætate pro eccleſiaſtica veritate ſanguinem ſuũ intrepidè fudit. Affertur præterea & ex antiquis Rabbi Iohai,qui vixit ante aduẽtum Chriſti. Hic dicit ſacrificium panis & vini nunquam ceſſaturũ, ex libro Iudicum cap.9.vbi legitur à vite pronuntiatum:Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines? Nam de noſtro communi vino quomodo poteſt intelligi, Deum illo & homines lætificari?Itaque de ſacrificio vini intelligitur.De ſacrificio autẽ panis affert ex pſalmo.72.& ait:Placenta frumenti in terra in capite montium:hęc ex illo.B.Hieronymus dixit,memorabile triticũ:Et verè memorabile, in quo memoriam conſtituit mirabilium ſuorum Dominus noſter. Et additur pro hoc Chaldaica tranſlatio in hunc modum: Erit Corban, id eſt,ſacrificium frumenti in terra in capite montium eccleſiæ. Per montes autem ſacerdotes intelligi, conſentaneum eſt veritati.

Teſtimonia Rabinorũ pro ſacrificio Melchiſedech.

Ioannes Epiſcopus Roſſenſis Martyr.

B. Hieron.

Oſtenſus eſt & mihi admirabilis locus in Ionathæ paraphraſi ſuper Iob, cuius authoritatem Hebræi ſummo conſenſu recipiunt.Etenim cap.2.vbi legitur:Igitur audiẽtes tres amici Iob omne malum quod acciditſſet ei,venerunt ſinguli,&c. Loco horum verborum Chaldaica illa paraphraſis, non abſque prophetico ſpiritu ſic habet. Et audierunt tres ſocij Iob omne malum quod veniſſet ei, cum vidiſſent arbores viridariorum ipſorum ſiccas, & panem paſtus eorum conuerſum in carnem viuã, & vinum potus eorum conuerſum in ſanguinem. Et venerunt vnuſquiſque à loco ſuo, & propter hoc meritum liberati ſunt à loco ſibi præparato in inferno:hæc ibi. Quæ certè hoc myſterium, quod veneramur,reſpiciunt:nec aliud poſſumus commiſci,quod ſenſum vllum reddat. Sed hæc obiter, & propter hæreticos.Pergamus iam ad reliqua de efficacia pontificatus Chriſti.

Qui in diebus carnis ſuæ, id eſt,quãdo erat in carne quæ cõueniebat Pontifici,mortali videlicet & corruptibili.Nunc autem iam non eſt in carne morta
1.Cor.15. lis põtificis,ſed in carne Dei,quæ non vlterius carnis appellatione venit,cum dicat Apoſtolus: Caro & ſanguis non poſsidebunt regnum Dei.*Preces, ſupplicationeſq;ad eum qui poſsit illũ ſaluũ facere, &c.* Mirificus eſt hic locus,in quo probatur Chriſtum eò noſtri cauſa fuiſſe redactum,vt neceſſe ei fuerit implorare auxilium à Deo,idque cum clamore valido, & cum lachrymis. Igitur quæ prius illi iure debebantur tanquam Filio,poſtmodo debita ſunt & reddita humilitatis ſuæ & abiectionis merito. Quoniam gloriæ ſuæ iam ipſe propter nos renunciauerat,qui poſuit ſe in manu Dei,dans iudicium Patri in omnibus.Hæc niſi diligenter attendimus, ignoramus myſteria,& facile aberramus.Clama-
Luc.23. uit autem valdè(ſic enim teſtatur B.Lucas)Et clamans voce magna Ieſus,ait: Pater, In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Quòd autem illachrymatus fuerit in cruce,non expreſſè legitur in euangelio. Aliàs dum Lazarum
Ioan.11. ſuſcitauit apud B.Ioannẽ,lachrymatus eſt. Et cum reſtituit linguam muto, apud B.Marcum legitur
Marc.7. ingemuiſſe.Item videns ciuitatem fleuit, vt B.Lu-
Luc.19. cas tradit.Sed & in cruce, etiam ſi nobis Apoſtolus non expreſſiſſet,omnino credibile eſt illum illachrymaſſe, in qua & ſummum doloris eſt perpeſſus,& ſummum charitatis exhibuit.

Exauditus eſt pro ſua reuerentia, id eſt, pro religione ac pietate ſua, quam habuit erga Patrem, omnia remittens in manus eius, & ſpiritum ſuum, & ſeipſum totũ per omnia ineffabili deuotione ſubdens, nec audens quidem poſtulare vt debitum, quod ſibi debeti nouerat: quoniam ex gratia debebatur.Et iſti merentur exaudiri,qui non ponderãt ſua merita,ſicut non ponderauit Dominus, ſed omnia ſemper æſtimant eſſe Dei tanquam gratis data: quoniam omne debitum Dei erga nos oritur à gratia.Nec propterea negãtur merita,ſed aſtruuntur,dum radix meritorum cum gratiarum actione recognoſcitur.

Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam: & cõſummatus factus eſt omnibus obtemperãtibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Põtifex iuxta ordinem Melchiſedech.De quo nobis grãdis ſermo & ininterpretabilis ad dicẽdum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonũ Dei:& facti eſtis quibus lacte opus ſit, nõ ſolido cibo.Omnis enim qui lactis eſt particeps,expers eſt ſermonis iuſtitię:parvulus enim eſt. Perfectorũ autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.

Et quidem cum eſſet Filius Dei, &c. Commendat hanc eximiam Chriſti pietatem, eò quòd eſſet Filius.Græcè non legitur, *Dei,* ſed ſimpliciter, *Filius,* quod eſt nomen proprium in diuinis perſonæ ſecundæ.*Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam,* id eſt, non ſolùm erat obedire paratus, ſed facto ipſo obediens fuit vſque ad paſſionem crucis. Optimus & elegans hic dicendi modus,vt ille qui aliqua ex cauſa pœnas incurrit, diſcere dicatur quidnã ſit illud,propter quod patitur.Chriſtus paſſus eſt propter obedientiam. Obedientiam ergo didicit. B.
1.Tim.1. Paulus quoſdam blaſphemos tradidit ſatanæ, vt ſi poſſent, eo ſupplicio diſcerent non blaſphemare. Eo ſiquidem experimento diſcere debebant,quid eis profuerat blaſphemaſſe. Didicit ergo Dominũ obedientiam iſtam non intelligendo tantum, ſed per multas afflictiones obediendo. O veram Redemptoris noſtri & ſalutarem hanc doctrinam,veris illius diſcipulis ſyncerè æmulandam.

Et conſummatus, id eſt, perfectus propter talem obedientiam.Omnia quippe traxit ad ſeipſum,& iure acquiſitionis ita obtinuit, vt omnes teneantur illi obedire,& obediẽdo ſimiliter ſalutem obtinere. Nam ea conditione diſpoſuit ille nobis regnum,ad quam fuerat ſibi ipſi à Patre diſpoſitum. *Factus eſt omnibus,* inquit, *obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ,&c.*Non ergo ſolùm credentibus,vt fallaces hæretici docent,ſed obtemperãtibus mandatis eius.Porro multa alia Apoſtolus, vt ipſemet declarat,habebat ſcitu digniſſima,quę ad huius loci intellectum apprimè pertinebant. Ea tamen ſe non aperire inſinuat, propter eorum indocilitatem.*De quo nobis* (inquit)*grandis ſermo,& ininterpretabilis ad dicendum,&c.*De hoc Chriſti pontificatu copioſus erat ei ſermo habendus,ſed qui tum non eſſet ad dicendum interpretabilis: quoniam illi rudes erant & tardi & imbecilles ad audiendũ.Maximas ſanè cogitur verus doctor denorare moleſtias, quando auditor non poteſt alioqui ſalutarem doctrinam capere. Tunc enim debet continere ſermonem, & eo præſertim tempore, quando diſcipulus nedum non proficit audiendo,ſed contra redditur potius indocilior. Eius rei tunc in ſermonibus Dei apparet indicium, quando in exercitio non conſtat is profectus, qui debuit. Vide quàm idoneam afferat Apoſtolus noſter ſui ſilentij rationem.

Etenim cum deberetis eſſe magiſtri propter tempus,rurſum indigetis vt vos doceamini, &c. Sermones Dei ſunt ſermones ſpiritus & vitæ, ſermones veræ iuſtitiæ,id eſt,illi dono iuſtitiæ conuenientes & charitatis, quam nobis Deus cœlitus infundit. Exordiũ autem horum ſermonum ob eam cauſam erat nobis ad intelligendum valdè difficile: quoniam homines non erant dociles repugnante mentis & intellectus obtuſione, & velut obſtaculo, lapidei cordis duritia impediente, in quibus vitiis omnes naſcimur. Vnde incircunciſi ſumus natura & corde & auribus.Oportuit igitur Deũ ipſum clementiſſimum & ſapientiſſimũ,qui trahit omnia ſuauiter,præmittere quædam tãquam elementa,id eſt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

principia, & quodam modo alphabetum per pedagogum enunciandum, vt erudiemur, faciliusque ea caperemus quæ discenda nobis erant à doctore Christo, de quibus mox dicetur sequēti cap. Illud ergo hic accuratè notandum est, illum qui in notitia diuinorum non proficit, deficere. Et qui debēt esse Magistri, & non sunt, ij minus sunt idonei, quam qui primum rudes & imperiti inueniuntur discipuli. Quapropter hoc exprobrat in Hebræos Apostolus tanquam vehementer absurdum, omninoque, & ait:

Et facti estis quibus lacte opus sit, & non solido cibo. Pondera verba: *Et facti estis*, inquit, tanquam si diceret: Vestra hoc factum est socordia, qui non profecistis in elementis, nec voluistis ablactari in Isaac, vt postmodo fieri possetis hostia, & holocaustum bene placens Deo: quoniam in Isaac est promissum semen. Notet lector ablactationem hanc, quæ illum significat perfectum progressum, quem debuerāt iam fecisse Iudæi, & non fecerunt. Quin potius relicto vero filio sunt Ismaelem imitati, qui persequutus est Isaac, vbi animaduertit illum crescere, & exosum habuit grande ablactationis conuiuium. Tales fuerunt Iudæi videntes vocationem Gentium, & tam promptum ad fidem euāgelicam concursum. Quam rem ipsi per inuidiā vehementer oderunt, non intelligentes creaturas Dei nos esse, æternæ vitæ, quemadmodum & illi, capaces.
Act.10. Huius inuidiæ clarissimum habemus in actis Apostolicis exemplum, quando accersitus à Cornelio Centurione B. Petrus, eundem baptizauit. Qua re cognita Iudæi illum durè increparūt, aientes: Qua re intrasti ad viros præputium habentes? Quibus ille benignè facti sui rationem reddere volens, ordine recitauit integrā profectionis historiam, quomodo sibi oranti ostēsum est linteum animalibus mundis & immundis refertum, & mandatum vt occideret & māducaret. At ipsemet primò exhorruit. Tum audita Dei sententia, qua testificabatur à se omnia sanctificata, admirans & Deū laudans, ait: In veritate cōperio quòd non est acceptor personarum Deus, sed in omni Gente qui timet illum acceptus est illi, &c.

Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. Hic sermo iustitiæ, sermo Dei est. Hic solidus est cibus, nec porrigendus est homini lacte ad huc indigenti. Quicunque enim huiusmodi sunt, expertes sunt sermonum Dei, & excusant se ne faciat eis verbū Dominus: quia paruuli sunt, & non possunt portare. In eo statu discipuli Domini aliquando inueniebantur, qui nondum poterant eo tempore quædam portare, sed tum demum quando cœlitus aduenit Spiritus. Ipsi enim tunc erāt in via Dei adhuc paruuli. *Perfectorum autem est solidus cibus.* Cum multipliciter & variis rationibus considerānda sit perfectio, ob eam causam ne quis confundatur, oportet prudēter distinguere. Hic enim respectu statuum & legum cōsideratur ipsa perfectio. Quātum ad Iudæos spectat, nemo per legem constituebatur in statu perfecto. Nā qui in eo statu semper manebant, erant semper pueri, & lactis participes, & non sermonis iustitiæ illius quæ erat in Deum, & æternorum bonorum. Ideo neminem ad perfectum adduxit lex Moseos, id est, ad eam iustitiæ perfectionem, cui debetur vita æterna. Quicunque autem venit à Iudaismo ad Christianismū, & potest dicere, Recedāt veteta, noua sint omnia, hic adipiscitur statum perfectum respectu prioris status. Licet & in eo statu sit primùm velut noua & tenera planta recens, quæ possit proficere, & debeat ad perfectum venire. In eo enim primo statu pueri sumus incipientes, ac deinde proficimus, & tum euehimur ad perfectum: ita vt nisi Deus ex singulari priuilegio in quibusdam perfectionem acceleret, opus sit etiam alio aliquo lacte, donec quiliber huius status particeps factus, crescat & perficiatur, & sit capax sermonis sapientiæ. Et secūdum hunc intellectum scripsit ad Corinthios, eatenus se illis non esse loquutum quasi spiritualibus, sed quasi paruulis & carnalibus. Lac (inquit) dedi vobis, non escam. Non enim potetatis, sed nec adhuc potestis. Et tamen lac illud comparatione eorum quæ traduntur in statu Iudaico, poterat dici solidus cibus: erat enim prædicatio Christi crucifixi. Declarat autē hoc in loco qui sint perfecti, & quorum sit iste solidus cibus.

Perfectio multiplex ob varios status.

1.Cor.3.

Qui pro ipsa consuetudine. Græcè melius, διὰ τὴν ἕξιν, id est, per habitum. Non autem intelligas habitum acquisitum, sed infusum: illud nimirum charitatis & iustitiæ donum, qui est supernaturalis habitus, & per illum habemus discretionē, vt sapienter bonum à malo diiudicare valeamus. Hac discretione necessario indigent quorundam superstitiosa ingenia, qui plerunque in eo bonum & malum summum collocant, in quo reuera non est ponēdum: & ecōtrario in quo verè consistit non considerāt. Nonnullos enim videas pharisaico fermento ita compactos, vt verè deprehendantur excolare culicem, & deglutire camelum, dum plus æquo obseruantias quasdam mordicus tenent: in fratrem autem misericordiā non impendunt, quos in ea parte vel leuiter reprehendit conscientia, vel plerunq; omnino non reprehēdit. Excusant enim protinus, qui putant se moneri zelo. At hi sensum misericordiæ non habent, qui nesciunt quam vim illud contineat: Misericordiam volo, & non sacrificiū. Nec verò ista dicūtur in aliquod decoris, & regularium obseruantiarum detrimentum, quasi despiciendæ sint, aut vllo pacto omittendæ: sed ad eam cautionem atq; prouisionem, vt quæ sunt charitatis propria (quemadmodum par est) semper anteponantur, & omnino seruentur. Hoc sanè non perpendebant Iudæi, qui more puerorum ad literas Moseos attendebant impensius, quàm ad sermonem iustitiæ, more perfectorum. Quapropter nec poterant ablactari, nec viam pacis agnoscere, quæ est à charitate infusa. Hæc enim est vinculum perfectionis quæ desuper venit, & propter Christū, & non nisi credentibus in illum. Istud vehementissimè cupiebat Apostolus Hebræis perspectum esse, & certissimè ante omnia persuasum.

Notēt qui minora maioribus anteponunt.

Matt.9.

CAP. VI.

QVapropter intermittētes inchoationis Christi sermonē, ad perfectionē feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum

doctrinæ, impositionis quoque manuū, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hæc faciemus, si quidem permiserit Deus. Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutēsque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpe veniētem super se bibens imbrem, & germinās herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem.

POstquam Doctor noster dulciter, & cum tanta sui erga eorum salutem desiderij ostēsione, Hebræos increpauit, qui pueris similes insisterent in elementis & rudimentis primis, minus idonei ad percipiendum iustitiæ sermonem, eosdem nūc subleuare volens, & ad fortiora erigere, ait: *Quapropter*, id est, quia iam præterierunt infantiæ ac pueritiæ tempora, *intermittentes*, aut potius omittentes, *inchoationis Christi sermonem*, id est, omittentes illum sermonem, qui est quodam modo (vt ita dicamus) inchoatiuus, & manuductiuus ad Christum, & est sermo in literis Moseos. *Ad perfectionem feramur*, id est, ad solidū cibum. Hic est sermo charitatis. Lex enim Dei est charitas, quæ vt B. Augustinus elegātet docet, data est vt gratia quæreretur. Gratia autē data est vt lex impleretur, vt & impleta lex coronam cœlestis regni mereretur. Itaq; exorta euāgelij luce indignum est prorsus in tenebris antiquæ legis velle iterum ambulare, *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, &c.* Quod ait, *Non rursum*, declarat iam fundamentum hoc iactum fuisse, ita vt iam illos oporteret in posterum ad superædificationem intēdere.

Vt autem huiusce rei intelligentiam possimus consequi clariorem, operæpretiū est totum Christianum ædificium exactè intueri. Et primum quidem est in pœnitentia, quam Græci μετάνοιαν vocant, videlicet vt tædeat hominem, ac pœniteat eum vitæ suæ prioris, quæ non tam est vita dicenda, quàm mors. Hæc pœnitentia quam primum exigit à nobis Dominus existentibus adhuc inimicis, ab operibus mortuis elicitur: quoniam opera hominis iniusti, & in ipsa iniustitia manentis, cuncta sunt coram Deo mortua, vtpote non facta in illo, vnde est spiritus vitæ: & ideo non sunt vitæ æternæ meritoria, neque gratiæ, vi sua: quia nō sunt adhuc facta in Deo. Ista opera mortua, quæ sunt pœnitentiæ (ad eliciendam illam) fundamentum, significata sunt in Exodo, quando filij Israel onerabantur à Pharaone in operibus duris luti & laterum, & in paleis: in quibus operibus seruiebāt Pharaoni.

Vbi primùm hanc miseriam pernouerunt filij Israel, tunc cœpit eos talium operum tædere ac pœnitere, exosamque habere Aegyptum: & cœperunt animum ad libertatem excitare, & meditari peregrinationem ad promissionis terram. Hic sermo fuit vmbraticus, & inchoatiuus Christi. Nam in illis operibus, quæ dici possunt mortua (quia nullam conferebant Hebræis vtilitatem) significata sunt omnia hominum eorum opera, qui sunt in humana miseria obligati Aegypto, hoc est, mundo sub Pharaone antiquo principe mundi, & tyranno diabolo.

Hortatur ergo Apostolus, vt minimè vlterius illa opera considerentur, quæ mortua erant. Solùm enim ad vitam temporalem spectabant. Sed quæ in illis significantur cuncta opera existentium sine Christo, quæ verè mortua sunt ad spirituale lucrum: hæc, inquam, debent considerari. Non consideretur illa Aegypti terra, sed in illa hic mundus in maligno positus, & sub tyrannide principis diaboli veri Pharaonis, qui in illo figuratus est Pharaone. Igitur omittamus considerationem illorum operum, nisi quatenus in ea est quoddam fundamentum ad eliciendam veram pœnitētiam, quam Christus prēdicauit, fidei subsequuturæ præuiam.

Non rursum iacientes fundamentum fidei ad Deum. Nam hoc fidei fundamentum iam olim iactū est. Postquā enim populus ille audiuit Mosen & Aaron, & vidit verba signorum, dicitur tum credidisse quòd Dominus respexerit afflictionem ipsorū, & pronus adorasse. Hoc idem rursum post exitum de Aegypto narratur in transitu maris rubri. Crediderunt (ait scriptura) Deo, & Mosi seruo eius, per quem Deus ipse promisit illam terram. Hęc illorū fides fuit quædam inchoatio, & tāquam manuductio ad fidem Christi, & verorum bonorum: quæ fides est ad Deum. i. respicit Deum promissorem non vllius terræ mūdi huius, sed suiipsius: quemadmodū est Abrahæ pollicitus. Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Idē est ergo promissor, & res promissa videlicet ipse Deus.

Exod.3.

Ibid.14.

Gen.15.

Quoniam verò hæc fidei professio fit in baptismo aquę, quod est signum fidei: & adhuc in baptismo ignis, id est, tribulationum & passionum, ob istam causam etiam fuerunt horum baptismatum elementa in lege illa. Nam primum baptisma fuit in nube & mari rubro, vbi se Deus protectorem ostendit media nube, & liberatorem illius populi per baptismum maris sub Mose, homines ad Christum inducente. Sed venit Iosue, & alio baptismo Iordanis baptizauit. Qui baptismus (ni fallor) significauit baptismum Spiritus sancti, quo fuerunt Apostoli baptizati. Sic enim prædixerat eis Dominus, dicens: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Nec est reuera alius hic baptismus, sed est prioris baptismi per crucis imitationem consummatio, atque perfectio.

Act.1.

Elementa ergo horum baptismorum quæ fecit Dominus, sunt illæ figuræ, quas in transitu rubri maris & Iordanis Dominus illis veluti pueris depinxit. Vnde & fundamenta similiter iecit doctrinæ de Christo in doctrinis illis, per quas admonebātur maiores vt docerēt populum illum, & filios suos. Traditur enim doctrina in primis de Phase, qua cōmonefiunt ipsi patres vt filios suos erudiāt,

Universidad de Deusto Biblioteca

& eis dicant: Hoc eſt quod mihi fecit Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto, &c. In hac doctrina tanquam in figura accipitur catechiſmus de Chriſto, & ſimiliter de aliis feſtis. Et in doctrina de redemptione primogenitorum, & in doctrina de Manna, & de aliis beneficiis carnalibus, quæ Deus in populum illum contulit, ſpiritualia ſignificata ſunt beneficia, quæ nobis per Chriſtum Redemptorem noſtrum ac Dominum largitus eſt.

Erant & elemēta impoſitionis manuum, id eſt, ſacri ordinis, qui conſiſtit in ſacerdotibus & miniſtris altaris: per quæ elementa ſacer ipſe ordo futurus in Chriſto ſignificabatur. Hic ordo primùm ſignificatus fuit in ſacerdotio Aaron & filiorum eius, ſicut legitur Exod. cap. 29. Erant & elementa reſurrectionis mortuorum in his quos ſuſcitauit Elias, & Eliſæus. Denique elementa iudicij æterni accipiuntur ab hiſtoria diluuij, & ab incendio ſulphureo quinque ciuitatum Sodomæ, Gomorrhæ, & reliquarū: & à ruina Ierico, & huiuſmodi aliis, quæ Dei ſempiternum iudicium prædicerent. Hęc igitur cuncta, quæ veluti pueris elementa data erant ad agnitionem veræ pœnitētiæ, & fidei, & baptiſmatum, & doctrinę, & impoſitionis manuum, & reſurrectionis, & iudicij æterni, ſuadebat Apoſtolus miſſa eſſe facienda: proficiendum autem in ipſa vera pœnitētia, & vera fide, & veris baptiſmatibus, & doctrina Chriſti, & Spiritus ſancti chariſmatibus, & ſpe reſurrectionis, ac iudicij æterni veri; in quibus omnibus ſerio exercerētur. Illa quippe elementa iam non ad aliū vſum ſunt nobis hoc tempore vtilia, niſi ad probādam veritatem. Quo fit vt ſiquis adhuc in illis manere velit, ſeruus efficiatur, & iniuriam facit iubileo, non perueniēs ad libertatem Chriſtianam, ſed perpetuo pendens à lacte matris, in quo verus Agnus non coquitur. Eſt

Exod. 23. igitur hic ſermo ſuaſorius Hebræis ad perfectionem Chriſtianam, quo oſtenderent ſe iam veros progreſſus in lege feciſſe, veluti ſub pædagogo ad Chriſtum ducente, & ea quæ puerorum erant propria omiſiſſe, quæ erāt figuræ & vmbræ: ea autem quæ vera ſunt contemplari.

Verum cum nequaquam ignoraret Apoſtolus, fuiſſe quoſdam iam incapaces ſuaſionis (ingreſſi enim in Chriſtum apoſtatabant aliqui) ideo addit:

Nota. *Et hoc faciemus*, id eſt, feremur in hanc perfectionē, *Si quidem permiſerit Deus*, ſatis innuens hanc facultatem quibuſdam minime à Deo ipſo dari. Durum ſanè verbum videri poteſt, ſed tamen rationi conſentaneum. Non enim eſt via ordinaria illis ad reſipiſcendum patefacta, qui ſemel acceperunt lumen veritatis, & tamen in eo propter malitiā voluntatis eorum non profecerunt. Propterea tremendam hanc mirum in modum ſententiam ſubdit Apoſtolus:

Impoſsibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. Hunc locum ſic exponunt quidam, vt, *impoſsibile*, poſitum ſit pro valdè difficile. Alij volunt abſolutè omnino eſſe impoſſibile, aptātes hunc locum ad baptiſmum, vt ſit ſenſus: Poſt acceptam in baptiſmo gratiā & dona, ſiquis prolapſus fuerit, non ſupereſt ei vlterius alius baptiſmus, quo iterum in pœnitentia renouari poſſit. Non tamen per hoc negatur pœnitentiæ remedium, appoſitè ſecunda poſt naufragium tabula appellatum. Qui ſenſus mihi aliquādo placuit. Nam ſermonem de baptiſmo haberi ab Apoſtolo inde elici videtur, vbi ait: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, &c.* In baptiſmo enim vnuſquiſq; crucifigit ſibi Chriſtum. *Locus difficilis.* Quòd ſi in vno eodemq; homine pluſquam ſemel fuerit, profectò non aliud eſſet, niſi profiteri Chriſtum non ſemel, ſed pluries eſſe mortuum. Renouatio igitur quæ per baptiſmum fit, non niſi ſemel poteſt fieri, ne adſit in profeſſione mendaciū hoc, Chriſtum ſcilicet pluries eſſe crucifixum. Et præterea ne cōtumelia inferatur in ipſum Dominum iam cum Patre viuentem, ſi toties exigatur ab illo pro nobis, & repetatur ea perfecta ſatisfactio, quę fit in baptiſmo virtute paſſionis eius, ad exoluendum penitus omne peccatorum noſtrorum debitum cum ipſius culpæ, tum & pœnæ.

Ego verò attentius tandem hanc admirandam Apoſtoli ſententiam conſiderans, etſi priorem ſenſum minime reprobem, cenſui tamen alium quem nunc explicabo, eſſe germanum, & apoſtolica doctrina dignum: nam in eo ſuperior quoque includitur. Quem vt melius capiamus, primùm conſiderate debemus ſapientiſſimum Patrem prouidentia ſua etſi attingat à fine ad finem fortiter, diſponere tamen omnia ſuauiter. Ordinauit enim certas ordinarias vias, & certos progreſſus homini ad ſalutem, vt quaſi per gradus (& vt ita dicamus) paulatim proficiens, de imperfecto feratur ad perfectum. Huius rei gratia ante aduētum Domini permiſit homines viuere ſub elementis mundi huius. Populo autem Hebræo legem tanquam pædagogum dedit, quo duceretur ad Chriſtum, habens populum illum tanquam puerum. At poſt Chriſti aduentum omnes effecit dociles Deo: non ſolos Iudęos, qui iam facti erant dociles per legem, verùm & ipſos Gētiles: quoniam erant & ipſi faciles qui admitterent prædicationem pœnitentiæ, & catechiſmum de Chriſto.

Hortatur itaque Hebræos, qui debuerant exactius propter legem profeciſſe, & iam de pueritia propter plenitudinem temporis exiiſſe, vt ad perfectionem perducerentur, ſi modo Deus permiſerit. Cōteſtatur autem eis, quòd ſi illi qui ſemel venerunt ad Chriſtum, & vſqueadeo in euangelio profecerunt, vt de veritate illuminati guſtauerint illud gratiæ, & charitatis Dei cœleſte donum, & per hoc participes facti ſunt Spiritus ſancti, qui Deus eſt & charitas, cuius donum illud eſt quædam participatio: & guſtauerunt iam bonum Dei verbum, quod eſt promiſſio futurorū bonorum: & virtutes, ſiue potentias futuri ſæculi: quoniam acceperunt hic arrham futuræ gloriæ in futuro ſæculo manifeſtandæ. Si, inquam, tales poſtea prolapſi fuerint, id eſt, ab his donis deciderint, ita vt etiam fidem amiſerint (ſic hoc in loco prolapſionem intelligo) impoſſibile eſt eos renouari ad pœnitentiam, id eſt, impoſſibile eſt redire talem hominem ad priorem diſpoſitionem ac ſtatum, in quo erat prius, & in quo inuenitur homo rudis & nouus, qui primordiis eget illius ſermonis qui de reſipiſcentia tractat. Nam qui in hoc ſtatu eſt, docilis eſt Deo, & duci ad pœnitentiam & fidem poteſt. At poſtquā inde ventum eſt in hæc dona Spiritus, & ab his donis iam in Chriſtum ingreſſus homo relapſus, & præuaricator inuentus in illo,

non amplius in eum redit ſtatum, in quo inueniebatur, quando nihil de Chriſto cognouerat. Quocirca ſimpliciter verum fit, impoſſibile eſſe hunc hominē renouari ad pœnitentiam, ſcilicet vt perinde ſit, ac ſi rudis & nouus omnino eſſet, & ita docilis Deo.

Eſt autem ratio huius euidens: quia talis poſuit ſeipſum in eorum ſtatum qui doceri amplius nequeunt. Docibilitas autem à Deo eſt. Si quis igitur ætate puer eſt, conuenit ei lac, vt inde tranſeat ad ſolidum cibum. Poſtquam verò factus eſt vir, turpe eſt omnino ac præpoſterū à ſolido cibo redire ad lac, vt iterum inde ſit ad ſolidū cibum traducēdus. Sic agit Dominus Deus: Poſtquā enim è puero quiſpiā ita exceſſit, vt donū gratiæ guſtauerit, ſi inde volūtariè exciderit, Deum tædet, & indignatur: nec remedium illi ordinarium parat. Et iccirco non eſt in eo ſitum, vt per baptiſmum valeat iterum emūdari. Eſſet enim iſtud rurſum ſibi crucifigere Chriſtum & habere oſtentui.

Via etiam ſacramenti pœnitentiæ, quæ eſt ſecunda (vt dicitur) tabula, iis prodeſſe non poteſt qui exciderunt à fide, niſi prius in fidem redeāt & inſtaurentur, ac proinde miſericordiam requirāt. Verùm hoc non facile iis permittit Deus qui hu-

2. Petr. 2. iuſmodi ſunt, qui poſt agnitam veritatem ſpreto mandato conuerſi ſunt retrorſum. Indignatur enim Deus & meritò, quando animaduertit ſe fruſtrà oleum (quod aiunt) & operam noſtri gratia perdidiſſe, cum retrocedimur.

2. Cor. 6. Quapropter hortabatur Corinth. Apoſtolus, ne in vanum eſſe ſinerent, id eſt, otioſam gratiam

Gal. 4. iam acceptam. Et ad Galatas: Timeo (inquit) ne fruſtrà laborauerim in vobis. Non enim ſic commouetur, nec tanta ſeueritate indignatur in eos Deus qui foris ſunt, & nunquā acceſſerunt, quanta in eos qui iam familiares & domeſtici facti, foras egrediuntur. Nec ita vehementer in illos qui non audierunt, aut non admiſerunt ſermonē prouocatur, quàm in eos qui & audiuerunt & guſtauerunt, & nihilominus auerſi ſunt relinquētes ve-

2. Petr. 2. ritatē iam guſtatam. Ad iſtud etiam videtur B. Petrus reſpexiſſe, vbi dicit: Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, iis rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum cōuerti ab eo, quod illis traditū eſt, ſancto mandato. Contingit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti: hæc B. Petrus. Et Doctor noſter ſubiungit:

Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrē, &c. Terra cor noſtrum eſt, quod tunc bibit imbrē ſuper ſe venientē, quum cœleſtium ſuſcipit pluuias veritatum. Quod ſi inde non proficit, vt germinet herbam opportunā iis à quibus colitur, qui ſunt præpoſiti & paſtores animarum, iam cenſetur reproba, & maledicto proxima. Generatio autē herbarum opportunarum, eſt productio fructus charitatis, qui ſunt variæ bonarum actionum ſpecies, ſicut ſunt & herbarum variæ ſpecies. Talis igitur terra inobediens cultori, proxima eſt maledicto, & eius conſummatio eſt in præparatam mox combuſtionem.

Confidimus autem de vobis dilectiſsimi meliora & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis quam oſtēdiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis & miniſtratis. Cupimus autem vnunquenque veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem: vt non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide & patientia hęreditabunt promiſsiones. Abrahæ nanque promittens Deus (quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem) iurauit per ſemetipſum, dicēs: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic lōganimiter ferens, adeptus eſt repromiſsionem. Homines enim per maiorem ſe iurant: & omnis controuerſiæ eorū finis, ad confirmationem, eſt iuramentum. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationes hæredibus immobilitatē conſilij ſui: interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenēdam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech, Pontifex factus in æternum.

Miro charitatis artificio, ne quod ex ſe ita erat, vt declarauerat, poſſet quenquam in deſperationē cōiicere, priorem ſermonem temperat, & ait: *Confidimus autem de vobis, dilectiſsimi, meliora & viciniora ſaluti*, hoc eſt, id confidimus de vobis, per quod appropinquamus ſaluti. Hoc autem eſt permanere, ac proficere in fide & dilectione Dei, *tametſi ita loquimur*, ac ſi dixerit: Etſi me charitas ita loqui cogat, quæ plena timoris, ſolicita ſemper eſt pro filiis & fratribus, attamen non ſum deiectus ſpe, quin exiſtimem meliora de vobis. Et rationem ſubdit ſperandi meliora:

Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, &c. Ex his verbis clarè colligitur, laborātibus eſſe mercedem operis à Deo, & ipſum Deum obligatum eſſe retribuere pro benefactis, poſtquam ita nobiſcum pactiones iniit. Nam in hūc modum arguit B. Paulus, vt hoc probet. Si hoc non faceret Deus, eſſet iniuſtus. Non eſt autem iniuſtus: Ergo rectè operantibus retribuit. *Quo inte[illegible] & iu[illegible] aliqua[illegible] ter Deum & nos.*

Verùm contraria videtur illa Domini ſententia in euangelio diſcipulos erudientis: Cum feceritis hæc omnia, dicite: Serui inutiles ſumus. Quæ enim debuimus facere, fecimus. Quid igitur ei debetur, qui quod debuit fecit, & nihil contulit vtilitatis Domino ſuo? Quæ dubitatio nullo negotio ſoluitur: Si conſiderentur opera ipſa quid proſint *Dubi[illegible] ga[illegible] merc[illegible].* *Solutio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo, vt pro his teneatur retribuere: Item si conditionē nostram & obligationem respectu eius consideremus, qua tenemur rependere illi quicquid habemus, à quo omne bonum nostrum manat, & illud ipse operatur in nobis. Si, inquam, hæc considerauerimus, nulla profectò potest inueniri debiti ratio. Sed si ad eius benignissimam voluntatē & dona respiciamus, quibus eousque sumus eleuati vt simus aliqua eius portio (nam per hæc dona nos erexit in dignitatem filiorum, & amicorū, & ciuiū paradisi, vt aliquo modo potuerimus venire in commercium cum illo, & aliquod iustum prætendere) ipse sua propria lege, quæ est illius voluntas, inuenitur nobis obligatus, aut sibiipsi potius in nobis, à qua volūtate non potest recedere: alioqui recederet à semetipso, cuius voluntas nihil aliud est quàm ipsemet. Hoc voluit alibi Apostolus, vbi ait: Seipsum negare non potest. 2. Tim. 2.

Ecce igitur vnde oritur obligatio Dei nobiscū, & aliqua iustitiæ ratio: non perinde tamen atque in hominibus interuenire solet, in quibus ille creditor est qui primò dedit, & debitor qui accepit. Deus autem & hoc dedit vt debitor fieret, & sese alligauit, vt ipsemet qui accepit, etiam esset creditor. Quāombrem hæretici omnino qui hanc Dei iustitiam superbè negant, præsenti Apostoli testimonio confodiuntur. Opus enim laboris & dilectionis habet à Deo præmium, modo fiat Christi nomine in eius gratiā & gloriam: qui illud ipsum quod fratri intuitu eius impendimus, ipse tāquam sibi impensum recipit, & fert acceptum. Singularia enim dilectionis opera commemorat Apostolus, quibus ministrauerant sanctis, & adhuc ministrabant. Et Dominus & Redemptor noster tanquā facta sibi ipsi, & in se vnū collata acceptabat.

Verùm cum aliqui delassari, ac paulatim (vt nō rarò accidit) deficere inciperent, & fortè propter acerbas tribulationes, & angustias magnas quæ tunc Christianis inflīgebātur, ad continēdos eos, vt in officiis iam inceptis perdurarēt inuicti, adiecit: *Cupimus aūt vnunquenque vestrum eandē ostentare solicitudinem*, Non illum, aut illum, sed vnunquenque cupimus ostendere solicitudinem, siue diligētiam & studium bene faciendi, *ad expletionem spei vsque in finem*, Hoc in loco vide lector, quomodo ille qui est in Christo, & spem habet futurorum bonorum, quandiu est in via tenetur semper operari, & proficere ad expletionē spei. Vt enim nondum habet salutem in re, sed in spe quandiu est in tabernaculo corporis huius: ita nec habet in spe perfecta & plena quādiu hic manet. Impletur ipsa salus post bonorum perfectionem operum. Plena ergo tū erit spes, cum vsque in finem perseuerasse patebit: perseuerantiæ enim est & non solius inchoationis. Istud vehementer desiderabat in eis Apostolus, nimirum vt in finem vsque operando, mentem fideliter excolerent per charitatem, longanimiter expectantes aduentum Domini. Et hic vnus est locus, inter plerosque alios in hac epistola, quos B. Petrus cōmemorat, aiēs: Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati inueniri in pace, & Domini nostri lōganimitatem arbitremini salutem, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, &c. 2. Pet. vlt.

Vt non segnes efficiamini: verùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones, &c. Corrigendus omnino est hic locus ex Græcis codicibus, vbi non legitur, *hæreditabunt*, futuri temporis, sed, *hæreditant*, aut potius hæreditate accipiūt promissiones. Magno sunt profectò nobis adiumento maiorum exempla, & ad difficilium rerum tolerantiam mirum in modū conferunt. Dum enim attendimus ad fœlicem eorum exitum qui multa passi sunt, & à passionibus eximiam retulerunt mercedem, nullo modo cum ipsis passionibus ob sui magnitudinem conferendam (quoniam incōparabili excessu maior est merces, quàm labores) longè animosiores & fortiores euadimus. Labores autem ipsi atque dolores redduntur nobis leuiores, & multis etiam dulces. Porrò hîc notandū in Lutheranos, non dictum esse ab Apostolo, fide tantum Patres hæreditatem consequutos, sed fide (ait) & patientia, quæ patientia erat in beneficentia, & tolerantia passionum & tribulationum pro Christi nomine, habēs interim obedientiam mandatorum Dei. *In hæreticos.* *In hæreticos.*

Abrahæ nanque promittens Deus, &c. Vide quomodo adducit insigne Abrahæ exemplum ostensæ insignis erga Deum charitatis in ratissima illa obedientiæ promptitudine, cum obtulit Isaac filium suum in altari. Post quod factum habuit cōfirmationem promissionum perfectam, quā ostendit Dominus iureiurando. Vnde subtiliter B. Paulus & efficaciter protinus, subdit:

Quoniam nemmem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens, &c. Est igitur sensus: Licet antequam hoc summum obedientiæ opus, in quo est tentatus à Deo, vt proferret extremū charitatis suæ, iam illi promisisset Deus, illa tamē non fuisset stabilis promissio, nisi Abraham obediēter perseuerasset. Non quasi mutetur Deus, aut quasi non sit fidelis: sed quia promissio illa cōditionem includebat operum, ac perseuerantiæ in obedientia. Fuerat enim illi dictum à Domino: Ambula coram me, & esto perfectus. Non enim qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit: vt Dominus ipse testatur. Gen. 17.

Quantumuis enim esset Abraham fide iustificatus, nōdum tamen erat plena illa fides: sed implenda erat operibus bonis, & obedientia mandatorū Dei. At postquam tanta obedientia impleta est, iterum habet promissionem solidam ac stabilem, nimirum iureiurando vallatam, ac roboratam. Tunc demum confirmatus est ille, & amicus Dei appellatus, vt B. Iacobus testatur, & repromissum est ei. Iac. 2. Signum autem stabilitatis promissionum Dei, est iuramentū: quo fit vt agnoscamus nullo pacto posse illud irritari, quod iureiurando est cōfirmatum. Ea quæ ante iusiurandum sunt promissa, infirmari quidem possunt, cum habeant (sicut diximus) operum & obedientiæ conditionem, quæ si non seruatur, euacuatur promissio. Potest autem dum non est adhuc confirmatus homo à Deo ne possit à gratia excidere, conditio illa deficere.

Quoniam verò videri poterat iuramentum non pertinere ad Deum (nam qui iurat, per maiorem se iurat: Deo autem nihil est maius) huic argumēto occurrens Apostolus, docet iuramentum Dei non esse iuramento hominum simile. Neque propter-

ea consequitur, vt non sit iuramentum: quoniam vt sit iuramentum, exigitur vt is qui iurat, attestetur eum qui est ineffabilis veritatis. Cum hoc faciat per semetipsum iurans Deus, eius tantò est fortius iuramentum, quantò ipse non potest negare seipsum, qui est ipsa veritas. Homo autē potest negare Deum, cum sit ipse mendax. Nisi fortè & illud dicamus, quòd & homo, cum est infidelis & fœdifragus, confitetur seipsum. Addit formam iurisiurandi.

Nisi benedicens benedicam te, siue benedixero, *& multiplicans multiplicauero te*, Supplendum hic est tale aliquid. Nisi hoc fecero, non ero Deus: quod est summum impossibile. *Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem*, Et hoc exemplum de Abrahā in Lutheranos, quem à longamini tolerantia, non à sola fide (vt aiunt illi) adeptum repromissionem tradit Apostolus. *In hæreticos.*

Homines enim per maiorem se iurant, Quoniam per illum facienda est assertio & contestatio, qui mentiri non potest, qualis est Deus. Declarat autē vim & religionem iurisiurandi, cuius efficacia est reddere illud cōfirmatum, quod erat infirmiter suasum. Nā vbi adest semiplena probatio, adhibito iurisiurandi testimonio confirmatur, quemadmodum iura dicunt. Vnde ait:

Et omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum, Non ait simpliciter omnis controuersiæ finem esse iuramentum, sed ad confirmationem: & intelligitur, quando iam est aliquo modo suasum in causa, sed non plenè. Solet enim ad confirmationem requiri iusiurandum: & illud satis est ad causæ decisionem. *In quo abundantius volens ostēdere Deus, &c.* Vult his verbis docere Apostolus: Licet Deus vel si non iurasset, fuisset verax: ex abundanti tamen propter nos qui sumus mali, interposuit iuramentum veluti signum designatis hæredibus immutabilis consilij volūtatis suæ. *Vt per duas res immobiles*, quarum altera est promissio, altera est iuramentum, *in quibus impossibile est mentiri Deum*, Non enim quia iurat Deus magis est verax, quàm si promitteret simpliciter quod omnino facere deliberauit. Sed (vt diximus) iuramentum est pro signo absolutæ illius voluntatis à nulla prorsus conditione pendentis. Sic promissum est sacerdotium Christi iuramento, dicente propheta: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos inæternum, &c. Psal. 109.

Dicit ergo Deum ob eam causam iuramento cōfirmasse promissionem, *vt fortissimum solatiū habeamus*, Solatium enim aliquod patientibus tribulationem, est necessarium in hac fragili vita nostra. Declarat autem quorum verè sit hoc solatium, subdens: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem*, Illi propositam tenent spem, qui bona operātes perseuerant in patientia, *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam, & firmam*, Proponit nobis Apostolus animam esse quasi nauem, quæ in hoc mari magno & spacioso iactari potest fluctibus, & plerunque mergi: quæ firmari solet anchora, ne irruentibus cedat fluctibus, qui sunt tentationes in naufragium impellentes. Anchora autem huius nauis, id est, animæ, spes est quę nullis tempestatum procellis finit illam hāc aut illāc temerè ferri aut iactari, ne obruatur, cum tuta sit & firma. Et nihilominus ait: *Et incedentem vsque ad interiora velaminis*. Est, inquam, tuta & firma hæc anchora, quæ non patitur animam cedere fluctibus, vt illam tandem ducat ad portum, quem per interiora velaminis significauit, hoc est, sancta sanctorum, vera illa sancta quæ sunt in Paradiso Dei, vbi absque vllo velamine apparebit Sanctus sanctorum omnibus sanctis suis, fœlicitas & beatitudo nostra. Vnde sequitur:

Vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, Nunquid verò & pro se quoque non introiuit? Equidem & pro se, imò primum pro se: quia ipse indiguit introire, cui propter nos suborta est hæc indigentia. Vt enī nos introire possemus, ipse exiuit à Patre, vt ita demum reuerteretur ad Patrem, & intraret in sancta cœlestia, si prius pararet nobis aditum post se introeundi. Ego vado (inquit) parare vobis locum. Ioan. 14. Hoc præstitit explens honorificentissimè munus pontificatus sui, dum semetipsum obtulit hostiam Deo Patri in odorem suauitatis. *Secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* Animaduertendum est hîc: Licet in eo munere offerendi hostiam semetipsum Deo, Christus exercuerit sacerdotium suum dum in terris ageret, non propterea desiit postmodo esse pontifex. Sed ex quo resurrexit, factus est à Deo sacerdos in æternum: quoniā vna illa hostia semel oblata, in æternum placauit Deum, tanquam si statim ab initio mundi inchoatum, ad finem vsque durasset illud sacrificium. Nā coram Deo secundum acceptationem tale fuit. Et ipse nunc in cœlis etiam Sacerdos manens ex merito factæ oblationis (cuius tamen est iugis memoria in terra per ministros suos) non cessat interpellare pro nobis vt Pontifex: & vt aduocatus ac patronus pro nostris causis assistere dicitur, vt scripturæ sanctę loquuntur. Sed de his in sequentibus dabitur vberior dicendi locus. *Quō Christus fit sacerdos inæternum.*

CAP. VII.

HIC enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omniū diuisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex iustitiæ, deinde autem & rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initiū dierum neque finem vitæ habens: assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quātus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Leui sacerdotium accipientes, mādatum habent decimas sumere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis: quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autē generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones, benedixit. Sine vlla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, &c. Volens extollere Doctor noster sacerdotium Christi præ Leuitico ad instructionem Hebræorum, qui non poterant ablactari ab illa lege, & sacrificio veteri, multis modis probat solum Christi sacerdotium esse verum ad expianda peccata coram Deo: & econuerso illud Leuiticum inutile: Et primùm quidem à persona ipsius Melchisedech, in quo antiquitus figuratum fuit, & circunstantiis eius.

Et primò quidem à nomine, quod significat regem. Idem enim est, Melchi, quòd rex. Rex autem noster Christus fuit. Nec regem tantum significat, sed regem iustitiæ, sicut scriptum est in prophetis: Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Dicitur autem Rex iustitiæ, non qui sit in se vno tantum iustus, sed & per quē alij omnes efficiantur iusti, quicunque iusti sunt. Ipse est enim iustitia nostra, hoc est, author iustitiæ nostræ. Et hoc opus fuit summi Pōtificis: quoniam ad introducendam in nos iustitiam, requirebatur primò satisfactio pro peccato, & Dei irati pacatio, & adhuc vt valeret ipse gratia ad reconciliandum & instaurandum nos in amicitia. At hæc tanta officia ad alium neminem poterant pertinere, quàm ad Filium Dei Iesum Christum Pontificē summum, vt merito dictus sit Rex omnis iustitię.

Ierem. 23.

Secundò, idem colligitur à loco cuius ipse rex erat, nimirum Salem: quæ vox significat pacem. Sicut ergo erat Rex iustitiæ, ita & Rex pacis: quia pacificauit quæ in cœlis & quæ in terra, & fecit omnia vnum, modo inter se conuenire vellent.

Eph. 2.

Tertiò, colligitur ex officio: quoniam ipse appellatus est sacerdos Dei altissimi, id est, Dei Patris, cui propter authoritatem & maiestatem originis conuenit altitudo. Sed quis accedet ad thronum Altissimi, sicut decet summum Pontificem, nisi qui fuerit Filius Dei?

Quartò, ex eo colligitur: quoniam absque patre, & matre, & sine genealogia inuenitur in scripturis: neque initiū dierum habens, neque finem, vt per hoc sit Filij Dei altissimi typus. Non ita intelligendum tamen, quasi non habuerit Christus Patrem, aut Matrem. Vtrūque habuit, quanquam non aliorum more, qui & prior fuit Matre sua, & à diebus æternitatis ipse processit æternus à Patre, vt propterea posit esse Sacerdos in æternum. Sed voluit indicare Apostolus, aptè Melchisedech fuisse typum Christi, eò quòd introducitur sine patre & matre, & sine genealogia, tanquam nec initium dierum habens nec finem, vt meritò illum scripturæ Filio Dei assimilem exhibeant, de quo scriptū est: Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.

Mich. 5.

Quintò, colligitur ex illo facto, quod per illum contigit Abrahæ. Obuiauit enim Abrahæ reuertēti à cæde Regum. Quo in loco cogitandū est, quòd Dominus volens iustificare Abraham, & constituere illum patrem multarum Gētium, vt in eum nos alij omnes tanquam in clarissimum speculū, & minimè fallax exemplum inspiceremus, iussit primùm vt egrederetur de terra sua & cognatione, & de domo patris sui, & veniret in terrā illam quam erat ei ostensurus. Ille Domino obsequutus profectus est tanquam peregrinus in terram Chanaam sibi à Domino promissam: ac deinde descendit in Ægyptum, & peregrinatus est ibi, quia fames erat in terra. Vbi & illibatissimè seruatus est Dei protectione singulari cum coniuge Sara. Inde egressus venit in australem plagam, factus diues & opulentissimus multa substantia, & suppellectili: & separatus à Lot nepote habitauit in terra Chanaam peregrinus, vbi & rursum accepit terræ illius repromissionem. Tunc mouit tabernaculum suum, & venit iuxta conuallem Mambræ in Hebron, vbi Adam sepultus fuisse creditur. Ac deinde cum iniissent pugnam quatuor reges aduersus quinque & obtinuissent, captiuúmque abduxissent Lot: ipse cum expeditis vernaculis expugnauit illos quatuor reges, & recuperauit Lot nepotē, & omnem substantiam eius. Et tunc obuiauit illi Melchisedech rex Salem, cū ipse Abraham reuerteretur à cæde quatuor regum. Quæ quidem omnia, si per se singula quid significent, intelligerentur, nobis proculdubio magnam atque illustrem redderent doctrinam.

Modus quo Deus voluit iustificare Abraham.

Gen. 12. 13. 14. & 15.

Vt autem mihi videtur, in Abraham hactenus significata est prima doctrina, quam ad iustificationem suscipiendā desiderat à nobis Dominus, quæ est vt egrediamur primùm de terra nostra, & patris nostri, hoc est, vt pœniteat nos naturalis conditionis, in qua omnes nascimur filij iræ, & ingrediamur in terram nouam: primò tamen accipiendam tanquam in peregrinatione, & deinde tanquam in possessione. Hæc terra Christus est & ecclesia, in quam primò ingredimur velut peregrini per fidem, vt exinde proficientes, illam possideamus apprehēdentes in visione aperta. Fuit tamen aliqua prius ineunda illi pugna cum quatuor regibus, qui superant quinque. Quatuor illi reges significant quatuor præcipuos hostes, quos habet homo vadens ad Christum. Et primus quidem est propriæ carnis dilectio, sub cuius seruitute nascimur. Huic adiungitur Amraphel rex Sennaar, in quo intelligo amorem sæculi huius, cui hæret rex Arioch, rex Eleazar, in quo saturitatē atque ebrietatem perspicio. Quartus hostis Thadal rex Gentium. Hic mihi significare videtur dominandi libidinem, quæ longè abest à spiritu Christi.

Nota.

Eph. 2.

Hos quatuor reges superauit Abraham in sua peregrinatione, vt etiam meruerit eripere Lot nepotem suum, qui inter alios ductus erat captiuus. Lot enim significat inuolutum & colligatum, quales sunt qui amore terrenorum, & sollicitudinibus huius mundi inuoluuntur, ne valeant expeditè sequi Iesum. Horum aliqui per Lot significati, liberantur gratia & opera perfectorum, sicut patet in Abraham. Opportunè autem obuiauit illi Melchisedech, scilicet postquam triumphauit de illis quatuor regibus, à cæde illorum reuersus. Porro eiusmodi obuiatio fuit admonitio quædam, vt agnosceret per quem victor extiterat, & ei gloriam daret, & non sibiipsi. Quod & fecit Abraham reddēdo gloriam Dei Filio, quē venturum Pontificem in illo Melchisedech sibi obuiante recognouit.

Sequitur ergo sextum signum, vnde colligitur hoc sacramentum. Id autem est benedictio. Benedictus enim fuit Abraham à Melchisedech, cum tamē & ipse Abrahā esset sacerdos, & ille qui tantam acceperat repromissionem.

Extra controuersiam verò positum est, minorem debere à maiore benedici. Sed si seorsim considerentur personæ quantum ad personalem gratiam, quis dicere ausit hominem illum Melchisedech maiorem fuisse ipso Abraham, quem Dominus patrem omnium Gentium constituit? Itaque Melchisedech ratione illius sacerdotij, in quo gerebat personam Christi, maior declaratus est à scriptura, qui benedicendo tantum Patriarcham, in eo munere maiorem sese ostendit: quia maioris personam sustinebat.

Minorem à maiore benedici, quomodo intelligatur.

Videtur tamen hæc sententia qua dicitur, Minorem à maiore benedici, instātia posse perimi. Nos enim nonne benedicimus Deum? Quis autē Deo maior? Præterea, Simeon ille iustus, nonne benedixit Christo? Respondemus ad primam obiectionē, Aliud genus benedictionis esse quo nos Deū, seu Deo potius benedicimus. Nostra enim in illū benedictio est potius quædam beneficiorum confessio, & gratiarum actio. Benedictio autem qua Deus benedicit nos, est beneficiorum collatio. Et enim benedicere Dei est benefacere. Talis est benedictio sacerdotum, qui loco Dei benedicunt. Ideoque inter sacerdotes turpe est & præposterū, maiori minorem benedicere. Simeon autem sacerdos cum Dei Patris personam gereret, maior homine & infante Christo, & Matre eius in ea re fuisse debet existimari.

Septimum signum fuit, quoniam ipse Melchisedech etiā accepit decimas de optimis, seu de præcipuis ac primitiuis ab Abraham. Qui enim decimas accipit, sacerdos est. Qui autem dat, confitetur se non esse sacerdotē, cuius est potius accipere. Et vt videas argumenti vim: Apostolus vult vt ipsum Abraham consideres quando decimas dedit Melchisedech, non pro se tantum, sed pro omnibus filiis quos in lumbis habebat, dedisse: quoniā vt pater illius Gentis benedictus fuit à Deo. Erat enim tunc Abram, non Abraham. Omnes igitur filij eius fuerunt decimati in illo: & ille Melchisedech decimas accepit, qui non est annumeratus in genealogia, seu generatione ipsorum.

Quòd si quis dixerit: Etiam Leui decimas accipiebat. Respondemus: Sed à quibus accipiebat? Nonne à fratribus, & vt ex vi legis Mosaicæ? Fratres autem ipsius Leui iam (vt ita dicamus) erāt decimati in ipso Abraham, ita vt reddiderint & ipsi per patrē decimas Melchisedech. Quòd ergo reddiderint fratres decimas etiam Leui, non arguitur Leui sacerdotium esse maius, sed contra potius esse minus, cum per Abraham patrem & ipse Leui, & fratres eius decimas persoluerīt Melchisedech æterno sacerdoti. Non enim Leui fuit maior patre suo Abraham. Nec dici potest, Leuiticum illud sacerdotium subintrauisse, vt cessaret illud Melchisedech. Occurrens enim Apostolus, declarauit Melchisedech esse vitæ insolubilis Pontificem. Leuiticum igitur sacerdotium subintrauit post promissionem, non ad abrogandum illud Melchisedech, sed ad roborandum potius & illustrius reddendū. Lex eo modo post promissionem patri nostro Abrahæ factam subintrauit, non vt euacuaret promissionem, sed vt legis inutilitate cognita clarior fieret promissio. Erat enim sacerdotium Leuiticū non secus ac ipsæ legis promissiones, videlicet nō spirituale, sed carnale sacrificium: non ex ore Altissimi, sed per os Moseos secundum mandatum carnale, vt videbimus, & (Deo dante) latius declarabimus.

Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia viuit. Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lūbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech. Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinē Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Trāslato enim sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est: de qua nullus altario præsto fuit. Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotib⁹ Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatē eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem sine iureiurādo sacerdotes facti sunt: hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus.

Roborat rationem iam datam pro sacerdotio Christi præ Leuitico, & ait: *Et hic quidem*, id est, in Leuitico sacerdotio, *decimas morientes homines accipiunt*, id est, qui moriebantur sacerdotes decimas accipiebant: *Ibi autem*, videlicet in eo sacerdotio Melchisedech, *contestatur*, scriptura sancta, *quia viuit*, Dicitur enim: Tu es sacerdos in æternum. Et re vera oportet eum qui dat vitam suo sacerdotio & hostiæ, esse viuentem. Hic est enim verus Melchisedech, qui & dixit: Filius quos vult viuificat. Sequitur:

Ioan. 5.

Et (vt ita dictum sit) per Abraham & Leui qui decimas accepit, &c. Amplius persuadet Leuiticum sacerdotium indiguisse sacerdotio Christi: quoniam cum decimaretur Abraham, & ipse Leui decimatus fuit, qui intelligebatur in lumbis eius. Qui ergo decimatus est, minor est illo qui decimas illas accepit. Vnde ait: *Adhuc enim in lumbis patris erat*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando obuiauit ei Melchisedech. Ostendit Leui ex eo fuisse decimatum, quòd decimatus est Abraham vt illius pater, in cuius lumbis tũc esse censebatur. Cogitandum est enim quòd cum Abraham iam decretus esset pater futuri Iudęorum populi secundum carnẽ, decuit vt ille populus expiaretur, quò idoneus fieret qui populus Dei peculiaris esset, etiam quantum ad carnalia. Et hoc non valuit esse nisi per Pontificem Christum, & sacrificium eius. Et ideo decuit vt daret decimas vero Pontifici, qui significatus est in Melchisedech, vnde accepit expiationem: quod & fecit per ipsum Abraham patrem. Quòd si populus qui venit ex lumbis Abrahæ expiatus est, & decimas dedit, & in illo populo concludebatur etiam Leui, planè sequitur & ipsum Leui quoque fuisse in patre suo Abraham decimatum.

Nota, & cape.

Sed nunquid similiter non erat in lumbis patris sui Abrahæ Christus, cuius dicitur filius? Cur ergo non & ipse dicitur decimatus?

Respondetur: Non eo modo Christus erat in lumbis Abrahæ, quo Leui, videlicet ex vi seminis. Quapropter ipse dicebat: Antequam Abraham fieret, ego sum. Imò ob hoc ipsum decimatur Abraham à Melchisedech, vt in eo Christus agnosceretur Pontifex, cui ab omnibus decimæ debentur. Per illud enim sacrificium aptatus est Abrahã, vt esset pater illius Gentis, quæ digna esset & lege, & sacrificio illo ad tempus honorari, & vocari populus Dei. Et hũc respicit illa benedictio Melchisedech, cum dixit: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum & terram, &c. Et tunc dedit ei decimas Abraham, etiam pro Leui, quem habebat in lumbis, vt eius sacerdotium sanctificaretur. Hanc doctrinam subtiliter nobis indicauit Apostolus, dum Leui decimatũ declarat. Et notandum est diligenter quod ait: *Adhuc erat in lumbis Abrahæ, quando obuiauit ei Melchisedech*. Ac si dixerit, aliquando tandem fore decidendum de lumbis eius: quod certè fuit, quando Abraham factus est pater multarum Gentiũ, & apparuit verus sacerdos Melchisedech, & æquati sunt omnes Iudæi & Gentes, facti filij Abrahæ omnes qui credimus, & ingredimur per iustitiam fidei. Ob eam causam dictũ est illi: Nec vltra vocaberis Abram, videlicet vt sis pater vnius populi tantum: sed vocaberis Abraham: quia patrem multarum Gentium constitui te. Ille igitur populus ex eo cessauit in suis prærogatiuis, nimirum cessante lege, ac sacerdotio.

Ioan. 7.

Gen. 14.

Nota.

Gen. 17.

Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat, &c. Sensus est, Si perfectio sacerdotij, quæ consistit in potentia expiationis peccatorum, & consequenter in effectu reconciliationis vsque ad perfectam gloriam, erat per sacerdotium Leuiticũ (nam populus ille sub eo sacerdotio legem accepit) profectò non erat necessarium surgere aliud sacerdotium, vel alium sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Nam si fortè sacerdos aliquis certus desiderabatur, debuit esse secundum ordinem Aaron, qui fuit primus pontifex Leuitici sacerdotij, si hoc genus sacerdotij fuisset perfectum. Quia ergo non erat perfectum, nec lex ipsa Moseos, vt erat Moseos, perfecta erat, quæ sub illo sacerdotio lata fuit. Nam lex quælibet sub sacerdotio aliquo esse debet: quoniam sacerdotio primùm expiatur populus, vt sit legis capax: deinde transgressiones legis eodem sacerdotio expiantur. Quatenus ergo lex illa erat lex Dei, hoc est, ea parte qua præcipiebat moralia communia quæ pertinebãt ad Deum & proximum, nullo modo expiationes habebat, vt primò faceret populum peculiarem Deo, & capacem vitæ æternæ, ac deinde posset auferre peccata. Impossibile enim est vitulorũ, aut hircorum sanguine expiari delicta, cõtra legem Dei commissa. Illæ irregularitates carnis tantummodo eo sacerdotio expiebantur, quæ à lege Moseos veniebant, & ad cæremonias atque iudicia spectabant. Apparuit ergo verum Christi sacerdotium & perfectum ab illa oblatione, quam fecit sui sanguinis, quo redẽpti sumus omnes. Et sanctificatus est populus eius peculiaris & sacratus. Tũc sacerdotium exortum est æternum & sanctum, quo etiam deleri valeant nouę transgressiones: quo aduenente, & tanquam illo antiquo in hoc ipsum nouũ translato, etiam translatio legis fieri debuit. Dico legis de sacerdotio loquentis, & de iis quæ ad sacerdotium pertinerent. Ista nanque connexa sunt, lex videlicet & sacerdotium. Et hoc est quod ait Beat. Paulus:

Nota, & cape.

Translato enim sacerdotio, necesse est vt & legis trãslatio fiat. Quemadmodum inutile erat illud sacrificium ad expianda peccata, sic & inefficax erat lex illi sacerdotio annexa, ad constituendam veram iustitiam. Quòd verò esset transferendum sacerdotium, ex authoritate iam adducta probare volens, adiecit: *In quo enim* (vel in quem) *hæc dicuntur*, scilicet quæ de Melchisedech dicta sunt, quæ referũtur ad Christũ. Ipse.n. verus est sacerdos in æternũ, *de alia tribu est*, id est, de tribu Iuda, *de qua nullus altario præstò fuit*. Samuel enim de tribu Leui fuit, vt patet primo Paral. 6. etsi quidã aliter dicant, quãuis non fuerit de filiis Aarõ. Dicit autẽ neminẽ fuisse de tribu Iuda præstò altario legitimè, & ex officio: licet potuerit aliquis id sibi vsurpare, sicut scriptum est de rege Osia, qui tamen ob hoc ipsum lepra fuit percussus vsque ad mortem, vt intelligãt laici, qui sibi vsurpant munia sacerdotum, quantum hoc displiceat summo Deo, & Christo eius.

Contra arrogantes sibi munia sacerdotalia.

Manifestum est autẽ quòd ex tribu Iuda ortus sit Dominus noster, &c. Dicit hoc manifestum esse: quoniam vt res certa & constans habebatur. Nam & Ioseph, & beatissima Virgo fuerunt de tribu Iuda. Nec est quouis modo concedendum (tametsi aliquando D. Augustinus importunitati aduersariorum hoc dederit) B. Virginem fuisse de tribu Leui ex paterna radice. Non enim posset verè dici Christus de tribu Iuda secundum carnem, & filius Dauid: quoniam non matris, sed patris familiam & tribum in hoc sequitur vnusquisque. Non autem venit Dominus de Ioseph secundum carnem, sed solùm de sanctissima Virgine: quę si concederetur fuisse de tribu Leui, vt necesse est concedi, si pater eius fuit de tribu Leui, etiam Christus secundum carnem de tribu Leui fuisset. Apostolus contra tã clarè testatur hoc in loco: imò velut omnino manifestum ponit Christum fuisse de tribu Iuda. Puto tamen Annam fuisse de tribu Leui, vt docent quædam historiæ: quanuis ex apocryphis quidam scripserint, & illam patiter de tribu Iuda fuisse. Potius decebat ipsum ex vtraque tribu venire. Quic-

quid istud sit, oportet hoc constituere, Christum secundum carnem fuisse ex tribu Iuda, aut negare apertum hoc Apostoli testimonium.

In qua tribu nihil de sacerdotibus Moses loquutus est. Itaque concluditur, non potuisse Christum esse sacerdotem secundum ordinem Aaron & ex manda to illius, sed secũdum ordinem Melchisedech. Vnde & manifestum fit, non solum probari hoc sacerdotium, sed insuper hoc veniente reprobari illud prius, tanquam inutile & inefficax, & cui socia aderat lex mandati carnalis, quæ nullum ad perfectum adducebat. Inde maximè educitur, quoniam istud nouum sacerdotium hac speciali nota signatum est, videlicet vt sit æternum: quoniam vitæ insolubilis est summus huius Sacerdos. Ergò illo adueniente debuit aliud sacerdotium cessare. Nõ enim duo poterant esse sacerdotia, nec plures sacerdotes diuersi ordinis. Nam si vnus satis erat, alter superfluus reddebatur. Si autem neuter eorũ erat idoneus, desideratus fuisset alius. Neque dici potest ambos simul potuisse sufficere, cum inter se non conuenirent. Etenim alterum eorum hoc habebat proprium, vt diceretur æternum: vt de altero censeri valeat non esse æternum. Quapropter oportebat omnino dissolui & cessare: quia per illud non fiebat nostri cum Deo conciliatio. Et hoc suis verbis exponens Apostolus, ait:

Et amplius adhuc manifestum est: Si secundum Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui scilicet sit rex iustitiæ, & rex pacis, *qui non secundum legem mandati carnalis, &c.* Ponit differentiam inter sacerdotem veteris legis, & sacerdotem nouæ legis. Illi fiebant sacerdotes secundum legem illam, quæ mandabat tantum vni carni, & vni populo ad tempus, cuius legis finis erat carnale bonum, & ideo terminandum. Nam & ipsi sacerdotes non diu manebant, sed assiduè moriebantur. At noster nouæ legis Sacerdos, factus est Sacerdos secundum virtutem vitæ insolubilis.

Contestatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternũ, &c. Hinc probat Apostolus perpetuitatem sacerdotij Christi, & ex dictis cõcludit: Cũ hęc ita se habeant, *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem*, quantum pertinet ad legem sacerdotij cæremonialem, & tandem quantum pertinet ad legem Moseos, vt erat ipsius Moseos & non Dei, apta illi populo soli, & non omnibus Gentibus. Porro cũ dixisset inutilitatem & infirmitatem legis illius, declarat qua in re erat inutilitas, ne quis falsus illam prorsus inutilem putaret, & ait:

Quomodo neminem ad perfectionem ducebat lex.

Nihil enim ad perfectum adduxit lex, hoc est, lex illa quantum ad ea spiritualia quæ iubebat, quibus solummodo homo perficitur, non promouebat, ob ea impedimenta quæ inueniebat in homine, quem carnalem & contumacem, & sibi contumaciter repugnantem experiebatur. Nec enim aliud poterat, cum esset natura iniustus, & sui plusquam Dei amator. Quantum verò ad promissiones pertinet, quas promittebat merè carnales, nec sic adducebat ad perfectum. Similiter quantum ad suas per illud sacerdotium expiationes & iustificationes, non liberabat à peccatis, neque iustificabat, nisi carnaliter ab irregularitatibus quibusdam: & illud item coram hominibus, non coram Deo. Quamobrem oportuit alteram venire legem omnino perfectam, & sacrificium perfectũ, & ab omni parte absolutum.

Introductio verò melioris spei. Postquam sit igitur precedentis mandati reprobatio, fit consequenter inductio melioris spei, qua speramus æterna, non vlterius carnalia & temporalia, *per quam proximamus ad Deum*, vt per fidem habeamus ingressum in Christum viatorem, & sic accessum (vt alibi ait Doctor noster) ad ambulandum cum illo ad patriam, & ad Deum Patrem. Per spem verò assiduè appropinquamus illi, incedentes in operibus bonis ex charitate, vt tandem mereamur coniunctionem, perfectionem, & amplexum æternum. In illa enim coniunctione consistit vita perpetua, quæ nunquam excidit. Constructio autem huius literæ sic ordinatur, *Et amplius adhuc manifestum est*, id videlicet, quòd, *si secũdum ordinem Melchisedech exurgit alius sacerdos, &c. fit præcedentis mandati reprobatio: introductio verò melioris spei, &c.* Reliqua adiiciũtur ad corrobationem huius argumenti, & plenioren probationem.

Eph. 2.

Hoc in loco illud subnotandum est, ortas olim nonnullas de Melchisedech hæreses, propter verba Apostoli perperam (vt hæretici solent) intellecta. Quidam enim dixerunt ipsum fuisse Angelum Dei. Alij verò Spiritum sanctũ. Nonnulli animam Christi, vel eius Spiritum. Nouissimè autem diebus istis venit quidam manifestè à satana ludificatus, qui nescio quæ circa hoc commentus est. Sed nulla ratione decet nos propter fatuos, & dæmoniis auscultantes, esse solicitos.

Errores de persona Melchisedech.

Certissimum est ecclesiæ, Melchisedech illum fuisse hominem, & regem Salem, vt ait scriptura: & non secus quàm alij, ex patre & matre genitũ. Non est autem istud in scriptura apertum, vt daretur locus intelligentiæ mysterij.

Quòd autem fuerit Sem filius Noe, vt Iudæi tradũt, mihi quidem minimè redditur probabile: neque certa extat huius rei traditio. Et inutile est ea quæ huiusmodi sunt anxiè perquirere.

Et quantum est non sine iureiurando, &c. Ponderat Doctor noster modum ipsum, quo Christus factus est sacerdos: vt tantò sit excelsior sacerdos, quantò ex sublimiore modo ad absolutam omnino firmitatem accipitur. Etenim ipse iureiurando constitutus est, in quo est signum indissolubilitatis, quodque seriò & constãter facta sit illi promissio. At istud nusquam in sacerdote illo Leuitico factum reperies. Quapropter, *in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus*. Vbi notandum, quomodo & qui sacerdos & qui pontifex dicitur, cum sit mediator, etiam sponsor dici potest in sanguine. Nam & ipse spondet & promittit, quod à Deo obtinuit per sanguinem. Et hoc in Iesu maximè verum fit, qui sanguinem proprium effudit, & per illum omnia obtinuit, redimens quod erat captiuũ, & illud conuertens in acquisitionem & lucrum suũ. Sed ipse interim statuit & reliquit vnunquẽque liberum, & in potestate sui arbitrij, dans rursum legem vitæ, & futura bona promittens. Quicunque igitur receperit legem & custodierit, bene est habiturus: qui verò secus, pœnas suæ impietatis, & impudentiæ pro merito luet.

Huius autem literæ sic ordinetur constructio, *In*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus, quantũ est quod non sine iureiurando factus est sacerdos. Nam alij sine iureiurando creati sunt, vt metui possit de solutione ac cessatione illius sacerdotij. Ipse autem cum iureiurando, *per illum qui dixit ad eum*, hoc est, iusiurandum fuit per illum qui dixit ad eum, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, &c.* Hic Dominus, fuit Pater: qui per seipsum iurat, neminem habens maiorem per quem iuret. Illius ergo sunt hæc verba (*Iurauit Dominus*) de se tanquam de tertia persona loquẽtis. Si quis malit, quod mihi non satis placet, esse verba ipsius Dauid: verba illa Apostoli sic debent exponi, *Cum iureiurando*, quod videlicet iusiurandum testificatum est, *per illum*, nempè Dauid, *qui dixit ad eũ (Christũ) Iurauit Dominus, &c.*

Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, iccirco quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem cò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellãdum pro nobis. Talis.n. decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodũ sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines cõstituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

Et alij quidem plures, &c. Pergit Apostolus declarans adhuc vberius inualiditatẽ, ac instabilitatem illius merito antiquari sacerdotij quandoquidem eorum in quolibet finiebatur morte. Moriebantur enim illi, & vna cum illis peribat ipsorum sacerdotium, vtpote qui non valerent vlterius sacrificare. Vbi proculdubio loquitur de summis sacerdotibus qui moriebantur, & oportebat alterum alteri esse successorem. At Põtifex noster Dominus Iesus cum maneat in æternum, etiam sempiternũ habet sacerdotium, nec vllus est illi successor. De eo enim dictum est: Tu es sacerdos in æternum, vt concludatur æternum habere sacerdotium: quod manifestè inde colligit Apostolus, & addit: *Vnde & saluare in perpetuum potest.* Græca vox, παντελὲς, significat perfectè, plenè: ergo in perpetuum. Non enim plenè ac perfectè, si non omni tempore & vbi sit opus, scaturiente semper peccato, non saluet. Potest ergo Christus omni tempore saluos facere, *accedentes per ipsum ad Deum*. Hæc est vera lectio, accedentes, non accedens. Christus enim qui cum Deo est, & est ipsemet Deus, non conuenienter dicitur nunc accedere ad Deum. Etiam illud aduerte, Christum suo sacrificio non saluare, nisi solos ad Deum accedentes, quod fit per fidẽ: & manentes in ipso, per obseruantiam mandato-
Ioan.15. rum, sicut ipsemet ait: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Potest ergo tales saluare talis ac tantus Pontifex Christus Iesus, & re vera saluat.

Semper viuens ad interpellandum pro ipsis. Nisi assisteret Dominus noster ante Patris conspectum, vel iustos homines redderent Patri odiosos quotidiana peccata, sine quibus hæc vita non traducitur. At ipse viuens ea diluit interpellando probis, & pretiosissimum suum sanguinem obiiciendo, vt non imputentur nobis ad iram. Nam si iniquitates obseruaret Dominus, nec esset apud ipsum propitiatio nostra, quis posset sustinere? Sed in Christo cuncta nobis condonantur, nisi charitatis donum turpissima transgressione amiserimus. Hoc Nota.
in loco iterum animaduertendum est, cum Dominus post iudicium factum restituerit regnũ Deo Patri, non vlterius futurum illum Pontificem: nec assistet ad interpellandum pro nobis: nec tũc erit vllum sacerdotium, quo nec opus erit, cum nulla sit futura transgressio, sed perpetua gratiarũ actio, & sempiterna beatitudo. Itaque sacerdotium sempiternum, cuius hic meminit Apostolus, intelligi debet donec sæcula hic viuentium mortali vita durabunt, & salute homines indigebunt.

Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus. Græcè ὅσιος, vox quæ significat pium, mundum, sanctũ, castum & reuerentem Dei:

Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Cœlorum appellatione hic omnino arbitror ipsos Angelos intelligendos. Loquitur enim Apostolus (quod diligenter obseruandũ est) de sacerdotio illo quod Christus adeptus est, pertinens ad nouum testamentum, quando iam non vita mortali viuit, sed beata in cœlis. Ideo dixit, *Talis decebat vt esset nobis Pontifex.* Vt eos notaret qui iam facti sunt participes noui testamenti, addidit, nobis. Hos enim decuit habere talem Pòtificem, sanctum, pium, innocentem omnino, & impollutum, penitusque à peccatoribus segregatum, non iam qualis vixit in terris, quando cum peccatoribus conuersabatur, manducabat & bibebat. Quocirca dulcissimè discipulos suos solabatur: Expedit vobis, inquit, vt ego vadam. Loquitur er- Ioan.16.
go manifestè B. Paulus de Sacerdote Christo in cœlis existente. Nam hunc talẽ habere nos decet, per quem sumus filij Dei.

Qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodum illi sacerdotes, prius pro suis delictis offerre hostias, deindè pro populi. Erat ex antiqua secundum legem obseruatione, vt offerrent sacerdotes pro suis propriis, & pro populi peccatis. Hoc enim Dominum semel fecisse, dum esset in hac vita mortali, testatur Apostolus. At quid est istud, rogo, quod ait Dominum fecisse, semel? Nunquid ad hoc totum quod supradictum est refertur, quasi & ipse Christus semel obtulerit pro suis peccatis, deinde pro peccatis populi, quemadmodum verba ipsa porrigere prima facie videntur? Exhorrent ab hac intelligen-
tia expositores nostri. Quomodo enim qui pecca 1.Pet.2.
tum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, potuit pro suis peccatis offerre, quæ nulla erant? Mihi autem videtur posse nos locum hunc planè intelligere, vt hoc totum fecerit Dominus aliquo pacto, vt pro peccatis suis, non quidem à se commisis, obtulerit: sed quia illud commune omnium humani generis antiquum peccatum, & quæcunque

que inde oborta sunt, super seipsum posuit, & sua (quò ea abstergeret) fecit. In illius persona dixit Propheta: Longè à salute mea verba delictorum
Psal.21. meorum. Et iterum alio loco dicebat: Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita. Non erubescant in me qui expectant te Domine, domine virtutum, &c.

Et in psalmis frequenter se peccatorem modo illo, quo diximus, confitetur. Itaque peccatum commune, in quo virtute continebantur innumera peccata, proprium fecit, & pro hoc obtulit: atque amplius pro peccato populi sui, nempe illius Iudaici peculiariter & obtulit & orauit. Hoc præui-
Isa.53. dens Isaias, aiebat: Propter scelus populi mei percussi eum.

Potest, & fortè verius, ad peccata quoq; nostra referri, quæ post primam iustificationem contrahimus facti populus Dei. Non enim quę nos post baptismum admisimus peccata, illius dicuntur, sed populi sui, pro quibus etiam obtulit semetipsum Dominus iã iustificatus à suis, vnde & diuersimode expiantur. Intellige prudens lector, quæ dico: quoniam in hoc turpiter decipiũtur, qui more immundorũ animalium non distingunt peccata quæ Christus penitus expiat in baptismo, quę fecit sua: & ea quæ dicuntur populi peccata post reconciliationem admissa, pro quibus etiam passus est, sed quasi pro nostris, non absolutè pro suis: vt & nos qui post acceptam gratiã peccauimus, aliquo modo satisfaciamus.

Concludens igitur B. Paulus inualiditatem sacrificij antiqui, docet à lege cõstitui sacerdotes homines infirmitatem habentes, & continua immolatione indigentes, vtpote qui continuè peccent: *Sermo autem iusiurandi:* hoc est, sermo Dei iurantis, & constituentis sacerdotem suum Christum, qui sermo post legem, id est, post cessãtionem legis, & consequẽter post abolitionem sacerdotij antiqui, vt patet ex ipso psalmo: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Hoc enim ei dictum est, postquam mortuus est, & resurrexit à mortuis: & iccirco post legem Moseos, quæ iam afflixa cruci, erat sublata de medio. Ille, inquam, sermo iurisiurandi constituit, *Filium*, nimirum ipsum Christum sacerdotẽ, *in æternum*. Et illum quidem, *perfectum*, quia placuit, & acceptum fuit eius sacrificium vt valeat saluare: quæ duo deerant in Leuitico sacerdotio. Illi enim Pontifices semper sacrificantes ostendebant se non esse perfectos, quibus opus esset assiduè offerre. Christus autem vna oblatione perfectus est.

Verùm hinc arripuit occasionem infœlix apostata Lutherus prodigiosissimæ suæ blasphemiæ, qui sacrificium noui testamenti negauit: ac propterea ordinem sacerdotij nullum esse in ecclesia Christi asseruit, quia Christus vna oblatione sanctificauit omnes. Sed nunc supersedebimus, postquam futurus est proprius inferius hac de re differendi locus. Hoc interim solum consideretur ex claris Apostoli verbis, Christum dici Sacerdotem & Pontificem, & à Deo post legem constitutum, id est, postquam translata est illa lex, & cessit nouę legi. De sacrificio ergo nouæ legis & sacerdote loquitur B. Paulus, qui cõstitutus est in cœlis. Hunc siquidem honorem ipse meruit & sibi acquisiuit, vt sit sacerdos vitæ insolubilis. Sacerdos etiam secundum ordinem Melchisedech, id est, cuius sacrificij oblatio, panis est & vinum. Hoc teneamus inconcussum fundamentum, nec permittamus quouis modo nobis eripi: quoniam huius doctrinæ est principium verissimum, & manifestis scripturis innixum. Nihil quippe aliud agit hic B. Paulus, nisi vt in figura oblationis Melchisedech doceat perpetuam panis & vini oblationem esse statutam. Quod si retinemus, certò videbimus ex his ipsis locis expugnari hæreticos, quibus ipsi contra nos malitiosè abutuntur. Neque verò est mirandum si tanta impudentia negent, & sacramentum concul cẽt isti nebulones. Nouit enim diabolus antiquus hostis, qui istorum ministerio vtitur, quantum vtilitatis inest in frequenti & bene administrato sacerdotij mysterio, per quod nobis placatur ipse Deus offensus, & gratiam largitur ad ambulãdum inoffenso pede in viam mandatorum eius. Nam si tollas sacerdotium de ecclesia, perinde est ac si solem de mundo tolleres. Sed vt diximus paulo post istorum argumenta fusius (Deo largiente) inferius refellemus.

CAP. VIII.

CApitulum autẽ super ea quæ dicũtur, Talẽ habemus Pontificem, qui cõsedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri quod fixit Deus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerẽdum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hũc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terrã, nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secũdum legem munera, qui exemplari & vmbrę deseruiunt cœlestium, sicut respõsum est Moysi cum consummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.

CApitulum, &c. Hoc, inquit, est summa eorum quæ dicta sunt, *Talem habemus Pontificẽ, qui consedit*, id est, qui sedem iam obtinuit, *in dextera sedis magnitudinis*, siue maiestatis, *in cœlis*, ibi enim est noui testamenti sacerdos & pontifex, *sanctorum minister*. Quod ait, *sanctorũ*, potest duobus modis accipi. Primo vt significentur ij, quibus ministretur à Pontifice. Vel secundo res ipsæ qui ministrantur. Certè minimè dubium est quin Christus minister Dei fuerit, & sit nunc in cœlis ministrans illi Sãctos in tabernaculo vero, quod est ecclesia, sanctificans illam, & emũdans lauacro vitæ inuisibili per dona Spiritus. Hoc autem tabernaculum non fixit homo, sed Deus. Fundamentum enim eius Christus est, & primores in Christo qui perire non possunt: Et ideo ait fixum ita esse tabernaculũ, vt nulla manus queat euellere. Hanc doctrinæ summam hoc pacto probat, dum nobis ostendit vbinam habeamus nunc verum nostrum Sacerdotem, nimirum in cœlis, & non in terris.

Omnis enim pontifex ad offerendum munera, &c. Vt probet (inquam) nobis esse Christum sacerdotem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cœlestem, sumit ante omnia quod per se manifestum est, nimirum oportere vniuersaliter omnem sacerdotem offerre munera, & hostias. Oportet igitur ipsum Christum, cum sit sacerdos, similiter offerre, & consequenter habere quod offerat. *Si ergo esset super terram*, id scilicet quod offerret: si illud esset quid terrenum, profecto nec ipse esset sacerdos, quandoquidem adessent alij sacerdotes qui offerrent munera, & hostias illas quæ essent super terram. Et hoc faciebant secundum legem. Christus autem non erat vnus ex iis, cum non esset ex ea tribu, & sic erat nouus sacerdos. Ad quid autem nouus sacerdos etiam ipse ad offerenda munera super terram existentia? Neque enim ad eadem proprius munera, nimirum terrena & carnalia offerenda constituendus erat nouus sacerdos.

Vel potest exponi de Christo, *si ergo esset super terram*, nimirum ipse Christus, non esset sacerdos. Essent enim & super terrã alij sacerdotes, qui secundum legẽ offerrent. Non simpliciter affirmat fuisse sacerdotes tunc offerentes secũdum legem, sed illud probat, si ipse Christus sacerdos esset in terris, essent quoque sacerdotes Leuitici offerentes munera: & ita Christus non esset sacerdos. Hoc, inquam, probat, sed subtiliter ex tacita quadã propositione, quæ huiusmodi est: Nõ cessat figura donec veritas ipsa veniat: cui si adiunxeris, sacerdotium illud carnale figuram fuisse cœlestis sacerdotij, cuius sacerdos inueniretur in cœlis, hinc planè sequitur, nõ potuisse illud Leuiticum sacerdotium cessare, nisi veniret ille cœlestis sacerdos, qui erat veritas. Patet ergo istud, si non erat alius sacerdos præterquam Leuitici generis: quia (vt dictum est) figura non cessat, quamdudum ipsius rei veritas non veniat.

Fuisse autem illud sacerdotium figuram veri & cœlestis sacerdotij, probat testimonio scripturæ. vnde ait: *Cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exẽplari & vmbræ deseruiunt cœlestium*. Sensus est: Illi sacerdotes deseruiebãt illis ministeriis, quæ erant exemplaria, id est, figuræ atque vmbræ cœlestiũ, id est, à veris ac cœlestibus acceptæ, quæ erant futura: ita vt munera & oblationes quæ sunt noui sacerdotij, oporteat esse non terrena, sed cœlestia, sicut sunt verè. His enim delectatur Deus & placatur. Vnde Eucharistiç hostia non terrenus panis est, sed cœlestis: & oblationes sunt corda nostra, quæ vouemus & offerimus ipsi Deo, quæ meritò quum gratia Dei decorata sunt, cœlestia dicũtur. Idque probat subiungens: *Sicut respõsum est Moysi cum consummaret tabernaculum* (seu consummaturus esset): *Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte*: Hoc habetur Exo. 25. in fine cap. Hic tamen Apostolus non dicit exemplar, sed typum. Ille autem typus ostensus Mosi erat forma cœlestium, ad quam aptare illa terrena & carnalia iubebatur. Quandiu ergo non apparebant cœlestia eorum exẽplaria, ea quæ ab illis cœlestibus ad verum sunt expressa, non poterant cessare. Sed quia venerunt cœlestia, ideo illa cessarũt exemplaria, & vmbræ.

Nunc autem melius sortitus est ministerium, quãtò & melioris testamẽti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies veniẽt, dicit Dominus: Et consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamẽtum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehẽdi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in Filium. Et non docebit vnusquisq; proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore vsq; ad maiorem: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicẽdo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

Nunc autem melius sortitus est ministerium. Ipse verus sacerdos Christus melius ministerium sortitus est offerendi meliora. *Quòd & melioris testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Legitur & in veteri & in noua scriptura esse nouum quoddam Dei testamentum. Quòd si nouum, necessario ergo supponitur vetus. Siquidem nouum dici, nisi respectu ipsius veteris nequaquam potest.

Pro intelligẽtia, quid sit vetus, & quid nouum testamentũ.

Nunc operæpretium videretur intelligere quid sit illud vetus testamẽtum, & quid nouum, & qua ratione his nominibus vocata sunt. Item quid interest inter vetus, & nouum: & quò tẽderet quod libet eorum: quæue in vno quoque inesset vtilitas, & quæ circunstant. Sciendum igitur, Quæcunque Deus egit vnquam cum homine, pactis ea & testamentis egisse. Nam vtroque vocabulo, vt idem significemus, vtimur. Est autem vnica vox Hebraica, Berith, quç ad vtrũque accommodatur. A principio nanque pactum Deus cum homine fecit, & legem charitatis illi dedit. Adiecit & speciale mandatum, ne ederet de fructu cuiusdam ligni: qui si secus faceret, periret omnino ipse, & vniuersa eius posteritas. Præuaricatus est autem homo ille, & inuẽtus est fructu pacti destitutus, nullum habens ius in Deum: quin etiam redditus est illi obnoxius in æternũ. Illud pactum potest dici vetus pactum, non tamen propriè testamentum. Non enim sic erat dispositum, vt vigorẽ suum morte intercedente, aut sanguinis effusione acciperet.

Optimus autem & clementissimus Deus noster irritum factum prius pactum insigni illa præuaricatione considerans, constituit iterum pactum & testamentum reiecto priore pacto, quod fuit per

nos irritum factum. Et illud iterũ sancinit in Christo venturo, & eius morte & sanguine. Et hoc pactum siue testamentum, quod etiam pactum est, cum sint in illo promissiones, non incongruè dicitur nouum testamentum respectu illius pacti veteris ab initio: quia illi priori iam violato hoc nouũ successit. Etenim testamentum istud non est aliud quàm lex renouatæ gratiæ, & in Christo instauratæ, qui secundum carnis infirmitatem mortuus est & sepultus, & secundum potentiam Spiritus tertia die resurrexit. In hac autem lege gratiæ continetur promissio ipsius æternæ vitæ.

Hoc autem testamentum quod fecit Deus nobiscum, notum factũ est Adę statim ab initio post peccatum, & aliis patriarchis vsque ad Abraham. In Abraham verò etiam quodãmodo innouatum, & singularia quædam adiecta, scilicet Christum esse de lumbis eius proditurum: & ipse Abraham futurus designatur pater non vnius tãtum illius gentis Hebræorum secundum carnem, verùm etiam multarum gentium secundũ exemplum fidei: quia credidit ipse Deo fide insigni, & accepit circuncisionem signaculum fidei. Istud testamentum cum Abraham factum, non potest dici vetus testamentum. Nunquàm enim cessauit, quantumuis signum illud circuncisionis cessauerit: quod propriè pactum non erat, sed signum pacti. In ipsis scripturis verus testamentum specialiter illud dicitur, quod per Mosen sancitum fuit cum populo illo. Et hoc fuit lex illa cum suis carnalium bonorum promissionibus, quæ promisit Deus illi populo in manu Moysi, sicut manifestum est Exod. cap. 24. vbi habetur, quomodo venit Moses, & narrauit populo omnia verba Domini, & iudicia: & omnis populus respondit vna voce. Omnia verba Domini, quæ loquutus est, faciemus. Scripsit ergo Moses omnes sermones Domini, & ædificacit altare, & immolauerunt filij Israel victimas pacificas, & obtulerunt holocausta. Moses autem tulit dimidiam partem sanguinis, & misit in cratéras, & residuum misit super altare, & legit volumen fœderis (siue testamenti) audiente populo, qui omnes iterum dixerunt: Omnia quæ loquutus est Dominus, faciemus: & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum & ait: Hic est sanguis fœderis (siue testamenti) quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus iis, id est, Hic est sanguis quo confirmatur pactum initum inter vos & illum. Hoc testamẽtum est illud, quod hîc vocat vetus testamentum B. Paulus, respectu noui.

At hîc rogabit aliquis, & dicet: Cum viderimus testamentum nouum ante hoc vetus esse constitutum (quia ab initio post peccatum dicimus fuisse illud nouum ordinatum à Deo) cur illud, quæso, quod per Mosen postmodo sancitum fuit, dicitur vetus, ac non potius nouum? Respondeo cogitandum omnino, legem quidem non esse ex fide, vt egregiè docet Apostolus, sed ante fidem. At lex noua ex fide est. Et ideo illa lex vetus cum præcederet fidem, etiam legem nouam præcessit, quæ est ex fide, non quidem tempore secundum se, sed secundum illius applicationem. Nam finis legis fuit charitas: finis illius testamenti veteris, testamentum nouum. Cuique hominum, natura ipsa, posterior est lex fidei, quæ est noua, quàm lex naturę, siue Moseos, sub quibus legibus omnes gentes custodiebãtur: licet illa lex Moseos solummodo conueniret Hebræis.

Potest etiam dici, testamentum nouum debere spectari à tẽpore non quo ordinatum fuit, sed quo exhibitum atque manifestatũ, & firmatum à morte testatoris. Vtraque solutio vera est, & simul amplectenda, vt respectu duarum causarũ dicatur nouum. Differt autem istud nouum testamentum à veteri in multis. Nunc dicemus tantum de promissionibus, quæ in solis carnalibus & terrenis bonis consistebant: non absolutè tamen, sed mãdata, & iudicia, & ceremonias illius legis custodiẽtibus repromissa. Hic autem repromittitur cœlestis & æterna vita. Ideo verè dictum est, Christum tantò melius sortitum esse ministerium quàm Mosen & Aaron, quantò melioris, seu præstãtioris testamenti Mediator est, quod quidem testamentum in melioribus repromissionibus sancitum est.

In Mãnichæos.

Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Manichæi Deũ veteris testamenti vituperantes, suæ blasphemiæ ansam ab Apostoli verbis accipiebant, qui diceret non vacare culpa illud testamẽtum primum, quod vetus dicitur. Sancti verò doctores dicũt, iccirco non vacasse culpa, propterea quod imperfectum erat illud testamentum. Mihi sanè hic verus esse Apostoli sensus videtur, vt docere velit, illud testamentum ob eam causam culpa non vacasse: quia qui sub illo erant, non sine culpa erant. Illud enim testamentum culpam nedũ non auferebat, sed nec auferre poterat: quin & eam augebat. At nouum testamentum prorsus omne peccatum sustulit. Quicunque enim erant sub illo testamento, sub ira Dei erant & sub maledicto, nisi essent liberati per nouum adueniens: & ideo cessit primum secundo testamento. Verè ergo ait: *Nam si illud primum culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur.* Et benè sequitur:

Vituperans enim eos, dicit: Hanc sentẽtiam non notauit Manichæus, quomodo B. Paulus asserit scripturam vituperare non ipsum authorem testamenti, nec ipsum quidem testamẽtum, sed eos qui sub illo inueniebantur. Sic illa lex ab eo dicitur infirma, non ex se ipsa, sed quæ infirmis data non operabatur effectum. Sic testamentum illud rectè dicitur non vacare culpa, cum ij qui sub eo erant, assiduè peccatores inuenirentur. Itaq; opus fuit nouo ad implendam iustitiam. Appositè, ergo scripturam profert, aiens:

Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & domum Iuda. Nota verbum, *Consummabo*, vt significetur prius quidẽ fuisse hoc nouum testamentum ordinatum, & promissum, sed non consummatum. Morte enim testatoris fit ipsa consummatio. *Testamentum nouum*, Aliud ergo erat ab illo veteri consummandum super domum Israel, & super domum Iuda. Hæ ambæ domus totum Iudaicum illum populum complectebantur, cui credita erant eloquia Dei: & noui testamenti primitias à Deo acceperãt. Vt autem omnino hoc testamentum diuideret à veteri, & ab eo minime pendẽre ostenderet, addit:

Non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die, qua apprehẽdi, &c. Indicat illũ diem transitus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& agni paschalis, quando fuit exordium veteris il lius testamenti & sacrificij. Sed hoc testamentum nouum nihil ex illo habet consequentiæ, quin po tius illud fuit huius figura.

Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, Hæc est ratio, cur necesse fuerit nouum exhibere testamentum, & consummare per perfectionem gratiæ: quia ipsi, inquit, non permanserunt in testa mento meo, & ideo eorum testamentum non va cabat culpa. Propterea subsequuta est iusta Domi ni indignatio, *Et ego* (inquit) *neglexi eos*, qui non po terant in eo testamento proficere. In citato tamen loco apud Ieremiam legimus: Et ego dominatus sum eorum. Sensum prophetæ accepit Apostolus, non verba. Dominus enim qui paciscitur nobiscũ, in eo quod paciscitur, quodammodo æquat seip sum nobis, quibuscum immensa sua bonitate dignatur habere commercium. Quòd si nos irritum pactum facimus, ipse tanquàm victor dominatio nem in nos accipit. *Ierem.31.*

Et ita ferè contingit in hominibus. Duorum enem qui paciscuntur, dominus alterius quodam modo is efficitur, qui seruat pactũ altero irritum faciente. Et consequenter accidit, vt qui domina tur negligat seu spernat, tanquàm consequutus po testatem in alterum. Et dum facit misericordiam, tanto magis gloriosum se exhibet. Sic fecit Domi nus, qui ita spreuit populum suum, vt tamẽ vbi su perabundauit delictum (teste Apostolo) etiam su perabundauerit gratia. *Rom.5.*

Quia hoc est testamẽtum, quod disponam domui Israel, &c. Vide quantum differat à priore testamento. Il lud in tabulis foris erat scriptum: hoc verò intus in corde & mente superscriptum, vt secũdum interio rem hominem condelectetur quiliber legi Dei: & amore, non timore impleat ardua legis mandata. Digito enim Dei scripta est lex in quolibet qui iu stificatur. Hoc non vident, nec põderant Luthera ni: imò suis inscitiæ tenebris inuoluti, & vita licen tiosa delectati, põderare nolunt. Et omnes alij qui cunq; negant inesse nobis possibilitatem implẽdę legis. *Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Hęc dictio, Deus, in scripturis relatiuè accipitur ad creaturam rationalẽ, vt Deus sit alicuius creaturæ Deus. Significat autem non solùm creationẽ, sed specialem quandam in eos prouidẽtiam, quorum Deus dicitur. Vt si dicatur, Deus Pauli, Deus Abra ham, Isaac, & Iacob, Deus Danielis. Sic & Deus eo rum dicitur, qui in illum credunt, & quos signauit arrhabone Spiritus sancti. Sic est Deus peculiari ter Christianorum, qui tamẽ verè Christiani sunt, & qui non perdiderunt semel adeptam gratiam. *Contra negantes possibilitatem implendæ legis.*

Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Hoc plenam suam cõsequi in terris veritatem Do ctores negant, sed expectandam esse verificatio nem in cœlis. Et tamen aliquo modo est verifica tio in terris, in his qui habent Christum in cordi bus suis. Non enim ignorant illum etiam in se ha bitantem, nisi reprobi sint. Nonne B. Paulus indi gnatus quosdam increpabat, aiens: An non cogno scitis vosmetipsos, quòd Iesus Christus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. Hoc idem videtur pro phetasse Isaias vbi dixit: Quia repleta est terra scię tia Domini, sicut aquæ maris operiẽtis. Et Domi nus dixit de illis primitiis Spiritus: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de vẽtre eius fluẽt aquæ viuæ. De sapientia & scientia diuinorum lo quitur. Hoc autem (ait Euangelista) dixit de Spiri tu, quem accepturi erant credentes in eum. Itaque nõ hic simpliciter asseuerat omnes cognituros Do minum, nimirum Iesum Christum, sed omnes qui computabuntur in partem populi sui, in quorum cordibus superscriptum fuerit opus legis, & Chri stus Iesus. Hi sunt verè proximi, & fratres inter se: & hi omnes cognoscunt Deum interno fidei ocu lo, licet nondum perfectè. *2.Cor.13.* *Isa.11.* *Ioan.7.*

Quoniam omnes noscent me à minore inter eos vsq; ad maiorem. Et rationem adiiciens, ait: *Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam nõ memorabor:* Attẽde lector. Quid est, rogo, quod faciat longè Deum à nobis abesse, nisi peccata nostra, & iniquitates nostræ, vt ait Isaias? Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: & peccata vestra abscõderunt faciem eius à vobis. Doctè tan dem concludens Apostolus, ait: *Dicendo autem no uum, veterauit prius.* Pulchra admodum considera tio. Nouũ dicitur respectu veteris. Cum ergo pro mittitur nouum, necesse est vt vetus, quod ei oppo nitur, veterascat. *Quod autem antiquatur & senescit, prope interitũ est*, vt sit necesse succedere illi nouum. Hæc de præsenti capitulo à nobis dicta sint. *Isa.59.*

Verùm Caietanus contra duo illa, quæ erant & sunt in ecclesia catholica persuasissima, videlicet authorem huius epistolæ esse B. Paulum Apostolum, & quod Hebraicè fuerit scripta, iis rationi bus insurgit. Quod enim non Paulus, argumento est quoniã quisquis ille sit, abutitur vocabulo He braeo, quo vult significari testamẽtum, cum potius fœdus & pactum significet. Secundo, Græcè esse scriptam indicat: quia scripturam veterẽ citat iux ta interpretationem Septuaginta. Quis, obsecro, non vehementer miretur hominem Græcę linguę non peritum, tam audacter pronũciare de vocum significatione, & tam securè, contra eruditissimo rum virorum perpetuum cõsensum? At paulo post hac de re erit sermo. *Caietanus.*

Quòd verò in hac epistola, quæ legitur Græca lingua, producatur aliquis scripturæ veteris locus iuxta Septuaginta interpretationem, quid, quæso, argumẽti (si verum amamus) porrigit, eam primò Hebraicè non fuisse scriptã? Quid enim si Græcus B. Pauli interpres, qui propter linguę Hebraicę im peritos in Græcam vertit, illum Ieremiæ locũ He braicè à B. Paulo citatum, ipse iuxta LXX tradu xit, ad eos potissimum scribens, qui non nisi illam tunc habebant editionem authoritate celebrem? Nec enim rationabiliter aliter facere poterat. Vi de ergo iam prudens lector, quanta considerati one ac iudicio legenda sint huius viri scripta.

CAP. IX.

HABVIT quidẽ & prius iu stificationes culturæ, & san ctũ sæculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant cãdelabra, & mensa, & proposi tio panum, quæ dicitur sancta. Post vela mentum autem secũdum, tabernaculum

quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circuntectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens mãna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti: su perque eam erãt Cherubin glorię obum brantia propitiatoriũ: de quibus non est modo dicendum per singula. His verò ita compositis, in priori quidem taberna culo semper introibant sacerdotes sacri ficiorum officia consummãtes. In secun do autem, semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorãtia: hoc significante Spi ritu sancto, nõdum propalatam esse san ctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est tem poris instãtis: iuxta quam munera & ho stiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruien tẽ: solũmodo in cibis, & in potibus, & in variis baptismatibus, & iustitiis carnis, vs que ad tempus correctionis impositis.

B. Paulus ostendere volens illud vetus sacerdo tium non omnino fuisse inutile, sed exemplar veri, ita vt per illa carnalia intelligentur spiritualia ac cœlestia, incipit ea pertractare de testamento il lo, quæ ad sacerdotium attinent, & ait: *Habuit quidem igitur & primum iustificationes culturæ, & san ctum* (seu mãdatum) *sæculare.* Quòd ait, *habuit*, signi ficat tũc iam non amplius habere: nouo enim sub intrante interierat. Habebat autem primum testa mentum, *iustificationes culturæ*, hoc est, suos iustifi candi modos, quibus redderentur idonei ad illum cultum per cæremonias, quæ scribũtur in lege. Ha bebat & sanctum sæculare. Significat locum vbi fiebant sacrificia. Et vocat, *sanctum sæculare*, vt differ at à sancto spirituali & æterno, non manufacto, in quo nunc sacrificamus verè, hoc est, tabernacu lum, quod fixit Deus. Illud autem tabernaculũ sæ culare in hunc modum se habebat:

Tabernaculum enim factum est primum, &c. Des signans tabernaculum, & illud in duo diuidens, re uocat Hebræis in memoriam, quomodo in primo quidem erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ vocatur sancta. Vbi quod ait, *vocatur sancta*, potest intelligi de propositione illa panum, & de ipso tabernaculo, id est, de hac prima pte ta bernaculi: quod verius videtur. Et hæc prima pars tabernaculi censebatur vsque ad velum secũdum, post quod velum erat tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, habens thuribulum aureum, & arcam testamenti circuntectam auro omni ex par te, in qua erat vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, &c. Hic primùm aduersus authorem huius epistolæ ex Caietano elicitur ar gumentum; quoniam in nullo habetur scripturæ loco thuribulum aureum fuisse in sancta sancto rum, nec vrnam in arca quæ haberet manna, & vir gam illam Aaron. Imò verò tantum abest vt hoc sit in scripturis, vt etiam oppositum legatur, nimi rum 3.Reg.8. vbi habetur, in arca non esse reper tum nisi tabulas testamenti. Quare, inquit, iste tex tus vt sonat, manifestè contradicit sacrę scripturæ. Nam sonat absque vlla differentia modi, hæc tria esse in arca: quod perinde est, ac si dixisset hæc tria esse intus in arca. Et addit: Fortè tamen authorem huius epistolæ fefellit intelligentia scripturę Exo. 16. de phiala mãnæ: & Num.17. de virga quæ fron duerat. Mandatur enim de his vt seruentur coram testimonio Domini. Ex his enim fortè credidit hæc in arca seruari, &c. hæc ille. *Caietanus.*

Sic ergo agit hic homo cũ huius epistolę autho re, non solùm perinde ac si non fuerit B. Paulus A postolus, sed quasi fuerit homo scripturarũ imperi tus. Porrò qua illud confidẽtia contra sensum om nium ecclesiarum ausus fuerit, alij censeant. Istud apud doctos certum prorsus, ineptè atq; inefficaci ter illum hac in re argumẽtatum esse. Et primùm, de thuribulo aureo nõ haberi in scripturis illud in sancta sanctorũ fuisse, quàm futile est? Nonne po tuit alibi decentius, & promptius collocari, vt præ manibus ad vsum legitimũ mox adesset? Præterea, quis est hic tam rigidus exactor, qui legem B. Pau lo præfigat, ne quid enũtiet non expressum in scri pturis? Lapsus est igitur in errorem, quum dixit: Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, &c. Hoc enim non habetur in scripturis. *2.Tim.3.*

Quòd verò Manna dicatur iussu Domini serua tum coram testimonio, quid repugnat ei quod di citur seruatum in arca, cum ipsa esset arca testimo nij? Et similiter de virga Aaron sentiendum.

Porro illud 5.Reg.8. Non fuisse in arca nisi tabu las testamenti: nunquid iccirco probatur nũquam ibi aliud fuisse, quam illas tabulas? Vide pie lector, quàm inconsideratè hæc iactauerit tantus vir, in re tantæ considerationis & momenti. Verum nos de his latius in Annotationibus in illum, ad quas lectorem remittimus.

His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes. Ad rem propositam re uertens Apostolus, ponit (quod pertinet ad my steria) differentiam inter primum & secundum ta bernaculum. In illud primum intrabant sacerdo tes sacrificia consummantes. In secundum autem tabernaculum introibat semel in anno solus Pon tifex, nec sine sanguine, quem offerebat pro se, & pro populi ignorantiis. Ex hac autem proposita historia eliciens Apostolus allegoriam, ait per ea mysteria fuisse à Spiritu sancto significatum, non dum propalatam esse sanctorum viam, adhuc prio re tabernaculo habentem statum. Erat ergo san ctorum via iam præparata, nimirum Christus qui dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Sed eo indicio nõdum propalata: quia scilicet non erat ingressus in sancta sanctorum, hoc est, in vera sancta cœle stia. Adhuc enim velũ stabat, & non erat scissum, sicut postea fuit à summo vsque deorsum. Solùm Põtifex semel in anno ibi, nec sine sanguine pro se offerebat, & pro populi ignorantiis: quoniam ad huc sub velo latebant vera cœlestia. At propalata via & nota facta, non oportet pro his ignorãtiis ro gare (vt dictũ est supra) quoniã omnes cognoscent me à maiore vsq; ad minorem, dicit Dominus. Sta bat ergo sanctũ sæculare. & quandiu stabat, sanctũ *Ioan.14.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud ſanctorum cœleſte non apparebat.

Quæ parabola eſt temporis inſtantis. Applicat ſimilitudinē, & ait: *Quæ parabola*, id eſt, ſimilitudo, eſt inſtantis temporis, & ad illud tempus quod tunc inſtabat referenda, cum clauſa erant ſancta ſanctorum, & velo tecta: & iccirco ſtabat tabernaculum primum ſanctum ſæculare. Hoc autem probat per id quod ſequitur: *iuxta quam* (Græcè, iuxta quod, ſcilicet tempus) *munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam*, id eſt, intrinſecus, *perfectum facere ſeruientem*, id eſt, cultum latriæ exhibentem. Nam quæ offerebantur non erant ſpiritualia, nec ſpiritualia cōtinebant. Vnde rectè oſtendit in quibus conſiſterent, *ſolummodo in cibis, & potibus, & in variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis*, quæ ſolùm iuſtificabant coram oculis hominum ad illud miniſterium carnale, vt ritè fieret.

Vbi & nota illud, *ſolummodo in cibis*, ne quis deceptus talia eſſe & ſacramenta noſtra arbitretur, vt eſt aquæ ſacramentum, & alia quæ habent materiam terrenam. Adeſt enim vis ſpiritualis ibi con
Ioan.3. iuncta. Vnde Dominus dixit: Niſi quis baptizatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ac ſi dixerit: Ex Spiritu ſancto per aquam, aut media aqua. In cibo autem & potu ſacroſanctæ Euchariſtię, eſt ipſius corporis Chriſti ſubſtantia vera, & ſanguis, vnde trahimus ſpiritū ſalutis noſtræ: quod ſuperbi homines non credunt, & qui gloriantur in ſua ſapientia. Nec illud conſiderare volunt miſeri: Si nihil aliud eſſet myſtica benedictio in altari, quàm panis communis, & vinum commune, nihil prorſus differremus ab illo priſco ſacerdotio, quod in huiuſmodi cibis & potibus conſtabat: & ita nouus ſub titulo Chriſtianiſmi adductus eſſet Iudaiſmus: qd eſt omnino horribile, atque intolerabile. O infœliciſſimos hominum, qui contra ſuam ipſorum vitam certant, ac veram ſalutem.

Illæ autem carnis iuſtitiæ erāt impoſitæ non ab re, nec inutiliter: ſed vt cōtineretur ille populus in officio, & cādidaretur ad Chriſtum. Quamobrem fuiſſe impoſitas vſque ad tempus correctionis doceet. Mirificè autem expreſſit B. Paulus quid ſignificare volebat ex verbo, *correctionis*, Græcè διορθώσεως. Significat enim propriè quandam erectionē (iuxta Budæū) quando quis lapſabundus aliquid apprehendit, quo ſe poſſit erigere. Talis erat Chriſtus, ſine quo nutabant Iudæi: quem qui apprehendit, & eius mandata cuſtodit ſecurè in eo innititur.

Chriſtus autem aſsiſtēs Pontifex futurorum bonorum, perāplius & perfectius tabernaculū non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorū: ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuēta. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emūdationem carnis: quātò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritū ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideò noui teſtamenti Mediator eſt, vt morte intercedēte, in redēptionem earum præuaricationum quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionē accipiant qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.

Chriſtus autem aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius ac perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, nō huius creationis, &c. Ecce (inquit) in quo eſt correctio noſtra, & iuuamen: quoniam adeſt Pontifex, id eſt, Sacerdos ſummus, & Mediator noſter ante Deum, non is qui debeat vlterius orare pro talibus populi ignorantiis, quę erant infantium & puerorū. Ipſe enim notitiam aperuit veritatis. Venit & ipſe in tabernaculum ſuum, vt per illud introiret in ſancta ſanctorū. Sed illud tabernaculum in quod ipſe venit, erat, *amplius*, ſiue maius: quia cōtinebat non vnius populi Gentem, ſed omniū populorū. Erat & *perfectius*, quia non erat *huius creationis*, id eſt, manu hominum conſtructum, ſed manu ſummi opificis Dei fabricatum.

Quærūt: Quodnam erat hoc tabernaculum tam amplum, tam perfectum, per quod tranſiuit Ieſus? Quidam cœlum eſſe aiunt: nolo hic contendere. Non placet tamen hæc reſponſio. Erat enim in terris Dominus, quādo hoc opus fecit & miniſteriū: necdum penetrarat cœlos. Niſi fortè in ipſa cauſa
effectum cōſideres, ſicut ille dicebat: Ego vado ad Ioan.7.
Patrem. Sed huic intelligentiæ multa reclamant: quoniam per illud prius tabernaculum non ſignificabatur cœlum, locus beatorum. Dicūt ergo alij hoc tabernaculum, per quod trāſiuit Chriſtus, eſſe eccleſiam. Verùm quomodo eccleſiam, cum præter ipſum non inueniretur aliquis iuſtus? Nūquid, obſecro, exiſtimare potes eſſe eccleſiam ſine Spiritu ſancto? Et nunquid Spiritus ſanctus in vlla habitat anima non ſanctificata? Ibat autem Chriſtus ad ſanctificandum omnes, & (te concedente) inuenit tabernaculum ſanctificatum, per quod incedit, id eſt, eccleſiam iam conditam, & perfectè ſanctificatam, ad quam tamen renouandam atque ſanctificandam pergebat.

Cuperem ſanè hoc in loco dari mihi homines & ingenio perſpicaces, & animo benignos atque faciles ad cedendum veritati, cum ſeſe patefacit. Scio enim (loquor cum dolore) de his qui ſectis ſe addixerunt, eſſe pleroſque qui claudūt aures, cum quippiam proponitur, quod eorum ſemel receptæ doctrinæ aduerſetur. Non aliam verò ob cauſam defendunt, niſi quemadmodum Pythagoræi ſolebant. Ipſe dixit, Dicam tamen, quantunuis ſint repugnaturi, quod verum eſſe conſpicio. Tabernaculum illud per quod Dominus inceſſit, vt in- *De glorioſa Virgine.*
traret in ſancta ſanctorum, fuiſſe vnicam illam primariam Sponſam ſuam, in qua ſuſtinebatur: quoniam illa ſola præſeruata fuit à culpa, ſuper quam Sponſus liberè poſſet incedere, ac per ſuum ſanguinem fracto ſuo mortalis carnis à ſummo vſque deorſum velo, intrare in ſancta ſanctorum, id eſt, in Tabernaculum illud non manu factum. Igitur beatiſſima illa Virgo virginum fuit primum illud Tabernaculum, de quo Propheta lōgè antè in ſpiritu vaticinatus eſt: Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Quomodo autem intrauerit in hoc Tabernaculum Chriſtus Pontifex noſter, ſecundum intelligentiam carnalem promptum eſt capere: ſed hoc nihil eſt ad ingreſſum ſecundum ſpiritum. Oportet enim plurimum ſpiritualem eſſe hominem, vt modum queat contemplari, quo ſummus Pontifex noſter in corde B. Virginis inhabitabat, & libere incedebat. Quomodo item per illud rādem exiens ille ex humanis, velo ſuæ carnis diſciſſo (quæ res communis vtriuſque fuit) per ſanguinem ſuū, non vitulorum, neque hircorum, ſemel intrauit in ſancta cœleſtia, æterna redemptione inuenta. Acquiſiuit enim eā ſanguine ſuo. Probare autem volens Apoſtolus per ſuum ſanguinem Chriſtum noſtram nobis obtinuiſſe redemptionem & veram ſalutem, argumentatur in hunc modum:

Si enim ſanguis hircorū, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, &c. Ritum illum expiationis memorat, de quo Leuit. cap. 16. Et vocat emundationē carnis, illam reſtitutionem ad cultum, quam crebrò amittebāt per tranſgreſſiones decretorum legis, vt vel ſi tetigiſſet quis cadauer, & alia huiuſmodi multa, quibus efficiebantur irregulares. Si ergo ſanguis ille viliſſimus hircorum, & taurorum, & ille cinis aſperſus tantum poterant, *Quantò magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus ad ſeruiendum Deo viuenti?* Clarum eſt hoc argumentum, vt propoſitum probet. Illud tamen declarare oportet, quid ſibi vult quod ait, Chriſtum obtuliſſe per Spiritum ſanctum, ſeu per Spiritum æternū vt habent modo Græci codices: licet facilis potuerit eſſe lapſus in Græcis. Obtulit abſque dubio Chriſtus ſemetipſum quatenus erat homo, motus à Spiritu ſancto internè illum ad eam obedientiā excitante. Erat enim amor diuinus, qui ad heroicū illud opus, & ſupra modum arduum adduxit. Et iccirco meruit redemptionem æternam.

Hic notandum eſt quantum interſit reſcire vnde procedunt opera, & à quo principio, vt ſint bona & meritoria. Idē enim opus ſi ex charitate fiat, bonum erit. Quod alioqui nō erit bonum, ſed peccatum. Quæ item ſint opera mortua videndū eſt. Et proculdubio opera mortua, peccata ſunt: quia occidunt animam. Et quæcūque ex charitate non fiunt, mortua ſunt: quia vitam non habent, & hæc coinquinant conſcientiam. Nam omnes debent operari opera ex charitate, quicunque charitatem
In Lutheranos pro operibus. habent, aut habere tenentur. Chriſtus ergo emundat ab operibus mortuis conſcientiam auferendo inde maculas, quas ab ipſis operibus mortuis contraxit ipſa conſcientia. Emūdationis autem hic eſt finis, vt ſeruiamus Deo qui viuit, & eſt Deus omnium verè viuentium, per opera bona, & viua,

Et ideo noui teſtamenti Mediator eſt, &c. Concludit Apoſtolus, Cum Dominus noſter, per mortem ſuam abſtulerit omnes præuaricationes quę erant ſub priori teſtamento, in quibus continebatur in primis originale peccatum, & alia quæ inde ſcatēt actualia ſine numero, meruiſſe illum vt fieret noui teſtamenti Mediator vt quicūque ſunt ad nouum gratiæ teſtamentum vocati, accipiant repromiſſionem ætērnæ hæreditatis. Non quaſi omnes illi qui ſunt vocati, accipiant: ſed qui vocati permanſerint in ſua vocatione. Sic verè intelligendum eſt. Nequeenim ſoli prædeſtinati manent, vt falſo putat vulgus. Et nos alibi abundè ſcripſimus, & perſpicuè oſtēdimus, quàm irrationabiliter multi aliter opinati ſunt, & aduerſus ſcripturas in vero ſenſu intellectas.

Hoc in loco diligenter notandum eſt, facta repromiſſionis mentione, pacti quoque mētionem includi. Nam omnis promiſſio pactum eſt, & fœdus etiam dicitur: præſertim cum eſt promiſſio pacifera. Et cum ſimiliter fiat mentio hæreditatis, idem quod eſt pactum, vocatur etiam teſtamentum, ita vt non ſit impoſſibile conuenire ſimul, vt idem & pactum ſit & teſtamentum, cum videlicet promittitur hæreditas, & iureiurando firmatur promiſſio, vt iuriſconſulti ſtatuunt. Quamobrem turpiter, & in hunc errorem perniciosè lapſus eſt Caietanus (ſic loquor ob rei, de qua agitur, periculum grauiſſimum) qui auſus eſt & hoc in loco reprehendere huius authorem epiſtolæ (certè beat. Paulum) veluti qui abuſus fuerit hoc vocabulo hebræo, illud ad ſignificandum teſtamentum ſub ratione teſtamenti detorquens, cum ſignificet pactum: iam accipiens quaſi rem impoſſibilem, hæreditatem poſſe venire in promiſſionem. Vnde non eſt veritus dicere, non parum hinc ſumi argumentum, ſcriptam fuiſſe Græcè hanc epiſtolam, quam nec Paulus vnquam viderit: perinde ac ſi dixerit, Si Paulus eam vidiſſet, vtique reprobaſſet. O dictum audax, vt parcè loquar. Expugnatur autem manifeſtè (vt aliàs dixi) per ipſummet B. Paulū ad Romanos, & ad Galatas ſcribentem, vbi abſque dubio vocat teſtamentum ſub ratione teſtamenti, cum adiiciat hæreditatem: de qua non niſi per teſtamentum diſponitur. Et vt appareat complere rationem teſtamenti, ipſa rei veritas manifeſtat: quoniam niſi mors intercedat teſtatoris, non habet exequutionem teſtamētum, vt poſsit obtineri hæreditas. Ita ergo oportuit eſſe in propoſito. Vnde protinus rationē ſubiūxit, & ait:

Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt. Alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mādato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſōpo, ipſum quoque librū, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio.

Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris, &c. Vide quomodo probat rationem teſtamēti B. Paulus, & Chriſtum ipſum teſtatorem. Ipſe fuit qui promiſit Abrahæ, & pacto obligauit illi hæreditatem. Oportuit igitur illum mori, ea tamen parte qua homo erat, vt nos illius hæredita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te fuerentur & bonis. Neque debet homo ita desipere, vt hæc quæ nobis de Deo dicuntur, conuenientia sint penitus in Deo, sicut in nobis solet accidere. Ecce testatur paterfa. & Deũ etiã fecisse dicimus testamentum. Sed paterfam. dum moritur, non acquirit sibi quicquam, nec acquirit hæredibus bona hæreditaria. Christus autem ea morte vtrumque acquisiuit, videlicet hæreditatem sibi, & nobis. Præterea, ipsemet Christus qui est testator, est etiam hæreditas nostra: quod non contingit in aliis testatoribus. Sic pacta quæ inire dignatur nobiscum Deus & fœdera, similitudinem cum pactis habẽt, quæ nos homines inter nos contrahimus. Sed non eodem prorsus modo: quoniam Deus re vera non potest seipsum nobis obligare, vt sit pro priè obligatio. Homo autem homini obligatur, vtpote qui habet superiorem legem obligantem. At Deus ipse neminem habet superiorem: & ideo dicitur potius ille debere sibi, quàm nobis: & illud nullo ligamine, nisi nuda & mera sua voluntate. Nos autem vel inuiti ligamur pactis. Quæ igitur dicuntur de Deo & nobis, nequaquam sunt vniuoce, penitusque iuxta eandem rationem æqualiter accipienda.

Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioqui nondum valet, &c. Istud item nota, cõfirmatum fuisse testamentum morte, minimè esse illi doctri
Gal.3. næ oppositum, quam tradidit scribens ad Galatas, confirmatum scilicet fuisse iureiurando ante mortem. Siquidem confirmatio illa fuit, vt ostendere tur testamentum non posse immutari, quod iureiurando confirmatum fuit: non autem ita vt posset adiri hæreditas. Nam cõfirmationem fecit postea
Ioan.12. Christi mors. Nisi enim granum frumenti mortuum fuisset, ipsum solum mansisset. Sed nos illius morte erecti sumus, & obtinuimus hæreditatem. Cœpit autem ille mori, & bonis suis propter nos priuari à primo suæ deiectionis & exinanitionis illius momento, videlicet quum incarnatus est. Testatus autem fuit antea, habens bona immẽsa quæ morte amisit, vt nos admitteremur ad illa. Quomodo ergo negare potest Caietanus non esse testamentum illud, ad cuius confirmationem necessaria fuit mors, & particularis illa mors per sanguinis effusionem, quæ & in figura veteris testamenti fuit designata? Quamobrem rectè ait Doctor noster, *Vnde nec primum quidem*, scilicet testamentum, *sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis, &c.* Ecce quomodo ad similitudinem veri tabernaculi, & veri Pontificis omnia peragebantur: nec fiebat remissio illarum culparum, vt (quantum ad cultum) sanctificarentur, nisi per sanguinem.

Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium, his mundari: ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quàm istis. Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exẽplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt sæpe offerat semetipsum, quẽadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioqui oportebat eum frequẽter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummationem sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autẽ iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Secundò sine peccato apparebit omnibus expectantibus se in salutem.

Necesse est ergo, &c. Sensus Apostoli est: Cum illa antiqua essent exemplaria cœlestium, quæ in nouo testamento sanctificata sunt, necesse fuit ea illis sanguinibus emundari, id est, sanguine brutorum animantium. Nefas quippe erat hominum sanguine fieri illorum purgationem: sicut faciebant Gentes sacrificantes idolis. Vbi & nos ingenuè fatemur, etiam Tabernaculum ipsum indiguisse sanguine. Redempta enim fuit & ipsa B. virgo: imò primùm ipsa, & summopere, ac summo & singularissimo modo redempta fuit sanguine Christi per præseruationem. Hunc modum Filio & Matre dignissimum quidam nolunt recipere: sed & hoc illis aliquando, & citò (vt credo) reuelabit Deus, puritatis Sponsæ defensor.

Cum igitur antiqua illa terrena exemplaria cœlestium mundata sint illis hostiis, decuit, quin etiã omnino necesse fuit, ipsa cœlestia multò melioribus emundari, videlicet hostiis: plurali numero loquitur. Non enim vna fuit hostia tantum. Necesse fuit esse illi adiutorium simile sibi. Et præterea per Christi hostiam multæ hostiæ membrorum eius sanctificatæ sunt: contra istos miseros hæreticos. Vna quidem fuit hostia principalis, & in cuius virtute cæteræ sunt acceptę: sed illa primùm quæ fuit penitus immaculata, atque illi quoad fieri potuit, coniunctissima. Verùm hac de re aliquando fortè dabitur spaciosior pro dignitate materiæ, dicendi locus.

De compassione B. Virgi. & de martyribus.

Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, &c. Sensus clarus est, ac si dixisset: Ad intrandum in illa sancta sanctorum manufacta, satis erat ille hircorum & vitulorum sanguis. Ad intrandum verò in ipsum cœlum, vt appareat nunc pro nobis vultui Dei, decuit permultò meliorem, nimirum per cœlestem sanguinem fieri, quò omnes sanctificaremur ad cœli lucrum, patefacta sanctorum via. Addit vnam dissimilitudinẽ in figura: quoniam non fuit opus Christum semet ipsum pluries offerre, sicut solebat Pontifex qui singulis annis intrabat in sancta, idque alieno sanguine. Alioqui oportuisset Christum ab origine mundi frequenter pati, hoc est, omni anno ad redimendum mundum in omni ætate. At istud procul omni dubio fuisset absurdissimum supra omnem modum.

Nunc autem semel in consummationem sæculorum ad destitutionem peccati, &c. Potest hoc duobus modis intelligi. Primò, venisse Christum in vltimo tempore sæculorum: vel venisse ad cõsummationem, id est, perfectionem sæculorum omnium, quæ per ipsum perficerentur. Nam illius passio, seu passionum merita retrotrahuntur, vt prosint etiam præcedentibus sæculis. Destitutio siquidem peccati facta est in illa carnis suæ destitutione: & sic per hostiam suam, siue per immolationem suiipsius, apparuit ante Deum Redemptor & propitiator pro nobis.

Et quemadmodum, Ponitur hoc in loco, Et, pro, *quia, statutum est hominibus semel mori*, contra illos qui putant aliquos hominum non morituros. Dictum est enim omnibus in persona primi parentis
Omnes homines gustabũt mortem. Adæ: In sudore vultus tui vescẽris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in puluerem reuerteris, *Et post hoc iudicium*, id est, postquam omnes mortui fuerint & resurrexerint, erit iudicium. Non enim iudicium ante re-
Psal.96. surrectionem, & consequenter ante conflagrationem mundi, sicut scriptum est: Ignis ante ipsum præcedet. Quomodo ergo poterunt aliqui salui esse ab illo igne: *Sic & Christus semel oblatus est*, ac si dixerit: Nulla ratione conueniebat Christum sæpius mori, si statutum fuit omnibus semel mori: sed illa Christi mors suscepta est à Deo, *ad exhaurienda peccata*, non vnius, sed *multorum*. Certè omnium, quantum attinuit ad voluntatem Dei. Multorum autem & non omnium: quia non omnes re
Marc.14. cipere voluerunt. Multi tamen receperunt, & non solum illi pauci electi. Quapropter Dominus de suo sanguine breui moriturus dicebat: Qui pro vobis, qui scilicet electi estis: & pro multis, qui in secunda classe relinquũtur: effundetur, siue potius effunditur. Assiduè etenim secũdum effectum ipsum funditur.

Secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus se in salutem: Secundò, inquit, apparebit sine peccato. Primò igitur apparuit cum peccato, non cuius ille commissi author extiterit (quod vel cogitare blasphemia est) sed quod nos commisimus, & ipse in se suscepit luendum: vt possint confidere peccatores interim vsque ad illud tempus, quandiu durabit tabernaculum hoc suum, scilicet militantis ecclesiæ. Nam secundo aduentu sine peccato apparebit, omnibus expectantibus se, id est, illis quos à peccato mundos inuenerit, & quasi expectantes Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Nõ enim tunc veniet humilis & mansuetus, vir dolorum & sciens infirmitatem: sed in potestate & gloria. Nec iam ad se vocabit peccatores, sed solos iustos. Illos eiiciet foras, qui in tẽpore accepto spreuerunt eum. Nolo & hoc in loco nescire lectorẽ hæreticos etiam hinc eruere argumenta, quibus possint destruere sacrificium, & sacerdotium nouæ legis. Et tamẽ inde absque dubio vllo comprobatur. At hoc seruabimus sequenti capite pertractandum.

CAP. X.

VMBRAM enim habẽs lex futurorum bonorum nõ ipsam imaginem rerũ: per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinẽter, nunquã potest accedẽtes perfectos facere. Alioqui cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent vltra consciẽtiam peccati, cultores semel mundati. Sed in ipsis cõmemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorũ auferri peccata. Ideo ingrediens mũdum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciã Deus volũtatẽ tuã. Superius dicẽs: Quia hostias, & oblationes, & holocaustomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus volũtatem tuam. Aufert primum, vt sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdẽ sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata. Hic autem, vnã pro peccatis offerens hostiã, in sempiternum sedet in dextra Dei: de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione cõsum mauit in sempiternum sanctificatos. Cõtestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquàm enim dixit: Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatũ eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato.

Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, &c. Volens iterũ suadere Apostolus inutilitatem illius sacrificij ac testamenti veteris: Primum sibi sumit legem illam in suis decretis & promissionibus, fuisse quodammodo vmbram futurorum bonorum, quæ non habebat imaginem rerum. Plurimum enim interest inter vmbrã & imaginem. Per vmbram non redditur similitudo corporis, cuius est vmbra. At per imaginem bene repræsentatur id cuius imago est. Nũc videre oportet, quænam erant in lege habentia vmbram futurorũ bonorum. Verùm quænam, rogo, sunt illa quæ vocat futura bona? Respondeo. Christus cum Sanctissima Virgine Matre, & Sanctis eius, & vniuersa ecclesia Dei, quorum vmbram habebat lex, & non imaginem. Illa enim significabantur in terra Hebræis promissa, & in tabernaculis, & vasis, & candelabris, & mensa, & propitiatorio, & arca, & vrna, & virga, & hostiis, & cũctis oblationibus. Hæc & alia innumera erãt vmbra sola verorum, & non vera imago: quoniã non poterant (vt ita dicamus) res veras effigiare. Ideo lex per has vmbras accedentes, perficere coram Deo non poterat. Per vmbram enim nunquam assequimur corpus.

Per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerũt indefinenter, &c. Probat autem hoc à rei euidentia. Nam Pontifices illi singulis annis offerebãt indefi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Locus valde difficilis.

nenter easdem hostias. Qui si ad perfectionem venissent, cessassent aliquando sacrificare: *ideo quod nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati*. Consciebantur autem non cessare. Non igitur perfecti erant, nec perfici eo modo poterant. Vt autem perfectè hũc Apostoli locum intelligere possimus (habet enim difficultatem non modicam, nec vllum legi qui mihi satisfecerit) dicam quod mihi visum est citra scrupulum planissimo sensu procedere.

Qui vis penetrare sensum Apostoli, aduerte.

Oportet primum cogitare (vt aliàs scripsimus) omnes homines ab initio fuisse vno peccato obnoxios, nimirum antiquo illo originali, quod quidem multa & innumerabilia peccata, quę inde manabant, consequebantur: nec vllus poterat sanari à propriis peccatis, nisi ab illo peccato sanaretur. Qui autem ab eo peccato sanatus esset, etiam ab aliis inueniretur sanatus, quæcunque ante illam sanationem commisisset. Non enim poterat ab illo sanari, quin ab omnibus sanaretur. Hęc autem quę dico non ignorabantur in ea primitiua ecclesia, cũ scrutarentur scripturas, & recens vigeret Apostolorũ doctrina: nam erant principia fidei. Quærebatur ergo destructio illius peccati, & aliorum ex illo venientium. Videamus nunc quo sacerdotio expiatum fuerit, & quo sacrificio: vtrum Leuitico, an eius potius qui fuit de Tribu Iuda. Certè nõ Leuitico. Idque probatur: quoniam si hoc factum fuit, aut per Pontifices fuit, aut per minores sacerdotes: non per illos, neque per istos. Ergo, &c.

Quod minimè per Pontifices, luce clarius patet. Etenim illi per singulos annos offerebant easdem hostias pro se, & pro populi ignorantiis: & hoc iubebantur facere ex lege. Non ergo auferebant hoc peccatum: nec veniebat scientia de Deo, quam profitebantur tunc se ignorare. Alioqui cessassent offerre, postquam illud peccatum erat peccatum naturę, vt semel sublatum nõ posset redire. Hoc à nobis dicitur prius, ne quis obiiciat: Offerebant assiduè pro nouis peccatis quæ cõmittebantur, nec cessabant committi. Nam sublatis prioribus, oportebat pro aduenientibus sacrificari. Hoc, inquam, dici nõ potest: quia pro illis quæ committebantur quotidie, non poterat fieri expiatio, nisi sublatum fuisset illud originale. Si quis autem inuentus fuisset potens ad tollendum illud, & de facto sustulisset, etiam cætera prętérira simul deleuisset, & perfectus fuisset: & ita cessasset offerre easdem hostias. Necesse quippe erat nouum pactum, seu testamentum introduci, cum satisfactum fuisset Deo pro primo testamento: quod dum diceretur vetus, manifestè nouum esse introducendum innuebat. Nouo autem testamento succedẽte, consequenter oportebat Leuiticum illud sacerdotium omnino cessare, quod solùm vigebat stante adhuc veteri testamento, cuius præuaricationes manebant. Donec enim non cessarent obliteratæ & deletæ præuaricationes primi testamenti, necesse erat durare illud sacerdotium. Durasset autem in æternum, si expectatum fuisset vt per illud auferrentur peccata. Nam assidua commemoratio fiebat peccatorum in illis oblationibus. Non ergo tollebantur, nec per illas hostias corda mundabantur. Et verè impossibile erat sanguine illo hircorum, & tautorũ (vt docet Apostolus) auferri peccata.

Ideo ingrediens mundum dicit. Reiicit Apostolus hostias præcedẽtis sacrificij authoritate verbi Christi ad Patrem, qui ob istam causam à Propheta introducitur venire in mundum, id est, ob inutilitatem hostiarum ad remittẽda peccata. Verba enim Christi sunt hæc, *Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* Nos legimus, *aures autem perfecisti mihi.* Iuxta veritatem autem Hebraicam, Aures autem perfodisti mihi. Et fortè loco, perfodisti, suppositum est, perfecisti, sed omnia eundem sensum reddunt, qui est: Aptasti me per corpus quod accepi ad obedientiã, vt possem mereri obediendo. Autibus enim excipimus præcepta, & cũ perforatæ sunt, perfectè audiũt. Alludit autem ad mancipia, quæ quum nolebant frui beneficio iubilei, sed seruire semper, his aures perforabantur. Talem se Dominus descripsit propter voluntariã obediẽtiam vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Holocausto mata & pro peccato non tibi placuerunt. Quod Apostolus ait, Et pro peccato, significat particulare sacrificium, quod dicebatur pro peccato. Non ergo intelligendum est absolutè, non tibi placuerunt: sed non tibi placuerunt ad liberãdum (sicut expectabatur, & oportebat) mundum à peccato, quo cuncti tenebantur. Alioqui nihil stante illo peccato actum fuisset. *Tunc dixi: Ecce venio*, id est, carnem accipio ad obediendum. Vnde bene sequitur, *Vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et interposuit, *In capite libri scriptum est de me.* Hebræi legunt, In volumine, siue in pagina libri. Sed authore eodẽ Spiritu sancto conuenientissimè interpretati sunt sancti Dei homines, In capite libri. Quòd enim est in capite libri, in volumine est. Verum id maxime ad rem spectat, non solum significare de illo scriptũ esse, sed locum vbi scriptum est. Quapropter dicitur in ipso voluminis principio: vt intelligeremus in eo capite libri scriptum esse, vt quemadmodum per ipsum condita erant omnia, ita omnia per eundem essent instauranda: quod verissimum est, vt & illo in loco Genesis in nostris commentariis latius hac de re scripsimus.

Perdocte autem argumentatur ex his verbis Apostolus, vt probet primum Leuiticũ sacerdotium debuisse cessare, & statui secundum & nouum in Christo: quia paulò superius iam dixerat: Hostias & oblationes & holocausta & pro peccato noluisti. Quibus vocibus concluduntur cuncta quæ sacrificabantur ad expiationẽ peccati. Et statim ait: Ecce venio vt faciam voluntatem tuam, hoc est, vt melius testamentum constituam ad veram animarum sanctificationem. *In qua voluntate sanctificati sumus*, vt scriptum est. Hæc est enim voluntas Dei, quam scilicet ad effectũ redegit Christus, sanctificatio nostra. Redegit autem ad effectum per oblationem corporis sui semel, non continuè, nõ pluries, vti faciebant alij minores sacerdotes: ne quis fortè diceret: Si summus Pontifex ipse non tollebat peccata, saltem hoc agebant minores sacerdotes: nam de iis protinus subiunxit: 1.Thess. 4.

Et omnis quidẽ sacerdos præstò est quotidie ministrãs, & easdem sæpe offerens hostias, &c. Bis enim in die, mane & vesperi agnus offerebatur, sed frustrà omnia: quia non poterant nec ipsa sanctitate, nec hostiarum illarum virtute auferre peccata. *Hic autem*, id est, Dominus noster Iesus Christus, *vnã pro peccatis offerens hostiam, in sempiternũ sedet in dextera Dei*, sensus est: Postquam ipse obtulit vnam pro peccatis hostiam, tum acquisiuit sibi sempiternam cum Deo amicitiam, vt iam sedeat à dextris eius in potestate. Sunt qui illud, in sempiternum, referant ad oblationem, siue oblationis efficatiam: perinde ac si dicere voluerit: Obtulit hostiam sempiternæ efficaciæ: quod & verum est. *De cætero expectans vt ponantur inimici eius scabellum pedum eius.* Interim sedet, id est, quiescit in dextera Dei, à quo absolutam accepit omnem omnium potestatem, quam tamẽ non exercet in omnes, sed expectat donec ponantur inimici eius, id est, homines impij, hæretici, & Antichristi, scabellum pedum eius.

Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, Græcè, eos qui sanctificãtur, id est, qui suæ sanctificationis fructum non spernunt, hos consummauit & perfectos fecit, vt non sit vlterius opus alia per ipsum oblatione. Et hic est locus præcipuus, in quo innituntur noui hæretici ad negandum sacrificium noui testamenti, præter alia argumenta quæ ex dictis ipsius Apostoli sumuntur. Vt igitur plenius hæc pertractentur, resumam primũ eorum argutias, tum easdem mox retundam.

Si vna illa (inquiũt) oblatione sanctificatos perfecit Dominus in sempiternum, quid vos nouas oblationes inquiritis? Nonne in iniuriam illius fit, quasi illa non satis fecerit? Deinde, Si Pontifex noster est in cœlis vnus assiduè interpellans pro nobis, quomodo non vacant qui sunt in terris sacerdotes? Tertiò, Si pluralitas sacerdotum antiquorũ reprobatur à Paulo propter infirmitatẽ, vnde hic vobis tam magnus sacerdotum prouentus? Quartò, Si inter legem veterem quæ constituit sacerdotes, & legem nouam quæ dicitur sermo iurisiurandi hoc interest, quod lex illa quidem constituit homines sacerdotes infirmitatem habentes & morti obnoxios: quomodo vos noui testamenti sacerdotes estis, cum similiter moriamini? Quintò, Sicut illi sacerdotes spreti sunt à Paulo, eò quòd semper pro se orabant, & pro populo, vt inde collegerit eos nunquam litasse, atque ad perfectum peruenisse: quid obstat, quin hoc similiter dicatur de vobis, qui itidẽ idipsum facitis non cessantes ex mandato sacrificare pro vobis, & populo Dei? Sextò denique, Verba hæc sunt aperta Pauli aientis: Vbi peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Est autem omnium peccatorũ per illam oblationem remissio, vnde igitur vestræ oblationes?

Nos autem iis omnibus respondentes, ordine tamen retrogrado procedemus. Ad sextum ergo quando obiiciunt: Vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Respondeo loqui Apostolum de peccatis quæ erant sub primo testamento, quale erat originale, & quæ inde manabant: sicut declaratum est superius. Ob eam causam dixit B. Paulus: Vbi est horũ remissio, horum inquit, de quibus videlicet dixerat per Ieremiam Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum: & peccatorum eorum, & iniquitatum (proculdubio præteritarum, non autem earum quas post inscriptas leges in cordibus commiserint) non recordabor. Itaque necesse est manere sacrificium pro culpis, quæ sub nouo testamento admittuntur post veterum remissionem peccatorum, & acceptam gratiam, vt probabitur.

Ad quintum, Dicimus meritò ab Apostolo spretos esse priores sacerdotes tanquam non litantes, & semper sacrificantes: quãdoquidem semper orabant, & easdem offerebãt hostias pro suo proprio, & populi peccato. Sed non propterea spernendi sumus nos noui sacrificij sacerdotes & ministri. Non enim idem facimus, qui (vt paulò antè dictũ est) pro alio genere peccati sacrificamus, & assiduè pro nouis peccatis quæ à nobis committuntur. Illi pro illo peccato nimirum originali: quod si sublatum semel fuisset, non redibat vlterius. Quamobrem non oportebat eo semel sublato, amplius pro illo sacrificare. At nos, quoniam pro assiduis peccatis quæ in dies committuntur, offerimus sacrificiũ, nihil prohibet, imo etiam necesse est assiduè sacrificare, ac simul assiduè litare: vt quæ assiduè admittuntur, assiduo sacrificio expientur. Nõ enim pro eisdem peccatis semper à nobis offertur sacrificium.

Ad quartum, Dicimus sacerdotium primum nõ habuisse vnum summum sacerdotem qui semper viueret, ac per hoc in quo consisteret ipsum sacerdotium: sed omnes etiam summi sacerdotes erant infirmi, mortique obnoxij. At sacerdotium nostrũ in summo illo Sacerdote fundatur, qui est virę insolubilis. Quare perspicua est differentia inter sacerdotium veteris legis, & nouæ: quia perennitas sacerdotij nostri & vigor sustentatur in Christo Iesu Redemptore nostro, qui est Sacerdos in æternum. Nos enim sub illo Sacerdote sumus, vt eius ministri. Ille est summus Pastor, & nos loco eius pastores.

Ad tertium, Similiter dicimus nihil prorsus esse absurdi, sub Christo Sacerdote qui viuit, multos inueniri sacerdotes morti obnoxios. Satis est enim illum Sacerdotem principẽ semper viuere: quod non fuit in illo antiquo sacerdotio.

Ad secundum, Dicimus non vacare propterea sacerdotes qui sunt in terris, quod ille coram Deo in cœlis assistat, & interpellet pro nobis. Verum hic opus attentione multa, & illud reuocãdum in memoriam quod sæpe diximus & sæpius propter istos hæreticos repetendum est, videlicet Christũ per vnam illam suam oblationem non desiisse sacerdotem esse: imo per illam acquisiuisse sacerdotium, vt illud Leuiticũ in aliud trãsferretur, quod est noui testamenti sacerdotium. Sacerdotium autem hoc, quemadmodum & illud Leuiticum, omnino habere debet & Sacerdotem summum qui intret in sancta sanctorum: & alios plures minores, qui maneant inferius in sancta, & quotidie sacrificent. Eam enim formam constituit Dominus Deus ad exemplum veri tabernaculi obseruandã: in quo etiam oportuit esse sancta, vbi quoque celebraretur, & offerrentur hostiæ. Et item esse sancta sanctorum in cœlis, quò iam est ingressus summus noster Pontifex medio proprio sanguine, vnica illa oblatione: qua factum est vt pro præcedentibus culpis, quæ erant sub priore testamento, litatum sit: & vt pro nouis quę sub nouo emergerent, sit translatum illud sacerdotium vetus inutile, & statutum nouum pro iis culpis luendis, quæ assiduè iterantur in nouo testamento. Nota, hæreticę, quod ait Paulus, Translatum sacerdotium per *Notet hæreticus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi sanguinem,non extinctum.Tu autem omnino vis extinctum,cum vis cessare omnem oblationem.Et vide:Quemadmodũ sacerdos ille summus veteris testamenti,postquam intrasset in sancta sanctorum semel in anno,non amplius per seipsum hostiam offerebat manens tamen sacerdos, licet inferiores sacerdotes non cessarent quotidie offerre agnum,& varias hostias,quæ omnes hanc vnam nostram significabant: Ita Christus semel ingressus per suũ sanguinem in sancta sanctorum cœlestia,retinens æternum sacerdotium permittit, imò vult & iubet à nobis minoribus in hoc inferiore suæ sanctæ ecclesiæ tabernaculo offerri hostiam illam viuam immaculatam, quam ipse sua omnipotentia fecit, & ordinauit nobis vt faceremus,quæ est secundũ ordinem Melchisedech non communis panis, & vinum commune,sed sub specie communis panis & vini corpus suum, & sanguis,id est,panis verus,viuus,cœlestis:& vinũ cœleste,ambrosia & nectar nostrum, cibus & potus Deorum,id est,cœlestium ac beatorũ prorsus omnium spirituum.

Ecce quàm aptè quadrant omnia. Habemus enim sanguinem & verum sanguinem, quem offerimus ad placandum Deum pro nouis culpis:quia sine sanguine non fit remissio, cuius effusio semel facta semper prodesse debet,modo iugiter offeratur.Nec solum pro iis culpis quæ admittuntur,verum etiam pro gratiarum actione & laude, quam debemus Deo.Nec solum ad eluenda peccata iam admissa,verum etiam ad impetranda beneficia,& ne amittantur.Quotiens nanque offerimus,toties ille sanguis ante aspectum Dei effunditur,hoc est, toties illius effusionis efficaciam præstat: quia eũ memoratur illa effusio(facimus enim in memoriã eius)quodammodo renouatur.Sic enim sapientissimè instituit Dominus.Oportet enim vt prosit illud sacrificium,applicari nobis.Applicatur autem respectu præcedentium culparũ, quæ sunt sub veteri testamento,per baptismum. Respectu autem nouarum per sacrificium hoc nouum, & per alia sacramenta,quæ absque hoc sacrificio non proficerent: sicut nec absque illo Christi sacrificio prodesset baptismus.Non est ergo cõfictum sacrificiũ nostrum, sed verum & ordinatum à Christo ipso in cœna.Ipse enim primus & verus Melchisedech postquã primùm animo & voto obtulit seipsum Deo,& vidit Deum oblationem acceptasse,& per eam oblationem se acquisiisse sacerdotium æternum,ordinauit & obtulit tunc panem & vinũ,corpus & sanguinem suum incruentum sacrificium, & dedit potestatem nobis idem faciendi & offerendi in nouo testamẽto iam veteribus culpis deletis. Nec solum nobis id faciendi potestatem dedit,verum etiam vt re ipsa faceremus, mandauit. Ecce igitur quomodo non vacant noui testamenti sacerdotes, sed & ad eum finem sunt necessarij, vt sit & maneat sacerdotium in æternum,videlicet in hoc testamento æterno pro nouis culpis. Æternorum dico:quia nunquam mutabitur, & tandiu durabit,quandiu sunt mundi huius sæcula perdurata.Nec est verum,nostram ministrationem non aliud esse quàm commemorationem illius sacrificij & oblationis Christi:vt videntur quidam indoctè dicere.Alioqui quilibet esset sacerdos,qui hãc posset facere commemorationem.Quis autẽ non posset? Nihil autem est in ratione veri sacrificij, quod non sit in isto nostro. Quatuor enim sunt quæ in sacrificio considerantur: Sacerdos offerẽs. Deus,cui offertur.Hostia & oblatio quæ offertur. Denique causa ipsa oblationis.Circa sacerdotem, haud dubium(cum sacerdotium in ecclesia sit ordo summi ac dignissimi honoris)à Deo ordinatũ fuisse: contra quod temulentè blaterant noui dogmatistæ.

Pro verita te nostri sa crificij.

Cum enim præcepit Dominus Apostolis suis dicens: Hoc facite in meam commemorationem, tunc illis sacrificãdi potestatem dedit, sicut persuasissimum est vniuersæ ecclesiæ. Nec propter hos nouitios doctores vllo pacto reuocanda sunt in dubium.Nemo enim sibi assumit honorẽ, sed qui vocatus est vt Aaron. B. Petrus clarè hunc ordinẽ designauit in ecclesia, cum regale sacerdotium in ea constitutum dixit.Nam si in primo testamento fuit hic honorabilis ordo secundum carnẽ, quantò magis esse debuit secundum spiritum in secundo?An non dixit B.Paulus translatum esse sacerdotium,ad exemplum nostri sacerdotij constitutum, iuxta mandatum Moysi à Deo?Certe si in eo sacerdotes erant,etiam in hoc oportebat nõ deesse. Alioqui quodnam(rogo)exemplum illud fuisset?

Luc.22.

1.Pet.2.

Præterea,Nonne B.Paulus mandabat ordinari presbyteros & Episcopos,vt perpetuo consuetum fuit in ecclesia sancta Dei?Quid autem illi erant,si sacerdotes non erant? Quod verò vt Magistratibus blandiretur,Lutherus dogmatizauit: Omnes Christianos parẽ habere & æqualem potestatem in verbo & sacramento,nõ autem exercitiũ (nam hoc pendẽre ab electione per Magistratus laicos docuit)ita est stultum, vt nullum prorsus mereatur responsum.Sunt enim quædam adeo per se falsa,& ridicula,vt vel primo auditu, nisi perniciosa essent,silentio præteriri deberent.Verum propter infirmos & rudes,ne quis decipiatur, redargui ea oportet:ne illi sapere videri possint.

Ad.Tit.1.

Sunt igitur sacerdotes in ecclesia Christi:& est ordo ipse sacerdotalis ab ipsomet institutus ad sacrificandum.Porrò ipse Deus est,cui nos sacrificia offerimus.Nam soli Deo sacrificium debetur. Est item & hostia quæ offertur, quam nobis præparauit ipse vt offerremus, nempe corpus & sanguis Domini nostri Iesu:quia sine sanguine non fit remissio.Hanc hostiam nos facimus,& offerimus. Sacerdotis enim non solum est offerre, verum etiam facere sacrificium.Facimus ergo & nos illud. Nam cum verba Christi proferimus, cõtinuo adest sub speciebus panis,corpus:& similiter sub speciebus vini,sanguis:quæ offerimus.Et hæc est hostia viua,quæ summo Deo placet.

Dices fortassis:At nulla est sanguinis effusio in nostro sacrificio,quæ tamen videtur exigi. Et nos dicimus:Imò iam declarauimus esse etiam effusionem sanguinis secundum commemorationem & efficaciam. Vnde sicut Christus antequam effunderetur sanguis,dixit:Qui pro vobis effunditur(vt habet vera Græca lectio)vt indicaret illum omni momento effundi:ita & post effusionem, quotiẽs eam effusionem commemoramus,in Dei conspectu quodammodo renouamus, cum ante oculos Dei illa effusio pro omni tempore respiciatur vt præ-

præsens. Habes iam Catholice lector,offerentem sacerdotem legitimum. Habes & cui offertur, & quod sit vt offeratur. Nunc insuper veras accipere necessariæ oblationis causas.

Sciendũ est,Sacrificium reddi Deo,iuris esse naturalis.Ratione enim naturali deprehensa est obligatio sacrificij.Sacrificium enim est exterior quẽdam protestatio interioris deuotionis ac fidei,quę in Deum respicit.Deuotio quippe nihil aliud est, quam actus quidam interior volũtaris, quo homo subdit se sponte ac summisse Deo vt Domino, vt Creatori,vt Seruatori,vt ei quo indiget omni momento, & à quo recipit beneficia, quicquid ipse est,& quicquid habet. Hanc interiorem deuotionem debet homo etiam per signa exteriora proferre ac profiteri, vt per sensibiles res declaret, & offerat hunc animum suum. Hæc est propria hominis conditio,manifestare interna per externa.

Quòd si rursus peccauerit homo in Deum,contra eius mandata faciens, superadditur etiam ratio sacrificij.Nam pro beneficiis acceptis est sacrificium laudis,& gratiarum actionis. Pro impetrãdis autem est etiam sacrificium deuotionis. At pro redimẽdo vel se,vel alios à peccatis,oportuit quoque esse particulare sacrificium.

Cum igitur istę sacrificij causæ absque dubio vigeant in nouo testamento,hoc vnum ordinatum est nobis sacrificium corporis & sanguinis Christi incruentum,vt sit satis pro omnibus causis, id est, ad laudem,& gratiarũ actiones exhibendas Deo, & ad noua beneficia impetranda, & ad deletionẽ recentium peccatorũ:quam vim tamen habet ab illa vnica oblatione per Christũ facta, quæ in his nostris oblationibus recolitur.Nã sicut nos oportet pro nobis, & inuicem pro toto corpore ecclesiæ orare(quãuis pro nobis omnibus Christus orauerit) ita oportet & nos pro nobis sacrificare, quanquam Christus pro nobis & pro toto mũdo sacrificauerit: quia sic applicamus nobis illius & orationem & sacrificium.Falluntur ergo supramodum hæretici, qui sacrificiũ negant. Nec solum id contra scripturas inficiuntur, & cõtra morem ecclesiæ:verum etiam contra naturalem rationẽ,cui & omnium gentium ritus ab initio mundi in hodiernum diem astipulatur:vt vel sint isti ipso Cain longè deteriores. Neque enim ille sacrificij debitum,quod natura ipsa docebat, negauit:sed solum fidei sacrificium non admisit.Isti autem dementes homines simul & fidem, ac ipsam naturã negant.

Sed hactenus aduersus illos.Ad Apostolum nostrum iam redeamus.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam,& viuentem per velamen, id est, carnẽ suam: & Sacerdotem magnum super domum Dei:accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à cõscientia mala,& abluti corpus aqua mũda,teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem(Fidelis enim est qui repromisit) Et cõsideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum:nõ deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam,sed consolantes,tantò magis,quantò videritis appropinquantem diem.

*Habentes itaque.*Quia nemo potest assequi fiduciam intrandi in sancta sanctorum, nisi eo modo quo Christus intrauit. Intrauit enim ipse prius in sancta: quia dignatus est humiliari, & quasi vnus nostrũm versari nobiscum ministrans, vt inde in sancta sanctorũ, id est,in sancta cœlestia penetraret.Cum igitur dicat Apostolus:*Habẽtes itaque fratres,fiduciam in introitu sanctorum*,ostendit se ad eos sermonem dirigere,qui iam profitebãtur in ecclesia fidem Christi, vnde venit spes adeũdi superna, eo quòd Christus viam nobis,*initiauit*, seu innouauit,*nouam & viuentem viam*, quam calcauit ipse primus.Hæc est via crucis, de qua apud B. Ioannẽ dixit:Et quò ego vado scitis,& viam scitis.

Ioan.14.

Et vt melius declararet Apostolus, dixit hanc viam esse factam,*per velamen,hoc est, per carnẽ suam*, cuius liuore sanati sumus. Sic & nos oportet transire per humilitatem & passionẽ carnis. Dixit hãc esse viam nouam,& verè à nemine antea excogitam.Quia enim non cognouit mundus per sapiẽtiam Deum,placuit Deo per stultitiã crucis saluos facere credentes. Vocauit & viam viuentem,vtpote in qua est vita Spiritus, & ad vitam etiam ducit meliorem. Cum igitur habeamus hanc viam: *& Sacerdotem magnum super domum Dei*, qui potest & vult nos adiuuare: & magnus est, quoniã est præpositus totius domus Dei,quę est ecclesia,super omnes Cherubim & Seraphim.Postquã ergo præsto est nobis tanta facultas & tãta petẽdi fiducia:

1.Cor.1.

Accedamus,ad ipsa cœlestia regna,*cum vero corde*,non ficto & simulato,*in plenitudine fidei*. Plenitudinem fidei vocat, quæ certitudinem & persuasionem ita affert, vt nullus hæsitationi relinquatur locus. Id autem verè est cùm purificatum est cor. Fieri enim vix potest vt sit plena fides in corde impuro. Ideo ait: *Aspersi corda à conscientia mala.* Alludit ad aspersionem factam per Mosen: quoniam aspersit populum cinere intincto sanguine. Quæ quidem aspersio significauit purificationem conscientiæ per pœnitentiam, & vim pœnitentiæ purificãtis corda per sanguinem Christi. *Et abluti corpus aqua munda.* Hoc fit per baptismum. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Hanc euangelij salutarem partem præscindunt nostræ ætatis hæretici:& non intelligunt quid sit teneri spei confessionem absque declinatione.Quid enim est aliud,quàm insistere atq; inniti bonis operibus,vt tandem accipiamus promissionem,& intremus in sancta sanctorum cœlestia? Audi quid addat Apostolus:

Fidelis enim est qui repromisit. Vtinã & nos quoque fideles essemus, præstantes ea quæ promisimus. Inuitat autẽ eos, vt mutuis inter se acceptis & datis bonis exemplis proficiant. *Et consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operũ.* His enim spes alitur,& ipsa ducit nos ad interiora velaminis. Isti autem noui speculatores, vt fidem nudam, ita & spem & fiduciam nudam considerant.Quo fit vt falsi & fallentes, promissionẽ ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

sola fide firmam esse carnalibus hominibus obtrudant. At perspicuè illos hic Apostolicus sermo reuincit. Spes enim arduorum est, & innititur in ea
Matth. 11. vi, de qua Dominus: Regnum cœlorũ (inquit) vim patitur, & violenti rapiunt illud. Cum autem nullo modo oporteat segregare se à castris Dei, quod tamen plerique ex Iudæis faciebant: & hactenus fecè semper fecerunt (pauci enim syncero corde ducuntur) addidit:

Non deserentes collectionem, seu cõgregationem, *nostram, sicut consuetudinis est quibusdã*. Circũspectè ait, *Quibusdam*, quoniam non omnes tales erant, *sed consolantes inuicem*, perseuerando, & alter alterum quadam æmulatione sancta hortando, *& tanto magis, quanto videtis appropinquantem diem*. Diẽ insinuat tribulationis, & audiendæ nouissimæ sententiæ siue ad fœlicitatem æternam, siue ad crucjatus nullo fine finiendos: qui dies propinquus est vnicuique. Nos tamẽ eousq; stupidi sumus & amẽtes, vt vix vllus de tãto exitu serio meditetur, quẽ verè oportet omni momento meditari. Quàm sapienter
Deut. 3. optabat propheta, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Dormientibus enim venturus est velut fur nocturnus, & non effugient, vt alibi docet Apostolus.

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiã veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædã expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filiũ Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim eum qui dixit, Mihi vindictam: ego retribuã. Et iterũ: Quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis: & rapinam bonorum vestrorum cũ gaudio suscepistis, cognoscẽtes vos habere meliorem & manentẽ substantiam. Nolite itaque amittere cõfidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationẽ. Patiẽtia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei faciẽtes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicũ aliquantulũmque, qui venturus est, veniet, & non tardabit: Iustus autem meus ex fide viuit. Quòd si subtraxerit se, non placebit animę meę. Nos autẽ nõ sumus subtractionis filij in perditionem: sed fidei, in acquisitionem animæ.

Voluntariè enim peccantibus nobis, &c. Etiã hic locus vehementer percutit aduersarios. Nam hinc *In hæreticos.* apparet quòd pro peccatis sub nouo testamento post acceptã salutaris hostiæ in baptismo efficaciã comissis, nõ habemus pro peccato hostiam illam, quam Christus obtulit pro peccato mundi, & pro delictis baptismum præcedentibus. Non enim nisi semel ille mortuus est: & ideo semel dũtaxat hostia illa ad hunc effectum applicatur. Non tamen excluditur alia via remissionis quæ fit per pœnitentiam, Christo in cœlis assistente & interpellante pro nobis, modo & nos satisfaciamus pœnis debitis, luẽtes pro merito admissorũ. Notandũ tamẽ, Apostolũ hic specialiter aduersus eos de certo peccato voluntario loqui voluisse, quo ab ecclesia recedebãt: de quo iã superius diximus ca. 6.

Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio (subaudi manet). Vocat ob eam causam ignis æmulationẽ: quia in illo igne apparebit zelus Domini corripientis ac dicentis: Tu nõ curasti me cum vocarem, sed despexisti: Ecce nec ego te curo, sed rideo & subsanno. Tu spreuisti delectari in me Domino Deo tuo, & vero bono, & post concupiscentias & voluptates tuas cucurristi. Et ecce ego delector in Sponsa mea, quæ & ipsa oblectatur mecum in cubili, deliriis affluens, & gaudio fruitura sempiterno. Hæc est illa ignis æmulatio, quã
Isa. 65. & Isaias his verbis eleganter expressit, dicens: Pro eo quòd vocaui, & non respondistis mihi: loquutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis: Propter hoc, hęc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis: & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis: hæc ille. Vnde meritò subiungit de hac æmulatione:

Quæ consumptura est aduersarios. Re vera Apostolus de igne loquitur, qui deuoraturus est aduersarios. Sed hic ignis suam vim in æmulatione exercebit. Proinde hãc veritatẽ quam impij floccifaciũt, suadet his verbis, *irritam quis faciens legem Moysi, &c.* Ita enim mandabatur, vt sine vlla misericordia occiderentur, qui non obediebant, probato solùm crimine per duos aut tres testes. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit?* Si merebitur, ergo quod merebitur accipiet à Deo iusto. Porrò conculcare Filium Dei, est gratis eum existimare mortuum, tanquam Pater damnationem & mortem eius contempserit: & non potius (sicut verum est) ad lucrum animarum nostrarum tantum scelus patrari permiserit.

Et sanguinem testamenti pollutum duxerit. Sanguis Christi dicitur sanguis testamenti: quoniam per illum sanguinem sanctificatum est nouum fœdus. Si ergo sanctificauit testamentum nouum, & nos etiã simul, ipse profectò sanguis sanctissimus est. Quicunque ergo rursum præuaricator est, illum sanguinem quasi profanum accipit & peccato cõtaminatum, qualis est reliquorũ natura hominũ:

quod est negare omnino Filiũ Dei, & Patrem ipsum. Qui enim negat Filiũ, negat & Patrem: & ideo Spiritui gratiæ contumeliam facit. Neq; enim maior potest esse Spiritui sancto cõtumelia, quàm eius gratiam, qua salui sumus, abiicere. Respuit autem quicunque authorẽ gratiæ, quam proprio sanguine in cruce acquisiuit fuso nobis contemnit.

Scimus enim eum qui dixit: Mihi vindictam, seu, *vindicta* (subaudi seruatur) *& ego retribuam. Et iterum: Iudicabit Dominus populum suum.* Iudicabit autem in iustitia & veritate citra personarum acceptionem vllam. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Hæc verba, vt alia Apostoli pleraque, fixam potius considerationem, quàm expositionem efflagitant. Legimus tamen de Dauid, quomodo elegerit po-
2. Reg. 24. tius incidere in manus Dei quàm hominum. Mul-
Dan. 13. tæ enim (inquit) misericordiæ Dei sunt. Contra verò de Susanna habemus, quæ maluit subire opprobrium hominũ, quam incurrere in offensam Dei. Et nihilo secius verum vbique loquitur scriptura. In præsenti quidem tempore melius est incidere in manus hominum, quàm peccare: & hoc dixit Susanna. Et tamen melius est incidere in manus Dei quàm hominum in hoc tempore: quia misericordiæ Dei multæ sunt. Et hoc dixit Dauid. At verò in die illa iræ & vindictæ, horrendum est incidere in manus Dei viuentis, & hoc est quod declarat hic Apostolus noster.

Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum: Huiusmodi loci, quibus vtitur B. Paulus ad persuadẽdam operarum perseuerãtiam, optimi sunt & efficaces esse debent, ne quod magnis sudoribus iam elaboratum est, animi languore perdatur: præsertim si & multum laboratum sit, & parum restet, & merces præsto sit, eaque multa nimis: quæ omnia diligenter recenset, aiens: *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati*, per fidẽ, quæ ostendit coronam æternam, *magnum certamen sustinuistis passionum.* Harum passionum certamen in duobus consistebat, quæ subdit, *Et in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti*, ac si expressius dixerit: Partim quidem in hoc, quòd spectaculum facti estis mũdo propter opprobria & passiones: partim verò quoniam cõsorres & socij facti estis eorum qui similiter cõuersantur, hoc est, qui ob easdem ipsas causas patiuntur, exponuntque se ludibriis, vt sint & ipsi spectaculum mũdo, & quasi peripsema. Hi erant Apostoli: & propterea infamia maiore afficiebantur qui illis hærebant, & benefaciebant.

Nam & vinctis (inquit) *compassi estis.* In Græcis legitur, *Nam & vinculis meis compassi estis*, credo tamen veriorem esse Latinam lectionem. *Et rapinam bonorum vestrorum.* Mulctabant fortè bonis iudicia Ii sententia Iudæi suos, qui Christo seruiebant: quod erat rapere. Aut fortè etiam nullo expectato iudicio rapiebãt. Hoc indignum facinus nostro tempore à Lutheranis est admissum in bona ecclesiarum & monasteriorum. *Cum gaudio suscepistis*, cuius rei manifestam hanc rationem adducit, *cognoscentes vos habere meliorem & manentem*, non mutabilem & ad tẽpus: sed in cœlis, non in terris, *substantiam*, quod est omne bonum: sicut dixit Dominus
Exod. 33. Moysi: Ego ostendam omne bonum tibi.

Nolite itaque amittere, melius Græcè, *Itaque ne abiciatis confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Concludit ex dictis, & intendit iterum eosdem ad perseuerantiam exhortari & animare. Hoc autem in loco tam clarè confunduntur hæretici, qui negant remunerationẽ operum, & prohibent nos ad eam respicere, & solam suã confidentiam in fide statuunt, non etiam in operibus, vt nihil clarius dici possit. *Patientia enim vobis necessaria est.* Audiat igitur hæreticus nõ solam fidem apprehendere regnum, sed perseuerantem patientiã, seu tolerantiam passionum in operibus bonis, esse necessãriam ad consequutionẽ mercedis æternæ. Vnde ait, *Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*, hoc est, rẽ ipsam perseuerantibus promissam.

Adhuc modicum aliquantulumque qui venturus est veniet, & non tardabit: Verba sunt Abacuc prophetæ, quæ affert Apostolus, vt ostendat Dominũ cito esse venturũ. Si de particulari aduentu ea intellige re voluerimus, quo Dominus iudicat animas hinc exeuntes, nemini est obscurũ quàm & citus & frequens omnibus horis veniat. Patũ enim viuimus: & citò nimis ante Dominum iudicãdi assistimus. Verum si de aduentu qui ad vniuersale iudiciũ spectat, haberetur sermo: dubitari posset, quo pacto dicatur citò fore. Sed & ille citò erit: quia iam nouissimi dies aduenerunt. i. nouissima ætas, quæ aliam non habet subsequentem post se ætatem tametsi cæteris ætatibus ista sit grandiuscula.

Iustus autem meus ex fide viuet, hoc est, ille viuet, qui ex fide factus iustus, fuerit operatus iustitiam. Hic enim verè est iustus, vt ait Dilectus: Qui facit iustitiam iustus est: *Quòd si subtraxerit se*, videlicet à fide & opere, *non placebit animæ meæ*, seu (vt Græca sonant) non sibi complacebit anima mea in illo: quod idem est. *Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei*, scilicet filij, *in acquisitionem animæ.* Sicut enim infidelitas ad perditionem animæ perducit, ita fides ad lucrum eius. Piget hîc referre quę Caietanus ex hoc Abacuc loco citato ab Apostolo, cõmentus est, vt probaret huius epistolæ authorẽ non fuisse B. Paulũ. Adeò enim futilia sunt, vt non sint digna recẽseri. Propter eos tamen qui illi nimis tribuunt, nimiumque mirantur, in Annotationibus nostris in illũ circa hanc partem me abundè satisfecisse arbitror.

CAP. XI.

EST autem fides sperãdarum substantia rerum, argumentum non apparẽtium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide, intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide, plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide, Enoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur: quia transtulit illum Dominus. Ante translationem enim testimonium

Universidad de Deusto
Biblioteca

habuit placuisse Deo. Sine fide autē impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deū quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

Est autem fides sperandarum substantia rerum, &c. Proponit nobis Apostolus descriptionem fidei secundum quod à Theologis cōsideranda est. Pro cuius rei ampliore declaratione sciendum est, hoc nomine, Fides, communiter nos vti solere ad significandum actum intellectus suscipientis aliquid, & alicui dicto vel pronuntiato assentientis, tanquam vero: quē actum vocamus credere, & re vera propriè supponit aliquem dicentem. Differt autem hic actus fidei ab actu, qui dicitur intellectus: vt intellectus restringitur ad vnā ex quinque intellectualibus virtutibus, de quibus agit Philosophus in Ethicis. Differt, inquam, actus fidei ab actu illo intellectus hac ratione: Nam ille actus est principiorum quæ non creduntur, sed sciūtur, imò magis quàm sciuntur: quæ autē creduntur nō verè sciuntur. Et ideo actus fidei similiter differt ab actu scientiæ: quia scientia venit à principiis notis & nobis euidentissimis: vnde etiam gignitur euidens conclusionum notitia. Tametsi Philosophus largè accipiēdo hanc vocē, *Fidei*, quandoque extendat vt significet conclusionis euidentis assensum factæ per syllogismum. Sed nos in vera Theologia non ita loquimur de fide.

Ampliatio declaratio.

Differt igitur & actu sapientiæ, secundū quod accipit Philosophus sapientiam. Nam & actus sapientiæ euidentiam habet. Differt & ab actu prudentiæ & artis: quia fides non est ratio agibilium, aut factibilium. Denique differt ab opinione: quia opinio excludit certitudinem, non autem fides. Et præterea opinio est assensus vnius partis contradictionis cum formidine alterius. Fides autem dicit adhæsionem absque formidine. Differt item fides sic largè accepta, à superioribus quinq;: quoniā fidei quidē subesse falsum potest, illis autē minimè. Ideo fides cōmuniter sic accepta nō est virtū.

Nos verò qui de fide Theologica loquimur, quę est virtus, debemus fidem hāc nostram à communiter accepta fide distinguere. Tria sunt autem quæ illam separant. Primum, est ipse dicens. Secundum, est id quod dicitur. Tertium, est internum lumen, quo assentimus. Fides ergo nostra solum Deum dicentem, cui assentimur, non hominem respicit. Nec qualitercunque dicentem, sed promittentem. Nec qualiacunque promittentem, sed cœlestia & æterna, non temporalia & terrena. Promittentem autem non purè (vt falso hæretici docent) sed sub cōditione bonorum operum. Denique suæ promissioni ita testificantem, vt assensum fidei generet eorum quæ non videntur.

Hęc omnia includit Apostolus in hac sua fidei descriptione. Primum ergo quod ait: *Fides est substantia*, non vt Logici substantiam dicunt, ipse accipit. Græcè enim legitur, ὑπόστασις hoc est, basis quædam & fundamentum, cuius est suscipere. Intellectus enim exit in actum suscipiens obiectum: non autem quemadmodum ipsa voluntas, quę ecōtrario in obiectū fertur. Est ergo fides susceptio quędam, seu basis, qua suscipiuntur per assensum ea quæ sperantur. Sperantur autem ea quæ non videntur, & sunt æterna. Aeterna autem & quæ nō videntur, quomodo sperari possunt, nisi essent ab ipso Deo promissa, cum sint in manu eius? Et sic habes quòd fides innititur promissioni diuinæ. Creditur enim Deo dicenti, ac vera bona promittenti.

Quòd si promissa essent purè, & nulla conditione operum adiecta, iam non sperarentur: quia eorum assequutio non esset ardua. Spes autē arduorum est, id est, eorum quæ cum labore & difficultate quæruntur & acquiruntur, & obtinentur.

Argumentum non apparentium. Hic significat fidē ipsam non illud solum quod credit, respicere: sed & insuper secum habere ipsam rationem credendi. Videt enim ea quæ credit esse credibilia, nō autem euidentia: quia ipsa per se non apparent. Iccirco dixit, *Argumentum non apparentium*. Quo in loco videndum esset perspicuè, in quod tandē principium resoluatur hæc nostra credendi ratio. Dicimus enim, credo, quia Deus reuelat. At vnde scio Deum reuelare? Hoc enim aut est euidens, videlicet Deum reuelare: aut est similiter creditum. Certè communiter hoc non est euidens: credo igitur Deum reuelare. Sed vnde hoc credo, nisi aliquod habeam argumentum, quo ita esse persuadear? At hoc argumentum ex his concluditur quæ certo vidēmus, vt sunt miracula, vt est ecclesia ipsa proponens articulos credendos, vt est testimonium scripturarum, vt oracula prophetarum, vt vita recta credentium, & per charitatem operantium: & alia plurima, vnde colligitur, Deo monstrante intus, hoc argumentum. Ex his enim quæ apparent, colligimus non apparentium veritatem, atque ideò credulitatem & fidem. Et hoc dicimus de fide omnium communi. Vidimus enim Deū duobus modis prospexisse hominibus, vt fidem eorum extorquere. Primo quidem proponendo credenda, idque prædicatione exteriore prophetarum & Apostolorum. Secundo verò, ostendendo illa credibilia, dans eis qui proponunt potestatem signorū, quæ nemo potest facere nisi solus Deus. Vnde Dominus vt Iudæorum omnium ora obturaret, dixit: Si non venissem, & eis loquutus non fuissem, peccatum non haberent. Hoc ad eos qui in scripturis versabantur. Et mox: Si non venissem, & opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: ad eos qui persuaderi debent editis miraculis & probitate vitę ostensa. Nunc autem & viderunt, & oderūt & me, & Patrem meū. Propterea alio loco dicebat: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite. Et ille qui iam videbat dixit: In hoc est mirabile quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Et ipsemet iterum: Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera quæ dedit mihi Pater vt perficiam, ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me: quia Pater misit me. Et ibidem de scripturarum testimonio: Scrutamini (inquit) scripturas, quæ testimonium perhibent de me. Scripturæ enim probant iis qui recipiunt illas, & qui iam conuicti sunt ad recipiendum: quoniam & ipsæ probatæ sunt, cum à iam probatis autoribus, tum in primis ab ecclesiæ pronūciatione & canone, aut communi omnium consensu. Ipsius verò ecclesię authoritās iā certa est cōstitura verba Dei,

Nota.

Ioan.15.

Ibid.10. & 9.

Ibid.5.

& euangelico testimonio, vnde conuinci debet intellectus Christiani hominis ad credendum quæ sunt fidei, dum ab ecclesia proponuntur. Nec indiget (vt sit idoneum testimonium) nouis miraculis: nec oportet iam vt ante oculos omniū fiant. Nam qui non credunt scripturis, neque miraculis crederēt: quoniam scripturæ sunt miraculis probatæ. Et ecclesiæ Dei authoritas etiam miraculis comprobata est. Et quod est grande (cuique refragari nihil potest) testimonium, sanguine Christi & tot sanctorum Martyrum confirmata est fides nostra. Præsupponit ergo fides nostra horum notitiam euidentem de ecclesia, de miraculis, de scripturis, de Martyrum confessione, de cōsensu sanctorum Patrum, ex quibus omnibus illud apparet Deum dixisse: cui rei lumen interius postmodum astipulatur, & confirmat assensum.

Nec obstat quicquam, si pueri & rustici, atque idiota non habent huiusmodi notitias distinctas. Nam eorum fides, quo ad hoc, infirma est, & in fide maiorum perficitur, in qua & ipsi innituntur: & confusè atque implicitè habēt hæc omnia, dum in iis quiescunt quæ audiunt dicere ecclesiam, ac præcipere. Et hæc satis nunc de fidei descriptione.

In hac enim (seu) *per hanc enim*, nimirum fidem, *testimonium consecuti sunt senes*, hoc est, commendati sunt à Deo in operibus suis. Et in encomium fidei veniēs, incipit. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*. Hic locus plures patitur expositiones. Prima est communis, quæ docet per ipsam fidem nos intelligere aptata esse sæcula, id est, hunc mundum esse creatum, *verbo Dei*, id est, per verbum Dei: quoniam ipse dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt. Et tunc ex inuisibilibus facta sunt visibilia: quia primò erat ille chaos, illa prima materia inanis, & vacua formis & speciebus suis. Dixit autem Dominus: Fiat lux, & facta est lux. Sic dixit: Fiat firmamentum, &c. Et tandem: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Nota expositiones.

Hæc igitur ita fuisse, quæ nos oculis non prospeximus, fide accipimus, & credētes intelligimus reste Mose, & cæteris Prophetis, & ipso Christo confirmante nobis.

Placet hic sensus. Verùm alius mihi potius quadrat. Vt per, *sæcula*, ipsos homines intelligam, qui sæculis continentur. Hi sunt enim *Verbo Dei* aptati: quia Verbum factum est caro, vt diuini consortij caro capax fieret. Et hoc est aptari sæcula Verbo Dei: quod fide intelligimus. Aut etiam quod magis adhuc probo in encomiū fidei, sensus est: Nos intelligimus esse aptata sæcula verbo Dei fide, id est, per fidē. Hoc enim meruit fides. Fides inquam, illius cui dictum fuit: Et beata quæ credidisti: quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi à Domino. Quid autem fuit ei dictū, nisi quòd eo pacto aptabantur sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus fierēt visibilia? Inuisibile erat Verbū Dei per se: carnem accepit, & factum est visibile, vt dixerit: Qui videt me, videt & Patrem meum. Illa ergo fides B. Virginis aptauit, *sæcula*, id est, nos omnes, *Verbo Dei*, quia per illam fidem ipse se aptauit nobis.

Luc.1.

Ioan.14.

Fide plurimā hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, &c. Recordare scripturæ, & considera quomodo & Cain & Abel fratres sacrificarunt. Et quòd Dominus respexit ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad eius munera non respexit. Quid ita? Ecce B. Paulus rationem explicat. Ille Abel iustus in Agni fide sacrificauit. Cain verò absque hac fide, vt nō potuerit placere Deo. Nō enim ipsum Cain qui sacrificauit, quique de frugibus terræ obtulit, absque vlla omnino fide credibile est fecisse. Sed Agni conciliatoris nostri fidem non habuit: ideōque nec ipse, nec eius oblatio placere potuit. Quæ res cognita est in differentia munerum. Noster enim de gregibus ouium, & adipibus eorum obtulit, significans in hoc genere hostiæ se cultum præbere Deo non vt Creatori tantū, sed etiam vt Redemptori, mactans agnum seu agnos, vel ouem, fide proculdubio futurum Christi sacrificium cernens. Cain verò in iis quæ obtulit de frugibus terræ, professus est quidem Deum creatorem, non autem agnouit Redemptorem. Quamobrem non valuit per oblationem suam expiare peccatum. Bene ergo dicitur de Abel, *plurimam*, id est, pleniorem vel ampliorem, *obtulit hostiam*, quoniam pro peccato, & hoc fide. Et additur:

Differentia inter Cain sacrificium & Abel.

Per quam, scilicet hostiam fide oblatam, *testimonium consequutus est esse iustus*, id est, iam fide iustificatus per donum Dei. Vnde Dominus: Vt veniat, inquit, super nos omnis sanguis iustus, qui effusus est à sanguine Abel iusti. Id verò quo pacto, adiungit: *Testimonium perhibente de muneribus eius Deo*. Ex traditionibus priscorum acceptum est & creditū, per ignem de cœlo venientem & absorbētem hostiam Abel, Deum indicasse quàm acceptabile sibi fuisset sacrificium eius.

Matt.23.

Et per illam defunctus adhuc loquitur. Per illam fidem, aut per illam hostiam oblatam loquitur ipse etiam defunctus, sicut dixit Dominus: Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Sed B. Paulus dixit, *adhuc loquitur*, Quid loquitur? Nisi quod testimoniū perhibet veritati sanguinis Christi in sanguine suo? Primum enim fuit exemplum Martyrum, & typus Christi benedicti in cruce immolandi.

Gen.4.

Fide Enoch translatus est ne videret mortem. Translatum in illum paradisum terrestrem credimus, vnde fuit Adam eiectus: vt legitur in libro Ecclesiastici. Et hoc ne videret mortem vsque in diem aduentus Domini. Creditur enim tunc futurus testis Christo, in illis magnis persequutionibus, quas suscitabit Antichristus. Vnde idem Ecclesiasticus ait: Enoch placuit Deo, & translatus est in exemplum pœnitētiæ generationibus, vt det Gentibus sapientiam. Hanc autem illius trāslationem fide factam fuisse declarat Apostolus: quia credidit Deo dicenti, nō gustarurū illum mortem donec veniret. Hoc etiam dixit de Dilecto discipulo, vt mihi visum est. Licet quidem addicti sectis contradicant: nihil tamen aliud quod opponant argumentis & rationibus habentes, nisi more solito & Pythagorico, Ipse dixit, minus considerantes eorum authores in quibus innitūtur, tantopere nobis nequaquam aduersaturos: quin potius pacificè auditis nobis, nō solùm nos in nostra sententia cum sua pace & gratia manere permitterēt, verùm etiam (quod magis credo) ipsi in nostram sententiam descenderent, cui & veteres viri magni manifestè attestātur. Hæc propterea diximus:

Eccl.44.

De morte B. Ioann. Euang.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoniam magister quidam eo solùm quòd hoc dictum non deprehẽderat in scholasticorum disputationibus, reprehendit vt dogma non solùm falsum, verum etiam damnabile. Et hi sunt qui gloriantur de magisterio & claue scientiæ. Sed si res illis aliquãdo sit cum iis qui habeant sensum, & manum ferulæ iamdudum subduxerint, mirum quàm mox frigescant, & frangantur.

Quæsitus fuit Enoch, & non inueniebatur: quia Deus transtulit eum, *Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*, id est, antequã ipse transferretur, testimonium proculdubio habuit à Deo, quòd illi placuerit. Hoc verò testimonium non fuit scripturæ, quæ tunc nondum erat, sed per Angelos. Bene testatur nobis antiqua scriptura quomodo ipse placuerit Deo. Ait enim de illo quòd
Gen.5. ambulauerit cum Deo trecẽtis sexaginta quinque annis postquam genuit Mathusalam. Ambulare autem cum Deo, est obedire illi, & esse Dei amicum. In illa autem ambulatione testificatus est illi Deus quod placeret sibi: ergo erat fidelis. Hoc probat ista sententia Apostolus.

Sine fide autem impossibile est placere Deo, scilicet ita vt sit quis eius amicus. Alioqui placet Deo omnis creatura, vt est ab ipso creata, & ad fines diuersos ordinata. Placẽt ergo interdum & infideles, quos eligit, vt conuertat & ad se trahat. Nam ad hunc finem placent. At quandiu manent in infidelitate, non sunt eius amici: sed potius hac parte displicẽt, vtpotè infideles. Verùm illi vehementius displicent, in quos non conuertit oculos misericordiæ suæ, vt conuertantur & viuant.

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est: & inquirentibus se remunerator sit. Hinc illa quæstio, an fides eorum sit, quorum non est euidẽtia. De Deo autem quòd sit, euidentia est: quia probatur syllogisticè ab effectibus. Quomodo igitur ponit hic Apostolus tanquam articulum fidei?

Respondeo primùm, me non existimare cuncta quæ naturali ratione deprehendi possunt, eximi à lumine fidei: ea præsertim quæ non secundũ se cognoscuntur, sed per effectus suos. Non enim propriè euidẽtiam habent, nec propriè eorum dicitur scientia. Si quidẽ scire propriè est rem per causam cognoscere. Nihil ergo prohibet me credere ex fidei lumine Deum esse, & nihilominus idem scire per effectus. Fides enim excludit visionem, non autem naturalẽ aliquam demonstrationẽ, præsertim quæ est à posteriori. Non enim per hãc res ipsa demonstrata conspicitur re vera, sed potius suadetur.

Deinde animaduertẽdum, vt iam alibi diximus, & B. Thomas noster elegãter docet: Cum scripturæ Deum esse commemorant, non solùm intelligi volunt ipsum esse quandam summam rem, sed etiam habere curam orbis terrarum, & omniũ quæ sunt in cœlis, & sub illis. Hoc autẽ tametsi naturali ratione suaderi valeat, vt qui animo benigno fuerint, vix queant aliud cogitare: non tamen ita apertè demonstratur, vt non firmius habeatur ex lumine fidei, quàm ex demõstratione qualibet. Quamobrem indignum esset, vt qualemcunq; demõstrationẽ huius rei acquirens, amitteret eius rei fidem, quæ proculdubio longè maiorem habet firmitatem. Quod ergo dici solet, per scientiam excludi fidem, verum est de ea fide quæ humana est, non autem de ea fide quę est ex Deo. Idem de scientia, quæ propriè sit scientia, dicendum.

Hic ergo primus est articulus fidei, quem accedentem ad Deum oportet recipere, videlicet esse Deum, id est, esse vnam primam omnium causam, creatorem & gubernatorem orbis terrarum.

Et deinde eundem esse remuneratorem eorum qui inquirant eum. Inquiritur autem Deus per ôpera bona, & per obedientiam mandatorum eius, quæ lex ipsa naturæ etiam dictat: sicut dixit idem
Rom.2. Apostolus ad Rom. Cum enim Gẽtes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, &c. quemadmodũ & nos eo in loco exposuimus. Angeli insuper interioribus inspirationibus erudiũt. Quoniam verò manifestè apparet nõ esse remunerationẽ viris bonis in hoc mundo repositam: neque item retributionem malis & improbis reddi, necesse est intelligere hunc articulum de remuneratione post hanc vitam. Et hoc est quod cadit sub fide, quæ est susceptio sperãdarum rerum, & argumentum non apparentium. Hoc idem
Isa.64. Isaias propheta dixit: A sæculo non audierũt, neque auribus perceperũt: oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.

Hic autem præsens Apostoli locus, si diligenter consideretur, potest è multorũ cordibus magnam solicitudinem ac perturbationem excutere, & pungentium spinarum aculeos euellere. Dura enim videri reuera posset exactio fidei, si ea omnino quæ vulgo exigi creditur, ad eum rigorem exigeretur.
Act.4. Quia enim scriptũ est. Non est aliud datum nomẽ sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri: & ĩ nullo alio esse salutem, præterquam in Christo. Putarunt nonnulli sine explicita de Christo fide nemi- *Nota diligenter & quiescens.*
nem potuisse vnquã saluari. Verùm huius rei gratia B. Paulus hic duos tantum articulos fidei ponit omni tempore ad salutem necessarios (quos declarabimus) vt explicitè credantur. Alios autem quatenus reuelati fuerint, & legitimè cuique constiterit esse reuelatos, suscipere quisque tenetur. Nunquam enim cuiquam reclusa fuit via salutis à Deo. Nam duos priores articulos quodãmodo interius naturale lumen prædicat, & Angelorum suggestiones reuelãt. Quare minime dubium esse debet, antequam veniret reuelatio de Christi incarnatione, & sanctissima Trinitate, & aliis diuinis mysteriis, quæ ipse Dominus nobis, & Apostolica doctrina manifestauit, illos duos articulos fuisse satis, vt qs haberet accessum ad Deum per gratiam, vt sic posset operari, & superare peccatum ad salutem.

At maius dubium est: An scilicet post manifestatam mundo gratiam, omnes penitus salute frustrentur, quicũque per aquam baptismi nõ fuerint regenerati. Hoc enim omnino verum esse videtur, si verba Christi (vt ipso quidẽ primo aspectu porrigunt) consideremus. Verum plura sunt, quæ si diligenter accuratéque perpendantur, magni admodum sunt momẽti, vt cauere vnusquisque diligenter debeat, ne tam cito ferat (ne dicam præcipitare velit) sententiam. Multi enim, etiam post prædicationem Apostolicam extiterunt, qui nunquam quicquam de Christo audierũt. Alij item, & ij quidem propemodum innumerabiles, quibus non constitit de veritate fidei nostræ, quàm si idoneè

nouissent, libenter eam erant & cum magna gratiarum actione suscepturi. Illud verò quod dicitur: Si tale esset quorundam desiderium, mitteret Angelum Dominus instructorem, sicut misit Cornelio: est hoc quidem diuinare. Mitto, iam Corneliũ ante fidem de Christo acceptam, placuisse Deo, vtpotè qui religiosus & timens Deum describatur, cuius orationes & eleemosynæ erant acceptę. Facilè quoque responderetur illi sententiæ Domini de baptismate. Sed cum ipsius rei magnitudo & grauitas longiorem & peculiarem sermonem mihi desiderare visa esset, latius eam particulari tractatu explicare volui. Hunc si videro desiderari ab amantibus veritatem, etiam proferam, & doctiorum examini subiiciã, semper me ipsum subiiciẽs ecclesiæ sanctæ catholicæ iudicio, & doctiorum: non tamen possim omnium, & præsertim quorũdam sciolorum qui sibi censuram audacissimè arrogant, & faciunt sua autoritate quæcunque non audierunt, aut non legerunt hæretica: temerè insuper quæ non intelligant, reprobantes.

Fide, Noe responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institut°. Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit nesciens quò iret. Fide, demoratus est in terra repromissionis tanquàm in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Fide, & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiã præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquàm sydera cœli in multitudinem: & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.

Fide, Noe responso accepto, &c. Historia nota est Gen. c. 5. vsque ad. 10. Scripsit autem Iosephus Adam prædixisse, mundi vastationem semel atque iterum fore. Primò per aquas diluuij: secundò per ignem in vltimis diebus. Quam prophetiam Noe fide amplexus, respõsum habuit à Deo, id est, meruit habere respõsum à Deo sic fore: & electus est, vt construeret arcam in salutem suæ domus. Et metuens paruit, & per illam arcam, *damnauit mundum*, hoc est, damnabilem ostendit: quoniam omnes increduli erant, & spernebant eum. Ideò non venerunt in requiem cum Noe: & ipse hæres factus est iustitiæ, quæ est per fidem vnde requies. Hæc est gratia & charitas, quam fide sibi quæsiuit, & possedit.

Fide qui vocatur Abraham, &c. Innuit tempus quando vocabatur Abram. Nota est historia Ge. 12. & 13. Laudatur ergo de fide primò: quia durũ est sedes proprias relinquere, & incertas per tot discrimina inquirere. *Fide, demoratus est in terra repromissionis, &c.* Et hoc patet ex Genesi: & cõmendabiliorem eius fidem facit, cui cum esset terra illa in hæreditatem promissa, habitauit tamẽ in ea tanquam aduena, *in casulis*, id est, in tentoriis, etiã cum Isaac & Iacob, cum essent promissionis cohæredes: quia oculo fidei multò præstantiorem terram expectabat. Vnde ait: *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Hæc ciuitas est Ierusalem cœlestis, quæ innititur suis fundamẽtis solidis Christo primùm, deinde patriarchis, prophetis, Apostolis. Hæc erat illa terra promissionis, quam etiam prius debebat colere, & inhabitare vt aduena, ac deinde in patriam ac possessionem sempiternã accipere.

Fide, & ipsa Sara sterilis, &c. Etiam nota est historia Gen. 12. 18. & 21. Solum illud notandum quòd ibi dicitur, Saram risisse quasi incredulam. Hic verò commendatur de fide: sed risit illa præ gaudio, & de re incredibili, quam se facturũ Deus promittebat. Non enim quasi verè incredula risit, sed vt admirans, & quæ credebat fide, quasi nõ credens. Tale quid de Discipulis apud Beatum Lucam legitur, cum apparuit eis denuò Iesus, & Luc. vlt.
præbuit se palpandum, qui describuntur adhuc quasi non credentes præ gaudio, & mirantes. In huiusmodi autem nouitatibus, nescio quo pacto fit vt credens non credat, & variæ & contrariæ affectiones consurgant. Non sit ergo dubium quin sancta illa matrona Sara crediderit, cum id clarè testetur Apostolus: attamen sensisse motum aliquem in animo de rei nouitate, & impossibilitate naturæ, vt aliquantulum & dulciter reprehendi mereretur à Domino.

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à lõge eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nũc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem: ideò non confunditur Deus, vocari Deus eorum. Parauit enim illis ciuitatem. Fide, obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones (ad quẽ dictum est: quia in Isaac vocabitur tibi semen) arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Vnde eum & in parabolã accepit. Fide, & de futuris benedixit Isaac, Iacob, & Esau. Fide, Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius. Fide, Ioseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Fide, Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quòd vidissent elegãtem infan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, & non timuerunt Regis edictum. Fide, Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucũditatem: maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorũ improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Fide, reliquit Ægyptum non veritus animositatem Regis. Inuisibilem enim tanquam videns substinuit. Fide, celebrauit Pascha, & sanguinis effusionẽ: ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. Fide transierunt mare rubrum tanquam peraridam terram: quod experti Ægyptij deuorati sunt. Fide, muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem. Fide, Rahab meretrix non perit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus. Ostendit quomodo illi fuerunt exempla fidei, videlicet Abraham, Isaac, & Iacob. Et qui illos sequuti sunt fide: quoniam dum vixerunt, nõ acceperunt promissiones. Nequaquam quidem est hæsitandum fuisse illis repromissa & bona terræ, & bona cæli, quæ pariter hîc viuentes non obtinuerunt, sed per fidem longè aspexerunt. *Et credentes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram,* sensus est: Crediderũt quidem illis promissionibus, & salutauerunt eas alõgè, tanquam ea non ad se spectantes, quæ attinebant ad bona terræ: similiter quæ erant cœlestia, quorum propriè est fides, non erant propè. Confessi enim sunt se esse peregrinos & hospites super terram. Confessionem autem hanc faciebãt ipsis factis, habitantes in tabernaculis & tentoriis, sicut
Gen. 47. & 49. ait scriptura: Iacob autem Pharaoni dixit, Dies peregrinationis vitæ meę centum triginta annorum sunt, pauci & mali. Et moriens dixit, Salutare tuũ expectabo Domine. Significabãt ergo sua illa peregrinatione se patriam inquirere, non autem illã vnde exierant. Alioqui reuersi illũc aliquãdo fuissent, cum liberum eis reuertendi tempus non fuisset denegatum.

Nunc autem meliorem appetunt. Quod ait, *Nunc*, nõ videtur posse significare tempus illud præsens, quum loquebatur Apostolus: sed aptãdum esse ad illud tempus tunc præsens, quando confitebantur se peregrinos. Id enim erat quia meliorem appetebant patriam: & nunc etiam appetunt secundũ corpus, & si secundum animam sint beati. Sed est illis adhuc expectatio propter corpus.

Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum, Deus
Marc. 12. Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Deus autem nõ est Deus mortuorum, sed viuorum, & eorum qui habent ius ciuilitatis in terra viuentium. Viuunt ergo illi in spe, nondum tamen sunt perfecti anima & corpore, sed animæ illorum tantum. Deus enim parauit eis ciuitatem æternam. Hũc sensum
Psal. 38. videns Dauid in spiritu, dixit: Quoniam ego aduena sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Remitte mihi vt refrigeret priusquam abeã, *Ibid. 119.* & amplius nõ ero. Et alibi deplorat duram ipsius peregrinationis conditionem. Heu mihi, inquit, *Ibid. 26.* quia incolatus meus prolongatus est, &c. cum tamẽ ille esset Rex in terra promissa & adepta. Vnde & spe melioris regni se sustinens, aiebat: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Hæc enim terra in qua viuimus, non viuentium, sed morientium terra est.

Fide, obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, &c. Clara historia. Illud notãdum de fide Abrahæ, qui tametsi in Isaac sciret esse promissum sibi semen, videlicet Christum semen verum, occidere tamen promptissimè filium suum Isaac non distulit, simpliciter obediens Deo. Fide enim tenebat quòd posset eum Dominus suscitare à mortuis, & cogitans quòd esset eum suscitaturus.

Vnde eum & in parabola accepit: sensus est, quòd Abraham propter hanc fidem, qua credidit eum posse suscitari à Deo, *accepit eum*, seu, vt græca vox sonat, *recepit*, siue, *recuperauit eum*, quasi suscitatum à morte. Ideo Apostolus hoc in loco ait, *Accepit eum in parabola*, id est, in similitudine suscitationis à mortuis, quam credidit. Nam considerato diuino mãdato, & obedientia Abrahæ, pro occiso habendus erat Isaac. Reuocatio ergo mandati illius *Expositionem hanc considera.* nihil aliud fuit, quam suscitatio ex mortuis: quàm suscitationem promeruit ex fide, & illa fide qua credidit Deum potentem suscitare.

Hic mihi videtur purus literæ sensus: quia sicut credidit, ita accepit. Alij dicunt: Abraham eum accepisse in similitudine, scilicet Christi. Isaac enim fuit figura Christi à Deo in cruce oblati, qui cum videri posset immolatus, nõ ille fuit, sed caro eius, quæ per arietem illum significata est, quem vidit Abraham inter vepres hærentem cornibus. Hæc expositio, si cui magis placeat, ea liberè per me fruatur, non contendo: mihi prior longè probabilior videtur.

Fide, & de futuris benedixit Isaac. Historia itẽ clara & nota est. Illud tamen considerandum, illam benedictionem Isaac fuisse de futuris, quæ reuelatione diuina acceperat. Quamobrem fide meruit vt haberet eius benedictio efficaciam: quoniã paterna distributione media suam quisque benedictionem acceptutus erat.

Fide, Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, scilicet Effraim & Manasse: & ampliore benedictione minorem, *Et adorauit fastigium virgæ eius,* Verius iuxta græcam lectionem, Adorauit ad fastigium virgæ eius: sic Septuaginta interpretati sunt, aut ex traditionibus verissimis adiecerunt, sicut & alia plęraque. Legimus tamen in Genesi: Adorauit *Gen. 47.* Israel Dominum conuersus ad lectuli caput. Alij iuxta hebraicam literam: Inclinauit (seu incuruauit) se ergo Israel versus caput lecti, siue ad caput lecti. Hæc tam varia lectio turbat nonnullos. Sed quid prohibet ad caput lectuli fuisse virgam illam Ioseph, ad cuius summitatẽ vertit suam adorationem Iacob? Multa enim tum habebãt ex traditionibus antiquis, quæ scripturæ sanctæ non expressérunt. Nec enim prorsus erat necessarium singula patriarcharum gesta literis mandare, vt patet in hac ipsa narratione. Et hîc obiter notabis Catholice lector, contra hos nouos hæresum suscitatores, quomodo expressè ponatur Iacob adorasse ad fastigium virgæ Ioseph: quia repræsentabat Christum. Cur igitur displicet tantopere istis adoratio ad imagines? Verè superspitiosi sunt, & fingentes ibi timorem, vbi non est timor. Imo non fingentes timorem, sed meram superbiam profitentes vani homines, qui mẽbris tanti Capitis à Capite honorem, & nos iuuandi potestatem illis datam recognoscere nolunt.

Fide, Ioseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est, &c. Et hæc historia legitur in libro Geneseos, cap. vltimo sub finem.

Fide, Moses natus, occultatus est mensibus tribus, &c. Credibile est patrem, aut matrem Moseos habuisse diuinitus de infante aliquod oraculũ, vt verum sit eum sic fuisse seruatum propter fidem. Nec mirum est veterem scripturã minime hoc claris verbis expressisse, cum nec eius quod sequẽti loco adiecit Apostolus, eadem scriptura vsquam meminerit, nimirum:

Fide, Moses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, &c. Sẽsus est iuxta Græcam lectionem: Hic Moses grandis factus, seu magnus. Potest siquidem vtrunque significare, nimirum tam facultatum, quàm ætatis magnitudinẽ. Erat quippe magnus, vt quem putabant omnes filiũ filiæ Pharaonis. Illa enim nutriuerat eum vt suum, & pro filio
Act. 7. habebat. Erat insuper cordatus, & (vt declarauit B. Stephanus) eruditus in omni sapientia Aegyptiorum. Hic tamen cum talis ac tantus esset, elegit magis affligi cum populo Dei, & sustinere improperium Christi, hoc est, improperium acceptum propter Christum, & illi simile quod ipse propter nos suscepit. Affligebatur enim ille populus propter patrios ritus, qui aduersabantur ritibus Aegyptiorum. Itaque propter Christum patiebantur. Nam illa eorum religio erat quædam ad Christum inchoatio, quem sciebant illi proditurum ex semine Israel, & Iuda, & expectabant. *Aspiciebat enim in remunerationem.* Audiant (si aures habent) pertinaces hæretici, qui negant remunerationem operum: & abominantur eos qui operantur aspicientes ad remunerationem. Quid potest aduersus illos clarius pronuntiari? Nullus hîc relinquitur prorsus, quantunuis versutis & callidis hominibus, tergiuersandi locus.

Fide, reliquit Aegyptum non veritus animositatem Regis. Non loquitur de primo eius exitu de Aegypto. Fuga enim fuit ille exitus, dum Regem metuit qui volebat eum occidere. Sed loquitur de exitu secundo per mare rubrum cum filiis Israel, ad quem
Exod. 10. paulo ante Pharao dure loquutus: Recede à me, inquit, & caue ne vltra videas faciem meam. Quocunque die apparueris mihi, moriẽris. Respondit Moyses, Ita fiat vt loquutus es: non videbo vltra faciem tuam. *Inuisibilem enim*, nempe Deum, *tãquam videns*, id est, perinde ac si eum videret, *sustinuit*, id est, expectauit defensorem, & vltorem, & protectorem.

Fide, celebrauit pascha, & sanguinis effusionem. Celebrare pascha est solenni ritu transitum præparare: quod factũ fuit per sanguinis Agni effusionem: *Ne qui vastabat primitiua, tangeret eos.* Nota est ex libro Exodi cap. 12. historia. Iusserat Deus vt superliminaria domorum, & postes aspergerent sanguine illo Agni: quia Angelus qui percussurus erat primogenita Aegypti, illis rãtum domibus parceret, quæ signatæ essent illo sanguine.

Fide, transierunt mare rubrum, &c. Nulli iam non nota est historia. *Fide, muri Iericho corruerũt, &c.* Hoc habetur Iosue cap. 6.

Fide, Rahab meretrix non periit cum incredulis, &c. Meretricem hîc appellat mulierem illam manifestè Apostolus: & item B. Iacobus in sua epistola. Cauponam verò appellat scriptura vetus, iuxta vocem Hebraicam. Sed in promptu est ratio: quoniam eiusmodi mulieres sunt ferè omnes meretrices. Familiaris est pariter historia ex eodem Iosue libro cap. 2. & 6. Meruit autem hæc mulier honorari in genealogia Domini. Prius enim iustificata fuit per fidem: ac deinde bonum opus erga Iosue nuntios ad explorandam terram missos operans, accepit retributionem: quo factum est vt non perierit cum incredulis.

Et quid adhuc dicã? Deficiet enim me tempus errantem de Gedeon, Barach, Sampson, Iepte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt imperum ignis. Effugarunt aciem gladij: cõualuerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello. Castra verterũt exterorum, acceperũt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirẽt resurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vĩcula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.

Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus, &c. Hac parte cum nimis longa futura erat omnium gestorum enarratio, summatim enarrat Apostolus plures eius Israelitici populi saluatores, à magnis atq; imminentibus periculis ab illis viris ereptos, & hoc fide. Memorat autem non omnes, nec temporum seruat ordinem, sed tanquam qui aliud agat, & quasi obiter, & apud eos qui tenent historiarum cognitionem. Nota autem erant gesta Gedeonis, & cæterorum in libro Iudicum memorata. De iis ergo ait primum, *qui per fidem vicerunt regna*, vt patet à Iosue vsque ad Salomonem. *Operati sunt iustitiam.* Nemo enim potest operari iustitiam absque fide: quia iustitia ex fide est. *Adepti sunt repromissiones*, temporalium ac spiritualiũ bonorum. *Obturauerunt ora leonum.* Hoc certè de Daniele sin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dan.14. gularitèr legitur bis factũ, qui fide obturauit ora leonum, ne cum tamẽ eousque famelici essent, deuorarẽt eum. Quanquam & de Samsone legitur, qui dilaceraüit leonem. Et Dauid ipse de se testatur, quod suffocauit vrsum & leonem.

Iud.14.

1.Reg.17.

Verùm hoc magis ad Danielem spectare videtur, quia nulla vi aduersus illos congressus est, sed fide solùm. Vnde & scriptura ipsa hoc testatur factum, quia crediderunt Deo suo: quemadmodum in eo Danielis lib. habetur, capite sexto.

Extinxerit impetum ignis. Hoc verum factum est per Mosen, Num.11. & per Aaron, Num.17. & per tres pueros coniectos in fornacem ignis. Vnde & illa historia canonizatur hic ab Apostolo. *Effugarunt aciem gladij.* Hoc frequentissimũ fuit, & multis modis. *Conualuerunt de infirmitate*, vt Ezechias, & Iob, & alij plures. *Fortes facti sunt in bello.* Exempla sunt plurima, vsque ad nouissima Machabæorum. *Castra verterunt exterorum.* Hoc item frequentissime factum est. *Acceperũt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Quod patet per Eliam & Eliseum, 3.Reg.13. & 4.Reg.4.

Libros antiquos canonizat Apostol. extra canonẽ Iud. eorum.

Alij autem distenti sunt, &c. Hoc absque dubio de septem fratribus Machabæis, & matre dicitur. Et sic illæ historiæ Machabæorum canonizantur.

Non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirẽt resurrectionem. Lege egregiam illam historiã, & videbis quomodo omnes ad illam meliorem resurrectionem que futura erat in cœlis, anhelabant cõstanti certitudine fidei.

Alij verò ludibria, & verbera experti, vt Ieremias & Micheas, *Insuper & vincula, & carceres.* De iisdem id constat Ieremiæ 32. & 37. & 3.Reg.22. *Lapidati sunt.* Hoc creditur de Ieremia, sed & de Zacharia filio Ioiadæ. 2.Par.24. *Secti sunt.* Ad Isaiã hoc pertinet ex traditionibus Hebræorum. *Tentati sunt*, vt Iob, & Abraham, & alij multi. *In occisione gladij mortui sunt.* Saul octogintaquinque sacerdotes iniustè trucidauit propter Dauid. Multos etiam prophetas Domini iussit interfici Iezabel, 3. Reg. 18. Manasses autem rex impleuit Ierusalem sanguine iustorum. *Circuierunt in melotis*, id est, ouinis pellibus & caprinis, *egentes, angustiati, afflicti.* Talis fuit Elias & B. Ioannes Baptista, & (vt credibile est) nonnulli alij imitatores. *Quibus dignus non erat mũdus.* Et verè non erat dignus mundus iis, qui superarunt cuncta eius blandimenta, & omnem fortunam, & superciliũ, vt nec secundis inflarentur, nec frangerentur aduersis. His iam cœlũ meritò debebatur, qui terrã cõculcauerant: *In solitudinibus errantes*, id est, sine propria ac certa sede, *in speluncis & cauernis terræ*: Lege de ipso Elia historias, & de prophetis quos abscõdit Abdias in spelũcis, 3.Reg.18.

1.Reg.22.

Et ij omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem. Hic locus de acceptione repromissionum perobscurus est & difficilis. Superius enim dixit: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti nõ acceptis repromissionibus. Et tamen cap. 6. dixit de Abraham, quòd adeptus est repromissionem. Et hoc ipso cap. generaliter dicitur, quòd adepti sunt repromissiones. Et nunc rursus ait: Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperũt repromissionem. Quare necesse est omnino varias separare promissiones. Erant enim promissiones temporalium: & erant promissiones spiritualium. De temporalibus autem etiam distinguendum: & similiter de spiritualibus. Abraham enim & Isaac, & Iacob, varias habuerũt promissiones etiã temporalium bonorum, nimirũ de propagatione seminis. De Christo nascituro ex illa Gẽte: Item de terra Chanaam. Has promissiones in vita non acceperunt: peregrini enim fuerunt super terram. Et de promissis, præter conceptum Saræ, nihil ferè viuentes obtinuerunt. Quapropter de illis specialiter dicitur: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis promissionibus. Vt sit sensus, omnes sic mortuos fuisse, vt adhuc retinerent fidem eius quod sua die accepturi essent: quod postmodo verum fuit. Si enim viuentes accepissent, non essent defũcti in fide. Quodcũque enim habetur & possidetur, illud iam non creditur.

Locus difficilis.

Cum ergo dicitur de Abraham cap. 6. adeptum illum fuisse promissionem, nõ est referendum ad tempus ante ipsius mortem, sed postquam mortuus est. Vnde Dominus ait: Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Ad illud verò in hoc cap. de sanctis, quos asseuerat adeptos repromissiones, oportet intelligere de certis promissionibus, quarum tempus iam aduenerat, siue temporalium bonorum intelligas, siue spiritualium. Quod verò hic dicit, Non acceperunt repromissionem, ad certam & singularem repromissionem est referendum. Et sine dubio ad illam insignem, quæ complectitur omne bonum, & quæ nos perficit. Hanc nulli obtinuerunt: quia nondum sunt consummati. Licet enim iam obtinuerint beatitudinem animarum: corpus tamen iacet adhuc in terra sepultum, donec iterũ per resurrectionem ipsi animæ restituatur. Hactenus absque scrupulo procedit litera. Sequitur autem quiddam difficile.

Ioan.8.

Locus difficilis valdè.

Deo pro nobis, seu de nobis, *melius aliquid prouidẽte.* Sed quid est istud quod Deus de nobis prouidit melius? Nõne ipsa consummatio ac perfectio beatitudinis? At hanc nõ tantũ nobis prouidit Deus, sed & ipsis. Si dicas aptandum esse cum eo, *vt non sine nobis consummarentur*: Verum quid boni nobis euenit, si eo temporis spatio non sint consummati ante nos? Dicet aliquis cum Apostolo, Non accepisse illos repromissionem, pro illo tẽpore quo sunt defuncti, intelligendũ esse: & ita aliquid melius prouidit nobis Deus. Dum enim, ait, *nobis*, eos designat, qui sunt in statu noui testamẽti. Istud verò melius, est adeptio beatitudinis, quæ obuenit nobis confestim post mortem, ne teneamur expectare, sicut priores, vt perficiamur. Ipsi enim sine nobis perfici non valuerunt.

Sed hic sensus non caret suis scrupulis. Quod enim ait, *Vt non sine nobis consummarentur*, videtur respicere ad perfectam corporum consummationẽ: Nisi dicas, propter spem resurrectionis certã, habendos esse vt consummatos, qui iam prima stola potiuntur, securi de reliqua. Aut melius: Nõ acceperunt talem beatitudinis repromissionem. Si enim accepissent animæ beatitudinem ante euangelij tempus, debuissent consummari ante nos. Vt enim non expectassent mortem Domini ad consummationem beatitudinis animæ (quæ tamẽ est conueniens omnibus terminus repromissionis) ita nec debuissent expectare mortem omnium ad

consummationem gloriæ corporis. Melius ergo contingit nobis, qui mox post mortem beatificamur in anima, postquam sumus in tempore gratiæ peracta redemptione prima. Et hãc opportuit omnes expectare per Christum resurgentem, ne quis intraret in sancta sanctorum ante summum Pontificem, qui viam strauit.

CAP. XII.

Deoque & nos tantã habentes impositam nubẽ testiũ: deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatũ, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & cõsummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionẽ: vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: & obliti estis consolationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicẽs: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & nõ filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: nũ multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? Et illi quidem in tẽpore paucorum dierum secundum volũtatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est, in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.

Deoque, &c. Exemplis patrũ hebraicæ gentis exhortatur illos, vt & fidem cum bonorum operũ perseuerantia retineant. *Tantam habentes circumpositam nubem testium.* Maiorum turbam vocat nubẽ testium, quasi ex multis in vnum flatibus condensatam. Nubes enim de terra producitur, & eleuatur vt iterum pluat in terram. Tales sunt sancti viri qui pluũt nobis doctrinam verbo & exemplo, vt nos ad desideria supernorum eleuent.

Ait, Circumpositam, vt designet nos non posse fugere eius aspectum quoquo vertamur. *Deponentes omne pondus*, vt valeamus & nos effici nubes conscendentes ad cœlestium desideria. *Et circunstans nos peccatum.* Peccatũ vocat suo more concupiscentiam innatam in carne, quæ magnopere circũstat. Deponitur autem per acquisitionem gratiæ & iustitiæ. Quantò nanque est quis iustior, tantò eius concupiscentia tenuior. *Per patientiam curramus, &c.* Non cessantes ab operibus bonis: quod expeditè faciendo, quodammodo currimus. Etenim in ipso cursu habemus obuiã tentatorem, multis modis à cursu auertere nitentem. Quis autem nisi pẽdus deponat, valeat in via currere?

Aspicientes in Authorem fidei & cõsummatorem Iesum, hoc est, in eum qui vt incepit, ita perficiet. Ipse enim author, siue inchoator est fidei: quoniã vt credamus, ille in nobis operatur. Et item consummator eiusdem fidei: quia dat non solum vt credamus, verum etiam vt pro illo patiamur, quod est in certamine currere. Sic vere perficitur fides & iustificatio ad meritum præmiorum. Idem alibi: Vobis datum est pro Christo non solum vt credatis in eum, verum etiam vt pro illo patiamini.

Phil.1.

Qui pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem, &c. Dupplex est sensus. Prior, Ipsemet proposuit sibi, aut Deus proposuit illi gaudium, si illud mallet. Ille autem loco gaudij sibi propositi, elegit & sustinuit crucem. Huic autem intelligẽtiæ videtur astipulari græca lectio que habet, ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, &c. Est tamen alia intelligentia & vera & efficax contra hæreticos, qui nolunt operantem respicere ad coronam sibi propositam, &c.

Recogitate enim eum, qualis & quantus erat, cùm esset filius Dei, quàm innocens, imò quam benemeritus, & plenus benefactis. *Qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum cõtradictionem*, id est, quam crudelem, quam immanẽ: & à quibus, nempe iustus ab iniustis, & insigniter peccantibus. Hic item locus potius cõsideratione dignus est ad fructum, quam expositione ad intelligendum. *Vt ne fatigemini animis vestris deficientes*, quia memoria Christi est plenissima in afflictionib⁹ homini credenti consolatio. Siquidem est lignum illud quod aquas amarissimas dulces efficit. Itaque habetis summum præsidium, ne vlla prorsus fatigatione deficere debeatis.

Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes, &c. Magnum est amittere bona, & substantias vestras terrenas & facultates: quod tamen æquo animo tulistis. Sed longè magis arduum resistere vsque ad sanguinem aduersus peccatum repugnãtes. Istud vos necdum fecistis. *Et obliti estis consolationis quæ vobis tãquam filiis loquitur, &c.* Erant enim plerique eorum qui iam victi dabãt manus: & sic in defectionis crimen venientes, fidem violabant, immemores diuinæ exhortationis, & consolationis sapiẽtiæ Dei, quæ illis tanquam filiis loquebatur: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, &c.* Prouerb. 3. Disciplinam Domini pro castigatione accipit, quam non vult negligi, nec sperni, sed libenti animo accipi, & non defatigari, aut delassari hominem cum à Deo arguitur. Quid enim est aliud in hoc mundo affligi, nisi castigari & emendari, modo simus filij? Hoc clarè ipsemet Apostolus exprimit, aiens:

Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit, &c. Videtur plus esse fla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gellare, quàm castigare. Christus flagella tulit pro pter peccata nostra: & ideo receptus fuit à Patre in excellum thronũ. Itaque & eos qui magis Chri sto appropinquãt, decet etiam magis flagellari & propter se, & propter alios simili modo, vt confor mes illi fiant. *In disciplina perseuerate.* Græca lectio hoc sonat, si disciplinam seu castigationem susti netis, *tanquam filiis vobis offert se Deus*, paternum scilicet officium faciens. Quare obseruandus est & colendus: & deosculandã insuper manus etiam flagellantis. *Quis enim filius quem non corripit pater?* Certè nullus, nisi qui nihil peccet. At quotuiquis que qui in nullo offendat, vt sic nullam mereatur castigationẽ? *Quòd si extra disciplinam estis, &c.* Notanda sunt hęc, & firmissimè cordi figenda. Homo enim extra disciplinam, id est, non accipiens pro disciplina quæ sibi cõringunt aduersa, iam non vt filius reputatur, cui seruetur hæreditas: sed vt adul terinus, vel spurius ad diabolum pertinens.

Deinde, Patres quidem carnis nostræ eruditores habui mus, &c. Optimè ab eo quod minus est argumen tatur comparatione dignioris. Si enim homo pa trem secundum carnem reueretur, & ita faciẽdum esse natura ipsa docet: & hæc reuerẽtia habet pro missionem vitę: nonne multò magis obtempera re debemus Patri spirituum, vt verè viuamus? Pa trem spirituum vocat Deum: quia per dona spiri tualia quæ infundit, pater noster est. Spiritus enim
1.Cor.6. est Deus: & quicunque adhæret Deo, vnus spiritus est, id est, vnitur illi per spiritum qui est amor. *Et il li quidem in tempore paucorum dierum, &c.* Optima i tem est eiusmodi suasio, & per se omnibus perspi cua: quoniam patres carnis paucis diebus nos eru diunt, idque ad suam ipsorum voluntatem. Sæpè etiam inutiliter, & cum magna filiorum iactura. At illa Dei castigatio sanctificationem nobis pa rit. Sic enim sanctificamur dum erudimur à Domi no, & probamur igne tribulationum.

Omnis autem disciplina in præsenti quidem, &c. Nul lum omittit locum ad suadendam perseuerantiam Apostolus. Omnem castigationem in presenti qui dem testatur nõ videri esse gaudij, sed potius mœ roris. Noluit absolutè dicere non esse gaudij, sed, *non videtur*, quoniam in his qui sapiunt, & qui spi ritu feruent, etiam gaudij est. Nam prospiciunt & futura, non quæ sunt præsentia tantum: quia in eis vident fructum oriri iustitiæ, qui est vitæ æternæ fructus pacatissimus, & plenus pace & iucundita te. Reddet autem huc fructum Deus Pater iis qui fuerint exercitati per ipsam disciplinam.

Propter quod remissas manus, & solu ta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequi mini cum omnibus, & sanctimoniam, si ne qua nemo videbit Deum. Contẽplan tes ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impe diat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primi tiua sua. Scitote enim quoniam & post- ea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit pœni tentię locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.

Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, hoc est, Cum ex parua, & breuis temporis tristitia tantus oriatur fructus, erigite remissas manus, id est, vires resumite ad opera bona. Et erigite genua soluta: quia nec poterunt operari manus, nisi & ge nua roborentur & erigantur, per quæ significatur fortitudo & animositas, quam fides & spes exci tant & confirmant. *Et gressus rectos facite pedibus ve stris.* Sunt enim qui ambulant quidem, sed non rectè ambobus gradiuntur pedibus: quoniam altero claudicãt. In quibus ij fortè significãtur, qui quod rectum est agunt, sed intentione non recta vel pu ra, sed ob inanem gloriam, aut aliquod cõmodum temporale. Credo tamen voluisse Apostolũ mone re Hebræos, ne, quod erat multorũ, in vtranq; par tem claudicarent, partim scilicet Christum, partim verò Mosen recipientes, idque propter carnis affe ctionem. Istud insinuat dum ait: *Vt non claudicans quis erret*, seu, Ne quod claudũ est aberret, hoc est, abducatur à via. *Sed magis sanetur*, eò quòd mala a nimi affectio quidam animi morbus est.

Pacem sequimini cum omnibus. Ad Gentes videtur aspicere, & eis hac exhortatione prospectũ velle, eũ quibus male cohærebant Iudæi. Aspernebantur enim eas, & ingratis oculis intuebantur, non con siderantes in Christo reddita esse omnia munda. *Et sanctimoniam*, id est, cordis munditiam & purita tẽ, *sine qua nemo videbit Deum.* Ipse enim dixit: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Et alibi: Nihil coinquinatum intrabit in illud. Matt.5.

Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, siue: Ne quis destituatur à gratia Dei. Potest ergo quis destitui à gratia: contra quod quidam stultè dogmatizant. Est item in manu nostra postquam accepimus gra tiam, retinere illam, ac non destitui: nisi velint ne gare clarissimam Apostoli exhortationem hanc, *contemplantes* (inquit) *ne quis desit gratiæ Dei.* Vbi est igitur illa æterna reprobatio ex parte Dei ante pec catum, quam isti prædicant? Contra hæreticos.

Ne qua radix amaritudinis. Radix omnis amaritu dinis est superbia vitæ: ex qua oriuntur inuidia, & odium, & ira, quæ omnia ascendendo & pullulan do (vt ita dicam) amaricant cor, & per illa impedi tur gratia Dei, vnde & inquinantur multi. Hinc e nim excitamenta sectarũ, & ex ipsis sectis iniuriæ, simultates, detractiones & innumera mala.

Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau. Hic con tra voluntatem patris & matris concubuit cum v xoribus idololatris: & ideo fornicator dici potuit. Et similiter prophanus: quia rem sacram, nempe matrimonium fœdauit. Sed & hac in re prophanus, quam exprimit B. Paulus, *qui propter vnã escam vendidit primogenita sua.* Ius autem primogenituræ erat quid sacrum & (vt traditione acceptum est) in eo sacerdotium continebatur. Primogeniti enim ante legem datam erant sacerdotes. Quamobrem dicitur Num. cap. 3. Ego tuli Leuitas à filiis Israel pro omni primogenito qui aperit vuluam in filiis Israel. Habebat & alias prærogatiuas primogeni tura, de quibus non est hic dicendi locus. Mitto quæ-

quæstionem, quónam pacto vendi poterant, aut e tiam emi iura primogenituræ absque simoniaca la be. Et quomodo nõ fuerit iniquitas in Iacob, tam vili pretio emere. Hæc enim non videtur alio mo do solui posse, nisi facta omnia fuisse Deo sic vo lente ac disponente, vt omnino ius primogeniturræ ad Iacob pertineret, non solum ordinatione di uina, verum etiam facto, & consensu eius qui ius habebat in ea. Et quia omnia in figuram continge bant illis, addit Apostolus:

Scitote enim quod & postea cupiens hæreditare bene dictionem, reprobatus est. Hoc totum patet Gen. cap. 25. & 27. *Non enim inuenit pœnitentiæ locum.* De fru ctuosa pœnitẽtia est sermo, alioqui satis pœnituit, & eiulatu magno fleuit, vt testatur scriptura. Et hic B. Paulus citat, aiens: *Quanquam cum lachrymis inqui sisset eam.* Qui negarunt pœnitentiam transgresso ribus, mouebantur ex hoc particulari conclude ntes vniuersale. Et certè concluditur verè de iis qui propria culpa reprobari merẽtur, quorum typum gerebat Esau, postquã despexit primogenituram: sed non continuò reprobatur quisque, vt mox transgreditur. Apostolus ergo hoc exemplum pro ducit de Esau Hebræis vt caueant, & apertè intelli gerent Esau typum Iudæorum in eo mysterio ges sisse, qui amisertũ similiter primogenituram suam propter incredulitatem.

Non enim accessistis ad tractabilem & accessibilem ignem, & turbinem, & cali ginem, & procellã, & tubæ sonum, & vo cem verborum (quam qui audierunt ex cusauerunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si be stia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses di xit: Exterritus sum & tremebundus) sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem, & mul torum millium Angelorum frequẽtiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conseri pti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamẽti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquẽtem quàm Abel. Videte ne recusetis loquen tem. Si enim illi non effugerunt, recusan tes eum qui super terrã loquebatur: mul tò magis nos, qui de cœlis loquẽtem no bis auertimus. Cuius vox mouit terram tunc: nunc autẽ repromittit, dicens: Ad huc semel: & ego mouebo non solùm ter ram, sed & cœlum. Quod autem adhuc semel dicit: declarat mobilium translatio nem tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt immobilia. Itaque regnum im mobile suscipientes, habemus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerẽtia. Etenim Deus noster, ignis consumens est.

Non enim accessistis ad tractabilem montem, &c. Hoc in loco B. Paulus ne sibi à rigiditate Dei metuant, & de auxilio diuino desperent, incipit ostendere quæ & quanta sit eius protectio erga suos in statu gratiæ & noui testamenti, prę his qui sub antiquo testamento erant, & ait: *Non enim accessistis ad tra ctabilem montem*, id est, montem qui calcari pedi bus possit: qualis fuit ille mons Sinai, vbi vetus te stamentum datum est. Vocat montem tractabi lem, vt extenuet dignitatem legis illius si confera tur cum lege gratiæ: quemadmodum ad extenuan dum templa manufacta, hoc singulariter affertur, quòd erãt manufacta. Deus autem non habitabat in templis manufactis. Similiter nec in huiusmo di montibus tractabilibus erat Dei domiciliũ. Lex enim gratiæ è monte sancto, qui est Christus, pro diit: sicut ipse est verum Dei templum, in quo ha- Col.2.
bitat plenitudo diuinitatis corporaliter. *Et accẽsum ignem.* In scriptura veteri legũtur facta tonitrua & fulgura: in quo significabatur effectus legis, quæ dũ dura ceruice hominibus præciperet, excitabat concupiscentiæ ardorem ad mortem. *Et turbinem & caliginem, &c.* Significat autem turbo anxieta tem illam conscientiæ & perturbationẽ, quæ post admissionem peccati per conscientiam præuarica tionis irruit. Caligo verò significat diuinorum i gnorantiam, in qua erant adhuc existentes sub le ge. Procella etiam quæ ventis & imbribus confla tur, non est aliud quàm significatio iræ Dei, pro pter multitudinem præuaricationum quæ ex lege veniebant. Deniq; sonus tubæ, & voces Dei legis latoris terribiles, legem timoris ostentabant.

Et ita terribile erat quod videbatur, seu quod appa rebat (supple tu) vt excusarent se filij Israel, dicen tes: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loqua tur nobis Dominus, ne fortè moriamur: hæc illi. *Moses dixit: Exterritus sum & tremebũdus.* Attamen nusquã in scriptura clarè apparet hoc dixisse Mo sen: solũ testatur scriptura in signo illo virgæ cum in serpentem versa est, Mosen fugisse, proculdu bio rei nouitate perterritum. Credibile est autem Mosen in illo mõtis ardore, & fumo, & tonitruis, & fulguribus, & caligine, & aliis terribilibus si gnis etiam expauisse & contremuisse, tametsi post modo admoneret populum ne terreretur: *Sed ac cessistis ad Sion montem.* Hæc est arx fortissima vrbis Ierusalem Maria Virgo semper benedicta cum ele ctis Sanctis. *Et ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœle stem.* Hæc est ecclesia Dei, *& multorum millium An gelorum frequentiam*, qui custodiunt hanc vrbem. *Et ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis.* De Apostolis loquitur, & magnis discipulis Christi, quorum nomina scripta erant in cœlis. *Et iudicem omniũ Deum.* Hic est Christus qui retribuet sua die. *Et spiritus iustorum perfectorum*, quicunq; præter ma iores erant. *Et testamenti noui mediatorem Iesum.* No uum testamentum præfertur veteri: quia in eo re missio est peccatorum, promissio æternæ vitæ be nè operantibus, & facultas datur rectè operandi. Ait Iesum, qui dicitur saluator. Hic venit è cœlo ad saluandum, non sicut Moses qui eductus est ex a quis, tanquam indigus redemptionis. *Et sanguinis aspersionem*, siue sanguinem aspersionis, *meliora lo quẽtem quàm Abel.* Nam sanguis Abel vindictam, Christi verò sanguis misericordiam clamat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Videte ne recusetis loquentem. Quantò maior est Dei misericordia erga nos & beneficentia, & propensior beneficij oblatio, tantò est, si contemnatur, acerbior indignatio. Quapropter dicit: *Videte*, id est, cauete ne recusetis loquentē, scilicet sanguinem qui clamat remissionem peccatorū & salutē. *Si enim illi non effugerunt, &c.* Loquitur de Israelitis qui cōtempserunt Mosen loquentē, siue potius oracula reddentē. Nā græcè legitur χρηματίζοντα. *super terrā*, siue, *in terra*, id est, cum ipse existeret in terra homo terrenus, & cōsequenter de terra loqueretur, & non de cœlis. Christus autē noster de cœlis nunc loquitur, sicut & in terris positus loquebatur: quia cœlestis homo erat. Hæc docebat sanctissimus ille Baptista cum dixerit: Qui de terra est, & de terra loquitur. Qui desursum venit, super omnes est: & quod vidit & audiuit, hoc testatur, nimirum intrinsecus per Spiritum suum. Hic est ergo huius loci sensus: Moses terrenus erat, & proferebat oracula cœlestia de terra, non intus loquens ad cor. Christus autem loquēs ad nos, cum esset cœlestis homo & de cœlo venisset, etiam de cœlo loquebatur cœlestia. Etenim per Spiritū testificabatur cordibus, & testificatus est semper per Spiritum suū: quod tunc maximè appatuit, quando post ascensionem misit Spiritum in forma linguarum de cœlo cum sonitu. Tūc enim loquutus est Dominus per Spiritum suū, medio Apostolorū organo. Hoc testatus erat antèa propheta ille qui dixit: In aliis lingois, & labiis aliis loquetur populo huic, & nec sic exaudient me. Quocirca recusare sic loquentem, grande piaculū est, vnde ait: Si illi vltionem non effugerunt, qui recusarunt hominē oracula in terra loquentē, seu de terra: multò minus, supple tu, non effugiemus nos: si eum qui de cœlis (supple loquitur) *auertimus*, seu potius auersamur, *cuius vox mouit terram tunc*. Quod verum fuit in Christi aduētu. Locus hic satis difficilis, & variam recipit expositionem. Putant quidam intelligi de motu terræ, quando data fuit lex Mosi. Alij quando egressus est populus Israel de terra Aegypti. Vnde in psalmis: Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto: Terra mota est, &c.

Ioan. 3.

Isa. 28.

Nunc autem repromittit dicens, nimirum per Haggæum prophetam, *Adhuc semel*, In Haggæo legimus, *Adhuc vnum modicum*, sensus est: Adhuc semel, quod erit breue tempus, *Ego mouebo non solum terram, sed & cœlum*: ita vt præ hoc motu, ille prior nihil videbitur. Videtur autem loqui de motu orbis in aduentu primo Christi. Sed quis fuerit hic motus cœli & terræ, nō satis declaratur ab iis quos ego legi. Præterea: Si loquitur de primo illo Christi aduentu, quomodo dicit adhuc semel, cū post illum superfit nouissima mutatio, & longè maior in aduentu secundo, quem venturū expectamus?

Vide ergo an magis congruat hoc pacto hunc locū exponi. Dixit Apostolus quòd Moses loquutus est de terra, dādo legem. Christus verò loquutus est de cœlis similiter dando legem, & mittendo Spiritum sanctum suum habentem scientiam linguarum, cuius vox quæ erat vox. Christi, scilicet ille Spiritus per quem loquebatur, monit terram. Tunc, quando scilicet elapsus est in corda discipulorum verè mota est terra, non solum quia factus est repentè sonus Spiritus vehementis: sed quoniā mutata sunt corda, quæ terræ nomine significantur. Et maxima facta est mutatio: quoniam cū essent terrestria sine gratia cœlesti, & mutabilia corda, facta sunt per Spiritum gratiæ firma & solida.

Nunc autem repromittit, hoc est, post hanc primā terræ permutationem repromittit, *Adhuc semel*, id est, iterum atque vna vice tantum. *Et ego mouebo nō solum terram, sed & cœlum*. Ac si dixerit, Multò erit maior hæc postrema mutatio quæ peruenietvsque ad cœlos, sicut scriptum est: Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarū sunt cœli. Ipsi peribūt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Et re vera scripturæ sanctæ de istis cœlis, qui nobis seruiunt, contestatur eos esse soluendos, & totam terram passuram mutationem. Dominus dixit: Cœlum & terra trāsibunt: verba autem mea non transibunt, id est, cœlum & terra mutabuntur. Et erit cœlum nouum, & terra noua. Quod est ergo mutabile in immutabile trāsibit, quod Apostolus exponit subdens:

Matt. 24.

Apoc. 21.

Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquā factorum, vt maneant ea quæ sunt immobilia. Verū quomodo per istud dictum Prophetæ, *Adhuc semel*, declarat translationem mobilium, nisi satis innuens illud quod erat incœptum iam & factum à Domini voce illa prima qua mutauit terram de infirmitate ad firmitatem? vt iam declaratum est. Dicens ergo, *Adhuc semel*, declarat id similiter futurum alia vice perfectè, cum totus orbis concremabitur: & ipsi cœli ardebunt atque soluentur. Sed quare dicit translationem mobilium tanquam factorum? Quid est enim non factum à Domino? Quòd si omne factum mutandū est, & Angeli ipsi, & cœlum summum paterentur mutationem: quin etiam & ipsa Christi humanitas. Ego verò dico, Christi humanitatem non recipere mutationem amplius: quia perfectè mutata est. Angelos verò & cœlum empyreum non venire appellatione factorum in scripturis. Nam facta ea dicimus quæcunque à prima die vsque ad sextā composita fuere. Nā ibi Deus dicere cœpit: Fiat lux: & facta est lux. Fiat firmamentum, &c.

Itaque regnum immobile suscipientes, &c. Hoc est regnum Christi quod est immobile, quia æternū. In illud enim facta est translatio omnium regnorum. Suscipitur illud interim fide: & quicunque fide suscipit, regnat. Habet quippe gratiam, qua ab omni indigno atq; externo dominatu liberamur, & seruimus Deo. Hæc gratia est donum charitatis, quo liberamur à Diabolo, & seruimus Deo, & seruientes placemus ei. Seruientes autem, *cū metu & reuerentia*. Alij interpretantur cum reuerentia & religione. Ad quod exhortās addit: *Etenim Deus noster ignis consumens est*. Et significat manifestè tantæ esse Deum potentiæ vt valeat vlcisci, & re ipsa vlciscetur vt zelotes magnus. Locus ex Deut, cap. 4. Sunt qui intelligunt ipsum esse ignem consumētem: quia quicquid est vitiorum exurit, & consumit. Non reprobanda intelligentia: sed primam magis ad mentem Apostoli quadrare arbitror.

Nota.

CAP. XIII.

CHARITAS fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim latuerūt quidam, Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile connubiū in omnibus: & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.

Charitas fraternitatis maneat in vobis, &c. Postrema hæc est exhortatio, & perquam efficax.

Primùm vt maneat charitas fraternitatis. Hæc est mādata à Christo, cum dixit: Hoc est præceptum meū, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Ipse prior dilexit nos vt fratres. Non enim cōfunditur nos vocare fratres. Vnde & dixit: Omnes vos estis fratres, non quatenus homines, sed quatenus ex me omnes, & ex sponsa mea, quæ & ipsa de ossibus meis & carne mea. Vtinam ad hoc plena intelligentia aliquando peruenianus. *Hospitalitatem nolite obliuisci*. Hoc officium hospitalitatis multum laudatur: sed nunc valdè refriguit. Dominus illud inter ea misericordię opera cōmemorat, quibus præmium summum constituit. *Per hāc enim placuerunt quidā*. Græcè ἔλαθον legitur latuerunt, *Angelos hospitio recipientes*. Non dubito latinū interpretem posuisse, *latuerunt*, sed quia plurimi non intelligebāt quid significaret, loco eius supposuere, *placuerunt*: Dicunt qui Græcè norunt, hoc sermone significari, quòd quidam ignati receperūt Angelos hospitio. Nam cum Angeli in forma hominū apparerent, latuit recipientes, eos esse Angelos. Sed reuera lōgè aliud est eos latuisse, sicut significatur illis verbis, *latuerūt quidam*. Aliud verò hoc latuisse illos, videlicet quos recipiebāt, esse Angelos. Quapropter mihi lōgè magis placet, vt his verbis significetur beneficium quod accepit Lot nepos Abrahæ per hospitalitatē, per quod verè latuit absconditus à Sodomitis, à quorum furore Angelorū auxilio ereptus est, dum haberet eosdem hospites, à quibus & pertractus, & defensus est. Cū enim iam Sodomitæ eius effringerent fores, scriptura de Angelis testatur, quomodo miserūt manum, & introduxerūt ad se Lot in domum, clauseruntq; ostium: & Sodomitas illos qui iuxta fores erant tanta percusserūt cæcitate, vt ostium inuenire non possent. Ecce ergo quomodo latuit Lot, & per hoc saluus factus est: & ipsum quidem nomen hoc sonat. Lot enim interpretatur inuolutus, & coopertus. Frequens est in scripturis pluralem numerum pro singulari poni. Ne quis autem irrisor obiiciat, petiisse iam tempus, quo Angeli veniant apud nos hospitaturi: velim persuasum esse pio lectori, & hunc locū mysticè verum fieri in sacerdotibus, seruis Christi, pauperibus, & religiosis viris, qui etiam Angeli Dei dicuntur in scripturis sanctis, vt quicunque eos recipit, Dei Angelos recipere censeatur.

Ioan. 15.

Matt. 22.

Pro hospitalitate.

Pulchra expositio verbi, latuerunt.

Gen. 19.

Mementote vinctorum tanquam simul vincti. Hoc enim proprium est charitatis, vt siue bona, siue mala fuerint, sint communia: *& laborantium*, seu afflictorum, *tanquam & ipsi in corpore morantes*, qui similia pati potestis, & adhuc aliquid patimini.

Honorabile connubium, &c. Ne putarēt illi B. Paulum reprobare nuptias, laudat connubiū quod honorabile esse asserit: & hoc in omnibus. Ac nūquid in sacerdotibus & monachis, vt queant cōtrahere nuptias? Absit. Nūquam enim apud Christianos licuit. Cur igitur ait, *In omnibus*? Respondeo, dicit: *In omnibus*. I. inter omnes, fideles tamen, ne prisca superstitione tenerentur Iudæi, qui alienigenis non iungebantur. Christus enim mundauit omnia. Vocat autem thorum immaculatū, copulam viri legitimā cum vxore: & quia Christus ipse nuptias quę peccato antiquo fœdatæ sunt, sua præsentia honorabiles reddidit, honorabile connubium dicit.

Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Absolutè intelligitur: contra eos qui simplicem fornicationem non esse peccatum putabant. At expressè ait fornicatores à Deo esse iudicandos, simul & adulteros. *Sint mores sine auaritia*. Græcè legitur: Sit modus sine auaritia, ne in prodigalitatem vertatur liberalitas: & ne nimis anxiè sollicitemur de crastino. Vnde ait: *Contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te desero, neque derelinquo*, Iosue primo, *Ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor*. Hoc ex psalmis acceptum est. Cogitare enim cum anxietate de crastino, est diffidere de prouidentia & auxilio diuino. Sed quorumquenque hodie reperias qui hoc præceptum obseruet?

Mementote præpositorum vestrorum, id est, eorū doctrinæ, quam verbo vobis & exēplo prædicarunt, vt Christum in primis, & illos imitemini, *quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*. Expleuerant enim vitam sancti illi homines, & (vt credibile est) glorioso martyrio: iccirco eorum fidem imitandam proponit. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*, aeti quammanifestissimè dixerit: Non existimeris vos extra spem imitationis & assequutionis virtutum illorum, qui suis viribus non profecerunt, sed eius auxilio qui vel nunc minimè deest, nec potestate quidem, nec voluntate. Iesus enim Christus idem est & heri, & nunc, & in sæcula. Ponitur ergo, *Ipse*, pro, *Idem*, qui cum sit Iesus, potest saluare. Cum sit Christus, gratiæ oleum potest copiosè effundere.

Doctrinis variis & peregrinis nolito abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerūt ambulātibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorū enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portãtes. Non enim habemus hic manentem ciuitatẽ: sed futurã inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiã laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.

Doctrinis varijs, &c. Doctrinæ varietatem reprobat in primis Apostolus. Et significat doctrinas varij generis, quæ conuenire non possunt: qualis est doctrina fidei cum doctrina legis. Sic est doctrina quælibet, quæ cum Christiana non conuenit, neque cum illa seruari potest. Adiecit, *& peregrinis*, id est, quas ignorat ecclesia Christi, *nolite abduci*, id est, nolite hãc illãc circunferri. *Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, &c.* Manifestè Hebræorum cæremonias taxat, quæ in escis & potibus potissimum consistebant. De sacrificatis enim edebant, quæ tamen non proderant eis: quoniam per eas escas carnales non stabiliebatur cor in bonum. Stabilitur autem in gratia Dei, id est, charitate per cibum sanctũ, & veram & cœlestem escam. Et hoc est optimum: quia finis legis est Christus. *Habemus altare, &c.* Probat hac ratione non posse tolerari doctrinam legis (tanquam iam antiquatã) cum doctrina gratiæ. Habemus enim altare nos Christiani, de quo non habent potestatẽ edendi, qui deseruiũt tabernaculo. Hoc altare est extra portam, non conclusum in tẽplo siue tabernaculo: in quo altari fit vera expiatio per corpus & sanguinẽ Christi, & de quo iis edere nullo pacto est licitũ, qui adhuc deseruiunt tabernaculo, id est, qui manent in legalibus. Quod probatur: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra*, ita vt qui tabernaculo deseruiunt non valeant inde quicquã sumere. Hinc à typo illo datur intelligi, non posse ab his qui adhuc manent in Iudaicis ritibus, Christum nostrum tractari, sed eorum carnali comestioni minus esse idoneum. Siquidem eius sanguis illatus est in sancta, & eius corpus crucifixum extra castra, id est, absorptum igne Spiritus sancti velut holocaustum acceptabilissimum Deo. Aliter igitur manducari debet, nempe spirituali manducatione per fidem & charitatem à cunctis Gentibus, Græcis & Iudæis. Nam ipse Iesus qui figuram veritate sustulit, corpus suum extra portam tradidit occidendum sub dio, vt ostenderet se non in ciuitate pati quasi pro illo populo tantum, sed pro vniuerso mũdo, vt sanctificaret populum suum ex omni Gẽte collectum, per aspersionem sanguinis, quem intulit in sancta sanctorum cœlestia, non terrena in redemptionem nostri.

Contra Iudæorum cæremonias.

Exeamus igitur ad eum extra castra. Loquitur Hebræus ad Hebræos, & ait: O Hebræi, si volumus expiationem tanti sacrificij consequi, exeamus extra castra, id est, agnoscamus Deũ non esse Iudæorum tantum Deum, sed & Gentiũ: & non curemus hoc opprobrium, sed *improperium eius portantes*. Nam & ipse exiuit extra castra, quẽ vos extra synagogam eiecistis. *Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed futurum inquirimus.* Ecce Ierusalem perdide runt, sicut & ipsimet coniecerunt dicentes: Veniẽt Romani, & tollent locum nostrum & Gentem. Itaque nec ciuitatem hic vllam habẽt, neque spem futuræ: & non sunt extra castra. Nam in castris manent cogitatione saltem & auiditate, pleni amore carnali, & secundum carnem expectantes Christum. *Per ipsum autem offeramus hostiam laudis semper Deo.* Sicut & Christus obtulit seipsum, confessionẽ & laudem deferẽs Deo: ita & nos offeramus semper hanc hostiam laudis. Sed per ipsum, id est, ipso offerente illam in nobis: quia quicquid ex nobis gratum est Deo, per ipsum oportet quasi signari, & offerri. Hæc autem laudis hostia offerenda est ab hominibus: quia est fructus labiorum nostrorum confitentium eius nomini. Et secundum hoc omnes sumus sacerdotes æqualiter. Sed non secundum quòd nos facimus in altari hostiam. Ad hoc enim oportet ordinari certos, & accipere potestatem faciendi legitimam.

Ioan. 11.

Benificentiæ autem & communicationis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite prepositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilãt quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gemẽtes. Hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus: in omnibus bene volentes conuersari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis Pastorẽ magnum ouium in sanguine testamẽti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorũ. Amen. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem nostrũ Timotheum dimissum, cum quo (si celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes Præpositos vestros: & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cũ omnibus vobis. Amen.

Benificentiæ, &c. Exhortationem prosequitur. Ne obliuiscamini beneficentiæ, & communicationis, siue communionis. *Talibus enim hostiis promeretur*, seu pacatur, vel conciliatur Deus. Videant Lutherani qui negãt satisfactionem & merita ad abluenda peccata. *Obedite præpositis vestris.* Et hîc quoque videant qua stultitia negent hierarchiam in ecclesiã Dei, & iurisdictionẽ. *Ipsi enim peruigilant quasi rationẽ pro animabus vestris reddituri.* Hęc Episcopi & præpositi cõsiderent, num tales sint, *vt cum gaudio hoc faciant, & non gemẽtes.* Peruigilat bonus pastor cũ gaudio, cũ videt ouiculas bene pascẽtes, & contineri sub ouili. Secus verò si inueniat cõtumaces & deuias, tunc gemens hoc facit qui non videt suę

In hæreticos.

Notẽt prælati, notent subditi.

vigiliæ fructum, & cogitur nolens vti virga cum gemitu. *Hoc enim non expedit vobis.* Et verè non expedit: quandoquidem si illi ad tempus ob vestram contumaciam gemunt, vos in æternum flebitis.

Nam salus ouiculæ est, sub cura manere pastoris. *Orate pro nobis:* Etiam pro sanctis qui sunt in terra orandũ est à populo, vt magis ac magis proficiant. *Confidimus enim.* Cum esset Hebræis inuisus propter gentes, voluit ostendere suum quoque erga illos affectum, quasi diceret: Non vos conturbet si videor pro gentibus zelare: nam & vos mihi charissimi estis. Confidimus enim, *quòd habemus bonã conscientiam in omnibus*, id est, inter omnes, *benevolentes conuersari.* Quidam legunt, *Quod habetis bonam conscientiam*, quæ etiam lectio non displicet, in eum sensum: Confidimus vobis, quibus non sim odiosus, sed bonam habeatis conscientiam, vt cum omnibus velitis habere pacem & conuersationẽ charitatis vinculo colligatam.

Amplius autem, &c. Abundantius hoc fieri obsecrat, id est, orari quò celerius restitueretur ipsis. Ex quibus verbis rectè collegit Caietanus authorem huius epistolę Hebræum fuisse, & consequẽter non fuisse Clementẽ: cuius tamen oppositum alibi putat. Neque Lucam, qui fuit Syrus natione, non Hebræus. Et tamen (quod mirandum est) negat fuisse B. Paulum, hanc afferens rationẽ, nõ potuisse desiderare Paulũ se illis restitui, qui ad euadendum eorum manus appellauerat Cæsarem. Et non animaduertit, quomodo iam eorum potestatem appellatione ipsa & iurisditionem euaserat. Vnde tutò poterat redire, & cauere sibi ab insidiis. Neque verò ad eos scribit, qui persequutionis authores extiterant, sed ad eos qui adhuc nomine Christiano censebantur. Sed iam frustrà hac de re disputatur, cum is non sit Catholicus habendus, qui hanc epistolam neget esse B. Pauli Apostoli, propter tantam nubem testium, Conciliorum, Põtificum, Doctorum illam comprobantium.

Caietani inconstantia.

Deus autem pacis, &c. Verba clara sunt, & sensus ipse perspicuus. Deus est author pacis, in cuius manu sunt pax & bellum: pace tamẽ potius nunc delectatur, vt quod ex se est, sit Deus pacis, & non vltionis & dissensionis, siue perturbationis. Pacificaturus autem omnia eduxit de mortuis Pastorem summum omnium. Qui enim prius erat vltionum Deus factus est Deus pacis, in sanguine testamenti æterni. Per sanguinem quippe Filij pacificatus nobis est Deus. Hunc igitur Deum implorat, vt aptet, seu perficiat eos in omni opere bono. Ecce quomodo fit homo perfectus, nimirum bene operans per gratiam Dei. *Faciens in vobis* (ait) *quod placeat coram se per Iesum Christum.* Deus operatur in vobis & velle vestrum, & perficere pro bona voluntate: attamen non sine vobis. Rogat deinde vt sufferant verbum solatij, seu exhortationis. Consolatur eos quòd perpauca scripserit præ iis fortassis quæ requirebat & materia, & opportunitas.

Pro perfectione iustitiæ per opera.

Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cũ quo si celerius venerit, videbo vos. Hic vnus locus cunctis ad persuasionem deberet esse satis, hanc epistolam esse Apostoli Pauli, cuius discipulus fuit Timotheus, vt posset eum mittere ac dimittere, sicut hîc dicitur, & sicut consueuit aliâs. Nec obstat Caietani responsio, quòd & Clemens poterat eum mittere, sicut & misit B. Dionysium ad Gallos. Nam paulò antè conclusit ipsemet, Clementem non fuisse istius epistolæ authorem, cum ipse author esset Hebræus. Reliqua ad salutationem spectantia clara sunt. Hoc solum inde elicitur, fuisse hanc epistolam ex Italia missam.

BENEDICTVS DEVS.

AVTHORIS IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS PRÆFATIO.

TEMPORIS corruptissimi, in quo nunc versamur, miserãda conditio postulat, vt antequam expositionem septem epistolarum canonicarum aggrediamur, quæ sunt quatuor Apostolorum, Iacobi videlicet, Petri, Ioannis, & Iudæ, nonullæ sint necessariò quæstiunculæ præmittendæ, ac resoluendæ. In primis de hac prima epistola (propter nouos magistros) an verè sit canonica, & certò ad scripturas sanctas pertineat. Deinde de eius authore. Tertiò, de ordine: cur hæc præcedat reliquas. Quartò, An in ipso epistolarum numero aliquid contineatur mysterij. Et de primo quidem, Caietanus non putauit esse canonicam, eò quòd non videatur eius author fuisse Apostolus. Solis autem Apostolis data fuit (inquit ille) potestas condendi scripturas: & nihil scripturarum vult esse canonicum, quod non sit vel ab ipsis Apostolis scriptum, vel ab eis approbatum. Verum huiusmodi opinio, & tota ratiocinatio falsa est & periculosa. Non enim quicquid scribebat quispiam ex Apostolorum numero, cõtinuò erat scriptura sancta, nisi prius legitimè probatum esset ab ecclesia. Et contrà, Nõ quod ab Apostolo non sit scriptũ, aut saltem non probatum, continuò non erit canonicum: si modo ecclesia illud probauerit ac canonicum fecerit. Deinde, omninò falsum, huius authorem epistolæ non fuisse Apostolum, cui & nomen egregiè conuenit, Iacobus. Hic fuit filius Alphæi & Mariæ coniugis eius. Vnde ipse dicitur apud Euangelistas, Iacobus Alphæi, & mater eius appellata est Maria Iacobi. Mar. 16. & Lucæ 24. Vocatus est & Iacobus minor, vt ab alio Iacobo distingueretur, qui dictus est maior, filius Zebedæi, frater Ioannis: quos Dominus tonitrui filios vocauit. Hæc à nobis abundè alibi explicata sunt ac probata: quæ debent haberi tanquam principia & dignitates. Sed propter hæreticos, nouorum dogmatum fautores, oportuit iterum nos ad hæc demittere. Lutherus enim cœpit epistolam negare canonicam: & vt illam ore illo suo spurco ac maledicentiæ pleno conspurcaret, vocauit stramineam. Non ob aliud, nisi quia & eius de iustificatione dogma efficacissimè & clarissimè prosternit: & ipsum hæreticum suis coloribus ad viuum eleganter depingit, & quasi ostentum exhibet omni populo spectandum. Erasmus autem, quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iacobus hic esset, & an Apostolus, in dubium reuocat: qui & quatuor Iacobos pro duobus comminisci tur: Ecce lucra quæ deferunt in ecclesiam. Caietanus ideo non putauit eum Apostolum: quia non se vocauit Apostolum, sed solummodo seruum Iesu Christi. Quæ ratio si quid valeret, nec erit vlla epistola Ioannis Apostoli: quia nusquam seipsum in eis vocat Apostolum. O miseram ac deplorandam nostrorum temporum conditionem, cùm liceat ista impunè cuique effutire: & de scripturis ipsis sanctis, quæ sunt fidei nostræ principia, periclitari. Fortè non se Apostolum nominauit: quia non vt Apostolus, sed vt Episcopus scripsit ad suos: & vt cederet ipsi Petro apostolatum, ne quasi Apostolus præcedere eum vi deretur. Nullus enim eorum qui scripserunt epistolas, ausi sunt se vocare Apostolos præter B. Petrum & B. Paulum: quod erat diligenter considerandum.

Viuat igitur veritas, & omnis plantatio quam non plantauit Pater cœlestis eradicetur. Sit ergo epistola canonica, sicut omnes sancti Dei, & veteres nobilissimi doctores, & catholici Pontifices pro canonica receperunt: & ipsa decreta Pontificum, & sacrosancta concilia confirmarunt. Sic & author eius Frater Domini Iacobus Alphæi, seu Iacobus minor, qui cognominatus est Iustus, sicut & Iose frater eius. De hoc Iacobo scripsit admiranda Iosephus Iudæus. Huic apparuit post resurrectionem Christus. Hic factus est primus Episcopus Ierosolimitanus, dignus qui scriberet ad suos, & cuius doctrina ab omnibus audiatur. Est enim vt & ipsum nomen innuit, Iacobus, supplantator vitiorum, & mundi, & carnis & dæmonis: cuius fuit primùm, ad exemplum summi Magistri, facere: deinde docere. Occurrit tamen non inutilis quæstio: Cur hæc inter canonicas prima in ordine habeatur. Minus quippe potest æquum videri, vt præferatur & B. Petro & Ioanni Dilecto, quos citra controuersiam prętulit ipse Dominus. Cui quæstioni respondetur: Scriptoris dignitatem non efficere vt præcedere scriptura debeat, sed ipsa doctri næ ratio hanc prærogatiuam meretur. Debuit enim primò Euangelium prædicari Hebræis: & similiter apostolica tradi doctrina. Eligi ergo ille debuit peculiaris doctor illius Gentis, qui fuit primus illorum peculiaris Episcopus. Et hæc est ratio quamobrem ille B. Petro & cæteris hac in parte præponitur. Numerus autem harum epistolarum, quæ sunt septem, cõuenit numero, quo gaudet Spiritus sanctus. Sunt enim illæ septem sportæ, quas de fragmentis panum, quos Dominus multiplicauit, ipsi eius discipuli collegerunt, in quibus continetur perfecta euangelicæ legis instructio. Fuerunt autem quatuor earum scriptores: vt & hic numerus, quo Christianæ legis firmitas ac stabilitas significatur, attenderetur. Neque verò ignoramus aliquot reperiri derisores, qui hæc tanquam hominum commenta fastidiant: sed margaritæ non offeruntur porcis.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

HIVS epistolæ argumentum, est instructio ad exercitium sanctarum virtutum, & vitiorum expulsionem. Creditur autem vel ipsomet teste B. Augustino, ob eam ipsam causam fuisse à Fratre Domini conscripta: quoniam orta erat illa hæresis, fidem scilicet absque operibus satis esse ad salutem docens, quemadmodum quibusdam videbatur B. Paulus (perperam illum intelligentibus) in suis epistolis docuisse. Quæ hæresis iam sepulta, nostro tempore iterum à nouis magistris suscitata est. Sed à fratre Domini ita explicatissime confutatur, vt facilius sit eis epistolam negare, quàm posse vlla tergiuersatione sententiam aduersus illos apertissimam eludere.

COMMENTARIA IN EPISTOLAM B. IACOBI APOSTOLI ET FRATRIS DOMINI.

IACOBVS Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus: duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutẽ. Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur. Non ergo existimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

DESPEXIT hanc salutationẽ Caietanus his verbis: Salutatio hîc posita tam pura est, vt nulli salutationi cuiuscunque alterius apostolicæ epistolæ conformis sit. Nam nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ, nihilue pacis sonat: sed prophano more, salutem: hæc ille. Quibus, obsecro, quid poterat dici (vt parcè loquar) futilius? Primùm ait in ea salutatione nihil esse Dei, nihil Iesu Christi: tanquam non in ipsis primis verbis Deus & Iesus Christus nominetur, cuius se seruum profitetur.

Deinde prophanũ salutationis morem vocat, dicere, *Salutem*, tãquam non hoc more vsi sint Apostoli & Seniores, quum scripserunt ad gẽtes in hęc
Act.15. verba: Apostoli & Seniores iis q̃ sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus, Salutẽ. Quid autem est Iesus, nisi salus? Qui igitur salutẽ adprecatur, nõ nisi Iesum, qui vera est salus, adprecatur. Non igitur erat prophanum eo pacto salutare: sed hoc erat prophanum, veram scilicet salutem non intelligere. Quòd vero hæc salutatio nõ sit cæteris conformis, vt illis B. Pauli & Petri: quid mirum? An rogo, necesse est modum ac stylũ omnium authorum vnum prorsus & eũdem esse? Verùm stolti est & parum sapientis hominis, velle in his nugis vlterius immorari. Venio ad expositionem ipsi⁹ literæ, vt iam nobis loquatur & prodeat frater Domini, supplantator vitiorum strenuus.

Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus, &c. Vocat se seruum Dei & Iesu Christi, iuxta illud:
Luc.17. Cùm feceritis hæc omnia, dicite: Serui inutiles sumus. Hoc enim perfecti hominis est, primùm cõsiderare & profiteri quid ipse debeat Deo, & post hanc cõsiderationem gloriari de donis. Quod autem ait, *Dei & domini nostri Iesu Christi*, potest & cõiunctim sic intelligi, vt intelligatur Iesus Christus Deus & Dominus: quod absque dubio est. Potest tamen etiam intelligi disiunctim, vt Patrẽ vocet Deum & Iesum Christum Dominũ. Et quia vtraque expositio vera est, vtraq; simul est amplectenda, vt à scripturæ Spiritu intenta.

Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, Salutem. Erant etiam ante nouissimam Iudæorum euersionem reliquiæ dispersæ ab Assyriis, & Babyloniis, & aliis gentibus, quæ nunquam reuersæ erant in terram Iudæam. Et ad has scribit quæ receperant nomẽ Domini Iesu cum fide: vnde & fratres suos vocat. Et quoniam erant inter gentes, gẽtium more salutat, vt veram salutem intelligerent, quæ est in vero Redemptore.

Omne gaudium existimate, &c. Opportuna instructiõ. Vrgebãtur enim Christiani in primo illo feruore spiritus & prædicatione fidei, multis & variis tentationibus, egestate & exilio, & aliis tribulationibus, & mortis denique supplicio. Quamobrem oportebat eos cõsolari, & fortes reddere, vt interno gaudio externæ persequutiones minuerentur. Est enim sermo de vero, nõ de falso gaudio. Quod igitur legimus, *omne gaudium*, meo iudicio potius integrum, seu perfectum gaudium reddere debebat Interpres. Perfectũ autem gaudium est quod ex coniunctione cum Deo procedit, quando assimilabimur ei perfectè. Hoc autem perfectũ gaudium erit in alia vita: nam in præsenti haberi non potest. Quomodo ergo vult hoc in loco B. Iacobus, nos existimare esse hic perfectum gaudium, & hoc quidem in ipsis tantationibus, quæ tristitiam potius quàm gaudium afferunt? In promptu est responsio: Si perfectum gaudium absolutè intelligamus, verè nõ est in hac vita. At si status ipse cõsideretur in quo sumus, certè non est expers gaudij. Nec deest etiam huic gaudio sua perfectio secundum statum ipsum: qui status est veluti peregrinorum, & operantium, & concertantium. Peregrini enim in via gaudent: quia tendunt in patriam. Et quanto magis de via ambulãdo, aut currendo absumpseriot, & patriæ vicinius appropinquauerint, tantò magis gaudent. Cum autem ferè ad fores ciuitatis peruenerunt, expletur gaudium peregrini ac perficitur. Idem contingit operantibus, cum ferè adesse operarum & laborum finem perpendunt. Idem certantribus qui conualuere in prælio, & iã sunt proximi victoriæ. Talis est Christianus cùm in varias incideric tẽtationes: ibi enim probatur, & tendit ad finem cursus, & finem laboris, & finem certaminis.

Cum inciderit, sapientissimè dictum est: Ne quis scilicet ausit sibi tentationes accersere, & pericula: vt faciunt qui ea de seipsis præsumunt, quæ in ipsis tamen nõ insunt. At cùm incidunt in tentationes absque sua ipsorum culpa, tunc adest proculdubio fauor Dei, qui non permittit hominem tentari su- 1.Cor.10.
pra vires & modum, sed facit etiam cum tentatione prouentum. Hoc autem ij qui luctantur sentiẽtes, gaudio afficiũtur perfecto: quia in illis afflictionibus certi redduntur futuri præmij. Sentiũt enim in seipsis Deum præsentem, atque adiuuantem, & adhortantem, & dicentem interius, Noli timere: Psal.34.
salus tua ego sum: Sufficit tibi gratia mea: Nã vir- 2.Cor.12.
tus in infirmitate perficitur. Hoc diuinum solatiũ si non adesset, quo pacto durare posset suapte natura infirmus homo & imbecillus in maximis tribulationibus? Et quomodo posset interno illo & perfecto gaudio in via repleri & recreari, & cum Apostolo exclamare: Benedictus Deus & Pater Domi Ibid.1.
ni nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus perfectæ consolationis? Sed cum hæc notitia non sit omnium, ob eam causam plurimi qui ignorant huiusmodi tentationes, aut non viriliter agunt in eis positi, non sunt certi de gratia Dei in semetipsis, ac propterea illam certitudinem facilè negant in aliis esse posibilem. At hoc iniquum est. Aut enim oportet negare hîc B. Iacobi dictum, qui omne gaudium, hoc est, perfectum gaudium ponit in iis qui viriliter agunt: aut eam certitudinẽ confiteri. Qui enim fluctuat hæsitãs de gratia Dei, quomodo verum & perfectum potest habere gaudium? Sed quia tentatio facit prouentum (per eam enim probatur homo) ideo spem præmij concipit certam, quæ non confundit: quia charitas Dei sentitur in cordæ, quæ, vt ait deuotus pater Bernardus, certitudinem infundit. Qui autem non est cõtatus, ait Scriptura, quid scit? videlicet de excellentia bonitatis & charitatis Dei, quam solummodo in tribulationibus eximiam experimur. Quanto enim magis abundant tribulationes, teste B. Pau- 2.Cor.1.
lo, tanto magis internæ ac diuinæ consolationes excrescunt. Et Psalmista: Secundum multitudinem Psal.39.
dolorum meorum in corde meo, cõsolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Vnde subiicitur:

Scientes quòd probatio fidei vestræ, hoc est, tentatio ipsa & tribulatio, vnde probatis fidem vestram esse viuam, & non mortuam, *patientiam operatur*, velut eius materia. Non enim potest is esse patiens, qui nulla affligitur tribulatione. Quoniam vero multi incipiunt quidem pati, sed non perdurant in patientia, iccirco ait: *Patientia autem opus perfectũ habeat*. Sic in græcis legitur, *Habeat*, non, *Habet*. Perficitur autem opus patientiæ ipso fine, vt sit propter Christum & propter Christianam iustitiam. Alioqui, si tanquam scelerosi patimur, & non libenter

Universidad de Deusto
Biblioteca

amore iustitiæ, quod potest gaudium patere? Potest etiam intelligi opus patientiæ tum demũ esse perfectum, cùm adiungitur perseuerantia vsque in finem: quia perseuerantiæ præmium redditur. *Vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*, scilicet cùm sitis præsentandi ante tremendum tribunal iusti Iudicis, oportet vos esse perfectos & integros, hoc est, incorruptos à macula peccati. Istud præstat ipsa patientia, qua homo dominus omniũ, etiam suiipsius efficitur: & hoc est perfectũ opus.
Luc.21. In patiẽtia vestra, aiebat Dominus, possidebitis animas vestras. Ecce ergo quomodo B. Iacobus hîc supponit posse nos in viæ termino reperiri perfectos omnino, & sine defectu vllo ad obtinendam coronam, sicut & B. Petrus & Paulus testati sunt. Vbi ergo sunt noui hæretici qui hoc nõ verentur pernegare, & in homine semper ita peccatũ constituunt, vt in quouis articulo debeat de sua salute dubitare? Aliud est si rigorem stricti Iudicis prædicarent: sed misericordia se admiscet iusto iudicio, vt omnis timor abiiciatur, qui non est in charitate perfecta.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, &c. Est sapientia quædam theologica, quam vocauit beatus Bernardus sapidam & affectiuam, non solum speculatiuam scientiam. Per hanc sapientiam scimus vnde sumus, & quo tendimus, id est, quo tendere debemus, & qua via illûc peruenire. Sunt enim qui hæc omnia profitentur se scire, & pulchro admodum verborum apparatu declarant & prædicant, nos scilicet à Deo esse, & ad Deum tendere debere, & per viam tribulationum esse quidem incedendum. At hæc meditantur & loquuntur, non afficiuntur: nec ipso affectu probant quæ ipsi dicunt, & adeo disertè docent. Hi sunt ergo qui verè indigẽt sapientia, qua nimirum sapienter sciant. Hei misero mihi: quam vereor ne & hoc mihi desit, quod verè in multis requiro. Quid ergo faciendum? Ecce nos docet Frater Domini. Si quis huiusmodi sapientia indiget, postulet à Deo: quia non humanitus contingit, sed cœlitus venit. Hoc notent Pelagiani, qui naturæ & liberi arbitrij vires absque gratia extollunt. Hoc considerent & fideles negligentes, qui cuncta volunt sibi à Parte donari absque suo vllo facto. Vult autem Deus postulari oratione, vt ipse sapientiæ perfectum donum conuenienti modo largiatur. Et ne quis dicat: Qui scio an sim illud postulando impetraturus? Adiecit:

Nota. *Qui dat omnibus affluenter.* Nota verbum, *omnibus*, vt intelligas non illis tantum, aut illis qui sunt prædestinati (quemadmodum volũt hæretici) sed omnibus nullo facto discrimine, modo postulẽt. Nec solum dat omnibus, sed & *affluenter* dat. Græcè ἁπλῶς, id est, simplicirer, nõ vt aliquid hac de re ad se redeat & lucretur: sicut est proprium hominum miserorum & auarorum. *Et nõ improperat*, id est, nõ exprobrat, nisi in ingratos: sed ita nobis donat, quasi debeat. *Postulet autem in fide, &c.* Ille postulat in fide, qui promissis Dei innitur. Deus autem promisit se illis daturum hunc sapientiæ spiritum, qui peterent cum fide. Dixit enim Dominus noster Christus Iesus ore suo: Si vos cum sitis mali, bona dona
Luc.11. nostis dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? *Nihil hæsitans.* Nam qui hæsitat, diffidentiam de verbis Dei ostendit, quasi aut nolit qui optimus est & promisit: aut non possit, qui est omnipotẽs, & cui nihil inde perit.

Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, &c. Homo hæsitans eleganter fluctui maris comparatur, qui ab omni vento mouetur & circunfertur hâc illâc, ita vt hac sua inconstantia nihil agat tandem, & frangatur. Et ideo multi fideles videntur, & nõ sunt: quia eorum fides non venit desuper, sed ab impulsu aliquo carnali. Credunt enim & sequuntur Christum, nõ quia viderunt miracula: sed quia explet & saturat illos panibus, vt ipse quibusdam
dixit: Amẽ Amen dico vobis quæritis me nõ quia Ioan.6.
vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Quòd si ventus vrgeat in aliam partẽ, id est, tentationes superueniant, facilè titubant, & franguntur, & blasphemãt. Nos igitur petamus spiritum bonum, nihil hæsitantes neque ex parte Dei, neque ex parte nostri: nisi nos reprehendat conscientia. Quòd si reprehendit, emẽdemus nosmetipsos, & reuertamur ad Dominum, quoniam valde misericors est, & procliuis multum ad ignoscendum, & nouum spiritum dandum.

Non ergo existimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Absque dubio qui tales sunt hęsitãtes, hoc pacto nihil poterunt impetrare: quia Deo detrahunt vel de eius fide, vel de eius potentia. Facit hic locus plurimum pro certitudine gratiæ. Qui enim incertus est, non poterit meritò non hæsitare. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Ille est animo duplex, qui in duo distrahitur. Porrò vnum est necessarium. Vult ille homo cœlestia simul & terrena, & geminis sedere sellis, duobusque dominis seruire. At hoc nequaquam fieri potest: quoniã sæpe opponuntur, & sæpius superat qui deterior est. Caueant ergo sibi multi qui subiipsis fortè videntur pij, & interim alienum sequuntur: dum alij quidem metu terrentur, & consentiunt cum tyrãnis contra iustitiam, nec audent asserere malum quod est malum, & bonum quod est bonum, sed adulantur potius & palpant. Audiant quid loquitur Spiritus, potissimum illi qui audiunt confessiones Principum. Alij vero prosperitate franguntur & fortunis, dum volunt hîc bona sua, ac simul
vellent & cœlestia: quod fieri non posse historia Luc.16
Lazari & Epulonis satis ostendit.

Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: diues autem in humilitate sua: quoniam sicut flos fœni trãsibit. Exortus enim est Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita & diues in itineribus suis marcescet. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminẽ tentat. Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cõcupiscẽ-

tia, cum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.

Glorietur autem frater humilis, &c. Cum duo sint mala in hoc mundo præcipua, quæ reddunt hominem animo duplicem, videlicet aduersa, & prospera, quibus modo hûc, modo illûc circunferimur, ideò Frater Domini ad comparandam constantiã & confirmandam, primò alloquitur pauperem & humilem in hoc mundo, exhortans vt non solum non tristetur de humilitate sua ac paupertate, sed contrà vt glorietur potius de sua exaltatione, quã in illa humilitate ac paupertate gestat absconditã: quoniam Deus est qui exaltat humiles, & pauperes beatificat. Sic econuerso iubet diuiti non lætari de diuitiis, sed gloriari de sua humilitate, aut potius humiliatione ac deiectione, quando ita est diues vt non apponat cor in diuitiis suis, à quibus si fortassis cadat, nihil se amisisse existimet, sed cum
Iob.1. Iob dicat, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictũ. Et B. Paulũ sapientissime admo-
1.Timo.6. nentem reuocet in memoriam: Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Hoc nobis dedit exemplum Do-
2.Cor.8. minus, qui cum esset diues, egenus factus est nostri gratia, vt nos diuites efficeremur in illo.

Reddit autem rationem, cur diues non debet in suis diuitiis gloriari, sed in illa sua animi humiliatione: quoniam diues, quatenus diues & bonis mundi eius opulentus, *sicut flos fœni transibit*. Non enim sequuntur nos in aliam vitam istæ diuitiæ, sed vnusquisquam dum hinc recedit, eas relinquit. Exoritur Sol cum suo ardore super fœnum, & fit aridum fœnũ, & flos eius decidit. Sic diues ad ardorem Solis expoliatus inuenitur omni suo decore pristini sui aspectus. Hic Sol est Christus quando veniet in sua potentia cum feruore iustitiæ: tũc nullus erit horum bonorum huius mundi diues. Nisi igitur adfuerit animus humilis & deiectus, qui adhæreat Verbo Dei quod manet in æternũ, inuenietur emarcuisse. Propterea subiunxit: *Ita diues in itineribus suis emarcescet*. Itinera diuitis sunt eius desideria per quæ ambulat, intra se dicens: Ego emam villam illam, & domum meã dilatabo. Supellectilem insuper splendidiorem comparabo mihi: abundabo argento & auro, & gemmis pretiosis. Omnes mihi honorem deferent & magnificabunt: & sibi metuent omnes inimici ab opulẽtia mea. Verùm in his itineribus marcescet diues, & dicetur illi: Stulte, hac nocte repetent abs te animam tuam. Ea autem quæ parasti, cuius erunt?

Beatus vir qui suffert tentationem, &c. Quia autẽ omnes natura desiderant beatitudinẽ, quæ in hoc mundo comparari non potest, sed est in alio, & ipsa est donum Dei, sicut credibile esse dixit vel ipse Philosophus: & hoc donum Dei non datur nisi certantibus ac superantibus, iuxta illud: Vincenti
Apoc.2. dabo manna absconditum, &: Non coronabitur
2.Timo.4. nisi qui legitimè certauerit: Postquam dixit marcescere diuitem in suis itineribus, nunc beatum qui non marcescat in via, declarat. Beatum tamen interim in spe non falsa, sed certa. Ait ergo:

Beatus vir qui suffert tentationem, scilicet per patiẽtiam quæ habeat opus perfectum. Et ratio beatitudinis est: quia quod nunc habet in spe, consequetur in re, *quum probatus fuerit*. Probatur autem homo à Deo post fortiter toleratos labores, & laudatur & honoratur: quia accipit ab eo *coronam vitæ*, id est, coronam quæ nihil aliud est quàm summa illa & plena inenarrabilis lætitiæ operatio in
videndo Deum, & Dominum nostrũ Iesum Chri- 2.Col
stum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & sciẽtiæ Dei absconditi. Et ne quis dicere posset: Quis vnquam vidit coronam hanc? Respondet, *Quam repromisit Deus diligentibus se*: fidelis autem Deus qui non potest negare seipsum. Certissimè enim quæ promittit, sua die reddit.

Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, &c. Tentatio est excitatio quædam experimenti, vt quid quale sit, cognoscatur. Est autem duplex tentatio, quædam in malum tendens: quædam verò in bonum. Tentat Diabolus, tentat & suo modo Deus. Diabolus semper tentat in malum nostrum: Deus verò contrà semper in bonum. Neminem quippe tentat ad malum (exempli causa) ad furtum vel adulterium, ad homicidiũ, aut quid huiusmodi. Ideo vetat Deum malæ tentationis incusari. *Nemo dicat quum tentatur, &c.* Hoc enim esset facere Deũ authorem mali: quod dogma Manichæus excogitauit. Et nunc illud Luthãrani in suam perniciem amplectuntur. Deus ergo neminem tentat ad malum, sed ad bonum. Ad hunc finem tentauit Abraham, vt eius obedientiam videret, non parricidium.

Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus atque illectus. Cõcupiscentia est veluti quędam pellex extimulans virum, id est, rationẽ ad eaquę sunt carnis. Hãc nobis reliquit deus, vt memores essemus antiqui delicti, & pugnaremus cum illa ad victoriam. Ad hoc enim nobis illã reliquit, non cui consentiamus ad peccandũ, sed cui resistamus ad obediendũ Deo. Cõcupiscentia ergo, quæ est fomes ille in carne, cùm illi quod amat obiicitur, cõfestim in illud præceps fertur, & cõcipit peccatum ex cõplacentia obiecti, & (quod ad se pertinet) parit illud, quod ipsa actu vellet cõsummare, sed sola non potest. Peccatũ ergo non consummatur, nisi superior pars, quæ est ratio, cõsensum prębeat: tũc enim cõsummatur peccatũ, & parit mortem. Mortem autẽ animæ: quoniam meretur destitui gratia ab ipso Deo, cui non obtẽperauit. Et rectè dixit ipsam concupiscentiã esse quæ tentat, etsi Diabolus tentet: quoniã per ipsam concupiscẽtiam Diabolus tentat, & per illam penetrat omnis tentatio ad cor hominis, & liberum arbitrium trahere ad suas partes nititur. Magna igitur ab initio tentationis adhibenda est custodia, ne serpens tortuosus clanculum irrepat, & totum interiorem hominem pòst inficiat. Dum paruus est hostis, (aiebat sapientissimè B. Hieronymus) interfice, vt illius nequitia elidatur in semine. Nam vita nostra in hac peregrinatione nõ potest esse sine tentatione: quia per tentationem surgit noster profectus. Neque enim quisquam qualis sit sibi innotescit, nisi tum demum quum tentatur. Nec vllus potest illustrem expectare coronam, nisi vicerit.

Vincere autem quo modo is potest, cui hostes

Universidad de Deusto
Biblioteca

& tentationes defuerint? Tantum permittitur ipse diabolus tentare, quantum nobis prodest vt exerceamur vt probemur: vt qui nos ipsos nostrásque vires ignoramus, in tẽtationibus tentiamus, & recognoscamus si nihil ex nobis possumus, omnia tamen cum illo qui nos confortat, posse. Nam cũ ad nos respicimus, ardua sunt & insuperabilia vafra hostis antiqui tentamenta, mundi & carnis blandimenta. Si autem ad Christum ducem & adiutorem nostrum, vmbra sunt & ludus certaminis. Concludit ergo. *Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.* Errat quicunque Deo, aut Diabolo, aut carni, aut cuilibet alij quàm sibi culpam ascribit. Hoc docuit paucis verbis B. Chrysostomus tractans illud (Mitte te deorsum) Non impulit, inquit, non tetigit, sed tantũ dixit: Mitte te deorsum, vt intelligamus eum qui obedit Diabolo, seipsum deponere. Diabolus enim suggerere potest, cogere non potest. Et tamen illud omnes facimus ex natura praua, veluti filii Adæ & Heuę, quorum altera cur mandatum transgressa fuisset, à Domino
Gen.3. Deo interrogata, promptissimè respondit: Serpẽs me decepit. Alter verò: Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno, & comedi. Mulier in serpentem, vir in mulierem, mox peccatum reiecit. Quin in ipsummet Deum sub tacito quodam sensu, Quam dedisti mihi, inquit, quasi dicere propemodum voluerit: Nisi tu mihi eam dedisses, peccatum istud non admisissem. O quàm nobis tenacem infudit huius hæreditatis viscum infœlix pater. Ferè enim ante prolatam iustæ accusationis reprehensionem nostra præcurrit excusatio: & qui hac in parte non errat, verè exuerunt veterem hominem cum actibus suis. Non declines, orat Propheta, cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendẽs à Patre luminum, apud quẽ non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquẽdum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.

Omne datum optimum. Græca lectio sonat: *Omnis bona donatio, & omne donum perfectum.* Dona perfecta esse illa credo, quibus nos vti malè non possumus: vt est fides, spes, charitas. Aliis autem multis donis malè vti possumus. Voluit, vt existimo, docere nos B. Iacobus, vt Deus non est tentator malorum, ita ipse solus est largitor bonorum, ad quem debemus summa fide respicere, & ab eo petere summa fiducia, & non nobis ipsis arrogare.
Ioa.3. Hoc docuit magnus ille B. Ioannes Baptista: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. *Pater luminum.* Appellatur autem Pater luminum, quia est author omnis lucis per quã videmus. Est enim lumen naturale ipse intellectus noster, quo multa capimus, & apprehendẽtes discernimus res ipsas, & rerum causas. Est & lumen gratiæ, id est, idem intellectus informatus fide & charitate, quo altiora contemplari possumus, ad quæ sensus non potest ascendere. Erit tandem & lumen gloriæ, quo replebimur ad perfruendam fœlicitatem perfectam.

Apud quem non est transmutatio. Ne quis obiicere potuisset: Hic quidem Pater est luminum, sed potest mutari, vt aliquando luceat, aliquando vero nõ illuceat. Absit, inquit. Apud illum enim nulla est transmutatio, vt modo luceat, modo non luceat: sicut in nobis accidit, qui non assiduè operamur, sed oportet quandoque quiescere ab opere. Et quod modo nobis apparet rectum, post modo iudicamus obliquum, & iis vicissitudinibus laboramus. Nulla apud illum transmutatio est. *Neque vicissitudinis*, siue conuersionis, *obumbratio.* Videtur ad lumen mundi huius alludere, & Solem, qui quadam vicissitudine ac suiipsius conuersione recedens à nobis, relinquit vmbras. Est autem clarum de ipso Deo, nullam esse apud illum transmutationem, sed apud nos. Ego Deus, inquit, & non Malach.3.
mutor. Qui si fortè hodie quenquam illuminet, non cras, non inde est quasi ipse mutetur, sed nos. Dicitur tamen in quibusdam scripturæ locis mutari Deus, & pœnitere, non vt ita sit, sed vt nos qui aliter intelligere non possumus, sic saltem intelligamus.

Voluntariè enim genuit vos verbo veritatis. Quoniam de donis dixerat, quæ descendunt à Patre luminum, & immutabiliter ex parte sua (Sine pœni- Rom.11.
tentia enim sunt vocatio Dei & dona) ne quis miretur, adiungit causam: quoniam, *volũtariè*, seu volens, non natura nos genuit, id est, filios sibi fecit, *vt simus initium aliquod* siue primitiæ quædam *creaturarum eius*, sic habet lectio græca: & rectius meo iudicio. Et videtur hic loqui de se & aliis Apostolis, qui à Christo selecti fuerant tanquam primitiæ, vt ab ipsis lex diffunderetur in omnem creatu- Marc.16.
ram. Sic enim dixit eis: Euntes in mũdum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Et ipsi tanquam primitiæ fuerunt oblati Deo, respectu cæterorum qui adiecti sunt. Modus autem quo geniti fuerunt declarat: *Verbo veritatis.* Hic est Christus, & mandatum eius. Ipse enim fide receptus in corde Apostolorum, nouam in eis generationem constituit, vt essent adoptione filij Dei, & cohæredes Vnigeniti.

Scitis fratres mei dilectissimi. Græcè rectius. *Itaque fratres mei dilecti. Sit autẽ omnis homo velox ad audiendum, &c.* Verisimile est in cunabilis illis ecclesiæ, viguisse spiritum æmulationis, vt ferè omnes appeterent munus ecclesiasticum & apostolicum, vnde incendebantur iræ, rixæ, contentiones. Ideo hanc ambitionem volens Frater Domini funditus rollere: quoniam Deus ipse est qui eligit quos vult ad apostolatum, & nemo potest sibi arrogare quicquam, suadet vt omnes sint veloces ad audiẽdum, tardi autem ad proferendum sermonem, velintq; esse potius humiles & boni discipuli, quàm superbi atque indocti magistri. Addit etiam vt sint

tardi ad iram: quoniã in illis disceptationibus impossibile erat non excitari alterum aduersus alterũ ad iram, & indignationem inuicem, præsertim Iudæos aduersus Gentes. Tales sunt disputationes quorundam Magistrorum, qui addicuntur sectis.

Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. Verè ira nõ potest operari iustitiam Dei, quæ est proximum diligere sicut semetipsum, imò etiam portare onus proximi, & in seipso punire aliena peccata. Hoc autem quo pacto faciet qui in proximum irascitur? *Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum.* Radix vnde ira nascitur, est immũditia cordis, qua significatur omne prauum desiderium siue pecuniarum, siue honoris, quo labefactatur anima & inquinatur, atque ex eo inclinatur ad iram, quum per aliquem fit, quominus voti compotes efficiamur. Vult etiam abiici abundantiam malitiæ, aut potius nequitiæ. Græcè enim περισσείας legitur, & significat potius socordiam quandam, & ociosam segnitiem, & tædium boni operis. Vnde factũ est huic prouerbio locus: Qui vacat otio, malè cogitat. His igitur abiectis, monet vt in mansuetudine, non in ira, suscipiant insitum verbum, id est, euangelium, quod quasi semen coalescit in cordibus. Non enim potest homo ex seipso, & naturæ viribus producere fructus spiritus, sed oportet ibi seri semen Dei, hoc est, verbum eius, quod potest saluas facere animas nostras.

Estote autem factores verbi, & nõ auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & nõ factor: hic comparabitur viro consyderanti vultum natiuitatis suæ in speculo. Cõsyderauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, nõ auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Religio munda & immaculata apud Deũ & Patrem, hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Estote autem imitatores verbi, & non auditores tantum, &c. Homo dicitur factor verbi, quum opere complet quod est præceptum. Non solum autem non prodest audiuisse verbum, & non fecisse, vt
Luc.12. etiam plurimum noceat. Quapropter Dominus aiebat: Qui sciuerit voluntatem Domini, & nõ fe-
2.Petr.2. cerit, vapulabit multis. Et B. Petrus: Melius erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Ideo hic addidit Frater Domini: *Fallentes vosmetipsos.* Fallit seipsum, qui putat sufficere audisse veritatem, & inter Christianos connumerari. Verum, quot sunt Christiani in litera, non in spiritu?

Quia si quis auditor est verbi, & non factor, comparabitur viro, &c. Pulchra est hæc similitudo. Verbũ enim Dei comparatur speculo, quod reddit effigiem spectatoris ipsi spectanti, sicut ipse se habet suapte natura. Tota enim scriptura, quæ est verbũ Dei, hominis naturalem miseriam vbique depingit, & totum hominem exprimit miserum & infœlicem: nec solum faciem eius deturpatam, sed intus & extrà calamitosum atque corruptum. Quam rem si homo audiens aspexerit, ac viderit tãquam in speculo semetipsum indigentem assidua ac diligenti cura atque emundatione, & tamen postmodo abierit alius quidem ad nuptias, alius ad spectacula, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam: ac propterea non curauerit quæ sunt turpia & incomposita in seipso emendare & corrigere, iam obliuiscitur eius quod erat. Istud autem est obliuisci sui, & abusum esse speculo, quod est aptũ ad ostendendum quæ sunt indecentia & distorta, & quæ non conueniant humanæ & integræ formæ, vt corrigantur & emendentur assiduè, sicut oportet. Porrò si quis suiipsius obliuiscitur, quis (obsecro) recordabitur eius?

Qui autem perspexerit in legem perfectã libertatis, &c. Sic habet græca lectio: Lex perfecta libertatis est lex Christi, quæ dicitur lex fidei, lex charitatis & ad Rom.8.
gratiæ, lex Spiritus vitæ. Dicitur perfecta: quoniam quæ perfectionis sunt mandat, vt assimilemur Patri Deo, & Filio eius Christo. Dicitur libertatis: quia voluntariam & hilarem obedientiam nõ solùm exigit, sed etiam facit. Non enim est lex externa in tabulis vt illa Moseos, sed interna in cordibus, sicut promiserat in prophetis. Vnde scriptũ
est: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in Ier.31.
corde eorum scribam eam, &c. Quòd ergo nõ satis sit perspexisse in illam, nisi hæc contemplatio duret, ostendit dicens: *Et permanserit in ea*, nimirum operando bona, & cauendo à malo. *Non auditor obliuiosus factus, sed factor operis.* Sic enim permanemus in Christo, & ipse in nobis. *Hic beatus in facto suo erit.* Audiant Lutherani, qui in fide sola beatitudinem futuram constituunt. Ecce in quo illam cõstituit Frater Domini: In facto suo, inquit, beatus erit, hoc est per operam suam. Manet enim operã ti sua merces. Tota hæc epistola de industria videtur facta fuisse contra hanc istorum hæresim, quæ extollens fidem destruit opera: nec accipiunt distinctionem, qua cuncta eleganter componuntur, ne sit inter duos Apostolos B. Paulum & Iacobũ Nota.
vlla dissensio, sed magnus consensus. Nonne & ipsummet cum istis discipulis habemus Magistrũ Mat.7.
clarissime prædicantem, & dicentem: Omnis qui audit verba mea hæc, & nõ facit ea: similis erit viro stulto qui ædificauit domum suam super arenã: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Hæc verus Legislator & magister. Vnde & alibi: Quinimo beati qui Luc.11.
audiunt verbum Dei, & faciũt illud. O miseri qui seducuntur tam perditè, & seducunt aduersum tãta tãmque clara testimonia.

Si quis autem putat, &c. Græcè additur, *inter vos*, vt legamus: *Si quis autem putat se inter vos esse religiosum.* Religiosus verè est omnis Christianus qui piè viuit. Sed & inter Christianos qui maiora opera pietatis profitentur, quales sunt qui renuntiarunt omnibus quæ possidebant, & Christum at-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctiosè obedientia sequuntur, quodã peculiari modo religiosi dicuntur, & possunt religione non immerito gloriari, si tamen eam obseruent: ne tantũ de nomine glorientur. De his videtur hìc loqui B. Iacobus cum dicat: *Si quis putat inter vos, &c.* Et verè ad eos conuenit egregiè hæc admonitio: quoniam inueniuntur plerique prætextu pietatis loquaces, & domos viduarum penetrantes, & multa blaterantes quæ ad rem non pertinent. Isti nõ seruantes domi silentium, nec diligẽter orationis pabulum, sed hoc pacto vãgantes multa cum penuria spiritus nõ possunt nisi grauiter peccare in suo multiloquio vel detrahendo, vel murmurando, vel iocando, vel explorando curiosè quæ sunt extranea, & ad rem non promouent. O quot sunt eiusmodi. Audiant ergo, & attendant ad Fratrẽ Domini dicentem, qui non refrænant linguam, eos esse qui seducunt cor suum, vt non possint intendere his quę oporteret. Et ideo vana redditur eorum in cultu externo religio.

Religio autem munda & immaculata, &c. Ostendit quæ sit vera religio, quam vocat mundam & immaculatam. Consistit enim in visitatione miserorum, vt sunt pupilli, & viduæ: sed quum tribulantur, ne videatur prohibere rem piã, sub cuius prætextu sæpe fallimur non cognoscentes opportunitates. Verùm id quod sequitur salua reddit omnia: adiecit enim, *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo*, siue ab hoc mundo: quod certè fit quando ab operibus carnis abstinemus, & à concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: contra quæ sunt inducta vota monastica per Christum totius puritatis authorem & amatorem. Vnde in Apoc. dicuntur illum sequi quocũque ierit ij qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati. Virgines enim sunt, amicti stolis candidissimis ipsam animi & corporis munditiam significantibus. Et B. Paulus salubberrimum virginibus dabat consilium, nuptias quidẽ non improbans, sed præstantiorem statum æmulandum proponens, vt liberæ à seruitute coniugij Christo sپõso cœlesti inseruirent sanctę & corpore & spiritu: contra nouos carnalium operationũ patronos, quibus nihil placet nisi cum carne coniunctum, & ventri amicum & gratum.

Apoc. 14.

1. Cor. 7.

CAP. II.

FRATRES mei, nolite in personarũ acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in cõuentũ vestrum vir aureũ anulum habens, in veste candida: introierit autẽ & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste pręclara & dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autẽ dicatis: Tu sta illic, aut: Sede sub scabello pedum meorum: nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite fratres mei dilectissimi: Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligẽtibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos & ipsi trahunt vos ad iudicia? Nónne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos? Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, benefacitis. Si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &: Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autẽ: factus es transgressor legis.

Fratres mei, nolite in acceptione personarum, &c. Est, vt mihi videtur, hoc peccatum commune plurimorum, qui male iudicãt de personis. Et sensus est: Fides Domini nostri Iesu Christi, qui est gloria nostra, non habet hanc acceptionẽ personarum, quæ educitur vel à gẽte, vel à natalibus, vel à diuitiis, vel à disciplinis & sapientia hominum: quia infirma mundi & ignobilia, & stulta elegit Deus, vt ostenderet non in iis consistere veram felicitatem. Reprehenduntur ergo qui humilia despiciunt: quoniam peccant iudicantes secundum mundum, & secundum cogitationes hominũ iniquas. Facti sunt enim iudices illarum cogitationũ, id est, probantes & proferentes eam sententiam, quam illæ cogitationes concludunt. Vt ergo reprobet hoc iudicium, inducit Sapientiam Dei, qui elegit pauperes in hoc mundo, qui diuites facti sunt: quoniam designati sunt hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se citra personarum vllam acceptionem. Vnde rectè exprobrat in eos:

1. Cor. 1.

Vos autem exhonorastis pauperem, quod fuit exhonorare Christum ipsum, qui est in vobis. Ostendit alia via iniquitatem hanc acceptionis personarum, quæ fit à diuitibus mundi dicens: *Nónne diuites per potentiam opprimunt vos?* Etsi semper hoc sit vt diuites opprimant pauperes: tamen tunc ob Christi legem magis patebat. Nam & ad iudicia siue ad tribunalia trahebantur, vt abnegarent Iesu Christi fidem. *Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, &c.* Hoc bonum nomen est Iesus, quod illi diuites huius sæculi perditè blasphemabant, vtpote suorum flagitiorum reprehensorem. Hoc est nomen quod inuocatur assiduè ab ecclesia sancta super fideles. *Si tamen legem perficitis regalem, &c.* Sunt qui per legem regalem hìc intelligant legem regiam, quæ iubeat in magistratu constitutos esse honorandos. Sed hoc abesse ab apostolico sensu nõ dubito. Loquitur autem de lege Christi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, quæ tunc perficitur, quum ad omnes ipsa dilectio extenditur, etiam inimicos. Est ergo sensus: Si vos diligitis diuites simul ac pauperes, non habentes acceptionem personarum propter diuitias & paupertatem, bene facitis. At si personã accipitis (eo modo quo dictum est) tunc peccatis, & redarguimini ab ipsa

lege Christi, quæ istam detestatur personarum acceptionẽ: & ob hoc estis transgressores legis. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno*, id est, vel vna eius particula excepta, quod certè non est totam legem seruare, *factus est omnium reus*, quoniam nihil dicitur seruasse. Et verè hoc dicitur. Quæ enim seruauit non puro Christi amore seruauit: alioqui & illud seruasset. *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &: Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Mœchatus enim etiam fuisses non habens respectum ad legem, neque ad legis authorem, si eadem commoditas & concupiscentia te allicuisset. Itaque perinde haberis, ac si nõ fecisses vllam partem legis. Et ideo absolutè ac simpliciter vt transgressor legis haberis: quia vnus est legislator qui offenditur. Non tamen propterea puniẽris de cæteris præceptis quæ seruasti, tanquam si transgressus fuisses. Hoc enim iniquum omnino: sed nõ afficiẽris premio quasi legẽ ea parte seruaueris. Non enim seruasti vt debuisti, obseruans legislatorem. Hoc clarè apparet ex illo vno quod non seruasti, ipsum legislatorem contemnans.

Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Superexultat autem misericordia iudiciũ. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace: calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semet ipsa. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quòd vnus est Deus: bene facis. Et Dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuntios, & alia via eiiciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.

Sic loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Magnum & pernecessarium hoc apostolicum documentum. Sed opus est intelligentia ac simul consideratione, ne frustrà nobis datum sit. Qui enim admonitione egent, sæpe terrore magis admonentur, & ratione, vincuntur, quàm horratione animentur. Est autem admonitio, vt sic loquamur & sic operemur, tanquam incipientes iudicari, aut tanquam iudicandi per legẽ libertatis. Etenim illi qui non implent sermonem (quemadmodum testatur Dominus) per ipsummet sermonem cõdemnabuntur. Qui spernit me, inquit, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eũ in nouissimo die. Ille idem sermo exibit de ore eius, & commemorabit ingratitudinem, auferetque omnem prorsus excusationem. Omnis enim transgressionis excusatio, est vel ab ignoratione præcepti: vel à præcepti iniquitate: vel randẽ ab impossibilitate implẽdi. Lex ipsa libertatis summouet omnes has excusationes. Iam enim tibi lex publicata est: imò in corde tuo scripta à Deo, vt proximum tuum, qui est Christus, diligas. Te prior ille dilexit, & sanguinis sui pretio: quum esses illi inimicus, redemit: & consequenter vt diligas omnem hominem qui est in Christo mãdauit. Omnis enim homo factus est proximus tuus per Christum, vt ipse dicturus sit: Quodcunque fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis, siue bonum ad mercedem, siue malum ad vindictam. Ecce igitur iam nosti legem, & factus es capax voluntatis diuinæ. Non potes ergo vllam prætendere ignorantiam: & multò minus arguere legem iniquitatis, si quod fecit Christus tibi inimico ad tuam salutem, requirit à te vt hoc sibi facias amico. Potissimum autem cum ille non ad suam, sed ad tuam istud requirat beatitudinem & salutem. De ingratitudine igitur ingẽti me reberis condemnari non obediens tam æquo & iusto præcepto, qui redamare spernis tu prius amatus. At quàm amatus bone Deus? Testis est sanguis & crux.

Ioan. 12.

Matth. 25.

Nulla denique erit excusatio dicentis: Non possum. Quid enim impossibile posito in lege libertatis, quæ est lex charitatis? Homini iã libero à dominatu Diaboli & peccati, & illius auxilium habenti qui dixit: Confidite, ego vici mundum, quid potest obstare ne fiat perfectus in charitate, si sibi attendat, & ambulet sollicitè & confidenter cum Deo suo, orans assiduè pro auxilio opportuno, & cum timore ac tremore festinans ad propositum sibi brauium vocationis suæ? Non sunt impossibilia mandata Dei, vt hæretici blasphemant. Imò vt Dilectus & verax Christi discipulus dixit, nec grauia sunt. Dixit enim ille qui mentiri non potest: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Vbi ergo impossibilitas, ô prophani? Certè vobis redditur impossibile, quod impossibile iudicatis: & condemnatis Deum ipso dicto tanquam iniquum, qui iugum crudele & impossibile, & onus graue & intolerabile imposuerit ceruicibus filiorum per euangelium re-

Ioan. 16.

1. Ioan. 5.

Matth. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

natorum. Sed mox ipse eius sermo condemnabit vos: ipsa lex libertatis, quam blasphematis & repulistis, sententiam feret super capita vestra. Quilibet sibi metuat ab authoritate tantæ legis iudiciũ tanto acerbius ferentis, quãto etiam iustius. Quid enim aliud feceris homini tam ingrato tanto benefactori Deo, ac tam immenso beneficio? Lex igitur tam dulcis & suauis, tantum præmium secum ferens, iure optimo vertetur in amaritudinem & vindictam inenarrabilem. Væ tibi qui spernis: quoniam & tu (vt per Isaiam comminatur Dominus) sperneris. *Isa.33.*

Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam. Et meritò, & æquissima sententia: quia ipse prius accepit misericordiam. *Superexultat autẽ*, melius, *Et gloriatur misericordia de iudicio*, aut super iudicio. Vt sit sensus verus & elegãs, quòd etsi quis accipiat sine misericordia iudicium, de hoc iudicio gloriatur misericordia, quæ in sui fauorem gaudet esse iudicatum. Non enim ob aliud ille damnatus est, nisi quia non fecit misericordiam. Ecce igitur gloriatio misericordiæ, à qua omne iudicium dirigitur & temperatur. Qui scilicet misericordiã fecerit, misericordiam recipiet: qui verò non fecerit, & hîc misericordiam spreuerit, in gratiam misericordiæ ab ipsa misericordia repellatur. Superat ergo semper misericordia in iudicio, pro qua semper iudicatur.

Quid proderit fratres mei, &c. Manifestum testimonium, salutem nostram à sola fide absque operibus non procedere. Et loquitur de salute quæ est præmium, & interim habetur in spe & in arrha: non autem adhuc in re & plenè.

Si autem frater & soror, &c. De Christianis est sermo qui sunt verè, iuxta theologiam scripturæ, fratres & sorores. Est autem exemplum clarum. Rogat ergo, *Quid proderit?* Duplex hinc potest elici sensus. Primus, vt id quod ait, *Quid proderit*, respiciat indigentes cibo & potu, & hospitio: quia re vera dicere illis: Ite in pace, calefiatis, & saturemini, nihil eis prodest. Est & alter sẽsus, vt respiciat ipsum hominem immisericordem: ac si expressè dixisset, Quid proderit illi homini dedisse verba, pro eo quod dari debuit auxilio? Videtur tamen prima expositio verior: quanuis ex eo quòd non profuit illis, quibus nihil dedit, consequẽs fuerit vt nec sibi profuerit, qui cœlestem mercedem amisit. O nos fatui homines, qui pro terra possemus cœlum nobis comparare, & perinde ac si esset inutilis hęc cõmutatio, hæsitamus adhuc. Quid, quæso, istud est, nisi minimè fidem viuere in nobis? Ideo ait: *sic & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa*, siue, *per se*, hoc est, sola nihil fructus facit, sed est prorsus velut arbor arida, & absque oleo lampas. *Sed dicet quis, &c.* Hoc est, si tu fidelẽ te esse dixeris, arguet te aliquis & dicet: *Tu fidem habes*, id est, tu fidem ais te habere: *Et ego opera habeo. Ostende igitur mihi fidem tuam absque operibus.* Quod certè non potes. *Et ego ostendam tibi*, Quod certè potero, *Ex operibus fidem meam.* Opera igitur ostendunt fidem. Verùm hoc argumentum ad rem propositam videtur inane: quia dicet aliquis: Et si homini quidem non valeo ostendere fidem absque operibus: Deus tamẽ ipse fidem meam absque illis videbit. Sed huic homini sic errorem suũ tegere conanti egregiè respõdetur: Fides ipsa quæ est donum Dei, est veluti arbor quę habet mandatum operum ab ipso Deo: vt tunc legitimè coronari mereatur, quando cum suis fructibus ostenditur, quæ sunt opera. Quòd si arbor sine fructibus appareat coram Domino, tantò magis ille indignabitur, & coarguet. Iners & piger colone, cur nõ excoluisti & exercuisti arborem, vt redderet mihi debitos fructus? Quid ego de te faciam, nisi vt succidam à terra, & tradam igni? Non desunt tamen aliquot Lutherani, qui vt suam positionem ex hoc loco sustineant, fidem quæ est sine operibus, non esse verè fidem, aut verã fidem, ex eo dicto nituntur probare, quo quis postulat vt sibi ostendat alius sine operibus fidem suam: ac si per hoc quòd non valeat ostendere non habẽs opera, concludere B. Iacobus voluerit, quòd nec fidem habeat, quam se tamen habere putat. *Luc.13.*

Verùm hæc opinio contra sanctos doctores est, & contra manifestas acutis theologis rationes: denique contra recentem Tridentinæ Synodi determinationem. Tametsi non me fugiat sanctos Patres nonnunquam vsos esse hoc modo loquendi, dicentes illam non esse veram fidem quæ opera non habeat. Sed non in hanc significationem, tanquam non impleat rationem fidei, sed tanquam non pariens fidei effectus. Sicut dicerentur nõ veri homines, qui ratione abuterentur: nec veri Episcopi & pastores, qui oues non pascerent: nec veri sacerdotes, qui non sacrificent, aut non (vt oporet) sacrificent. Vnde illud dictum: Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Aliter autem existimare, error est perniciosus. *Tu credis quia vnus est Deus: bene facis.* Credere vnum esse Deum, non parum est: quoniam qui hoc credit, iuxta theologicum intellectum, etiam credit illum creatorem omnium, & prouidentiam & curam de omnibus habentem. Bene ergo facis hoc credens: verùm hoc non satis est ad salutem si nihil addatur, nec fides hæc perficiatur obedientia: quin etiam obest plurimũ. Nam & ipsi Dæmones credunt, & contremiscunt: quia illa veritate turbantur, cui perpetuò maledicunt.

Est autem quædam quæstio: An ipsi Dæmones donum illud fidei amiserint, quod verisimile est eos ab initio habuisse. B. Thomas noster opinatur Dæmones illud quidem ab initio habuisse, sed cũ ceciderunt amisisse. Quod autem hîc dicitur: *Credunt & contremiscunt*, verum esse, non qui ex habitu diuini doni eliciant actum credendi, sed ex intellectus perspicacia: quia vident opera Dei. Contrà autem videtur sentire ac docere alio loco, vbi eriã homines qui damnati sunt, fatetur retinere habitum fidei informis: quoniam & ipsi Dæmones credunt. Caietanus nititur conciliare hanc doctrinam quæ secum pugnare videtur. Num aliis satisfaciat, an secus, nescio: mihi certè ipsi non satisfacit. Quicquid sit de mente B. Thomæ, nullum videtur absurdum, confiteri in dæmonibus hoc donum in ipsorum malum. Etenim quantò ipsi magis cognoscunt Dei optimam prouidentiam, tantò torquentur acerbius, dum aduersum se vident illam rigidam (iustam tamen) erga nos autem dulcem ac benignam. *B.Tho.2.2. q.5.art.2.* *q.18.art.3.*

Vis autem scire ô homo inanis, &c. Profectò si oculis corporis vidisset Lutherum & sectatores, non poterat conuenientius dirigere hũc sermonem in

eos, & quemlibet eorum. Vocat enim in primis illum congruo nomine, dicens: *O homo inanis*, qui sectaris inania, inanem fidem commendans, & sperans ex illa: *Vis scire*, tanquam metuat ne, qui eiusmodi erroribus inuoluitur, scire velit. Tales sunt superbi hęretici, qui nolunt discere vt sciant: & ob eam causam vocant stramineam hanc epistolam: quæ si verè talis esset, non respuerent illam ipsi bestiæ iam effecti, quarum cibus conueniẽs stramen est. Verùm quia erat aurea, despiciunt. Pone ante bestiam aurum, & stramen: cui dubium illam auro despecto ad stramen conuertendam? Vis ergo scire, inquit, ô homo inanis: *Quòd fides sine operibus otiosa est?* In græcis quæ nunc circunferuntur, legimus: *Mortua est*, nec multum refert. Quanquam si legitur, *Otiosa*, iam probatur esse: quia quod otiosum esse dicitur, etiam proculdubio præsupponitur. *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, &c.* Vide quomodo & ipse doctè, sicut & Bea. Paulus in primis exẽplo Abrahæ, qui fuit plenissimum iustificationis & absolutissimum exemplum, id probat quod intendit, videlicet Abraham fuisse iustificatum non ex fide tantum, sed ex operibus: & illud insigne obedientiæ opus proponit, cùm obtulit filium suum super altare: ex quo illum iustificatum asserit. Verùm contra hoc è diametro B. Paulus ad Romanos docere videtur, aiens: Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deum. Sed si candido oculo & fideli, quod docent hi duo Apostoli consideretur, summa in illis agnoscetur cõcordia Primùm haud dubium, omnes qui extra fidem sunt, & consequenter sine Christo & Deo in terris, sicut omnes nasci mur & adolescimus, nisi modo nobis à Deo præscripto ingrediamur in Christum, iniustos inueniri: ita vt oporteat ad iustificationẽ hanc ingredi in ipsum Christum, vt iusti & filij Dei inueniamur. Hoc autem quo pacto fiat, si quęrimus à B. Paulo, Vtrum ex operibus? ipse audacter respondet: Nequaquam. Quare? Quia Abraham qui est typus iustificatorum, non est ab initio iustificatus ex operibus, sed ex fide tantum. Vnde hoc probas? Quoniam scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quo loco primùm apparet fuisse illum ex fide iustificatũ. Dicitur enim: Credidit Abraham Deo. Deinde, quòd non ex operibus: quoniam si ex operibus, non dixisset scriptura, Et reputatum est illi ad iustitiam. Quod enim imputatur ad iustitiam, non debitum, sed gratiam significat: opera autem si considerantur, non innituntur in gratia sed in debito. Hoc ex B. Paulo ad Romanos. *Rom.4.* *Ephe.1.*

Nunc quid Frater Domini dicat videamus. Sed non poteris intelligere, nisi prius animaduertas quid hactenus ille docere instituerit. Non enim aliud, nisi quòd homini iam ingresso in Christum, & per fidem iustificato sine præcedentibus operibus, sicut docuerat B. Paulus, non satis est retinere fidem otiosam ad implendam iustificationem, & consequenter ad comparandam salutem. Hoc ex typo Abraham æquè ipse demonstrat, qui postquam iustificatus est à peccato, ac de eo dictũ est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, accepit mandatum à Deo immolandi filium Isaac. In quo opere perfectè iustificatus est, id est ad meritum vitæ æternæ: quoniam opus illud ex fide operatus est. Nam prima hæc iustificatio quæ profuit ei ad ingrediendum in Christum ad militiam, non profuisset ei ad assequutionem coronæ, nisi impleta fuisset per opera, & mandatorum obedientiam. Propter quod ait:

Vides quòd fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est, idest, perfecta, & placẽs Deo: quia non sterilis, sed fructuosa. *Et suppleta est scriptura dicẽs: Credidit Abraham Deo, &c.* Quia impleta ex illo opere fuit fides, ideo dicitur impleta scriptura, quæ iustificationem Abrahæ testificata est. Prima nanque iustificatio quæ ex sola fide processit, non erat plena: quia erat potius iustificatio ad ingressum militiæ, vt posset legitimè decertare & mereri, quàm ad præmij assequutionem, quod redditur operibus ex fide factis. Quare vt paucis rem perstringam, B. Paulus opera iniusti hominis præcedentia fidem & baptismum, inutilia & vana esse docet ad primam iustificationem, vt quis ingrediatur in Christum: ad quod Abrahæ exemplũ adduxit. Frater autem Domini opera iam iustificati ac fidelis prodesse ad iustificationem asserit, vt sit perfecta ad præmium obtinendum: quod pariter ab eiusdem Abrahæ exemplo conuincit. Vnde ait, quomodo post illud factum, *& amicus Dei appellatus est.* Hoc expressè apud Iudith habetur c. 8. Nunquid verò antea non erat amicus? Erat quidẽ, sed non perfectus: quia nec plenè iustificatus ad præmium, sed tantùm ad certamen.

Lutherani autem non distinguũt opera ante fidem & primam iustificationem, ab operibus quæ ex fide sequuntur. Nec item inter primam, & quodammodo inchoatam iustitiam, à secunda perfecta. Denique neque inter iustificationem quæ introducit ad certamen, & illam quæ introducit ad victoriam. Nam de prima B. Paulus in citatis locis loquitur, Frater autem Domini hîc de secunda: quanquam & ipse B. Paulus de hac secunda in omnibus suis epistolis passim docet, sicut suis locis annotauimus. Primæ autẽ iustificationis fructus sunt opera meritoria: Secundæ corona & præmium. Concluditur ergo ad mentem vtriusque Apostoli, perfecta iustificatione Abraham ex operibus iustificatum fuisse.

Similiter & Rahab meretrix. Hæc mulier prius audiuerat admirabilia quæ Deus fecerat in gratiam illius populi Israelitici, & credidit. Porrò fide iustificata, vt iustificationem impleret excepit nuntios exercitus Dei, & astutè emisit eos securos, nihil verita periculum vitæ & bonorum suorum, vt placeret Deo. Ista historia clarè apparet in libro Iosue cap. 2. Hic est locus, vbi Lutherani lethaliter iugulãtur, qui totum quod est iustificationis, fidei tribuũt: cùm hîc clarè dicatur ex operibus venire iustificationem. Nec tamen nos laret quam illi expositionem, aut potius destructionem ad hanc apostolicam sententiam afferant. Quod enim hîc dicitur: *Videte quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum*, sic exponunt, vt sit sensus, quòd ipsa opera vt fructus fidei, ipsam indicant iustificationẽ. Idem quippe est illis iustificati, quod est ostendi iustificatum, vt iustificatio ex fide sit: fidei autem & iustificationis probatio, atque ostensio ex operibus. At hoc non est exponere, sed torquere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Illa enim erat hîc Fratris Domini manifesta intentio, non vt indicaret quomodo iustificatio compararetur, sed ne ad iustificationem perfectã, quæ promouet ad salutem, vllus existimaret solam fidem sufficere, & sibi per illam blandiretur. Oportet siquidem impleri, seu consummari fidem per opera. Quo in loco illud tanquam manifestũ supponit, posse quidem esse fidem secundum sui substantiam ac perfectam rationem absque operibus, sed non prodesse: quemadmodum arbor quæ est absque fructibus arida. Alio ipsemet claro exemplo manifestat, dicens:

Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est. Mouebit aliquis quæstionem: Quo pacto potest esse vera fides quæ non sit formata, cùm forma det esse rei? Scholastici enim fatentur absque charitate fidem esse informem. Et præterea: si fides eiusmodi informis mortua est, quo modo verè erit fides? Siquidem homo mortuus non est homo. Nos autem dicimus, non comparasse B. Iacobum fidem mortuam homini mortuo, vt inde elici posset, vt homo mortuus non est homo, ita fidem mortuam non esse fidẽ: sed comparasse illam corpori mortuo, quod etsi mortuum sit, manet tamen corpus. Neque verò cum dicitur fides informis, putãdum est ita dici, quasi fides vel substantia fidei indigeat ad sui essentiam charitate, & per illam quasi forma perficiatur. Distinguitur enim reipsa fides à charitate, vt neutra sit alterius pars. Vnde à B. Paulo dicitur: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Dicens, tria hæc, declarat esse tria distincta dona, id est, aliud ab alio separatum. Fides ergo hominis semel iustificati, qui per crimen amisit gratiam, & consequenter non potest opera bona producere, dicitur informis, non quidem secundum sui intrinsecam rationem, sed respectu effectuum qui prodeunt ab ea fide. Huius autem opera ob eam causam verè dicuntur mortua: quia non est in illis bonus & viuus charitatis spiritus. 1.Cor.13.

CAP. III.

NOLITE plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Siquis in verbo non offendit: hic perfectus est vir, potens etiam freno circũducere totum corpus. Si autem equis fræno in ora mittimus ad consentiendum nobis, omne corpus illorum circunferimus. Et ecce, naues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur: circunferuntur à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quãtus ignis quàm magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus: & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum, & volucrũ, & serpentium, & cetorum domantur, & domita sunt à natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquã? Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere: aut vitis ficus? Sic neque salsa, dulcem potest facere aquam.

Nolite plures magistri fieri, fratres mei, &c. Primũ prohibet exundantiam magistrorum, & ambitionem illam qua vellemus omnes esse magistri. Dominus noster etiam vetuit: Nolite vocari. Rabbi. Vnus enim est Magister vester. Existimo tamen Fratrem Domini quiddam aliud hoc in loco nobis insinuare voluisse. Non solùm enim miseram illam vetat ambitionem in appetendo magisterij cathedram, verùm etiam pluralitatem magistrorum, in hunc scilicet sensum, ne in diuersas sectas ac doctrinas scindantur. Nam minimè tum videntur plures magistri, quãdo sub vno & eodem summo & primario magistro, qui est Christus, in ecclesia sua sese continentes, vnum & idẽ docent. Et hunc sensum non obscurè voluit declarare Dominus, quãdo ait: Nolite vocari Rabbi, id est, principales magistri: quia vnus est Magister vester. Non ergo improbatur ne sint magistri & doctores in ecclesia. Imò hunc fuisse constitutum gradum à Christo testatur B. Paulus ad Corinth. scribens & ad Ephesios: Et ipse dedit quosdam quidem (inquit) Apostolos, doctores, &c. sed vetatur ne quis sibi vsurpet (vt ita dicamus) principalitatem magisterij introducendo noua dogmata, & sectas nouas. Qua in re si quãdo peccatum est: nunc quammaxime & turpissime peccatur. Mat.23. Ephe.14. 1.Cor.12.

Nam quantum, quæso, magistrorum prouẽtum hæc infœlix tempestas, & Aquilo nobis attulit? Innumerabiles certè sunt: & quisque eorum aliquid semper affert ignotum Ecclesiæ: imò ab ipsa ecclesia iandudũ explosum. Quanta enim & quàm peruersa de peccato originali, de libero arbitrio, de iustificatione, de prædestinatione, de sacramento altaris & sacrificio, contra spiritum ecclesiæ protulerunt Lutherus, Oecolampadius, Zuinglius, Bucerus, Caluinus, & aliæ innumeræ pestes & orbis terrarum faces? Quanta contra vota monastica, imò euangelica: contra luctum Christianum: contra gratiam & efficaciam sacramentorum: & in cunctis ferè articulis, quos ecclesia Dei vt certos, vt iã decisos, ab ipsis ecclesiæ incunabulis in hunc præsentem diem & habebat & obseruat, peregrina & peruersa dogmata ad confundendum ecclesiam intrudere conati sunt?

His ergo meritò, si optimo consilio obtemperare voluissent, dicebatur: Nolite plures magistri

fieri. Sed noluerunt superbi homines & ambitione tumidi, audire. Quin potius cum hoc apostolico sermone se acriter corripi persensissent, abrogarunt illi authoritatem, dicentes esse stramineam hãc epistolam. Verè non straminea, sed erat & est ferrea aduersus illos epistola, quibus prædixerat: *Scientes quoniam maius iudicium sumitis*, id est, grauiorem damnationem in vosmetipsos prouocatis: quoniam non solum errant magistri, verum etiam alios in errorem mittunt. Nec solum quia errant, sed quia etiam errare inquirunt. Deus enim huiusmodi ambitiosos odit, & ab eis lumen suum retrahit. Imò verò & spiritũ insuper erroris in eos immittit, vt teneantur à Satana, & ducantur ad eius voluntatem.

Audiant & nostri, qui etsi maneant in ecclesia, attamen nimis ambitiosè appetunt magisterij cathedras. Non enim desunt qui & volunt vocari ab hominibus Rabbi, & sectas colunt & nutriunt. Quicquid verò vel B. Thomas, aut Scotus, aut quis alius, cuius doctrinæ sese addixerint, protulerit, vt verbum scripturæ volunt omnino defendere. Vnde etiam in huiusmodi zelus viget, & contentiones, & simultates, & tacita schismata, quæ maximè perturbant ecclesiam Dei. Ideo huius tam grandis mali authores maius sibi & durius iudicium sumunt.

In multis enim offendimus omnes. Loquitur hic manifestè de his qui in magisterio sunt, quos in multis offendere ait. Quis enim adeò fœlix siue in scriptis, siue in sermonibus, qui non offenderit? Qui hoc negat, indoctus est & proteruus. Quapropter cautè sunt & cum iudicio omnia legenda ecclesiasticorum scripta, etiam eorum qui meritò laudem meruerunt in ecclesia & gloriam. Dixi cautè & cũ iudicio legenda, ab his tamen qui pollent iudicio. Non est enim omnium iudicare. Bene istud nouerat ille Afer & acutissimus doctor B. Augustinus, qui cum sibiipsi non crederet, nec item facilè aliis quantauis doctrina & sanctitate pollentibus credebat, nisi ratione irrefragabili; aut in primis ipsius sacræ scripturæ authoritate freti loquerentur.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Sed quis iste? & laudabimus eum. De B. Ioanne Baptista canimus, Antra illum deserti à teneris annis petiisse, ne leui saltem maculare vitã famine posset. B. Augustinus Tullium taxat, qui in magnam cuiusdam Romani sapientis viri gloriã scripsit, Nullum ab eo emissum verbum, quod reuocari vellet. Nam si in ea sententia erat, vt putaret omnia sapientem illum tam rectè esse loquutum, vt nullum protuleret verbum reuocatione dignum, vehementer errabat. Hoc enim inquit B. Augustinus, eorũ duntaxat est proprium, qui à Spiritu sancto acti locuti sunt. Cæteros autem omnes scriptores, & quosuis sapientes huic infœlicitati esse subiectos, vt sæpe vel scribentes, vel loquentes offendant. Qui igitur magisterium ambiunt & affectant, id profiteri videntur quod nullius est, videlicet se minimè offensuros. Quo fit vt cũ præstare nequeant, tanto magis reos & contemptibiles se constituãt. Auferatur igitur hæc ambitio ab omnibus, sed præcipuè ab iis qui peculiariter de religione gloriantur. *Potens etiam fræno circunducere totum corpus*, quia cum qui non offendit, oportet esse perfectum virum, & potentem fræno circunducere totum corpus. Vocat hîc, *corpus*, omnes animæ potentias, & habitus, & passiones, quæ ordinatè se habent, & quoddam veluti corpus efficiunt in homine. Vir ergo perfectus is est, qui potest eas regere & moderari prudenter ac sapiẽter, vt in nullo à recta rationis via deflectat.

Si autem equis frana in ora mittimus, &c. Manifesta est similitudo. Significat autem hoc corpus animæ aliâs propter varias affectiones distractum iri suapte natura hâc & illâc: & quò duceret illa vel illa affectio. Ob eam causam necessariũ est vt quodam coerceatur fræno. Sic cum equis & mulis, in quibus non est intellectus, agere solemus, quò integrum corpus obediat, & rectà ducatur & incedat. *Ecce naues cum magnæ sint, &c.* Aliam adhibet similitudinem, qua idem ostenditur. Nauis enim cùm vnum quodam modo corpus sit, & extrinsecus agitetur à ventis, modico tamen gubernaculo dirigitur ad voluntatem dirigentis. Nam eò tota nauis tendit, quò per gubernaculum illud inuenitur directa: sed & gubernaculum ipsum gubernatore indiget. *Ita & lingua modicũ quidem membrum.* Talis est lingua in corpore nostro, quæ veluti gubernaculum modicum quidem est membrũ: sed quò illa pergit, illuc totũ corpus secum trahit. *Et magna exaltat*, id est, magna iactat vt potè magniloqua. Eiusmodi esse linguam hæreticorũ clarè perspicimus, contra quos Psalmista ait: Disperdat Deus omnia labia dolosa & linguam magniloquam. Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus: labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Sed exurget Dominus. Psal.11.

Ecce quantus ignis quàm magnam syluam succendit. Sensus est, paruum quidem quantitate ignem posse vastam syluam incendere. Talis fuit Arij lingua, quæ quasi ignis scintilla ab initio, grassari permissa vniuersum orbem accendit. Talis extitit & lingua Manichæi, qui se iactabat apostolum Christi. Talis Donati, & cæterorum incendiariorum. Talem nostra ætas experta est funestam Lutheri linguam & sectarorum, qui multas seduxere prouincias. *Et lingua, ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Inde enim mala omnia, & pessima peccata, blasphemia in Deum, mendacia dolosa in proximum. Detractiones, susurrationes, murmurationes, rixæ, contentiones, conuitia, maledicta, contumeliẹ, calumniæ, periuria: denique mundus quidam & vniuersitas iniquitatis.

Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, &c. Inter organa corporis lingua est, & illa quidem maculat totum corpus: de corpore animæ, vt diximus, intelligit. Sed quo modo maculat ipsa corpus reliquum, cùm ex affectionibus iam maculatis procedat omne vitium linguæ? Respondetur: Cum testis sit ipsa lingua macularũ animæ, & passionum maculatarum, dicitur ob hoc maculare: quia maculas ostentat, & illas insuper auget. Fit enim vt dum quippiam mali foris exprimitur, id quod est intus etiam augeatur, vt semper aliqua ad peccatum fiat accessio. Siquidem habitus ab operationibus crescunt, & faciliores reddunturad operandum iterum & propensiores.

Et inflammat rotam natiuitatis nostræ inflãmata à gehenna. Rota natiuitatis nostræ est cursus vitæ, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi rota gyris circumuoluitur. Appellauit egregiè rotam natiuitatis, vt inde intelligas vanitatem curarum, quas nobis ipsa affert natura, vt omnia mundi huius sint vanitas & afflictio spiritus. Hæc igitur lingua, vnde est expressio affectionum nostrarum, inflammat hunc nostrum vitæ cursum, igne videlicet ambitionis, inuidię, & omnium prauarum concupiscentiarum, ex quibus odia, inimicitiæ, peruersæ doctrinæ & sectæ. Sed ipsa lingua has adiiciens flammas corpori, & vitæ cursui, inflammata ipsa est à gehēna, id est, ab igne gehēnæ. Hic est ignis qui naturaliter consequitur naturam nostram prauam, & incendit assiduè cor nostrum cupiditatibus, ac libidinibus mundi huius.

Omnis enim natura bestiarum, &c. Quod in quibusdam latinis codicibus legitur corruptè, *cæterorum*, Interpretem vertisse, *cetorum*, non debet esse cuiquam dubium. Sunt enim cetа animalia marina. Sensus est clarus: Mirum tamen videtur quomodo dicat nullum hominum non solùm nō domuisse, sed nec domare posse linguam suam. Hanc difficultatem elegātер declarat Diuus Augustinus aiens hominem ipsum, vt homo est, & praua sua natura constitutus, domare linguam suam nō posse. At quod fieri natura non potest, dono gratiæ efficitur. Aliàs non dixisset superius: Qui existimat se religiosum, non refrænans linguam suam, &c. Vbi permittit domari posse, imò domandam esse iubet. Nec stultè dicamus præcipere illum impossibilia. Est igitur lingua, *malum inquietum*, ex se ipsa, aut incoercibile, vt græca vox sonat, *plena veneno mortifero*, quo occidit homo proximum suum. Legitur enim: Venenum aspidum sub labiis eorum: & lingua eorum gladius acutus & os amaritudine plenum. *Psal.13.*

In ipsa benedicimus Deum & Patrē, &c. Digna hæc prorsus sunt quę sedulò animaduertantur: vt qui se conscium persentit, protinus resipiscat, & emēdet cor suum. Etenim Frater Domini rem summè peruersam proponit, videlicet quosdam esse qui religiosi sibi ac pij videntur, cum benedicant Deum & Patrem, vtpote habentes in ore psalmos, & cāntica, & diuinas laudes: sed alia parte maledicūt homines, qui ad imaginem & similitudinam Dei facti sunt. Quomodo autem id constare potest, vt ex eodē ore procedat benedictio & maledictio? Dicet fortassis aliquis: Quid obstat quominus id queat fieri? Siquidem nos eodem ore benedicimus amicis, & inimicis maledicimus. Benedicimus homini, & maledicimus Diabolo. Verùm audiat quisquis is est: Qui maledicit hominem qui ad imaginem Dei factus est, etiam ipsum factorem maledicit. Non potest artificis opus quisquam vituperare, quin simul artificem ipsum vituperet.

Sed iterum dicet quis: Non vitupero ego hominem quatenus homo, & opus Dei est: sed quatenus detrimentum mihi & iniuriam intulit, & qua parte improbus est. Bene, si solum hominis vitium oderis, quod ex Deo non est. At hic erratur quàm sæpissimè, quum tibi videris non hominem odio habere, sed vitium. Tu tamen indignatione & ira accenderis in hominem, & non potius misericordia prouocaris. Si enim re vera odisses vitia, non hominē: vtique misereri hominis vitiosi studeres, & adhiberes quæcunque remedia posses, fraternā correctionem, dulcem adhortationem, & quoduis auxilium opportunum. Ad preces item & lacrymas, & quæ huiusmodi sunt recurreres, quæ ad fratrem tuum lucrandum esse omnino procuranda, ipse Dominus te docuit exemplo & verbo.

Iccirco non est, mi frater, cur ibiipsi ea spe blandiaris quòd psalmos cātes, & oppleas os hymnis, & alleluia: si alia ex parte de Prælato submurmuras, quem indiscretum, quem negligentem, quem personarum acceptorem iudicas. De fratre præterea detrahis, & susurras, & maledicis, & calumniaris, & occulta detegis: & quæ recta sanari poterāt, prodendo exulceras grauius. Hoc certè nō est benedicere & laudare Deum, sed potius illū in opere suo vituperare. Omnes enim sumus opus Dei & Christi, creati ab illo, & recreati & redempti tam pretioso immaculatissimi Agni sanguine. Quem mihi dabis qui ista cogitet, vt deberet vnusquisq; verè cogitare, id est, vt opere compleat? Domine Iesu infunde mihi & cunctis optantibus & petentibus, hūc bonum Spiritum, vt audiamus Fratrem tuum, qui vt à te instructus, sic & nos instruēs, ait:

Non oportet fratres mei, hæc ita fieri: Quoniā si nos ita gereremus, non esset istud benedicere Patrem. *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest, fratres mei, ficus vnas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa, dulcem potest facere aquam.* Hæc exempla sunt posita vt discas, mi bone frater, quum tibi videris benedicere Deum, re vera non benedicis, vt te oporteret benedicere, videlicet ex charitatis fonte, à quo simul & maledictio & benedictio nō potest procedere. Patet autem tum procedere inde maledictionē Dei, quando eius operi maledicis, quod ad eius imaginem factum est, & super quod nomen Domini est inuocatum. Si enim inde procedit maledictio, sequitur fontem ipsum habere amaritudinis originem. Itaque non est possibile simul cum amara dulcem trahere aquam. Ad eundem modum nec ficus potest vuas producere: nec vitis ficus. Aut potius dicamus, vt habet græca lectio: Nec ficus oleas, quæ amaritudinem aliquem habet: ficus autem dulces sunt. Sic ex quo foramine pducitur aqua salsa, nō potest ex eodem dulcis manare. O quotus eorum qui falluntur numerus, qui dum habeant cor plenum amore mundi, putant quibusdam suis preculis, quas assiduè submurmurant, placere Deo, & peccata sua sub hac hypocrisi coram illo tegi. Sed in hos competit illud: Hic populus labiis quidem me honorare videtur: cor autem eorum longe est à me. *Nota.* *Isa.29.*

Quis sapiēs & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quòd si zelum amarum habetis, & contētiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapiētia de sursum descēdens à Patre luminum: sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est: deinde pacifica, modesta suadibilis, bonis consentiēs, plena misericordia, & fructibus bonis. Fructus autem iustitię in pace seminatur, facientibus pacem.

Quis sapiens & disciplinatus inter vos, &c. Magna est illius hominis virtus qui in humana conuersatione non offendit, cui rei præstandæ exigitur in primis mansuetudo. Ad se ergo vocat hominē qui sibi sapiens videatur & sciens, & huic ait: Non est vera scientia & sapientia tua, nisi illa bene vtaris conuersando. Homo enim tunc verè scit & est sapiens, cùm fratrem in sua infirmitate constitutum patienter tolerat, consentiens illi quatenus licet, salua fide & charitatis præcepto, vt sic omnibus omnia fiat, quo omnes, ad imitationem illius magni Apostoli, lucrifaciat. 1.Cor.9.

Quòd si Zelum amarum habetis, & contentiones, &c. Aemulationes, & ambitiones, & indignationes, potissimum taxat quæ sunt in Clero. Excitantur nanque acres contentiones, quarum occasione animantur mundi homines iam ex se parum erga ecclesiasticos affecti, ad oppugnandas catholicas veritates. Vnde enim Arius factus est satan, nisi quia ad Episcopatum quem ambiebat, non est asciscitus? Sic habes in historus de aliis multis antiquis. Sed diabolus nostris temporibus id tanto impetu procurauit, vt iam minimè sit necesse nobis antiqua repetere exempla: ad ostentādum recentibus abundamus. Hoc enim morbo fertur lapsus Lutherus: eodem Erasmus: sic Bucerus: & ille noster infœlix Ochinus. Vnde, quæso, nisi (vt ferè nouit omnis populus) ab ambitione? quia mansuetudo sapiētiæ præsto illis non fuit. Noui ego etiam plures, sed leuioris armaturæ Lutheranunculos, & ignobiles milites, qui dum in Dei ecclesia locū obtinere non valerent, subitò apostatas sese ac desertores constituerunt: & gloriantur in mendacio & cōtra veritatem, quam paulò antè nobiscum tenebant. Hic certè Fratris Domini sermo mirificè Lutherum, & eiusdem farinæ fermento compactos homines suis coloribus nobis depingit, qualis sit eorum sapientia ponens in conspicuo, dum ait:

Non est enim ista sapientia desursum descendens à Patre luminum. Pater luminum, Deus est pacis, & non seditionis & contentionis. Ideo est terrena, animalis, diabolica: quia ex mundo est & vitio mundi, id est, concupiscentia carnis: & ex superbia vitæ, quæ à diabolo est. *Vbi est enim Zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Quid inconstantius istis miseris? Lutherus modo pro plebe & rusticis contra principes: tum econuerso pro principibus contra rusticos & plebeios: modo de Romana ecclesia & eius authoritate doctè & verè: modo esse Antichristi sedem dogmatizauit. Item de lege & præceptis quàm variè? Tum de purgatorio, & aliis multis articulis, modo vnum, modo aliud, vnde verè babylonicam captiuitatem coegerit, & linguarum confusionem. O Germaniæ principes. Nonne ego ab initio vociferatus sum? Nōne admonui? Et nunquid ob peccata nostra ruendum vobis erat in præcipitium & foueam errorum cum semine illo nequam? Sequitur enim ad has impias hæreses omne opus prauum, spoliatio ecclesiarum, impudicitiæ sacrilegæ, vastationes regnorum, diuini cultus extinctio: denique homines sine Deo, quos Dei spiritus deseruit, & tradidit immundis spiritibus modo seducendos, paulò pòst inæternum pro iustis meritis cruciandos.

Nunc eregione videamus, quænam sit sapientia quæ desursum est. Primùm quidem inquit, *Pudica:* Audite sacrilegi & libidinosi, qui accessistis ad filias hominū cum filij Dei essetis, & violastis sponsas Christi. Putatis hoc, ô filij adulteri, tantum scelus latere Christū, cùm non solùm oculos plenos habeatis adulterio, verùm & manus? O stulti & amentes prorsus homines, qui hæc ante oculos videntes, vos nihilominus sectantur. O cœcitatem. *Deinde pacifica.* Sed dicet quis: Quomodo ergo Rex pacis Christus dixit: Non veni mittere pacem in terram, sed gladium? Respondemus duplicem esse concordiam, & ad malum & ad bonum. Et ita duplex est pax. Illam quæ ad malū tendit, odit Deus: & aduersus illam strictum gladium venit, vt meliorem induceret pacem. Venit ille tempore Cæsaris Augusti, quando cuncta erant in pace: & verū erat quod post verbis expressit: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Illa pace tunc fruebatur mundus in maligno positus, quę Deo non placebat. Nam fortis armatus diabolus vbique regnabat: & ferè nullus erat Dei cultus. Itaque non placuit Deo huiusmodi pax: iccirco misit Christum ad illam destruēdam. Hoc autem fieri non poterat, nisi medio gladio, quod fuit verbum Dei, id est, apostolica prædicatio. Cum igitur aduersus hanc falsi isti noui prophetæ doceant & prædicent, & vniuersum orbem propterea misceant & conturbent, hoc non à sapientia Spiritus faciunt, sed à sapientia satanæ, tanquam conturbatores veræ pacis. Scimus quidem ipsos vt veros hypocritas, quasi imitatores Christi, illud sibi vsurpare vt dicant se nolle mittere pacem in terram, sed gladium. Verum oportebat eos ostendere, quomodo veram pacem diligerent. Serere enim falsa & peruersa dogmata, non erat eorum qui verè diligunt Christi pacem. Nec quia de abusibus conqueruntur, quos (nisi fuerimus imputantes) negare non possumus, iccirco ad illos arrinebat inquirere, qui sunt merè abusus quāti quanti sunt: & iam remedium datum erat eis in promptu à doctrina Christi: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere. *Matt.10.* *Luc.11.* *Matt.23.*

Modesta est. Lege horum magistrorum blasphemias, & Lutheri maledicta in sactos viros, & Christi martyres, & ibi nullo negotio cernes qua modestia præditus fuerit. Et cum hæc tam latè pateāt, adhuc ne possunt dubitare stulti de eius spiritu vnde sit, & quo tendat? *Suadibilis*, id est, facilis vt velit audire veritatem. Amator enim veritatis facile ac libenter illam audit & amplectitur. Isti verò vt surdæ aspides ad vocem incantantium sapienter obturant aures, ne verbum salutis admittant. Iam enim sua proterua fecerunt sibiipsis præiudicium. *Plena misericordia, & fructibus bonis.* Qui autem minus misericordes quam isti, qui innumerabiles animas secum trahūt ad inferos? Qui verò sibi non parcit, quomodo aliis parcet? *Iudicans sine simulatione.* Sapientis & spiritualis hominis est rectè iudicare, & absque simulatione. Bonum enim pronūtiat esse bonum, & malum pronūtiat esse malum, nulli

Universidad de Deusto
Biblioteca

adulans, nulli blandiens. Domine Iesu obsecro sta tuè hoc firmum in corde meo. Græca tamen lectio habet, *Nihil diiudicans, nihil simulans*, Quæ lectio inconstantiam remouet, & hypocrisim à vera sapientia.

Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. Verbum Dei est semen quod seminatur, vnde emanant fructus Spiritus. Illud autem semen seminatur in pace: quia satores iustitiæ volunt pacem his qui audiunt. Imò euangelium pacis prædicant: & in his verè coalescit qui pacem diligunt, & illam faciunt, ipsum verbum semen pacis recipientes in semetipsis. An non verâ assignaui rationem cur hæc epistola non placet hæreticis? nimirũ quæ illos nobis quasi in speculo mundo repræsentat.

Nota.

CAP. IIII.

VNDE bella & lites in vobis? Nonne ex cõcupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis. Occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci. Litigatis, & belligeratis, & non habetis: propterea quòd non postulatis. Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis, vt in cõcupiscentiis vestris insumatis.

Vnde bella & lites in vobis, &c. B. Iacobus Apostolus volens radicem malorum indicare, vt securi amputaretur: originem bellorum ac litium omnium, quibus illi ad quos scribebat tenebãtur, à suis ipsorum cõcupiscentiis asserit proficisci, quæ militant in membris nostris, id est, in organis externis quæ mouentur ad explendas cupiditates illas, seu voluptates atque libidines. *Concupiscitis, & non habetis*, siue quia quod concupiscitis non obtinetis: siue quia etiam si obtineatis, non implet vos, vt dici etiam possitis non habere. *Occiditis & Zelatis*, Aliqui Græci codices habent, *Inuidetis & Zelatis*. Si legimus, *Occiditis*, de occisione quæ animo fiat intelligendum est sicut scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est. Ex eo igitur quòd nõ implet homo prauus, qui odio habet proximum, suam malam voluntatem in eum, rumpitur zelans ob inuidiã: quoniã non potest assequi id quod ille.

1. Ioan. 3.

Litigatis & belligeratis. Ad quid autem hoc nisi vt habeatis? Et tamen non habetis: quia etiam nec vlla lite, nec ipsa victoria contenti estis. Hoc verò quamobrẽ, nisi quia non postulatis? Quid est non postulatis? Nisi quietem vestram & commoda vestra vultis vestra opera inquirere & adipisci, quæ postulanda erant à Deo, *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Non est mirum siquis à Deo petens non accipiat: quoniam vt quis accipiat, oportet vt non malè petat. Malè autem petit, qui malum finem respicit. Vnde ait: *Vt in concupiscentiis vestris insumatis.* At Deus fomentum non vult præbere libidini, & vitiosorum hominum alendæ turpitudini.

Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad inuidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiã. Subditi ergo estote Deo. Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. Appropiate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores: & purificate corda duplices animo. Miseri estote & lugete, & plorate. Risus vester in luctum conuertatur, & gaudiũ in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.

Adulteri, nescitis, quia amicitia, &c. Vocat adulteros tam mares quàm fœminas, eos qui relicto Christo Sponso & eius paupertate, hærent huic mundo, tanquam adulter amicæ quam deperit. An nescitis (ait) amicitiam huius mundi esse Dei inimicam? Vnde rectè sequitur, illum qui vult esse amicus mundi, inimicum Dei cõstitui. *An putatis quòd inaniter scriptura dicat: Ad inuidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis?* Sensus est, quòd amor Dei erga nos est tanquam amor zelotypi. Sic enim sæpè vocant Deũ scripturæ. Imò Spiritus verè Deus, aiens: Ego sum Deus zelotes, id est, more alicuius sponsi qui metuit sibi à sponsa, ne se abiecto alium recipiat & amplexetur adulterum. Hæc autem spõsi concupiscentia quæ est ad inuidiam, id est, ad æmulationem & zelum, hoc primum operatur in eo, vt si deprehendat sponsam suæ fidei violatricẽ, indignetur incredibili modo, & similiter auertat se ab illa, & in aliam totum suum conuertat amorem, & cuncta dona: vt illa hanc commutationem factam videns, miris modis excrucietur, ac frustra pœniteat facti. Hoc est quod ait:

Exod. 20.

Maiorem autem dat gratiam, videlicet alteri sponsæ, vt id perspiciens quæ fœdifraga fuit, immenso dolore perpetuò crucietur ac dirumpatur. Nõ frustra ergo, nec ab re talis nobis Spiritus Dei describitur tanquam zelo correptus, atque in illas animas succensus, in quibus prius habitauit, & inde expulsus est. Ideo rectè legimus, *Qui habitauit in vobis.* Supponit enim Deum fuisse de habitatione sua expulsum, & ob hoc irritatum zelo. Et cum istud non possit esse absque superbia illius animæ, quæ prior superbè contempsit Deum habitatorem & sponsum, ait:

Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Locus in prouerb. 3. cap. vbi habetur: Ipse deludet illusores: & mãsuetis dabit gratiam. Qui sunt autem illusores, nisi qui promissã fregerunt? Hoc autem qua radice oritur, nisi à contemptu Dei & superbia? Et quid est dicere, illud et, nisi pari modo erit ipse superbus & contẽptor, & tunc apparebit quis erit victor? Bene enim de illo scriptum est: Cum sancto, sanctus eris: & cum viro innocente, innocens eris: & cum peruerso, peruertẽris. Hoc idem est quod resistere superbis & peruersis iustissima peruersione ac superbia. *Subditi ergo estote Deo*: Quoniam videlicet nolentibus subici, & resistentibus ipse resistit. Cùm igitur non sit resistendum Deo, consequens est vt

Psal. 17.

resistamus diabolo. Et ne quis dicat, quomodo possumus diabolo resistere? Effectum resistentiæ subdit, dicens, *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*: Resistimus autem dum minimè astutiis eius cõsentimus, & subiiciendo nos Deo. Dæmonũ quidem est mala suggerere, nostrum autem est non consentire. Quoties eis resistimus (teste deuoto abbate Bernardo) toties eos superamus. Angelos lętificamus, Deum honoramus, qui visitat vt pugnemus, adiuuat vt vincamus, consolidat ne deficiamus. In primis conflictibus grauis & propemodum videtur hostis insuperabilis. Sed siquis fortiter primum impetum sustinuerit, in secundo inueniet eum inferiorem. Quantò enim plus percussus fuerit superbus ille antiquus hostis, magis elanguescit ac deficit. Resistendum igitur est forti animo, & concepta firma de Dei auxilio fiducia, qui neminem permittit supra vires tentari. Vult enim Malignus semper nobis nocere, sed nõ potest: quia potestas ista est sub potestate. Alioqui si tantum, quantum expetit, nocere posset, nullus, vt ait B. Augustinus, iustorum remaneret. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Homo appropinquat Deo per fidẽ viuam. Verùm nisi ipse vocet, & adiuuet porrigẽs manũ, quis poterit appropinquare? Ipse ergo stat ad ostium & pulsat: nisi descendas & aperias, non appropinquabit tibi. Quòd si aperueris, ipse intrat & cœnat tecum. O beati illi & plusquam fœlices qui appropinquant. *Emundate manus peccatores*, Emundare manus, est maculas abstergere, & sordes operum malorum, quæ externis actibus consummauimus. Hæc emundatio fit per pœnitentiam & satisfactionem.

Apoc. 3.

Et purificate corda duplices animo, hoc est, qui Deo & mammonæ simul seruire præsumitis, & geminas occupare sellas in via, vnde animus fit impurus. Purificate ergo, inquit, corda vestra abiiciendo amorem mundanorum, qui cõspurcat animã. Modum autem quo hæc fiant demonstrat, dicens, *Miseri estote*, hoc est, inducite in animum, oportere eos qui piè viuere volunt in Christo in hoc mundo, sustinere afflictiones & miserias: & iccirco debetis inclinare animum ad patiendum, & tolerandam vestram crucem vsque in finem, & sic esse miseros: quia per hoc efficimini beati. Et verè magnã habemus & promptam (si considerare vellemus) deplorandæ nostræ miseriæ materiam, quam tamẽ nobis Deus in nouo statu ad occasionem meriti conuertit. Quid enim est homo natus de muliere, breui viuens tempore? In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturi moriante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo lacetamus. Mirum quòd ipsi non laceramus. Primam vocem ploratus edimus. Meritò quidem, vtpote vallem plorationis ingressi, vt nobis illud S. Iob ex omni parte possit aptari: Multis repletur miseriis, multis & multiplicibus, inquam, miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis dum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quocunque se vertit. *Et lugete, & plorate*, Tanquam sponsæ illæ viduæ quæ suum ab oculis suis viderunt sibi sublatum sponsum. Veræ quippe viduæ nihil agunt, nihil curant, nihil somniant, nisi quo tandem modo queant iterum videre spõsum, & in thalamum intrare cum illo. Abstinent interim à cibo, vestes induunt lugubres; & assiduè plorant expectando dolenter ac dicendo, Quando veniet? Quando videbo eum? Animam meam, vitam meam, &c. Alibi latius Christianum luctum & ploratum declarauimus.

Ex D. Bernardo.

Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Hic est Christianus status, vt à risu fletus, à fletu risus comparetur. Et similiter à gaudio mœror, & à mœrore gaudium, iuxta Christi legẽ & verbo traditam, & in seipso completam, vt quilibet eam possit legere in Crucifixo. Itaque suos hortatur Frater Domini, vt apprehendant conditionem luctus & mœroris, repudiato & abiecto risu & gaudio, vt in risum & gaudium sempiternum perueniant. Sic fecit Christus, qui ob propositum sibi gaudiũ sustinuit crucem, vt ait B. Paulus ad Hebræos. *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos* Dominus enim ipse hanc legem posuit, quã & suo facto sacrauit, humiliãs semetipsum, & factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autẽ crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestiũ, terrestriũ & infernorum, Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Si hoc fecit ille tantus Filius, & propter nos: quid nos vermiculi debemus facere? Etsi ergo sumus filij Dei, ac per hoc in magnã euecti dignitatem, debemus tamẽ quo perfectũ ius adoptionis, hoc est, hæreditatem filiorum assequamur, debemus inquam, cum filiis Dei & in Domino gloriari, si tãquam peripsema ab hominibus in hoc mundo habeamur, vt cum venerit dies segregationis, audiamus dici ab improbis ad laudem nostram: Ecce hi sunt quos aliquãdo habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Itaque concludamus & consolemur nos in verbo Domini: Qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Superbia enim & animi elatio paradisi nobis ianuã clausit. Humilitas autem claues fabricata est, quibus nobis iterum pateat aditus, si humiles esse in veritate studuerimus. Discite à me (inquit sapientissimus Magister) quia mitis sum & humilis corde. Et sanctissima illius mater virgo perpetua Maria, cum esset omnium virtutũ hortus, & sacrarium Spiritus sancti, solius tamen meminit humilitatis exultans in Spiritu, & Deum in suis donis glorificans. Quia respexit (ait) humilitatem ancillæ suæ: ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quicquid superbia perdidit, humilitas sancta recuperauit. Et verè omnium virtutum est custos potentissima humilitas. Nã Deus humilia semper respicit, & alta à longè cognoscit. Vbi vera humilitas, nulla regnat detractio. Quapropter post datum salubertimũ hoc præceptum rectè subdidit:

Hebr. 15.

Philipp. 2.

Sap. 5.

Luc. 18.

Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Vnus est enim Le-

Universidad de Deusto Biblioteca

gislator & Iudex qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatē, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur, pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit: & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Nunc autem exultastis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis maligna est. Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

Nolite detrahere alterutrū, &c. Hîc inuehitur contra vitium detractionis, quod est violare famā absentis per obiectionem criminis, aut extenuationem virtutis. Hoc peccatum grauissimum est, à superbiæ & inuidiæ fonte manās, quæ sunt maxima crimina. Seuerè à scripturis passim vituperatum esse huiusmodi detractionis liuorem legimus: & tamen eousque frequens est in hominibus, etiam in his qui videntur pij ac religiosi, vt vix sit vllum peccatum crebrius repetitum. Sed operiunt illud sæpe quibusdam prætextibus. Huiusmodi genus hominum optimè nouerat formandorum morum pater egregius D. Bernardus, qui aiebat: Detractores autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. *Bern. super cant. ser. 24.* Videas à detractore alta præmitti suspiria: sicque cum quadam grauitate & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quāto creditur ab his, qui audiunt, corde non inuido, sed magis condolēti affectu quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quòd diligo eum satis, & nunquā potui de hac re corrigere eum: & aliâs mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud, sed per me nūquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta res est, veritatē negare non possum, re vera ita est. Nūquid non vipera est lingua detractoris ferocissima? planè nimirum, quæ tam lethaliter inficiat flatu vno. Nunquid non lancea est lingua ista? Profectò acutissima. hæc ille.

Aut qui iudicat fratrē suum, &c. Admiscet etiam aliud crimen coniunctum detractioni, quod est iudicare fratrem. Non autem de quacunque detractione, & quocunque iudicio loqui videtur, sed de ea detractione qua includitur detractio, & iudiciū aduersus dictum legis. Verbi gratia: Qui iudicat hominem, quem viderit spreuisse mundum, adiisse heremum, aut monasterium: & illum propterea stultitiæ insimulat, aut vitio cerebri laborasse, qui hanc status mutationem elegerit. Sic enim dicere solent & mundus, & qui secundū carnem sapiunt. Siquis item facultates suas distribuat in cibos pauperum: aut aliud quoduis tandem egregiū & Christianum opus aggrediatur, quod mundo appareat insania. Qui, inquā, fratrem ob ista facta spernit, eique detrahit, sicuti plerunque (vt diximus) solet fieri, certè hic non iam humanum crimen committit, sed satanicum. Manifestè enim detrahit legi, & iudicat legem, in eandem blasphemus. Hic verus est B. Iacobi sensus, qui cum superioribus appositè admodum cohęret & declaratur. Postquam enim suasit luctum & ploratum, & humiliationem crucis, quæ omnia apud homines animales sunt stultitia, & ita iudicantur, vt per hoc detrahatur hominibus simul ac legi, ideo dixit: *Nolite detrahere, &c.* id est, nolite superbè & arroganter dicere malum quod lex commendat vt bonum: & ecōuerso, bonum illud æstimare quod lex vituperat tanquam malum. Rectè ergo dicit:

Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem, id est, damnat legem, & facit se lege ipsa & Legislatore superiorem. Et ita iam non est factor ipsius legis, sed Iudex potius: quod est proprium satanæ.

Vnus enim est legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare, &c. Hic est Christus Iesus Deus & Dominus noster ac Redemptor. Et tamen audet fax illa orbis terrarum Lutherus negare Christum esse legislatorem: quod nō minus habet insaniæ, quàm falsitatis.

Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? Verè cùm simus omnes fratres, non est iurisdictio penes quemlibet iudicandi fratrem suum. Loquitur autem non de iudiciis sæcularibus, quæ à terrena potestate, quam probat Deus, veniunt: sed de iudiciis priuatorum priuatis, quæ pertinent ad ea quæ sunt diuinæ legis, non in præsenti tempore discutienda, sed quando cuncta erunt manifesta. Tunc enim poterimus liberè iudicare probationis iudicio & comparationis. Sic Sancti iudicabunt nationes, vt testatur scriptura, & dominabūtur populis. *Sap. 3.*

Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, &c. Vult arrogantiam nostram patefacere Apostolus, & magnam inconsiderationem, qui cum ante pedes habeamus mortem, nescientes horam assiduè & omni momento imminentem, nihil tamen minus consideremus. Quapropter absque vlla mortis cogitatione, & citra vllum pactum cum Deo, quasi securi dicimus, *Hodie, aut crastino, &c.* Et hoc, inquam, absq; conditione proferimus, quæ tamen semper adhiberi deberet, puta, si dabit Deus: si viuere sua bonitate nos permiserit, &c. Nec dicat hîc mihi Iurisconsultus aliquis ex sua regula, cùm hę conditiones tacitè subintelliguntur, easdē frustra exprimi. Aiunt enim: Expressio eorum quæ tacitè insunt, nihil operatur. *Regula iuris.* At longè aliter sese res habet in proposito. Multum quippe expressa conditio operatur: quia cogitare de morte imminente multarum inanium operationum turba & anxietate nos liberat ob metū mox venturi iudicij. Abiicit auaritiam, & omnem concupiscentiam oculorum. Non inhiat lucris malis: conuertitur ad thesaurizationem æternorum, & cum B. Iacobo Apostolo consentit, & ad se reuersus ait: Quæ est vita mea? Nonne vapor est ad modicum parens? Et clamat cum vero Ecclesiaste toto corde: O vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Eccl. 1.* Et cum eodem iam conuersus, conuertit se ad diuites huius mundi, qui posuerunt spem in his bonis, & illos increpans, ait:

Nunc autem exultatis (siue gloriamini) *in superbiis*

vestris. Omnis enim diues, id est, in diuitiis fidens, superbus est. *Omnis exultatio talis,* siue gloriatio, *maligna est:* Et verè maligna: quia coniuncta perfidiæ. Et verè maligna: quia est radix superbiæ, & contemptus proximorum. Inde enim exoriuntur contumeliæ, conuitia, & omnis maledicentia, & supergressio in proximum suum, nihili facientes dictum Domini: *Matt. 5.* Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehēnæ ignis. Nihili faciūt autem, quia non nouerunt neque seipsos, neque Deum omnium creatorem & redemptorem: neque vtuntur vera regula ad metiendum se, & comparandum aliis semetipsos. Vera enim regula non est abundantia terrenorum, sed cœlestium virtutum. Concludit tandem: *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Christianos alloquebatur, qui hæc sciebant, aut saltem scire debebant. Nam pro scientibus eos habet scriptura, qui culpa sua nesciant, quę scire tamen debebant.

CAP. V.

AGITE nunc diuites: plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurū & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit. Epulati estis super terram: & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.

Agite nunc diuites, plorate vlulantes, &c. Inuehitur Frater Domini apostolico spiritu aduersus diuites, & vt iustus consentit cum sententia Domini iniurias vindicantis. *Psal. 57.* Scriptum est enim: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Tanquam illam præuidens: Agite nunc (inquit) quia iudicium super vos iam video præsens. Cū enim vita vestra nihil fuerit quàm risus, meritò ploratus succedit risui. Plorate, inquā, & vlulate in miseriis vestris sempiternis, quibus nihil misereor. Non enim est locus misericordiæ, vbi dies aduenit iusti iudicij. *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt,* quæ iam nihil prorsus vobis proderunt. Tempore iudicij omnia velut à tinea & ærugine comesa, consumpta erunt. Quamobrem ipsa argenti vestri ærugo testificabitur contra vos, quibus dictum fuerat à summo veritatis Magistro: *Matt. 6.* Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, &c. Et noluistis consilium salutiferum audire. Meritò igitur ipsa vobis prophetata ærugo testimonium afferet veritati contra vos: & iustificata est sapientia Dei ab illa. *Et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Indè enim cruciatus erit in anima & corpore vestro nudo & afflicto. *Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus,* hoc est, in sempiternū: quoniam nouissimi dies erunt absque fine. *Ecce merces operariorum qui messuerunt, &c.* Hîc diuitum peccata commemorat, inter quæ illud est frequēs, defraudare operarios mercede sua: quæ defraudatio est clamor ad Deum qui audit, & indignatur, & parat vindictam. Hac de re frequenter admonet scriptura antiqua, ne defraudentur mercenarij suo labore ac sudore, & ne merces eorum procrastinetur. Nam ipse Dominus respicit pauperes, qui & ipse fuit pauper, & vindicat illos terribiliter. *Epulati estis super terram.* Vide quomodo illos alloquitur tanquam sustinentes iudicium. Vbi & aliud peccatum diuitum commemorat, quod est epulari siue deliciari, & lasciuire, & omnem diem habere festiuum in comessationibus & impudicitiis. *In die occisionis addixistis, & occidistis iustum.* Hic locus factus est paulò obscurior (meo iudicio) quia omissa est vna dictio quæ est in Græcis. Cōiungitur enim cum superiori hoc dicto, *In die occisionis,* & debet sic intelligi: Epulati estis super terram, & lasciuistis in deliciis, & enutristis corda vestra, sicut in die occisionis addixistis, seu condemnastis, & occidistis iustum. De Christo loquitur, quem in die Paschæ cōdemnarunt, & occiderunt iustum: & ipsi festiuum diem egerunt & sæcularem. Ad eum modum faciunt & nunc, & hactenus semper fecerunt diuites & tyranni, qui dum Christum in suis seruis persequuntur, ipsi interim tripudiant. Talis fuit Herodes, quando iussit amputari caput sancti Ioānis Baptistæ. Ipse autem Iustus noster Christus non recessit. *Isa. 53.* Oblatus enim est quia voluit.

Patientes igitur estote, fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patiēter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos & confirmate corda vestra: quoniam aduentus Domini appropinquabit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, vt nō iudicemini. Ecce iudex ante ianuam assistit. Exēplum accipite, fratres, exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ, prophetas qui loquuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis: & finem Domini vidistis. Quoniam misericors Dominus est, & miserator. Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, Est, Est: Non, Non: vt non sub iudicio decidatis.

Patientes igitur estote, fratres, &c. Bene hortatur vt ad exemplum iusti, id est, Christi, sint patientes & longanimes, qui quum malediceretur, non maledicebat: *1. Pet. 2.* quum pateretur, non comminabatur: tradidit autem iudicanti se iniustè. Hæc est regia via ad Christum: ideo dicitur: *Vsque ad aduentum Domini.* Parua enim est mora: nam citò veniet, & nō tardabit, *Ecce agricola, &c.* clarus est sensus: Si hoc fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciunt homines pro terreno & paruo lucro, quid facere nos debemus pro immenso & æterno? Iccircò denuo exhortatur: *Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra*, nempe fide, & spe, & charitatis operibus. *Quoniam aduentus Domini appropinquauit.* Iam enim est in foribus. *Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum*, aut aduersus inuicem, id est (vt mihi videtur) nolite gemitum vestrum reiicere in alios. Sunt enim qui ex eo quòd tribulantur, etiam tribulant alios. Et quæ damna à potentioribus patiuntur, eadem in alios referunt: vnde iudicium sumunt. Nec excusantur quantunuis ipsi iniustè afflicti sint. O quot exemplis posset hoc præceptum illustrari, contra quod multi committunt. *Ecce iudex ante iannuam astitit.* Heu nimis verũ est: sed perpauci sunt qui seriò, vt oporteret, considerent. Imminet assiduè mors omnibus parata, & plurimis tamen est improuisa. *Exemplum accipite fratres, &c.* Ecce scripturam Iob vt canonicam accipit. Summa doctrinæ est, vt simus sapientes: quod tunc erit, si finem respexerimus, quem pro regula actionum nostrarum propositum semper ante oculos habeamus. Nota est historia B. Iob, qui cum tanta passus fuerit, recepit bona duplo auctiora quàm quæ habebat prius: quoniam valde misericors est Dominus animo, & miserator facto.

Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, & cæt. Hic prohibet iusiurandum, non vt quidam decepti existimant, quasi non liceat interdum iurare: sed vt remoueatur facilis assuetudo iurandi. Præterea, ne quis existimet non esse iuramentum per cœlum iurare & terram: quasi liceat per creaturas iurare, & fallere absque periurio. Postquam enim venit Christus, & sanguine suo purgauit mũdum, sacrata sunt omnia. *Sit autem sermo vester, Est, Est, & cæt.* id est, vt quod est in re secundum affirmationẽ, simpliciter dicatur, *Est*: quod verò secundum negationem, dicatur, *Non est*. Præceptum est ab ipso-
Matt. 5. met Domino in euangelio expressum. *Vt non sub iudicio decidatis.* Græcè in hypocrisin, id est, simulationem. Simulatores enim fallaces sunt & mendaces. Mendax autem omnis hypocrita: quia contra id quod in corde tenet, enunciat: alius intus, alius foris. At istud omnino est contra naturam: quoniam lingua data est ad exprimendos cordis conceptus ea veritate, qua intus probantur.

Tristatur autem aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Cõfitemini ergo alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit vt nõ plueret super terrã, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructũ suum. Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Tristatur autem aliquis vestrum, &c. Videbat B. Iacobus Apostolus inter cætera mala quæ abstrahũt à continuatione boni operis, esse tristitiam: ideo remedium ad eam auferẽdam proponit, nimirum orationem. Verè nihil est omnino quod lætiorem reddat & alacriorem animum, quàm oratio. Illud tamen hic obstat quod ait: *Æquo animo*. Quomodo enim qui in tristitia est constitutus, æquo animo orare poterit, aut psallere? Animaduertat igitur prudens lector, re vera vitiatam esse literam, & male hoc in loco punctis distinctam. Sic enim debet ordinari: *Tristatur quis in vobis? oret.* Et hic sit pũctus. Tum sequitur: *Æquo animo est quis? psallat*: vt sic oratione tristitia pellatur: æquanimitas autem cantu & psalmis, id est, laudibus & gratiarum actionibus, ne in gaudium sæculare effluat, moderetur & iustificetur.

Dominus Iesus in agonia tristis factus vsque ad mortem orabat, & pernoctabat in oratione: & iussit vt discipuli orarent, ne absorberẽtur tristitia, & tentationibus desperantes succumberent. Hoc est remedium tristitiæ, obuiam prodire, & fugare illam oratione, per quam lætitia spiritualis accersitur, & consolationes internæ, quas ij norunt qui expetiuntur. Itaque dum quis lætus est, psallat & gratias agat, & laudes referat Deo, omne bonum illi ascribens semper.

Infirmatur quis in vobis, &c. Ex hoc loco collegerunt Sancti Doctores, & rectè, sacramentum extremæ vnctionis, quod vniuersa semper probauit Ecclesia. Et non solùm esse hoc sacramentum, verùm etiam hoc in loco ab ipso fratre Domini commemorari, sicut planè testatur Innocẽtius tertius, cap. 1. De sacra vnctione. Et Innocentius primus multò antea id expresserat in suo decreto. Quia & preces ecclesiarum solennes, quæ in ritu huius sacramenti premittũtur, hoc clarè probant. Ita enim oratur: Deus qui per Apostolum tuum Iacobũ loquutus es dicens: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngẽtes eũ oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittẽtur ei, &c. Non afferam innumeras omnium veterum doctorũ pro hac veritate sentẽtias. Qui enim non credit vniuersali ecclesiæ, & cõciliis, cui credet? Quòd si nulla esset alia mentio huius sacramenti in euangelio, satis est verè Catholicis præsens B. Iacobi testimoniũ promulgantis illud tãquam Apostolus Christi, non autem instituentis. Neque enim est cuiusquam Apostoli vllum instituere sacramentum, sed Christi solius, ex quo & per quem gratia ipsa sacramẽtorum venit. Sunt tamen qui volunt hoc sacramentum apud B. Marcum cõmemorari, vbi legimꝰ discipulos cùm illos Dominus misisset ad prædicãdum, vnxisse infirmos oleo, & per illam vnctionem sanitatẽ corporis esse assequutos. Mihi tamẽ (vt ingenuè quod sentio loquar) videtur non verè illud fuisse sacramentum, quod Apostoli tunc faciebant, cum ipsi non-

De sacramento extremæ vnctionis.

nondum essent sacerdotes, nec idonei sacramentorum ministri, nisi Baptismi, qui non requirit ministrum presbyterum, propter necessitatem. Præterea, non ostenditur ibi ritus & forma sacramenti, nec vllæ preces, nec vllus alius sacramẽti effectus, præter corporis sanitatem. Non me latet potuisse Dominũ Iesum facere ministros huius sacramenti etiam non sacerdotes. At non quodcunq; poterat, faciebat: sed quod decebat. Credo tamen fuisse illud tanquam præparatorium quoddam huius sacramenti, quod nobis planè exprimit frater Domini. Hoc si dicimus, non minus probatur huius sacramenti veritas. Si enim præparatoria fuit illa vnctio ad sacramentum, quod ad minimum necesse est fateri, ergo oportuit subsequi sacramentum ipsum: alioqui frustra erat præparatio rei non subsequutura.

Sic præparatus fuit & baptismus Christi per baptismum præcursoris Ioannis: & ipsa sacramentalis confessio per eundem sanctissimũ Ioannem simili modo. Verum diaboli captiuus Lutherus in libro de captiuitate Babylonica, & eius sectatores insurgunt contra huius sacramenti, quo Ecclesia Dei vtitur, veritatem: quibus etiam Caietanum fatuisse vehemẽter dolui, qui eorum rationes, quibus moti sunt vt hunc locum B. Iacobi non attinere ad sacramentum suaderent, tanquam vrgentes ac validas comprobauit. Aiunt enim primùm:

Obiectiones contra sacramentũ extremæ vnctionis.

Sacramentum hoc institutum est pro ægrotantibus ad mortem: tunc enim confertur, quum iudicio medicorum desperata est salus ægroti: vnde etiam vnctio extrema appellatur. Iacobus autẽ non hoc obseruari mandat, sed ait solùm: Si quis in vobis infirmatur, non autẽ: Si quis infirmatur ad mortem. Præterea, sacramentum per vnum presbyterum datur: hic verò plures presbyteri iubentur adduci vt oleo vngant.

Tertiò, ponitur solus effectus salutis corporalis, cũ quo non stat effectus proprius huius sacramenti, qui est mundare omnino à peccatis, vt hinc recedat anima à peccatis prorsus purgata, & cõtinuo euolet in paradisum. Nam si sanatur homo corpore per eam vnctionem, non dabitur ei cõtinuo in paradisum euolare: & ita erit effectus contra effectum. Quartò dicitur. Et oratio fidei sanabit infirmum: Non ergo sacramenti virtus. Denique ait: Quòd si in peccatis fuerit infirmus, remittentur ei: vt conditionalis sit ista remissio peccatorum, & quasi accessoria, & non principalis. At, inquit Caietanus, sacramentum vnctionis directè, vt forma sonat, tendit ad remissionem peccatorum. Et præter hæc, quærenda esset ratio ponendi hoc sacramentum, ne videatur superfluum. Etenim ad remissionem peccatorum satis videtur esse pœnitentia, & Eucharistia, quæ venialia peccata absorbent.

Quoniam verò hæ rationes infirmis ac parum cautis aliquid negotij facere possent, à nobis sunt resoluendæ. Sed oportet lectorem scire, quòd ab initio in primitiua illa ecclesia ad statuẽdam euangelij veritatem multa fiebant & contingebant etiam in sacramentorum collatione, quæ nunc non fiunt, neque contingunt. Eo nanque tempore manifestè per manuum impositionem presbyterorum sensibiliter veniebat Spiritus sanctus: quod nunc non videmus. Id autem quamobrem, nisi quia necesse tunc erat ostendere signo admirando ac sensibili exterius, id quod inuisibiliter Deus operabatur interius? Haud aliter factum fuit in hoc extremæ vnctionis sacramento, videlicet vt homines per sanationem corporis, quam Deus operabatur per orationem presbyterorum, facilè crederent per eius sacramenti virtutem etiam restitui perfectam animæ sanitatem. Et ob eam causam Apostoli ab initio oleo vsi sunt vngentes infirmos, vt ad huius sacramenti fidem animos præpararent, restituendo corpoream sanitatem. Itaq; ipsa corporis sanitas non est proprius & per se effectus huius sacramenti, sed per accidens, & subintellecta hac conditione, videlicet si placuerit Deo sanare. Porrò de huius sacramenti vero effectu, mox dicetur.

Quòd autem dicat Apostolus: *Infirmatur quis in vobis*, & non adiiciat, ad mortem: non debet quenquam mouere. Non enim omnia explicitè erant declaranda, quę assiduè tradebantur per manus, & ipsa consuetudine atque vsu assiduo declarabantur. Etiã dici potest: In primitiua illa ecclesia, quia sanabantur frequenter in corpore, non expectabatur extremus ille infirmitatis articulus. At cùm fundata est non indigens vlterius iis miraculis ecclesia, suo tempori collatio huius sacramenti reddita est. Vnde meritò vocata est extrema vnctio. Nonnulli tamen propterea vocari extremam vnctionem putant: quia illam præcedunt aliæ vnctiones aliorum sacramentorum, nempe baptismi & confirmationis. Mihi longè magis placet eam ob causam extremam dici vnctionem: quia quum laborat infirmus in extremis datur. Non tamen expectandum est momentum exhalationis animæ, in quo errore passim versantur Christiani ferè omnes, quibus confertur istud sacramẽtum semimortuis. At suscipiendum esset integris mente & sensibus. Nec propterea quia fortassis conualescat infirmus, & possit iterari, minus dici debet extrema vnctio: quoniam satis est iuxta medicorum sententiam, instans imminere mortis periculum.

Quòd verò iubeat non vnum, sed plures adduci presbyteros ad infirmũ, solennitatis est, non necessitatis. Nam & apud regulares id seruatur, vt omnes intersint & orent. Et hic modus in primitiua ecclesia seruabatur, cum nondum esset latè propagata. Nec prohibet vno vngẽte rectè dici etiam alios vnxisse qui interfuerunt, & responderunt, Amen, super vnctione. Et iam confessi sumus effectum huius sacramenti proprium non esse corporis sanationem, nisi id Deo ita volente expediat. Et licet hoc obtineat oratio fidei: attamen & ipsi sacramento attribuitur, cuius forma sunt preces presbyterorum.

Nec quia dicat conditionaliter: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, quicquam facit quo minus hic sit effectus principalis sacramẽti, sed eo pacto quo statim declarabimus. Conditionis autem illius, quæ suapte natura inest, expressio nihil operatur. Certum est enim ei peccata remitti minime posse, qui in peccatis non fuerit. Quare friuola demonstrantur esse cuncta, & calumniarum plena, quę à nouis magistris adducuntur.

Ad illud verò, superfluum esse hoc sacramentũ: quia confessionis sacramẽtum, pœnitentiæ & Eu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

charistiæ valent ad remissionem peccatorum: Respondetur iuxta B. Thomæ doctrinam, quæ mihi semper placuit, principalem huius sacramenti effectum esse plenam ac perfectã liberationem ac sanitatem ab infirmitate quę semper est in homine, vt non perfectè sit habilis ad omnia bona opera. Vnde & ipsa caro suapte natura semper gerit malum suum in se: & inde mens debilitatur per carnem, & infirmatur. Ab hac autem debilitate & infirmitate, quæ Deo odiosa est, non omnino liberatur homo per sacramentum pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, sed per hoc proprium sacramentũ. Redditur enim homo mẽte & corpore expeditus ad vltimum pascha celebrandum, & ad emigrationem in patriam: cui si nihil grauioris debiti iam obstet à peccatis antiquis, quodcũque ad illam debilitatem attinet, per hoc sacramentum fit sanatum. Ad quod etiam fortassis proficiebat vnctio, qua vtebantur (teste B. Dionysio) Apostoli, vngentes corpora defunctorum: vt propterea corpora sic vncta oleo, quodam modo aptata essent ad resurrectionem. Quod ergo dixit B. Iacobus: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, loquitur de actualibus peccatis, quæ etiam verè remittuntur si deuotè hoc sacramẽtum recipiatur, nec vllus ponatur obex: sicut & alia sacramenta hunc effectum operantur. Sed re vera non est proprius hic effectus sacramenti huius, sed ille ipse quem paulo ante diximus.

Est igitur verè hęc sacra vnctio sacramentum: & rectè dicitur extremæ vnctionis: neque enim nisi laborantibus ad mortem dari debet, vt Cõcilium Florentinum docet. Porrò eius materia est oleum benedictum: & eius minister, siue ministri legitimi, sacerdos aut sacerdotes: & eius forma precationes, iuxta ritum sanctæ Romanæ ecclesiæ: quanquam aliquæ ecclesiæ alia verba habeant, quę non sunt temerè respuenda. Satius tamen esset vnam esse formam omnium ecclesiarum, cum nullam videamus huius variationis vtilitatem. Est autem & hoc sacramentum reiterabile per accidens, si fortè sanetur infirmus: quoniam antiqua illa debilitas mentis manet manente corpore, & donec soluatur omnino à corpore mortis huius.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, &c. Græca lectio multo verior, nõ habet, *Ergo*, nec aptè quidem inferitur: quia hoc præceptum non rectè educitur ex superiori dictis: sed alloquitur generaliter omnes, vt inuicẽ confiteantur peccata. Negat Caietanus & hærerici, hîc loqui B. Iacobum de sacramentali confessione, eò quòd dicat, Confitemini inuicẽ. Non autem fit inuicem confessio sacramentalis: quia non omnes sunt sacerdotes. Loquitur ergo hic Apostolus (ait ille) de confessione illa qua mutuo cõfitemur nos esse peccatores: & de confessione mutua erratorum pro mutua recõciliatione, & petimus orari pro nobis. Verum, meo iudicio, non est hic sensus illustris, nec dignus apostolico spiritu. Huiusmodi enim inuicem cõfessio, vt confiteamur in genere nos esse peccatores, superflua est. Nã vel nobis tacentibus res ipsa per se abundè clamat. De erratis verò nostris qui offendimus, nõ satis inuicem est cõfiteri. Nam sæpenumero requiritur & satisfactio, si vel fama læsa est, vel quouis modo persona. Nihil autem prohibet intelligi de confessione sacramentali id quod dixit, *alterutrum*, seu inuicem: quoniam hoc intelligẽdum erat iuxta subiectam materiã, & seruato ordine. In huiusmodi quippe generalibus sermonibus ita est aptanda intelligentia, vt nihil absurdi sequatur. Sic etiã poterat dicere: Sacrificate pro inuicem, vt ad eos qui sacrificandi potestatem habeãt, aptetur sermo. Profecto nimis friuola sunt eiusmodi commenta, & gratis meditata: non ferenda certè in his qui sensum ecclesię iuuare, non aduersariorũ tenebantur. Quid enim periculi erat intelligere B. Iacobum loqui de sacramentali cõfessione, cùm iam ipsa esset instituta à Christo, & iam cœpta esset obseruari, vt nemo (si velit esse Catholicus) debeat ambigere?

Et orate pro inuicẽ, vt saluemini. Bene dixit B. Ambrosius quodã in loco: Si pro te rogas tantùm, pro te solus rogabis: si autem pro omnibus rogabis, omnes pro te rogabunt. Et ratio est, quia non meretur aliorum orationes pro se: & iccirco solus inuenitur orare. Et cũ Dominus duos vel tres cõuenire velit in nomine suo, & hos promittit se auditurũ: planè consequitur eum qui solus orat, non audiri. *Multũ enim valet deprecatio iusti assidua.* Siquis verè est iustus, nõ solũmodo pro se orat, sed & pro aliis quoque deprecatur. Deprecatio enim proprię est quæ malum orat à se auerti. Iustus autẽ malum proximi vt suum proprium considerat, recognoscens commẽbrum vnius & eiusdem corporis. Orationis autem commendatur assiduitas: quia maiestas Domini & beneficiorum largitas talem requirit. B. Amb. in Hex. lib. 1.

Elias homo erat similis, &c. Animat ad orationem magno illius excellentis prophetę Elię exẽplo, qui rem magnam petiit orando bis, atq; obtinuit: primum ne plueret, secundò vt plueret. nota est historia. Et ne quis diceret: Magnus erat ille vir Elias, ideo obtinuit, cũ quo nos minimè cõferendi sum⁹. Respõdet, fuisse Eliam illum hominẽ, sicut nos sumus, & similibus (vt Græca vox ὁμοιοπαθὲς sonat) affectionibus obnoxiũ. Non tamẽ propterea voluit dicere, tantũ habere momenti apud Deum cuiuslibet iusti orationẽ: sed ne vllus debeat se adeo demittere, vt desperet se posse pro suo gradu Deũ exorare, cum petierit deuotè, & quæ sint opportuna: quoniam Dominus promisit omnibus iusta petentibus & iustè, se postulata esse omnino largiturũ.

Fratres mei, Siquis errauerit ex vobis, &c. Magnum sanè est hoc præceptũ, & omni acceptione dignissimum, cum sit adeo honorabile, & tantam afferat vtilitatẽ, & merito. Sed nullus potest intelligere, nisi qui animæ humanæ dignitatẽ consideret. Hãc item nemo potest considerare, nisi qui cogiter pretij quo redempta est, excellentiam: hic est sanguis Christi. Magnum ergo & honorabile opus facit, qui aberrãtem à veritate animam ad veritatem, ne perdatur, reduxerit. Vnde & meretur operiri sibi multitudinem peccatorũ, quod charitati debetur. Reducit autem homo aberrãtem à veritate, illum maximè qui sanam doctrinam nõ retinet: & secundò qui etsi sanam retineat doctrinam, secundum illam tamen non ambulat, sed veritatem Dei in iniustitia detinet. Quisquis igitur præceptũ hoc audit tanti Apostoli, accingatur, animetur, vt rem hanc magnam efficiat, vt ipse saluus fiat. Nec enim deest hodie materia, cum plenus sit mũdus hæresibus & scandalis: quæ multifariam in bonum vertuntur electis & iustis.

ARGVMENTVM IN PRIOREM EPISTOLAM B. PETRI APOSTOLI.

BEATISSIMVS Apostolorum princeps Petrus, & peculiaris Circuncisorum Apostolus, exhortatoriam scribit epistolam Iudæochristianis per Asiam dispersis, vt eos in susceptæ euãgelij veritate, & afflictionum tolerantia confirmet. Primum quidem gratias agit Patri, qui per Christum nos ad æternam fœlicitatem vocauit, modo redemptionis nostræ agnito pretio priores concupiscentias repudiemus, & instar puerorum purum euangelij lac in omni simplicitate concupiscamus. Deinde dignitatem Christianorum ostendit, inter quos Deus verum & regale sacerdotium constituit. Propterea obsecrat vt moribus inculpatis apud Infideles vitæ cursum teneãt, omnibus honorem, & officia cuique debita reddentes: iniurias verò immeritò exemplo Christi patienter ferant. Viros ac mulieres sui officij pro conditione personæ commonefacit: & passim omnes, qui neminem prorsus rectè agendo timere debeant. Figuram baptismi in quo renouamur, arcam Noe proponit, ne vlterius veteribus delictis, sed orationibus, & charitatis, maxime erga hospites, operibus vacare velint. Postremò hortatur in pastorali statu existẽtes, vt gregi diligenter ac spontaneè prouideant: quibus vult iuniores cum omni humilitate esse subditos. Quæ omnia vt præstare possint, ad sobrietatem atque vigilantiam eos animat, ad resistendum rugienti leoni Diabolo ad nostram perniciem semper vigilanti. Epistolam Romæ (vt volunt) scriptam per Syluanum misit.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. PETRI APOSTOLI.

PETRVS Apostolus Iesu Christi, Electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, secundum præsciẽtiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi, Gratia vobis & pax multiplicetur.

HÆC salutatio de more primò notam facit personam scribẽtis, vt authoritatem ipsius ostendat, tum à nomine proprio, tũ ab officio. Nomen enim proprium, *Petrus*, ab ipso Christo impositum, tanquam qui designatus erat caput & stabile fundamentum ecclesiæ, sic enim illi dictum fuit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Petrus. Et iterum iuxta nomen hoc sibi inditum, dictum est illi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam &c. Indicat etiam seipsum ab officio, *Apostolus Iesu Christi*, tanquam ab eo missus ad publicandum euangelium. Hoc erat apostolatus officium, vt sæpius dixi. Et tanquã Apostolus circuncisionis specialiter scripsit ad eos qui erant Iudæi. B. Iacobus hoc meritò concessit B. Petro ad eosdem scribens, qui noluit se insinuare eorum Apostolum, cùm tamẽ esset specialis eorum Episcopus. Ioan. 1. Matth. 26.

Electis aduenis, dispersionis. Hîc indicat personas ad quas scripsit, non ex proprio certo nomine, cùm essẽt plurimæ, sed quibusdam notis indicantibus. Vocat enim primum aduenas Ponti, Galatiæ, &c. Iudæos ergo proculdubiò intelligit, non autem vt quidam volunt, Gentiles proselytos: sed verè Iudæos, qui ex antiqua dispersione in locis illis habitabant vt aduenæ, non vt ciues. Tales deberemus esse nos omnes animo & cogitatione, & vt aduenas & peregrinos in hoc mũdo nos æstimare: cùm nõ habeamus hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquiramus. Qui si tales fuerimus, B. Petrus Papa & summus Pontifex & Apostolus Christi ad nos peculiariter scribit, & vocat electos.

Vt autem clariorem possimus intelligentiam consequi: attentè considerandum est vocem hanc, *Electus*, vno modo, & non vno modo sumi in scripturis. Dico vno modo generaliter. Electus enim is dicitur, qui ex pluribus, reiectis aliis, ad aliquid eligitur, id est, ad aliquã functionem, siue ad aliquẽ finem. Porrò cum plures sint & diuersæ functiones, fines item varij ad quos aliqui eligi possunt: ob eam considerationem non vno modo (vt dixi) sumitur electio, sed diuerso & vario, pro diuersitate finium ac varietate. Hæc autem diuersitas vel ab ipsa materia, de qua est sermo declaratur: vel aliquo modo ex ipsis verbis. Primò igitur electi illi dicuntur, quos dicimus etiam prædestinatos. Et hi sunt eminenter electi: quoniam ad finem vltimũ sunt præsciti, hoc est, præ aliis dilecti & absoluta voluntate ad æternam gloriam ordinati. De his enim dicit Dominus: Vt in errorem, si fieri potest, inducãtur etiam electi. Et iterum eodem loco: Sed propter electos breuiabuntur illi dies. Et B. Paulus ad Ephesios ait: Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi. Matt. 24. Eph. 1.

Verùm interueniunt & aliæ Dei electiones, non tamen ad illum sublimem finem, nec pari modo: quamuis vniuersaliter ad illum finem tendant. Exempli gratia: Ipse Dominus dixit: Nonne vos duodecim elegi, & vnus vestrũm Diabolus est? Hoc certè non intelligitur de superiore electione, videlicet ad æternam vitam, à qua impossibile est eum excidere, qui ad illam ea fiema deliberatione electus fuerit. De electione igitur ad Apostolatũ intelligẽdus est ille sermo, quæ cõplectebatur etiã Ioan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudam proditorem, qui iam diabolus erat effectus. Quantum igitur ad priorem electionem attinet, vt significaret exclusum esse Iudam, dixit aliquando: Non de omnibus vobis dico: scio enim quos elegi. Cum igitur hic vocet electos aduenas, cumque ad aliquid electos oporteat intelligere: in ea quidem sum sententia vt electos eos vocet, nõ qui dem primo electionis genere, cuius notitia est solius Dei, sed de electione ad audiendum euangeliũ Christi, quæ magni omnino erat facienda. Nam nedum omnes digni erant, sed contrà multi indigni. Quapropter prohibebatur B. Paulus loqui verbum in Asia: & à Bithynia etiam amotus est ne ibi prædicaret. Electi autem fuerunt Thessalonicenses & Philippenses ad salutarem fidei auditũ. Hac ratione B. Paulus statim à principio epistolæ quã ad eos scripsit, hanc electionem commemorat, dicens: Scientes fratres dilecti à Deo vestram electionem, &c. Non enim aliam electionẽ sciebant, nisi illam ad audiendum Dei sermonem: qua in re fuerunt priores multis aliis populis.

Ioan. 13.

Act. 16.

Ad rem igitur nostram redeuntes, credimus B. Petrum de hac electione, quæ nota esse poterat, loquutum esse, non de illa quæ abscondita est. Nõ enim fit veri simile cunctos, ad quos loquebantur, fuisse prædestinatos. *Ponti, Galatiæ, &c.* Notæ sunt huiusmodi prouinciæ, & in eis B. Petrum prædicasse non est dubium, quod B. Hierõ. admonet. Istud attentius ponderandum, vehementerque deplorandũ, vbi olim regnabat fides Redemptoris, nunc omnino exulare. Metuẽdum quippe est ne & Sol veritatis à nostris oris tandem recedat, quas hæresibus implet semen serpentis Diaboli vna parte: & ex altera flagitiorum & peccatorum omnium turpitudine & impunitate. Attamen cum Christus non absque habitatione quiescere possit, aliò cursum vertet radiorũ, & inueniet mansionem suam, postquam sic illum ingrati, qui delectamur tenebris, à nobis expellimus. O miseros prorsus qui sine Iesu sunt, aut erunt: quoniam sine salute. O felices qui eligentur denuo, & similes his electis Domino seruient.

Secundum præscientiam Dei Patris. Præscientia in scripturis in bonam partem accipitur. Idem est enim præscire, quod præ aliis diligere: ita vt electos eos vocet secundum præscientiam, non qui prius dilexerint, & meterentur: sed quia mera Dei dilectione segregati sunt, & præ aliis electi ad auditum euangelij. Et vt finem auditus intelligerent, ad quẽ ordinabatur illa electio, subdit, *In sanctificationẽ spiritus.* Sanctificatio spiritus est illa prima iustificatio, quæ per fidem viuam purificat corda. Sic enim spiritu dicimur renasci: quia Spiritui sancto tribuitur viuificatio, quemadmodum & cuncta dona spiritualia. Vel sanctificationẽ spiritus intelligit: quoniam ipse spiritus noster est qui sanctificatur. Vnde Dominus: Qui natus est ex Spiritu, spiritus est. Fit autem hæc sanctificatio per aquam. Sed abluti estis, inquit Apostolus, sed sanctificati estis, hoc est, à priore immunditia, quæ nos omnes tenebat infectos, absterfi per donum Spiritus animas vestras mundificantis. Et si quis insuper quærat finem huius nostræ sanctificationis ipse perspicuè ostendit.

Ioan. 3.

1. Cor. 6.

In obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi: Absq; illa sanctificatione priore nemo poterat obedire præcepto charitatis. Lex enim charitatis nõ erat in cordibus immundis. Postquam autem mũdi facti sumus, & scripta lex est in cordibus nostris facile charitati obedimus: præsertim cum assiduè illo aspergamur sanguine, vt quod reliquiarum est immunditiæ & peccati propter carnis cõcupiscentiam assiduam, etiam assiduè ea purgetur & abiicia tur per hanc aspersionem. Hanc & vidit post peccatum rex ille, quem prosperitas & otium ad scelus pertraxit, & illam implorabat, aiens: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Hanc aspersio nem sub figura nobis repræsentauit Moses, cùm accepit sanguinem hircorum & vitulorum, cum aqua & lana coccinea, & hyssopo: & asperſit popu lum, dicens: Hic sanguis testamenti, &c. Sic & nos habemus verum sanguinem noui testamenti, quo assiduè emũdamur ab effluentibus quotidianis no uis culparum maculis.

Heb. 9.

Gratia vobis & pax multiplicetur. Hæc est salutatio, qua explicatur desideriũ plenioris gratiæ. Gratia enim tametsi qualitas sit quædam supernaturalis, potest tamen intendi, ac remitti. Gratiæ enim appellatione frequentissimè donum illud intelligitur, de quo disputant Scholastici, an sit idẽ quod charitas. Quod mihi quidẽ longè probabilius esse videtur, vt aliàs dixi. Similiter pacẽ illis optat multiplicari, id est, augeri ac perfici, quæ sequitur ad charitatem, & est fructus ipsius spiritus. Pace enim comparata quiescit anima sponsa, & ait: Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittã. Hæc est pax quæ exuperat omnem sensum, & quã mundus dare nõ potest. Sed qui accipiunt, sciunt, & certi sunt: licet quidam incertitudinem gratiæ beatificent, vt noua nobis beatitudo prædicetur, & hoc nobis lucrum apponant, & addãt super euangelium. Dominus Deus ostẽdat eis seipsum, vt certi sint, & in seipsis experiantur quod negant.

Cant. 3.

Phil. 4.

Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo: in quo exultabitis, modicum nunc, si oportet, contristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione Iesu Christi, quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque nõ videntes creditis: credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.

Benedictus Deus. Hic incipit epistola. Hæc vox, *Benedictus*, cùm in Deum dirigitur, vox est laudis,

& gratiarum actionis. Vocat autem illum Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. Etsi enim sit pater omnium, & Deus omnium: insigniter tamen atque eminenter & singularitet est Deus, & est pater Iesu Christi. Deus quidem illius propter eminentem spiritus gratiam, quam ei absque mensura donauit: pater autem propter gratiam ineffabilis vnionis naturarum in æterna hypostasi soli Christo datam. Quare distinctè Dominus, vt & elegantissimè B. Augustinus aduertit, dixit: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum, acsi expressè dixisset: patrem meum & Deum meum, non eo modo quo est pater vester: sed primò ac maximè & singulariter meus est Deus & pater: vester autẽ propter me, qui insititij estis & incorporati in me.

Qui secundum misericordiam suam magnam, &c. Sũt multæ Domini misericordiæ, sed illa ante omnes est magna, qua nos transfert à morte ad vitam: illam implorabat qui clamabat: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, ideo ait: *Regenerauit nos*, id est, iterum generauit generatione spirituali. Primò enim genuit nos in Adam, qui & ipse in Christo genitus fuit. Sed cum in eo mortui essemus propter peccatum, oportuit nos transferri in Christum, & in illo iterum generari per aquam, in quo beneficio summa Dei relucet erga nos misericordia. Regeneratio autem ista est, *in spẽ viuam*: quoniam nondum re ipsa obtinemus filiorum hæreditatem: siquidem nec ipse Adam in statu incorrupto positus, illam obtinebat. Quantum igitur ad spem attinet, in eandem reuiximus, & ad hoc regenerati sumus, vt eam teneamus vsque in finem. Dicit autem spem viuam, quam scilicet bona opera comitantur. Aliàs qui peccator est, & in peccatis sordescere non desistit, quid sperare potest, nisi æternam mortem, nedum vitam beatam? Spes enim quam scriptura commendat, in sanctis ipsius charitatis operibus, & obedientia mandatorum innititur.

Per resurrectionem Iesu Christi. Hanc spem nobis illius resurrectio, quę fuit in nouam vitam, obtinuit. Si enim non resurrexit Christus, ait B. Paulus, inanis est fides nostra. Surrexit igitur Christus & viuit, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et hoc voluit docere B. Petrus dum ait, *in spem viuam*, scilicet vt iustificati interim operemur, sperantes nos tandem perfici in patria, qui nũc peregrinamur in via, *In hæreditatem incorruptibilem, &c.* Illa æterna hæreditas his tribus decoratur prærogatiuis: Primò. n. est incorruptibilis, vt quæ nunquã amittetur. Tum est incontaminata: quia nihil habet admixtum mali, aut æris alieni. Tertiò est & immarcessibilis: quã doquidẽ nullo situ, aut carie, seu ærugine vllam vnquam contrahet spurcitiam, aut putredinem. *Conseruatam in cœlis*, id est, tantisper absconditam, seruatã tamen, *in vobis*, aut potius erga vos, id est, paratam pro vobis, *Qui in virtute Dei custodimini per fidem.* Vt nemo potest sua virtute renasci, ita nemo sua virtute se renatũ cõseruare potest. Ipsa Dei virtus est quæ vos, licet non sine vobis, conseruat per fidẽ illam quæ viuens operatur per charitatem. Custodimini ergo vos in hac spe per fidẽ ad acquisitionem salutis perfectæ. Hoc est quod subiunxit:

1. Cor. 15.

Rom. 4.

In salutem paratam reuelari in tempore nouissimo, quando aduenet Dominus. Interim tamen quilibet qui ex hac vita decedit in Domino, gustat eam secundum spiritum, non secundũ corpus, ideo non est perfecta fœlicitas: *in quo exultatis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus*, Audi hæretice qui omnia super ipsũ Christũ imponis onera: & non vides etiam in Christo innocentes oportere contristari, hoc est, affligi & participes esse crucis, & variarum tentationum, licet momentanearum, si volumus esse gaudij cum illo sempiterni & exultationis participes. Hæc est lex Redemptoris, quã claris verbis tulit: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, &c.

Luc. 22.

Vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi. Auro quod per ignem probatur, comparatur fides nostra, si fuerit similiter examinata & explorata per ignem. Auro autem aptissimè comparatur: quia hoc genus metalli cæteris est pretiosius. Verùm cum minimè ignoraret quàm longa esset inter fidem probatam, & aurum probatum distantia, addidit: *multò pretiosior auro.* Aurum enim vilis est creatura, & rubra quædam terra, sola hominum æstimatione ac lege pretio æstimatum. At fides spirituale metallum est cui nihil eorum quæ videntur comparari possit. Quamobrem de re incomparabili nihil amplius est dicendum. Sensus est ergo, Ad eum finem à Domino Deo patre clementissimo permitti afflictiones in seruos suos insurgere, vt probetur eorum fides, vt probata reddatur promptior, & illustrior inueniatur in laudem, & honorem, & gloriam in aduentu Dei. Quo tempore qui restiterint, & superauerint, & victores euaserint aduersus diabolum, mundum, & carnem, mirificè commendabuntur & laudabũtur ab ipso Deo, & Angelis eius, & honorificabuntur, & erunt vera gloria conspicui, quę erit à Deo, & à cunctis dilectoribus veritatis. Ita patrem facturum pollicitus est Dominus viro huiusmodi, vbi ait: Honorificabit eum pater meus, qui in cœlis est.

Ioan. 12.

Videre licet inter Christianos numerosam quorundam socordium hominum turbam, qui regnũ cœlorum lucrari vellent in croceis & deliciis, & sine vllo prorsus certamine ac pugna more ignauorum atque effęminatorum militum. Sed reuera nõ tam pulchrũ esset, neque eousque optabile, quàm dũ illud nostra aliqua virtute metemur, vt rectè docet B. Thomas: & ipsa summa Dei Prouidentia sapientissimè disposuit. Nam & propter passionem, & mortis toleratum supplicium, Redẽptor noster & dux præstantissimus Christus gloriosior redditus est & honoratior, qui sua virtute & prælio, vt sæpe testatur Apostolus, aperuit sibi cœlum. Neque verò si & nos aliqua nostra virtute obtineamus coronam, propterea (vt noui illusores calumniantur) extenuatur gloria Christi: quin sublimior potius & magnificentior prædicatur. Nos enim verè & ingenuè confitemur omnem nostram virtutem, qua hostes tam infensos superamus, mũdum, carnem, diabolum, ab illo esse.

Quem cum non videritis, oculo corporis, *diligitis*, dilectione à Deo donata. *In quem nunc quoque non videtes creditis.* Christum ipsi quidem non videtãt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtpote qui ab oculis mortalium iam sese in cœlum recepisset: credebant tamen in eum, in quem suæ fiduciæ spem certam proiiciebant. *Credentes autem exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata*. Audiant hæc verba quicunque certitudinem gratiæ inficiãtur, quo nimirum pacto cum incertitudine queãt hanc exultationem, & inenarrabilem & glorificatam lætitiam coniungere, quam profecto, vt verè ait Caietanus, nemo nouit nisi qui accipit. Vocat autem meritò glorificatam lætitiam: quoniam arrha quædam est, & inchoatio gloriæ, præcipuè in perfectis. *Reportantes fructum fidei vestræ, salutem animarum vestrarum*. Hic est eximius & integer fructus, alioqui quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Egregiè autem dicit fructum fidei: quia fides est radix omnium bonorum operum ex quibus metemur præmium. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Ipsa est ianua per quam ingredimur in vineam ad laborandum, & tum ad præcipiendum præmium. Mat.16.

De qua salute exquisierunt atque seruati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutãntes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est quòd non sibimetipsis, vobis autem ministrabãt ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo: in quæ desiderant Angeli prospicere.

De qua salute exquisierunt, &c. Sensus satis clarus est. In omnibus prophetis annuntiatus apparet quidam salutis dies per Messiam, qui erat promissus in lege: sed ipsi prophetæ, vtpote proprio spiritu coniectantes, expectabant suis oculis illum videre. Vnde Dominus: Multi reges & prophetę voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & per illum promissam gratiam & salutem, præcedentibus tamen prius passionibus & victoriis, per quas triumphi gloriosi venirent. Et cũ scrutarentur, & à Spiritu postularent, in quod & quale tempus hæc incideret, reuelatione acceperunt quomodo non sibi ipsis ea ministrabant, sed posteris. Per euangelicam quippe & apostolicam prædicationem per Spiritum de cœlo missum instructam hæc mysteria patefieri debebant. *In quę* (sic legitur in quibusdam latinis codicibus) *desiderant Angeli prospicere*. Et de Spiritu sancto videtur esse sermo, in quem prospicere, dici possint Angeli desiderare. Verùm Græcè emendatius, in quæ, legimus, non, in quem, vt afflictiones & glorias quæ per euangelium veniunt significaret. Nam & Angelis facti sunt spectaculum athletæ Christi quum decertabant, & diaboli munitiones expugnabant, vt B. Paulus testatur: Spectaculũ facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus. Luc.10.

Propter quòd succincti lumbos mẽtis vestræ, sobrij perfectè sperate in eã, quæ offertur vobis, gratiam in reuelatione Iesu Christi, quasi filij obedientiæ: non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundũ eum qui vocauit vos, sanctum: vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. Quoniam scriptum est: Sãcti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus: in timore, incolatus vestri tempore, conuersamini.

Postquam præmisit futuram gloriam, quę cum non veniat absque certamine, ad ipsum certamen vehementer hortatur, & ait, *Propter quod succincti lũbos mẽtis vestræ*. Vt corpus, sic etiam animus & mẽs lumbos suos habet, in quibus naturalis concupiscentia intelligitur, quæ studet, nisi vinciatur, placere carni. Itaque concupiscẽtia hæc debet quasi cingulo quodam arcto præcingi atque coerceri. Cingulum verò iustitia est, & veritas fidei, quæ prohibet ne vllus prodeat à mente consensus aduersus legem Dei. Hæc sunt arma nostra, nimirum iustitia & fides, quibus succingimus lumbos, & sobrij atque temperati sumus, respectu eorum quæ sunt carnis.

Sobrij (inquit) *perfectè sperate*: Contra vanam eorum spem qui libidinibus frena laxãtes, virtutum tamen præmia sperare audent. In quorum ore semper obambulat ad dissimulanda peccata iste sermo: Christus super se, aiunt, posuit omnia crimina nostra. *In eam quæ offertur vobis gratiam*. Si à Deo offertur, credibile est vt omnino illam dare velit. Offert autem etiam non prædestinatis: at nunquid eo animo, vt minimè illam dare velit, sed eos potius illudere? Id vel cogitare horrendum est, quod tamen asseuerãt quidam, sed parum piè ac sobriè.

Quasi filij obedientiæ, Hebraica phrasis est. Qui enim obedit patri, filius obedientiæ vocatur, quasi per obedientiam suam ius paternæ hæreditatis acquirens. *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, &c.* Id est, tales qui nõ referatis eos qui paulò antè eratis, cum tenebamini desideriis vestræ ignorantiæ: sed quasi alios, qui aliam consequuti estis effigiem, *secundum eum, qui vocauit vos, sanctum*: Hic est Christus & verè sanctus, quem Pater singulariter sanctificauit.

Vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Hęc ergo sunt Christi verba, & ad hoc ipse sanctificatus est, vt & nos per illum sanctificaremur ad eius imaginem transformati. Portauimus anteà imaginem terrestris, portemus & nunc imaginem cœlestis: & liberati ab inimicis nostris, seruiamus illi absque timore, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Et si patrem inuocatis qui sine acceptione personarũ iudicat, &c. Magna est profecto vis in hac hortatione: & sensus clarus est. Si enim, inquit, inuocatis Deum sub hoc nomine, *Pater*, vt nos Dominica oratio instruit: & ipse iudicat sine acceptione personarum secundũ vniuscuiusq; opus: Opera enim sunt quibus redditur aut merces, aut supplicium, & ipse hac in re nemini parcit, nec considerat Iudæus ne sit, an Gentilis, cũ, inquam, ita sese veritas

habeat, debetis in timore conuersari hoc incolatus vestri tempore, hoc est, dum estis aduenæ & peregrini in hoc mundo. Hic timor à Dei amore descendens, & quem ipse à nobis exigit, primùm Dei respicit offensam, quam super omnia odit: & ob eam causam super omnia metuit ne in illam incurrat. Hic proprius est amor non serui, sed liberi & filij. Filius igitur qui patris timet offensam, timere etiam recta ratione debet quæcunque ex offensa consequi possunt: qualia sunt in primis ipsa hæreditatis priuatio, & gehennæ supplicium. Quocirca maximo cum timore debemus cõuersari in hoc tempore, & ea circunspectione salutem nostram operari, quam nobis saluberrimè B. Paulus prescripsit: Cum timore, inquit, & tremore salutem vestram operamini. Philip.2.

Scientes quòd nõ corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati: præcogniti quidem ante mundi constitutionẽ, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra & spes esset in Deo. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbũ Dei viui & permanentis in æternum. Quia omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc est autem verbum quod euangelizatũ est in vobis.

Scientes quòd non corruptibilibus, &c. Maiorem adhuc adhortationi vim addit. Nam beneficiũ quod accipimus, vt eius magnitudo, aut paruitas pernoscatur à tribus solet considerari: Primum quidem est ipsum donum, vtrum pretiosum sit, an vile. Secundum donantis, præ illo qui recipit, excellẽs dignitas. Siquidem vel exile donum authoritate ac dignitate personæ donantis magnum æstimari ac pretiosum debet. Tertium quod excellit cuncta, est animus promptus & affectio donantis: quæ tũdemum verè patet, quando magno suo cum incõmodo donat. Et istud exprimere voluit hoc in loco Apostolorum Princeps. *Non corruptibilibus, &c.* Vbi doni primùm exponitur magnitudo, quæ fuit Iudæis abstrahi à vana conuersatione paternarum traditionũ, quę consistebant in cęremoniis partim inutilibus, quę erant legis Moseos neminẽ ad perfectum adducẽtis: partim verò in illis noxiis quas ipsi addebant, & Dominus reprehẽdit: aut enim erant cõtra legem Dei, aut errores quosdã omnino corrigendos continebant. Igitur ab illa vana conuersatione esse ereptos, & ad veram filiorum Dei adoptionem per euãgelium euectos, & hoc à Deo vero & viuo, maximum est beneficium, vt cogitari maius non possit. Porrò quod condiuit cuncta & sapidissima fecit, illud est, hãc nimirum redemptionem & noui status tam digni constitutionem non esse factam medio auro & argento, quæ corruptibilia sunt. Quonam igitur modo? Audi & gratus esto audiens, & tantum donum assiduè meditare. Matth.15.

Sed pretioso, inquit, *sanguine quasi agni immaculati, &c.* Quomodo addidit, *Quasi*, cum nos apertissimè canamus: Ipse enim verus est agnus? Peruia est & facilis ista solutio. Si secũdum carnalem sensum accipimus agnum: verè nullus eousque reperietur stolidus, qui nesciat Dominum ipsum non fuisse agnum, sed verum hominem. Dicitur tamen quasi agnus, propter agni proprietates, quæ sunt innocẽtia & mansuetudo. Nihil enim innocentius agno, & nihil mansuetius. Talis extitit inter homines Redemptor noster. Et eiusmodi consideratione hic B. Petrus ait, *Quasi agni*. Idem longè ante Isaias prædixit: Quasi agnus coram tondente se obmutescet. Et Ieremias: Ego quasi agnus mãsuetus qui porratur ad victimam. Si autem spiritualem sensum recipimus: Christus dicitur verus agnus respectu veteris figuræ, quæ in agno illo paschali consideratur, & agnum nostrum repræsentabat vetus agnus. Vnde B. Ioannes Baptista: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Meritò igitur agnum immaculatum vocat, id est, nulla omnino peccati propri macula aspersum. Nam & illa vetus figura debuit talis esse, videlicet agnus anniculus, & sine macula. Vocat & incontaminatum, vt quem nulla veteris Adæ labes attigit, sicut nos alios omnes, excepta vna illa Virgine Matre Dei semper immaculata, quæ in ipso continebatur, qui erant vnum os & vna caro, pro dignitate tamen cuiusque, & gradu. Et nihilominus propter illam habes sæpius in scripturis præceptum oblationis duorum agnorum. Vide si placet Exo.26. & Num.28. Isa.53. Ierem.11. Ioan.1.

Præcogniti quidem ante mundi constitutionem. Hanc præcognitionem ego prædilectionem intelligo. Ipse enim fuit ille Filius vnicè dilectus, in quo sibi Deus Pater tam bene complacuit, vt omnes quicunque dilecti sunt, in illo, & per illum, & propter illum sint dilecti. Ille ergo in mente Dei occurrit (vt ita dicam) primus. *De prædestinatione Christi.*

Ante mundi constitutionem, hoc est, antequam iste mundus, reliqua scilicet eorum pars qui adoptandi erant, ordinarentur. Nam nedum post ipsum, sed per ipsum, & in ipso fuerunt ordinati: quemadmodum iam à nobis declaratum est in illa quæ ad Ephe.1.cap. & adhuc vberius in opusculis De eximia prædestinatione Christi. *Manifestati autem in nouissimis temporibus propter vos*. Quare potius dixit propter vos, quàm propter nos? Nonne & propter ipsum Petrum, & Apostolos manifestatus est Christus? Cui dubium? Itaque non dixit de se & sui similibus, cum esset res clara satis: sed dixit propter vos, vt se non exclusos esse à salute intelligerent. Hoc idem declarauit B. Paulus, dicens: In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, &c. *Propter vos qui per ipsum fideles estis in Deo*. Per ipsum Christum fideles sunt, quicũque sunt. Nam de illius spiritu accipimus: & ita sumus in Deo, id est, continemur in illo. Qui enim in Christo est, etiam in Deo est, qui suscitauit illũ à mortuis, & fe- Eph.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit gloriosum. *Vt & fides vestra & spes esset in Deo.* Hic fructus resurrectionis eius in nobis: quia ex fide cognoscentes illum vt Caput nostrum à Deo suscitatũ, speramus certò & nos, vt eius membra, iri suscitatos ad gloriam sempiternam, salua semper debita proportione capitis ad sua membra, quam nobis B. Paulus tractans resurrectionis mysterium in epistola ad Corinth. peruia omnibus similitudine declarauit, aiens: Alia claritas Solis: alia claritas Lunæ: & alia claritas stellarum. Stella enim à stella in claritate differt: sic erit & resurrectio mortuorum. Redemptor noster, vt B. Gregorius docet, mortem suscepit, ne mori timeremus. Ostendit resurrectionem, vt nos posse resurgere confidamus. Et hanc spei fiduciam habemus per illum in Deo repositam.

1. Cor. 15.

Animas vestras castificantes, &c. Græca lectio aliter habet, veluti si eorum statum declarãs, dixisset: Qui castificastis animas vestras in obediẽtiam veritatis per spiritum. Et enim anima non castificata spiritu, id est, non munda per fidem infusam à spiritu, & consequenter à terrenis affectionibus perturbata, non potest ambulare secũdum veritatem fidei: quæ veritas tota resoluitur in amorem fraternitatis. Omnes enim in Christo fratres sumus, & ipse hoc summum & vnum præcepit nobis, vt diligamus fratrem, sicut ipse dilexit nos, qui & vitam dedit pro nobis. Hic amor debet esse simplex, vt non propter te ames fratrem, sed propter Deum. Quapropter admonet vt ex corde diligant, non solùm verbo & lingua. Et item attentiùs: quia qui hoc perficit, legem totam impleuit. Qui enim fratrem propter Deum amat, præcipuè Deum qui ita præcipit, amat.

De simplicitate amoris.

Renati non ex semine corruptibili. Per hanc dilectionem fratris nostram regenerationem conseruamus: alioqui non diligens fratrem, manet in morte, quemadmodum testatur Dilectus. Hic ostẽdit qualis sit nostra regeneratio, & natiuitas noua in Christo. Quale autem quidque sit, ab eius origine agnoscitur. Cum ergo semen vnde tales sumus, sit semen incorruptibile, scilicet verbum Dei, etiam ipse fructus erit incorruptibilis, & permanens in æternum. *Quia omnis caro fœnum.* Vocat carnem ipsum hominem, vt est animal, & species quædam animalis. Hic igitur homo fœnum est & corruptibile & marcessibile, & interim cibus bestiarum, id est, immundotũ spirituum, donec caro est. Verum cum nimium videretur, hominem absolutè fœno comparari: quoniam multi visi sunt in hoc mundo magni & gloriosi ob scientiã, ob fortitudinem & potentiam regnantes, & orbi dominantes, adiunxit: *Et omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Fœnum cùm succiditur, exarescit, & flos ille continuo decidit: & verè ita est. Quàm copiosus ex his verbis sermo homini vel infacundo facilè suggereretur ad ponendam ante omnium oculos vanitatem, & hominum quorundam amentiam, qui tanta cupiditate ad opes & honores flagrant, quæ tamen tanta velocitate flaccescunt. Quid ergo, ne pereamus, faciẽdum, nisi vt maneamus in semine quod est verbum Dei, quod manet in æternum? Nam vt ipsum cœleste est, & tamẽ factum est caro: ita & nos qui caro sumus in eo manentes, ex eo quasi ex semine cœlesti euademus cœlestes.

CAP. II.

DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes & inuidias, & omnes detractiones: sicut modo geniti infantes rationabile & sine dolo lac cõcupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedẽtes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credẽtibus, non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gẽs sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suũ. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: Qui non consequuti misericordiã: nunc autem misericordiam consequuti.

Deponentes igitur omnem malitiã, &c. id est, postquam malitiam deposuistis: iam enim eos dixerat castificatos corde. Sed quoniam qui recentes renati sunt, adhuc sunt imperfecti, & de veteri fermento nonnihil retinent, optima ratione illos hortatur vt renouati, iterum atque iterum & assiduè renouentur de die in diem, deponẽdo, *Omnem malitiam*, aut potius nequitiam: quæ significat otio sitatem ac tædium, & fastidium operis. *Et omnem dolum*, quo frater decipitur, qui comitem habet simulationem. *Et omnes inuidias.* Ponit plures inuidias: quia plura sunt bona, & temporalia, & spiritualia, quæ respicit qui inuidus est. Non est autem nisi merè stulta ea inuidia, quæ fertur in aliquẽ propter bona tẽporalia, cum non sint verè bona. Propter spiritualia autem inuidere, diabolicum est, neque caret perfidia. Si enim verè Sanctorum crederemus communionem, nulla profecto nos caperet inuidia propter ea bona, quorum participes sumus. Cum autem ab inuidię fonte detractiones oriantur, iccirco addit: *Et omnes detractiones.* De cuius peccati grauitate læpenumero diximus.

Quàm stulta sit inuidia.

Sicut modo geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite. Habet enim se vita hominis spiritualis ad modũ vitæ carnalis. Vtraque indiget nutritione, nec tamẽ omnis cibus cuilibet ætati conuenit. Est enim primus cibus hominũ lac: vt cum creuerit ætas, dentésque & fauces ad manducandum solidiorem cibum idoneæ factæ fuerint, tunc ablactẽtur, & cibus solidior offeratur. Duo igitur cum sint vitæ Christianæ cibi: vnus quidẽ mollis & dulcis, veluti lac: alter verò solidus & amarior, vt sit opus dentibus fortioribus. Primus est recenter natis offerendus, qui consistit in meditatione eorum bonorum & quæ in hac via recipimus, & quæ speramus in futura. Quo cibo si assiduè nutrimur, crescimus, & efficimur ad alium cibum fortiorem idonei, qui recõditus est in afflictione crucis & flagellorum, quæ ij qui perfecti sunt, cupiunt amore Dei sufferre, vt fiant similes Verbo Dei: & cum accipiunt, interius gaudent. Etsi enim homo ille qui foris est ingemiscat (non enim aliud potest) qui tamen interior homo est, impinguatur & gaudet. Lac igitur illud concupiscere non aliud est, quàm ex imperfecto ad perfectum tendere, & crescere in salutem, id est, ad finem salutis perfectæ, vt fiat perfecta ablactatio.

Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus, id est: Si modo lac ipsum vobis placuit, in quo gustatur Domini dulcedo & benignitas. Græcè legitur, *si quidem*, quasi hoc affirmetur, videlicet placuisse. *Ad quem accedentes lapidem viuum.* Alia metaphora eorum dignitatem declarat, per hanc accessionem ad euangelium, quæ fit per fidem. Supponit enim Christum esse petram, & lapidem viuum (nam sæpe plerunque vocatur in scripturis) & lapidem angularem, super quem veluti super fundamentum omnes hærentes illi superædificantur: vt fiat ex eis simul charitatis glutino coniunctis, tãquam domus quædam, sed spiritualis. Spiritu quippe compaginatur, & surgit habitatio Dei congrua, qui Spiritus est. Ille autem lapis vnus, & primarius, & angularis, vtpote in quem duo populi inclinant, vt in angulum duæ lineæ.

Ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, &c. Fuit quidem reprobatus ab hominibus, nimirum à Iudæis: sed electus à Deo etiam post illorum reprobationem. Imò propter eorum reprobationem electus, vt sederet super omnes Virtutes & Potestates ad dexteram Patris, & fieret Sacerdos in æternũ. Nec enim debuit hæc noua domus carere sacerdotio sancto. Et ita fuit ille honorificatus, vt quicunque lapides viui per fidem super illum ædificẽtur, etiam fiant sacerdotium sanctum: *Offerentes spirituales hostias*, hoc est, semetipsos in spiritu. *Acceptabiles Deo*, non ex se ipsis acceptabiles quasi ex se, sed per Iesum Christum Redẽptorem nostrum.

Defenditur aduersus hæreticos sacrificium noui testamenti.

Hic insultant hæretici contra sacrificium sacrosanctæ Eucharistiæ, volẽtes ita quemlibet esse hostiam Deo & acceptabilem per illam solam Christi cruentam oblationem, vt quælibet alia oblatio altaris superuacanea sit. Fuit, aiunt, altare vnum sacrificium, videlicet ipsa crux in qua immolatus est Dominus. Sed ignorãt miseri, nullam nostram hostiam esse acceptabilem Deo, nisi per illam Iesu Christi cruentam commendaretur. Nec considerare volunt, quomodo illa cruenta non cessauit, sed assiduè præsentatur in conspectu Dei in altari per sacerdotes, licet non cruentè, sine cuius memoria ac repræsentatione (sic enim ordinauit Deus) non auferrentur peccata, quæ in nouo testamento iugiter admittuntur. Verùm hac de re & proprio tractatu, & in epist. ad Hebr. satis scripsimus.

Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem, &c. Prophetam citat ipsius sermoni attestantem, Christum esse lapidem viuum, in quo cæteri ædificantur. Græca tamen lectio sic exprimit. *Quapropter & cõtinet in scriptura.* Sensus est huiusmodi: Hic lapis cum sit lapis electus & honorificatus, in ipsa scriptura continet, siue amplectitur & excellit. Vox enim Græca, περιέχει, hoc totum significat, continere scilicet & amplecti, & excellere cęteros omnes lapides: quos omnes ad se trahit, & continet. Ait Isaias: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, & lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamẽto fundatum. Qui crediderit, non festinet. Sic enim ibi legimus. Vocat ergo illum lapidem non qualencunque, sed lapidem in fundamentis Sion, id est, inter fundamẽta domus & arcis Dei, quæ dicitur Sion: quasi expressè dixerit vnum inter alios, qui sit summus & primus lapis, fuisse probatum: quia certauit & vicit. Angula rẽ verò: quia illi duo parietes Iudæi fideles, & Gentiles adhæserunt incumbentes in eum. Pretiosum verò, & sui dignitate & meritissima æstimatione Patris fam. quia in illo sibi complacuit. Quod autem ait: In fundamẽto fundatum, eius diuinitatem arbitror & personam significari, quæ erat Deus & Verbum Dei, super quod omnia condita fundantur ac sustinentur. Et illa primum humanitas deificata, per vnionem illam ineffabilẽ in ea persona. Quod verò ait Isaias: Et qui crediderit in eũ, non festinet: & beatus Petrus: *Non confundetur:* vnum & eundem sensum reddit. Quid est, rogo, non festinet, nisi expectet? Neque enim subitò vt accedit homo ad hunc lapidem, perfectam consequitur salutem, vt putat hæreticus, sed potestatem sibi illam operandi obtinet expectando, & spe ambulando. Et quia illa spes non confundit, ideo dicitur: Non festinet, id est, patiẽter ferat. Adhuc enim grandis illi superest via: & per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Istud verè est non festinare: sed expectare absque cõfusione in spe certa, & minimè confusibili. *Vobis igitur honor credẽtibus*, id est: Hic lapis est vobis, qui fideles estis, honor vester & gloria. Ille enim ita est à Deo honorificatus, vt quicunque illi hærent, etiam honorificentur. Siquidem per Spiritum viuificantem & coniungentem, vnum quodam modo cum illo reddimur. Quæ coniunctio maximè apparebit in futura gloria. *Non credentibus autem*, id est, recusantibus, & credere nolentibus. Et ad Iudæos primùm hic sermo dirigitur, eorumq; principes ac primores. *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Merito qui reprobant lapidem, & patremfamiliãs, & domum ipsius domus, reprobabuntur: & ipse lapis se in angulum ponet, vt omnis populus queat in illum incumbere. Itaque lapis hic, qui venerat ad omnium salutem, inuentus est ad scandalum multis & perditionem. Vnde dictus est, *Lapis offensionis*, in quem plurimi Iudæorum offenderunt: *Et petra scandali*, quia de cruce scandalũ volentes ac prudentes propter suam ipsorum superbiam acceperunt. *His qui offenderunt in Verbum.* Ita habet lectio Græca, & melius. Offenderunt Iudæi in Verbum, id est, in Filium, in quem nefariam mortem machinati sunt.

Notet hæreticus.

Isa. 28.

Matth.21. Hic est hæres, inquiunt, venite occidamus eum, & nostra erit eius hæreditas.

Nec credunt, in quo & positi sunt, id est, & adhuc nolunt credere, cum tamen eorum vita sit per adhæsionem in illo posita. Et hic aduerte, quomodo non erant à Deo reprobati, sed ad vitam ordinati si eam non respuissent, & non dilexissent magis tenebras quàm lucem. Porrò ad eos qui crediderunt conuertens se Summus Apostolorum, ait:

Vos autem genus electum: id est, Ab illis incredulis Dei electione propter vestram fidem segregatum. Non est enim sermo de prima illa electione, quæ est perpaucorum. Vnde & Deuter. 26. Electus ille populus, & peculiaris Deo dicitur, quandiu seruaret mandata eius. *Regale sacerdotium*, Non dixit regnum sacerdotale, sicut Moses de illo populo, in quo principale erat regnum, cui accedebat carnale sacerdotium. Nunc in oppositum commutata est res, vt sacerdotium spirituale emineat, & regia carnalis potestas accedat, sicut congruum est: quamuis hæretici fremant. Haud enim dubium, Christū regem fuisse, & sacerdotem, qui bonam confessionem fecit coram Pontio Pilato, dum interrogatus num esset rex, respōdit: Tu dicis, quia rex sum ego.
Ioan.18. Declarauerat autem prius regnum suum non esse ex hoc mundo, sed à Deo. Nec regnum esse sæculare, quod habet pro fine suo vel diuitias, vel gloriā mundi, aut quid tale (nam hoc regnum cum illi oblatum esset, fugiens recusauit) sed regnum spirituale, cui pro fine vita æterna asseruatur in patria: interim regnum est tanquam in militia. Per sacerdotium ergo intellige potestatem intercedendi, ac (vt ita dicam) mediandi inter Deum & homines per hostias, & munera, & orationes. Nos autem esse sacerdotium nō ita stultè intelligimus: quod tamen hæresis Lutherana docet. Sed quòd vniuersa populi Christiani congregatio, quę est Ecclesia, habet in se sacerdotij dignitatē, & vtilitatem. Oportuit enim esse quosdam in ecclesia, & qui sacrificarent, & alios qui sacrificij commoda reciperēt. Sic etiam est regnum in ecclesia, non quidem vt omnes æquè sint reges: nam prorsus hoc impossibile est. Si enim omnes reges essent, vbi, obsecro, qui regerentur? Ergo regnum est: quia vtrique adsunt, & qui regant scilicet, & qui regantur. Nō sum nescius aliquo modo dici posse quemlibet Christianum regem, cum regat semetipsum, & passionibus imperet. Sic & vnusquisque aliquo modo sacerdos diceretur, qui offerat semetipsum velut hostiā rationabilem. Sed non videtur hic sensus completus, sed potius & verius priore intelligentia accipiēdum est, quemadmodum & illud Apocalypsis:
Apoc.1. Fecit nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Vt enim reuera non omnes fecit reges, ita nec omnes sacerdotes: omnes tamē de regni, & sacerdotij bonis & commodis participantes. Sic Romanos vniuersaliter dicere possumus habuisse regnum, senatum, consulatum. Non quasi omnes reges, aut senatores consulésue fuerint: sed cum ad omnes spectarent & regni, & senatus, & consulatus fructus, qui ad commune omnium commodum ordinabātur. Verè igitur Papa noster, in eo quod Papa, est rex loco Christi: sed non ex hoc mundo. Ad regendum & pascendum oues à Christo relictus est ecclesiæ, & pręses constitutus, ad finem illum qui est vita æterna. Non autem ad luxum, non ad pompam, & id genus alia, quæ non solùm non ad rem faciunt, sed abducunt. Qua de re longus haberi sermo posset, sed minus hoc tempore propter scādalum infirmiorum necessarius. Nam perpende, quę so, mecum malignitatem mundi. Si in summa hac dignitate splendor secularis nō illuceret, redit pristinum crucis scandalum: quoniam nos apud vulgus hominum reddimur contemptibiles, qui ecclesiasticam dignitatem his ornamentis destitutā venerari nequeunt. Sin hunc splēdorem addimus, ab hypocritis increpamur, qui nos terrenis principibus, & Gentium regibus qui tyrannicè dominātur, assimiles vociferantur. Adhiberi certè poterat quoddam temperamentum, vt & occasio auferretur malignis detrahendi, & infirmioribus contemnendi. Quòd enim malignis occasiones ingentes ac patentes præbeamus, quis potest nisi sit impudentissimæ frontis inficiari? O Iesu bone emitte Spiritum tuum, & creabuntur. O sanctissimi Petre & Paule, dirigite oculos vestros, & videte, & misereminі. Sed ad rem nostram.

Papa igitur verè est rex, Christi loco, & spiritualis: qui & verbo & exemplo per seipsum, & per alios pascere suum gregē debet. Est & summus Pontifex, mediator post Christum pro omnibus ouibus per hostiam viuentem, ipsum Dominum, in qua hostia etiam semetipsum ita aptare debet, vt ipse hostia (si opus fuerit) pro ouibus suis efficiatur. Hoc exegit Dominus quando tertiò dixit Pe- *Ioan. vlti.* tro: Amas me? Pasce oues meas. Et paulò post: Sequere me. Verùm hæc tantum abest vt opere compleamus, vt nec intellectu quidem assequamur. In ea siquidem tempora incidimus, quando iam videntur hæc somniorum esse & cuiusdam delirationis similima. *Gens sancta*, id est, mundificata, *Populus acquisitionis*, Quæsitus scilicet & redemptus ab hostibus medio sanguinis Agni immaculati pretio: quo satisfactum est diabolo, mundo, & Deo Patri. Diabolo, qui iniustè sitiuit sanguinem illum effundi, & sic inhonorari Deum: Mundo, qui in hoc opere minister extitit diaboli: Patri verò, qui permisit tandem & voluit, & hoc ipsum ordinauit in optimum finem. Nam Filium quidem gloriosiorem reddidit, & nos populum acceptabilē, & sectatorem bonorum operum sibi acquisiuit.

Vt virtutes annuncietis eius qui vocauit vos, &c. Hic sermo ad Iudęos, & primos in ecclesiis attinet. Sūptus est autem ex Isaia. 43. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit. Nō enim est omnium pariter annunciare. Quapropter in Ecclesia vt non omnes Apostoli, nec omnes doctores: ita nec omnes reges, aut sacerdotes siue Episcopi. Aliter quid esset ecclesia nisi turris Babylon restaurata, qualis est apud hæreticos? Et deterior esset, nisi & illi (velit nolit) cōtra sua dogmata ordinē aliquē inter se obseruarēt. Vocauit ergo nos Deus è tenebris, *In admirabile lumen suum*, Hic est Christus lumen de lumine, qui dixit: Ego sum lux mūdi. Quicunque igitur est sine hac luce, in tenebris versatur & vnde venit nescit, nec quò vadat. Nos autem, Deo semper gratię sint, & scimus vnde venimus, & quò vadimus, & viam scimus vnde venimus, & quò vadimus, & viam scimus quam ille prior strauit. Hęc est via regia sanctissimę crucis. Sed quot

mihi iā inter Christianos numerabis qui (vt oporteret) eam nouerint, nedum conficiant?

Qui aliquando non populus Dei, &c. Hoc testimonium ex Oseæ prophetia sumitur, cap. 1. quod non solùm ad Gentes pertinet, in quem sensum B. Paulus ad Romanos adduxit, sed vniuersaliter ad omnes, etiam Iudæos. Testis est hoc in loco B. Petrus. Erant enim & Iudæi eo tempore sine Christo in quem non credebant, & sic nō erant populus Dei verus. Postremo verò quùm multi post ascensionē Domini prædicatione Apostolorum cōuersi sunt, & præcipuè prædicatione ipsius B. Petri, ideo pertinuerunt ad populum acquisitionis, cuius tamen prius non erant.

Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam: conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam, vt in eo quòd detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorū, laudem verò bonorum. Quia sic est volūtas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatē: sed sicut serui Dei. Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis: sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gratia si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes, patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis. Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplū vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit: nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniustè: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nūc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.

Charissimi, obsecro vos, &c. Charissimos vocat (Græcè dilectos) & illos obsecrat vt tanquam aduenæ & peregrini abstineant à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, siue spiritum, vt bene conuersentur inter Gentes. Hoc enim magnum est: quia vitæ sanctæ exempla ædificant efficacius, quàm mera verba. Ideo subnectit: *Vt in eo quòd detrectant de vobis*, melius detrahunt, *ex bonis operibus considerantes*, id est, ex ipsis operibus bonis agnoscentes veritatem, *glorificent Deum*. Hac doctrina Dominus instruebat Discipulos, aiens: Sic lu- *Matth.5.* ceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, *In die visitationis*, Quando visitabuntur à Domino misericorditer in hoc mundo: vel secundum iustitiam in alio, quando dicent: Hi sunt quos *Sap.5.* aliquádo habuimus in derisum, &c. Totum enim pertinebit ad maximam Dei gloriam.

Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum. Hoc pręceptum est generale, vt quisque animo sit paratus propter Christum subiici omnibus hominibus. Facto autem reddat vnicuique iuxta decentiam & gradum hominum: *Siue regi tanquam præcellenti*: quia rex honore debet alios pręcellere: *Siue ducibus, tanquam ab eo missis*. Ab eo (supple tu) rege: quia reges mittunt administratores iustitiæ, quos hic B. Petrus Græca voce appellat præsides, potius quàm duces, ad rem propositam, *Ad vindictam malefactorum*, id est, eorum qui malefaciunt, *Laudem verò bonorum*, eorum qui benefaciūt: qui vel ea ratione tum habent laudem à rege, cum minimè ad eius tribunal rapiuntur: vt sic appareāt innocentes, *Quia sic est voluntas Dei vt benefacientes, &c.* Sic enim vita Christiana superauit omnem tyrannidem, & obstruxit os iniquorum & imprudētium, nempe his tribus: Benefacere: Mala pati: Lætari. Et hæc fuit voluntas Dei beneplacens ac perfecta. Obsecro Domine Deus, fiat hæc tua voluntas in me: quoniam hoc magnum est donū & perpaucorum.

Quasi liberi, & non quasi velamen malitiæ habentes libertatem. Hoc verbum directò in nostros hypocritas iaculatur, qui dicunt se in libertatem vocatos, & propterea nolunt subdi. At istud prorsus nō est liberatos esse, & liberos. Qui enim verè sunt liberi, non metuunt hanc seruitutem, quæ animo libero non imperat. Ille verè liber est, qui dum homini propter Deum subditur, re vera nō homini subditur, sed Deo. *Sed sicut serui Dei*, ait B. Petrus, Et subdit, *Omnes honorate*, B. Paulus dixit: Honore inuicē pręuenientes. Omnis enim Christianus dignus est *Rom.12.* honore, tum quia filius Dei est, & cùm interim nesciamus quisnam inter nos secūdum Deum maior, quilibet debet alium vt se maiorem existimare. Nonne Christus Dominus noster sese exinaniuit, cum tamen verè esset omnium maximus?

Fraternitatem diligite, hoc est, fraternam societatem & conuersationem, siue contubernium, *Deum timete*, Timore illo sancto, qui conuenit tantæ maiestati, *Regem honorificate*, Impendendo tributa, & alios honores debitos, non solum subiectionem, quam prædixerat. *Serui subditi estote, &c.* Vult igitur seruos obedire & cum omni timore Dominis suis, id est, pauidè & cum reuerentia, ne illos exacerbent. Et hoc præstari vult non solum bonis & modestis, siue mansuetis, *sed etiam dyscolis*, id est, difficilibus & acerbis, quales sunt multi qui non cogitant se quoque Dominum habere in cœlis, qua

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

mensura mensi alijs fuerimus, remetiétem nobis. Porrò ne quis dicat, quod frequentissimum est in ore multorum, Interim patitur iustus, respondet:

Hæc est enim gratia, id est, in hoc versatur iustitia & æquitas, quam Deus loco gratiæ accipiat, idest, vt, tem gratam, id quod factum est propter illum, & ita gratias referat pro gratia. In hunc enim sensum accipitur gratia. Vnde dixit Dominus: Si diligitis eos, qui vos diligũt, quæ gratia est vobis? Hãc igitur ait hic esse gratiam, nimirũ, *Si propter Dei cõscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè.* Quid est propter Dei conscientiam, nisi propter eius, qui sustinet probra iniustè illata, conscientiam, quæ est sibi nota quòd scilicet propter Deum patitur? Hæc conscientia est murus ille aeneus, in quo solidissimè perstat vir eiusmodi: quoniam habet spõsionem Dei firmissimam in corde suo. Videãt hoc & considerent qui incertitudinem gratiæ beatificant, & conscientias dubias, & consequenter impacatas relinquunt. *Quæ enim est gratia si peccãtes & colaphizati suffertis?* Quid potestis, ait, gratiæ expectare pro gratia, si quod æquum est iustè patientes rependitis? *In hoc enim vocati estis:* Nimirum ad patiendum innocenter propter Christum, non propter scelera vestra. Et significãs in quo fundata est hæc lex exponit: *Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.* Hæc est sapientia eiusmodi, quam qui non nouit, nihil nouit. Pater autem omnibus hæc via qui volunt sequi vestigia summi Ducis, *Qui cum malediceretur, &c.* Clara sunt omnia: Illud solum, *Tradebat autem iudicanti se iniustè*, græce aliter habetur, & meo iudicio melius, in hũc modum: *Tradebat autem iudicanti iustè*, idest, causam suam commisit & commendauit Deo iusto iudici, *Qui peccata nostra, &c.* Hæc multis locis leguntur, & iam exposita sunt. Opus nunc esset meditatione ac imitatione, & facto ad implẽdum, & reipsa declarandum nos verè esse mortuos peccatis, & iustitiæ viuos. Ille peccatis est mortuus, qui concupiscentiis illectus & attractus, eas quasi mortuus quidam non sentit, & hic est qui viuit iustitiæ. *Erratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Hic Episcopus & Pastor verus & summus, vnus est Christus: cæteri verò, etiam ipse B. Petrus, vicarij sunt pastores. Vnde dictũ est Petro: Pasce oues meas, & agnos meos. Non dixit, oues tuas, & agnos tuos. Nam ipse Dominus, non autem Petrus, pro nobis est crucifixus. Potest tamen aliquo modo dicere & Petrus oues meas, & agnos meos, quatenus vicarius pastor: & habet suam veritatem.

Luc. 6.

Pro certit. gratiæ.

Ioan. 21.

CAP. III.

SImiliter & mulieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non credunt verbo, per mulierũ conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram: quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorũ cultus: sed qui abscõditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ propriis viris: sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cuius estis filiæ bene facientes, & nõ pertimentes vllam perturbationem.

Similiter & mulieres, &c. Erant Apostolica præcepta & admoniriones. Primò quidẽ generales, spectantes ad omnem omnium hominum statum. Postmodo autem patticulares ad priuatos & singulos status. Hactenus dixerat de seruis. Tùm ascendit ad mulieres viris coniunctas & Christianas, quas primò vult salua pietate semper sub suis viris, etiam infidelibus esse subiectas. Vnde ait, *Vt & si qui non credunt verbo*, id est, euangelicæ prædicationi, *Per mulierum conuersationem, &c.* Vide quãtum præstet interdum bona conuersatio, vt quod fieri verbo non potest, infidelium scilicet ad veritatem conuersio, fiat per bonam conuersationem sine verbo, dum considerant ipsam Christianorũ cõuersationem sanctam & castam, & timore Dei suffultam. Potest & sic exponi quod, *Lucrifiant considerantes in timore castam conuersationem vestram*, quæ est quoddam tacitum verbum, sed potens & efficax ad excutiendum quendam reuerantiæ timorẽ ab animis eorum qui nondum perditi sunt. Nã qui ea morum sanctimonia viuunt, nescio quid diuini præ se ferunt, & ostendunt legem Dei in corde suo inscriptam. Hoc de muliere dixerat B. Paulus: Vnde scis mulier si virum saluum facies? nimirũ Christiano odore. Hoc de loco fortassis quidam audebunt defendere congregationem nostris exortam temporibus, in qua promiscuè (vt iam ad Corint. attigimus) viri habitant & mulieres & quæ horrea vel recitare, vt probent quantum spiritualiter profecerint, concunbunt simul mas & fœmlna. Confitentur mares etiam sacerdotes peccata sua fœminis, & ab eis accipiunt satisfactionis imposita opera. Illius congregationis Domina & Abbatissa, vtpote quæ Spiritu sancto (vt aiunt) agitur soluta legibus dicitur, & omnia diiudicat, & ipsa à nemine iudicatur. O tempora infelicia: ô quot Antichristi hodie? B. Bernardus egregiè super Cant. serm. 65. Hoc genus sectæ quæ suo tẽpore exoriebatur, infectatus est, & vulpeculas vt bonus canis pastoris, dignis morsibus laniauit.

De virtute bonæ conuersationis faminarũ.

1. Cor. 7.

Notandũ.

Quarum non sit extrinsecus capillatura, &c. Quid obsecro, diceret S. Apostolus nostris temporibus? Verè indulgent nimium prædicatores & sacerdotes, qui hæc non solùm acriter non reprehendunt, sed facilè absoluunt mulieres quæ his ornamentis superfluis & lasciuis incumbunt: vnde multæ criminum occasiones ad libidinum fomenta excitãtur. Qua in parte, meo iudicio, multum aberrant qui nescio quibus excusationib", & scholasticis distinctionibus videntur hãc rem componere. Quapropter res in immensum creuit, & proculdubiò iram Dei excitauit. Quid est enim adeo immodestum, adeo superfluum, adeo superbum, adeo lasciuum genus & vestimentorum & ornamentorum in capite, & capillatura, & auribus, & collo, & pectore, & cæteris denique membris, quod non sint amplexę nostri temporis mulieres? Interim tamen volunt vocari pudicæ, quæ superant his lasciuiis & impudicissimis ornamẽtis publicas meretrices. Huiusmodi turpissimum abusum iam tractauimus in epistola ad Timotheum, vbi elegantissimam B. Chrysostomi inuectiuã in has vanissimas mulierculas produximus. Et illam item tremendam Dei comminationem apud Isaiam c. 3, ad quem locum lectorẽ remitto. Sunt enim efficacissima ad refellẽdas Caietani cauillationes, qui licentiosior hac in parte fuit, fouere potius quàm extinguere mulierum fomitem conatus.

In luxum vestiũ muliebrium.

Cogitent ergo qui tam facilè mulieribus indulgent, siue sint ipsarum viri, stolidiores certè quàm illę: siue sint sacerdotes Dei, quid ipsi respondebũt scripturis hæc tanta seueritate prohibentibus tam manifestè: quoniam hæc externa hominis corruptibilia sunt. Sed homo interior ornandus erat vir tutibus. Etenim cum sit secundum animam incorruptibilis, ornamentum ipsum esse decet incorruptibile, virtutibus animi, non corporis vestibus: vt sit etiam per gratiam incorruptibilis. Vnde ait Apostolorum Princeps:

Sed qui absconditus est cordis homo, &c. Cõstructio huius loci sic ordinanda est, *Non sit extrinsecus capillatura, &c. Sed* (repetatur illud, *sit*) *sit homo cordis &c.* Hũc B. Paulus interiorem hominem vocauit, qui abscõditus est, *sit*, inquam, *in incorruptibilitate*, manet hic homo incorruptibilis per innocentiã: quia peccato corrumpitur. Non quòd absolute desinat esse: sed quoniam moritur gratiæ Dei, & priuatur vita spiritus. Sit igitur hic homo cordis in hac incorruptibilitate, *quieti ac modesti spiritus*, non excitator turbarum, sed sine querela in mansuetudine temperatus, *qui est in conspectu Dei locuples.* Talis homo interior his ornamentis virtutum præditus, ostendit in conspectu Dei se locupletem in bonis & sanctis virtutibus & opulentum.

Col. 3.

Sic enim aliquãdo & sanctæ mulieres sperantes in Deo, &c. Historiæ sanctæ nobis frequentet proponunt acta & gesta sanctorum maiorum, cum fœminarum, tum etiam virorum: vt hoc & illas & viri & fœminæ in suæ vitæ exempla sumant & vsum. Hic B. Petrus profert sanctas mulieres, quæ illum hominem interiorem in omni mansuetudine ac modestia ostendebant ornatu quem gerebant, dum subiiciebantur suis viris, quemadmodum illis erat in præcepto antiquo mandatum: Sub viri potestate eris. Et Saram profert ex nomine, quæ vocabat Abraham Dominum suum, non quasi ancilla, sed quasi coniunx, impar tamen habita viri dignitate, qui est caput mulieris. *Cuius estis filiæ.* Ostendere vult B. Petrus, Vt ipse Abraham propositus erat pater multarum gentium, ad quem imitandum debebant filij se componere: sic & Sara mater facta est exemplum imitationis fœminis: vt similiter benefaciãt, & nõ sint domus perturbatrices: quod peccatum maximè cauebunt, in ipsa humili subiectione permanentes.

Viri similiter, cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ. In fine autẽ: omnes vnanimes, compatiẽtes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed econtrariò, benedicẽtes: quia in hoc vocati estis vt benedictionẽ hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos: coerceat linguã suã à malo, & labia eius ne loquantur dolũ. Declinet à malo, & faciat bonũ: inquirat pacẽ, & sequatur eã: quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala.

Viri similiter cohabitantes secundum scientiam. Quid est cohabitare secundum scientiam, nisi eam sanctæ vitæ formam, quam scientia dictat esse obseruandam? Et ad eos hoc potissimum pertinet, quorum munus est docere alios ac regere, inter quos numerantur viri, qui debent regere vxores suas. Quamobrem cum sciunt mulierem esse infirmius vasculum, ab hac scientia debent ita esse instructi, vt impartiãt illi abundãtiorem honorem, ne quid ei desit circumspectè prouidẽtes, vt & domus cura, quantum spectat ad muliebria officia, illis liberaliter committatur, tanquam verè matres fam. vt & ipsa mulier recognoscatur domina domus. Vnde addit: *Tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ*, ac si dixerit, Si & illas simul cum vitis dignatur Deus sua gratia, quæ parit vitam & veram vitam, vt in illa gratia sint cohæredes, cur dedignabitur vir habere illam in honore vt sociam, & simul dominam domus: tum non sine muliere veniant familiæ & domus? *Vt non impediantur orationes vestræ.* Nihil est quo magis impediantur orationes, quàm mutua animorũ perturbatione, quæ si ex domesticis simultatibus, aut rixis oriatur, acerbior est omnino, & magnopere auertit à Deo. Vbi notandum, quomodo orationes in illa ecclesia primitiua erant assiduæ & communes, non solùm eorum qui renunciabant per omnia, sed Christianorum omnium.

In fine, hoc est, in summa, id enim græca lectio magis manifestat. Et reuertitur ad generalẽ doctrinã ad omnes pertinẽtem: *Omnes vnanimes*: In qua re cõsistit fortitudo, ea enim vnanimitas pacem & concordiã retinet, qua stãte alienæ & extraneæ vires inualidæ ad expugnandum inueniuntur: præsertim quòd amans hanc vnitatem Dominus dixit: Si duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. *Compatientes.* Si hoc desit, vnanimitas tollitur: quæ contrà si adsit, quomodo non compatietur membrum membro, si codẽ fuerint spiritu colligata? Cum igitur non compatitur homo, signum certum est vel nexum illum spiritus non adesse: aut si adest, stupidum esse.

Matth. 18.

Fraternitatis amatores, misericordes, &c. Hæc sunt cõnexa. Nam si sit vnitas, compassio est, & fraternitatis amor, & misericordia, siue (vt græca vox sonat) affabilitas. *Modesti.* Modestia est arrogantiæ contraria & præsumptioni, quæ magnopere lucet, & spectatur, & placet: sed non absque humilitate, quæ non est ambitiosa, nec optat aliis præesse. Vnde addidit, humiles eos esse debere. *Non reddentes malum pro malo, &c.* Iterum Christi legem commemorat, ad quam perficiendam erant vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cati, quę est: Malefacientibus esse benefaciendum, vt verè filij Dei efficerentur, qui oriri facit solem suum super bonos & malos, & pluit gratias super iustos & peccatores: vt quicunque Deo ita præcipienti obtemperauerint, benedicentur, & accipiēt veram filiorum & sempiternam hæreditatem.

Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, &c. Ex verbis psalmi. 33. exhortatur. De vera autē vita est sermo, quam horum obseruantia præcepto rum obtinemus. In vita illa sunt boni dies, non mali: sicut sunt mali dies in vita hac nostra. Vnde B. Paulus, Redimētes, inquit, tempus: quoniam dies mali sunt. Et Dominus: Sufficit diei malitia sua. Quapropter viri boni, & meditatores futurorum bonorum, miro desiderio incenduntur, & videre cupiunt dies illos bonos, & seruāt ea quæ hic Princeps Apostolorum commemorat. Coercent enim linguas suas à malo, abhorrentes à blasphemia, & detractione, & susurrio, & murmuratione, & turpiloquio, & stultiloquio, & vaniloquio, & multiloquio, in quo non deest peccatum. Prohibent etiam labia ne proferāt dolosum ac damnosum mēdacium. Declinant denique à malo, & faciunt bonum: in quo consistit integra lex. Inquirūt pacem, & sequuntur eam, quæ est fructus spiritus. Nō potest autem esse pax non habentibus spem futurorū & assiduum oculum ad illa bona æterna.

Eph. 5. *Matt. 6.*

Quia oculi Domini super iustos. Oculos beneuolentiæ suæ dirigit in iustos Dominus, vt protegat: & aures eius in preces eorum, ad exaudiendum illos, *Vultus autem Domini*, id est, indignatio & ira, *super facientes mala.* Hi sunt qui libenter peccant, & nō tāmen pœnitētia. Isti thesaurizāt sibi iræ in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, cuius longanimitate abutuntur & patiētia, expectātis ad pœnitentiā.

Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorē autem eorum ne timueritis: & nō conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscēti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, sed cum modestia & timore conscientiā habentes bonam: vt in eo quòd detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Melius est enim vt bene facientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malè facientes. Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem Spiritu. In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prędicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nūc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium: sed conscientię bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionē Iesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlū, subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.

Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Exemplum Christi & iustorum æmulantes in charismatibus melioribus. Ideo dicit: *Si boni æmulatores fueritis*, hoc est, bonarum virtutum. Ille dixit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Si tales fuerimus, nullus est qui nobis nocere possit. Omnino illud verissimū, & dignū aureis literis scribi, quod elegātissimo sermone prosequitur Aureū os: Nemo lædirur nisi à seipso. *Sed & si quid patimini propter iustitiā, beati.* Non dixit B. Petrus: Nō patiemini, sed: Nemo vobis nocebit. Nam & persequētes vos propter iustitiam nō solùm vobis non nocebūt, verùm etiā proderunt: nec id solùm, quin & beatiores atque illustriores reddent. O beatā illam animam, quæ hoc experitur in semetipsa.

Matt. 11. *B. Chrys.*

Timorem autem eorum ne timueritis. Sensus clarus, ne terrorem timeant quemcunque possent aduersarij incutere. *Et non conturbemini*, Seruū enim Dei decet non conturbari à minis ac terroribus hominum vt declinet à veritate. Iustum (ait scriptura) non conturbabit quicquid ei acciderit. *Prou. 12.*

Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, hoc est, confirmate illum, quod fit per mūditiam. Quantò enim aliquid est purius & mundius, tantò est etiam fortius. Hoc orat oratio dominica. *Paratè semper ad satisfactionem, &c.* Græcè legimus, *apologiam*, id est, defensionem. Hoc potissimum ad Episcopos & Magistros pertinet. Sed nemo legitimè ac probè satisfaciet, nisi experientia intus norit, quod verbo foris audiuit. Scientia ergò & sapientia nostra satis est ad satisfaciendum obiectis. Non ita tamen vt ea demōstremus quæ credimus, & speramus: sed qui ostendamus nos non temerè quidem, & sine ratione credere & sperare. Fidei enim certitudinem habemus, qua certitudine nobis aduersantes implerentur & pacarentur, si patienter, & parati suscipere veritatem audirent. Et enim ingenuè cum Samaritanis fatentur: Non iam propter tuam loquelam credimus, sed ipsi vidimus, &c. Quando verò satisfacimus, debemus satisfacere, *Cum modestia & timore.* Primùm cū mōdestia propter illos, ne perturbentur & scandalum capiant potius, si arrogantes fuerimus: tum & cū timore. Quidam accipiunt pro reuerentia erga illos cum quibus congredimur. Ego verò satis puto illis exhiberi debere modestiam, vt timor Dei in hoc seruetur, si qui aliis satisfacit de spe sua, videat an illam ipse habeat, & quomodo habeat.

Ioan. 4.

Vnde rectè sequitur: *Bonam habentes conscientiam vt in eo, &c.* Satis ergo declaratur quid est cum timore, ne videlicet in eum congruat, quod habetur in psalmis: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Potiùs ergo per modestiam & mansuetudinem ostendant falsam hominum de Christianis persuasionem, quæ tunc *Psal. 49.*

erat propter persequutiones, quas Diabolus per suas calumnias, & sua membra excitabat.

Melius est enim, &c. Facile est istud intellectu: vtinam ita facile factu. Hoc opus, hic labor est: & tamen habemus tantum exemplum, *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Quod facit ad mysterium, & exemplum. Dico ad exemplum: quia & nos, *semel*, id est in hac vita passuri sumus & morituri in illo. Postmodo verò adepturi gloriam: sicut ille post passionem est adeptus. Dico ad mysterium: quia & nos semel mortui peccatis, & iam excitati ad vitam, debemus discere non vlterius peccare, nec mori.

Vt nos offerret Deo, quasi hostias sibi incorporatas, *Mortificatos quidē carne, &c.* Tales sunt hostiæ quas acceptat Deus, viuentes scilicet, non mortuæ, quēadmodum B. Paulus docet: Hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, &c. Viuentes, inquam, spiritu, sed carne mortificatos: quia caro aduersus spiritum pugnat. Offert autem Deo nos Christus in baptismo: in eo enim incorporamur in ipsum. In græcis tamen legitur: *Mortificatus & viuificatus*, & hanc lectionem sequitur B. Augustinus, epistola 99. vt totum referatur ad Christum, qui crucifixus obtulit nos Deo, mortificatus quidem carne per crucem: viuificatus autem spiritu, postquam solutus est à ditione mortis, quæ iniustè imperium in ipsum exercuit. Quamobrem hinc recedens, spiritum suum Deo Patri commendauit, vt posset victor ac triumphator gloriosus resurgere. *Rom. 12.*

In quo & his qui in carcere erant, &c. Obscurus est admodum hic locus, vt testatur B. Augustin°: imò ipsemet locus per se indicat. Caietanus tamen ait B. Petrum clarè dicere, quòd Christus qui in anima descendit ad inferos, prædicauit animabus illorū qui fuerant increduli in diebus Noe. Quæ prędicatio non fuit solūmodo sui manifestatio, quòd ipse esset Messias: hæc enim fuit communis omnibus, etiam Dæmoniis. Illa autem de qua hic B. Petrus, fuit peculiaris iis qui in tēpore Noe inueniebantur: & ait fuisse illis fructuosam. Sed quo pacto fuerit, aut esse potuerit fructuosa, non aperit: nec prędicationis tenorē declarat. Quem enim fructum poterant inde colligere, qui increduli fuerāt & contumaces? Ait non fuisse illos absque vera fide Dei, licet increduli fuissent Noe. Sed placuerūt Deo, quia confidebant in longanimitate Dei.

Verùm hæc commentatio vana est. Qui enim fuerunt increduli Noe, fuerunt etiam increduli Deo, qui per os prophetæ loquebatur, & erat iustus. Nec illis potuit prodesse quòd crederent esse Deum, cùm & hoc Dæmones credant: nec expectare Dei longanimitatem persistētes in peccatis, subleuabat eos, cùm illa expectatio tētatio Dei esset. Longanimitas enim Dei, pœnitentiam exigit: quā nisi reddimus, longanimitate abutimur. Vnde Apostolus tāto spiritu: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitētiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Præterea, Si iam illi increduli fuerāt iudicati per ea quæ egerūt in vita, quem fructum potuit illis noua prædicatio afferre? Igitur B. Augustinus reprobato sensu priore, dixit hanc Christi prædicationem significare illam quam fecit ante aduentum per prophetas, per quorum os Spiritus Christi prædicabat, & particulariter per os Noe. Et ideo Christus ipse dicitur in Spiritu ad illos venisse & prædicasse: sicut & Ioannes dicitur venisse in Spiritu & virtute Eliæ. Voluit ergo hic B. Petrus ostendere Deum, quod ex se fuit, nunquam dimisisse mundum absque lege & legis notitia, vt posset postmodo incredulos iure iudicare, & credentes & expectantes Dei longanimitatem saluos facere: quia sine lege nulla est præuaricatio, & ideo nullum iudicium. Hæc expositio plana esset, nisi vnus tantùm superesset scrupulus: quoniam hic dicit Christum prædicasse spiritibus. Vix autē in vniuersa scriptura reperias, homines adhuc viuentes vocari spiritus. Sunt ergo qui putarunt esse hic sermonem de Christi prędicatione ad inferos, quando post mortem illūc descendit, & visitauit suos. Hic dicitur allocutus eos qui fuerunt incredulis in diebus Noe, & ideo perierunt secundum corpus: & tamen, vt verisimile est, salui facti sunt Dei clementia multi illorum: quia illos pœnituit suæ perfidiæ & malè actæ vitæ (sicut fecit Latro in cruce) & fidem & simul gratiam acceperunt. Ad hos igitur habuit verbum Domini, vt agnoscerent per quem salutem adepti fuerunt, quod explicitè cum viuerent non nouerūr, tanquam diceret: Ecce ego, quia nō est aliud nomen sub cœlo datū, per quod cuique contingere possit salus. Hæc expositio pulchra est, & (vt arbitror) continet veritatem. Sed & illi obstare posset, quòd non videtur illis conuenire quod sequitur, *Expectantes longanimitatem Dei.* Quoniam enim increduli erant, ideo non curabāt: & ideo non expectabant Dei longanimitatem. Quum verò repentinus venit interitus, non erat iam longanimitas Dei. Et re vera in scripturis, expectare Dei longanimitatem, est iustorum, nō incredulorum. Verùm est alia lectio in græcis, legitur enim, Quando semel expectabatur longanimitas Dei, &c. Et possumus intelligere quòd expectabatur nō ab illis incredulis, sed à Noe & filiis: & fortasse nonnullis aliis qui ante irruptionem aquarū mortui sunt cum pietate. B. Augustinus tamen legit: Quando expectabat patientia Dei: cui lectioni græca vox μακροθυμία non repugnat, cùm sit significationis communis. Longanimitas ergo siue patientia Dei erat, quæ semel, id est, vsque ad præfixū terminum expectabat cōuersionem illorum. Huic ergo intelligentiæ id solum video obstare: quòd cum hæc prędicatio congrueret multis aliis, qui in eadem causa inueniebantur, mirum videtur quòd de his tantum mentio facta sit, qui fuerunt tempore Noe. Cur enim non ad eos etiam prædicatum fuit, qui perierunt per ignem in Sodoma, & aliis ciuitatibus? Quorum nonnullos pari ratione in tāto discrimine per pœnitentiam fuisse salutem assequutos, pium est credere. Fortè respondebitur, satis fuisse proponi illud magnum originalis mundi exemplum propter numerosissimam turbam, vt ex illo Dei iudicū in cæteris cōiectaremus. Nunc lector acutus consideret, & consulat simul alium locum in sequenti cap. vbi eadem res videtur tractari, & eadem difficultas. *Rom. 2.*

Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, Quod interpres vertit, *Similis formæ*, græca lectio

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet, ἀντίτυπον, & significat exemplum simile, vel contrarie, vel alioquin oppositè: quia sicut illi octo per aquam salui facti sunt euadentes aquarum impetum ne mergerentur, ita & nos, contrario tamè modo, per contactum aquæ, & per immersionem in aquas baptismatis, quod in arca id est, in ecclesia suscipitur, salui fimus. Sic & ἀντίτυπον id est, similis formæ exemplum per contrarium inspicim° in secundo nostro Adam respectu primi. Ille enim per lignum damnauit: noster per lignum à damnatione eripuit. Et hoc est pulchrum & admirãdum opus Dei, vt inde veniat obedientibus salus, vnde reprobis veniat exitium, nempe ab aquis, quibus tamen omnes deberemus succumbere. Sed fidei obedientia efficit ne nos attingant in malum, & nos aliis pereuntibus euadamus. *Num carnis depositio sordium, &c.* Sacramentum baptismi signum est eius quod agitur. Non enim aqua illa suscipitur ad eluendas, aut deponendas carnis sordes: sed vt scimus quæ externè fieri videtur in carne à ministro, illud intus efficit in corde à Deo. Quandoquidem salus non est absque illius qui saluatur voluntate. Ideo interrogatio bonæ cõscientiæ erga Deũ hanc salutẽ operatur, quum is qui baptizatur nõ fictè & dolo venit ad baptismum, sed bona fide per interrogationem bonæ conscientiæ erga Deũ. Sicut patet in ritu & traditione huius sacramenti baptismi.

Per resurrectionem Iesu Christi. Per illam enim & nos resurgimus à morte peccati in vitam nouam. Et ne quis dicat: Quomodo hoc facit Iesus Christus: Respondet, per eius merita: quia lucratus est omnia, & iam sedet ad dexteram Patris. Deglutiuit tamen mortem ipse in primis, vt sic illa euicta redderet nos vitæ æternæ hæredes. *Profectus in cœlũ subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.* Caietanus habet pro superfluo totũ illud: Profectus in cœlum, &c. alij solum quæ sequũtur: Subiectis, &c. Et tamen nunc in græcis nouæ editionis omnia leguntur, & optimè manent. Deus enim subiecit illi omnia, & Principatus, & Potestates, & Virtutes, & prorsus omnia siue in cœlo, siue in terra. Hoc duntaxat notandum est, cur de Potestatibus & Virtutibus solummodo mentionem faciat. B. enim Paulus declarauit eum etiam euectum super omnem Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur nõ solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: ita vt nihil prorsus excipiatur, nisi solus qui subiecit ei omnia,
1.Cor.15. vt idem ait. Hæc Angelorum subiectio non est in ipsorum detrimentum, aut vituperium: quia illi de sua subiectione tanto Domino gloriantur, & gaudent.

CAP. IIII.

Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Quia qui passus est in carne, desiit à peccatis, vt iam nõ desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gẽtium consummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, ebrietatibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrẽtibus vobis in eandem luxuriæ confusionem blasphemantes: qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne: viuant autem secundum Deum in spiritu. Omnium autem finis appropinquauit.

Christo igitur passo in carne, &c. Optima similitudine animat eos, qui professi erant mortẽ peccati in baptismo, tanquam commorientes cũ Christo, vt cessarent à peccatis. Sicut enim ipse qui passus est propter peccata, semel est passus vt deinde viuat Deo (vt dixit B. Paulus) ita & nos qui illũ induimus, quasi commortui in illo, debemus in vitam nouam venire, nec vlterius peccare. *Qui enim* Ioan.4.
passus est, &c. Ipse nimirum Christus, & consequenter qui in eius morte baptizatus est, *desiit à peccatis.* Dominus & Redemptor desiit à peccatis nõ suis, sed nostris, quæ tamen super seipsum punienda imposuit, nolens vlterius ea in seipsum suscipere vt & iterum moriatur: cui satis fuit semel mori, & satisfecisse pro peccatis anterioribus. Nam pro nouis quæ in nouo pacto admittimus, non relinquitur hostia, vt per omnia purget: sed ipse nouus peccator satisfaciet pro se per pœnitentiã, si velit Deo reconciliari. Tametsi quòd redierit in gratiam, & possit satisfacere, veniat à merito prioris hostiæ, per quam sanctificat° fuit ad hoc ipsum perpetuò. Ego igitur modo quo Christus passus desiit à peccatis non imponendo super se noua onera persoluẽda, quod fecit semel: ita & nobis legem statuit, ne in noua rursum peccata incurramus, & violemus mysteriũ. Qui si aliter egerimus, non expiabitur hoc nouum crimẽ absque nostra cruce. Ad hoc enim ipse Dominus peccator pro nobis factus, per mortem carnis desiit à peccatis. *Vt iam non desideriis hominum: sed voluntate Dei, quod reliquum in carne viuat temporis.* Nam & Christus in carne noua viuens in hoc mundo fuit quadraginta diebus: quo temporis spacio totum vitæ nostræ tempus significatur, quod ab ipso baptismo viuere datur in terris, vt legitimè postmodo cœlum patẽre nobis possit.

Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam iis qui ambulauerunt in luxuriis, &c. Clarus est textus: & nota sunt crimina gentiũ. Vocat autem græca vox nedum illicitos, sed nefarios idolorum cultus, *In quo admirantur, &c.* Verè ita contingit, vt homines carnales qui videt spirituales non eadem probare quæ ipsi, imò valdè esse ab iis alienos, admirentur. Græca vox est, *Peregrinãtur*: & idem sensus colligitur. Qui enim peregrini sunt, veluti rerũ ignari admirantur ea quæ aspiciũt, & sibi noua esse vident. Et quæ secundum suam æstimationẽ minimè fiunt, absurda esse arbitrantur, & non raro blasphemant, dum veram religionem & cultus sanctos vituperant. Tales erant infideles Iudæi & gentes aduersus Crucifixum. *Qui reddent rationem, &c.* Cum hic dicat Christum ad iudicandos viuos & mortuos esse paratum, colligunt quidam in die iudicij aliquot reperiẽdos, ad iudicium nulla prorsus gustata corporis morte sistendos. Quod ego vehemẽtissimè & sæpius reprobaui, & omnino falsum existimo, nec ferẽdum. Qui enim iudicabuntur, ea hora qua iudicabuntur erunt viuentes vita animæ. Quod ergo hic dicit B. Petrus, *Qui paratus est iudicare viuos & mortuos*, referendum est ad tempus hoc nostrum, donec in ecclesia canetur Symbolum. Erũt enim semper viui ac mortui, dum stabit ecclesia militãdo, & post omnium mortẽ erit resurrectio, & statim supremũ iudiciũ.

Propter hoc enim, siue, in hoc enim & mortuis euangelizatum est. Est rursus locus, vbi secundum Caietanum, & alios quosdam, Christus dicitur mortuis euangelizasse. Communiter autem intelligunt de prædicatione ad confusionem impiorum & iniustorum. Nam de fructuosa prædicatione quam Caietanus ponit, neminem me legisse memini sic exponentem. Et (vt verum fateat) verba quæ sequuntur: *Vt iudicentur quidem secundum homines carne, &c.* non video quo pacto aptari commodè queant cui quam expositionũ dictarum. B. Augustinus intellexit euangelizatum fuisse mortuis secundum animam, non secundũ corpus, id est, impiis & iniustis cùm viuerent, in hunc finem vt suscipientes euangelium, iudicentur carne secũdum quod erant homines, id est, vt afflictiones & macerationes carnis paterentur: sed viuerent spiritu secundum Deum. Hic gloriosi illius doctoris sensus, quem tamẽ non absque hæsitatione pronuntiauit, Lector prudens dispiciat. Ego re vera nihil possum confidenter asserere. Et hanc ignorãtiam æquo animo fero. Neque enim illius sum ingenij, vt ea falsò velim profiteri me scire, quæ tamen nesciam.

Omnium autem finis appropinquauit. Iam enim sumus in nouissimis temporibus, ita vt finis sit propinquus iudicij. Sed hanc propinquitatem nemo potest facilè determinare.

Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autẽ mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem, sine murmuratione. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Siquis loquitur, tanquã sermones Dei. Siquis ministrat, tanquam ex virtute quã administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperiũ in sæcula sæculorum, Amen.

Prudentia sub se continet prouidentiam futurorum. Hæc prouidentia vigilias poscit & orationes: quoniam his modis resistitur tẽtationibus, & non aliter. *Ante omnia autem mutuam, &c.* Hoc enim charitatis charisma præ cæteris æmulandum est, & nullo tempore intermittendum. Ideo dicit charisma, & charitatem quæ non friget, sed opera exhibet, operire multitudinem peccatorum. Vnde ad eos spectat beatitudo illa, quorum tecta sunt peccata. *Hospitales inuicem.* Et hoc etiam charitatis est opus. *Sine murmuratione*, id est, sine querela, vt non murmuret qui hospitio recipit. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, &c.* Hic ostendit multiformem gratiam, id est, varia esse hominum dona in ecclesia ad ædificationem & conseruationem. Sunt enim qui præsunt mirificè operibus charitatis circa temporalia in proximum: alij prædicationibus vel hortationibus, alij à peccatorũ confessionibus audiẽdis, & quæ huiusmodi sunt ad conseruationem, & incrementũ corporis ecclesiæ. Debent igitur hæ gratiæ dispensari secundum inclinationem spiritus. *Si quis loquitur, tanquam sermones Dei*, id est, videat qui theologicè vult rectè loqui de Deo, ita loquatur, vt tanquam Dei verba ab iis qui audiũt existimentur. *Siquis ministrat, tanquam ex virtute, &c.* hoc est, tanquam ex Deo habens hoc donum ministrandi spiritualia, quæ in verbo consistunt, & sacramentis. *Vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, &c.* Clara sunt omnia, *Amen*: Vox est optantis in Christo, & confirmantis fidem & animum in verbo Dei & operibus charitatis.

Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationẽ vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed cõmunicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultãtes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit. Nemo autẽ vestrũ patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat. Glorificet autẽ Deum in isto nomine: quoniã tẽpus est vt incipiat iudiciũ à domo Dei. Si autem primùm à nobis, quis finis eorũ qui non credunt Dei euangelio? Et si iustus quidẽ vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Itaq; & hi qui patiuntur secundum volũtatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Charissimi, nolite peregrinari, &c. Admoneat Apostolorum Princeps ne in tribulationum feruore alienentur à mente: & quasi rem nouam videntes peregrinentur, id est, admirentur peregrinorum more & alienorum. Hæc enim est recta regula, vt omnes piè in Christo viuentes persequutionẽ pa- 2.Tim.3.
tiantur, & tribulationem. Quocirca cohortatur vt etiam atq; etiam in illis gaudeant: quia cũ Christo participantes amara, possunt meritò & congruenter sperare dulcia. Et istud ipsum subdit: *Vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Nihil congruentius quàm vt socij passionum sint etiam socij præmiorum, vt ait B. Paulus: *Si exprobramini in* 2.Cor.1.
nomine Christi beati, propter spem & eius certitudinem. Iam hoc prædicarat in monte Dominus. *Quoniam quod est honoris, &c.* Græcè sic: *Quod est gloriæ, & Dei spiritus super vos requiescit*, id est, Spiritus ipse in vobis requiescit, qui est Spiritus gloriæ & Dei. Etenim nos diuinæ gloriæ fecit participes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceiua nunc arrham habemus. Sic Spiritus veritatis dicitur: quia veritatem nos docet. An non hoc gloriosum est, & erit etiam longè amplius nobis gloriosum, requiescere in corde nostro tantum hospitem Spiritum sanctum? Quid igitur metuendũ est nobis? Si Deus in nobis requiem habet, quî fieri potest vt nos per illum non quiescamus? O spiritus optime veni, & quod ait Apostolus tuus Petrus, fac experiri negantes, vt mutent sententiam.

Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, &c. Iam hoc dictũ erat: *Si autem vt Christianus, non erubescat.* Non est enim de virtute erubescendum, ac sapientia crucis: ne Dominus iure erubescat de nobis tanquam socordibus & ignauis militibus. *Glorificet autem Deum, in isto nomine,* id est, huius rei gratia: quoniam donum est Dei maximum, non solùm credere, sed etiam pati propter euangelium, & Christianam veritatem defendendam atque illustrandam. Et addit rationem:

Quoniam tẽpus est vt incipiat iudiciũ à domo Dei. Magna est hæc doctrina, quam ij tantũ agnoscũt, qui non seipsos ignorãt. Non est enim in terra qui cũ omni iustitia sua nõ peccet, aut peccauerit aliquando. Itaque peccata purgari oportet in hoc tempore, ne seruentur iudicio futuro, quod erit terribile. Qui ergo sunt domestici & dilecti Dei, in hoc tempore vt filij castigantur, & emendantur, & purgantur patiendo ab hominibus iniustè, sicut Christus: & hoc est incipere iudicium à domo Dei. *Si autem primum à nobis,* qui domestici sumus, & filij dilecti: *Quis finis eorum qui non credunt Dei euangelio?* Et satis non credere illi dicuntur, quicunque non obtemperant. *Et si iustus quidem vix saluabitur:* Ex prouerbiis Salomonis acceptum est cap. 2. vbi legitur, Si iustus in terra recipit, scilicet castigationem, & hoc est vix saluari, nimirum per tribulationes has, à peccatis, quæ si Dominus rigorosè respiceret, nõ essent condigna illis supplicia. Et ob eam causam si hæc difficultas est in bonis, vt nemo non purgatus hinc tutò recedat, quantò magis impius & peccator tribulabitur in futuro sæculo? Et hoc est quod hic dicitur: *Impius & peccator vbi parebunt?* id est, apparebunt. Quasi dicat, non poterunt confidenter stare ante conspectum maiestatis diuinæ, quam non cessarunt flagitiorum assidua turpitudine offendere.

Itaque & hi qui patiuntur secũdum voluntatẽ Dei, hoc est, propter euangelium, *Commendant animas suas fideli Creatori,* sicut fecit ipse Dominus noster, dicens: In manus tuas commendo spiritum meũ. Græcè hic legimus, *Tanquam fideli.* Depositũ enim
2.*Tim.*4. apud fidelem tutò conseruatur. Vnde & B. Paulus: Scio cui credidi, & certus sum quòd potens est seruare depositum meum in illum diem, &c. Ac si dixerit: Scio illum esse fidelem, cui sine periculo depositum committitur.

CAP. V.

Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro cõsenior & testis Christi passionum, qui & eius quæ in futuro reuelãda est, gloriæ communicator: Pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundũ Deũ: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

Seniores ergo qui in vobis, &c. B. Petrus Apostolus ac summus Pontifex verbo Iesu Christi, cõuertens sermonem suum ad seniores (græcè presbyteros) qui erant Episcopi tunc, & præpositi animabus curandis, mansuetè illos admoner obsecrãdo: & se compresbyterum vocat, & non tanquam exercens potestatem cum austeritate atque imperio. Quod debuit exemplum esse successoribus. Vide vt concordat Apostolica doctrina. B. Paulus etiam admonuit Timotheum, dicẽs: Seniorem ne 1.*Tim.*6.
increpaueris, sed obsecra vt patrem. At cum Episcopi pueri sunt & ætate & moribus, nunquid vt seniores accipiendi sunt? O Iesu Christe veni, & vide, & respice vineam tuam de cœlo. Vocat etiã B. Petrus se testem passionum Christi, & consortem gloriæ reuelandę: quia ad illam vocatus erat, & suã egregiam electionem nõ ignorabat. Sciebat enim Christum orasse ne vnquam deficeret fides eius: & amplius reuelatam sibi mortem, qua glorificaturus esset ipsum Iesum. Quidam hoc cõfortium gloriæ referunt ad visionem quam vidit in mõte. Sed non ita aprè quadrat. Illud enim non fuit propriè communicare gloriæ & cõsors eius fieri, cum ipse ibi non fuerit glorificatus.

Exemplum Petri pro successoribus.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, quem Christus sanguine acquisiuit. Ex hoc autem sermone apparet Presbyterorum appellatione, Episcopos ab eo significatos, quibus demandata erat certi gregis cura. *Prouidentes,* id est, inspicientes & intendentes. Græca vox ἐπισκοποῦντες vt intelligãt Episcopi quid ad eos pertineat, nimirum intendere ac vigilare super gregem suum, vt sit saluus à bestiis, *Non coactè sed spontaneè secundum Deum.* Quod nos legimus, *secundum Deum,* in græcis codicibus desideratur, nec admodum refert. Scimus enim à Domino Deo hilarem & spontaneum seruum diligi. *Neque turpis lucri gratia, sed promptè.* At nunc (salua mihi sit semper bonorum Episcoporũ gratia) plurimi apparẽt, apud quos solum nomen, non vis & virtus Episcopi retinetur. Solùm vigilantissimè quæritur quanti sint fructus ouium, non autem salus illarum.

Quæ sunt Episcoporũ munia.

Neque vt dominantes in cleris, id est, in eos qui in sortem Domini vocati sunt ad seruiendum altari. O quot Episcopi etiam sua austeritate & dominatione dederunt occasiones exemptionibus, & priuilegijs multis, ita vt abusus abusum pariat & abyssus abyssum. *Sed forma facti gregis.* Hoc in primis requiritur, vt pastor sit exemplum gregi suo. *Et cum apparuerit princeps pastorum, &c.* Si qui paruerint B. Petro, & bene se gesserint erga clerum, magnam gloriæ coronam recipient. Quid in illos qui cõtra fecerint? O confusionem horribilem.

Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem inuicem humilitatẽ insinuate: Quia Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã. Humi-

liamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide, scientes eãdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Similiter adolescentes: Quod ait, similiter, non significat aliam similitudinem, sed quandam congruentiam. Vt enim rectores sunt monendi ad regendum cum dilectione, quorum regimen si Christianum fuerit, species quædam est subiectionis: Ita & qui reguntur iuniores, subditos senioribus regentibus esse oportet. *Omnes autem inuicem subiecti,* Dilectio vera hoc efficit, vt maior inferiori ministret. *Quia Deus superbis resistit, &c.* Hanc rationẽ qui intelligit, quomodo renuet humiliari Deo? *Humiliamini igitur, &c.* Est firmissima illa promissio:
Luc.18. Qui se humiliat, exaltabitur. *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quia ipsi cura est de vobis:*
Matt.10. Hoc ille dicebat: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Hanc verò solicitudinem circa ea quæ corpori necessaria sunt, vult proiici in eum, nõ ita tamen vt quod prudentia humana requirit penitus abijciatur: sed solummodo illa anxietas & solicitudo, quæ peruertit studia nostra, contra præceptum Domini, dicentis: Primum quærite regnum
Ibid.6. Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Sobrij estote & vigilate. Sobrietatis vocabulo apud scripturas, id quod Philosophi temperantiam dicunt, intelligitur. Vigilare autem est attendere, & cauere. *Quia aduersarius vester diabolus, &c.* Sunt qui non credunt diabolos esse: quod certè est illis gratissimum. Tantò enim minus cauent ab eorundem insidiis, quas tendi nusquam opinãtur. Et ipsi quidem diaboli astutissimi quantum valent, se abscondunt ab eis, vt in ea falla persuasione permaneant verè laqueis periculosissimis irretiti. Hoc enim solum ad eorum ruinam, quam cupiunt & curant ipsi dæmones, satis esse perspiciunt: quin & intus suggerunt rationes sophisticas quominus credant, vt cum videant arreptitios, & quędam ab his fieri admiranda, illa tribuant melancholiæ, aut mẽstruis. Et si quos effectus videant altiores, ad quos illiusmodi causæ non sufficiunt, ad stellarum influxus referunt, ignorantes sua proteruia multos causarum effectus, qui excedunt omnem vim influentium syderum. Sed ipsimet diaboli sunt à quibus isti illuduntur, & tenentur ad eorum voluntatem.

In eos qui negant esse spiritus.

Hæc est hæresis antiqua Sadducæorum, cùm tamen omnes sectæ quę religionem aliquam professæ sunt, esse dęmones asseruerint. Ipsi sunt acres aduersarij nostri, & præcipuè princeps eorum Lucifer inuidus, qui assiduè circuit quasi venator & leo rugiens, quærens quem deuoret: cui fortiter resistendum est in fide.

Scientes eandem passionem, siue easdem passiones, *ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri,* aut potius consummari, vel perfici. Sensus est: Scire debetis, in vobis eas perfici & consummari passiones, quas Dominus requirit à corpore suo, quod est ecclesia. Vos eadem patimini quæ omnes Sancti in vniuerso mundo. Sic dixit & B. Paulus ad Colossenses: Adimpleo, hoc est, perficio, ea quæ desunt passionũ Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est ecclesia.

Deus autem omnis gratiæ, &c. Seu potius, integrę ac perfectæ gratiæ, *modicum passos:* Verè modicum est: quia & tẽpus modicum, & modicæ passiones, si conferantur ad æternum gloriæ pondus.

Per Syluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi, obsecrans & contestans hãc esse veram gratiam Dei, in qua statis. Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone, coelecta: & Marcus filius meus. Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Iesu. Amen.

Hæc clara sunt: solũ illud quod ait, *Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta,* aliter atque aliter à diuersis accipitur. Ego verò cũ B. Hieronymo sentio, vt per hanc Babylonem ad literam intelligamus Romam per quãdam metaphoram. Ibi enim erat Marcus Euangelista, quem meminit salutantem. Siquidem Babylon confusionem sonat. Talis erat eo tempore Roma: vtinam non etiam nũc magna ex parte. Quæ si pergat, vehementer equidem metuo, ne quandoque Deus ostendat iram suam in illam. Vereor certè ne dilectus discipulus de illa prophetet, vbi ait: Cecidit, cecidit Babylõ illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit Apoc.14.
omnes Gentes: & reges terræ cum illa fornicati sunt. Legat qui volet reliqua, & paulò attẽtius perpendat, num conueniant tantæ bestiæ. Mihi quidẽ videtur: & verè maxima est Dei erga illam patientia. Nisi hæc sit maior ira, iram ipsam differre. Sed bona nonnullorum opera iudicium diuinum tardant, quam moram grauitas supplicij compensabit. Domine Iesu miserere, & veni tandem, & vide, & visita vineam tuam, quam tanto pretio redemisti. Illud consultò hic præteribo quod menti tamen occurrerat, aliquid in eos differere qui negarunt, aut etiam negant, B. Petrum vnquam Romæ fuisse. Verũ satius est vel Philosophum audire prohibentem in quemuis proferentem sermonem & effutientem, nos esse debere solicitos.

Salutate inuicem in osculo sancto. Est osculum carnale, signum amoris carnalis. Est osculum hypocritarum, quod præ se fert amorem, sed simulatum ac fictum: tale fuit illud Iudæ quo Filium Dei tradidit. Est verò osculum sanctum spirituale, id est, mũdæ simul ac firmę dilectionis. Et hoc osculo salutare nos inuicem Princeps Apostolorum iubet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARGVMENTVM IN POSTERIOREM EPISTOLAM B. PETRI APOSTOLI.

SEcundam scripsit epistolam ad eosdem B. Petrus, vt confirmaret quæ in priore tradiderat. Maximã illorum dignitatem ostendit, qui erant diuinæ naturæ consortes per dona spiritus effecti. Vult autẽ hanc electionem firmam per bona opera assiduè reddi. Meminit sui imminentis obitus, & item dominicæ transfigurationis, eos laudans, qui literarum sacrarũ studiis vacabant. Peruersa hæreticorũ ingenia ad viuum depingit, & simul parata illis supplicia, vt tales omnino execrentur: quin potius bonis operibus incumbentes, vereantur more canum redire ad vitæ prioris vomitum. Præmunit tandem aduersus impostores impiè de aduentus dominici die docentes. Vbi testimonium illud egregium reliquit, & B. Pauli verba, & alias scripturas ab hæreticis depranari. Ad stabilitatem igitur & patientiam exhortatur, vt crescant in gratia & cognitione Redemptoris, quò tandem possint sempiternam fœlicitatẽ consequi.

COMMENTARIA IN POSTERIOREM EPISTOLAM B. PETRI APOSTOLI.

SIMON Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidẽ in iustitia Dei nostri & Saluatoris Iesu Christi, gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Christi Iesu domini nostri: quomodo omnia nobis diuinę virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quę maxima & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

HANC epistolam non solùm ad Hebræos, verùm etiam ad Gentes illũ misisse, ipse titulus clarè ostendit, dum ait: *Iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia*, hoc est, per iustitiam, *Dei nostri & Saluatoris Iesu Christi*. Absque dubio eandem personam vocat & Deum, & Saluatorem, per cuius iustitiã & nos iustificati sumus. Ipse nanque sua iustitia meruit, vt & nos per donum iustitiæ iustificaremur. Illud autem infundit in cordibus nostris, quo formaliter iusti sumus. Hoc in nobis donum oderunt diaboli: & propterea tanta rabie nobis inuident, non ignorantes per illud nos placere Deo vt filios dilectos. Quapropter instruunt suos discipulos nouos nostræ ætatis magistros, vt mitis modis aut omnino negent, aut saltem extenuent atque eleuent hoc tam excellens donum.

Gratia vobis, & pax, &c. Iam multis in locis exposita sunt à nobis huiusmodi verba salutationis. Hic tamen additur quomodo gratia & pax adimpleatur: nimirum, *In cognitione*, siue agnitione, *Dei & Christi Iesu domini nostri*. Et circa quod versetur cognitio hæc, addit: *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, &c.* Huiusmodi igitur est agnitio: quòd miro modo omnia diuinæ suæ virtutis, siue potentiæ, quæ ad vitam faciunt & pietatem, donauit nobis per agnitionem, *eius*, i. Iesu Christi, qui fuit acquisitor omnium donorum. *Qui vocauit nos propria gloria & virtute*: aut per gloriam & virtutem, quod perinde est. Hæc vox, *Virtus*, moraliter hoc in loco accipitur, vt contra vitiũ distinguitur. Illa ergo absoluta Christi iustitia, quæ est integra & perfecta virtus, qua conuersatus est in terra: & eius gloria, quam viderunt discipuli & ante resurrectionem, & post in corpore eius: & item insignia miracula quæ diuinam eius potentiam manifestabant, vocauit ipsos Apostolos, & per illos etiã alios multos: *Per quæ maxima & pretiosa nobis promissa donauit*. Erat enim promissa lex gratię & iustitia sempiterna, quæ continet ineffabilia dona. Hæc ipsemet declarare volens subdidit: *Vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ*. Quid rogo, maius potest & præstantius excogitari, quàm ex animalibus terrę euadere in cœlestes spiritus, tanquam Angelos Dei ex parte, scilicet secundum interiorem hominem? Et hoc in terra: in cœlis autem complebitur hoc munus, vt non ex parte contingat, sed perfectè & in perfecto, hoc est, anima & corpore: si modo eius primitias seruauerimus: *Fugientes eius, quæ in mundo est, cõcupiscentiæ corruptionem*. Hinc edoctus Leo ille primus Pontifex summus, vehementi ac spirituali rugitu in eam admirandam & maiestatis cuiusdam plenam exclamationem prorupit: Agnosce (inquit) ô Christiane dignitatem tuam: & diuinæ consors factus naturę, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, & cuius sis corporis mẽbrum. Reminiscere quòd erutus de potestate tenebrarum trãslatus es in Dei lumen & regnum. Et quod excurrit.

Leo Papa ser. 1. de Nat. Domini.

Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem: in virtute autem scientiam: in scientia autem abstinentiam: in abstinentia autem patientiam: in patiẽtia autem pietatem: in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis, charitatẽ. Hæc enim si vobiscum adsint, & superẽt: non vacuos, nec sine fructu vos cõstituẽt in domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiẽs purgationis veterum suorum delictorũ.

Quapropter, fratres, magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Quia enim potest frustra accipi gratia, nisi per bona opera retineatur: iccirco ad illa primùm eos hortatur, & ait: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide virtutem, &c.* Græca lectio habet, *In hoc ipsum*, id est, vt hoc diuinæ naturæ cõsortium vobis seruetur & adimpleatur, curam omnem conferẽtes ministrate, *In fide vestra virtutem*. i. vt abundet iustitia vestra dignis suis fructibus, qui sunt opera bona. *In veritate autem scientiam*. Etenim sine scientia quæ circunstantias nouit, vbi, quomodo, quando, & reliqua, non potest rectè virtus vlla exerceri. *In scientia autem abstinentiam*. Græcè melius, *Temperantiam*, vt sumitur à Marco Tullio: quæ est quidam modus, vnde decor & pulchritudo in omni externa actione resplendet: qui modus ab ipsa scientia indicatur. *In temperantia autem patientiam*. Nemo enim temperatè vnquam viuet, nisi sit patiens, qui propter aduersa non frangatur. *In patientia autem pietatem*: Quæ tum demum verè nobis inest, cum propter Deũ patimur, & inimicos etiam diligimus, nihil vindictæ cogitantes in eos. vnde istud declarans subdit: *In pietate autem amorem fraternitatis: In amore autem fraternitatis charitatẽ*. Sed quid est amor fraternitatis, nisi charitas? Voluit fortassis hoc in loco admonere, ne ille amor fraternitatis sit carnis: aut fortè vt quod exterius fit, ex charitate fiat, quę non quærit quæ sua sunt, nõ ad commodum proprium aspirans: sicut multi faciunt ambitiosi, quò captent prælaturas, & officia inter fratres.

Hæc enim si vobiscum adsint & superent, id est, superabundent: *Non vacuos, &c.* Sensus clarus est. Facto hic opus esset, non meris & nudis verbis. Ecce igitur ô Lutherani clarissimum pro bonis operibus testimonium, quõ ea nos in die visitationis saluant. *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans*. Perinde ac si apertùs dicat: Quicunque est absque fide, quæ fundamentum est virtutum omnium, aut sine ipsius fidei exercitio per opera virtutum, est veluti cæcus qui nescit quò vadat: & tanquam manu tẽtans, qui offendit in via. *Obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*. Si enim esset verè memor quomodo purgatus erat à peccatis per baptismum, non iterum se immersisset in illis. Hic item locus, vnde notitia gratiæ probatur. Qui enim obliuiscitur se fuisse à peccatis purgatum (quod fit per gratiæ acceptionem) iam hoc prius sciuit. Nemo quippe obliuisci eius dicitur, quod nunquam sciuerit.

Quapropter, fratres, magis satagite vt per bona opera certam (seu firmam) *vestram vocationem & electionem faciatis*. Si vocatio nõ est certa neque electio, quid est quod communiter aiunt certam esse salutem electorum seu prędestinatorum, & certum esse numerum secundum materiam? Verè hic necessariò, meo iudicio, dicendũ est non omnes eiusdem pon deris vocationes & electiones esse. Itaque sermo hic non de illis prædestinatis est intelligendus. Vnde enim sciebat B. Petrus illos, ad quos scribebat, esse prædestinatos? Quòd si illud sciuisset, non intererat illis reuelare. Est igitur facultatis nostræ cõfirmare, & certam facere vocationem & electionem nostram, per quam de multa hominum turba sumus erepti, & electi ad notitiam fidei & Christi Redemptoris, quanuis in numero prædestinatorum nõ simus, vt par est nos credere, ne vnà simus arrogantes & amentes. Declarat autem ipsam electionis retinendæ firmitatem, & ait:

Non prædestinati certa electione posse saluari.

Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Potest ergo esse homo sine peccato: & ab operibus bonis & assiduis procedit confirmatio in iustitia. Quod verò editio nostra habet, *Non peccabitis*, Græcè habet, *Non labemini*, seu, nõ cadetis à gratia: quoniam Deus supponet manum suam.

Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum, &c. Quoniam Dominus implebit cor lætitia, & fortitudine, & ardenti desiderio veræ gloriæ, ita vt sit nostrum per opera bona accedere ad gratiam prædestinatorum, etsi non simus in eo numero.

Propter quod incipiã vos semper commonere de his, & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate. Iustũ autem arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. Non enim doctas fabulas sequuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusceemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendẽtes quasi lucernę lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.

Propter quod incipiam: Melius, non ero negligens. *Vos semper commonere de his, & quidem* (potius, quanquam) *scientes & confirmatos vos in præsenti veritate*. Sed ne dicant: Si putas nos scire, & in hac veritate

Universidad de Deusto
Biblioteca

confirmatos esse, cur ergo operam perdis horrando? Respondet: *Iustum autem, &c.* Sensus est, Esto sciatis, & confirmati sitis: attamen iustum est vt ego dum in hac vita sum circundatus hoc tabernaculo corporis, officium meum impleam commonendo. Nam sic etiam magis atque magis excitatur vestra virtus & crescit, *Certum quòd velox est depositio tabernaculi mei, &c.* Sæpenumero Sanctis viris reuelat Dominus diem exitus eorum. *Dabo autem operam & frequenter* (siue iugiter) *habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Hic locus ambiguum habet sensum: non enim coalque satis patet, vtrum ipse dicat se omnem daturum operam vt habeat illos (supple tu) commendatos post suũ obitum, vt meminerint harum admonitionũ. An verò quòd dabit operam in hac vita sic eos ad bonum solicitando, vt ipsi post eius obitum meminerint. Prior quidem sensus plurimum faceret adversus nouos hæreticos, qui negant Sanctos in patria cœlesti collocatos habere vllam curam, aut notitiam nostri. Quicquid sit de ipso proprio Apostoli sensu, neutra intelligentia veritate caret.

Non enim doctas fabulas sequiti, &c. Græca vox, εὐσοφισμένοις μύθοις, significat commentitias & callidas, atque arte cõpositas fabulas, quales sunt Poetarum illæ & Rhetorum, aut sapientium mundi, *Virtutem & præsentiam*, id est, aduentum, *Sed speculatores facti illius magnitudinis.* Græca lectio cogit nos vt sic ordinemus: *Speculatores facti magnitudinis illius* nempe Christi. *Accipiens enim à Deo Patre*, non à se metipso, qui erat sub præcepto exinanitionis, *Honorem & gloriam voce delapsa, &c.* Locus clarus, & historia ex euangelio nota. Consideret autem hoc in loco acutus lector, quod Erasmum præteriit, qui posuit in dubitationem, esset ne hæc epistola B. Petri Apostoli, cum tamen non neget esse canonicã. Si enim hæc epistola non est B. Petri Apostolorũ principis, est proculdubiò cuiusdam nebulonis ac impostoris, qui mentiatur se vidisse gloriam Christi in monte sancto. Certum est enim hanc epistolam neque Iacobi, neque Ioannis esse, & in ipso titulo, Petri nomen ascribitur. Sed vt videantur perspicaciores, stylum huius epistolæ non conuenire cum stylo prioris, quam pro certo habent esse Petri, pro ratione afferunt. Quæ si daretur, non adeo tamen validum est à styli varietate argumentum. Nam idem homo non semper eundem seruat stylum: quin & ipsemet Erasmus ab humaniorum literarum præcipuis professoribus iudicatur admodum varius, & nusquam ferè æquabilem seruare stylum orationis. Equidem (vt de me fatear) sæpenumero dum quædam nostra relego, & cũ cæteris à me pòst exaratis confero, vix à me profecta recognosco. Præterea inter has duas B. Petri epistolas non perspicio sanè illam styli diuersitatem, quam isti obiiciunt: quin mihi prorsus idem esse videtur. Sed isti nodum vel in scirpo quæritare delectantur.

Erasmus notatur.

A varietate styli non cõficitur argumentum efficax.

Et habemus firmiorem propheticum sermonem. B. Petrus ea quæ vidit, & quorum erat certissimus, adduxit ad eorum, quibus scribebat, confirmandam fidem. Consideraui autem quæ tum proponebat apud Iudæos non esse tantæ firmitatis, quantæ erant veteres scripturæ sanctæ. Nam tempore diuturno à synagoga probatæ erant, & ab ecclesia receptæ, & perfecto authoritatis robore cõfirmatæ. Itaque obiecit illis prophericum ipsum sermonem vbi ferè passim contemplari licet Christum. Ob eã causam laudat eos qui attendebant scripturarum sanctarum studio, *Cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ, &c.* Et verè ipsæ sunt quasi lucerna quædam lucens in caliginoso huius vitæ loco. Cor enim nostrum quandudum hanc ærumnosam agimus in terris vitam, ex se tenebrosum est, & oppletum dẽsa caligine. Ignorat quippe homo & vnde veniat, & quò tendat, & qua sit incedendum via. Scriptura ergo sancta admixta fide, est cordi nostro tanquam lucerna quædam quæ prælucet nobis, & ostẽdit quæ supra sensum sunt. Hoc Propheta scriptum reliquit: Lucerna, inquiens, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Psal. 118.*

Donec illucescat dies, id est, donec appareat nobis gloria Christi. Non amplius ita obscurè & quasi in caligine & sub nube: sed ipse, *Lucifer*, verus Christus, *Oriatur in cordibus nostris*: Tunc enim non erit opus ista lucerna, vbi nulla est nox futura, neque vmbra, neque nubes, neque caligo: sed immẽsa claritas & æterna dies. *Hoc primum intelligẽtes, quòd omnis prophetia scripturæ, &c.* Bene & vigilanter dixit, *Hoc primum intelligentes*, Quod tamen non tam difficile est intellectu, quàm dignũ obseruãtia. Plurimi enim qui hoc obseruare vel nolũt, vel negligũt, impingunt periculosissimè. Quid est igitur istud quod non obseruatur? nempè, *Quòd omnis prophetia scripturæ*: Vocat prophetiam, intelligentiam spiritualem, quę mediis scripturis hauritur, *Propria interpretatione non fit*, id est, Non fit ab humano lumine, sed diuino: quoniam non tractat quæ conueniunt homini, vt homo est, sed quæ illi cõueniunt supra hominem eleuato. Vnde Apostolus & Doctor gẽtium nos docuit, sapientiam & prudentiam carnis Deo esse inimicam. Et iterum de animali homine testificatur, quem non percipere ea quæ Dei sunt, apertè declarat. *Rom. 8.*

Non enim humana voluntate allata est aliquãdo prophetia, id est, Ipsa scriptura prophetica nõ ex hominum cõmento venit, *Sed spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*, Vt hinc cõficiatur celebris illa, & vera, & rationabilis conclusio: Quo spiritu scripturę sunt inspiratę, eodẽ eas interpretari oportet. Quapropter rectè cõsequitur: Penes superbos & arrogãtes, & cõtumaces in ecclesiã (quia hoc spiritu carẽt) veram scripturarũ interpretationem adesse nullo pacto posse. Sẽsum quidẽ peruersum habere possunt. & qui ad literã atque historiã pertineat: ad fructũ autem vllũ spiritus nequaquã. Hoc aduersus nouos hos magistros dicimus, vt sibi caueant, qui parati sunt scrutari scripturas. Quorum hodie magnus est numerus. Et item in eorum gratiã qui falsa persuasione, in libris hæreticorum residere putãt illustres aliquos sensus. Nam si quid in est, à nostris suffurati sunt. In animam enim maliuolam an quęrendus est sapientiæ Spiritus?

De cõuenientia scripturarũ interpretatione.

CAP. II.

Verunt vero & pseudoprophetæ in populo: sicut & in vobis erunt magistri mẽdaces, qui introducent sectas

perditionis: & eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem: & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabũtur. Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciãdos in iudiciũ reseruari: & originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens: & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorũ in cinerem redigẽs, euersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt ponens: & iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit: Aspectu enim & auditu iustus erat, habitãs apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

POstquã superius eos admonuit quomodo sunt intelligendæ scripturæ: nunc in eos qui eas peruerterunt, seque pseudoprophetas declararũt, & in illorum sectatores sermonem intendit. Ponit autẽ nobis ita graphicè ante oculos nostræ huius infœlicis tempestatis hæreticos (quos proculdubio certa reuelatione vidit in spiritu) vt nihil possit congruentius excogitari. Ait ergo: *Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo.* Patet in veteribus historiis vsque ad Christum Dominum nostrum, nunquam hunc zizaniorum spiritum defuisse in agro Domini. Consule libros Regum, & inde facilè noſces multos fuisse pseudoprophetas, quibuscum Elias contendit, Micheas, Isaias, Ieremias & alij prophetæ.

Attende lector quã graphicè designantur noui hæretici.

Sicut & in vobis erunt magistri mendaces. Hæc est prophetia, cuius veritatem cuncta sæcula venientia viderunt. *Qui introducent sectas perditionis.* Res est plusquam per se clara, vt non debeat quisquã scandalizari, cum hoc ipsum fuisse cernamus in omni sæculo, ac præterea prophetarum. *Et eum qui emit eos Dominum negantes.* Non enim conuenit legere, *Negant*, cum de futuro esset sermo, sed negãtes potius: *Superinducẽtes sibi celerem perditionem.* Siquidem amissa fide, citra vllum penitus impedimentũ præcipites feruntur ad interitum, Deo ipso iustissima sententia deserente. *Et multi sequentur eorum luxurias*: Græcè potius, exilia ac perditiones. Sed & vtraque lectio verum sensum porrigit, *Per quos via veritatis blasphemabitur.* Vita horum & scandala quæ videmus, vice commentariorum sunt ad huius Apostolicæ veritatis prophetiam. Omnia sanè luce clarius vera esse hoc tempore videntur per horum pseudomagistrorum vitam, & vipeream linguam, qui nunquam cessarunt, nec hodie adhuc cessant vias Domini rectas pestilẽti doctrina peruertere. Quo efficitur, vt blasphemetur (heu) Christianæ professionis religio. Apostolicæ enim atque ecclesiasticæ traditiones propter horum mendacia, & peregrinas doctrinas deseruntur: vnde & multi peregrinantur, & blasphemant viam veritatis, quę est in ecclesia Dei, ab his fallorum magistrorum mendaciis ludificati.

Et in auaritia fictis de vobis verbis negotiabuntur. Istud spolia ecclesiarum ostendunt in regnis schismaticis per horum doctrinam, qua cauponantur. Non negamus vigere & auaritiam in quibusdam ecclesiæ Dei ministris. Sed hęc & alia vitia nostra, à nobis tamen non excusantur: non habent prætextum fictis verbis, ita vt veritas dogmatum pereat, sicut est apud hæreticos qui quod malum est, bonum dicunt. *Quibus iudicium iam olim non cessat.* Cum enim defecerint à fide, & iam sint subuersi, iudicati sunt: & eos Dominus sustinet vt impleant perfidiæ suæ tempora, & contra illos ipse glorificetur, cùm ponet eos scabellum pedum suorum. *Et perditio eorum non dormitat*, quoniam assiduè proficiunt in deterius. Sic enim oportet vt semper tendant deorsum: & quantò profundius, tantò celerius instar lapidis in putei profundum proiecti.

Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c. Multa de Angelorum casu & statu dicenda essent, & de ipsius ruinæ causa. Verum nõ desunt aliquot ex amicis nostris (vt non ratò diximus, & frequenter repetere non est alienum) qui sectis addicti, & in eorum scholis perpetuò versati, & iccirco nescientes scripturas: & dicta, traditionésque patrum non obseruantes, cum ea audiunt quæ in scholasticis nequaquam legerunt, peregrinãtur. Qui enim aliter possunt, cùm in Logicis & Physicis, & Metaphysicis, & eiusmodi quæstionibus multis penè inutilibus, integram ætatem conterant? Qui audit intelligat, & ad meliora studia animum transferat. Isti igitur vbi primùm quædã audiunt à suis (vt iam dixi) Magistris minimè tradita, continuo vt erronea & hæretica, sua magistrali, hoc est, superbissima & præsumptuosissima censura damnãt. At hoc omnino est iniquissimum: nec à B. Thoma, neque ab alio Christiano authore, & doctrina simul & modestia polleute talem regulam didicerũt. Proferamus itaque nos aliqua de Angelis ad eorum si recipiant, instructionem: aut saltem vt ipsi cessent, si fieri potest, maledicere, & gratis insectari.

Fuit à priscis temporibus opinio, imò (vt ego existimo) antiqua huiusmodi traditio: Peccatum Angeli fuisse inuidiam. Non quidem inuidiam, qua Deo inuiderit (hoc enim stultum est opinari, cùm inuidia non sit inter adeo dispares, & quorum alter in immensum excedat alterum,) sed qua inuidit homini. Hanc sententiam fuisse antiquorum, hactenus mihi vt rem cõpertam sumo. Nam postmodo etiam testimoniis Patrũ inferiùs ostendam me vera dixisse, quibus & ipsæ scripturæ mirificè attestantur. *Historia de casu Luciferi & Angelorum eius.*

Nunc me conuerto ad sectatores. Quid hîc, rogo, opponere potestis vos, qui ex hac doctrina scãdalum patimini? Num hoc vobis impossibile esse videtur? An non verisimile, nedum nõ absurdum? Num ab ecclesia illa in parte, vel in cõciliis, vel in decretis reprobatum? Tacent: Nihil habent aliud quod respõdeant, nisi fortè obiiciant nec à B. Thoma, aut à Scoto, cęterisue Scholasticis, hanc de Angelis historiam nusquam commemoratam. Porrò aliam ipsi proferunt Angelorum prolapsionis cau

Universidad de Deusto
Biblioteca

sam, Quam rogo? Superbiam illam, inquiunt, qua excitatus Lucifer appetiit æqualitatem ac similitudinem Dei. Nam & eiusmodi opinio ex antiqua traditione profecta est: & cũctis iam ecclesiis persuasa. Et nos pariter cum illis hanc fuisse causam asseueramus. Verum istud insuper interesse declaramus. Nos enim hæc ita simul concordamus, vt omnia sibi inuicem consonent. Illi contrà, dum suam causam defendunt, & nostram non considerant: nec quicquam firmum statuunt, nec secum concordant. Aliud enim Scotus, aliud B. Thomas docet: & perpetuæ circa hoc vigent inter eos controuersiarum lites. Quid igitur est causæ cur non explicita sententia magis placere vobis omnino debeat?

Dicimus Dominũ Deum, antequam hunc mundum nostrum constituisset, creasse Angelos, & in cœlo illo summo, quod empyreum vocant, collocasse. Et illis aliquando ostendisse voluntatis suæ beneplacitum ac decretũ de humano genere condẽdo, & de incarnatione Filij, & sublimatione nostri generis ad illud regnũ. Adiecit autem illis præceptum, vt ipsi omnes illum Deum hominem adorarent, & in Deum suum, & authorem gloriæ ipsorum reciperent. Ille autem Lucifer hoc videns, & inflatus superbia, inuidit (nunquid vnquam erit inuidia absque superbia?) atque ideo præceptum illud spreuit: & quod decretum erat de Christo, sibiipsi appetiuit, vt in persona Dei sua natura, id est, angelica cum diuina coniũgeretur. Id enim cernebat nedum possibile: sed etiam (vt prima facie videri poterat) longè decentius apparebat. Ecce causa ruinæ. Nunc perpende (quæso) lector & veritatis amator, vt huic veritati omnia consonant. Hic primùm vides animi motum, superbiam: quia suam concupiuit excellentiam inordinatè. Hic cernis inuidiam, & ad inuidiam non paruum stimulũ, propter Christũ. Alioqui sine Christo quid fuissemus nos, in quos potuisset in tanto Angelo adesse tanta ratio inuidẽdi? Hic item vides, quomodo æqualitatem Dei per illam vnionem sibi appetiuit. Hic demum vides præceptum Dei, cui ille noluit obedire. Erat autem conueniens (vt eleganter ait Caietanus) vt quemadmodum homo ab initio habuit positiuum præceptum, per cuius obedientiam mereretur conseruare sua dona, & regni gloriam adipisci: ita similiter & Angeli ipsi aliquid similiter eiusmodi præceptum habuerint, vt ab eo tentarentur. Quid autem fingi potest congruentius atque fortius ad probandam ipsorum subiectionem, & debitam Deo omnium Creatori humilitatem?

Dicet mihi aliquis: Vbi hoc de scripturis accipis? Nunquid aliquid nostro arbitratu possumus nos quanuis verisimile fingere, & quasi dogma ecclesiasticum obtrudere? Respondeo: Creditur in primis à multis piis, esse hoc cœlitus reuelatum seruis Dei. Sed cum non sit omnium fides, & illud prouerbiorum obiectent: Qui cito credit, leuis est corde. Nos anteuertimus obiectionem eiusmodi, & negamus citò nos credere, cum illud credimus, cui ipsæ scripturæ, & Patres, denique & ipsa lux veritatis multis modis & ex omni parte apprimè consonat.

Apoc.12. Primùm, legimus in Apoc. signum magnum apparuisse in cœlo, vbi erat & diabolus, qui vidit mulierem quæ cruciabatur vt pareret Christum: & ipse Draco describitur inuidus, & intentus ad occidendum ipsum sibi ostẽsum adhuc existenti in cœlo. Ideo Dominus de illo increpans Iudæos dixit: *Ioan.8.* Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille (nota prudens lector) ille, inquit, erat homicida ab initio, & in veritate nõ stetit, &c. Ecce illa diaboli voluntas plena odio ac liuore in Christum, & consequenter in genus nostrum. Idem in illo Apoc. loco dicitur, quòd volebat filium deuorare, quem videbat recturum omnes Gentes. Et hinc magnum in cœlo illud prælium: quoniam Angeli obedientes defenderunt in cœlis veritatem Dei, & decretum iustum & sanctum. Lucifer autem traxit ad cõtumaciam secum tertiam partem stellarum cœli: & inde tãdem absque pœnitentia eiectus est cum omnibus sectatoribus suis. Tum audita est vox illa grandis in cœlo & victoriosa, dicẽs: Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos in conspectu Dei nostri die ac nocte. Hæc de illo vox Angelorum bonorum, peccatum Luciferi manifestantium, cum adhuc esset in cœlis: quæ non possunt quouis modo aliud prætendere, nisi ibi fuisse factum diabolum, id est, calumniatorem: qui liuore percitus, nostrum genus coram Deo vituperabat, vtpote tanto dono indignum.

Et quid, obsecro, aliud intelligebat Isaias cum dixit: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas (aut debilitabas) Gentes, nimirum vilificando nos, & naturam nostram coram Deo. Ecce illa inuidia aduersus Christum, & genus nostrum. Qui dicebat in corde suo: In cœlum conscendam. Hinc apparet ille appetitus diuinę authoritatis & dignitatis. Vel le enim cum in summo cœlo esset, in cœlum conscendere, quid est aliud quàm alrius cœlorum genus non creatum suspicere? Vnde prosequitur ille propheta: Super astra Dei exaltabo solium meum. Vide vt etiam super Angelos dominium appetebat, quod solius erat Dei. Et quid cuperet declarat: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo. Hæ cõditiones sunt Christi, qui verè sedit vt Doctor & Dominus in monte testamenti: quo significatur cœleste regnum cum quo constituit pactum, & ibi latera Aquilonis inueniuntur. Quapropter in psalmis dicitur: Mons *Psal.47.* Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Per latera Aquilonis (ni fallor) intelliguntur creaturæ suapte natura frigidæ, quæ constituũtur in regno Dei quasi duo latera, nimirum Angelorũ & hominum. Et in medio eorum Rex sedens in solio similis Altissimo. Ponderẽtur, quæso, hæc verba, & alia quæ longum nimis esset exponere. Iudicabit sanè pius lector, non esse absq; scripturarũ testimonio quæ de statu Angelorum & lapsu proposuimus.

Quòd si veteres Patres consulimus, iam alibi dixi B. Basilium & Cyprianũ id pro re constanti habuisse, propter inuidiam scilicet in homines eiectum fuisse de cœlo diabolũ. Hæc sunt magni Basilij verba in sermone De inuidia: *B. Basilius.* Quid principium illud malorum omnium dæmonem in inimicitias cum humano genere impulit? Nempe inuidia, ob quam Dei hostis manifestè deprehensus est.

B.

B. Cyprian. B. item Cyprianus in sermone de zelo & liuore: Facilius, ait, tam perniciosum liuoris malum à nobis vitabitur, si eiusdem mali origo, & magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia statim mũdi, & periit primus, & perdidit. Ille angelica maiestate subnixus: ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum decipiens instinctu zeli, quàm ipse antè zelo deiectus: captiuus, antequam capiens: perditus, antequam perdens: dùm stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque id quod prius fuerat, amisit. Quale malũ est, fratres charissimi, quo Angelus cecidit, quo circũueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est, qui decipit? Hæc ibi gloriosus ille Martyr.

B. Bern. in can. ser. 17. B. quoq; Bernardus rem apertiùs declarans, tanquam si illud vidisset in Spiritu, dixit: Putásne Lucifer qui mane oriebatur, sed præproperè eleuabatur, antequam verteretur in tenebras, generi nostro inuiderit? Et ipse olei effusionem, & per seipsum iam tunc indignabũdus mussitaret, dicens intra se quodam modo: Vt quid perditio hæc? Hoc ego non affero dicere Spiritum, sed nec contradicere dico: Nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientia & decore, homines præscire potuisse futuros: etiam & profecturos in parem gloriam. Sed si præsciuit, in Verbo Dei vidit, & in liuore suo inuidit: & molitus est habere subiectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt (inquit) inferiorésque natura. Non decet esse conciues, nec æquales nobis in gloria. An fortè prodit impiam hanc eius machinationem illa prę̃sumpta ascensio, sessióque, significans magisterium? Ascẽdam (inquit) super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis. quò Altissimi perinde quãdam similitudinem obtineret, si quemadmodum ipse super Cherubin sedens gubernat omnem angelicam creaturam: ita etiam ipse altus sederet, regerétque genus humanum. Iniquitatem meditatus est, in cubili suo, &c. Hæc illo in loco deuotus Abbas Bernardus.

Neque verò latuit B. Thomam nostrum hæc tanti Abbatis doctrina: quam etsi non sit ausus sequi pro suo timore (cum nondum esset ita celebris hæc opinio, & plausibilis multis, quemadmodum esse nostris diebus experimur) attamen nec est ausus pro sua prudẽtia reprobare. Nunc autem cum multi viri pij ac docti, quasi vno spiritu iam hoc totis præcordiis amplexentur: quid, obsecro, bonæ causæ fingi potest, contra scripturæ spiritum se se opponere?

Erat autem & maximè illa ratio ponderanda, quam ex Caietano iam attulimus: Dignum omnino & æquum fuisse vt Angeli ad gloriam ex aliquo obedientiæ merito promouerentur, non cuiuscunque præcepti, sed excedentis præcepta naturæ. Quandoquidem & ipsa gloria, ad quam vocabantur, naturæ limites excedebat. Hactenus de eorum ruina à nobis dictum sit. Superest nunc breuiter de illorum pœnis statuere. Ecce beatus Petrus ait, quòd Deus Angelis, qui peccauerunt, non pepercit, *sed rudentibus* (seu catenis) *inferni* (siue) *caligins detractos in tartarum*, de summo cœlo in ima & profunda inferni, *tradidit in iudicium reseruari.* Hoc terribile iudicium Iudas Apostolus frater B. Iacobi, in sua epistola penè ad literam scripsit: ex quibus duo manifesta fiunt. Alterum, esse illorum exilium terribile ac tremendum, qui de summo cœlo eiecti, in profunda inferorum detrusi sunt. Alterum verò, nondum esse perfectum in eos iudicium: sed reseruatur in illum postremum diem, quando mundus vniuersus iudicabitur. Non erit tamen iudicium discussionis aduersum dæmones. Iam enim ipsi suæ damnationis certi sunt. Hoc solum addetur, vt luant pœnas longè acerbiores pro omni peccato, cui causam ipsi, aut occasionem tentando homines præbuerint. Tunc enim finis imponetur tentationibus, quibus inferendis nunc infœlices lætantur: etsi nouerint expectandum sibi propterea grauius iudicium. Quapropter vellent sic manere perpetuò: & pleni rabie atque indignatione & furore assiduè quærunt prædas. Ob eam causam conquerebantur, dicentes: Venisti ante tempus perdere nos. Et Dilectus: Væ *Matth.8.* terræ & mari, quia descendet diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. *Apoc.12.*

Verùm restat adhuc scrupulus. Dicuntur enim hanc regionem aeris nunc incolere, vt plena sit dæmoniis. Et propterea legio illa orabat ad Dominum, ne illos mittere vellet in abyssum. Hic autem apertè dicuntur iam fuisse in tartarum detrusi. Dicẽdum est ergo, hanc aeris & terratum regionem illis esse inferni loco & caliginis, vbi magna illorum pars errat. Vicissitudines tamen habẽt, vt modo in abyssum trudantur, modo super terram permittantur ad tentandum nos: sicut de scripturis accipitur. Sunt & quædam loca, sicut & ego certa experientia deprehendi, vbi dæmones sese apertiùs ostentant: quos in pœnam ibi puto alligari. Veniet tandem vltima dies, quando omnes in tenebras vltimas proiicientur, carceribus perpetuis detinendi, & æterno igne cruciandi, quem diem incredibiliter infœlices illi spiritus perhorrescunt.

Et originali mundo non pepercit. Vocat originalem mundum ipsa prima incunabula mundi vsque ad Noe: *sed octauum Noe iustitiæ preconem custodiuit, &c.* Nisi aliqua sit historia, quam non habemus, declarans quomodo fuerit Noe octauus præco iustitiæ, & qui fuerint alij septem superiores, vt videtur ipsa literæ vera significatio exposcere, oportebit dicere illum vocatum esse octauum non respectu præconij, sed respectu salutis: quia cum illo septem animæ in arca salutem, submersis aliis omnibus, adeptæ sunt.

Et ciuitates Sodomorum, &c. Nota historia Gen. cap. 19. Notandum est testimonium grande in maximam ipsius Lot gloriam, qui inter tot iniquos ac pessimos homines sese continebat in iustitia: & quod adhuc amplius erat, talis apparebat ipsis impiis & flagitiosis, vt non malè audiret, sed velut quoddam luminare in tenebris illuceret cunctis. Denique quod arduum fuit & admirandæ cuiusdam virtutis, ante oculos habens assiduè mala illorum opera, non solùm non corrũpebatur aut imitando, vel æmulando, verum etiam cruciabatur animo. Hoc certè ad exemplum nostrum opportunè proponitur, vt sciamus inter varias aspidum

Universidad de Deusto
Biblioteca

speciei, & scorpiones illibatè conuersari, & cum feris bestiis & reptilibus sanctè & iustè conuersatione integra atque innoxia viuere. Aduertendum hic est, nondum apparere perfectum ex ipsis verbis sensum: sed tanquam ab homine qui auditori, aut lectori relinquit vt ex superioribus dictis facile reliquũ colligat. Erat igitur hic sensus: Si Deus Angelis non pepercit, nec originali mundo, nec ciuitatibus & regnis, ira nec parcet istis illusoribus & sectarum auctoribus, etsi interim propter peccata populorũ minus videatur attendere. Sed non est Dei longanimitas negligenda. Nam tantò districtiorem in iudicio iustitiã est exacturus, quantò longiorem ante iudicium patientiam protogauit, vt rectè ait Magnus Gregorius.

Nouit Dominus pios de tẽtatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationem contemnunt, audaces, sibi placentes: sectas non metuunt introducere, blasphemantes. Vbi Angeli fortitudine & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium. Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciem: in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ: deliciis affluentes, in conuiuiis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles: cor exercitatum auaritia habẽtes, maledictionis filij: derelinquentes rectam viam errauerũt, sequuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit: correptionem verò habuit suæ vesanię, subiugale mutum animal, in hominis voce loquẽs prohibuit prophetæ insipiẽtiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarũ reseruatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciũt in desideriis carnis luxuriæ eos qui paululũ effugiunt, qui in errore cõuersantur: libertatẽ illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitię, quàm post agnitionẽ retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditũ est, sancto mandato. Cõtingit enim eis illud veri proiuerbij: Canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

Nouit Dominus pios de tentatione eripere, &c. Verè spem nostram mirificè fouet & nutrit scripturarum sanctarum lectio, si cum fide illis hærentes, exempla maiorum ad vitæ nostræ salutarem fructum nobis conuerteremus. Magna enim fuit illa liberatio Lot à tanto incendio, & omnium aliorum qui tentationibus, saltem animo, non succubuerunt, vt meliorem inuenirent resurrectionem.

Prodest etiam ad eos respicere, quorum & vitæ præsentis exitus omnium calamitatũ parit ortum nunquam finiendum. Quales fuerunt propter iniquitates eorum Sodomitæ illi & Gomorræi, qui eorum typum gerunt, qui cruciandi seruantur sempiternis flammis. *Magis autem*, aut potius, *Maximè autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, &c. cæt.* Hic vides tanquam in speculo fidelissimo & terrissimo repræsentari nouos nostræ ætatis hæresiarchas, quos maximę pœnæ manent, & meritò. Magnis etenim ac summis criminibus & sceleribus onerantur isti animarum corruptores.

Primum scelus quod in illis dominatur, concupiscentia est carnis ad immũditiam. Ipsi tanquam serui illius facti, non quidem per vllam ignorantiam, nõ per præoccupationem & surreptionem, sed scientes & volentes libenter eius dominationi succũbunt. Et hoc propriè est post carnem ambulare, quasi pedisequos, in concupiscentia. Hic primùm contemplare Lutherum apostatam, qui sacrilegum connubium prior sacrauit, homo sacer & detestandus in æternum. Contemplare & Bucerum simul aliam inferni facem, qui (nemini hoc mortalium puto contigisse) cum fuerit sacerdos, & professione ac voto monachus, iam trigamus factus est. O verè fascinatos & excæcatos, qui huiusmodi homines non agnoscunt per hæc scelera tam manifesta in porcorum gregem euasisse, qui dicunt immundum, mundum: & sanctum, pollutum: & malum, bonum.

Secundum eorum scelus est, quòd cum carnis concupiscentia illis peruersa ratione dominetur, ipsi tamen, *contemnunt dominationem*, & nolunt subdi potestatibus, quæ sunt à Deo. Vnde vocat eos, *audaces, & sibi placetes*, hoc est, proterues & suo tantùm temerario consilio se regentes.

Tertium scelus est, quòd, *sectas non metuunt introducere, blasphemantes*. Hoc vbique nimis apparet. Græca lectio sic habet, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. Ad verbum, *Glorias non metuunt*, seu non tremunt. Vocat glorias, insignes & gloriosos viros potestate pollentes & authoritate ac doctrina, vt summos Pontifices, & alios Prælatos, & gloriosos Doctores, qui summam in ecclesia Dei sunt gloriam assequuti. Has ergo glorias non tremunt, seu non metuunt blasphemares. Nam cum ecclesiasticam hierarchiam respuerint, necesse illis fuit vt eos qui in ea præsunt blasphemarent. Quod oculis nostris perspicimus. Hoc enim est linguæ eorum præcipuum, blasphemare scilicet, & os exitiale ponere in cœlum. Hi sunt veri filij Cham maledicti, & satanæ.

Vbi Angeli fortitudine & virtute cum sint maiores, &c. De malis Angelis proculdubio loquitur, velut ea repetens quę loco non ita remoto dixerat: Si Angelis non pepercit, qui tamen erant maiores & potẽtiores. Vnde sequitur quòd multò minus parcet istis, qui cum minores existant, audent nihilosecius pugnare cum Deo. Nunc volens eos terrefacere, commemorat nec ipsos Angelos, tametsi essent maiores & longè potentiores, posse tamen ferre iudicium terribile ac tremendam illam Dei sententiam. Adeo acerba est & grandis, quæ lata est contra eorum blasphemiam. Quomodo igitur poterunt isti inferioris naturę & infirmioris ferre? O miseros, ô infœlices. Vbi nunc es Luthere? Vbi tu Zuinglie? Vbi tu Oecolampadi, & vos aliæ bestiæ? Certè malletis nõ esse, quàm tot ac tantis cruciatibus absq; vlla vllius solatij spe iugiter torqueri. Sed audiamus B. Petrum reliqua prosequẽtem.

Hi verò velut irrationabilia pecora, &c. Ostendit quales sunt huiusmodi homunculi Angelis comparati: nimirum tanquam irrationalia pecora, seu bruta animantia, quæ natura ad captionem & sui ipsius perniciem nata esse videntur. *In his quæ ignorant blasphemantes*, hoc est, dum de his quæ ignorãt blasphemant, *in corruptione* (seu pernicie) *sua peribũt.* Videtur enim ignorantia grauius peccatum constituere, cum is qui ignorat, audet & præsumit etiam de his quæ ignorat iudicare. Istud in causa religionis est grauissimum. Nam si Angeli peccatum grã de peccauerunt, saltem grandes illi erant. At hæc bruta quam dignitatis habent præstantiam, ex qua ad superbiam extimulari possint? Meritò ergo peribunt in suis ignorantiis: *Recipientes mercedem iniustitiæ*, dignam peccato. Qui nanque ea præsumpserunt scire quæ ignorabant, verè tum demum maximo pudore confundẽtur, dum omnibus perspectũ erit ac manifestum, eos superbè ignorasse, & tamẽ iactasse cognitionem scientiæ.

Voluptatem existimantes diei delicias: Hoc errore inuoluti tenentur miseri hæretici huius temporis. Cum enim simus in die, & perspicuæ lucis tempore, quando iam facti sumus omnes dociles Deo, scientes quid honestum, quidque turpe sit: atqamẽ isti homines existimant voluptatem esse delicias diei, id est, connenire ei tempori, quando lux apparuit. At B. Paulus hoc vetabat: Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo (inquit) opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationi-
Rom. 13. bus & ebrietatibus, &c. Isti autem diem sibi & aliis verterunt in noctem. Vnde ait: *Coinquinationes & maculæ.* Vocat eos non coinquinatos, aut maculatos, sed ipsasmet coinquinationes & maculas, ad insinuandum, omnes qui illis hærent contaminari ab eisdem & maculari. O quàm verum. *Deliciis affluentes: in conuiuiis suis, luxuriãtes vobiscum*, Quod est exercere officium suum coinquinando alios, & maculando mediis conuiuiis deliciosis: quæ magnum habent momentum, & viscum tenacissimũ continent ad amicitiam carnalem agglutinãdam, & assiduè augendam.

Oculos habentes plenos adulteriis, In oculis enim primùm & vehementer apparẽt adulteri hominis indicia. *Et incessabilis delicti.* Hoc venereum opus est delictum verè incessabile, donec exerceri per ætatem potest. Quod si fortè opere impleri nequit, in corde tamen & appetitu semper ignis ardet: nisi Deus latenti miraculo ac dono cor ipsum purificauerit. Quod sanè vt ratum est, ita & admirandum. Et qui hanc in se incendij vim restinctam sentiunt, Deo assiduas agant gratias. *Pellicientes animas instabiles*, id est, infirmas in fide, ac propterea instabiles ac nutantes. Tales enim ad omnem doctrinæ ventum velut arundines moueri solent, *Cor exercitatum in auaritia habentes.* Necesse est huiusmodi deliicis, & comessationibus, ac obscœnis voluptatibus carnis vacantes, plerunque in auaritiam rapi, quò valeant suppeditare impensas. Propterea habent cor exercitatum ad dolos, & deceptiones, & rapinas, & vsuras, & alia illicita lucra. Iam enim hæc bruta animantia fecerunt licitas vsuras, quarum tamen moderamen magistratibus sæcularibus astutè illud quidem tribuerunt. Hæc legi apud Bucerum, super Matthæum.

Maledictionis filij. Nam sub eorum generatione includuntur, qui subiacebunt æterno maledicto. Est autem phrasis hebraica. *Derelinquentes viã rectam*, quę est publica & trita, per quam ambulauerunt cum laude & veritate patres nostri: *Errauerunt sequuti viam Balaam ex Bosor.* Quicunque viam rectam deserunt, eosdem oportet errare. Et hi sequuntur viam Balaam, *qui mercedem iniquitatis amauit*: Merces iniquitatis est commodum aliquod tẽporale, quo à via recta abducuntur. Balaam enim à Balaac rege accepit munera, vt maledicceret filiis Israel. Pari iniquitate isti nunc maledicunt ecclesiæ ob mercedem aliquam temporalem, siue libertatem falsam, siue gloriam, seu stipendia & spolia ecclesiarum.

Correptionem verò habuit suæ vesaniæ, siue suæ iniquitatis. Declarat autem qualis fuerit illa correptio: *Subiugale mutum animal in hominis voce loquens*, Hoc fuit alina ipsius Balaam, cui Dominus os aperuit, & loquuta est, & eundem percutientem se increpauit. Nota est historia Num. 22. Significat verò quoddam hominum genus in ecclesia sancta Dei humile & ignarum diuinæ legis: subditum tamen Deo. In his innituntur pseudoprophetæ, & ab initio quidem multos huius generis capiunt, & illis insident, quos deducunt in viam maledictionis. Sed Angelus Dei saluos facit eos, vt etiam conterant ad parietem, qui est Christus, pedẽ insidentis. Longa esset allegoriæ explicatio. Satis est autẽ innuere sapienti. *Asina Balaam quos significat.*

Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus (seu vento) *exagitatæ*, Nam se ipsos iactitant, & pollicentur potum dare sitientibus. Sed non habent aquam, id est, sapientiam salutarem. Sũt enim cisternæ dissipatæ, quæ dereliquerunt verum fontem aquæ viuæ Dominum Iesum Christum, tamersi assiduè illum habeant in ore. Dicit & esse nebulas turbinibus exagitatas. Nebulæ sunt vapores qui conflantur ex aquis & terra, & quum turbinibus exagitantur, non euadunt in nubes: & nec in æstu nimio, nec in frigore magno generantur. Illi ergo per has nebulas significantur, qui à sapientia cum terra admixta aliquantulum eleuari ab aliis videntur. Hi sese opponunt splendori Solis, & tenebras exuscitant, cũmque iactantur ventis, facilè ac citò soluuntur & euanescunt. Ad eundem modum *Mira hæreticorum descriptio. Iet. 2.*

Universidad de Deusto Biblioteca

pseudoprophetæ turbinibus acti & ventis, tum à conscientia mala, tum etiam nonnūquam à iustis persequutionibus ab ecclesia illatis, non diu durāt.

Quibus caligo tenebrarū reseruatur. Et meritò. Nam cum ipsi obstiterint quominus aliis illuceret Sol, congrua hoc pœna illis infligitur, vt sint perpetuò sub tenebrarum caligine. Quapropter rectissimè subditur: *Superba enim vanitatis loquentes*. Cum istæ nebulæ altiùs eleuentur, oportet eas superba profundere. Sed cum non sint prægnantes, neque contineant opportunas pluuias (non enim prædicant veram ac puram peccatorum pœnitētiam) iure in vanitatem soluuntur. *Pelliciunt in desideriis carnis lasciuis eos, qui paululum effugerant*, id est, eos qui aliquātulum erant abstracti ab iis lasciuis desideriis, sed nondum firmati fide. *Qui in errore conuersantur*, eiusmodi inescationibus pellicientes alios. Et modum inescationis declarans, subdit: *Libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis*. Horū verborum interpretatio est ipsemet Lutherus, & socij: quorum doctrina nullum aliud fundamentum habet, quàm libertatis pollicitationē, quæ est spurcitiarum velamen. Etsi enim spiritum labiis profiteri videantur, nihil tamen prædicant reuera nisi carnem, iam ipsi facti serui corruptionis, id est, serui corruptibilis carnis. Et legem iustam adducens, vt probet iure sibi eam accersisse seruitutem, adiunxit:

A quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Christianus homo est à Deo in hoc prælio positus, vt per spiritum militet contra carnem, à cuius ditione atque imperio liberatus est per Christum. Si denuò superatur à carne, fit ipsi carni subiectus, vt nequeat se ab eius imperio vindicare, nisi rursum pœnitentia recuperet spiritum, & ipsius spiritus libertatē. *Si enim refugientes coinquinationes mūdi, &c.* Videtur summus Apostolus hoc in loco (meo iudicio) notare singulariter Apostatas illos, qui primùm agnouerūt veritatem Dei per cognitionem Christi, & ipsam viam veritatis, quæ in vitam ducit æternam. Vnde iam se alienauerant ab inquinationibus mundi. Verùm postmodo rursus superati sunt à Tentatore: & ita se coniecerunt in statum multò deteriorem priore.

Melius enim erat illis non cognouisse viā veritatis, &c. B. Paulus ad Hebræos hoc idem aduersus huiusmodi Apostatas scripsit, qui post receptam baptismi gratiam salutarem rursus prolapsi sunt: quibus

Heb. 6. voluntariè peccantibus non relinqui vlterius hostiam pro peccato docet. Idem Redemptor noster & Dominus declarauerat in parabola illa: Cum

Luc. 14. spiritus immūdus exierit ab homine, &c. Est enim eiusmodi peccatum Apostasiæ in se adeò grande, vt nulla, aut certè dubia & parua restet salutis spes. Hos iustè euomit Deus de ore suo, in quos appositissimè dirigitur illud veri prouerbij: *Canis reuersus ad suum vomitum*. Verè propria in eos qui assiduè peccant similitudo, qui cum per confessionis vomitum detestati sint peccata, & priorem vitam mutandam esse cognouerint, rursum tamen reuertuntur ad easdem veteris vitæ sordes & turpitudinem: quod est vltrò appetere ac resorbere quod euomuerant, &, *Sus lota in volutabro luti*. Aliam pulchram similitudinem addidit. Comparantur enim sui pecudi, quæ postquam lota est, confestim reuertitur ad volutabrum luti, in quo volutatur & gaudet. Quare non ab re vocantur porci hi noui porci hæresiarchæ & hæretici, in quos Dominus legionem dæmonum, ita sibi licere postulantium, permittit intrare, vt in mari spurcitiarum omnium demergantur.

CAP. III.

HANC ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione syncoram mentem: vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis prophetis, & Apostolorum vestrorum præcepto rum Domini & Saluatoris. Hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.

HAnc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, &c. Quòd hîc testatur B. Petrus hanc esse secundam epistolā, planè ostendit & priorem pariter sicut & hanc, esse suam: contra hos nouitatum sectatores. Ait autē se in his epistolis excitasse per commonitionem suam illorum syncoram mentem. Hinc deberēt exemplum inferioris ordinis Prælati sumere, & prædicatores, vt faciant exhortationes suas in spiritu lenitatis & suauitatis, non acerbè cum tanta austeritate & potētia. Considerent & imitentur summum Apostolorū, Christi Vicarium, quàm blandè, & quanto cum honore illos, ad quos dirigit sermonem suum, hortetur.

Vt memores sitis (inquit) *verborum quæ prædixi, à sanctis prophetis*. Longè meliùs & clariùs diceretur, vt fert Græca lectio: *Vt memores sitis verborum prædicatorum*, id est, eorum quæ prædixerunt sancti prophetæ: *Et Apostolorum nostrorum*. Meliùs, *Apostolorum nostrum*, id est, Apostolorum qui sumus nos. *Mandati*, id est, vt memores etiam sitis mandati Apostolorum qui sumus nos, *Domini & Saluatoris*. Non Apostoli cuiuscunque hominis, sed Domini veri, & veri Saluatoris. Mandatum autem non aliud intelligitur, quàm ipsius dilectionis, ad quod omnia summantur. Qui enim diligit proximum propter Deum, legem impleuit, vt B. Paulus docet. Rom. 13.
Patet autem in priore epistola contineri huiusmodi admonitionem, & præcepta de prophericis scripturis: vbi studium eorum qui illis incumbebant plurimum, vt & ardentiùs etiam incumbant, laudat: ad quod adhortatur, quum ait: Habemus & firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, &c.

Hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, &c. Hæc prophetia nondum est impleta: sed potius hactenus error multorū fuit, qui & nunc viget in nonnullis, qui iudicant propè & in ianuis esse diem vltimū aduentus Domini. Et verè in ianuis est, sed non iuxta mēsuram tēporis, qua nos ipsum metimur, secundum quam

mensuram tarda nobis ingrataq; fluunt tempora: sed iuxta mensuram veram, quam nunc ex parte videor mihi attingere iam senior, qui cum retro omnem ætatē meam respicio, cum iam sexaginta sex annos excesserim, totum hoc tempus vix semihora videtur: in qua tamen plus mœroris ac laboris, quàm gaudij. Et certè ita est: & tamen qui instare dicunt diem Domini, sic metiuntur dies & annos, vt est communis mensura mortalium: antè tamen quàm veniat ille dies Domini tremendus, venient alij illusores, & amatores mundi, qui post multa iam exacta, & quæ transibunt tempora, contra euangelicum Christi verbum prædicabunt, & irrisione quadam ac perfidia dicent:

Vbi est promissio, & aduentus eius? Hi erunt Antichristi præcones, aut præcursores. *Ex quo enim patres dormierunt, &c.* Ecce ratio vnica perfidorum, quam & Dominus sua prouidentia aliquando destruxit. Attēde pie Lector. De his B. Paulus prophe-

1. Thess. 5. tauit, dicens: Cum enim dicent: Pax & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus. Tunc igitur erit propè, cum putabitur lōgè. Veniet enim vt fur in nocte, quādo homines dormiunt. Quam obrem cum vel nunc dicāt plerique hæreticorum instare hunc diem, eos non audio: quāquam & Catholici sint nonnulli qui in eam opinionem venerunt. Permittitur autem cūctis in his quæ huiusmodi sunt, opinari & disputare. Ego quod sentio etiā liberè profero. Nondum enim video signa illa propinqua. Sed ad rem nostram. Dixi hos Antichristos iam suæ huius hæresis habuisse redargutionem, quam B. Petrus Apostolus subdidit:

Latet enim eos hoc volētes, quòd cœli erāt prius & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo: per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominū. Vnum verò hoc nō lateat vos, charissimi, quòd vnus dies apud Dominū, sicut mille anni: & mille anni, sicut dies vnus. Nō tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolēs aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur. Elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluēda sint: quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentū diei Domini: per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos verò cœlos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus: in quibus iustitia habitat. Propter quod charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati inueniri in pace: & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini. Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis, loquēs in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu: quę indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes custodite: ne insipientium errore traducti excidatis à propria dignitate. Crescite verò in gratia & cognitione Domini nostri & saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

Latet enim eos hoc volentes, &c. sensus est: Ob eam causam isti ea effundūt, quia quod fecit Dominus (vniuerso terrarum orbe teste) latet eos. Latet aūt, quia ipsi scire nolūt. Erant enim historiæ hac de re fideles, etiam præter scripturas sanctas, de iustitia Dei per diluuium ministrata, vt falsissimum redda tur eo istud dictum: *Omnia sic perseuerāt ab initio creaturæ*. Nam totum mundū periisse, exceptis octo animabus, & his Dei prouidentia per arcā seruatis, nō est in eodem tenore perseuerare omnia: sed est illo exēplo persuadere non proteruis, eum qui valuit verbo suo perdere per aquam mundum, posse etiam per ignem simili modo illum destruere. Est item metū cuilibet incutere, & excitare curam vigilādi his, qui non penitus perditi sunt. Hoc autem ne de improuiso sub illo die cōprehendantur: sicut sub illo priore diluuij comprehensi sunt, dicentes: Pax & securitas. Comedamus, bibamus, deliciemur, &c. Nam eodē errore multi tenebuntur, quo totus orbis in die Noe tenebatur, vt repētinum incurrāt & sempiternum interitum. Si ergo illud diluuij exemplū cernerent, quod tamen sua perfidia ignorare volunt, non blasphemarent in euangeliū: sed prouidentiam Dei agnoscerēt & iustitiam, in eos maximè qui superbiunt contra verbum ipsius. Illud autem Noe exemplum sic enarrat:

Quòd cœli erant olim, & terra, de aqua & per aquam constituti Dei verbo. Hoc quo pacto fuerit, oportet agnoscere de scripturis. Quomodo enim cœli facti sunt ex aqua, cum multò superiores sint, & non videantur habere talem generationē, vt prius fuerit terra ipsa quā cœli, ex cuius materia potuerint conflari? Sunt qui dicant hîc cœlorum appellatione intelligi aerem istum, & quicquid est inferius sub orbe Lunæ: quod mihi non placet. Nam quòd aer, & similiter ignis qui superior est aere, ex aqua processerint, non habet testimonium. Solùm habemus secunda die factum esse firmamentum, & per illud aquas inferiores ab aquis superioribus separatas. Et tertia die semouentur aquæ à superficie terræ, quæ vniuersam operiebant terram. Præterea, nunquam legi cœlorum appellatione numero plurali, significatum esse aerem. Dicuntur aues, & volucres cœli, & non cœlorum.

Adde cum legimus: Aquæ quę super cœlos sunt, nunquid propriè intelligimus de aquis elementi huius, quod vocatur aqua? equidem non arbitror,

Universidad de Deusto Biblioteca

aliqui super quos cœlos hæ aquæ, obsecro, inueniuntur? Placet ergo vt de veris cœlis hoc intelligamus, qui nobis in hoc statu deseruiunt. Nam & ipsi verbo Domini firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ideo eadem potestate soluentur, vt ait scriptura, qua sunt formati. Dauid dixit: Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribūt, tu autem permanes, &c. Hic ergo huius loci sensus mihi absque vllo scrupulo procedit, vt primum intelligamus cœlos, id est, cœlestes orbes, & terram, ex aqua cōstitutos esse, id est, ex illa materia prima, quæ vacabat certis formis, quam in principio libri scriptura vocauit aquas & abyssum: vt quemadmodum ex illa aqua conditi sunt, etiam per aquam illam consistant. Verum hoc totum Verbo Dei constitutum est. Ipse enim dicebat: Fiat, & statim factum inueniebatur.

Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit, &c. Difficile est istud quod subdidit. Quo pacto enim per cœlos & terram periit mundus? Si dixisset: Per quod, vt posset referri ad verbum Dei, plana esset & peruia intelligentia. Sed dicens: per quæ, ipsos cœlos & ipsam terram videtur significare voluisse. Inde venit ille cataclismus: quod certè factum fuit verbo Dei. Ipsa enim terra euomuit quantum habuit aquarum ex suis internis fontibus. Et cœlos item verisimile est Dei verbo & virtute aptatos, vt illam alluuionum exundantiam in ipso aere gignerent, & inde super terram effluerent: sic mundus per aquam submersus est. Sicut igitur per cœlos & terram mundus à diluuio aquarum periit iussu Dei: ita nō est incredibile ipsos cœlos, & ipsam terram eodem Dei verbo seruari per ignē soluenda in aduentu magni Dei, & in die perditionis impiorum: vt gloria sit diuini Verbi, & non creaturarum, quæ illi tantùm seruiunt.

Vnum verò hoc non lateat vos charissimi, quòd vnus dies, &c. Hîc respondet quorūdam argumēto qui, vt superius vidimus, obiiciebāt: Vbi est promissio aduentus eius? Ex quo enim patres dormierūt, &c. Cùm enim in scripturis prophetetur aduentus tanquam citò futurus, & iam fluxisse numerētur multa sæcula: videri potest malè deputantibus ipsum tempus, mendax hęc prophetia, vt ruat omnis spes scripturarum. Hoc, inquam, præoccupans respondet: Vnum diem apud Dominum esse velut mille annos: & mille annos sicut vnum diem. Quod tantundem valet ac si dixerit: Hi qui non sunt subiecti tempori, non ita mensurant tempus sicut mortales, qui hac corruptione grauantur: ita vt vnus dies apud Dominum, sit sicut mille anni apud nos: & econuersò, mille anni apud nos, sicut vnus dies apud illum: quod eódem reuoluitur.

Aliter potest hic locus intelligi, apud Dominū non esse istam nostram considerationem temporis: quia idem est apud eum vnus dies, quod mille anni: & mille anni, quod vnus dies, vt non sit eius propriè tardare vel præuenire. Siquidem ea quę in ipso tempore accidunt cōsiderat, & secundum opportunitates & occasiones procedit in operibus suis, ita vt nulla sit in eo tarditas vel celeritas. *Non tardat*, inquit, *Dominus promißionem suam, sicut quidā existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire.* Vide benignitatē Domini, qui non vult aliquē perire. Apertissimum certè contra illos testimonium, qui non prædestinatis certam constituunt damnationem. Quòd ergo non tam citò veniat ad vindictam Dominus, non est tardare, sed patienter agere, propter vos. Vos (inquit Apostolorum Princeps) qui credidistis, vt plures saluos faciat. Nollet enim, quod in se est, quēquā perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. At quando videbit nullam ferè in terra relictam fidem, tunc eodē consilio abbreuiabit illos dies, ne plurimi perdantur. Itaque vnus dies tunc apud illum erit sicut anni mille, & ideo abbreuiabit. Nūc autem apud eundem anni mille sunt sicut vnus: & ideo videtur tardare. Sed non est dicēda hęc tarditas: quoniam, vt est in prouerbio: Sat citò fit, quod rectè fit.

Aduenient autem dies Domini vt fur, &c. Iam istud apud B. Paulum expositum est, & satis clarus est sensus, quia non vigilātibus inexpectatus ille dies & improuisus adueniet: *In quo cœli magno impetu transient.* Monui lectorem aliàs, nimis coactam esse Scholasticorum expositionem, qui volunt cœlos nihil passuros, sed solùm cessaturos à motu. Pagina. 461. Quod certè his B. Petri verbis, & antiquorum vaticiniis repugnat Isa. 65. & 66. Quòd verò de cœlis loquatur propriè, & non de aere, patet. Postquā enim dixit: In quo cœli magno impetu soluentur, adiecit: *Elementa verò calore soluentur.* Quod ad aerem & aquam pertinere videtur, quæ per ignē soluenda sunt. De terra autem particulariter ait: *Terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Tanquam quæ male seruierint ingrato homini, qui & rebellis Deo Creatori suo fuerit: vnde ait:

Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse, &c. Hęc meditatione assidua verius essent, quàm interpretatione, vt vel metu saltē illius horrendi iudicij conuersemur rectè, & inculpatis moribus: non autem more serui illius, de quo in parabola dixit Dominus, quòd cœpit in corde suo dicere: Moram facit Dominus, & percutere cœpit seruos & ancillas, & edere ac bibere, & cætera agere, perinde ac si nunquam Dominus esset rediturus. Huic enim aderit in die quem non putat, & in hora quam non sperat. Veniet quippe Dominus eius & de perfidia atque insolentia, & nequitia durius iudicabit eum. Vos ergo in sanctis conuersationibus ac pietatibus debetis permanere expectantes. Vocat pietates opera pietatis. *Et properantes.* Græcè longè melius, *accelerantes aduentum diei Domini.* Vbi hoc nota pie & acute lector, quomodo bona vita accelerat nobis aduentum Domini. Cum primum enim ad maturitatem debitam pomum peruenerit, Dominus non permittit in arbore, sed colligit vt illo vescatur. Hanc veritatem plurimi eorum non considerant, qui non diligunt aduentum eius. Appellat autem diem Domini, siue diem Dei, nimirum Christi, quia tum est iudicis dies, quando non licebit quicquam producere, sed clausus erit processus cuiuslibet. Denuo autem memorat quòd, *cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent*, vt non solam à motu cessationem intelligamus.

Luc. 12.

Illud item hîc est notandum, Cum hæc omnia debeat præcedere resurrectionem, & postremum iudiciū, male fingi, aut defendi posse reperiendos tunc homines non mortuos, quando Deus iudica-

bit. Quo enim pacto ab illa euadere possunt tanta ignis conflagratione? Non est enim hîc fingenda vlla noua arca, quæ vt illa protexit ab aquis, ita hæc possit ab incendio protegere. *Nouos autem cœlos, & nouam terram.* Sed in quem vsum noua terra, si nullus habitaturus sit in ea? Idcirco congruentissimè creditur à multis, eos qui peccato proprio nō merebuntur infernum, nec tamen in Christo recepti fuerint per gratiā (quales pueri absque baptismo decedentes) hanc nouam multò pulchriorem terram, puram ab omni inquinamēto & corruptione, possessuros: vbi perpetuò laudabūt Dominum Deum. De cœlis autem nouis illud dicēdum: quòd longè maiore luce splendebunt, & serenabunt terram propter inhabitantes absque corruptione vlla ac generatione. *Et promissa eius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Sensus est: Nos in quibus iustitia habitat, aut in quibus promissis expectamus eius promissa: *habitat iustitia*, id est, fides. Sed hęc duriuscula interpretatio est. Aliqui ad ipsos cœlos referunt: quia in eis habitat iustitia. Mihi prima magis placet. *Propter quod charißimi.* Non potest desinere admonere propter graue & grande periculum. *Satagite, &c.* Ecce quomodo vt rē possibilē, non autē (vt hæretici blaterant) impossibilem ponit, adhortatus vt inueniamur immaculati & inuiolati, seu irreprehensibiles, *ei*, id est ad eius gloriam, à quo omnes bonæ actiones & iustitiæ nostræ. *In pace*, quia non erit vera pax vlla vnquam impiis. *Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini.* Non ait, tardationem aut moram, sed *longanimitatem*: Quæ significat expectationem cum patientia, vt poma colligat matura. Ideo ait salutem vestram esse arbitremini: quia ob salutem vestram retinetur ira illa extrema. Et hîc interim incipit iudicium à domo Dei, quæ estis vos.

Sicut & charißimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. Manifestè citat epistolam ad Hebræos peculiariter, cuius epistolæ argumentum hoc penè solum comprehendit, vt ipsi non relinquant fidem, sicut multi ex eis consueuerant: sed patienter sustineant Dei longanimitatem, quæ illorum veram operatur salutē. Vnde cap. 3. ait: Participes sumus Christi, si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmam teneamus, dum dicitur hodie, &c. Et cap. 6. Cupimꝰ vnumquenque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletioaem spei vsque in finem, vt non segnes efficiamini: verùm imitatores eorum qui fide & longanimitate hæreditant promissionē, quam Abraham longanimiter ferens adeptus est. Et cap. 10. Nolite amittere confidētiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulúmque, qui venturus est, veniet & non tardabit. Denique reliquum epistolæ hoc cōtinet, vt perseuerent, & expectent Dominum longanimem longanimiter: quia illā perseuerantiam manet corona sempiterna.

Cum ergo hic summus Pōtifex Petrus citet particulariter quandam B. Pauli epistolam, & nō alia cōgruentius ostendi possit, quàm illa ad Hebræos: profectò argumentum est inuictissimum, verum illius epistolæ authorem esse eundem B. Paulum. Commēdat verò illius epistolas à sapientia quam continent, & quam à Deo ille habuit infusam, nō acquisitam. Porrò istud est maximè considerandū quod adiecit: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.* Notent scioli hæretici, qui sibi faciunt omnia plana, & indoctis & idiotis suadent scripturas sanctas esse claras, nec vllam habere in dogmatibus difficultatem, qua possint ad sensum prauum torqueri. Contra hanc falsam ac perniciosam prorsus persuasionem habemus grauissimum Principis Apostolorum testimonium. Testatur enim esse loca ad intelligēdum difficilia: *Quæ*, inquit, *indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Vnde tanquam falsarij testamētorū Dei grauiter punietur. Si enim falsarij crimen adeo odiosum est, vbi agitur vel de aliqua parua hæreditate terræ, & atrocissimis pœnis punitur: quid suppliciorum non expectabūt isti miseri, qui contaminare non desinunt testamēta Dei viuētis?

Duobus autem nominibus eos egregiè notat, qui deprauant scripturas: Primùm quoniam sunt, *indocti*, deinde quòd sunt, *instabiles*: Quæ conditiones profectò conueniunt omnibus prorsus hæreticis. Omnes enim qui errant in lege Domini, indoctos esse oportet: Indoctos, inquam, dicimus, non tamen intelligēdo de literis sæcularibus. Multi enim, imò penè omnes hæretici pollent doctrina sæcularium literarum: & plerunque sermonis & linguarum, & potissimum rhetoricæ calliditate, quemadmodum nunc videmus manifestè. Sunt ergo indocti doctrina Spiritus, quia superbè & elatè eam scientiam tenent quæ inflat: ac propterea instabiles, qui nulla in re certa etiam, nec inter seipsos perstant, modo vnum, modo aliud docentes. Hác instabilitatem abundè alibi prodidimus. Non ab re autem erit aliquot ex difficilibus illarum epistolarum locis indicare, quos deprauari etiam à nouissimis nostræ ætatis illusoribus in sempiternam eorum perniciem clarissimum est.

Author in lib. de consideratione temporum.

Primum, vbi ad primam iustificationem B. Paulus fidem exigit, non opera legis Mosaicæ: Venerunt qui indistinctè, solam fidem putarunt sufficere ad salutem. Et hæc quidem hæresis iam tempore ipsorum Apostolorum incepit, vt B. Augustinus testatur. Itē cum videatur gentibus legem facietibus, salutem æternam polliceri: Pelagiani hoc sine gratia Christi posse obtineri dogmatizarunt. Et quia ipse commendabat gratiam Dei, quam dixit abundasse vbi abundauit delictum: Exorti sunt qui inde iniquè colligebant peccandum ergo esse, vt Dei copiosior gratia abundaret: Ferè enim hoc noui hæretici dicunt. Cum verò legem antiquam nouæ comparatam, visus esset quodammodo floccifacere, imò per legem præberi occasionem peccatis: Surrexerunt qui eam negarent esse à Deo vero & bono, sed malum Deum eius esse authorem. Adhæc quoniam dicit omnem hominem subiectum esse peccato: Dixerunt Deum impossibilia præcepisse, & per sacramentum baptismi non esse sublatum peccatum: quod & Lutherani noui hæretici suscitarunt.

Discursus sententiarum B. Pauli, quas hæretici deprauant.

Ex ep. ad Rom.

Et quia legem fidei à lege operum distinguit, Separant opera charitatis à lege fidei. Præterea, cum doceat ex lege Moseos nō esse promissionem, sed ex lege fidei, Isti omnino excludunt opera etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsius fidei, vt non habeant promissionem. Nolũt enim miseri intelligere, de lege Moseos habitum fuisse sermonem, quæ nõ habebat promissionem cœlestium: hoc enim seruabatur Christo, & ob eã inscitiam negant Christum legislatorem, omnem legem contemnentes. Item ex eo loco, vbi tradit peccatum intrasse in mundum per vnum hominẽ, id est, Adam, & hoc videbatur quibusdam absurdum, dicente Domino: Filius non portabit iniquitatem patris! Negarũt vim & naturam peccati originalis. Alij verò damnarunt naturam hominis, quasi sic illi à Deo ab initio creationis inditam.

Et rursum, quoniam dicit malum adhuc nobis inesse & peccatum, qui mente seruimus legi Dei, carne autem legi peccati: & malum quod caro facit, nos illud non operari: Venerunt qui docerent nihil esse peccati si homo labatur, secundum carnẽ consentiens in varias concupiscentias: quia iutus non consentit, & ideo nihil damnationis habet. Quæ libenter audit caro, quæ non est subiecta, nec esse potest, legi Dei ex sui natura.

Adhęc quia dixit: Qui spiritu aguntur, ij filij Dei sunt: Cõflata est secta quorundam diabolica, qui spiritu Dei se agi dicunt, in omne tamen malũ tendentes. Et quia dixit: Quos prescivit, hos etiam prędestinauit: Dixerunt quidam præscientiam futurorum operum bonorum esse rationem & causam prædestinationis. Et contrà: quia re vera à B. Paulo declaratur hæc intelligentia praua & peruersa: Putarunt quidam similiter non prædestinatos, reprobatos esse à regno Dei absque vlla proprioru de meritorum consideratione. Quod est iniquitatem manifestam impingere in Deũ. Et quia dixit: Certus sum quòd neque mors neque vita, &c. Nũc volunt hæretici, omnes electos esse certos suæ prædestinationis & salutis per solam fidem.

Et quia dixit: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: Quidam liberum ab homine sustulerunt arbitrium: & consequenter merita & demerita, vt habet Lutheri doctrina. Et quia dixit: Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio: Dixerũt quidam, omnes qui rectè gratiam baptismi susceperunt, salutem consequuturos, nec posse ab ea excidere. Et quia dixit quosdam indurari à Deo: Dicunt Deum esse causam peccati, tanquam ipse infundat malitiam.

Et quia sæcularibus principibus præcipit obtẽperari. Quidam illis tribuerunt etiam spiritualium causarum cognitionem, & cẽsuram, atque iudiciũ. Et multi Principes & Magistratus, illam inique ac scelerosè (vt cernimus) filij Luciferi sibi arrogarũt in suam ipsorum perditionem. Et quia delectum ciborum, qui à lege Moseos præcipiebatur, iam abolita olim per Christum, vt rem merito superstitiosam repudiabat, Iudæi quidam ipsum destruere legem, & Moysi maledicere calumniabantur. Noui autem hæresiarchæ ex eadem doctrina libertatem carnis prædicant, & ecclesiasticas traditiones & consuetudines violant. Et quia dixit, Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinũ, Manichæi quæ continenter adiuncta erant, dissimulãtes, prohibuerunt vsum carnium, & vini potũ tanquam à malo Deo inuentum.

Adhæc, Quia vituperabat eos qui sectas erigere ac fouere moliebantur, dicentes: Ego sum Pauli, Ego verò Cephæ, &c. Noui hæretici omnem de uotionem in Sanctos reprobarunt, & eorum authoritati plurimum derogarunt. Et quia dicit de Christo: Qui factus est nobis iustitia & sanctificatio: Confinxerunt noui Magistri imputatam Christi iustitiam, nihili facientes donum Dei inhærẽs nobis, quo verè & formaliter iustificamur. Nõ autem solũmodo nobis imputatur illa iustitia Christi, sed per illam (quia ipse ita meruit) nos obtinemus ipsum verum iustitiæ donum, quo verè iusti sumus, & placemus Deo operantes. Et quia dixit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: Hac sententia abuntur contra B. Petri prærogatiuã, & summum Pontificatum, Christi verbo sacratũ. Et quia dixit, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: Quidam detorquẽr, vt velint nec ipsum tantum Apostolum fuisse certum gratiæ suæ, cum tamen passim in omni epistola illam prędicet.

Ex prima ep. ad Corinth.

Et quia dixit: Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat: Et vnaquęque suum virum habeat: &, Melius est nubere quàm vri: Volũt nunc sacerdotes & monachos sacrilega inire posse coniugia. Et quia dixit, quòd manibus laborans ipse sibi victum quęrebat, nec potestate exigendi, quam concedebat euãgelium, vtebatur: sed & prę cipiebat multis vt laborarent, & dicebat: Qui non laborat, non manducet: Reprobarunt quidam statum mendicitatis propter Deum assumptum. Et quia dixit: Omnibus omnia factus sum, Iudęis tanquam Iudęus, &c. Putarunt quidam licere homini dissimulare Christianitatem, & ipsum quidem negare Christum ore, non tamen corde.

Et quia dixit: Sicut omnes in Christo moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur: & ad Rõ. Quòd donum debet excedere peccatum: Dixerũt quidam, omnes homines & Angelos aliquando salutem adepturos. Et quia dixit: Quòd resurget corpus spirituale: Dixerunt non hanc carnem, neque hęc eadem ossa nostra nos induturos, sed aliud nouum corpus alterius naturę, nempe spiritualis. Et quia dixit, Secundus homo de cœlo cœlestis: Dixerunt quidam, ipsum Christum Redemptorem nostrum attulisse carnem de cœlo.

Ex ep. ad Gal.

Adhęc, quia dixit: Si Angelus de cœlo euangelizet vobis prętet id quod nos vobis euangelizauimus, anathema sit: Quidam, vt Lutherus & socij, si biipsis Apostolicam authoritatem arrogantes, & freti propria interpretatione scripturarum, audent hoc idem sibi vsurpare, vt etiam dicant: Si quis aliter quàm nos, prędicauerit, Anathema sit. Et cum B. Paulus se reprehendisse Petrum testetur, Primatus iurisdictionem à Petro Christi Vicario sufferunt. Addunt, Petrum non ambulasse tunc ea in re secundum veritatem euangelij, ex quo eiusmodi conclusionem faciunt, Papam circa rem fidei, etiam detetminando, errare posse. Et quia videtur ceremonias vituperare: Quidam non aduertentes de ceremoniis illius Mosaicę legis fuisse loquutum Apostolum, omnes etiam euangelicas & ecclesiasticas cæremonias reprobant, Alij saltem vt indifferentes accipiunt, & propter scandalum tantum obseruandas, pietatem prætendentes erga infirmos, dolo pleni & hypocrisi. Et quia

xit, Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem suam cum vitiis & concupiscentiis: Quidam qui se profitentur spirituales, vel vt perfectam mortificationem addiscant, & videant quantum profecerint in virtutibus, cum fœminis securè cõuersantur, & (vt audio) dormiunt. Sic enim aiunt se crucifigere carnem, & concupiscentias suas. Securè, inquam, anturò ipsi viderint.

Ex ep. ad Ephe.

Et quia dixit dispensationem mysterij, id est, incarnationis verbi Dei, fuisse absconditam à sæculis in Deo, & per ecclesiam innotuisse principibus & potestatibus: Dixerunt quidam etiam Angelos illud mysteriuu latuisse: cum tamen ipsi reuelauerint illud prophetis.

Et quia dixit Christum in similitudinem hominum factum esse, & habitu inuentum vt hominẽ: Dixerunt quidam, illum non fuisse verum hominem, nec veram humanam carnem habuisse.

Et quia dixit: Quòd Deus operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate: Quidam nihil penitus libertati arbitrij tribuerunt.

Et quia dixit: Non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide: Dicunt & ex hoc loco hæretici non esse in nobis fidem vllam inhærentem nobis, quæ sit etiam Dei donum per quod iustificamur coram Deo: sed esse solùm iustitiam Christi nobis imputatam.

Ex ep. ad Col.

Et quia dixit: Videte ne quis vos decipiat per philosophiam: Fuerunt qui damnarunt omnes sæcula res disciplinas, & omnem philosophiam & quicquid naturali ratione colligitur.

Et quia dixit: Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, &c. Sufferunt noui hæretici omnes festiuitates ecclesiasticas, & obseruantias ieiuniorum, & ciborum delectus.

Ex ep. ad Thes.

Item quia dixit: Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini: Credidere quidã multos viuos fore in die iudicij, nunquam morituros. Et præterea putarũt temporibus ipsius B. Pauli instare iudicium Dei & aduentum eius: contra quod in alia epistola ipse declarat.

Et quia dixit de Antichristo, quòd in tẽplo Dei sedebit, ostendens se tanquam Deum: Noui hæretici scelerosè ac satanicè blasphemantes, interpretantur hoc de Rom. Pontifice, & Apostolica sede: cum tamen neque in prodigiis se vllus ostentauerit, nec adorari, aut coli se mãdet tanquam Deum: sed cultum qui Christi Vicario debetur, ad Christi gloriam solùm accipiat.

Ex ep. ad Tim.

Et quia prohibet fabulis & genealogiis interminatis attendere: Quidam odiosè ostendentes cuius seminis sunt, detorserunt dictum contra asserentes B. Virginis immaculatam cõceptionem, quasi hoc sit intendere genealogiis interminatis. At cur non etiam insultant contra illius natiuitatem? O serpentinum semen.

Erasmus.

Et quia dixit: Lex iusto non est posita: contendũt quidam Christianos non habere legem, cui obligentur.

Et quia Dixit, Deum inuisibilem, & quem nemo uidit vnquam, sed nec videre potest: Quidam impij, Apostolum secum pugnare dixerunt: cùm alibi dicat, quòd eum videbimus facie ad faciem.

Et quia dixit: Corporalis exercitatio ad modicũ vtilis est: Hoc dictum ad ieiunia detorquentes, vtilitatem ieiuniorum excluserunt, & pro nihilo reputarunt.

Et quia vult Episcopum vnius vxoris virum: Iam concedunt hæretici passim suorum Episcoporum & sacerdotum spurcissima coniugia.

Et quia dixit de fœminis viduis iunioribus: Volo eas nubere, filios procreare, &c. Multi his temporibus detraxerunt etiam virginum puellarũ sanctissimis voris.

Ex ep. ad Hebr.

Et quia vocauit Christum characterem diuinæ hypostasis: Hæretici tres hypostases cõmenti sunt, vt tres substantias traderent & naturas, non solum personas.

Et quia dixit: Impossibile est qui semel illuminati sunt, &c. renouari ad pœnitentiam. Nonatus absolutè negauit secundam tabulam post naufragiũ, id est, virtutem sacramenti pœnitentiæ.

Et quia dixit, Melchisedech sine patre & matre, & genealogia: Quidam negarunt eum fuisse hominem: sed aut Angelum, aut Spiritum sanctũ, &c.

Et quia Christus dicitur vna hostia in perpetuũ consummasse sanctificatos: Noui & verè indocti hæretici negarunt noui testamenti sensibile sacrificium.

Et quia nouum testamentum vocauit, quod hæbraicè dicitur, Berith: Reprehẽderunt quidam indoctè & imperitè authorem epistolę ad Hebræos, quòd pro, pacto, dixerit, testamentum. Sunt & alia pleraque, quæ ineptè in illa epistola adnotarunt nouitij magistri, quibus contenderunt non esse B. Pauli. Quæ quàm friuola sint, nec digna vt adducantur, suis locis ostendi.

Et quia dixit de vitis sanctis qui in Domino mortui erant, quòd non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, ne sine nobis consummarentur: Dixerunt quidam animas sanctorum defunctorum non videre Deum facie ad faciem ante perfectam omnium resurrectionem. Et hæc satis (ni fallor) vt præcipua loca Apostoli, mala interpretatione multorum depraua ta fuisse studiosus lector breui compendio accipiat. Non nego plura me præteriisse: sed quæ sese obtulerunt euoluenti raptim epistolas, ea sunt. Redeamus ad reliquum epistolæ, *Vos igitur fratres præscientes, &c.* Verba pauca, sed magni ponderis. Et manifestus est sensus, id est, Cum iam præmoniti sitis de re tanti tamque immensi periculi, & æterni damni, *Custodite*, hoc est, curate diligenter, *ne insipientium*, vel prophanorum, *errore traducti excidatis à propria firmitate.* Vocat firmitatem fundamentum nostræ fidei, quod est Christus firmissima Petra, vt declaret quòd ab ea excidere, culpa est excidentis, non fundamenti ac Petræ, quæ manet inæternum. *Crescite vero in gratia*, Hoc fit oratione & sacrificio, & vsu frequenti sacramentorum, & bonorum operum assuetudine.

BENEDICTVS DEVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARGVMENTVM IN PRIMAM EPISTOLAM CANONICAM B. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

EPISTOLAE huius argumentum, est comprobatio fidei nostræ. Est etiam nostri dignissimi status, in quo inuenimur renati in Christo, enarratio: licet nondum, donec ille apparuerit, appareat quid erimus. Ostendit igitur & à quantis malis simus per illum erepti, & ad quanta bona insuper candidati per spem vitam, vt gaudeamus cauētes à malo: & humili confessione recognoscamus delicta nostra, si velimus ea per Christi sanguinem assiduè emundari. Et ad expletionem spei vsque in finem, debemus bonum in veritate operari cum charitate & dilectione erga proximum, quem qui diligit, verè censetur Deum ipsum diligere. Et contrà, qui non diligit, manet in morte. Mentionem similiter facit Antichristi, & præcursorum eius, qui Iesum soluunt. Tota epistola affectibus amoris plena est, & verè digna Dilecto discipulo.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM BEATI IOANNIS

QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est: & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis, vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audiuimus annuntiamus vobis: vt & vos societatē habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.

MIRVM primo videri posset, cur titulo careat hæc epistola, vt neque mittentis nomen, neque ad quos mittatur, indicauerit. Verùm satis ipse sermo suum authorem declarat. Voluit autem Spiritus sanctus nos in scripturatū studio non valdè ad hominem scribentem respicere, sed ad seipsum, qui primus est illarum author. Nam homines qui ab illo inspirati scribunt, eo dictante scribunt. Et hac fide omnes scripturæ probatæ ab ecclesia, recipiendæ sunt. Possumus & illud respondere roganti: Cur B. Ioannes non se nominat, neque certos, ad quos scribit, declarat? Quia non tanquam suo nomine scribit, sed omnium Apostolorum: vt suam doctrinam vel hoc ipso esse euangelicam & apostolicam ostendat, non propriam: & illam non certis quibusdam & priuatis ecclesiis, sed omni populo vult communicari. Quamobrem ferè semper pluralis numeri vocibus vtitur, vt apparet in initio, & per totam epistolam. ait ergo:

Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, &c. Constructio satis longa est, parenthesi interposita. Sic autem ordinetur, vt clarior sensus pateat: *Annunciamus vobis quod fuit* (aut potius) *quod erat ab initio.* Hoc est Verbum Dei, Filius summi Patris, Dominus noster Iesus Christus, de quo ipse magnificè in sui euangelij exordio intonans dixit: In principio erat Verbum, &c. Dicitur quòd erat in initio, scilicet creaturarum, vt non cœperit esse tunc, sed inueniebatur esse. Ecce primum de illo assertum pro eius diuinitate.

Quod audiuimus. Non dicit se ab aliis de illo audiuisse: sed se, & cęteros Apostolos audiuisse ipsum Verbum, & Filium Dei sua voce loquētem. O fœlices qui possunt dicere prædicanti de illo. Iam nō propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic verè est Saluator mundi. O verè dictū illis à veritate, Multi reges & prophetæ cupierunt videre quæ videtis, & audire quæ auditis, & non viderunt, neque audierunt. Sed non debemus turbari, propterea quia illam vocem corporeis auribus non audiuimus. Si enim credimus ipse nos Spiritu suo alloquitur, & testatur nobis de semetipso. *Quod vidimus oculis nostris.* Sed nūquid alienis oculis videmus? Verùm est emphasis in huiusmodi sermone. Audierunt autem verba eius, verba vitæ æternæ, vt eleganter dixit B. Petrus. Et viderunt acta & gesta vitæ, miracula, & prodigia summa. *Quod perspeximus.* Auget vehementius significationē circa illud quod dixerat (vidimus oculis nostris) addens, *Quod perspeximus*, siue speculati & contemplati sumus, quod facit ipsa mens circa ea quæ porrigit sensus.

Et manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ. Etsi hic tropus sit loquēdi, vt cum aliquid certò apprehendimus dicamus manu nos attrectasse propter certitudinem ipsius sensus tactus: Attamē etiam re ipsa Dominus se tractandum præbuit & ante mortem, & post resurrectionem suam. Ipse enim palpandum exhibuit carnem suam & ossa, ne putarēt eum esse phantasma & spiritum.

Appellat autem Verbum vitæ, quia & ipsum vita est, & per illud omnes viuunt, quicūque viuunt. Est autem sermo de vita non quam habent plantæ, & animalia terræ, sed de vita spiritus, quę in Dei contemplatione & dilectione perficitur. Interponit autem parenthesin huiusmodi.

Et vita manifestata est. Obseruaui sæpenumero in scripturis, & præcipuè apud B. Ioannem, *Et*, poni loco, *quia*, vt sit sensus, Annunciamus vobis non rē confictam, quia vidimus & perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt: Nec rem absconditā, quia larè manifestata est per gloriam resurrectionis, nō

Luc. 10.

Ioan. 6.

Luc. 24.

quidem omni populo (sicut dixit B. Petrus) sed testibus præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.

Act. 10.

Apparuit tamen plus quàm quingentis fratribus simul. Vnde B. Ioannes qui & audiuit, & speculatus est internè præ multis aliis, denuò addit: *Et vidimus & testamur & annunciamus vobis vitam æternam.* Hæc est Christus dominus noster, in quo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, *Quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:* Nō quasi non sit semper apud Patrem, cum sit in sinu Patris semper, & (vt ita dixerim) ęternaliter: Sed quia cum carnem acceperit, per diuina opera apparuit nobis, vt qui videt illum, viderit & Patrem suum: Est ergo Christus simpliciter vita ipsa in seipso sibiipsi: quia Pater dedit ei vitam habere in semetipso. Erit & nihilominus nobis quoque vita æterna, cum cognoscetur à nobis intus & extrà vt Deus, & vt homo. Non enim perfecta nobis esset fœlicitas, si Deum solum contemplaremur: quoniam obiectum illud nimis grande non foret proportionatum inferioribus animæ viribus, quas nō nullo modo participes esse oportet fœlicitatis. Humanitas igitur Christi, aut ipse potius Christus, ea parte qua homo, & pater, & frater, & socius noster, cum Matre sua sanctissima, & gloriosa Ecclesia, obiectum erit nostrum ad expletionem fœlicitatis nostræ. O quantum inde gaudium: Quàm ine narrabile solatium: Quod si probè cogitaremus, & fide viua conspiceremus: quid tam arduum posset nobis obiici, quod non facile redderetur ad expugnandum?

1. Cor. 15.

Col. 2.

Ibid. 5.

Ioan. 14.

Hoc igitur est quod adiungit & inculcat: Quod vidimus, & audiuimus, & testamur vobis: *Vt & vos societatem habeatis nobiscum societas verò nostra cū Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Declarat in quo statu sita sit vita nostra æterna, nimirum in societate quam habemus cum Deo, & Filio eius, & Sanctis cœlorum.

Et hæc scribimus vobis vt gaudeatis, &c. Videbat B. Ioannes fructum spiritus esse gaudium animæ internum: quod illi tantùm norunt, qui experiūtur. Et tunc accidit, cùm quod diligitur, tenetur ac possidetur: aut certa spes concipitur tenendi ac possidendi. Et quantò magis augetur spes, tantò magis & gaudium crescit, donec plena perfecti boni possessio contingat: quod erit in patria. Iccirco ait: *Vt gaudeatis*, videlicet interim in arrha & spe per hanc inchoatam societatem per participationem spiritus. *Et gaudium vestrum sit plenum:* scilicet, in plenitudine præmij & spei. Quanquam in Græcis codicibus non legitur illud, vt gaudeatis: sed bene manet.

Et hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis. Quoniam Deus lux est: & tenebræ in eo non sunt vllæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce: societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Filij eius emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nō est. Si confiteamur peccata nostra: fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.

Et hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, &c. Declarat nunc specialius, summatim tamē, in quo consistat annunciatio illa. Et primùm ait:

Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Lucem hic primùm non corpoream, sed spiritualē debemus intelligere: quia Deus corpus nō est. Et lucem dicimus esse id, quo res aliqua spectatur: Sine luce autem tenebrosa dicuntur omnia, & talia sunt quæ spectari non possunt. De more autem scripturæ est, id vocare lucem, quod lucidum est. Et id quod sine luce est, vocare tenebras. Cum igitur sit hoc in loco sermo de luce spirituali, non corporali: debemus lucis vocabulo apprehendere aliquid spirituale, quod sit lucidum in se, ac propterea spectabile oculis non corporeis, vt diximus, sed mentis. Quodcunque igitur est intelligibile (intelligerē enim non aliud est nisi spectare) lucidum esse oportet. Et quātò fuerit magis intelligibile, tantò magis etiam erit lucidum.

Cum igitur Dominus Deus benedictus summè sit intelligibilis, qui summū est Ens, & verum: ideo ipse dicitur summa lux, sed sibiipsi. Etenim cur nos minimè illum videamus, non est quòd nō sit ipse ex se summè visibilis, sed quoniam oculi nostri non sunt fortes ad tantam lucem sustinendam. Minus enim sunt fortes ad lucem Dei, quàm oculi noctuæ ad lumen Solis. Quando autem lumine gloriæ fortiores redditi fuerint nostræ mentis oculi, tunc videre poterunt. Deus igitur summa lux est, quia summum Ens, summum Verum, summum Bonum. Et quicunque intellectus de eo participant, lux dici possunt, & qui magis, etiā magis: & qui minus, etiā minus. Quia igitur ipse summa est lux, iccirco in eo non sunt vllæ tenebræ, quod de nulla creatura, si illi comparetur, dici potest. Quantum enim deficit creatura ab Entē, & Vero, & Bono, in quo eius claritas & pulchritudo consistit, tantùm deficit à luce, & non est spiritualis. Cum igitur nulla, nec ipsa quidem intellectualis creatura, careat aliqua potentialitate, quæ diminuit de ente, nulla potest dici ita lux, vt nihil sit penitus tenebrarum in illa. Solus ergo Deus lux vera, id est, perfecta, in qua nullæ prorsus sunt tenebræ. Quòd si additur potentialitati ignorantia, error, malitia: intellectus ipse qui his vitiis tenetur, tenebrosus efficitur. Ab his autē Deus summè abest, quia in summo Ente, & summo Vero, & summo Bono non potest vlla vel nescientia, vel error, vel malitia cogitari. Quapropter solus ille lux, & in eo nulla omnino tenebrarū admixtio. Hoc posito, addit:

Si dixerimus quòd societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatē non facimus. Sēsus est clarus, Si Deus lux est qui nobis annūtia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur vt cum eo societatem habeamus, Societas autē nulla potest intercedere tenebris cū luce, sicut res
2. Cor. 6. ipsa per se clamat, & B. Paulus: Quæ societas (inquit) lucі ad tenebras? Certò cōcluditur, si nos ambulamus in tenebris, id est, in ignorantia, erroribus, & peccatis, & cum hoc dixerimus nobis esse cum eo societatem, nos mentiri & veritatem non facere.

Quid est non facere veritatem? Et quomodo fit illa veritas? Mihi sic dicendum esse videtur: Apud sacras scripturas, quando de veritate loquuntur, veritatem non vno tantùm modo esse accipiendā. Et inde certum argumentum colligitur, interdum in illis dici, interdū autem fieri veritatem. Quamobrem necessariò debemus dupliciter veritatem ipsam intelligere. Et vno quidem modo secundum dictum: alio verò modo secundum factum. Primæ veritatis inspectio ac probatio versatur circa congruentiam dicti ad rem quæ dicitur. Si enim congruat, & ita verè se habeat res, quemadmodum ipsa dicitur se habere, tunc adest veritas. Sin autem minus congruat: falsitas apparet & mendacium. Secūdæ autem veritatis probatio habetur à congruentia facti ad legem, quæ fieri aliquid imperat. Si enim omnino legi factum ipsum cōgruit (quia fecit homo quod oportuit illum facere, & quō oportuit, & quādo, & propter finē in lege propositum, & secundum alias ipsius legis circunstātias.) Tunc hic homo dicitur fecisse veritatē. Vnde
Ioan. 3. Dominus dixit: Qui facit veritatē, venit ad lucem vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Ad eundem sensum dicitur quis facere legem.

Porrò oportet nunc exponere, quid sit ambulare in luce: quod hoc pacto delaratur: Lux est Christus, sicut ipse dixit: Ego sum lux mundi. Qui ergo secundum ipsum ambulat sequendo vestigia eius,
Ibid. 8. in luce ambulat. Qui sequitur me, inquit, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sequitur autem illum quicunque tendit quò ille, & eandem viam tenet per quam ille ambulauit. Pergit autem homo hanc viam non corporis, sed animi & virtutum gressibus & incessibus, ducendo hanc vitam piè, iustè ac sobriè, vt decet hominem cœlestia meditantem, atque ad illa piis desideriis assiduè suspirantem.

Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato. Vt ergo societatem habeamus cū Deo, necesse est vt ambulemus in luce, sicut ipse est in luce, id est, eo modo quo ipse est in luce. Est autem in luce ipse in semetipso existens, qui est vera & summa lux. Vnde dicitur
1. Tim. 6. habitare lucem inaccessibilem. Ita ergo & nos debemus ambulare in illo existentes, qui lux est. Sumus autem in illo tanquam insiti manu Dei, cum illius gratiæ efficimur participes: & qua eripimur à tenebris, quæ sunt ignorantia, & error, & peccatum. Si ergo vitam hanc sapienter ducimus, scientes quò tendimus, & viam regiam, quæ est via crucis, tenemus: profectò societatem cum ipso Deo habemus, & nos ambulamus in luce, & ipse etiam ambulare nobiscum dicitur, & nos cum illo & coram illo. His enim modis loquitur scriptura, vt in-
Rom. 8. telligamus illud: Si Deus pro nobis quis cōtra nos?
Iob. 17. Vnde & alius: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Et ipse Dominus Deus ait: Stemus simul, quis est aduersarius meus? Audiant hęc
Isa. 50. qui negant certitudinem gratiæ: & videant quò pacto suam incertitudinem iustinere valeant his datis, quæ hic tantus Apostolus de illo enarrat, cum quo ambulat Deus: qui & in Deo ambulare dicitur, & esse in luce. Erit ergo in ipsa luce, & hoc tamen non poterit certò cognoscere. An non hoc est facere de luce tenebras, & derogare nostræ fidei? Quid enim prodest esse in luce, & illam lucem in seipso existentem non videre?

Illud autem non absque quæstione est: Quo pacto id verum sit, quod de his adiicitur, qui ambulant in luce, videlicet sanguine Christi, eos ab omni peccato emundari: Si enim ambulant in luce, seruant mandata: Si seruant mandata, non peccāt: Si non peccant, qnomodo indigent mundari à peccato? Respondetur: Esse etiam iustorum non prævaricantium, imò seruantium mandata Dei, nonnulla peccata, quę vitari in hac mortali conditione non possunt. Hæc igitur quæ assiduè admittuntur, etiam assiduè remittuntur: & sanguis Christi qui assiduè per memoriam & effectum effunditur, & offertur in altari, emundat nos ab illis. Et quia Pelagianus aliquis, aut Pharisæus hoc non facile admitterent, vtpote qui falsò putant nihil se habere vitij in natura, vnde assiduè scateant atq; erumpāt variæ libidines, & ideo posse omnino esse absque vllo peccato in cursu vitæ huius, subdidit Dilectus:

Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Peccatum, meo iudicio, hoc in loco non significat actuale peccatum, de quo non potest rectè dici nos illud habere, cum sit actus, & non sit permanens. Et dum orat homo iustus, aut quid boni agit, profectò non dicitur peccare. Est enim Lutherana, & iam ab omnibus piis damnata hæresis: Hominem etiam iustum in quouis actu suo peccare. Cum igitur dentur tempora, in quibus iusti nec venialiter peccēt: absque mendacio possent dicere se illis certis temporibus non peccare, & propterea nec habere vel veniale peccatum, si habere peccatum idem esset quod peccare. Neque item puto debere intelligi de reatu peccati. Scio quidem peccatum ipsum, quod transit, dici posse manere in effectibus suis, & propterea in reatu: ita vt is habere peccatum intelligatur, qui reus est pœnæ peccato commisso debitæ, qui reatus manet post peccatū donec remittatur. Attamen nec eo sensu sic arbitror posse locū istum commodè intelligi. Nam possunt etiam dari tempora, quando homo nullo teneatur peccati reatu, qui aut per contritionem perfectam, aut per indulgentias, & plurima charitatis opera deletus fuerit.

Restat igitur vt hic locus, quemadmodum & B. Augustinus aliquando scripsit, commodè intelligatur de illo naturæ vitio quod nobis in carne, etiā post baptismum, relinquitur, vt cum illo ad meritum & gloriæ præmiū pugnemus. Illud enim peccatum dicitur, vt rectè idem B. Augustinus declarat: quia de peccato venit, & ad peccatum incitat, vt sæpius est à nobis declaratum: ne quis falsus aliter accipiat scriptoræ sensum, quàm sit verè accipiendus. Per illud etiam fit, vt nequeamus abstinere à quotidianis peccatis, quæ sunt minima & ferè assi-

Augustinus de peccat. mer. & rem. lib. 2. cap. 8.

assidua. Et eiusmodi sunt quæ assiduè in iustificatis, per Christi sanguinem remittuntur. Cum igitur assiduè peccemus, præsertim nos qui sumus in communi gratia, si volumus emundationem per sanguinē Iesu Christi obtinere, necesse est vt confiteamur peccata nostra. Audiamus autē quid subiungat ipse Dilectus:

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Vult Deus si nos velimus illius sanguine peccata nostra deleri, vt illa confiteamur. Non credo hic esse sermonē de mortalibus peccatis, cum Dilectus ipse in eorum numero sese constituat, qui illis teneantur (vt iam conclusimus) ac propterea non de confessione sacramentali, sed de illa potius quam obseruamus assiduè, orantes vt ipse dignetur remittere. Hanc confessionem obseruat vbique ecclesia, vt ab Apostolis citra vllam dubitationem traditam ac præceptam. Dominus ergo Deus reliquit nos summa prouidētia sua sub hanc miseram necessitatem secundū carnem, vt non valeamus perfectè satisfacere legi secundū eam perfectionem, quam exigebat pactum primum, & prima lex, quæ data fuit in statu innocētiæ. In eo quippe statu & naturæ integritate non fuissent peccata, nec quidem venialia. Detrusit, inquam, nos in hanc miseram peccandi seruitutem, vt semper humiles essemus, & recordaremur antiqui status, & vt confiteamur nos ex nobisipsis & natura nostra esse peccatores, & imperfectos semper. Et verè ita est, si comparemur ad eam primæui status legem, in qua totus homo debebat inueniri compositus, & seruiens Deo secundum omnem partem. Hæc igitur nostra confessio ita nos emundat per virtutem sanguinis Christi ab omni peccato, vt ob hoc ipsum habeamur, & simus coram Deo perfecti & integri secundum pactum nouum, per quod valemus in Christò dicere (modo ambulemus in illius luce, & secundum Spiritum) nunc autem iam non
Rom. 7. ego operor illud, sed quod in me habitat peccatū, vt ait ad Rom. Apostolus.

Quamobrem ne iam habeamus peccata, & ne habentibus imputentur, oportet nos illa confiteri, in quibus ad edomandam superbiam nostram derelicti sumus, quæ ignorantes & inuiti committimus. Qui si hęc nolumus ob superbiam nostram nec confiteri, nec orare vt remittantur iuxta tenorem orationis Dominicæ, proculdubio in tentationem merito à Domino inducimur: & in illa derelicti peccamus, nō iam peccato veniali, sed transgressione legis, quæ ducit ad mortem. Hic est ergo status in quo nunc conclusi sumus in Christo, videlicet vt tunc perfectè iusti dicamur, & pro talibus meritò habeamur coram Deo, cum nos humiliter ac veraciter imperfectos adhuc esse & peccatores, comparati ad primæuū statum, agnoscimus & confitemur. Tunc enim verè à primo nexu liberati, inuenimur in secundo pacto in Christo, & in vera luce. Ipse autē obligatus inuenitur nobis sua promissione, vt remittat peccata nostra: & quia fidelis est, remittit in effusione sui sanguinis, quæ coram Deo durat. Cúmq; iam opus sit iustitiæ, quod debet Deus pater clementissimus filiis suis, ideo dicit Dilectus:

Fidelis est & iustus. Non dixit misericors: quia hæc est iustitia, postquam sumus in illo & in luce, vt confitentes illa peccata, remittantur nobis, & emundemur ab omni iniquitate, siue iniustitia. Hāc vocem pro quouis peccato sacræ literæ accipiunt. Hanc doctrinam tradiderunt omnes sancti, & spirituales homines, B. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, & alij omnes vno spiritu ita confessi sunt: Vt ille tunc verè coram Deo dicatur iustus & perfectus, cum imperfectionem & peccata agnouerit, & ea legitimè confessus fuerit. Quia verò poterat aliquis dicere: vnde mihi hoc vitium in carne, & vnde hæc mihi peccandi necessitas? Si enim ignorans & nolens pecco, iam non est peccatum: aut saltem iniquum vt mihi imputetur ignoranti & inuito. Respondetur: Tu in hanc conditionem miseram peccato, quod in parente tuo Adam peccasti, te coniecisti, & ideo tibi meritò imputatur. Quòd si dixeris: At nunc sum in Christo nouo Adam, non iam in illo veteri Adam:

Respondetur tibi: Bene. Confitere ergo hanc tuā miseriam, & non imputabitur: quia gratia Christi & sanguis assiduè te emūdat, vt dictum est. Quòd si pergas quisquis es, & dixeris te non peccasse vnquam, audi Dilectum te confutantem:

Si dixerimus quòd non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Ipse Dominus dixit per prophetas suos: Non est iustus quisquam, Psal. 13.
non est intelligēs, non est requirens Deum. Et ad Iudæos: Nonne Moses (inquit) dedit vobis legem, Ioan. 7. & 8.
& nemo vestrūm facit legem? &: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis! Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Et sanctissimus Præcursor Ioannes: Ecce qui tollit peccatum mundi. Vnū autem est peccatum mundi, quod omnes peccanimus. Qui ergo dicit se non peccasse errat, & facit mendacem Deum & Christum: & non habet verbum eius in se, id est, in corde suo receptum fide. Qui enim vnum articulum non credit, nullum credit. Et ratio ipsa est in promptu: quoniā qui vnum dixit, dixit & alium. Neque enim potest Deus mendax esse in vno, & verax in alio.

CAP. II.

FILIOLI mei, hęc scribo vobis, vt non peccetis. Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tātùm, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum, & mādata eius non custodit: mendax est, & in eo veritas non est. Qui autem seruat verbum eius: verè in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

Filioli mei, hęc scribo vobis, &c. Vide acute lector, vt congruit cum superiore sententia. Mandauit enim ne dicerent se non esse in vitio vllo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi non habentes peccatũ:& ne dicerent se non peccasse, saltem in parente: sed confiterentur peccata sua, vt sanguis Christi emundaret eos ab omni iniquitate. Nunc quare hoc eis scribat adiungit, dicens: *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis*, ac si dixerit: Si non fueritis ea confessi quæ præmisi, nimirum vos peccauisse & peccatum habere, proculdubio peccabitis. Merito enim velut ingrati & superbi trademini tentationibus, quibus non poteritis viribus vestris occurrere. Vt igitur non peccetis, hoc præsentaneum est vnicuique remedium, agnoscere in se vitium ex peccato natum, & sedulò cauete, & sine intermissione orate, ne inducamini in tentationẽ, Verùm cum vix, & rarò fieri possit ne quis mortaliter quandoq; peccet in hoc vitæ fragilis cursu tot hostibus impugnatus: ne in desperationem mitteret transgredientem, ait:

Sed & siquis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Notandum diligenter, quomodo dicit hic nos quidẽ habere Iesum Christum, sed non vlterius crucifixum quasi peccatorẽ. Sic etenim illum semel in baptismo habuimus, quemadmodum & semel ipse fuit crucifixus. Sed dicit nos illum habere iustũ, vt non totum soluat satisfaciẽs omnino pro nobis per sanguinem suũ, quod fecit semel in baptismo. Habemus tamen illum aduocatum apud Patrem, vt pacificet eum nobis, ostẽdens se Pontificem gratiosum apud eum, & Dominum omnium constitutum. Vnde apud Patrem: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, hoc est, pro peccatis eorum primùm, qui erant electi primarij lapides pro fundamentis ecclesiæ. Et ne videri posset docuisse, Christum pro illiusmodi electis tantùm esse propitiationem, adiunxit:

Non pro nobis autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Non solùm sufficienter (vt quidam exponunt) quoniam sanguis eius erat suo valore sufficiens ad saluandũ omnes: verùm etiam efficienter ex parte sua. Noluit enim illam sufficientiã frustra esse: contra quod hæretici blaterant. Vnde ipse indifferenter, vt summus & æternus Pontifex semper viuẽs, interpellat pro nobis Patrem, vt saluemur omnes qui obicem non posuerimus oblatæ nobis saluti, & illius alioqui efficacissimæ interpellationi.

Et in hoc scimus, inquit. Audiant & pẽderent hęc verba defensores incertitudinis gratiæ. Dilectus dicit: *In hoc scimus*. Scire propriè certitudinẽ notitiæ proculdubio in sui significatione complectitur. Istud B. Tho. docet: & res clara est propter hunc vocis vsum. In hoc scimus quòd agnouimus eum, si mandata eius obseruamus. Possumus ergo scire q; obseruamus mandata eius, & consequenter quòd eius dilectionem habemus, & sumus in gratia. Vnde & Caietanus hoc in loco ita scribit: Et est sermo (inquit) de notitia affectiua, quam efficit fides infusa, quæ per dilectionem operatur. Dicẽdo itaq;, & in hoc scimus quòd cognouimus eum (proculdubio Deum lucem) perinde est ac si dixisset: & in hoc scimus quòd ambulamus in luce, si mandata eius obseruamus. Intẽdit siquidem Ioannes ad literam monstrare signum infallibile internæ lucis diuinæ in nobis esse, si mandata eius seruauerimus. Et propterea dicit, & in hoc scimus, scientia experimentali, hæc ille, contra eos qui negant certitudinem prætentis gratiæ per infusam fidem.

Caietanus pro cert. gratiæ.

Qui dicit se nosse Deum, &c. Vide vt de plena notitia loquatur, quæ habet secum gustum bonitatis eius. Neque enim esse potest absque charitate, & ideo non est in illis qui non obseruant mandata eius, contra prædicatores solus fidei.

Qui autem seruat verbum eius, seu mandatum eius, quia omnia vno verbo dilectionis & mãdato concluduntur: *Verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Perfectionem charitatis hoc in loco accipit non secundum intensionem, sed extẽsionem mandatorum: Et non secundum eam perfectionis consideratione, quę consideratur in consiliis: sicut Dominus illi qui iactauerat se seruasse mandata, dixit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c. *In hoc scimus*, id est, per obseruantiam mãdatorum, *Quod in ipso sumus.* Possumus ergo seruare mãdata: contra blasphemos hæreticos, qui Deũ nobis impossibilia præcepisse asserunt, & insuper possumus scire, nos ea quæ nobis præcipiuntur seruare.

Matt. 19.

Qui dicit se in ipso manere, secundum vinculum spiritus & charitatis (sic enim manemus in ipso,) *Debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare*, hoc est, sequi vestigia eius per viam crucis abnegando semetipsum, & propriam voluntatem. Ipse enim est via, veritas, & vita. Sed prius via, quàm vita perfecta. Qui ergo per eum ambulat vt est via, perducitur ad illum vt est vita, cum apparuerit gloria eius sempiterna in cœlis.

Ioan. 14.

Charissimi, non mandatũ nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mãdatum vetus, est verbum quod audistis. Iterum mãdatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierũt, & verum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit: in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

Primò ne calumniarentur criminosi, destrui ab Apostolis veterem legem, & nouam introduci, præoccupat B. Ioannes, & ait: *Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio*, hoc est mandatum dilectionis datum statim ab initio mundi primis nostris parentibus, & in ipsa lege per Mosen commemoratum, & vos ab initio illud habuistis in parentibus vestris, vel in lege. Aut si mauis dicit, *Ab initio*, scilicet vestræ ad Christum cõuersionis. Prima tamen intelligentia magis placet.

Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis. Græcè melius: quod verum est in nobis. Non pugnat hoc quod ait, iterũ mandatum nouum scribo vobis, cum superiori dicto, Non mandatum nouum do vobis. Idem nanq; diuersis rationibus & vetus dici potest, & nouum. Vetus quidem in sui substantia: quoniam dilectio mandata fuit antea & Dei & proximi. Nouum autem in modo ipso dilectionis erga proximum

Ioan. 13. exercendæ. Dixit enim Dominus: Mãdatũ nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Ecce modus dilectionis grãdis & admiratione dignus. Vnde quod erat mandatum vetus, fit nouum: quia talis modus dilectionis, vt extenderetur etiam ad inimicum, nondum erat cognitus. Nondum enim velum templi, id est, caro Christi, erat scissum, id est, nondum reuelata Sanctorum via quo ad omnes. Nam superiores mundi ætates non poterant tũc tale mandatum portare, nec fieri dociles Deo.

Sed quidnam sibi vult istud, videlicet, hoc mandatum esse verum & in Christo, & in nobis? Attende lector. Mandatum verum illud est, quod verè mandatur, vt fiat, & impleatur. Lex enim vetus mãdabat, non quidem vt fieret illud, sed teste B. Paulo, vt agnosceretur peccatum per mãdatum, quod occasione accepta per ipsum mãdatum generabat mortem. Ob eam causam non verum erat mandatum, quod non habebat finem proprium mandati, quatenus extra pronunciatum erat à Mose, & in tabulis scriptum lapideis. Factum est autem verũ mandatum in Christo, qui habuit in se virtutẽ implendi illud. Similiter factum est verum mandatũ in nobis: quia per gratiam infusam in cordibus nostris possumus illud implere. Vnde rationem subdens, dixit:

Rom. 7.

Quia tenebræ transierunt: & verum lumen iam lucet: Tantũdem est atque illud à B. Paulo dictum: Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, &c. Hoc totum efficit sapientia crucis in cordibus nostris, quæ non est absque dono dilectionis. Pergit: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.* Lumen quippe fidei non est lumen ei, qui secundum illud non ambulat, & nihil ei prodest: *Qui diligit fratrem suum in lumine manet: & scandalum non est in eo*, id est, non offendit vt cadat: quia secundum lucem ambulat. Vnde scriptũ est: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Et ipsemet Dominus: Qui in luce ambulat non offendit. Quare autem nõ offendit? quia diligit. Dilectio enim benigna est, & patiens. Dilectio non æmulatur, non agit perperam: non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Qui ergo sic diligit, qua ex re poterit ipse accipere scandalum? Quòd verò qui eiusmodi est, etiam scandalum iniicere alteri non queat, vel ex eo patet: quoniam charitas non agit perperam, sed patiens est, & benigna, & non gaudet super iniquitate. Quare nihil est vnde scandalum possit vel præbere, vel recipere.

Psa. 118.

Ioan. 11.

1. Cor. 13.

Qui autem odit fratrem suum, &c Clara est sententia. Qui enim odio persequitur fratrẽ, suis iniquis passionibus ducitur: quæ sunt tenebræ à via recta abducẽtes hominem, cuius occæcauerunt oculos.

Scribo, vobis, filioli: quoniam remittuntur vobis peccata propter nomẽ eius. Scribo vobis, patres: quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes: quoniam vicistis malignum. Scribo vobis, infantes: quoniam cognouistis Patrem. Scripsi vobis, patres: quoniam cognouistis eum qui est ab initio. Scripsi vobis, adolescentes: quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis Malignum. Nolite diligere mũdum, neque ea quæ in mũdo sunt. Si quis diligit mundum, nõ est charitas Patris in eo: quoniam, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mũdus transit, & cõcupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternũ.

Scribo vobis filioli, &c. Non est putandum secundum ætatem dictum eos à B. Ioanne hoc in loco discerni ad quos scripsit, sed secundum vitam spiritualem. Alioqui quomodo scriberet ad paruulos & infantes? Sunt ergo in vita spirituali inchoãtes, proficientes, ac perfecti. Propterea alij infantes, alij adolescentes, & alij viri possunt vocari. Qui in re certè frequens est error. Nã sæpenumerò multi qui vix incipiunt, sibiipsis perfecti videntur, quos facilè decipit diabolus. Ideo ait ad eos, *Filioli*, quibus adhuc lacte est opus, & non solido cibo: vtpote qui vixdum à pristina consuetudine & peccatis cessastis: *Scribo vobis, quoniam remittuntur vobis peccata*, scilicet quæ continuò admittitis in imperfectione vestra; quæ vos non ita ponderatis qui nõdum nostis Dominum vestrum. Sed hoc, *Per nomẽ eius*, quod inuocatis: hic est Christus Saluator noster.

Scribo vobis patres, &c. Cognitio Christi de qua hic sermo est (de eo enim dixit quòd erat ab initio) est integra sapientia. Includitur enim in illa cognitio bonitatis & misericordiæ paternæ, quam ostendit nobis in Christo. Et qui in hac cognitione crescunt secundum illam operantes, hi perfecti sunt, vt possint etiam alios generare, & sibi meritò patris nomen vendicare. Nam tales verè dicuntur cognoscere, qui secundum cognitionem operantur: non autem qui scientes torpescunt otiosi, & inutiles in vinea Domini.

Scribo vobis, adolescentes: quoniam vicistis Malignum, nimirum diabolum. Qui enim excesserunt infantiam & pueritiam, committuntur tentationibus quas mouet diabolus. Has si superant, meritò proficiunt & crescunt, & vicisse Malignum dicuntur, ipsum diabolum verè malignum: quia omni sua cogitatione, & opera, & conatu tendit in malum ac perditionem nostram.

Scribo vobis infãtes. Ad eosdẽ est sermo, quos superius vocauit filiolos. Hic quod est proprium eorũ describit, videlicet nosse iam patrem. Sciendũ est enim vitam incipientium esse quodam modo sub Patre, qui eos blanditiis, & paternis quibusdã complexibus fouet protegens, nec permittens in eos tẽtationes duriores. Postmodo Pater ipse vt crescãt, & vt plenius erudiantur, tradit eos Filio, qui adhuc sustinet eos penitus ablactandos. Filius autem cum permanserint socij suarum tentationum (quia nondum antea erant fortes vsque ad extrema pericula) dimittit eos aliquantulum sibiipsis, vt noscant se nihil esse, & nihil posse à semetipsis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed vt quicquid potuerunt, venisse de cœlo, & ab ipso fateantur. Quos vbi ita institueri vt sint ad has tentationes superandas perfecti, recedit ab eis tandē, & tradit eos fortiori doctrinæ Spiritus sancti, vt eius baptismo baptizati valeant etiam extrema perpeti. Hæc ex euangelio clarè accipiuntur. Subdit igitur Dilectus:

Quia cognouistis Patrem, id est, in eo statu estis, vt mox oporteat à Patre venire ad Filium, vt cum illo maiora sustineatis & perfectè erudiamini. Et rursum repetēs quæ ad patres scripsit, non addit quicquam, ied ait: *Scripsi vobis patres, quod cognouistis eum qui erat ab initio*, nimirum (sicut est expositū) Christum, quem nosse perfecta est sapientia, & à Spiritu sancto est, sicut ipsemet dixit: In illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mādata mea, & seruat ea, is est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Hæc Dominus, quæ ad perfectos pertinent, qui cognoscunt eum perfectè & manifestè, ea tamen perfectione, quæ conuenit huic statui nostro in Christo, qui per fidem ambulamus. *Ioan.14.*

Scripsi vobis iuuenes, seu (vt suprà dixerat) adolescentes, *quoniam fortes estis*. Aduertendum est, quosdam putasse has repetitiones ad iuuenes, infantes, & senes, esse superfluas & adiectas: quibus ego non consentio, nec ab re factas existimo. *Et verbum Dei manet in vobis*: sine quo nihil posset is. *Et vicistis Malignum*. Sed nō propterea cessandum, quin cautiùs vigilandum. Opus quippe est perseuerantia in finem vsque: aliàs qui victus est, iterum vincere posset. Non enim dormit, sed vigilantissimè circuit vt denuo in domum quam possidebat, intrare possit cum spiritibus nequioribus, vt nos in euangelica parabola admonet Dominus, & ideo addit Dilectus: *Luc.11.*

Nolite diligere mundum, id est, habitationem hanc in hoc mundo, vbi non habetis patriam manentem: nec est vobis iam conueniens hæc habitatio, postquam facti estis ciues sanctorum, & domestici Dei. *Neque ea quæ in mundo sunt*. Nam propter ea quæ sunt in mundo diligitur mūdus, id est, hæc habitatio cum omnibus suis commodis ad carnis curam & delicias. *Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Ponderanda omnino sententia. Et verè ita est: quia charitas Patris nō est nisi donum Dei, quo ipsum vt Patrem diligimus. Non autem vt patrem diligimus, cuius hæreditatem contemnimus, & reculamus promissa bona in cœlis, his terrenis penitus infixi.

Quoniam omne quod est in mundo, &c. id est, omne quod bonum in mundo existimatur ab amatoribus mundi (quod est cōcupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ) *non est ex Patre, sed ex mundo*. Versatur enim in tribus, quodcunque in hoc mundo male diligitur: *Quæ sint mala ex mundo.*

Aut enim est ad quod aspicit cōcupiscentia carnis: vt opiparè comedere, bene bibere, lasciuire, & quæ sunt eius generis: Aut id quod oculis placet: vt habere domos amplas, instructas marmore, statuis, pictoris, hortis: supellectilem pulchram, splendidam, pretiosam: arcam nummis plenam, argento, auro, gemmis. hæc enim sunt quæ exhilarant oculos nostros: Aut versatur in iis, ad quę animus elatus ac superbus anhelat: vt est præesse ac præcellere cætetis potestate atque imperio. Sed nihil horum est ex Patre, id est, ex spiritu quem dat nobis Pater, secundum quem ab eo geniti sumus in fide & professione nostra, qui renūciamus diabolo, & omnibus pompis eius: & postmodo cūcta, quibus iam solenniter libellum repudij misimus, repetere tamen non perhorrescimus infœlices. Quid ergo accidet iis qui hæc mundi opera diligunt, & spernunt quæ sunt paternæ charitatis? Audiat homo carnalis, animalis, diabolicus: audiat, & nisi in æternum perire velit, mox pœnitentiæ stimulis āgitetur, ne moriatur, sed viuat. *Contra eos qui diligūt mundum.*

Et mūdus transit, & concupiscentia eius. Transit qui dem mundus nobis, à quo nos oportet necessario recedere: & ipse in vniuersum statim transiturus est cremandus igne. Transit ergo & concupiscentia eius, id est, quodcunque in eo videtur concupiscibile: & pariter desiderium peccatorum, id est, diligentium mundum peribit. Ea enim quæ desiderabunt, obtinere non poterunt: & isto pacto eorum desiderium peribit, vt perpetuo frustra desiderēt. Credis hæc prudens lector, an non credis? Si credis, ostēde te credere in veritate: & quod tibi dico, mihi etiam dico. Si non credis, experiētia tandem tibi ipsa declarabitur, quando non relinquetur vllus fructuosæ pœnitentiæ locus, vt Esau accidit.

Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Quia quod secūdum Deum concupiuit, æternum est, & in æternū possidebit, vt in eo verificetur: Desiderium animæ eius tribuisti ei, & volūtate labiorum eius non fraudasti eum: Præuenisti eū in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitā petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in æternum, & in sæculum sæculi. Hoc nobis concedat Dominus. *Psal.20.*

Filioli nouissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus veniet: & nunc Antichristi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscū. Sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, & Patrem habet. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: quia si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Hæc scripsi vobis de iis qui seducunt vos. Et vos vnctionem

quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo. Et nunc, filioli, manete in eo: vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius. Si scitis quoniam iustus est: scitote quoniam omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

Filioli, nouissima hora est, &c. Ad incipientes & in fide infirmos est sermo: quoniam ij sunt quibus periculum seductionis imminet, nō iis autem qui iam habent neruos exercitatos ad discretionem boni & mali. Ad hos ergo sermonem conuertens, & volens probare seductionis periculum, ait nouissimam hanc esse diei horam. Significat autem per diem, totum tempus ab initio mundi vsque in finem. Et per horam nouissimam, partem diei postremam, qui secatur in horas duodecim. Et per scripturæ prophetiam apparet hoc esse tempus, quando erit persequutio extrema Antichristi, & præcursorum eius. Vnde & beatissimi Apostoli, Paulus, Iacobus, Ioannes & Iudas in suis epistolis huius persequutionis meminerunt, quæ futura erat, & est aduersus Christum in nouissimis temporibus. Hæc nouissima tēpora, horam nouissimam Dilectus hic appellat: vt in qua audiri iam incipiatur Antichristi aduentus propè esse, ait ergo: *Quid per diem, horā, & prophetiam intelligat Dilectus.*

Et sicut audistis quod Antichristus venit, id est, aduentus eius hoc tempore nouissimo præscribitur, & iam in aliis præcursoribus præparatur.

Et nunc Antichristi multi sunt. Venerāt enim iam Apostolorum tempore Simon magus, Hebion & Cerinthus, & alij multi impij hæresiarchæ, qui se opponebant Apostolis, & Christi diuinitatem negabant, & multos fidei nostræ articulos. *Vnde scimus quia nouissima hora est*. Propter rationem iam dictam. Vbi enim Christi gratia maximè prædicatur, ibi oportet propter inuidiam Diaboli, Antichristos multos inueniri.

Ex nobis prodierunt, &c. Manifestè hic illos Antichristos notat, qui iam Christum erant professi, & per Apostolicam prædicationem geniti erant. *Sed non erant ex nobis*, id est, non erant inter electos Apostolos. Si enim tales fuissent, nunquam excidissent, propterea subiunxit:

Si enim fuissent ex nobis, vtique permansissent nobiscum, quoniam illa diuina electio non erat exposita casui. Hoc dixit ne aliqui fortè à fide deficerent, propter tales dissensiones & schismata scandalum accipientes: sed intelligerent esse Dei prouidentiā in fundamentis domus, quę non possint corruere. *Sed vt manifesti sint quòd non sunt omnes ex nobis*, hoc est, Dominus Deus permittit huiusmodi ruinam, vt manifestentur ij non esse in eo lapidum numero, quos elegit Dominus pro fundamentis. Quare nemo debet propter hoc scandalizari. Nam & antea fuit prædictum nobis.

Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia, id est, Sed vos vnxit Spiritus sanctus, impartiēs huius rei notitiam, vt nullum patiamini ab istis scandalum, nec seductionē vllam. Hic Spiritus qui vnxit vos, est spiritus veritatis: & illa vnctio qua vncti estis, est participatio gratiæ Christi, cuius ille plenus fuit: & de plenitudine eius omnes accipimus. Vnde oportet vos nosse omnia quę sunt fidei de Christo, ad salutem ducentia. *Ioan.1.*

Non scripsi vobis quasi ignorātibus, &c. Et addit quæ ipsi deberent scire, nimirum: omne prorsus mendacium à veritate non esse. Non enim fieri potest vt à veritate proficiscatur mēdacium: quo fit vt mendacium proferens, non sit edoctus à spiritu veritatis, *Quis est mēdax, nisi is qui negat quoniam Iesus non est Christus?* Negare Iesum illum hominem esse Christum, id est, iustum & sanctificatum, est negare vniuersam fidem nostram. Si enim non est Christus, nō est Pater, nec Filius, neque Spiritus sanctus: qui tres ea voce, Christus, comprehenduntur. Vnde & B. Ambrosius dixit valere baptismum in nomine Christi: quia eo nomine tota Trinitas significatur. Quanquam non sine quæstione illud est de baptismo. Verum est autem quòd eo verbo, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus intelligitur. Christus enim cum sit Filius, etiam cōceptum Patris supponit: & cum idem sit quod vnctus, vnctio autem Spiritui attribuitur, etiam nomine Spiritus sancti comprehenditur, ac propterea tota Trinitas. Qui igitur negat Christum, manifestè est Antichristus.

Vos quod audistis ab initio, &c. Hortatur ergo illos, vt in suscepta iam fide ab Apostolis permaneant. Et verè hoc est irrefragabile argumētum contra omnes hæreticos: cum ipsi sint qui relinquunt arborem, qui veluti superbi rami seipsos ab ea secant. *Et hæc est repromissio, &c.* Clarus sensus: Vita ęterna promittitur nobis, si profecerimus in fide viua, quæ operatur per charitatem.

Hæc scripsi vobis de his, &c cæt. Constructio literæ iuxta grammaticam duriuscula est. Reliqua tamen clara sunt vsque in finem. Et quod legimus, *Maneat in vobis*, melius habet, *Manet*. Illud solum esset videndum, quomodo non necesse haberent docēri, cùm ipse nihil aliud videatur facere quàm docere eos? Respōdemus: Hæc B. Ioannis epistola potius est commemoratio eorum quæ sciebant, & edocti erant à Spiritu, quàm doctrina. Illud præterea ponderandum contra hæreticos, non sola fide reddi nos securos: vt fiduciam habeamus in aduentu Domini. Neque pura misericordia id præstat, sed tenor bonæ vitæ, ac perseuerantia, vt verè illo die non confundamur.

Si scitis quoniam iustus est, scitote quòd & omnis qui facit iustitiam, ex eo natus est. Sēsus est proculdubio, ni fallor, Si Christus est ille singulariter iustus, quia natura iustus (quod de nullo alio mortalium verè dici potest) scitote etiam omnem hominem, quicunque facit iustitiam, ex ipso natum esse. Quoniam quicunque facit iustitiam, ille iustus est. Et cum non sit ex se iustus, oportet ab alio habuisse vt sit iustus. Quodcunque enim tale est, & non ex se tale est, oportet vt ab eo quod ex se tale est, descendat. Hoc autem dixit ne quis temerè de iustitia glorietur: sed cuncta tribuat dona Deo & Christo, & gratias agat & glorificet ipsum omnis gratiæ fontem & largitorem. Ne similis fiat Pharisæo qui gratias quidem agebat, sed gratiæ originem non recognoscebat. Quatuor quippe sunt *In vos qui insipienter gloriantur. Luc.18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arrogantium quatuor genera.

vt magnus Gregorius docet) species, quibus omnis arrogantium tumor demonstratur. Primò cũ à semetipsis habere se existimant. Tum si datũ quidem sibi cœlitus credunt, sed pro suis meritis hoc se accepisse putant. Tertiò cum iactant se habere quod non habent. Et denique quãdo despectis cæteris & vituperatis, singulariter appetunt habere quod habent. At veræ iustitiæ lex & æquitas postulat, vt vnde flumina exeunt, illuc redeant, vt denuò fluere possint. Nam habenti dabitur, & abundabit. Qui autem ingratus est, sterilis permanebit & aridus. Quid enim habes, aiebat Apostolus, quod non accepisti? Si autẽ accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? Hæc in elatos, & sibi furtim dona Spiritus arrogantes.

Eccl. 1.
Luc. 19.
1. Cor. 4.

CAP. III.

VIDETE qualem charitatẽ dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eũ. Charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Charitas Dei in nos Summum donum.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, &c. Egregia & omnino necessaria est hæc præceptio, vt seria meditatione consideremus dona Dei, quæ & quanta sint, & quanto labore illius ac sudore & pretio nobis quæsita. Horũ autẽ summum est ipsa charitas, per quod nominamur filij Dei, & verè sumus: non natura tamen sicut est Vnigenitus eius Iesus Christus, sed adoptione per gratiam. Cuius rei consideratio multum prodest ad excitandum nos, nẽ simus tanto beneficio ingrati, quo euecti sumus in consortium Dei, & omniũ filiorum eius. Sed quis idoneè de gratitudine repẽdenda meditabitur, si perpetuò fuerit de gratia incertus, vt volunt illi qui incertitudinem tutantur? Proculdubio religioni nostræ, si semotis passionibus rem secum perpendere velint, non modicum derogant. Ideo Dilectus, aliam nobis tradens doctrinam, dixit: Videte qualem charitatem, &c.

An quilibet debeat suam charitatem nosse.

Obiiciet fortè aliquis, non propterea mandari à dilecto, vt quisque particularis homo suam videat charitatem: sed in genere, scilicet vt videat inter dona Spiritus, in Ecclesia esse charitatem. Verùm hunc nequaquam esse sensum Apostoli egregiè probant ea quæ subiunxit. Si enim de hac sola fide, quòd in ecclesia sit hoc donũ, sentiret: cur istud, rogo, addidisset, *Et nondum apparuit, quid erimus?* Siquidem hoc item notum est nobis fide. Igitur de experientia est sermo, qua nouit quis hic suam charitatem, nondum tamen eam, quam expectamus in futuro, gloriam sempiternam.

Quomodo possimus charitatem nostram cognoscere.

Rursum quæret alius: Quomodo possumus videre in nobis charitatem, cum sit qualitas quædã & habitus animæ, occultum donum? Respondetur: Non per se videri potest, sed per effectus suos in quibus cognoscuntur filij Dei à filiis sæculi: quãuis hoc filij Adæ non agnoscant. Et quidam (vt iã paulò antè meminimus) qui se Theologos profitentur, audent asserere nullum esse charitatis effectum, quem non possit quoque virtus naturalis in homine producere. Quod certè dogma inimicum est religioni Christianæ: & Christi verbis, & Dilecti eius discipuli doctrinæ repugnare, si diligenter discutiatur, non dubito.

Contra dogma Scholasticorũ quorundam.

Per hoc igitur præcipuum Dei donum, quod dicitur charitas, filij Dei efficimur. Est enim donum quo renascimur, & viuimus coram Deo. Non sola fides, quæ sine hoc dono est mortua, sed amor iste, charitas ista, quæ & gratia dicitur & iustitia Dei in scripturis sanctis, dat vitam nobis. Quid, rogo, est charitas nisi iustitia? Id sæpenumero B. Augustinus declarat, & vis ipsa vocum demonstrat. Qui enim diligit, legem implet: & hoc ipso quod quis legem implet, iustus est, & iustitiã facit. Mandatum ergo dilectionis est mandatum iustitiæ vt ipsa iustitia ac dilectio vnum sit. Nõ me latet, hęc à quibusdã Scholasticorum aliter accipi, qui hæc inuicem distinguũt. Quare nos hac de re in proprio libello, cui titulum fecimus, De iustificatione, copiosius disseruimus.

Iustitia idem quod charitas.

Propter hoc mundus non nouit nos, &c. Mundus nõ nouit hanc dignitatẽ in nobis, per quã facti sumus consortes diuinæ naturæ, participantes de spiritu eius ineffabiliter. O si perinde videremus animæ pulchritudinem, quæ hoc tam sublimi dono decorata est & ornata, atque videmus speciem corporis, & ea mirum in modum delectamur, longè profectò magis animi quãm corporis contemplatione lætaremur. Quoniam verò tanta illa sublimitas humanæ mentis, quæ illam sensu non potest percipere, est incredibilis, iccirco mundus non nouit. Et ratio est: *Quia non nouit eum.* Quem eum? nimirum Patrem, id est, non nouit Deum esse Patrem nostrum: & quomodo sit Pater noster ignorat, & non capit, neque considerat huius excellentissimã necessitudinis rationem, quę est Iesus verus Filius, & Verbũ caro, Christus vnicè dilectus & vnctus, de cuius plenitudine omnes accipimus, in quo cõditi denuo sumus, & ex quo veluti palmites de vite trahimus veram vitam. Porrò cum hæc filiorũ adoptio sit imperfecta adhuc in hac via, perficietur verò tandem aliquando, si rectè & sanctè vixerimus, in patria (nunc enim videmus quasi per speculum in ænigmate: tunc videbimus speculantes facie ad faciem) iccirco addit:

Ioan. 1.
1. Cor. 13.

Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, Et declarans adiungit: *scimus quod cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eũ sicuti est.* Ex hoc ipso quòd videbimus eum sicuti est, scientiam hanc habemus nos futuros illi similes. Ipse sicuti est non posset à nobis videri, nisi maximè de eius luce participaremus, vt possemus in eũ directè obtutum nostrum figere. Sed hæc experiẽtia queunt agnosci potius, quàm vllis humanis verbis declarari.

Et omnis qui habet hanc spem, &c. Homo, inquit, qui hanc spem habet: *Sanctificat se,* id est, purificat, vt possit legitimè quod sperat, obtinere. Nam soli mundi & puri corde vident Deũ. Quomodo autẽ purificat se homo per hanc spẽ, nisi vt qui verè illã vitã sperat, huius mũdi ille cebris nõ cõtaminetur, sed rectà pergat per opera bona, & perseuerãtiam

vsque in finem? Et hoc est sanctificare seipsum, id est, aptare se ad illam perfectissimam sanctificationem. Sic Christus Dominus noster sanctificauit se metipsum, non à peccato quidem vllo, qui nunquam peccatũ nouit, sed à debito satisfaciendi pro nostris per obedientiam crucis. Et hæc notent recentiores hæretici, & discutiant exactius quo pacto se ipsi sanctificare possint, qui nolunt per opera id fieri. Respuunt enim quicquid nos operamur ad salutem. Aiunt autem quò suam falsam doctrinam saltem obtegant, cuncta facere Deum in nobis sine nobis. At nos clarè hic habemus, quomodo Christianus homo spe seipsum sanctificat. Et sermo est de spe viua, quæ habet expectationem & patientiam in operibus bonis, vt sæpius est à nobis expositum. Aliam autem spem ab ista vera miniméque fallaci, ignorant scripturæ, & Spiritus sanctus summæ & illibatissimæ veritatis doctor & defensor.

Ioan. 17.
Notent hæretici.

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat. Et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est: sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semẽ ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annunciatio quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quod occidit eum? Quoniam opera eius maligna erãt: fratris autem eius iusta. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui nõ diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Et nos debemus pro fratribꝰ animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo: Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua: sed opere & veritate.

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, &c. Postquam ostendit modum quo quis sanctificat se: nunc è conuersò ostendit, cum qui facit peccatum non posse aptare se ad visionem diuinã. Proponit enim facientem peccatum, eundem & facere iniquitatem: quia peccatum est iniquitas. Deinde, quòd Christus apparuit, id est, venit in carne, vt & peccata nostra tolleret, & sic nos sanctificaret. Et hoc nos scire per fidem supponit. *Et peccatũ in eo non est,* qui nullum omnino peccatum nouit. Non enim peccator valuisset peccatum tollere. Et addit: *Omnis qui in eo manet, non peccat,* quia & ipse Christus semel mortuus peccato non dicitur peccare, id est, nostra peccata super se iterum sumere diluenda. Qui ergo iam in illum translatus, & insitus in eo manet, nõ peccat. Et ideo hic est qui potest eum videre, vtpote mundus corde.

Et omnis qui peccat, nec vidit eum, nec cognouit eum. Quid est non vidit eum nec cognouit eum? Nonne multi peccatores viderunt eum, & postmodo prolapsi sunt? Respondetur: Nouisse Deum verè is dicitur, qui dignum eius notitia fructum facit. Si enim Christum verè nouisset, & illa notitia vsus esset, nunquam se per iniquitatem & peccatum ab illo segregasset. Notitia ergo illa prior quæ suum non produxit effectum, pro ignoratia habetur. Possumus (& fortassis non male) dicere quandam esse visionem Dei peculiarem in via erga eos, qui per illam confirmantur in bono Spiritus, namque ita eis datur, vt non sit recessurus. Vnde si quis hãc de Deo visionem habet, ab ea nõ potest excidere. De illa enim dixit Dominus discipulis suis: Et ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, id est, illi qui in communi sorte gratiæ viuunt, & salui fiunt, licet penitus non exterint de mundo: vnde & mundi nomine significantur. Mundus enim non videt eum, nec scit eum: cum tales non sint eius visionis ac perfectæ notitiæ capaces. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit, &c. Ecce vt de hoc spiritu veritatis, quem missurus erat, clarè dicit per eum nosci & sciri Deum, & ita sciri vt non sit huiusmodi cognitio peritura. Talis ergo notitia negatur esse, aut fuisse in homine qui peccat: & hic sensus mihi magis placet. Impeccabilitas enim à perfecta notitia Dei procedit. *Filioli nemo vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est:* non qui solummodo credit est iustus. Audiat Lutheranus & qui beatificat imputatam iustitiam. Sed qui facit iustitiam, id est, opera iusta, per quæ iustitia in vobis crescit, & perficitur, hic iustus est: *Sicut & ille,* id est Christus, *iustus est*: quia fecit iustitiam obediens Deo. Non sit ergo discipulus supra magistrum, nec seruus supra Dominum suum. *Qui facit peccatum ex Diabolo est,* per imitationem & per suggestionem. *Quoniam ab initio Diabolus peccat:* nec vnquam desiit peccare aduersus Christum, nec cessaturus est, quandiu durabit hoc nostrum sæculum. Propterea aduersus Iudæos perfidos & incredulos Dominus & redemptor noster: Vos (inquit) ex patre Diabolo estis, & voluntatem patris ve-

Quid sit nosse Deũ.
Ioan. 14.
In Lutheranos.
Luc. 22.
Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtri vultis facere. Ille erat homicida ab initio, & in veritate non ſtetit. *in hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluerat opera diaboli.* Quod fuit opus diaboli, niſi alienare nos à Deo, aſtu ſuo & malignitate ſuggerendo peccata? Hoc autem opus venit Chriſtus vt diſſoluereat, & reconciliaret nos Deo, & ſanctificaret per donum iuſtitiæ.

Quō nō peccet, qui natus eſt ex Deo.

Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen Dei in illo manet, &c. Dicunt quidam hāc ſententiam pertinere ad prædeſtinatos tantum: qui licet peccent, peccatum tamen illis non imputatur, & ſic non poſſunt peccare vt imputetur. Sed hoc minimè placet. Alij aiunt hoc dictum Apoſtoli habere veritatem, ſi formaliter intelligatur: vt ſit ſenſus: Omnis qui natus eſt ex ipſo Deo, in quantum talis eſt, propterea non peccat: quia ſemen Dei in eo manet, ſecundum quod ipſe natus eſt. Hoc ſemen eſt charitas Dei, quæ non agit quicquam perperam, ſed nec poteſt agere: quia tales filij, vt tales ſunt, ipſo Dei Spiritu aguntur, cui ſemper conſentiunt, & ideo non peccant. Hic ſenſus proculdubiò verus eſt.

De homine interiore & exteriore.

Attamen vt apertius adhuc & vberius explicetur, Debes cogitare acute lector, hominē in Chriſto renatum, etiam ſecundum mentem & partem ſuperiorem, in qua eſt ſemē & verbum Dei & lux iuſtitiæ & charitatis, non tanta perfectione tāmque abſoluta generatum, vt non hæreat adhuc in eo aliquid vetuſtatis propter amorē carnis, & ſui ipſius: ita vt in hoc homine ſit etiam in parte ſuperiore duplex affectus, & duplex amor. Hic dicitur homo interior, qui etſi natus eſt ex Deo vt ſit filius Dei, non tamen ita perfectè, vt non ſit & filius ſæculi ex parte. Nam illud ſemen, quod dicitur etiam fermentum, non perfectè totum hunc hominem fermentat: ſed in eo adhuc viget alia affectio, vt ſit vnus & idem homo quaſi duo homines. Secundum ſemen quod ineſt ei naturaliter, potens eſt peccare: quoniam ſecundum illud non eſt natus ex Deo. Secundum verò illud ſemen quod ſuperinfuſum eſt ad extinguendum peccatum & vim eius, non poteſt peccare. Etenim natus ex Deo habet ſemen in ſe manens, niſi alicuius peccati, & propriæ alicuius præuaricationis merito auferatur. Et hic homo eſt qui nō peccat, nec poteſt peccare. Qui ergo peccat alius eſt, id eſt, ipſe idem, alio tamen ſemine concretus: iccirco tanquam alius cogitatur. Ille ergo homo interior qui Dei eſt filius, non peccat, nec poteſt peccare, quamdudum in illo ſemen Dei manet, vt ſuperius declaratū eſt.

Omnes effectus charitatis non poſſe produci naturaliter.

In hoc manifeſti ſunt filij Dei à filiis diaboli: Nempe à fructibus diuerſorum ſeminum. Ex hoc loco falſum eſt, quod quidā volunt defendere, ſcilicet omnes effectus qui à charitate procedunt, poſſe produci naturaliter. Si enim hoc verum eſt, nunquam filij Dei à filiis diaboli manifeſtè cognoſcerentur. Dixerat: Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt, ſicut ille iuſtus eſt, id eſt, Chriſtus: quia iuſtitiam facit. In hoc ergo manifeſtus eſt iuſtus, ſi facit iuſtitiā. Et quia omnis iuſtus ex Deo eſt, manifeſtum fit, omnem qui facit iuſtitiam, filium Dei eſſe. In hoc manifeſtatur filius Dei: quoniam ſi iuſtitiam faciat, iuſtus eſt, & conſequenter ex Deo natus & filius eius. *Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo* Non enim habet Dei ſemen in ſe manens. Nam ſi illud haberet ſemen, appareret in fructibus. Eleganter dixit B. Gregorius: Nunquam amor Dei eſt otioſus: Operatur enim magna ſi eſt: Si autē operari renuerit, amor non eſt. Neceſſe eſt ergo aliud eſſe in eo ſemē, qui non operatur, & illud eſſe ex diabolo, non ex Deo vt ſit filius diaboli, non autem Dei.

Charitas nunquam otioſa.

Quoniam verò omnis iuſtitia in dilectione cō prehenditur, addidit: *Et qui non diligit fratrem ſuum,* hic non eſt ex Deo, & propterea non iuſtus. Idem eſt enim non diligere proximum, quod eſt non facere iuſtitiam. Non facere autem iuſtitiam, quid eſt aliud quām non eſſe iuſtum?

Quoniam hæc eſt annunciatio, Crebrius hoc repetit, & meritò: quoniā hæc vna dilectionis exequutio totius religionis noſtræ ſummam atque dignitatem in ſeipſa verè complectitur.

Non ſicut Cain qui ex maligno erat, &c. Nota eſt iſtius fratricidæ Cain hiſtoria. Illum autem fuiſſe ex ſemine diaboli, qui maximè & propriè dicitur malignus, prodidit ipſum opus quod fecit iuxta diaboli voluntatem, qui fuit homicida ab initio. Occidit enim fratrem ſuum Abel, virum iuſtum & Deo chariſſimum. *Et propter quod occidit eum? quoniam opera eius maligna erant, &c.* Vide quam afferat occiſionis cauſam: quia opera Cain erant maligna, & econuerſò opera fratris bona, ideo occidit eum. Verùm cur non dixit potius, quia eius mens erat maligna, & non eius opera? Audi Nemiui dubium quin per inuidiam occiderit illum. Inuidia autem oritur ex bono alterius, dum cōparatur proprio. Nam homo qui videt alium aut potentiorē, aut ſapientiorem, aut meliorem ſe (quod certè videt comparādo opera alterius operibus ſuis) in inuidiam excitatur. Et inuidia parit indignationem, odium, & iram. Ira verò homicidium, & omnem iniuriam. Sed vbi, rogo, vidit Cain opera ſua mala, niſi in ſacrificio quod obtulit ſine fide? Quoniam Deus ad illud non reſpexit, nec ad munera eius: quo ſigno clarè ſignificauit nihil ſibi eſſe gratum quod ab eo proficiceretur, ac per hoc omnia eius opera eſſe mala, vtpote quæ venirent à mala radice, id eſt, à mente & voluntate mala. Et ideo non fuit ex Deo, ſed ex diabolo. *Nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus.* Ex ſuperiore doctrina tollitur hæc admiratio: quia odium ex illa diſſimilitudine naſcitur, quam in operibus intuemur. Opera mundi mala ſunt: opera autem iuſtorum bona. Intuens ergo mundus, id eſt, ij qui immerſi ſunt in cupiditatibus mundanorum, ſua flagitia & turpia ſcelera, & cernens lucentia opera proborum ac piorū hominum: ex hac tantæ diſſimilitudinis inſpectione turbatur, & in odium rapitur, & ſimul cū ipſa pietate & iuſtitia contemnit & odit pios & iuſtos tāquam ſibi aduerſantes, & in ſuis bonis operibus illum damnantes. Nam exire ex mundo per nouam vitam, quid eſt aliud quām damnare mundum, & teſtimoniū perhibere quòd opera eius mala ſunt? Hoc planè declarauit Dominus noſter de ſeipſo.

Gen. 4.

Cur mūdus odit bonos.

Ioan. 7.

Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitā quoniam diligimus fratres. Vide quām clarè teſtatur poſſe ſciri à nobis quòd viuimus per gratiam, cùm & vnde hoc ſcimus, manifeſtè exprimatur, nempè à dilectione fratrum. Vbi ergo ſunt illi qui negant nos poſſe implere dilectionis præceptum? Et quid ſunt dicturi illi, qui etſi fateantur nos poſſe illud implere, neminem tamen poſſe hoc ſcire abſque peculiari reuelatione defendunt? *Qui non diligit, manet in morte:* Quia in obedientia legis vita noſtra repoſita eſt. Per dilectionem ergo transferimur in vitam, ad quam erigimur per fidem. Nam omnes in Adam mortui ſumus priuati vita. *Omnis qui odit fratrem ſuum, &c.* Quicunque non diligit, odit: & quicūque odit, homicida eſt: omnis autem homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, id eſt, non habet donum charitatis, quod eſt vita æterna. Ipſe enim Chriſtus in anima noſtra fide & charitate receptus, eſt lex noſtra ſcripta in corde noſtro: & hæc eſt vita manens & æterna.

Mādatum dilectionis impleri poſſe.

In hoc cognouimus charitatem Dei, &c. In græcis nō legitur, Dei, & notabilior ſenſus colligitur, qui mihi iſte eſſe videtur: *In hoc cognouimus charitatem,* id eſt, debitum charitatis ad quod tenemur: quia in illo, id eſt, in Chriſto, conſpicitur: *Ille enim poſuit animam ſuam pro nobis*: ergo & nos debemus pro illo, hoc certè abſque dubio valet. Et cùm addideris, ipſum eſſe per dilectionem & Spiritum ſuum in omnibus nobis: ergo & nos debemus pro omnibus ponere vitam. Quandoquidem iam nō tam pro illis ponimus, quām pro ipſo Chriſto, quē in omnibus agnoſcimus, iuxta illud: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. *Qui habuerit ſubſtiātiam huius mūdi, &c.* Textus eſt clarus. Illud ſolùm notādū, quòd eleemoſyna in neceſſitate exigitur: & qui in neceſſitate nō porrigit, dicitur claudere viſcera ſua, id eſt, teneritudinem illam quam parit miſericordia, vt non effundatur in illum pauperē. Hoc autem eſt nō ſolùm occidiſſe illum, ſed Chriſtum in illo. Quicunque talis eſt, proculdubiò charitas Dei in eo non manet. Nec intelligenda eſt hęc neceſſitas ita extrema, vt expectanda ſit in paupere exhalatio ſpiritus: ſed vnctio docet hoc. Qui enim verè diligit, citò & maxima cum hilaritate ſuccurrit egenti.

Matth. 25.

Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate: Ne cogamur dicere, idem eſſe diligere verbo, & diligere lingua. Et ſimiliter id eſſe diligere opere, quod diligere veritate (quia doctrina apoſtolica reiicit ſynonyma) ſubtilem arbitror inter hæc differentiam eatenus conſiderari, vt ille dicatur verbo diligere, qui ſermone commendat dilectionis opera, nimirum eleemoſynā & huiuſmodi: qualis nunc ego ſum, & prædicatores, & hortatores. At ſi qui verbo commendant, opere autem non confirmant, ſemetipſos condemnant. Quapropter oppoſuit verbo ipſum opus, & his ait: *Fratres mei, non diligamus verbo* (ſupple, tantùm) *ſed opere.* Sunt verò & qui diligunt lingua, proferētes dulcia dilectionis verba, & promittentes: ſed fallunt, cùm non ex corde expromant: & his dicitur: *Fratres mei, nō diligamus lingua, ſed veritate,* de corde puro & conſcientia bona. Diligit etiam lingua & nō veritate, qui ſolum externo opere facit eleemoſynam, ſed iactantiæ & inanis gloriæ cauſa, non ſoli Chriſto placere ſtudens.

Diligere verbo & lingua non idem eſſe.

In hoc cognoſcimus quòd ex veritate ſumus: & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia Chariſsimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciā habemus ad Deum. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus. Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatū nobis. Et qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo. Et in hoc ſcimus quoniam manet in nobis, ex ſpiritu quem dedit nobis.

In hoc cognoſcimus, quòd ex veritate ſumus, &c. Diligere fratrem opere & veritate, id eſt, ex veris & intimis præcordiis, eſt certa nota quòd ex veritate ſumus, ideſt, ex Deo & Chriſto, qui eſt veritas. Audiant hæc qui contra gratiæ certitudinem ſentiūt, quam tantoperè nobis commendat tantus hic Apoſtolus noſter. Addit enim: *Et in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra:* Melius, ſuadebimus cordibus noſtris. Et quid ſuadebimus cordibus noſtris, niſi hoc ipſum quod à fructibus charitatis nouimus? Nimirum quòd ex veritate ſumus, & charitas Dei in nobis manet. Fatentur quidem aliquam certitudinem: ſed vocant humanam, & fallaciæ ſubiectā. At hic Dilectus ait: Suadebimus cordibus noſtris, & iſtud in conſpectu ipſius Dei. Nunquid verò in conſpectu Dei admittuntur humanæ fallaciæ, & incertæ iſtiuſmodi certitudines? O nos miſeros qui non ſcrutamur ſcripturas, ſed cuncta putamus in ſcholis hauriri poſſe. Nec putet quiſquam maleuolus à me damnari Scholaſticos: eos enim omnino probo & defendo, tanquam benemeritos de ſapientia, & doctrina, & theologia: ſed omnibus in rebus addi modum debere exopto. Sicut enim non omnia tribuenda ſunt Patribus: ita nec omnia Scholaſticis. Iſtud præcipuè manifeſtum reddunt exortæ hæreſes, quæ ſcripturarum authoritate nō ſubtilitate & argutiis ſcholaſticis dignè retundunt. Sed ad rem noſtram redeamus. Hæc igitur notitia eſt fidei notitia, non euidentiæ (vt Caietanus hic rectè docet) ſed tamen quæ habet certitudinē pacantem corda in conſpectu Dei.

Pſal. 93.

Quòd ſi reprehenderit nos cor noſtrum, &c. Senſus eſt clarus, Si cor noſtrum nos reprehendit, ſiue damnat per conſcientiæ aculeum, certò poſſumus concludere, coram Deo minimè nos eſſe innocentes: qui eſt maior corde noſtro, & ipſe eſt qui finxit corda & cordis oculum. Non igitur videbit ille, quod videt oculus cordis mei? Qui finxit ergo oculum, nō conſiderat? Certè ipſe nouit omnia, qui fecit omnia. Et ideo nouit peccata, quæ deficiunt ab illo rectiſſimo ordine, quem ipſe in nobis conſtituit.

Chariſsimi, ſi non reprehenderit nos cor noſtrum, &c. Si cor noſtrum, legitimè tamen exploratum ſicut poſſumus & debemus, non reprehenderit nos, ſine non damnauerit nos, *fiduciam habemus ad Deum,* Ecce vnde ſurgit fiducia, quæ eſt fidei robur, nimirum à conſcientia bonorum operum. Et declarās in quo ſit hæc fiducia, ait: *Et quicquid petierimus,* quod ſit rectum & vtile nobis, *accipiemus ab eo.* Et rationem huius rei afferens ait: *Quia mandata eius cuſtodimus: & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc autem fiduciam præbet nobis ipsa certitudo gratiæ, non autem incertitudo.

Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius, &c. id est, vt postquam adepti sumus fidem, perseueremus in illa, & cõfidamus in nomine filij eius Iesu Christi nos promissa æterna recepturos. *Et diligamus inuicem, sicut mandatum dedit nobis.* Hoc est autem eius mandatum Apostolis datum, vt diligant se inuicem, sicut ipse dilexit eos: & hoc mãdatum iussit vt aliis prædicarent. *Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo:* aliter non posset seruare. Manet autẽ seruans mãdata in Christo, sicut palmes in vite: & ille in nobis, sicut vitis in palmite, qui de influxu suo continuè illi suggerit. *Et in hoc scimus quòd ipse manet in nobis, ex spiritu quem dedit nobis.* Ecce vnde veniat illa notitia, quam habemus de eius charitate, nempe à Spiritu Dei qui cõtestatur spiritui nostro (vel cum spiritu nostro) quòd sumus eius filii. Cùm enim opera Spiritus videmus ex nobis prodire, coniectamus in nobis esse Spiritum Dei. Sed quia hoc nõ sufficeret ad plenam notitiam, ipsemet Spiritus nobis datus hanc persuasionem nobis intus confirmat. Rom.8.

CAP. IIII.

CHarissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mũdo est. Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos: quoniam maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: Qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, &c. Quoniam euangelicæ veritati plurimum obstant falsi prophetæ: & Diabolus solicitè iam excitarat suo spiritu multos, qui tacitè exciderunt à fide, paratí ad ferenda zizania in agro Domini: admonuit omnes Dilectus, vt ab huiusmodi sibi cauerent, dicens: *Nolite omni spiritui credere*, id est, omni profitenti se spiritum habere veritatis. *Sed probate spiritus, vtrum ex Deo sint.* Et quia potuisset dicere aliquis: Quomodo possumus hoc probare? Respondet: *In hoc cognoscitur Spiritus Dei* (siue) *In hoc cognoscite Spiritum Dei: Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est.* Sed hoc videtur pati instantiam, nam & Pelagiani, & Donatistæ, & alij multi confessi sunt: & nouæ etiam sectæ nunc confitentur Christum venisse in carne, & tamen non sunt ex Deo: quia aliis erroribus perniciosis tenentur. Verũ si considerentur verba Dilecti iuxta profundiorem sensum, agnoscemus totam in eis fidem nostram comprehẽdi: vt quicunque in vno quouis articulo pertinaciter erraueritnon verè cõfiteatur hunc, Christum videlicet, in carne venisse. Qui enim hunc articulum verè credit & confitetur, consequenter & Christum confitetur Deũ verum esse, & hominem verum. Agnoscit & in eodem ipsam Trinitatẽ: quod in eo ipso verbo, Christus, perspicitur. Agnoscit eundem eo ipso quòd venit in carne, venisse vt summum Sacerdotem ad saluandum carnem: & consequenter vt Regem ac Doctorem ad prouidendum cuncta, quæ ad salutem carnis faciunt. Vnde qui illum credit Christũ, etiam doctrinam eius euangelicam, & quæcũque ipse vel per seipsum docuit esse credẽda, vel mãdauit obseruanda: aut per Apostolos, & successiuè per eos qui in ecclesia potestatem & authoritatem ab ipso per Spiritum sanctum accipiunt, reuerenter ac syncera fide recipit & confitetur. idque non solùm corde, sed etiam opere. Hoc est enim verè cõfiteri, vt scriptura ipsa loquitur. Vana quippe est confessio cordis, quam opus ipsum non probat. Quare quicunque in vno quouis articulo fidei recedit, nullum tenet: & non confitetur Christum venisse in carne, quomodo debet confiteri. Vnde rectè sequitur:

Omnes hæretici negãt Christũ in carne venisse.

Qui vnum articulum non credit, nullum credit.

Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. Sic legimus in Latinis: & veram hanc lectionem existimo, secundum quam & B. Ireneus contra hæreses libro.3. hunc locum citat, licet in græcis alia sit lectio, quæ tamen eundem sensum habet. Legitur enim: Et omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Verùm prior quam probamus, elegantior est & acceptione dignior. Quia enim Christus habet nexum cũ superioribus, id est, cum Verbo, & consequenter cum Patre, & consequenter cum Spiritu sancto: quicunque hunc nexum soluit errando à vero circa sanctissimam Trinitatem, ipsum Iesum soluit. Similiter & quicunque nexum quem habet cum inferioribus, id est, cum Matre, cum Angelis, cum hominibus, cum ecclesia, denique cum superis & inferis, aut secundum carnem, aut secundum spiritum, aut secundum potestatem, ille est qui Iesum soluit, & non est ex Deo, sicut latius alibi ostendimus.

Author in lib. Claui- um.

Et hic est Antichristus: Non ille certus quem expectamus, sed qui spiritu illum referat. Vnde ait: *De quo audistis quoniam venit, & nunc iam in ipso mundo est:* In spiritu, quemadmodum à Domino dictũ est Eliam venisse: quia B. Ioannes Baptista venerat, non autem verus ille Elias, sed in spiritu & virtute Eliam priorem referens. Matth. 11.

Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum. Si legimus, *Eum*, ad ipsum mundum debemus referre, quem vicerunt existentes in Deo. Si verò legimus, *eos*, ad pseudoprophetas & antichristos referendum est. Et ratio victoriæ traditur: *Quoniam maior est*, id est potentior, *qui in vobis est:* Hic enim Deus est: *quàm qui in mundo:* Hic est Diabolus. Nemo igitur excuset se imitator Heuæ matris insipientis, dicens: Serpens me decepit. Nam virtus Dei quæ in te erat, poterat plusquam Diabolus. *Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Nota hic lector reuera omnes fatores hæresum esse de hoc

mundo, id est, amantes mundum, vt testatur egregiè B. Augustinus. Nam propter aliquod mundanum mouentur, & mouent turbas. Quia ergo de mundo quem diligunt loquuntur: ipse mundus, id est, mundani homines libenter audiunt eos doctores. *Nos ex Deo sumus, &c.* Hoc iam dixerat Dominus: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Et hinc concludit: *In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris:* Verè istud magnum est signum: quãdo quidem qualis quisque est, talia sibi cuncta videntur quæ offeruntur. Sic ægroti bonos & salutem afferentes cibos contemnunt, & noxios sæpenumero concupiscunt. Ioan.8.

Charissimi, diligamus nos inuicem: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deũ. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniam filiũ suũ vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, nõ quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filiũ suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis: & nos vidimus & testificamur: quoniam Pater misit filium suum Saluatorẽ mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitati quã habet Deus in nobis.

Charissimi diligamus nos inuicem. Meritò non potest de alia re Dilectus potius quàm de dilectione loqui, vrgens & crebrò eandem inculcãs, quò nos prouocet ad æmulandum sancta æmulatione charissima hoc cunctis aliis sanctius, iucundius, ac pretiosius. In illo enim inuenitur sanguis Christi tanta dilectione pro nobis fusus. Nam audi rationẽ huius æmulationis, *quia charitas ex Deo est.* Sed nun quid non & ipsa fides ex Deo est, & spes similiter? Nonne & quodcunque aliud donum descendit à Patre luminum? Verè ita est: sed singulari quadam ratione charitas dicitur ex Deo esse, tãquam quid proprium Dei, & naturæ eius. Ipse non est fides, nec spes, nec aliquid donorũ huiusmodi, quæ (ab ipso tamen) in nobis sunt. At de illo verè dicitur quòd est charitas, & cui secundum hanc virtutem nos maximè assimilamur. Nihil enim tam proprium Dei, quàm diligere. Vnde & in hoc assimilamur ipsi Deo, & per hoc in diuinæ naturæ consortium euecti sumus. Propterea opportunè addit Dilectus discipulus:

Charitas propriè dicitur de Deo.

Et omnis qui diligit ex Deo natus est, Nimirum ex eius charitate: quia voluntate nos genuit & amore. Vt rectè quidam dixerit, Omnium vetustissimũ & cunctorum parentem esse amorem. *Et cognoscit Deum, &c.* Verè nullus cognoscit Deũ perfecta cognitione, nisi qui diligit. Perfecta quippe cognitio ea est, quam sequitur approbatio. Qui non diligit Deum, quomodo potest verè probare illum esse diligendum? & ob eam causam non nouit eũ: quia non ipsum vt diligibilem respicit, cũ sit alioqui summè diligibilis. Etsi videatur vi rationis cogente nosse hoc in mente, non tamen verè dicit in corde, cùm Deus sit ipsamet charitas, quam qui nouit, non potest non diligere. Et ne quis dicat: Quomodo scire de Deo possum, cum ipse habitet lucẽ inaccessibilem? Respondet:

In hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniam Filiũ suum vnigenitum misit, &c. Ab illius charitatis effectu ostendit: quoniam Filium suum vnigenitum misit in mundum, vt viuamus per eũ. Hoc quod iã apparuit innumeris atque inuictissimis testimoniis cõprobatum, declarat quantũ sit diligibilis Deus. Quod qui apprehendit fide, intẽdens, & considerans quomodo à Deo accipit vitam verã atque æternam & hoc beneficium nobis hoc medio paratum per Vnigeniti crucem & mortem (qua in re sola ostenditur quicquid erat diuini erga nos amoris) profectò impossibile redditur, vt non vice mutua ipsum diligat tanti doni authorem ac largitorem. Quapropter congruentissimè sequitur:

In hoc est charitas: ordo, lex & ratio, quæ charitatẽ à nobis requirit, indicatur. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos: & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Duo itaque, aut potius tria sunt, quæ à nobis exigunt & quasi extorquent dilectionem erga Deum. Primum, quoniã ipse prior dilexit nos. Et si quis quærat: Quid mihi profuit ista dilectio? Respondetur: Profuit ad remissionem peccati, & ad donum veræ vitæ. Denique quærenti: Quo pacto, quomodo? Ex hoc enim maximè elicitur modus charitatis nostræ. Respondet: Quia misit Vnigenitum suum hostiam pro peccato, & fecit illum pro nobis peccatum. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.* Potius quidem videbatur esse dicendum: Et nos debemus sic illum diligere. Dixit autem: Et nos debemus alterutrum diligere. Et rectè id quidẽ. Cum enim reddere Deo gratiam & beneficium non possimus, qui bonorũ nostrorum non indiget, Iccirco voluit munificentissimus Dominus, vt quod ipsi iure reddendum esset, reddamus nobis inuicẽ. Et ipse quasi sibi redditum pro sua bonitate & iustitia acceptum atque impensum habet. 2.Cor.5.

Deum nemo vidit vnquam, Exponitur ratio exactè à nobis charitatis: cur Deus ipse nos diligẽs, quærat vt reddamus illi debitam dilectionem, officia charitatis, & beneficia, collocando in fratribus nostris, non in ipso Deo. Ait enim:

Deum nemo vidit vnquam: Et quomodo possumus illi benefacere, qui (vt ait B. Paulus) habitat lucem inaccessibilem, quem nemo vidit, nec videre potest? Vnde dictum fuit Moysi, Non videbit me homo, & viuet. Et Ioannes Baptista: Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Quod verò quidam volunt 1.Tim.6. Exod.33. Ioan.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Moſen, & B.Paulum vidiſſe Deum facie ad faciem, commodo quo in cœlis illum videbimus (ſaluo ita opinantium honore & pace) non puto verum. Nam ſi diligenter ſcripturas perſpicimus, ipſe Moſes, ipſe B.Paulus, ille ſanctiſſimus præcurſor Ioannes Baptiſta, hic noſter Euangeliſta ſecus teſtantur: tamerſi non ignorem gloſſas, ſed vbi erat non opus. Ad rem igitur noſtram. Voluit oſtendere ipſum Deum à nobis in hoc ſtatu non eſſe ſic diligibilem, vt in eum directè, quem non videmus, valeamus dilectionis noſtræ operas & actiones dirigere, qui ſenſibus ducimur. Quocirca ſubdidit:

Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet. Ac ſi dixerit: Satis dilexiſti Deum, ſi fratrem diligis opere & veritate, in quo recognoſcitur eſſe Deus. *Et charitas eius in nobis perfecta eſt*. Cēſus eſt: Charitas Dei, quæ eſt illius donum in nobis, perficitur in hoc quòd proximos & fratres noſtros diligimus. Poterat enim quis dicere: Si proximum diligis, non propterea ſatisfeciſti: quia in primis oportuit te Deum diligere. Imò, inquit, ſi diligimus fratres, perfecta
Rom.13. charitas eius in nobis eſt. Hoc dixerat B.Paulus: Qui diligit proximum, legem impleuit. Qui enim diligit proximum propter Deum, magis diligit ipſum Deum, & certius diligit. Propter quod vnum quodque tale, &c.

In hoc cognoſcimus quòd in eo manemus, &c. Audiāt qui negant certitudinem gratiæ, ait: In hoc cognoſcimus quòd in eo manemus. Nemo manere in Deo dicitur, niſi qui ab ipſo diligitur, & particeps eſt gratiæ eius: quia [illegible] ſpiritu ſuo dedit no-
Ibid.8. bis. Hoc idem dixit B. Paulus de ipſo Spiritu qui cum ſit vera lux cōteſtificatur cum ſpiritu noſtro, quòd filij Dei ſumus. *Et nos vidimus & teſtificamur, &c.* Hæc fuit annunciatio Apoſtolica, nec ſine teſtimonio miraculorum quæ ſermonem confirmarunt, iuxta pollicitationem Domini, *Quòd Deus Pater miſit Filium ſuum Saluatorem mundi*, Non prædeſtinatorum tantum, ſed totius mundi Saluatorem. Nam & primi illi electi (ad illuſtrem ſcripturarum ſenſum) non dicūtur iam eſſe huius mundi, ſed ſe-
Ioan.17. lecti de mundo, vt ipſemet Dominus declaranit.
Gal.6. Et B. Paulus: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, &c.* Intellige non ſatis eſſe confiteri lingua, ſed oportet inſuper factis confirmare confeſſionem: alioqui vana eſt omnis cōfeſſio oris ſine opere dilectionis.

Et nos cognouimus, & credidimus charitati quā Deus habet in nobis. Charitas non eſt aliud quàm amor quidam honeſtus cum beneuolentia & amicitia, vt ſit reciprocus amor, qui fundatur in communicatione alicuius honeſti, in quo ſimul amici lætantur. Charitas ergo Dei erga nos, & noſtra quam nobis erga ſeipſum donauit, talis eſt, id eſt, mutua amicitia fundata ſuper optimo atque immenſo bono, quod eſt ſumma fœlicitas & beatitudo patriæ. Hanc ergo Dei charitatem quam ipſe habet erga nos, in nobis cognoſcimus & credimus: quoniam iſta notitia non hic habetur niſi per fidem.

Deus charitas eſt & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum: quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrē ſuū, quem videt: Deum quem nō videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

Deus charitas eſt, &c. Cum ipſa charitas ſignificet amicitiæ amorem, cuius eſt proprium ſe efferre in alterum, ſi conſideretur hic amor in Deo, ipſa certè charitas Deus eſt. Cū igitur Deus ſit charitas, profectò omnes complectitur in quos extendit charitatem ſuam, id eſt, ſeipſum amantem. Qui ergo cōplexus in ea charitate manet, haud dubium quin in eo maneat: non ſimpliciter, ſed in eo qui amat ac diligit, tanquam amicus & pater. Alioqui omnia manent in Deo, cuius voluntate ſunt creata & qua ſeruantur. Sic ergo manemus in eo vt dilecti prius ab eo, & eum mutuò diligētes. Ipſe verò manet in nobis perſeuerans nos diligere. Sed quomodo manet in nobis, niſi per donum Spiritus, quod eſt quoddam creatum, & vocatur charitas, diuinā ſibi vendicans appellationem? Eſt namque participatio quædam diuinitatis, & donum ineffabile, propter quod ſolum (vt ſæpe dicendum eſt) inuidet nobis Dæmon, qui illud ob ſuperbiam amiſit. Et hæc charitas in nobis eſt, per quam nos ipſum Deum diligimus, ſecundum hanc communicationem fœlicitatis æternæ nobis ab illo prouiſæ, & promiſſæ, & iam nonnullo modo in hac vita in nobis inchoatæ.

Scio opinionem Magiſtri ſententiarum falſam omnino, miniméque tenendam, qui charitatē quæ eſt in nobis, vult eſſe ipſum Spiritum ſanctum habitantem in nobis, & mouentem corda noſtra per ſemetipſum. Quæ opinio meritò ab omnibus explosa eſt, vtpote contra rationem, & contra ſacras ſcripturas. Contra rationem quidē: quoniam dum ſibi perſuaſit ſe nos honorare atque extollere, inhonorat & deprimit. Si enim Deus ipſe Spiritus mouet nos ad dilectionem, non nos: iam ipſi non ſumus qui diligimus, ſed ipſe Spiritus. Quod ſi dixeris: Imò dum ille te ad diligendum mouet, tu ipſe es qui diligis, ſed per eius motum: nihil dixeris. Siquidem vt quilibet actus hominis ſit verè hominis & perfectus, oportet illum ex ipſo homine liberè ac virtuoſè (vt ita dixerim) procedere, hoc eſt, ex principio aliquo interuo & inhærente ipſi homini. Aliter homo ipſe nō eſſet virtuoſus, nec vllo dignus honore.

Quod ergo dicitur, Spiritus ſanctus manet & habitat in nobis, intelligitur per hoc donum, quod eſt quædam illius participatio. Non quòd ſit pars Spiritus, ſed quòd eſt quoddam ab eo ſpiratū, quo fit vt nos eius ſimilitudine donati, notitiam concipiamus eius cum gaudio, & pace ineffabili, quam no-

norunt verè quibus crucifixus eſt mundus, & illi mundo. Qui igitur tales ſunt, ipſi in Deo manent, & Deus in eis: & præterea, rē ita ſe habere cognoſcunt. De hoc dono, quòd ſit quoddam creatum in nobis, innumera ſunt ſcripturarū teſtimonia, quæ in aliis noſtris tractatibus abundè recenſuimus.

In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, &c. Diuinæ charitatis integer in hac via effectus, in hoc interim ſuā perfectionem extendit, non vt poſſeſſores ſimus, ſed, *vt fiduciam habemus in die iudicij*, quādo ſuperueſtiemur. Nō enim antè perfecti ſumus vt comprehenſores, ſed in ſpe, certa tamē, qua nos perficiendos tunc expectamus. Et ratio eſt: *quoniā ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo*. Hic eſt ſenſus: Sicut ille eſt in hoc mundo, nimirum Chriſtus, ita & nos ſumus. Ille autem conſideratus vt exiſtens in hoc mundo, ſecundum externam veſtem eſt in ſtatu metiti, non præmij. Induit autem poſtmodo decorem & fortitudinem. Sic ei diſpoſuit Deus Pater regnum: & ſic nobis illud conuenienter diſponit, ne ſit diſcipulus ſupra magiſtrum, & ſeruus ſupra dominum ſuum.

Verùm, ſi hic eſt verus ſenſus, illud videri poſſet duriuſculum, cur non dixerit: Sicut ille fuit. ſed: Sicut ille eſt. Nunc autem proculdubiò eſt in gloria. Sed attende, quòd nō dixit ſimpliciter, *Sicut ille eſt*, ſed, *Sicut ille eſt in hoc mundo*: Eſt autem ipſe in hoc mundo in memoria & exēplo, & in cordibus noſtris, tanquam ad imitationem propoſitus, & verſans ob oculos diligentium ſe, qui ſe conformant ad illum. Quare doctè dixit, Eſt: non autem, Fuit: quia ipſe ſui reliquit nobis exemplum imitādum.

Timor non eſt in charitate: Qui enim diligit Deum, non habet timorem. Quem verò timorem non habet, niſi mundi, & mortis? Caro quidem ipſa poteſt tremere, & paueſcere ad mundi perſequutiones, & mortis amaritudines: ſed ipſe ſpiritus nequaquam. Solum hunc habet timorem, ne ſegregetur à Deo: & hic eſt timor veræ amicitiæ. Et hi omnes timores à vera charitate procedūt. Quare qui diligit Deum, non poteſt timere aduentum Domini, quin potius illum diligit, & aſſiduis ſuſpiriis efflagitat, habens fiduciam certam ſibi per illum aduentum bene futurum, modo permanſerit in fide catholica & dilectione.

Sed perfecta charitas foras mittit timorem. Eſt in omnibus quidam naturalis timor mortis, etiam in interiore homine. At ſi charitas ibi inſit perfecta, timorem eiicit foras, vt non ſit intus, id eſt, in homine illo interiore, in quo inhabitat. Quod verò ait de perfecta charitate, fortaſſis de ea loquitur quæ verè eſt charitas, & dicitur perfecta, quia non ſolùm ad Deum reſpicit, ſed propter illum etiam ad proximum, vnde & ſuperius dixit: Qui ſeruat verba eius, verè in hoc eſt perfecta charitas. Hæc tamen charitas ſecundum ſe habet latitudinem, vt quanto ſit intenſior, tanto etiam magis contraria excludat. Hoc igitur eſt charitatis proprium, excludere omnem ſeruilem timorem. Qui autem amat, & ſe agnoſcit amare, quomodo poteſt timere? Qui autem nō noſcit ſe amare, etſi amet fortaſſis, ſemper tamen pauidus timebit. Et hanc rationem quoque velim ab his diligentius pōderari, qui incertitudinem charitatis beatificant, & timorem illum prædicant, quo perpetuo ancipites conſtituūt ſimplicium conſcientias, cum tamen timorē hunc illiberalem charitas ipſa, vt tam perſpicuè teſtatur Dilectus, excludat. Equidem hoc in loco nō ſolùm ab his requiro ſcripturarum ſcientiam, ſed ipſam charitatem, cuius eſt proprium ſolari fratres, non terrere, pacem afferre, non timorem, lætitiam cordis, non anguſtiam.

Quia timor pœnam habet: Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate: id eſt, non habet verè charitatem. Aut ſi magis placet: non habet illam perfectā charitatem, quam Deus à nobis exigit in hac vita mortali, vt prorſus exuamus amorem noſtri: & quæ debemus Deo, cui rependere nihil poſſumus, eius amore & iuſſu rependamus in proximū noſtrum, in quo recōgnoſcitur Caput. Et hæc eſt concluſio Dilecti aientis:

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos, Græce tamen in hunc modum legitur: Nos diligimus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos: Vt ea in re conſtituatur noſtra cum Patre clementiſſimo ingenuæ & puræ charitatis obligatio. Neque verò inde colligitur, non debere nos eum propter promiſſa bona diligere, modo illud ſit prius, quin potius includitur: quoniam in tanta illius erga nos ſumma dilectione reſpicimꝰ dona illa quæ iam habuimus, & quæ habituri ſumus. Aliās in turpiſſimum ingratæ memoriæ peccatum incurreremus, qui donatoreꝰ donis diſſimulatis amaremus quaſi in referendo amore pares. Nos enim ij non ſumus, qui valeamus accedere & aſcendere ad puritatem tanti amoris. Sumus creaturæ, nec poſſumus illum prius amare, quàm ille nos: aut ſimul amare, & amoris noſtri cauſam & rationem nō habere, illius ſcilicet amorem. Solus ipſe puriſſimè dilexit nos: non quia nos à principio dilexerimus illum. Verum eſt tamen Dominum Deum, qui incipit nos diligere non diligentes, nequaquam additurum primæ dilectioni alteram dilectionem, niſi prius oſtēderimus nos huius dilectionis bene memores. Scriptum eſt enim: Ego diligentes me dili- Prou.1.
go. Et Dominus, Siquis diligit me, mandata mea ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ve- Ioan.14.
niemus, & manſionem apud eum faciemus.

Siquis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuū oderit, mēdax, &c. Hic locus omnino dignus eſt cōſideratione. Amor quippe non fertur in rē non cognitā. Deus ergo eatenus verè diligitur, quatenus cognoſcitur. Cognoſcimus autem Deū non in ſeipſo, ſed in iis quæ ex ipſo ſunt, & in quibus quodā modo cernitur. Qui ergo ſe Deū diligere dixerit, & fratrē ſuū oderit, mēdax eſt. Nā ſi Deum diligeret, illū videret: cūmque illū in ſeipſo videre nō poſſet, videret tamē in fratre ſuo. Si ergo illū in fratre ſuo nō videat, nec ipſum Deū videt, vt oportet videre ad dilectionē. Noſtra quippe erga illum dilectio fundatur in dilectione ſua erga nos: vt illū in quolibet noſtrū diligētē intueamur. Ideóque obligauit nos vt alter alterū diligamus, quia ipſe per dilectionē ſuā eſt in omnibꝰ nobis. Rectè igitur ſubdit: *Et hoc mādatū habemus, vt qui diligit Deū, diligat & fratrē ſuū*: In quo. ſ. agnoſcitur Deus & eius dilectio, quoniā pro illo Vnigenitū dedit, Dedit autē non ad oſtendēda quædā leuia dilectionis indicia

Universidad de Deusto
Biblioteca

set, ad ipsam reipsa pretiosissimi sanguinis effusionem. Huius excellentissimæ charitatis mẽtionem fecit B. Paulus: Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatẽ suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Et alio loco: Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, &c. Si igitur iubet vt illius amore fratrem nostrum diligamus: si non paruerimus tam iusto mandato, quid poterimus excusationis proferre? Tanquam iniqui, quos odio Deus habet, iudicabimur ad supplicia sempiterna: quæ dignetur à nobis auertere per donum Spiritus, quò nos inuicem verè in illo & propter illum diligamus.

Rom. 5.

Ibid. 8.

CAP. V.

OMNIS qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eũ qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniã diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Et mandata eius grauia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei?

Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, &c. Vult probare superius dictum, quòd omnes tenemur diligere fratres, hoc pacto: Iesum esse Christum nõ est aliud quàm Iesum esse vnctum à Spiritu sancto summa vnctione, vt sit ipse primo genitus, in quo plenitudo gratiarum concluditur: & de cuius plenitudine omnes accipimus. Et qui credit hoc, natus est ex Deo. Et cùm hic natus sit ex Deo, obligatur diligere patrẽ suum ex quo est: nec illum solum, sed quoscũque viderit ex eodem patre natos, & ad vitam beatam vocatos.

In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, &c. Vide, quæso, quomodo circularis videtur hæc probatio. Idem frequenter ait, quòd in hoc cognoscimur diligere Deum, si diligamus natos ex Deo, id est, fratres nostros. Hic autem videtur oppositum dicere: Nempe nos in hoc cognoscere quòd diligimus natos Dei, si Deum diligamus. Verùm aduerte, quòd non hoc solum dicit: Si Deum diligamus, sed & præterea mox subiunxit, si mandata eius custodimus, in quibus reposita est ipsa fratrum dilectio.

Hæc est enim charitas Dei, siue lex charitatis, *vt mandata eius custodiamus*: Sed ne quis diceret ea esse impossibilia (sicut nunc dicunt blasphemi hæretici) Dilectus occurrit, nedum non esse impossibilia, vel duriora declarans, sed admodum facilia, amanti scilicet & volenti. *Et mandata eius*, inquit, *grauia non sunt*. Ne quis autem Pelagianus temerè audeat confidens in viribus propriis: ideo ad dexteram & sinistram se vertens Apostolus noster, exprimit rationem vnde habemus hanc potentiam seruandi mandata, & ait:

Quoniam omne quod natũ est ex Deo, vincit mundum, quo fit vt valeamus seruare mandata. *Et hæc est victoria*, id est, inde victoria nostra venit contra mundum, *fides nostra*. Et de viua fide intelligere oportet. Verè dixit sanctus doctor Augustinus de hac fidei præstantia: Nullæ, inquit, maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mũdi maior est substantia, quàm est fides catholica, quę peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmẽtat, Martyres coronat. Virgines, & viduas, & coniugatas casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, in æterna hæreditate cum sanctis Angelis collocat. Si itaque fides victoriam contra mundum adipiscitur, bellum intercessisse oportet, sine quo victoria nulla esse potest. Fides igitur nostra vincit mundum, sed exercitata. Nam torpescens citò languescit, & otiosa crebris tentatur incommodis. Remissas excubias (teste B. Ambrosio) callidus insidiator irrumpit. Assuetum autem bello virum externa fraus instruit, & ad gloriosam prouehit palmam victoriæ. Pax ergo fidei, corruptelæ est materia. Quis enim verè miles si non militet, cum vita hominis sit quædam militia super terram? Nec in pugna spirituali expectanda est perfecta omnino victoria, cum sit cum hostibus spiritualibus & nunquam morientibus confligendum. Hæc in Lutheranos appositissimè dirigi possunt, qui pacem cum carne & sanguine, & mundo inierunt per fidem armis spoliatam. At eiusmodi fides non est ea quæ vincit mundum: sed fides verorum Christianorum, quibus crucifixus est mundus, & illi mundo. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei?* Quicunque enim istud credit, omnia quę eius ore dicta sunt vel mandata, credit, & facit per inhærentem charitatem & (vt diximus) militantem.

Laus viuæ fidei ex B. Augustino de verb. Dom.

B. Ambr. in ps. Beati im.

Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimoniũ dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in filiũ Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio eius est. Qui habet Filium Dei, habet vitam. Qui non habet Filium Dei, vitam non habet.

Hic est qui venit per aquam & sanguinem, &c. De Christo dicitur quòd venit per aquam & sanguinem. Venire autem per aquam, est fluctibus maris exponi, id est, tribulationes mundi huius experiri, & per illas tutũ incedere. Hoc professus est in primo baptismo, quando baptizatus est aqua. Et hoc reddidit in secundo baptismo, quando crucifixus est, & sanguinem suum fudit, & vitam posuit pro ouibus suis: de quo baptismo ipse dixit: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor donec perficiatur? Et illud fuit venisse per sanguinem, *Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine*, vt perficeret obedientiam sibi à Patre impositam, & tum demum posset alios sanctificare per sanguinem suum: quo etiam modo sanctificata est aqua. Venisse quidem præcursor sanctissimus Ioannes Baptista se testatur ad baptizandum, sed in aqua tantum.

Luc. 12.

Sed quomodo nõ etiam ille in sanguine, cum pro testimonio veritatis sanguinem intrepidè fuderit? Respondetur: Sanguis B. Ioannis Baptistæ non emundat nos à peccatis, nec sanctificat aquas sed ipse potius à Christi sanguine sanctificatus fuit. Aqua per se nihil est ad sanctificationem: & sanguis per se itidem nihil est. Sic & caro (vt docuit) ipsemet Dominus nihil prodest: sed virtus illa Spiritus, qui tributus est sanguini ad salutem nostram, valet & prodest vobis. Itaque hoc in loco Christum venisse per aquam & sanguinem, nihil est aliud, quàm illum venisse ad emũdationem nostram per merita passionis suæ, & mortis crudelissimæ. Inde enim aqua baptismi fluxit ad tollendas anterioris testamẽti culpas. Et sanguis insuper exiuit ad emundandũ assiduè, quæ in nouo testamẽto assiduè admittũtur delicta, vt iã superius explicatũ est. Siquis ista non credit, audiat id quod sequitur:

Ioan. 6.

Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. In Græcis legitur: *Quoniam Spiritus est veritas*, vt sit sensus, Spiritus testificatur de his, quoniam ipse est veritas, ad quam pertinet testificari absque fallacia. At germanior est Latina nostra lectio, quę hanc porrigit intelligentiam, quòd Spiritus testificatur Christum esse veritatem. Sed hoc quomodo, quando, vbi? In primis autem, Quid est (rogo) Christum esse veritatẽ? Ipsemet dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Quòd enim sit via, per quam intrare & incedere oportet ad salutem, clarum est. Quòd item ipse sit vita, id est, finis noster vltimus, etiam clarum est. At quòd sit veritas, non ita clarè patẽre videtur. Sed quoniam veritas, non potest considerari nisi cogitetur & res, & intellectus, & aliqua prolatio (nã in re aliqua prolata versari veritatem, aut falsitatem intelligimus) de illa dicimus quòd est vera vel falsa: & ipsum dictum siue prolatum dicimus esse veritatem, aut falsitatẽ. Modo Christus vt est Deus, cum sit dictum, & prolatum, & Verbum Patris expressum, meritò dicitur veritas: quoniam verè totã Patris substantiam adæquarè exprimit ac perfectè. Verùm quoniam de homine Christo agimus, qui missus est à Patre tanquam sermo Patris vt ipsum audiamus: etiam ipse Christus homo dicitur veritas. Est enim sermo Patris, paternam nobis misericordiam & clementiã exprimens in semetipso, quam vidit in Patre, & audiuit à Patre, & nuntiauit nobis. Quapropter & ipse agens in terris dicebat ad Patrem: Sermo tuus veritas est.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

Porrò vnde hoc scimus? A spiritu qui testificatur. Sed quomodo? quando? vbi? Respondeo: Præter id quod habemus de spiritu Apostolis dato, est assiduum in ecclesia testimonium, & in cordibus piorum, quod fit per aquam & sanguinem Iesu Christi. Scimus nos ex euangelio, Christo mortuo, de latere eius perforato aquam exiuisse & sanguinem miraculose ac abundantissimè. Quid est hoc, nisi Spiritus testimonium nobis dicentis: Ecce illa aqua munda, per quam veteres eluuntur sordes? Et rursus: Ecce sanguis verus & viuus, per quẽ assiduè delicta emundantur. Vide vt coniunctim habes tria hæc, Spiritum, aquam, & sanguinẽ. Non enim ab aqua vel à sanguine segregatur Spiritus. Hoc ipsum experitur in semetipso homo iustus & pius, qui per aquam baptismi sentit se mundatum: & per sanguinem Iesu Christi etiam à quotidianis sordibus ablutum & tersum, hoc illi testificante Spiritu in corde.

Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo. Non eo sensu intelligas, quasi sint tres qui testificentur in cœlo: quia in cœlo nõ est opus testibus, vbi clarè omnia videtur. Sed quòd tres sunt in cœlo qui testimonium dant (nimirum de Christo) *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*: Testatus est enim Pater pluries de cœlo, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: Ipsum audite. Et iterum quando venit vox de cœlo: Et clarificaui, inquiens, & iterum clarificabo. Testatus est & Spiritus sanctus veniens in specie columbæ in baptismo. Testatus est & ipsemet sibi, dicens amico Sponsi Ioanni: Sine modo: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Vnde & dixit: Testimoniũ meum verum est: quia non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater. Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me. Et hoc dicebat propter opera, quæ dedit illi Pater vt perficeret. Hoc Patris testimonium & Spiritus sancti nunquã defuit in ecclesia, nec est vnquã defuturum, quandiu regnabit hoc sæculum. Certum ergo redditur quomodo ij tres Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus testantur de Christo adhuc multis modis.

Matth. 17.

Ioan. 12.

Matth. 3.

Ioan. 8.

Et hi tres vnum sunt, Vt validissimum esse horũ testimonium declararet, hoc addidit Dilectus. Et si enim testimonium esse plurium oporteat vt sit validum, Illud insuper omnino requirit, vt sint cõcordes in idem. Qui autem possunt magis cogitari concordes, quàm ij qui vnum sunt, & consequẽter vnam prorsus & eandem faciunt attestationẽ?

Et tres sunt qui testimoniũ dant in terra, id est, Tres sunt in terra qui testimonium dãt: Spiritus primò, quem Filius misit in terra. Ille, inquit, testimoniũ perhibebit de me. Et hic est qui cum spiritu nostro nobis contestatur Iesum esse filium Dei, & nos per illũ adoptatos esse à Patre summo. Nam clamat ipse Spiritus, Abba Pater. Aqua item, cuius admirabilem efficaciam sentimus, quoniam in aquæ sacramento delentur antiqua omnia peccata: Et sanguis, hoc est, Martyrum immola-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fides Chriſti ſanguine defenditur.

tiones. Ipſi enim ſanguine fuſo teſtificati ſunt veritati noſtræ fidei. Vnde B. Hieronymus acutè dixit: Si fides noſtra vera non eſſet, nunquam ſanguine defenderetur. Sãguine enim fundata eſt: & ſanguine creuit. Porrò quod ait; *Et ij tres vnũ ſunt*, continet difficultatem. In quibuſdam codicibus Græcis legitur: Et ij tres in vnum ſunt, quæ quidem lectio minime quadrat. Illud mirandum, quòd cùm Aqua, Sanguis, & Spiritus, græcè ſint neutri generis, relatiuo tamen maſculino concipiuntur. Dicitur hîc: Et ij tres, cum iuxta latinã obſeruationem deberet dici: Et hæc tria, quod certè non potuit dici, niſi ſub iis vocibus ipſæ perſonæ intelligerentur, quæ verè vnũ ſunt. Pater in aqua, Filius in ſanguine, Spiritus in ſui efficacia, quæ eadem voce ſignificatur. Vnde & ſuperius dictum eſt quòd de Spiritu ſuo dedit nobis, & hic Spiritus teſtificatur de illo.

Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. Iuſtiſſima eſt in ſocordiam hominum reprehenſio, qui ſanctius fermè omnes obſeruãt hominũ teſtimonia, quàm Dei: cum tamen Deus ipſe mẽtiri non poſſit. Contrà autẽ, omnis homo mendax, & eatenus veritatis amator & cuſtos, quatenus de Deo ipſius veritatis origine participat. Declarat autem quódnam fuerit Patris de Filio teſtimonium, & ait: *Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt: quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.* Iã paulò antè explicauimus, quomodo [illegible] teſtificatus Pater: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*: nimirum Spiritũ, quem miſit Pater in nomine Filij. Vt & hoc in loco intelligas Spiritum eſſe Deum: quia hoc teſtimonium Dei quod renatus habet in ſe, à Spiritu Dei proficiſcitur. *Qui non credit Filio.* Loquitur de incredulitate vitioſa & culpabili, quę eſt à praua voluntate, quando quis vel à ſcripturis perſuaſus, vel à miraculis, vel ab argumentis, aſſenſum tamen ita obfirmat, vt credere veritati idoneè probatę nolit: quò redditur verum quod ſequitur: *Mendacem facit eum, quia non credit in teſtimoniũ quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.* Nemo autem poteſt non credere teſtanti, niſi eum mendacẽ faciat. Qui autẽ Deum mendacẽ facit, cogitet quanti ſit reus criminis. Verè hoc crimen prorſus æternã meretur damnationem. *Et hoc eſt teſtimonium: Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, &c.* Sũma totius teſtimonij in hoc eſt, quòd dedit nobis vitam æternã, quæ in Filio ſuo eſt i. cõſiſtit in illo, & per illum quæſita eſt nobis. Vnde rectè concluditur, quòd qui habet Filiũ Dei, vitam habet. Et è conuerſò, vera vita caret, qui illũ non habet. Habet autẽ qui in illum credit, & fructus Deo gratos producit. Nam qui non ceſſant crebrò ingeminare Chriſtũ, & in via per quã ambulauit, ambulare negligunt, tales ad patriam fœlicitatis æternæ poſt labores promiſſæ, nunquã peruenient. Fidei tanquam fundamento iacto, ſuperaddenda ſunt opera veluti lapides viui, vt ſurgat perfecta domus ſpiritualis: aliâs exprobratio manet illa: Homo hic cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Exẽplum dedi vobis (ait ille qui non ſeducit) vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis: feci, ait, non credidi: &, faciatis, non vt tantum credatis. Et hæc notent illuſores, qui ſolius fidei vehiculo putant ſe in cœlum rapiendos.

Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis quoniã vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei. Et hæc eſt fiducia, quã habemus ad Deũ: Quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Et ſcimus quia audit nos quicquid petierimus: ſcimus quòd habemus petitiones quas poſtulauimus ab eo. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat: & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatũ eſt: & eſt peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei cõſeruat eum, & Malignus non tangit eum. Scimus quoniã ex Deo ſumus, & mundus totus in maligno poſitus eſt: & ſcimus, quoniã Filius Dei venit: & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verũ Deum, & ſimus in vero Filio eius: Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Filioli cuſtodite vos à ſimulachris. Amen.

Hæc ſcribo (ſiue ſcripſi) *vobis, vt ſciatis quòd habetis vitam æternam qui creditis, &c.* Ecce doctrina longè ab iis diuerſa, qui certitudinẽ gratiæ impoſſibilem prędicant. Apoſtolus enim & euangeliſta Ioannes optat vt qui credunt Filio, ſciant, id eſt, perſuaſum habeant à notitia fidei (ſicut hîc rurſum Caietanus exponit) ſe vitam æternam habere. *Et hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, &c.* Vide quid vlterius ex hac notitia conſequatur, nimirum fiducia ad Patrem. *Quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Hæc eſt doctrina vera de petitionibus iuſti hominis, qui in omnibus quæ petit ſecundũ Patris ipſius voluntatem, exauditur. Quòd ſi hãc notitiam non habeat ſe de numero filiorum eſſe, quomodo & qualẽ poterit habere fiduciam? *Et ſcimus* (emendatius Græcè) *Et ſi ſcimus, quòd audit nos quicquid petierimus*, etiam conſequenter, *ſcimus quòd habemus petitiones quas poſtulauimus ab eo*, modo ſint ſecũdum voluntatem eius, vt prædixit: ſiquidem hæc ſemper ſubintelligẽda eſt conditio. Neque verò quicquã aduerſum nos facit, ſed pro nobis. Melius eſt enim pro nobis interdũ non exaudiri, quàm aliter: quibus ea ratione melius Pater prouidentiſſimus conſulit, & circunſpicit omnia. Nos autẽ ſæpenumero appetimus quę noxia ſunt, licet ſalutaria videantur. Nec ipſemet Chriſtus exauditus eſt, calicem deprecatus à ſe transferẽdum. Nec Apoſtolo carnis ſtimulus ter rogãti ſublatus eſt: nec propterea quicquã illis de fiducia ſuæ gratię deperiit. Medicus ſapiens nouit quid ſalutiferũ, quidue cõtrarium poteſt eſſe ægroto, quem curat, ad ſanitatem, non autem ad infirmi voluntatem.

Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem. Locus hic difficilis eſt, præſertim propter quoſdam, qui quod non eſt abſurdum, habent pro abſurdo, ob vetuſtam quandam & vulgarem

perſuaſionem, nullum ſcilicet dari euſque immane ſeu diabolicum ſcelus, quod ex ſe non ſit expiabile. Hîc manifeſtè notatur quoddam certum & inſigne peccatum ad mortem appellatum, vt ſciamus cætera peccata eſſe non ad mortem. Et intelligendum eſt de morte ſecunda.

Peccatum ad mortem quid.

Quærendum eſt igitur primùm quódnam ſit iſtud peccatum ad mortem. Non enim poſſumus dicere illud eſſe peccatũ ad mortem, quod Theologi paſſim vocant mortale, id eſt, dignum morte. Omnis nanque inobediẽtia, ſiue præuaricatio, aut trãſgreſſio diuini cuiuſcunq; mandati, eſt peccatũ mortale: qualia ſunt furtum, adulterium, homicidium, & alia eiuſmodi crimina: & tamen pro his oratur, qui talibus tenentur. Quiddam ergo amplius ſignificat hoc peccatum, quod dicitur peccatum ad mortem. Non poteſt autem aliud ſignificare, niſi quod Dominus ipſe vocauit in Spiritum ſanctum, & blaſphemiam Spiritus, quæ tum demũ adeſt, cum ſemota paſſione ſcienter homo ſalutarem veritatem ſibi oblatam reſpuit: quod eſt ſpuere in pretioſiſſima Spiritus dona, & à ſe tantũ hoſpitem ad vitam ſeſe offerentem, ac materna pietate rogantem expellere & contemnere. Hoc tam inſigne peccatum nihil certè habet in ſe prorſus quod valeat prouocare diuinam miſericordiam, quam ita contemnit & repudiat vltrò oblatam. Eiuſmodi ergo peccatũ eſt, de quo dicit Dilectus illud eſſe ad mortem, non monens pro eo qui tali peccato tenetur, eſſe rogandum. Pro aliis verò qui talibus non tenentur vult fieri petitiones, quas & prodeſſe omnino aſſeuerat, dum pollicetur vitam peccanti non ad mortem reſtituendam, hoc eſt, gratiam per peccatum amiſſam. Et licet peccatum dicatur ad mortem, nõ iccirco alligatur diuina manus, quin poſſit etiam iis qui huiuſmodi ſunt, vitã reſtituere. Sed quod eſt regulare & ex natura rei, his ſententiis declaratur.

Omnis iniquitas peccatum eſt. Loquitur de actu iniquitatis, vt quoquo mõ violetur ęquitas & iuſtitia, peccatum conſtituatur. *Et eſt peccatum ad mortem*, Græcè legitur, *Non ad mortem*, Si eo ſenſu intelligatur, vt omnis iniquitas ſit peccatum, & ſit peccatũ ad mortem, cum ſuperioribus dictis videtur pugnare, niſi aliter atque aliter accipiatur id quod dicitur, *ad mortem*, ſitque duplex mortale. Alterum, de quo ſuprà, quod nõ habet in ſe ſanitatis recuperandæ potentiam. Alterum verò quod ſit medicabile quidem, tametſi abſque medela adhibita perducat ad mortem. Secũdum hanc ſignificationem poſſumus intelligere omnem iniquitatem, ſiue iniuſtitiam eſſe peccatum ad mortem. Si verò græca lectio ſuſtineatur, ſenſus erit: Omnis iniquitas eſt peccatum, non tamen peccatum ad mortem: quoniam ſola quædam iniquitatis ſpecies eſt peccatũ ad mortem. Ex his autem clarè educitur (ſicut ex aliis multis ſcripturis) ſtultiſſimam eſſe Stoicorum hæreſin, qui volebant omnia peccata eſſe æqualia.

Scimus quòd qui natus eſt ex Deo non peccat, &c. Id eſt, in eo ſtatu eſt per gratiam conſtitutus, vt non ſolum non amet peccatum, quin potius odio proſequatur, & congaudeat veritati. *Sed generatio Dei conſeruat eum, & Malignus non tangit eum.* Hoc tum demum eſt verum, ſi talis bene vtatur datis donis. *Scimus quòd ex Deo ſumus*: per generationem ex Spiritu in ſacramento. Sed vnde hæc ſcientia? Caietanus reſpondet, quòd in Apoſtolis erat ſcientia experimentalis: in reliquis verò electis certa fides, contra impugnãtes certitudinem gratiæ. *Et mundus totus in maligno poſitus eſt*, id, eſt, mundani & carnales homines quieſcũt in malignitate, in qua naſcuntur. Spiritus enim hominis aduerſatur Spiritui Dei. Animaduertant hãc veritatem, qui naturæ vires extollunt. *Et ſcimus quòd Filius Dei venit*: Contra Iudæos, qui nondum illum veniſſe contendũt, *Et dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum.* In græcis non legitur, *Deum*, ſed ſolummodo, *verum*: ſed oportet ſubintelligere, *vt ſimus in vero Filio eius*, nempe per Spiritus nexum. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Hic locus funditus proſternit Arianos: quanquam Eraſmus impiè ac proteruè inter cæteros, conatus ſit etiam hũc locum tam apertum ſuis malignis ac ſubdolis interpretationibus obſcurare, modo [illegible] ferre valeat obſcuritatẽ. Quibus (rogo) [illegible] temporibus poterat pro diuinitate Chriſti dici? manifeſte enim de Filio Dei dicitur: Hic eſt verus Deus.

Filioli, cuſtodite vos à ſimulachris, Amen. Importuni quidam noui hæretici criminantur eccleſiæ catholicæ religionem, qui nos temeraria ſententia iudicant idolatras, dum ad imagines Chriſti, & Virginis, & Sanctorum adoramus, quaſi contra Dilecti Apoſtoli præceptum committamus, qui mandat iis ad quos ſcribit, vt caueant à cultu ſimulachrorũ. Et non intelligũt, aut veriùs intelligere nolũt maligni (nã ſolutio ipſa eſt in promptu) quod B. Ioannes non prohibebat cultum ad ſacras Chriſti, & Martyrum imagines, ſed ſimulachra falſorũ Deorum damnabat, & cultum illorum, qui tunc apud gentes vbique vigebat. Hunc eſſe verum ſenſum loci huius non ignorant verſuti hæretici, qui ſic nobiſcum vnanimes interpretentur: ſed vt conturbẽt eccleſiam, & videantur eſſe aliquid, hæc ſerunt zizania in agro Domini, freti idiotarũ & vulgi craſſitie & ignorantia. Parcat illis Deus ſi poſſibile eſt, & non ſit eius generis peccatum illorum, de quo paulo antè audiuimus Dilectum non mandare vt pro eo roget quis.

IN SECVNDAM EPISTOLAM CANONICAM B. IOANNIS APOSTOLI

PRAEFATIO.

QVIDAM hanc, & sequentem epistolam, non esse B. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, sed cuiusdam Ioannis Theologi & presbyteri, finxerunt: quorum sententia iamdudum à cunctis verè catholicis meritò explosa est. Nam & ipse stylus, & ipsius epistolæ doctrina, & Spiritus ipse ecclesiæ, quæ sub B. Ioannis Apostoli nomine eam recepit ac probat in conciliis, & pontificiis decretis: denique vnanimis omnium Sanctorum consensus, vanum esse istorum commẽtum abundè ostendunt. Si enim vno aut altero fallaci argumento permoti scripturas reuocare velimus in dubium, quam, rogo, certam nunc haberemus? Satis citra vllam aliam disquisitionem esse debet ecclesiæ, quæ columna est & firmamentum veritatis, determinatione perpetuò ad omnem nouæ doctrinæ ventum more puerorum & instabilium hominum agitemur. Nam quid continet hæc epistola non dignum Dilecti spiritu? Hæc ob temporum [illegible] malitiam breuiter dicta sint.

Argumentum ipsius Epistolæ est congratulatio de suscepta fide, atque adhortatio simul ad mandatum charitatis. Præcipit insuper vt sibi diligentissime à pseudoapostolis & hæreticis seductoribus omnino caueant, vt nec eos dignentur vlla salutatione, ne socij corruptorum hominum efficiantur.

COMMENTARIA IN EANDEM EPISTOLAM B. IOANNIS.

SENIOR, Electæ Dominæ & natis eius, quos ego [illegible] a [illegible] & n[illegible] o-mnes qui cognouerunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in vobis, & vobiscum erit in æternum: Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu filio Patris in veritate, & charitate.

PRAESENS epistola salutationẽ, quam in priore prætermisit, continet: quia fortè non tanquam epistolam habuit, sed vt ipsius euangelij enarrationem ac testimoniũ. Hanc dignatus est ad quandam mulierem dirigere, & natos eius, vt honoretur etiam ille sexus Apostolica dignatione. Illum enim Dominus plurimum ho-
Ioan. 4. norauit, qui tanta benignitate Samaritanam docuit. Vocat autem se hîc seniorem, non Apostolum: quoniam familiariter & quasi priuatim, non vt Apostolus, sed vt presbyter, & quasi spiritualis pater instruere illam vnà cum filiis eius volebat. Pari modo B. Paulus ad Philemonem scribẽs, nullam ei Apostolatus authoritatem insinuauit. Non vocat autem se Ioannem ex nomine, quia in tota Asia Presbyteri nomine per quandã excellentiam intelligebatur, & tunc insuper ætate iam admodũ prouectus erat. Dicebatur etiam Theologus simpliciter, propter explicatum Verbi æterni mysterium. Hanc rationem non animaduertentes aliqui, putarunt hunc B. Ioannem Apostolum alium fuisse ab eo qui cognominabatur Theologus. Sed quis dignus cognominari Theologus, & eo nomine significari, nisi ipse Dilectus, vt tonitrui filius qui intonuit: In principio erat Verbũ? Incipit ergo, & ait: *Senior, Electæ Dominæ, & natis eius.* Commendat verò se hoc nomine Presbyteri. Scriptura enim pluribus locis pcipit audiri & obseruari verba seniorum, vtpote sapiẽtium. Vnde Iob: In antiquis Iob 21.
sapientia, & in multo tempore prudentia. Et Ecclesiasticus: Ne despicias narrationẽ presbyterorum Eccl. 8.
sapientium, & in prouerbiis eorum cõuersare. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine querela. Mulier autẽ ad quã scribit, hoc nomine, *Electa*, vocabatur, quã ex traditione oriundam è Babylonia accipimus. Vocat autem Dominã, quæ fortè aliquam iurisdictionem habebat. Scribit simul hãc epistolam natis ipsius Electę, quibus eximium sui erga eos amoris profert testimonium: *Quos* (inquit) *diligo in veritate*, id est, verè & ex corde diligo, non fictè. Aut, *in veritate*, id est, in Christo, qui est summa & amabilis veritas. Et hæc est vera dilectio, præ qua omnis dilectio falsa est, vtpote instabilis & carnalis.

Et non ego solus, sed omnes qui cognouerũt veritatem, nimirum euãgelicam. Fieri enim non potest vt diligentes Christum, non se inuicem in Christo diligant. Quandoquidẽ vnus Spiritus maximo eos & arctissimo nexu coniũgit. Vnde magno cũ gaudio concinũt: Ecce quàm bonũ & quàm iucundũ, habitare fratres in vnũ. Et illud propriũ est charitatis, cõgaudere veritati. Hoc ipse Dilectus explicat, subdens: *Propter veritatẽ quæ permanet in vobis.* Singulare quoddã donum est accepisse veritatem, sed maius adhuc in illa confirmari, & cum illa in tentationibus hominem immotum persistere. Signum est enim seminis iacti, & in terra bona coalescentis, móxq; redditurí fructum manentem in æternum.

Porrò notandum est, in græca lectione aliter haberi. Legitur enim: *Propter veritatem quæ manet in nobis, & erit nobiscum in æternũ*: quæ lectio minimè displicet, quia re vera de solis prædestinatis & iam

manifestis, quales erant Apostoli, illud dici poterat, mansuram veritatem in æternum, quemad-
Ioan. 14. modum eis prædixerat Dominus: Et ego rogabo Patrem, ait, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum inæternum, spiritum veritatis
Idem 12. quem mundus non potest accipere. Et iterũ: Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritũ veritatis, qui à Patre procedit, &c. Addit & salutationem, aiens: *Sit vobiscum*, id est, maneat, nec vnquam recedat à vobis, *gratia*, quam gratis accepistis à Deo, & qua estis illi grati. *Misericordia*: hæc semper gratiam comitatur. Miseretur enim Deus omnium quos diligit, & habet vt filios, quos conspicit in hac omnium miseriarum valle multiplicibus ac magnis miseriis & angustiis vndique circumuallari ac premi, idque, nisi succurrat, multis ac miserandis modis. Sed quia à gratia & misericordia oritur pax in cordibus nostris, qua quiescimus, nec iam aliud quærimus nisi tantum cœlestia ac sempiterna vera bona, ideo & annectitur:

Pax à Deo Patre. Si Deus pater, quis iam dubitabit de gratia & misericordia? Non est certè optimi & clementissimi Patris sinere in æternum fluctuationem iusto. *Et à Christo Iesu filio Patris in veritate & charitate.* Potest hic locus in hunc modum ordinari: Gratia, misericordia, & pax, sit vobiscum in veritate: & sit vera pax, non quam mundus dat per falsa bona, sed quam Dominus dat per vera dona, & per illud præcipuum quod est charitas: in qua qui manet, in Deo manet: Et factus est in pace locus eius. Possunt & hæc verba, *in veritate & charitate*, referri ad Filium, vt intelligat omnis fidelis Iesum esse filium Patris in veritate: quia persona illa naturalis est Filius. Nec solùm in veritate, verùm etiam in charitate, vt vocetur Filius dilectionis: quia in illo sibi bene complacuit, & illum vnicè dilexit, propter quem & in nos alios extendit amorem.

Gauisus sum valdè, quòd inueni de filiis tuis ambulãtes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre. Et nunc rogo te Domina, non tanquam mãdatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum. Et hæc est charitas, vt ambulemus secũdum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem. Hic est seductor & Antichristus. Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum nõ habet. Qui permanet in doctrina, hic Patrem & Filium habet. Siquis venit ad vos, & hãc doctrinã non affert: nolite recipere eum in domum, nec, Aue, ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis: vt in die Domini non confundamini. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum. Spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filij sororis tuæ Electæ.

Gauisus sum valdè, &c. Verè magna lætitia est viris euangelicis, cum discipuli & auditores proficiunt in euangelio. Præsertim verò in illis ecclesiæ cunabulis istud contingebat, quum implebatur rete prædicationis euangelicæ. Non in ea quidem re sola, sed potissimùm implebatur gaudium, dum qui crediderant, stabiles in fide permanebant, & ad veritatem euangelij ambulabant: cuiusmodi erant ij, de quibus hîc Dilectus mentionem honorificam facit. *Et nunc te rogo Domina, non tanquã mandatum, &c.* Ecce vt in hoc charitatis mandato præcipuè sollicitum se ostendit Dilectus, non tanquam nouo: sed quod ab initio acceptum fuit à Domino, & prædicatum ab omnibus Apostolis. Dicit autem ita fuisse mandatum à Patre: quia & Christus quod à Patre acceperat pronunciauit, non à semetipso. vnde & ipse aiebat: Verba quæ ego lo- Ioan. 14.
quor vobis, à meipso non loquor, &c. *Et hæc est* [illegible] *&c.* id est, [illegible] hoc consistit & manifestatur charitas, si [illegible] secundum eius mandata, quæ non sunt aliud quàm dilectio erga Deum & proximum.

Hoc est enim mandatum, nimirum ipsius charitatis, datum quidem non perinde ac vetus lex ad cognoscẽdum peccatum, sed vt faciamus illud: quod nolunt hæretici. Ideo ait Dilectus: *Vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.* Lux enim Iesus Christus noster est in eo mandato: vnde qui in illo ambulat, non offendit. Ipse enim hanc viam suo exemplo illustrauit, & suis vestigiis signauit, vt nullus penitus in ea sit error.

Quoniam multi seductores, &c. Rationẽ ponit suæ cohortationis: quia iam multi seductores, *exierunt*, se manifestantes, *in mundum*, ad homines mundi, carni deditos (quanquam Grecè legitur, *introierunt in mundũ*, & parum refert) qui negabant Christum venisse in carnem, & fuisse verum hominem. Quidam volunt Dilectum hîc loqui de secundo aduentu, propter dictionem Græcam ἐρχόμενον, quæ videtur solummodo futurum significare: sed fallũtur. Significat enim in scripturis sæpenumero illum quem scripturæ proferebant venturum: qui si venit, rectè dicitur venisse. Sic dixit B. Ioannes: Tu es Luc. 7.
qui venturus es, an alium expectamus? Certum est autem quosdam tunc extitisse, qui negabant Christum venisse in carne, vt patet ex superiore epistola. *Hic est seductor, & Antichristus.* Mirum quomodo à numero multitudinis transeat ad singularem, vt de multis dicat: *Hic est seductor.* Nisi dixeris non vacare mysterio, tanquam si non sint multi qui ita seducant, sed vnus per ora multorũ. Hic autem est diabolus, verus, & primus, & maximus Antichristus, omnis superbiæ ac mendacij parens & origo.

Videte vosmetipsos, & cæt. Hoc loco iugulantur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pro mercede operum in hæreticos. prorsus hæretici, qui mercedem bonorũ operum negant. Hîc.n. euidentissimè hortatur ad perseuerantiã bonorũ operum, ne alioqui perdant quæ iã operati erãt: & sic plenam mercedẽ amittant, quę proculdubio est vita æterna. Sciẽdum tamen Græcè legi, *Ne perdamus quæ operati sumus, sed vt mercedem plenam accipiamus*. Idem sensus, leniore tamen modo explicatus: vel potius, quia cum quid perdit vnum membrum, id etiam membrum videtur perdidisse. Vnde addit:

Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, operando videlicet secundum mandata eius, *Deum non habet*: quia charitatis donum amisit. *Qui permanet in doctrina Christi, hic Patrem & Filium habet*. Quare non dixit, hic Deum habet, nisi vt declaret sub qua ratione habeat Deum, nempe sub ratione Patris? Inde enim speratur hæreditas, quæ est Filius eius, vita æterna, qui natus est nobis, & datus est nobis, vt simus cohæredes cum illo, & per illũ: & in illo videamus Patrem. *Isa. 9.*

Si quis venit ad vos, & hãc doctrinam non affert, &c. Hîc manifestè de falsis doctoribus sermo est, quibus nulla prorsus in re communicandum est. Et ratio clara est: quoniam iam extra Christum sunt, & Antichristi effecti. Ideo nedum sunt recipiendi domi, sed nec salutandi. Alioqui rei efficiuntur qui salutant eos, & prauorum operum socij. Qui enim probat doctorem falsum, probat & opera quæ à falsa illa doctrina procedunt. Exempli gratia: Lutherus Antichristi minister magnus docet: Monachi qui vouerunt, possunt contrahere nuptias: & propterea ipse pruritui libidinis iãdudum titillãtis succumbẽs, monacham in sacrilegam vxorem duxit. Qui ergo eiusmodi doctrinam etsi non probent quidem, sed nisi insuper execrentur, probant & factum Lutheri: & ideo cõmunicant, id est, partem habent in hoc opere nefario & sacrilego. Nã & ipsi idem essent parati facere, si per aliud liceret, aut liberet. At verè omnia opera istorum hæresiarcharum maligna sunt: quorum (vt ait B. Paulus) inquinata est & mens, & cõscientia, vt sint ad omne opus bonum reprobi. Et hoc cõtra quosdam, qui volunt ab huiusmodi profligatis hominibus posse prouenire opera bona, saltem moraliter. Sed & hi (audeo dicere) non intelligunt quę loquuntur, neque de quibus affirmant. Metiuntur enim bonitatem operum non à radice vnde proficiscũtur, quæ mala est, nec à fine qui similiter malus est. Alioqui & Dæmones aliquid boni facerent moraliter. Verùm commodius hac de re alibi, ne à nostro instituto recederemus, vberius disseruimus. *Tit. 1.*

Quæ supersunt huius epistolæ, clara videntur. Illud exemplo Apostoli est à nobis pariter obseruandum, ne omnia committamus literis propter alienos, ad quorum manus possent literę peruenire: qua in parte sæpenumero ab improuidis peccatur. Nec illud prætereundum, quòd hæc Domina habebat sororem eiusdem nominis, Electam: vt propterea vanum appareat quod quidam commenti sunt, videlicet B. Ioannem scripsisse ad ecclesiam sub hoc nomine, Electa, & ad filios ipsius ecclesiæ.

*

COMMENTARIA IN EPISTOLAM TERTIAM CANONICAM B. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

SENIOR Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. Charissime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi & valere, sicut prosperè agit anima tua. Gauisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quã vt audiam filios meos in veritate ambulare. Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres: & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ: quos bene facis deducens dignè Deo: pro nomine enim ei⁹ profecti sunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan ecclesiæ: sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, nõ recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo eius opera quę facit, verbis malignis garriens in nos. Et quasi non ei ista sufficiant: neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt, prohibet, & de ecclesia eiicit. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est. Qui malefacit, nõ videt Deum. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate. Sed & nos testimoniũ perhibemus, & nosti quoniam testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere sed nolui per atramentũ & calamũ scribere tibi. Spero autẽ protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutãt te amici. Saluta tu amicos nominatim.

SENIOR, *Caio charissimo, &c.* Quisnã fuerit iste Caius, ille ne Corinthius de quo B. Paulus ad Romanos vltimo, & ad Cor. 10. an quidam alter, non satis est certũ. Fuisse autem virum sanctum, vtpote dignum ad quem tãtus Apostolus nominatim scriberet, & de quo tam bonum testimoniũ proferret, nemini debet esse dubium. Epistola tota familiaris admodum, quæ & sensum continet satis clarum. Phrasis ipsa Dilecti propria, quæ tamen non omni prorsus obscuritate carere videtur. Ait ergo:

De omnibus orationem facio, &c. Ego potius in hũc modum transtulissem, *Ante omnia* (aut) *præ omnibus*, Græcè enim legitur, περὶ πάντων, *orationem facio*, siue opto, εὔχομαι, *prosperè te ingredi*, potius, prosperè te agere, *& valere*, nẽpe corpore, *Sicut prosperè agit anima tua*: Hactenus verba hæc ad salutationẽ charitatis plenam pertinent.

Gauisus sum valdè quòd inueni de filiis tuis ambulantes in veritate. Hoc in loco agnoscere licet vnam ex conditionibus charitatis in Dilecto mandatã exequutioni, nimirum: Charitas veritati congaudet. *Maiorem horum non habeo gratiam.* In quibusdã Græcis legimus, gaudium, nõ gratiam, ob magnam vocum affinitatem χάριν, & χαρὰν. At quantum ad sensum spectat, qui per se clarus est, parũ interest. Præcipuè ob eã causam gaudebat, quòd eius filij, quos per euangelium genuerat, ambulabant in veritate, non fictè. *1. Cor. 13.*

Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, Fideliter tum demum facere homo aliquid dicitur, cùm ea quæ promittit, seruat. Promittit autem omnis Christianus se benefacturum fratri. Qui igitur hoc facit, fideliter facit. Rursum, qui aliquid facit credens, & in eius promissione confidens & fide, qui illud facienti promisit mercedẽ, etiã fideliter dicitur facere. Certa verò est fidelitas, quando is qui promisit, non fallit. Talis verè est Deus benedictus, qui ea ratione dicitur fidelis Deus: quoniã quodcunque promittit, nullo prorsus errore persoluit.

Et hoc in peregrinos, Laudat benefactum fratribus, & potissimum peregrinis. Per peregrinos intelligit prædicatores euangelij, qui nullam certam habebant sedem, nec domicilium stabile, sed hâc illâc discurrebant, vt sererent verbum. Tales cogũtur dura multa perpeti, & illi primi maximè qui religionem omnia gentium idola reprobantem introducere satagebant per veram in Christum fidẽ & euangelium eius. Vnde & B. Paulus hos labores aliquot in locis commemorans, aiebat quibusdam: Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, &c. *1. Cor. 4.*

Qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ, Quale autem testimonium reddiderint illi Caio, aut eius charitati, non declaratur apertiùs: vtrum scilicet hoc testimonium (vt quidam volunt) fuerit, quia testificati sint de charitate ipsius Caij: an verò (& istud verius arbitror) quoniã illi in conspectu ecclesiæ prædicantes, testificati fuerãt se esse veros verbi ministros, & dignos quos amplexaretur Caij charitas. Vnde & addidit: *Quos bene facies deducens dignè Deo*, id est, bene & optimè illud pium charitatis opus collocabis, si cum omni honore tales prosequutus fueris, & quasi Christi legatos comes antecedens, quò illi pergunt, deduxeris, & quæ itineri conficiendo sunt necessaria suppeditaueris: hoc enim meretur Deus, cuius ipsi legatione funguntur: Propterea circunspectè additum est illud, *dignè Deo*: Et rationem profectionis eorum explicauit:

Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à gentibus: quasi apertiùs dicere voluerit: Duo sunt quæ omnino hanc abs te charitatem requirũt. Primum est, quoniam rem Dei agunt & procurant, cuius nomini & gloriæ student sic peregrinantes. Alterum, est illorum manifesta indigẽtia. Nam à Gẽtibus subuerentur vel quod alioqui sibi iure ipso debitum est, accipere: ne videantur cauponari, & auaritiæ cupiditate laborare in verbo euãgelij. Verisimile ergo est hunc hominem Caium fuisse locupletem, & egregium dispensatorem erga Christianos inopes.

Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt simus cooperatores veritatis. Notent ad suam consolationem & laudem, & vt ardentiùs adhuc accendantur ad sanctum opus, qui ministrant ministrantibus Dei verbum, quomodo & ipsi sunt cooperatores tanti ministerij: ex quo recipient eius operis quod adiuuabunt, mercedem à Deo vberrimam.

Scripsissem forsitan ecclesiæ. Alij legũt, Scripsi ecclesiæ: sed Latina lectio non displicet, cuius sensus est: Forsitan propter hos peregrinos scripsissem ecclesiæ, ad quam pergunt. *Sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos*, ac propterea turbaret. *Propter hoc si venero, commonebo eius opera quæ facit*, melius, [illegible] opera enim non commouentur, sed vel mala ostenduntur, vel bona. Erat autẽ in Apostolis authoritas tanta ac potestas, vt non raro sibi resistentes diuina plecterent animaduersione: sicut patet in exemplis Ananiæ & Sapphirę: & in mago illo Elymas Iudęo pseudopropheta: & itẽ in Corinthio incestuoso, & Hymeneo & Alexandro, quos B. Paulus tradidit Satanæ, vt incuterent aliis reuerendum quendam timorem in iaciẽdis ecclesiæ fundamentis necessarium: ne vel tam facilè desererent fidem: & vt hostes fidei ab exercenda tanta rabie deterrerentur. *Act. 5. & 13.* *1. Cor. 6.* *1. Tim. 1.* *Verbis malignis garriens in nos, &c.* Vocat eius maleuolentiam garritum, vt rẽ inualidam & carentem omni ratione significaret. Tales sunt plerique qui detrahunt euangelicæ veritati, nihil præter verborum strepitum afferentes. Hic autem Diotrephes nec recipiebat Apostolos, & alios viros euãgelicos: sed & insuper recipi prohibebat. Itaque ne huiusmodi iniquum hominem imitetur, admonet Caium Dilectus, & rationem profert.

Qui benefacit, ex Deo est: Qui malefacit, non videt Deum, Vbi expectabatur vt per antithesin diceret, Qui malefacit, non est ex Deo: huius loco audis, *Qui malefacit, non videt Deum*. Solet plerunque eo modo loqui Theologus noster, vt intelligas vno dicto plura contineri. Qui enim ex Deo est, Deũ videt. Et nemo videt Deum, nisi qui ex Deo est. Qui ergo male facit, cùm is ex Deo non sit, Deum minimè videt. Hæc est B. Ioannis theologia, quam mundus non nouit, & tamen est verissima. Qui enim malefacit, caret dilectione per quam dicimur esse ex Deo, cõsortes diuinæ ipsius naturæ. Et quia dilectio non est sine lumine, quo Deus & Pater cognoscitur: quicũque sine dilectione est, ac propter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rea sine lumine quod secum fert, in tenebris est. Quamobrem non potest videre Deum, eo scilicet modo quo vident eius dilectores: secundum quem ipse dixit: Et vos cognoscetis eũ, quia in vobis manebit, & in vobis erit. Est enim cognitio hæc affectiua, quæ non est omnium. *Demetrio testimoniũ reddunt ab omnibus.* Eximium quoddam est ab omnibus habere testimonium: illud præstat rara & praeclara virtus, quæ superat omnem inuidiam. Quanuis autem hoc testimonium ab omnibus redditũ dicatur, non puto tamen esse intelligendum penitus iuxta rigorem verborum, sed iuxta communem & vsitatam loquendi consuetudinem, nimirum à plurimis, & illis quidem probis viris: & consequenter ab ipsa veritate. Tales deberent esse qui eliguntur in Prælatos ad purgandum, illuminandum, & perficiendum alios: vt ipsi sint prius puri & illuminati, ac bonæ famæ, quorum existimatio præbeat sanctum odorem, pondus, & authoritatẽ verbo. Quòd si ita se res habet, vt verè habet, quid, obsecro, flagellorum non est expectandum à Deo (erga sponsam suam zelote fortissimo) cum ij pro mouentur qui nedũ non habent tale testimonium ab omnibus, sed contrà, malum, ne dicam pessimũ, & sunt veluti parietes inalbati? O bone Deus quantum suffers. Succurre iam ecclesiæ: quia venit tempus miserendi eius.

Ioan. 14.

Addit ipse Dilectus etiam suum pro Demetrio illo testimonium, dicens: *Sed & nos testimonium perhibemus: & nosti quòd testimonium nostrum verum est.* Hæc verba sunt Dilecto discipulo familiaria: sic enim alibi ait: Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimonium eius. Cætera clara sunt.

Ioan. vlt.

BENEDICTVS DEVS.

PRAEFATIO IN EPISTOLAM CANONICAM
BEATI IVDAE APOSTOLI.

PRAESENTEM B. Iudæ epistolam minoris esse authoritatis, quàm sint cæteræ scripturæ canonicæ Caietanus contra ecclesiæ spiritum docuit, cùm [illegible] Pontificum, [illegible] concilia, & Sancti omnes doctores, tam veteres [illegible] posteriores, in Sanctarum scripturarum canone semper eam c[illegible]ntinuerint. Sed quod non parum sum admiratus, motus est Caietanus verbis B. Hieronymi, quæ subdemus: Iudas (inquit) frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem canonicis est, epistolã reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reiicitur. Tamen authoritatem vetustate iam & vsu meruit, & inter sanctas scripturas cõputatur. Hæc B. Hieronymus. Ex quibus certè non aliud ego elici posse existimo, quàm quòd hæc epistola sit B. Iudæ Apostoli, sit canonica, & ipsius vsus vetustate mereatur inter sanctas cõputari scripturas, & consequenter irrefragabilem diuinæ scripturæ authoritatem. Quòd autem plerique olim, teste B. Hieronymo, illam reiicerent, hoc nihil ei authoritatis detrahere, sed potius addere debuit, cum spiritus ecclesiæ præualuerit. Nam quos rogo, putamus fuisse detractores illos: nisi quales temporibus nostris surrexerunt, qui videri esse aliquid moliuntur, & eminere: quod cùm obtinere non valeant, si quiescunt: assumunt spiritum contradictionis. Præterea, oporteret rationes eorũ, quibus ad contradicendum mouebantur, considerare: vt cum agnitæ fuerint, futilis omnino, nulliúsque ponderis habeatur eorum contradictio, nisi ad confirmandam fortiùs oppositam eis veritatem, quæ per disceptationem illustrior semper elucet, & firmior redditur. Qua de re suis locis dicetur.

ARGVMENTVM.

HANC Epistolam B. Iudas scripsit ad Iudæos vocationis, ac dilectionis Dei participes, ne à pseudoprophetis, ac seductoribus abducerẽtur à fide: quos suis lineis & viuis coloribus egregiè depingit. Proponit exemplar præteritorum temporum ad deterrendum. Et postremò admonet eos qui fidem recepe runt, quo pacto debeant se gerere sẽque in finem conseruare. Pertinet etiam ad futura tempora, quando ij qui inuenientur chariſsimi propter fratres, fidem tandem aliquando recipient. Quapropter vltimum tenet omnium epistolarum locum.

COMMENTARIA IN EANDEM
EPISTOLAM B. IVDAE APOSTOLI.

IVDAS Iesu Christi seruus, frater autẽ Iacobi, iis qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis: Misericordia vobis & pax, & charitas adimpleatur.

BEATVS Iudas nõ se Apostolum vocat, deferens B. Petro, qui potissimùm fuit circumcisionis Apostolus. Vocat autem se seruũ Iesu Christi quod erat christianæ professionis: & fratrem Iacobi, quasi innuens, vt quemadmodum ille Iacobus ad Iudæos secundum prouidentiam Dei ab initio scripsit, veluti ad eos quibus primò annunciandum erat euangelium Christi, si qui forte inuenirentur supplantatores suæ animo sitatis, nolentes statuere suam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quę est ex fide: Ita B. Iudas nouissime scribit ad illos qui seruati sunt in prouidentia Dei Patris, vt sint cœlestis vocationis participes: quod præcipuè erit in nouissimis temporibus. Ait ergo:

Iis qui sunt in Deo Patre dilectis, & christo Iesu conseruatis, & vocatis, id est, his quos Dei prouidẽtia non reiecit, sed seruauit quos vocaret, vt veniãt ad Christum Iesum, *Misericordia, &c.* Iam huiusmodi salutatio à nobis sæpenumero exposita est.

Chariſsimi omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. Subintroierunt enim quidã homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Domini nostri gratiã trãsferentes in luxuriam: & solum dominatorem & dominum nostrum Iesum Christum negantes. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quòd Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit. Angelos verò qui non seruauerũt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnẽ alterã, facti sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant: dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Cũ Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus. Hi autem quæcũque quidem ignorant, blasphemant. Quæcũque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt: in his corrumpuntur.

Chariſsimi, omnem solicitudinem, &c. Primum narrat quamobrem hanc scribendi prouinciam sumpserit: fuit enim solicitudo cõmunis salutis. Quocirca precatur eos vt supercertent, id est, vt certamen defensionis suscipiant secundum fidem Sanctis semel traditam, ipsis nimirum Apostolis. Dicit autem semel traditam: quia fides Christi nõ est in eo, *Est*, &, *Non*: sed in eo, *Est*, immutabilis & æterna. Est alia expositio, vt supercertẽt sanctis, hoc est, pro sanctis certamen assumant.

Subintroierunt enim quidam, &c. Hæc ratio est cur scripsit epistolam. Quòd verò addit: *Qui olim præscripti sunt in hoc iudicium:* nihil aliud est quàm declarare, quomodo Dominus Deus ob aliqua eorũ præcedentia atque insignia scelera, tradidit eos in hanc reprobam mentem: & insuper ordinauit [illegible] pietatis [illegible] aliorum probationem ac salut[illegible], & ipsi [illegible] onem.

Dominus [illegible] in transferentes in luxuriam, &c. id est, Eligentes loco gratiæ Dei, quæ honestum præcipit, luxuriari per carnem. *Et solum dominatorem, &c.* id est, Et negantes Iesum Christum, qui solus est verus dominator & dominus noster in perpetuum.

Commonere autem vos volo, &c. Mansuetis verbis vtitur, aiens velle se commonere illos: *Scientes semel omnia.* Græcè emendatius, *Scientes semel hoc*, nimirũ, *quòd Iesus, &c.* Græcè melius, *quod Dominus.* Non enim hic de Iesu Naue loquitur: quoniam per Mosen de terra Aegypti ereptus est populus ille. Sensus est ergo, vt meminerint veteris figuræ, quomodo non omnes qui sunt liberati de terra Aegypti, salui perpetuò facti sunt. Etenim plurimos, qui saluati erant à plagis Aegypti, perdidit postmodo Dominus propter ipsorum incredulitatem in deserto. Itaq; illi esse debent figuræ & exempla his, qui liberantur à primis culpis per baptismum, qui nondum propterea perfectam salutem accipiunt, nisi permaneant in vera fide, & obedientia mãdatorum. Hoc est primum exemplum, quod ob oculos illis ponit, vt cum magno timore studeant ambulare.

Angelis verò, &c. Ascendit superius ad aliud exemplum (& hoc pertinet specialiter ad seditiosos) volens ostendere Deum nõ esse acceptorem personarum, ita vt neque pepercerit summis Angelis, propria illorum culpa prouocatis. *Qui non seruarũt suum principatum*, siue illam præclaram originem & domicilium, quod illis erat proprium in cœlis, cũ sublimis eorum natura longè terrenas creaturas excederet. Reseruauit ergo illos, *in iudicium magni diei*, id est, postremi diei qui erit verè magnus. Nã

Universidad de Deusto Biblioteca

ſors illa quę eo die obuenerit,erit ſempiterna.Reſeruauit, inquam , *vinculis æternis*,id eſt, ad æterna vincula: non quidem corporalia,cùm ipſi corpus non habeant,ſed ſpiritualia.Si ita ſe geſſit aduerſus Angelos,cur idem nõ faciet etiam in ſuperbos homines? *Sicut Sodoma,&c.*Cõparat nunc illos ſeductores , quod attinet ad illorum carnalia vitia, Sodomitis & Gomorrhæis, qui exfornicantes, & alteram carnem ſectantes,id eſt,infandum vitium contra naturam , propoſiti ſunt ad exemplum ſuſtinentes æterni ignis pœnam,quæ ſignificata fuit per ignem illum ſulphureum ſenſibilem,quem de cœlo pluit Dominus.

Similiter & hi carnem quidem maculant. Audite ô Lutherani, ô hypocritæ, qui primùm maculaſtis carnem veſtram,& Spiritum ſanctum mundi cordis habitatorem, tantum hoſpitem à ſuo templo expuliſtis , volentes admiſcere opera carnis cum operibus Spiritus: & dominationem ſpernitis,qui eſtis cõtumaces & rebelles iis quos Dominus vobis præpoſuit. *Et maieſtatem*,ſeu glorias, vt Græcè legitur,blaſphematis,dum dicitis Apoſtolicam ſedem,eſſe Antichriſti ſedem: quæ vox blaſphemia eſt in Spiritum.Quod enim eſt prouidentiæ & bonitatis Dei, ex mera malitia tribuũt Diabolo mortalium perditiſsimi. *Cùm Michael Archangelus,&c.* Narrat hiſtoriam,quæ nõ legitur in ſcripturis.Veriſimile autẽ eſt penes Hebræos multa fuiſſe ſcriptis commendata,quæ perierunt. Quòc [illegible] nor ob iſtam cauſam ſit [illegible] habe. [illegible] des , quia adducit ea quæ [illegible] continentur in ſcripturis,perfidiæ eſt,& imprudentiæ.Non enim oportet ſcripturã à ſcriptura probari,ſed ab eccleſia. Alioqui & B. Paulus produxit ea quę nulla ſcriptura cõmemorat : quale eſt illud de Ianne & Mãbre: & de his quibus apparuit Dominus poſt reſurrectionem : & de egregia illa Domini ſententia: Beatius eſt dare,quàm accipere, &c.Obmuteſcant igitur quos nõ pudet propter hæc tam futilia,ſcripturis ſanctis detrahere. Cæterùm hoc Michaelis Archangeli exẽplo retundit arrogantiam blaſphemantium. Si enim aduerſus Diabolum diſputans, vſus eſt verborum modeſtia ille princeps Angelorum Michael: quanta eſt humana arrogantia contra Dominatorem erigere cornua,& euomere blaſphemias,ſicut iſti perpetuò faciunt miſeri?

Qua authoritate debeant probari ſcripturæ. 2.Tim.3. 1.Cor.15. Act.20.

Hi autem quæcunque ignorant, blaſphemant. Et verè:quia enim vim ſacramentorum ,& Dei ſapientiam in eccleſia ſua & virtutem ignorant: ideo in hæc inſurgunt,& blaſphemiis ſuis fœdant, ſi modo fœdari poteſt à luto puriſsima lux. *Quæcunque autem naturaliter,&c.* Ea naturaliter poſſumus noſſe ſicut muta animalia,quę ſubiecta ſunt ſenſibus, & quæ ad hanc vitam pertinent:ſed in his eſt corruptio. Qui igitur quæ ſunt mũdi huius curat,carnis concupiſcentiis inſtar bruti animalis obuolutus,in iis ipſis corrumpitur.

Vę illis qui in via Cain abierũt:& errore Balaã, mercede effuſi ſunt:& in contradictione Core perierũt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ,conuiuãtes,ſine timore, ſemetipſos paſcẽtes: nubes ſine aqua, quæ à ventis circunferuntur:arbores autumnales,infructuoſæ,bis mortuæ,eradicatę:fluctus feri maris,deſpumantes ſuas confuſiones : ſydera errãtia,quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in ęternum. Prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam, Enoch,dicens:Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis , facere iudicium cõtra omnes,& arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum,quibus impiè egerunt: & de omnibus duris quæ loquuti ſunt contra eum peccatores impij . Hi ſunt murmuratores,querulosi, ſecũdum deſideria ſua ambulantes: & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus cauſa.

Totius huius ſermonis interpretatio in hæreticorum recentiorum moribus luce clarius inſpicitur.De his enĩ primò dicitur: *Væ his qui in via Cain abierunt*.Hic primus deſpexit Agnum Dei: & ideo ſe viciſſim deſpectum cognouit cum omnibus muneribus ſuis. *Et errore Balaam mercede effuſi ſunt*. Effunditur ille,qui non ſe continet in officio ac virtute,ſed aliquo falſo bono quaſi eſca allectus,in illud ſe præcipitat.Talis extitit Balaam , cuius inſipientiã aſina corripuit. *Et in contradictione Core perierunt*.Huiuſmodi viros, quos ſemel perfidia & mercedis amor ſuperauit vt maledicant Iſrael vero populo Dei,cogit ſuperbia & elatio vt(quemadmodum Core)contradicant principibus eccleſiæ , & cum Eccleſia ipſa contendant . Sed hos in contradictione ſua abſorbet terra.

Hi ſunt in epulis ſuis maculæ,conuiuantes.Eſt pictor & ſculptor noſtra ætate egregius, Michael Angelus nomine,qui admirabilis eſt in exprimendo nuda hominum corpora,& pudenda.Commẽdo artem in facto:at factum ipſum vehementer vitupero ac deteſtor.Nam hæc membrorum nuditas indecentiſſimè in aris,& præcipuis Dei ſacellis vbique conſpicitur. Verùm annumeretur & hic cum cæteris multis & magnis abuſibus , quibus fœdatur eccleſia Dei ſponſa Chriſti.Quod autẽ in meũ præſentem vſum ſumere inde volui,iſtud eſt, non ea abſoluta perfectione ab egregio iſto pictore Michaele pĩgi nuda corpora,turpia & obſcœna(quæ tamẽ vel natura ipſa in nobis tecta eſſe voluit)qua noſter Apoſtolus hæreticorum nuda quæque , & pudenda viuo ſpiritus penicillo nobis expreſſit, & in oſtentum poſuit.Primum, ſunt in epulis ſuis maculæ,conuiuantes:(græca lectio habet , in dilectionibus veſtris)& ſenſus eſt : Libenter conueniunt iſti ad conuiuia,quæ olim hoc nomine, *dilectis*,vocabantur:quo nos vel hodie adhuc vtimur, charitatẽ materno ſermone appellantes,dum hoc pacto ſolemus inuitare amicos.Placet vnà nobiſcum facere charitatẽ?At in iis dilectionibus, quæ ſunt eorum epulæ,ipſi ſunt maculæ,qui ſuos ibi errores dum conuiuunt , affatim euomunt : quibus non pauci ſæpenumero maculantur.Omnis enim amicitia gaudet quodam mutuo conuictu . Nihil ſiquidem æquè proprium amicorum, quàm conuiuere: & ob eam rationem huiuſmodi conuictus

Michael Angelus pictor & ſculptor.

charitas olim vocabatur.

Sine timore. Alia conditio iſtorum,qui non cogitant quid ſceleris eſt perdere ſimplicium animas, pro quibus Chriſtus Ieſus animam ſuam poſuit.Ipſi autem contrà,tali cibo paſcuntur. vnde ait: *Semetipſos paſcentes*,ſicut diaboli,ſerpẽtes,qui terram, hoc eſt,homines terrenos comedunt. *Nubes ſine aqua*.Ipſi ſeipſos è terra eleuarũt,vt eſſent quaſi nubes quæ poſſent effluere, & dare aquam ad fruges terræ.Sed aqua,id eſt,ſapientia ſalutari carent: ſolum errores poſſunt reddere. Sunt verò nubes,*quæ à ventis circumferuntur* : quia inſtabiles modo hàc, modo illàc ad voluntatem ſatanæ, qui eos laqueis ſuis irretitos ducit quocunque lubet ad ſeducendum,ad blaſphemandum,& ad opera carnis ne[illegible]ria, vt nunquam ſtabile videas hoc hominum g[illegible]nus,à Deo iuſta ſententia reprobatum.

Arbores autumnales,quæ poſt ęſtatem volunt germinare,vt in hyeme reddant fructus,quod eſt impoſſibile. Tales ſunt iſti qui noua & flacceſcentia dogmata ſpargunt mox peritura.Itaque ſunt re vera arbores,*infructuoſæ,bis mortuæ*:primum ſibi,deinde aliis Sunt enim inter Chriſtianos qui licet ſibi mortui ſint,fructum tamẽ interdum Deo in aliis, in prædicatione,& collatione ſacramentorum, & huiuſmodi.At arbores iſtæ quæ ſeſe à reliquo corpore eccleſiæ præſciderunt, omnem vitam perdiderunt . *Fluctus feri maris*, quia inte[illegible]o agitan[illegible] odio in eccleſiam . Quis neſcit qu[illegible] iſti aſsid[illegible] ſpumant blaſphemias, & conuicia, quibus ve[illegible] confunduntur miſeri? O quot famoſos vidi horũ libellos, & Paſquilli Extaſin,& Babylonicas captiuitates.Quid autem ſunt hæc,niſi verè illorum cõfuſiones,quas rabie quadam deſpumant prætextu cuiuſdam zeli apparentis? *Sydera errantia*: quia aliquid lucis præ ſe ferre videntur . Non poſſent aliter decipere,niſi aliquod lumen redderent. Nonnulla enim vera interſerunt innumeris mendaciis de induſtria,vt ſub melle venenum porrigant: ſed nec in his permanent. Teſtis Lutherus,ſicut plerique de ipſius libris egregiè patefecerunt. Tales & alij eius ſectatores , Oecolampadius , Zuinglius, Caluinus & cæteri nebulones,qui modo ab oriente ad occidentem,modo ad Aquilonem à meridie vagantur,vt meritò errantia dixeris ſydera.

Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum. Audiant qui poſſunt , & contremiſcant . *Prophetauit autem, &c.* Hinc acceperunt ſcandalum quidam,inter quos Caietanus, cuius verba hæc ſunt: Hic eſt locus , vnde Hieronymus refutari dicit à multis hanc epiſtolam,nec ab re:quoniam etſi citare apocrypha multò magis liceat quàm Poetas, authoritati tamen ſacræ ſcripturæ derogat,vt apocrypha prophetia , vt ſimpliciter & abſolutè prophetia,inducatur : quod hîc fieri clarè apparet , dũ abſolutè dicitur:Prophetauit autem,&c. Hæc ille, parum doctè ac piè.Non enim apocrypham prophetiam citauit B.Iudas, ſed Apoſtolis cognitam ac probatam : quæ etſi in libro forſan legeretur apocrypho, non propterea cenſenda erat apocrypha , quam Apoſtolus Chriſti producit vt veram. Quòd ſi tolerabilius eſt citare apocrypha , quàm poetas,cur acrius B.Paulum non reprehendit, qui poetæ Epimenidis carmen in Cretenſes detorſit? Sed ad rem Non eſt incredibile, Tertuliano teſte, librum Enoch in arca ſeruatum fuiſſe, & Apoſtolis notum fuiſſe. Ait enim ab Hebræis illum librũ è medio ſublatum : quoniam teſtabatur de Chriſto,& de his pſeudoprophetis.Hæc autem prophetia , quid habet(rogo) offendiculi , propter quod integra epiſtola debeat repudiari?

*Ecce,venit Dominus in ſanctis millibus ſuis,&c.*Totum hoc ita verum eſt apud Chriſtianos,vt non ſit fas dubitationem vllam admittere, *Hi ſunt murmuratores querulosi, &c.* Pergit adiungere colores horum pſeudoprophetarum, qui ſemper conqueruntur,& grauari ſe ab eccleſia prætendunt . Inde illa centum grauamina , quæ cùm voluerint deuitare, [illegible]currerunt in mille. Non negamus eſſe qui impo[illegible]unt onera grauia & in[illegible]portabilia, quæ nec ipſi digito velint mouere : ſed illud admoneo & defleo, quòd omnes quærunt quæ ſua ſunt,non quæ Ieſu Chriſti. Si enim quærerent quę Ieſu Chriſti , non prætextu onerum,hæreſeon peſtem, & ſeditionũ, & ſchiſmatum ſcandala inducerent , ſed curãdam huius morbi plagam commendarent prouidẽtiæ Dei,qui non derelinquet tandem abſque remedio Sponſam ſuam. Nec enim poteſt negare ſeipſum.

Secundum deſideria ſua ambulantes. Horum deſiderium eſt deſiderium proprium patris eorum Diaboli. Hoc autem eſt chriſtianam veritatem vel aper[illegible] ſubdol[illegible]ate, ſeducere, mactare, [illegible] *[illegible]um loquitur ſuperba*, quia [illegible]m peſtilentem,& quaſi mundi ce[illegible]ſſantur. *Et mirantur perſonas quæſtus grati[a]*. Nullum videas hominũ genus eo uſque maledicum, & nullum tam blandidicum & gnatonicum,quàm ſunt iſti miſeri,qui apoſtatarũt à fide. Ipſi enim quæſtus gratia admirantur perſonas,id eſt,ſimul te,quaſi admirantes commendãt.

Vos autem,chariſsimi,memores eſtote verborum,quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis domini noſtri Ieſu Chriſti , qui dicebant vobis:quoniam in nouiſsimis tẽporibus venient illuſores,ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales,ſpiritum non habentes . Vos autem, chariſsimi,ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſsimæ noſtræ fidei , in Spiritu ſancto orãtes, voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternã. Et hos quidem arguite iudicatos : illos verò ſaluate,de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore , odientes & eam,quæ carnalis eſt,maculatam tunicã. Ei autem qui potens eſt vos conſeruare ſine peccato,& conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in aduẽtu Domini noſtri Ieſu Chriſti : ſoli Deo Saluatori noſtro per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum gloria &

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnificentia, imperium, & potestas ante omne seculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

Vos autem charissimi, &c. Sensus est clarus. Ne enim turbentur, admonet vt sint memores prophetiæ acceptæ ab Apostolis ab initio, qui prædicabãt futuros huiusmodi illusores. Et verè magna est consolatio & remotio scandalorum, cum videmus ea contingere in ecclesia, quæ nobis prædicta fuere de hominum horum impietatibus.

Hi sunt qui segregant semetipsos. Hæc est propriissima hæreticorum nota, quæ debet omnibus fidem facere certam, tales esse hæreticos: quoniam semet ipsos segregant à consortio ecclesiæ Dei. Erant enim paulò ante nobiscum [illegible] hmodo ipsimet recedentes, proprios sibi fecere nidos & conuenticula. *Animales, spiritum non habentes*: & ideo nõ agnoscunt quæ sunt Spiritus Dei.

Vos autem charissimi, &c. Nota bone lector, eximium præceptum, & his nostris temporibus opportunissimum. Primum id monet quod ab initio, videlicet vt superædificent semetipsos sanctissimè fidei, id est, vt super fundamento Apostolorum & prophetarum permaneãt, assiduè crescendo in Spiritu per merita bonorum operum: & per orationẽ in Spiritu sancto, qui est spiritus puri amoris & veritatis, conseruent [illegible] dilectio[illegible] Dei. Quòd si in omni tempo[illegible] oportet orare in [illegible] habe[illegible] inibus, quibus Dei ecclesi[illegible] premitur, & intus & foris: & hoc [illegible]ndo expectẽt misericordiam Domini in vitam æternam: non hic præmia, sed in cœlis. O quot sunt viri bonæ quidẽ voluntatis, prædicantes & hortantes, colentes religionem, & in operibus bonis se exercẽtes: sed hoc habent quòd non carent Nemesi. Indignantur enim dum non hic respici sua opera vident, sed potius despici, & alios alia parte operantes mala afflici præmiis: & ferè hoc in loco cespitant & scandalum patiuntur. Domine Iesu libera nos ab hoc spiritu, in quo est proculdubiò laqueus & fouea. Hinc enim multi occasionem arripuerunt vt fierent desertores & transfugæ relictis Dei viui castris. Quasi verò qui inseruit Deo in euangelio Filij eius, debeat oculum vlla cupiditate ad honores, vel lucra mundana intendere. Quantò fuerit parcior ab ingratis hominibus gratitudo, tantò cumulatior expectanda est à munificentissimo Patre sa. Domino Deo retributio. Contrà autẽ, quò maiore præmio quis in via afficitur, eò leui' inueniet Deũ sibi obligatum. Sed nos veras radices fidelium ministrorum minimè egimus, vt rarus sit qui nõ quærat quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Nam etsi iustè debeatur ex euangelico ministerio sumptuũ necessitas: indigna tamen est spiritu apostolico solicita, ne dicam importuna exactio.

Et hos quidem arguite iudicatos, &c. Secundò admonet vt eos illusores & seditiosos redarguant. Vocat, *iudicatos*, more scripturę, quia iam iudicati sunt, &, vt ait B. Paulus, proprio iudicio condemnati. Tertiò, monet vt alios qui possunt à seductoribus decipi, aut in deceptione sunt, saluos faciant adiutores, & eripientes illos de igne. Denique aliorũ misereantur qui in hac miseriarũ valle sunt, & peccant vt homines, eò quòd & ipsi indigent misericordia: & debẽt ita aliis misereri, vt & de se timeãt ne incurrant in eadem vitia, quæ in aliis damnant. Qui enim non miseretur aliis, proculdubiò tentabitur, & succumbet, vt discat habere misericordiã. Quòd autem possit quiuis, si superbiat, facilè tentationi succumbere, ostenditur per hanc maculatã tunicam qua vestiti sumus. Hæc est caro nostra, in qua est peccati macula & vitiũ. Quapropter debemus aliis misereri in timore, & odio habere hãc tunicam maculatam, vtpote spiritui repugnantem. [illegible]n me la[illegible] græcis nunc aliter legi: sed nostra [illegible]tio magi[illegible]aret, & minus habet obscuritatis: et [illegible] interpres ita vertisset, si non legisset ita haberi in græcis.

Et autem qui potens est, &c. Facilis litera: Solummodò audiant hæretici qui nolunt dari hominem sine peccato, imò neminẽ esse qui non assiduè peccet in omni opere quantumuis bono. Hîc Apostolus contrà docet manifestè talem nobis describens dominum Deum & Patrem nostrum, qui possit conseruare illos sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in aduentu domini nostri Iesu Christi. Beati qui tales fuerint: Nihil enim illis deerit ad omnem fiduciam. Clementissime Domine Iesu fac nos tales qui potes, vt tibi laudes & gratias agamus sempiternas. Amen.

*

BENEDICTVS DEVS.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pos l
sio
dæorum
quæ nob
pietati

nis præcep
portunissimum.
videlicet vt superædificent
fidei, id est, vt super fundar
arum n nane nè c

Biblioteca Universidad de Deusto